INSTITUTIONUM RELIGIONIS CHRISTIANAE LIBRI 4. AD CATECHISMI ROMANI...

Jacques : de Bay, Giovanni Battista Coccini

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
20 0
18 M

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

35-A-10

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITVTIONVM RELIGIONIS CHRISTIANÆ LIBRI IV.

Ad Catechiſmi Romani methodum, ex Concilij Tridentini præſcripto, concinnati.

Qui totius Scientiæ Theologicæ compendium,

ACCEDVNT DE VENERABILI EVCHARISTIÆ SACRAMENTO ET SACRIFICIO LIBRI III.

Auctore IACOBO BAYO, S. Theologiæ Doctore, Profeſſore Regio, Eccleſ. Collegiatæ D. Petri Louanij Decano, &c.

Ab eodem Nuperrimè Recognitum, Auctum & Emendatum.

PROVINCIAE SOCIET. IESV BIBLIOTHECA

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
Apud MINIMAM SOCIETATEM.

M. DC XXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO REVERENDISSIMOQ.

DOMINO MATTHIÆ HOVIO

ARCHIEPISCOPO MECHLINIENSI, &c.

D D.

TRIDENTINÆ Synodi Patres, (Illustrissime Reuerendissiméque Domine,) ad vnitatem Catholicæ fidei retinendam, & vbi collapsa est, restaurandam, simúlque ad fidelium animas solido cibo pascendum, catechismum pro Ecclesiarum Parochis conscribi iusserunt, in quo Christianæ religionis dogmata, scitu fidelibus necessaria, succinctè, aptâ methodo digesta proponerentur, vt antidotum Orbis iudicio probatum omnibus præstò esset, quo se aduersus letifera hæreseon venena communire, verbique Dei præcones hac salutari doctrinâ, omissis subtilioribus & inutilibus quæstionibus, assiduè in templis, scholis, omnique data occasione subditos sibi populos alere, & Fidem, Spem, Charitatem, aliásque virtutes adaugere possent. Quod vigilantiâ Pij V. Pontificis Maximi effectum est, libro edito, qui ob summi Pontificis reuerentiam, Catechismus Romanus nuncupatur. Hic suo iure principem locum inter omnia Doctorum scripta ob tinet, cùm non vnius priuati hominis sensum,

sed Ecclesiæ totius (quæ columna & firmamentum veritatis est) iudicium & Apostolicam à B. Petro & Paulo doctrinam, Romanis traditam contineat: iuxta quam populo in Templis, & iuuentuti in Scholis proponenda doctrina omnis attemperari debeat; ita vt hic vnus liber, instar omnium, tam docentibus, quàm discentibus, lydius lapis, certissima & infallibilis norma, ad quam examinanda sit omnis doctrina, esse queat; indéque fiat, vt sicuti vna est Christi fides, ita quoque vna eius exponendæ forma ab vniuersis obseruetur. Quo Rex Hispaniarum Philippus II. Belgij nostri Clementissimus Dominus, Sereniſſimarum suarum Celsitudinum parens, ad erigendum professionem Catechisticam in Academiâ Louanienſi permotus, eam mihi pridem benignè detulit; quâ plus viginti iam annis perfunctus, quò faciliùs reconditum in prædicto catechismo thesaurum omnes perspicerent, aliisque loco & tempore oportunè dispensare possent; Theologiæ compendium ad eiusdem Catechismi Romani methodum reuocaui, & quatuor libris expositionem illius complexus sum, vt animarum pastores, verbique Dei præcones, (etiam quibus minus est vel iudicij, vel otij, ad reuoluenda Ecclesiasticorum scriptorum infinita pene volumina) doctrinam ad alios securè docendum necessariam in promptu haberent. Quam cùm auditoribus verbo tradidissem, à summæ pietatis, eruditionis, & authoritatis viris rogatus, vt eandem typis ad communem omnium Christianorum vtilitatem euulgari paterer, eorum tandem votis ad Dei gloriam sub Illustrissimæ Reuerendissimæque D. T. nomine ac patrocinio parendum duxi; eò magis, quòd compertum haberem, incredibili zelo Te labanti auitæ Religioni succurrere, &, vt pulsis errorum tenebris, prisca illi cum flore suo claritas redeat, totis viribus adniti; simúlque persuasum haberem,

Reuerendiſſimos Belgij Epiſcopos, Parochos, vniuerſum denique Clerum, noſtros labores auidiùs, lubentiúſque amplexuros, ſi grauiſſimo tuo iudicio eos probari, & ſummâ, qua polles, authoritate commendari, ſerióque te velle intelligerent, vt iuxta Oecumenicæ Synodi Tridentinæ decreta in hunc vnum finem, ſuam doctrinam cuncti dirigant. Merces erit Eccleſiæ ſupremus Paſtor, Deus Opt. Max. qui Te, Illuſtriſſ. Reuerendiſſiméque Domine, Reipublicæ Chriſtianæ diutiſſimè conſeruet. Louanij Calend. Auguſt. M. DC XII.

ILLVSTRISS.mæ REVERENDISS.mæq; D. T.

Deditiſſimus

IACOBVS DE BAY.

DOMINICVS, *Episcopus Tusculanus*, PINELLVS, *Fr.* HIERONYMVS *Bernerius, Episcopus Albanensis*, ASCVLANVS; PAVLVS *Sfondratus tituli S. Cæciliæ*; CAMILLVS, *tituli S. Chrysogoni*, BVRGHESIVS; FRANCISCVS, *tituli S. Crucis in Hierusalem*, AVILA; & POMPONIVS, *tituli S. Balbinæ*, ARIGONIVS, *nuncupati Presbyteri miseratione diuinâ S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in vniuersâ Republicâ Christianâ aduersus hæreticam prauitatem generales Inquisitores, à Sanctâ sede Apostolicâ specialiter deputati, Dilecto nobis in Christo,* IACOBO BAIO, *Sacræ Theologiæ Doctori, Regio in Academiâ Louanienſi Professori, Salutem in Domino sempiternam. Cum in generali Congregatione S. Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis, habitâ in Palatio Apostolico apud S. Petrum, coram Sanctissimo Domino nostro* CLEMENTE, *diuinâ prouidentiâ Papâ* VIII. *nobis die infrà positâ nomine tuo supplicatum fuerit, vt tibi quoscumque hæreticorum, & aliàs prohibitos libros legendi & retinendi ad effectum, hæreses & errores redarguendi & confutandi licentiam concedere dignaremur: Nos, quibus imprimis cordi est, vt omnis hæretica prauitas è cunctorum mentibus depellatur, ac summopere cupientes, vt sancta, Catholica, & orthodoxa fides vbique floreat & augeatur; Authoritate Apostolicâ nobis in hac parte commissâ, tibi, de cuius doctrinâ, prudentiâ, & in fidem Catholicam sinceritate, à quibus apud nos fide dignorum virorum testimonio commendaris, planè confidimus, vt omnes, & quoscumque libros hæreticorum, seu aliàs prohibitos,* &c. *hæreses*

et errores redarguendi & confutandi, &c. legere & retinere liberè & licitè possis, & valeas. Licentiam harum serie ac tenore damus, concedimus et impartimur, &c.

IN QVORVM *omnium, et singulorum fidem, & testimonium præsentes litteras gratis expeditas, per infrà scriptum nostrum, Officiique eiusdem S. Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis Notarium fieri fecimus, & manibus nostris subscriptas, sigilli Sanctæ Inquisitionis, quo in talibus vtimur, iussimus appensione muniri.* DATVM *Romæ in generali congregatione dictæ Sanctæ Inquisitionis, quinto Kalendas Decembris, Anno à Natiuitate Domini nostri* IESV CHRISTI, M. DCIII. *Pontificatus Sanctissimi in* CHRISTO *Patris & Domini nostri, Domini* CLEMENTIS, *diuina prouidentia Papa* VIII. *Anno duodecimo.*

Signat.

Quintilianus Adrianus S. Rom. & Vniuersalis Inquisit. Not. & Secret.

IACOBVS DE BAY, AMICO LECTORI SALVTEM SEMPITERNAM.

AD extirpandas grassantes in perniciem, cùm animarum, tum corporum, hæreses, ac simul ad reuocandum ad catholicam fidem eos, qui deserto Ecclesiæ Romanæ securissimo portu, per varios errorum scopulos miserè iactantur; quid maximè conduceret, animo reuoluens, nullum salubrius aut validius remedium fore arbitratus sum, quàm si omnes, quibus pascendi docendique munus in Ecclesiâ obeundum est, Catechisticæ doctrinæ librum, Oecumenicæ Synodi Tridentinæ authoritate ac decreto conscriptum sibi familiarem redderent, populis assiduè proponerent, cælestisque doctrinæ diuitias Catechismo illo conclusas, priuatim & publicè, pueris & adultis, communicarent; Pastores quidem in templis & oratoriis; Doctores verò, Ludimagistri, Præceptores, ac Pædagogi, in scholis. Nam nulli non perspectum est, quantum mali Ecclesiæ diabolus viuâ sectatiorum voce, Catechismorúmque publicatione intulerit, & quàm latè longéque illud exitiale peruersorum dogmatum virus hominum animis instillauerit, quámque facilè letifera illa perfidiæ lues irrepserit; & veritatis inimicus his laqueis plurimos ad defectionem, & à vijs antiquis ad deuios calles perduxerit. Cui certè grauissimo vulneri per contrariam opem omnino medendum est, elaborando, vt subductis nouatorum libris & doctrinis, omnes ad salutem suam cum augendam tum communiendam, in promptu Catechismum, catechisticámque doctrinam habeant, qua securè vtantur, ne pro catholico hæreticus, pro bono & sano noxius aliquis, aut prauus scriptor subrepat. Non enim Sathan desinit quosdam assiduè ministros excitare, qui suis libellis impietatis

studia

ſtudia foueant, diſſeminent, propagent, eo planè fine, vt qui à religione orthodoxâ ſemel defecere, in erroribus & ſectis, quibus ſe addixerunt, confirmentur; & qui etiamnum in tutiſſimis Eccleſiæ caſtris permanent, tandem ſeducti, factionum diſcipuli, religioniſque orthodoxæ deſertores efficiantur. Inter eos autem libellos, quorum ingens vbique prouentus eſt, ſingularem vim ad religionem euertendam Catechiſmi obtinent, qui tum breuitatis, tum verborum elegantiæ, ac methodi ſpecie commendati, imperitos fallunt, nobilémque iuuentutem veritatis ſinceritati natam, grauiter vitiant atque corrumpunt. Venenum enim ipsâ dulcedine blandum, ſimplicibus & incautis ſumendum præbent; quod priuſquam ſentiatur, eorum animi nouis & peſtiferis opinionibus deprauantur, quas euellere poſtea difficillimum eſt. Vnde fit, vt eo doctrinæ fermento ſemel infecti, Catholicæ fidei, & ſanctæ Matris Eccleſiæ dogmata, venerandáque inſtituta negligant, faſtidiant, atque per contemptum etiam oppugnent. Quibus non aliâ ratione melius occurri poſſe videtur, quàm ſi catecheſeos vſus in Eccleſias, Scholas, imò & ſingulas familias reuocetur; vtque omnium tam docentium quàm diſcentium vna aliqua ſit certa doctrinæ norma, fidelium captui accommodatiſſima. In quem finem Dei Optimi Maximi beneficentiâ ex Concilij Tridentini decreto, per non dubiæ fidei & doctrinæ viros, ſed theologiæ ſcientiâ, necnon etiam vitæ innocentiâ & integritate præſtantiſſimos, Catechiſmus, quem ob ſummi Paſtoris reuerentiam ROMANVM dicimus, conſcriptus eſt: qui non ſolum & ſanctiſſimorum & doctiſſimorum virorum reſponſa contineret, ſed ipſa Spiritus Sancti oracula, quibus ſecurè inniti poſſent, quotquot peruerſorum dogmatum fraude tentarentur: ad quorum præſcripta ſeſe componerent, quicumque extra damnationis æternæ periculum eſſe cuperent. Hanc inclinato iam Orbi medicinam, cùm ad præcauendos, tum depellendos ſectarum morbos, fidelibus ſuis dare placuit miſericordiarum Patri, vt nemo excuſari poſſet, qui animæ iacturam per hæreſes pateretur, cùm certum ſuæ ſalutis præſidium haberet, ſi Catechiſmi Romani doctrinæ adhæreret, ſimúlque quò ſe in vlam ſeductus recipere, grauiſſimè admoneretur & impelleretur. Eſt equidem is vnus liber inſtar omnium, ſiue veteris Eccleſiaſticæ Hierarchiæ conſolidationem quæras, ſiue modum & rationem promptiſſimam, quibus peregrinas hæreticorum doctrinas & agnoſcas, & extinguas. Hunc qui legit, non hominum ſermonem audit, quorum dicta ratione expendat, vel ad alia aliorum prudentium placita referat; ſed ipſas Apoſtolorum linguas, vera Dei magnalia loquentes. Omnia hic ſanctè,

omnia grauiter tradita, adeò, vt si ad hæc sectariorum commenta, & ea, quibus iam orbis captus tenetur, verborum lenocinia sistas, non aliter quàm figulina opera lapidi allisa comminuantur. Quis enim non videat, ex Catholicæ Ecclesiæ (quam fidei nostræ symbolo profitemur) potiùs quàm ex priuatorum iudiciis doctrinam religionis sibi repetendam esse? ac proinde illud cum primis prouidendum, vt quidquid populo in Templis, vel Iuuentuti in Monasteriis & Scholis traditur, doctrinæ catechismi Romani attemperetur, vt Christiana iuuentus explosis hæreseon fæcibus, veritatis Euangelicæ sincero lacte ac pane alatur, & teneræ mentes doctrinâ salutari prius, quàm hæreseon felle imbuantur; & in cordibus veræ fidei semen prius excipiatur, quàm succis amaritissimis rudia adhuc & recentia vasa perfundantur, agrósque dominicos inimicus homo suis præoccupet zizanijs?

Sed cùm tam vtilis atque necessaria sit Catechistica doctrina, cur ita passim eam negligi à plerisque experimur? nulla profectò alia causa est, nisi quia nonnullos pudet aut piget, Christianæ fidei elementa in adultâ ætate perdiscere; alij verba æternæ vitæ fastidiunt, ac permulti noua, subtilia, curiosa, lenocinio placentia salutari doctrinæ præferunt, malentes vanitatis, quàm veritatis esse discipuli. At quanta dementia, nolle doceri, quæ per ætatem vel ignauiam priùs agnosci non potuerunt? respuere Dei verba, in vitam beatam perducentia? complecti spinosa incertáque, spretis æternæ summæque sapientiæ dogmatibus? Si per mille calamitates, discrimina, & ærumnas, plerique mortalium, vt fluxas opes, & cibum qui perit, conquirant, voluuntur; nónne æquius est, aliquam saltem vitæ partem rebus melioribus, diuinæ scilicet contemplationi, animarúmque saluti attribuere? Quæ major ignauia, quàm animæ sempiternam salutem negligere? quàm nolle doceri, qua ratione meliora capessere, vitámque possis beatam comparare? Quid magis ingratum, quàm nolle benefactorem agnoscere, & quot modis, quótque beneficijs ad gratæ mentis demonstrationem obstrictus sis, audire? Hæc enim in Catechesi traduntur: *Quid credere, quid agere, quid fugere, quibus vitam legibus ducere oporteat, quomodò Deum colere, quid ab eo petere ac sperare, ac demum, quomodo religiosi, Deóque amici esse possimus?* An verò se quisquam fidelem esse arbitrabitur, qui fidei nomen vix agnoscit? aut religiosum, qui diuini cultus rationem penitus ignorat? vel Christianum, qui sine Christo? aut denique hominem, qui neque hominis officium, neque seipsum nouit? An fidelis & illuminatus iure

mortóque dicendus erit, qui in eisdem ignorantiæ tenebris semper remanet? neque quid circa se in Baptismo gestum fuerit, vel quamobrem, vel quid promiserit, agnoscit? & in diuinam ascriptus militiam, neque tesseram, neque sui Imperatoris symbolum, & vix cum quibus pugnandum sit hostibus, aut quibus armis, intelligit? Si animo recolatur, quæ olim fuerint Catecheseos leges, quis catechumenorum labor & alacritas, quæ patientia, quàm inexhaustum discendi studium, ita demum nostræ socordiæ, ac ingratæ in Deum mentis, parentémque Ecclesiam pudebit. Quanto enim studio populi ad primum nouæ legis Catechistam audiendum, per flumina, per montes, per deserta & maria confluxerint, Euangelica historia recenset. Qui deinde peracto huius vitæ decursu, completóque humanæ redemptionis opere in cælum nostræ carnis exuuias subuecturus, discipulos totius vitæ, sanctarúmque actionum & miraculorum conscios, in orbem ablegauit, vt cælesti doctrinâ homines, in densa ignorantiæ caligine demersos illuminarent, nouísque sacramentis imbuerent, eos sic affatus Matth. 28. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*; doctrinam tinctioni adiungens. Et quoniam nemo ritus peregrinos, & in speciem viles in se recipiet, nisi diuinam in illis energiam vilibus tegumentis non solum indicari, sed etiam contineri persuasum haberet; ea propter doctrinæ credendi verbum adiungens: *qui crediderit*, inquit, *& baptizatus fuerit, saluus erit*; nempe sic à vobis edoctus, quisquis assensum verbo sermonique vestro præbuerit, & sacra mysteria susceperit, absque dubio saluus erit. Hinc Christianarum Catecheseon origo.

Propriè verò catechistica doctrina dicitur, quæ docentis sermone peragitur, seu quæ per auditum suscipitur; solida quidem illa, simplex tamen, breuísque institutio; siue adhuc baptismi sacramento exsortibus, siue initiatis fiat. Nam licet catechumeni propriè & ex vocis accommodatione nuncupentur, nondum Christi Sacramentis imbuti, qui tamen baptismi desiderio se teneri, morum, vitæque conuersatione demonstrent; attamen omnis fundamentorum Christianæ religionis explicatio, quæ viuâ voce traditur, catecheseos appellatione continetur. Nefas enim primis Ecclesiæ Christi temporibus erat, Christiana sacra litteris committere, quæ ne quidem coram ethnicis nominare primi Christiani patiebantur; cùm vt Ieremiæ c. 31. vaticinio fieret satis, quod leges Dei in tabulis cordis carnalibus descri-

bendas prænunciârat; tum ne incredulorum ludibriis exciperentur, sanctúmque canibus proponi videretur. Nam ijs, qui se in hanc disciplinam tradiderant, veluti per transennam demonstrabantur; exactior autem tractatio initiatis reseruabatur. Vt enim qui iuuentutem erudiendam susceperunt, sensim rudes animos efformant, & crassiora quæque proponunt, donec tandem proiectioribus altiora præcepta tradant: ita recentes discipulos inter ipsa rudimenta Doctor ecclesiasticus detinet, quoadusque paulatim discendo, idonei euadant, quibus seipsum Christus committat. Ideo neophytis summa Christianæ doctrinæ capita, simplici modo, velut lac paruulis, traduntur: at iis, qui sapientiâ exercitatos sensus habent, eadem Religionis christianæ capita, mutatâ docendi ratione, profundiore ac liberiore mysteriorum explanatione, velut solidus cibus adultis, præbentur. Cuius rei testis locuples Cyrillus est, qui catecheses suas eruditionis reconditæ plenissimas, non infidelibus aut catechumenis; sed illuminatis, doctoribúsque Christianis conscripsit. Quem hac in parte Concilij Tridentini Patres imitati, Catechismum pro Parochis edi sapientissimè decreuerunt, qui omnem fidei catholicæ doctrinam fidelibus scitu necessariam complecteretur, in quatuor capita redactam; scilicet Apostolorum Symbolum, Sacramenta, Decalogum, Dominicam Orationem. Nam omnia, quæ Christianæ fidei disciplinâ tenenda sunt, siue ad Dei cognitionem, siue ad mundi creationem & gubernationem, siue ad humani generis redemptionem, siue ad bonorum præmia vel malorum supplicia pertineant; Symboli Apostolici doctrinâ continentur. Quæ autem signa & instrumenta ad diuinam gratiam consequendam sint instituta, quis eorum numerus, quis effectus, quis vsus, quanta eorum vtilitas; hæc vbertim septem Sacramentorum doctrina complectitur. Quæ verò ad Leges, & Peccata referuntur, Decalogo descripta sunt. Finis enim præcepti est charitas de corde puro, conscientiâ bonâ, & fide non fictâ. Quidquid denique ab hominibus optari, sperari, ac salubriter peti queat, Dominicâ precatione atque salutatione Angelicâ comprehenditur. Vnde liquet, explanatis quatuor his quasi communibus scripturæ locis, nihil ad eorum intelligentiam, quæ Christiano homini discenda sunt, posse desiderari; ac simul ad horum quatuor capitum aliquod, omnem Theologicam doctrinam referendam esse. Quod insinuans œcumenica synodus Tridentina sapienter constituit, vt omnes Episcopi, & Ecclesiæ

rum parochi, suas conciones iuxta huius Catechismi doctrinam instituant, sess. 24. c. 7. *Vt fidelis populus* (inquit) *ad suscipiendasacramenta maiori cum reuerentiâ, & animi deuotione accedat, præcipit sancta Synodus Episcopis omnibus, vt non solùm cùm hæc per seipsos erunt populo administranda, priùs illorum vim & vsum pro suscipientium captu explicent: sed etiam idem à singulis Parochis piè prudentérque, etiam linguâ vernaculâ, si opus sit, & commodè fieri poterit, seruari studeant; iuxta formam à sanctâ Synodo in Catechesi singulis sacramentis præscribendam, quam Episcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque à parochis omnibus populo exponi curabunt. Necnon, vt inter Missarum solemnia, aut diuinorum celebrationem, sacra eloquia, & salutis monita eàdem vernaculâ linguâ singulis diebus festis, vel solemnibus, explanent, eadémque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserere, atque eos in lege Domini erudire, studeant.* Vbi grauiter admonet, vult, ac præcipit Concilium œcumenicum, omnes Ecclesiarum Pastores debere suas conciones iuxta Catechismi, pro Parochis iussu Concilij editi, doctrinam instituere; ac in omni docendi & interpretandi munere hanc obseruare consuetudinem, vt omnia dirigant ad prima illa quatuor ecclesiasticarum traditionum capita, ad quæ referri vniuersam diuinæ scripturæ vim atque doctrinam ostendimus. Quoties enim vsu venerit, vt Parochi aliquem Euangelij, vel quemuis alium scripturæ diuinæ locum interpretari debeant, certò sciant, eius loci (quicumque is fuerit) sententiam cadere sub vnum aliquod quatuor istorum capitum: ad quod velut eius doctrinæ, quæ explicanda erit, fontem, confugere poterunt. Exempli gratiâ: Si explanandum sit Euangelium primæ Dominicæ Aduentus; quæ eò pertinent, fusè traduntur in explicatione Articuli symboli: *Venturus est iudicare viuos & mortuos.* Si de Verbi Incarnatione, Natiuitate Christi, Passione, Morte, Sepulturâ, Resurrectione, Ascensione, vel de futuro Iudicio, de Carnis resurrectione, de beatorum præmiis, aut condemnatorum supplicijs; si de Trinitatis mysterio, de Patris & Filij aut Spiritus Sancti proprietatibus, & Maiestate, vel de Spiritus Sancti missione, Charismatibus, aut gratiarum donis; si de Angelorum hierarchijs, conditionibus, naturâ, functionibus, & officiis; vel de hominis creatione, primóque illius statu, ac deinde lapsu, reparatione; vel de potentiis, auxiliisque necessariis, vtpote de Libero arbitrio, gratiáque illi ad piè sanctéque operandum necessaria; si de salutarium Sacramentorum institutione, præstantiâ, vi,

ac vsu Pastori sermo instituendus sit, ad expositionem Articulorum symboli, ad tractatum de Sacramentis recurrat; ibi amplissimam de prædictis omnibus, multísque alijs consimilibus argumentis materiam in promptu habebit; qua creditas sibi fidelium animas saluberrimè reficiat. Hoc enim fine vniuersam Theologiam scitu necessariam, ad methodum doctrinæ Catechismi Romani compendiosè redegimus, vt Parochi, Verbíque Dei tractatores ad manus communium locorum extensam, dilucidámque expositionem haberent, quæ conduceret ad confirmandos in Catholicâ fide hominum animos; ad stabiliendum in vnione Ecclesiæ Romanæ; ad excitandum ad pietatem & bonos mores; ad dehortandum à vitiis; ad promouendum Fidem, Spem, Charitatem, ceteráſque virtutes; ad auitam priscámque religionem tuendum; errores, grassantésq; hæreses refellendum. Quia enim non omnibus tantum est otij, vel iudicij, vt per seistiusmodi locorum communium explicationem colligere valeant, pro ingenij nostri tenuitate, id quantâ potuimus breuitate atque claritate, Deo duce, atque auspice, in tui gratiam, LECTOR optime, præstare conati sumus. Tu igitur nostris laboribus vtere ad Dei gloriam, quem pro nobis precare.

IACOBVS DE BAY.

Eximio Domino
M. N. IACOBO BAYO,
SACRÆ THEOLOGIÆ PROfessori Regio, &c. Louanij.

Eximie D. M. N.

INdolui huc reuersus, quòd Louanij nuperrimè existens, non egerim cum eximiâ T. D. pro obtinendâ aliqua partium Catechisticæ explicationis editione. Valdè ea vbique locorum desideratur, & esset magnus vsus illius in omnibus Ecclesiis. Pastores plurimi abstinent à Catechesi, nec induci possunt vt catechisent, quòd non habeant adminicula ad eam rem necessaria. Concionatores, vel (vt illi obsoletè nominant) Postillatores satis multi extant, quibus ad concionandum Euangelia iuuantur; sed destituuntur iis, quos in Catechismo explicando sequantur. Catechisationis necessitas Eximiæ D. T. perspecta est: quæ in eo professionis genere pluribus iam annis versatæ, paruo negotio succinctam aliquam omnium Catechismi partium, quæ vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ vsui futura sit, edere poterit ex-

plicationem. De omnibus partibus eam scribi expedit, illis etiam comprehensis, quæ in Tridentino Catechismo sunt prætermissa; vtpote de Angelicâ salutatione, de Præceptis Ecclesiæ, & aliis. Expedit quoque breuem esse, vt ad plures vtilitas diffundatur. Quæso vt hanc meam interpellationem, quæ bono publico & animarum saluti seruit, in bonam partem D. T. accipiat: quam opto feliciter valere. Falcoburgo 7. Octob. 1605.

Vti frater in Christo

HENRICVS EPISCOPVS Ruræmundensis.

INSTITVTIONVM

INSTITVTIONVM DOCTRINAE CHRISTIANAE

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De Auctore Catecheſeos.

Catecheſis Deum Authorem habet.

CAtecheſis Deum Authorem habet, qui ſimulátque Angelos & homines primos condidit, ſuam eis voluntatem expoſuit; cui ſi obedirent, beati, ſi vero eam tranſgrederentur, miſeri fierent, eos ita libero munerans arbitrio, vt tamen regeret imperio, terreret exitio. Poſt inobedientiam, verò primorum parentum, nouam Catecheſim, ſpecialémque colendi Dei ritum ac ſpem recuperandæ ſalutis per Chriſtum, de Muliere naſciturum, idem Creator benignè contulit. Cuius doctrinæ promulgatores fuerunt Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, Sacerdotes, ac tandem ipſe Chriſtus, naturalis Dei Filius, Homo factus, Apoſtoli, aliique homines ſancti, quos per oracula, viſiones, inſpirationes, vtraque illuminationum genera Deus occulta ſapientiæ ſuæ myſteria, veritatémque docuit, quam ipſi Poſteris viua voce per manus traderent. Iuxta quam inſtitutionem Adam, Seth, Enoch, Noe, aliique omnes Sancti vſque ad Abraham Deo ſeruierunt: cui Deus pleniorem Cathecheſim ac myſteriorum Fidei reuelationem indulſit, apertè illi detegens, quod *in eius ſemine benedicerentur vniuerſæ tribus terræ* ac ſignum fœderis, ſignaculúmque iuſtitiæ fidei, Circumciſionum carnis præputij conſtituens, eiúſque poſteritati terram Chanaan, liberationémque ab Ægyptiaca ſeruitute addicens: in typum, quod veri Abrahæ filij imitatione fidei à ſeruitute diaboli in libertatem per Chriſtum aſſerendi eſſent, ac ad regnum cœlorum perducendi. Tempore autem Moyſis plenior adhuc diuinarum rerum eruditio ſucceſſit, cum præcepta Decalogi data ſunt, & ritus varij, ceremoniæ, atque ſacrificia, Sacerdotiúmque Aaronicum, ad colendum ſingulari obſequio Deum, explicandam Legem, Iſraeliticumque populum erudiendum inſtitutum fuit. Sed proceſſu tempo-

Promulgatores poſt lapſum ſunt Angeli, Patriarchę, Prophetę, Sacerdotes, Chriſtus, Apoſtoli, eorumque Succeſſores

ris per Samuelem, Dauidem, Isaiam, Danielem, aliosque Prophetas longè adhuc illustrior diuinarum rerum institutio succesſit: cuius tandem perficiendæ causſa Vnigenitus Dei Filius in terram deſcendit, abſolutamque de Deo, rebuſque diuinis Cathechesim viua voce Apoſtolis aliisque tunc viuentibus Diſcipulis enarrauit. Aquibus continua Epiſcoporum Doctorumque ſibi inuicem ſuccedentium viuæ vocis traditione ad nos vſque incorrupta dimanauit. Nam vt continuo progreſſu doctrinæ ſalutaris veritas ſeculis omnibus ſuperſtes in mundo remaneret, Chriſtus Paſtores & Doctores, in cœlum aſcendens, in terra reliquit, quos interpretes, teſtes, cuſtodeſque Depoſiti diuini conſtituit, per quorum os Eccleſiam erudit, omnemque veritatem referat, de quibus dixit: *Qui vos audit, me audit.* rurſus: *vos eritis mihi teſtes.* Item *docete omnes gentes.* Pauciſſimis enim donatum eſt, vt nullo ſibi homine prædicante, per ipſum Dominum vel Angelos cœlorum ſalutis doctrinam accipiant: multis vero conceſſum, vt Deo per homines credant, veritatemque agnoſcant. Vnde non ſunt quærendæ nouæ à Deo reuelationes, nec alia de cœlo expectanda Spiritus Sancti oracula, ſed in omni religionis controuerſia, Eccleſia Dei viui conſulenda eſt, quæ columen & firmamentum veritatis, certiſſimaque credendorum & agẽdorum magiſtra eſt. Quam qui contemnit audire, *tanquam ethnicus et publicanus* Chriſti voce habendus denunciatur. Vnde, falſiſſimum eſſe conſtat illud Caluini figmentum: *Neminem poſſe vel minimum rectæ ſanaque doctrinæ guſtum percipere, niſi qui Scripturæ diſcipulus fuerit, eaque duce ac magiſtra veritatem didicerit, per eamque ſolam nobis liquido veritatem oſtendi, Deum eccleſiam erudire, oſque ſuum reſerare: ac proinde ad credendum & ſcripturas recipiendum non eſſe recurrendum ad eccleſiæ authoritatem, iudicium, aut teſtimonium, ſed petendam eſſe veritatis perſuaſionem ab vnico arcano Spiritus Sancti teſtimonio, quia Deus ſolus de ſe idoneus in ſuo ſermone teſtis exiſtat.* Quod commentum ad euertendam eccleſiæ authoritatem excogitatum, cum euangelica Apoſtolicaque doctrinæ diametro pugnat, quæ vult, eccleſiam veluti infallibilem veritatis magiſtram audiri, eiuſque teſtimonio fidem incunctanter adhiberi, vt rectiſſimè vereque dicatur, propter eccleſiæ authoritatem, teſtimonium, & perſuaſionem, tanquam externum medium, homines credere, quamquam interim ipſo Deo intrinſecus mentem firmante atque illuminante perſuadeantur, vt aſſenſum & fidem Verbo fortis prædicato adhibeant. Vtrumque ſiquidem medium coniunctum fidem operatur, iuxta illud, *Fides ex auditu. Et charitas cum fide à Deo Patre noſtro.*

Hebr. 1.

Math. 10. Actor. 1. Math. 28.

Deus ordinarie per homines docet.

Aug. li. 1. de doctr. Chr. lib. 1. de bono perſeu. cap. 19.

Eccleſia veritatis magiſtra.

Math. 18.

Non eſſe an ſolam Scripturam recurrendũ.

Fides eſt à Deo ſimul-q; ab Eccleſiæ teſtimonio.

Rom. 10. Epheſ. 6.

CAP. II.

De Cateheſios nomine.

CATECHESIS nomen à voce greca κατηχέω à quo verbum κατηχῶ deducitur, quod ita ſonare ſignificat, vt ſonus illiſus reſiliat, ac verba dilapſa quodammodo reuocet. Hinc ortum verbum κατηχέω quod inſtituere, ſeu, viua voce erudire, ſignificat: à quo verbo catecheſis traducta eſt, ad ſignificandam traditionem Fidei, myſteriorumque Chriſtianæ Religionis, quæ viua voce, potiſſimumque interrogationibus reſponſionibuſque peragitur. Qua voce B. Lucas in actis cap. 1. & 18. vtitur, & Interpres vertit, *Eruditus es*, ac *edoctus viam Do-*

mini : Apostolus vero, *communicet*, ait, *is, qui catechizatur verbo ei qui se catechizat, in omnibus bonis.* Vnde liquido patet, *catechizare* esse *verbo* seu *viua voce instruere.* Ex quo Apostoli loco voces *Catechismi, Catechista*, atque *Catechumeni* desumptæ sunt.

Catechizare quid significet.

CAP. III.

Quid Catechismus, Catechista et Catechumenus

CAtechesis, seu Catechismus, est doctrina de elementis Christianæ religionis, quæ viuæ vocis ministerio imbuendis sacris mysteriis tradi solet, quam institutionem Apostolus lacti comparat, quo fouentur paruuli, eam secernens à solido cibo, quo pascuntur viri: *Rursus*, inquit, *indigetis vt doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum Dei et facti estis, quibus lacte opus sit non solido cibo.* Et 1. ad Cor. 3. *Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, in escam.* Est autem lac (iuxta Aug.) doctrina rerum sacrarum proposita, vt audiens simplici fide credat: Solidus autem cibus, est sermo doctrinæ, quo agitur, vt auditor non solum annuat, verum etiam vt ea, quæ proponuntur, intelligat. Eadem igitur fidei mysteria diuerso modo proposita, *Lac* sunt & *solidus cibus*, ac proinde Doctrina Catechismo Romano comprehensa, non solum recte catechumenis, sed etiam Baptismi sacramento regeneratis, vtilissimè proponitur, vt quod fide simplici credendum acceperunt, etiam Domino reuelante intelligere, simulque aduersus Hæreticorum insidias tueri valeant. Quo quidem fine Aug. li. de fide & symb. Ambr. lib. de iis, qui mystriis initiantur, & Cyrillus catechesi illuminatis ediderunt, quibus ad speciandæ nostræ religionis mysteria iam admissis, spirituale mysteriorum intelligentiam esse tradendam cum in præfatione, tum catechesi 4. Cyrillus docet, ac ante hos omnes Clemens Alexandrinus tribus Pædagogi libris, quodnam hominis Christiani officium sit, exposuit. Cum equidem sanctum canibus dari vetuerit Dominus, visum est primis fidei Christianæ magistris non expedire, vt omnia Christianæ religionis mysteria scripto committerent, omnibúsque passim euulgarent: sed consultius iudicarunt, vt qui sacris arcanis vellent imbui, viua voce instruerentur, eoque modo ritus colendi Dei, atque doctrina ipsa Christiana ad posteros, voluti per manus, dimanarent, & lex Christi non tam atramento vel calamo, quam Spiritu Dei viui scriberetur, *non in chartis, sed in tabulis cordis carnalibus*, iuxta doctrinam Apostoli 2. Cor. 3. ex Hieremiæ vaticinio desumptam, ca. 31. & Ezechiele. Ad hunc modum qui in Ecclesia primitiua ad baptismum admitti desiderabant, prius fidei Christianæ mysteria rudi planoque sermone ab Apostolis eorumque Discipulis viua voce audiebant, cuiusmodi institutionis genus *Catechesim*, seu *Catechismum* appellabant. Illi vero, qui ad hunc modum elementis Christianæ fidei imbuebantur, cum nondum essent sacris initiati, nec ad sacra spectanda introducti, *catechumeni* appellabantur, qui à Tertulliano in lib. de pœnitentia vocantur *audientes*, in li. autem de patientia, *discentes*, ab Aug. *competentes*, quia omnibus mentis suæ conatibus regenerationis gratiam ambirent. Qui vero fidei Christianæ doctrinā tradebant, *Catechistæ, Doctoris*, ac *Magistri* nomen obtinebant, vt ex Apostolo

Heb. 5. & ca.

Quid lactis nomine significetur. Aug. tract. 98. in Ioan.

Solidus cibus.

Eadem doctrina diuerso modo proposita est lac & solidus cibus.

Matth. 7.

Christianæ fidei mysteria voce potiùs quam scripto tradita.

2. Cor. 3. Ierem. 31. Ezechiel. c. 11. & 36.

Initiandorũ nomina.

catechumeni qui. Aug. serm. 9 in Louanij impressis. li. 1. retract. cap. 17. Sermon. de temp. 115. 116. 157.

ad Gal.6.& Eusebio, aliisque constat. Refert enim Demetrium Alexandrinum Episcopum Origeni catechizandi docendique magisterium in ecclesia tribuisse: quod officium ibi Pantenus atque Clemens prius exercuerant. Quomodo autem & de quibus rebus instituendi sint cathechumeni, tradit Dionysius Areop. vterque Clemens, Romanus, & Alexandrinus, atque August. libro de catechisandis rudibus, ac lib. de fide & symbolo.& lib.de fide & operibus capit.27.vbi docet, sic homines esse cathechizandos, vt non solum audiant, quid credere, verùm etiam qualiter viuere debeant, quid agere, quid vitare, quibus legib.vitam dirigere oporteat. Nam conuersatio Deo grata non minus requirit vitam bonam quam fidem rectam. Sicut enim fides absque operibus mortua est, ita opera sine verâ fide mortua sunt. Qui enim laudabiliter viuit, sed malè credit, habenti faciem ingenuam, sed oculos distortos, per similis est. Hinc solent catechumeni sacrarum scripturarum lectionem in templo cum fidelibus audire, Euangelijque expositioni interesse, quâ finitâ, emittebantur, nec ea intueri, quæ in Hostiæ salutaris oblatione fiunt, permittebantur. Idque propterea, quoniam adhuc instar infantum in vteris maternis existentium, ad diuinam illam vitæ ac lucis natiuitatem (quæ in baptismo consequitur) ecclesiæ sacris eloquiis effingerentur, ad quem, diligenter instructi, maximâ cum solemnitate pridie Paschæ & Pentecostes (ac in Orientali regione in festo quoque Epiphaniæ Domini) adduci solent, prius tamen feria 5. Orationem Dominicam, & Symbolum Apostolorum publicè recitare, & coram Episcopo aut Presbytero catechetici profectus rationem tenebantur reddere. Postquam verò ex aquâ & Spiritu Sancto regenerati erant, albâ veste induebantur, in typum, quod exutis peccatorum & ingnorantiæ tenebris, innocentiæ ac lucis casta velamina induissent: nec amplius *cathechumeni*, sed *Neophyti, Illuminati, Initiati, Filij Adoptionis, Sanctificati, Fratres, Discipuli, Fideles, Oues Christianique* nuncupabantur, regio nimirum, prophetico, pontificioque vocabulo. Iulianus apostata probroso quasi cognomento *Nazareos* & *Galileos* appellauit: quæ nomina cum suo authore euanuerunt.

Dion. li. de Eccl. Hier. ca. 2. 5.
Clem. lib. 7. Apost. cõst. ca 39.
Clem. Ale. li. 1. Pædag.
Catechum. traduntur credenda, & agenda.
Iacob, 2.
Dionys. Areop. lib. de Eccles. Hier. ca. 3. p. 3.
Baptizandi Orat. Dominicã & Symbolum recitabant. Concil. Laodic. cap. 46.
Alba vestis quid denotet Dionys. Areop de Eccles.
Hier. c. 2. p. 3. Aug. ser. 157. ad competen.
Baptizatorum nomina.
Actor. 11.
Psalm. 44. & 104.

CAP. IV.

Vnde Catechista doctrinam suam exordiri debeat.

ORDINEM docendi Catechistarum obseruabit, quem personis temporibus accommodatum iudicabit. Vt August. lib. de catechizandis rudibus admonet. Et Clemens libr. 7. constit. Apost. cap. 39. vbi scribit, instituẽdos esse catechumenos notitia Dei Patris Vnigenitique Filij Iesu ac fide Spiritus Sancti. Deinde proponendum esse varium creaturarum ordinem, diuinæ prouidentiæ seriem, diuersarum legum iudicia: quare homo conditus, cur mundi ciuis constitutus, cuius qualisque naturæ sit, ac quemadmodum Deus in qualibet ætate Sanctos honorauerit, dilexerit, iisque benefecerit, vitiosos autem & impios aqua, igne, hiatu terræ, per feras bestias, per bella, captiuitates, carceres, vincula, famen, pestem, varióque morbos puniuerit ac perdiderit, ac insuper, quemadmodum sua prouidentia non se ab humano genere auertit Deus, sed per tempora illud

Catechista vnde doctrinam ex ordiatur.

ab errore ac vanitate ad veritatis cognitionem reuocauerit, ab impietate ad pietatem transferens, ab iniustitia ad iustitiam à seruitute ad libertatem, ab æterna morte ad beatam & immortalem vitam. In eum finem excitans Prophetas, ac tandem Vnigenitum Filium suum Christum de cœlo mittens, vt homines saluaret, pulsaque ignorantia & deletis omnibus carnis spiritúsque maculis, homines voluntate, mente, corpore, verbo & opere Deo spe gloriosæ immortalitatis seruirent, eidémq; pro tantis beneficiis gratias assidue peragerent. Porrò veterum Patrum consuetudinem sequutus noster Catechismus Romanus, à fidei doctrina initium facit. Est enim Fides religionis doctrinæque Christianæ basis ac fundamentum, simul ianua, via & recursus ad incorruptionem. Nam credendo domus Dei fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur. *Per fidē accessum habemus ad Deum, qui nobis author est vitæ immortalis, omniúmque bonorum. credere* enim *oportet accedentem ad Deum. accedit autem ad Deum, qui eum inuocat, quomodo autem inuocabunt, in quem non crediderunt?* Vnde colligit Augustin. homini comprimis esse discendum, quænam sint credēda, & deinde quæ petenda, speranda, & facienda, & in Enchiridio c. 2. 3. & 8. ostendit, fide, spe & charitate Deum esse colendum, fidem autem spe atque charitate priorem esse, imo neutram earum virtutum posse absque fide subsistere, quia nemo speret aut diligat, quod non agnoscit. Quod autem fides sit origo iustitiæ, vitæque beatæ, significat Apostolus, vocans fidem, *substantiam rerum sperandarum*, id est, basim, ac fundamentum. & ad Roman. c. 1. *Iustus ex fide vivit*, tanquam radice iustitiæ. Nam fides prima datur, ex qua deinde cetera impetrentur, quo modo passim explicat Augustin. Hinc fides, *ostium vitæ, luménque animæ* dicitur, quia sine fide mens de credendis & agendis perperam iudicat. Cum enim finis beatæ vitæ rationali creaturæ à Deo propositus, humani sensus acie comprehēdi nequeat, oportet mentē supernis illustrari radiis, quibus ad res diuinas contuendas eleuetur, quarum rerum Ænigmatica cognitio fides est, cuius virtute ijs omnibus firmiter assentimur, quæ à Deo nobis credenda proponūtur. Nam æquum est in eis, quæ humano ingenio inuestigari nequeunt, diuinæ authoritati cedere: ac illis, qui eadem viderunt, & in scriptura sancta nobis reuelarunt, absque hæsitatione credere. Sed cum fidei vox latè pateat, de multiplici eius significatione nonnulla subiungemus.

Fides religionis est fundamentum.

Heb. 11.

Rom. 10.

Summa doctrinę cælestis ad etedenda, sperandaque reuocatur. Bellarm. l. 4. de Iustif. cap. 1.

Fides est basis vitæ beatæ. Hebr. 11.

Augustin. 2. de præderit. Sanct. c. 7.

Fideli Encomia.

Authoritati diuinæ rationis est credere.

CHAP. V.

De variâ vocis Fidei notione.

PRIMA Fidei significatio ex nominis Etymologia colligitur. Etenim fides ex *facere et dicere* cōponitur. Si enim facis quod dicis, fides est: ac sumitur tunc fides pro fidelitate, sponsione, promissi adimpletione, oppositaque fraudulentiæ. definiturque iuxta hanc acceptionem à Cicerone: *fides est dictorum factorúmque constantia et veritas.* Estque ista significatio tam profanis scriptoribus, quam Ecclesiasticis vsitata. *Fides appellata est*, inquit August. *in latinâ linguâ ex eo, quia fit quod dicitur*: quam fidem etiam hostibus esse seruandam docet, exemplum adferens de Marco Attilio Regulo, qui vt fidem hosti datam seruaret, exquisitissimis sese obtulit supplicijs: & de Saguntinis, qui interire

Multiplex vocis fidei significatio. Fides pro fidelitate.

Cicero li. 1. Offic.

Aug. epist. 19 & li. de mendacio. c. 10 li. de spi. & lit. ca. 30. Aug. li. 2. de civ. ca. 15 epist. 205 & 154. li. 22. de civ. ca. 6.

1. Tim 5. primam fidem irritam fecerunt.

malluerunt, quam fidem Romanis datam violare. idem ante Augustinum scripserat Ambros. libr. 3. offic. cap. 12. Qua significatione Ecclesiastici 22. dicitur: *fidem possides cum amico.* Tob. 5. & 10. *Inquire tibi virum fidelem.* Rom. 3. *Nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit?* id est, veracitatem & constantiam diuinæ promissionis. In eadem significatione Deus *fidelis*: *et omnia opera eius in fide* dicuntur. Sed distinguendus est fidelis Deus à fideli homine. Fidelis homo est, credens promittenti Deo: fidelis Deus est, exhibens quod promisit homini.

Deut. 22. 1. Cor. 10. 2. Tim. 2. Psalm. 32

Aug. co. 1. in Psalm. 32.

Fides pro assensu.

Secunda fidei acceptio est pro assensu & persuasione intellectus, siue assensus certus, siue incertus sit, euidens aut obscurus. Vnde Tullius & Boëtius argumentum definiunt quod rei dubiæ fidem facit. Hanc significationem agnoscit, Aug. lib. de spir. & li. c. 31. distinguens fidem, quam adhibemus, cum aliquid credimus, à fide, quam damus, cùm aliquid pollicemur. Quoniam aliter dicimus, *Non mihi habuit fidem*; aliter verò *non mihi seruauit fidem.* Nam illud est, *non credidit, quod dixi*: illud autem, *non fecit quod dixit.*

Fides pro hominis conscientia.

Rom. 3.

Tertia significatio huic affinis est, qua fides pro hominis conscientiâ sumitur, id est, pro iudicio hominis proprio circa licitum vel illicitum in particulari, quomodo dicitur, bonæ vel malæ fidei possessor: quia bona vel mala conscientia aliquid retinet.

Fides pro obiecto fidei.

Quarta est, vt nomen fidei pro obiecto, id est, pro rebus ipsis fide creditis accipiatur, sicut in symbolo Athanasij: *Hæc est fides catholica, vt vnum Deum in trinitate veneremur.* Quo modo intelligi etiam illud potest: *Arbitramur hominem iustificari per fidem*, id est, per ea, quæ credit secundùm Euangelium. Et ad Galat. 1. *fidem Euangelizat quam antè expugnabat.*

Fides pro fiducia.

Quanta est, vt fides pro fiduciâ sumatur. vt Psalm. 26. *Credo videre bona Domini*, id est, confido. Iacobi c. 1. *postulet in fide nihil hæsitans.* Marci 11. *omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis.* id est, cum bonâ quadam fiduciâ orate. Ephes. 3.

Porrò fiducia ex fide nascitur, estque modus & robur spei, vt Apostolus indicat, dicens: *In quo habemus fiduciam et accessum in confidentiâ per fidem eius.*

Fides pro actu vel habitu, quo assentimur. Libro pri. Eleuch c. 2.

Sexta est, pro actu vel habitu mentis, quo firmiter assentimur ijs, quæ proponuntur credenda, solum propter authoritatem dicentis, non autem propter experientiam vel rei euidentiam. sic ait Aristoteles: *Oportet discentem credere.* In omni enim scientiâ & arte principia quædam veluti certa recipi debent. Vt Theodoretus lib. 1. de curat. græc. affect. luculenter ostendit exemplo volentis addiscere litteras, simul commemorans Pythagoræ morem, quo discipulis suis quinquennij silentium indicere solet, quibus solum audiendo præceptori aures accommodarent ingenuè credētes rem ita se habere, sicut dici audirent, sine qua fide nulla cognitio haberi posset. Quia verò authoritas dicentis, qua inducimur ad credendum, non est vnius generis, neque paris certitudinis, consequitur, fidem in hac significatione acceptam pro diuersitate proponentium varie sumi. Vt pote si assentiamur alicui propter authoritatem solam hominis dicentis, putâ Ciceronis, Liuij, Sallustij, aut alterius Scriptoris, fides humana & historica: si autem assentiamur propter authoritatem diuinam, seu veritatem primam, tunc fides diuina vel

Pythagoras silentium discipulis indixit.

Authoritas dicentis impar.

Fides humana & historica quæ.

Fides diuina infallibilis.

Theologica vocatur. Vt insinuat Apostolus ad Thessal. ca.2. *Quum Acepisseis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum sed (sicut est verè) verbum Dei.* Et quia solius Dei authoritas infallibilis est, ideo sola fides diuina omnino certa & infallibilis est. Fides enim humana, eo quod fallibili nitatur fundamento Authoritatis humanæ, (omnis namque homo mendax) falli ac fallere potest. Rom. 3. Deinde autem innixâ Dei loquentis authoritati agitur in prima Catechismi Romani parte, in qua de Fide, ac fidei symbolo tractetur. Idque aptissimo quidem ordine, cùm Fides virtutum Theologicarum prima sit, quæ ita vocantur, quia circa Deum immediatè versantur, tanquam obiectum seu materiam, datorem atque doctorem. Nam Fide, Spe & Charitate Deus colitur: & homo in ordine ad Deum perficitur, diuinæque naturæ consortium atque beatitudinem assequitur. Virtutes Theologicæ cur ita dictæ? Mentem enim ac intelligentiam Fides purificat, illuminat, atque in Deum dirigit: voluntatem vero Spes in Deum mouet, charitas autem Deo voluntatem vnit atque coniungit. Fidei spei, & Charitatis officia. Meritò itaque Virtutes istæ, *Theologicæ* dicuntur, cum eæ solæ homines ad Deum ordinent, solaque Dei reuelatione cognoscantur, atque à solo Deo nobis donentur.

CHAP. VI.

De fidei definitione.

Fides est virtus, diuinitus infusa, cuiusvi omnino assentimur ijs quæ à Deo tradita sunt, hoc, est, Dei est donum, quo mens illustrata disponitur ac inclinatur ad assentiendum ijs omnibus, quæ à Deo reuelantur. Fidei definitio. Quemadmodum enim per naturale lumen intellectus homo de naturali veritate bene iudicat, inclinaturque ad assentiendum principiis per se notis: ita quoque mens per lumen fidei de credendis rectè censet, inclinaturque ad assentiendum rebus à Deo reuelatis, vt explicat August. hom. 32. inter hom. 50. tom. 10. Porrò fides licet etiam actum credendi significet, hic tamen vt habitus est, definitur, & quidem in intellectu residens, cuius actus est credere seu assentiri, accedente voluntatis imperio. Fides in intellectu est, tamen ex voluntatis imperio. Nam per quandam electionem voluntas intellectum ex se ad vtramque contradictionis partem indifferentem mouet, ad consentiendum ei, quod Deus reuelat. Si quidem cum obscurè à Deo credibilia reuelentur, lumen fidei, quo intellectus à Deo profunditur, non ita sufficienter ipsum conuincit, vt assentiri debeat: sed opus est voluntatis electione, quæ à Spiritu Sancto piâ affectione mota intellectum captiuet, eique imperet, ne ab assensu rei credibilis propter ineuidentiam refugiat, iuxta illud Apostoli: *Redigentes in captiuitatem omnem intellectum in obsequium Christi.* 2. Cor. 10. Cuius rei euidens exemplum in Abraham fuit, qui *contra spem in spem credidit, nec consideraut corpus suum esse emortuum, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est et facere.* Rom. 4. quo etiam permitet illud Apostoli: *corde creditur ad iustitiam*, quia intellectus piâ voluntatis affectione mouetur ad consentiendum. Vnde Ioan. 12. causa infidelitatis Iudæorum, indurationi cordis eorum ascribitur. in quem locum B. August. ait, *Iudæos non potuisse credere, quia nolebant.* Aug. tract. 26 in Ioan. & Concil. Trident. *disponuntur homines ad iustitiam, dum excitati diuina gratia,* Con. Trid. sess. 6. ca. 5.

fidem ex auditu concipientes liberè in Deum mouentur, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata et promissa sunt. Hinc actus fidei iustificantis meritorius, est, quia imperatus sit à prauoluntatis affectione. Deo enim gratum est, quod credendo se quis obedientem Dei verbo exhibeat: ac remuneratione dignum, quòd mens humiliter sese Deo subijciat, eiusque authoritati cedat, plus ei tribuens, quàm ipsa sapiat. Vnde Amb. *credere e. aut non credere, voluntatis est. Neque enim cogi quis potest ad id, quod manifestum non est: sed inuitatur, quia non extorquetur, sed suadetur. Quamobrem assentiens præmijs afficiendus est, sicut & Abraham, quod non vidit, credidit.*

Vnde fides meritum.

Ambr. in ca. 4. epist. ad Rom.

Ex quibus intelligitur, quàm vanum sit Hæreticorum commentum, qui contendunt, actum fidei iustificantis esse actum fiduciæ, quæ modus quidam est spei in voluntate existentis, cùm *credere* sit actus ab intellectu profluens, cuius obiectum sit verum, & ad fidem pertineat, *intelligere, cognoscere, scire, credere, assentiri*: quæ omnia ad intellectum propriè spectant, iuxta illud Apostoli: *fide intelligimus aptata esse secula.* Item: *credidit Abraham Deo*, promittenti scilicet ex sterili, & sene vxore filium, ex cuius semine Christus nasceretur. ac rursus: *in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Et aperte fidem à fiduciâ, sicut causam ab effectu distinguens, ait. *In quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem eius.* Neque verò necessarium est, omnem qui credit, etiam fiducia roborari, cum possit aliquis non omissa fide desperare, quoniam fiducia ex fide per dilectionem operante generetur. Non est igitur fides voluntatis fiducia, cuius functio est, cum appetitu quodam propendere in rem speratam, sed est habitus seu facultas intellectus, quâ certò ea credimus, quæ à Deo nobis reuelantur. nihil enim aliud est credere, Aug. teste, quam cum assensione cogitare, siue consentire, verum esse quod dicitur. Vnde commendatur Abraham, quia credidit Deo. & Ioan. ait: *nolite omni spiritui credere.* Et in Euangelio *omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum. credis hoc? ait illi: vtique Domine: Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei Viui, qui in hūc mundum venisti.* & Io. 14. *non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est.* Hæ & similes veritates solo intellectu creduntur, non autem sperantur. Spes enim & fiducia de futuris sunt, non de præteritis, & voluntatis sunt facultates, non autem actus intellectus, ad quem pertinet, cognoscere, intelligere, cum assensione cogitare: quod est, credere. Præterea credimus mala & præterita quæ non speramus.

Fides à fiduciâ distinguitur.

Hebr. 11. Gen. 15. Rom 4.

2. Cor. 10.

Ephes. 3.

Aug. lib. de præd. Sanct. ca 2. lib. de spir. & lit. c. 30. 1. Ioan. 4. Ioan. ca. 11.

Ex quibus manifestè apparet, jure Concilium Trident. damnasse nouitiam sectariorum doctrinam, his verbis: *Si quis dixerit, fidem iustificantem esse fiduciam diuinæ misericordiæ peccata remittentis per Christum, vel etiam fiduciam solam esse, qua iustificamur propter Christum, anathema sit.* Equidem disertè scriptura sacra Fidem à Spe, atque adeo à fiducia distinguit. 1. Cor. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc.* ad Colos. *In fide fundati, et immobiles à spe Euangelij.* ac Petrus, *vt fides vestra, et spes esset in Deo.* ad Ephes. 4. *vnus Dominus, vna fides.* Quocirca perperam Erasmus contra veterum Interpretum sententiam, Apostolum non de Fide Theologica superiùs à nobis definitâ, sed de fiduciâ loqui scribit, dum ait: *Est autem fides sperandarum substantia rerum.* In quo Calumus & alij hæretici Erasmum sequuti,

Conc. Trid sess. 6. ca. 12.

Fides non est fiducia.

1. Cor. 13. ad Col. 2. 1. Petr. 3.

Erasmus in annot in 13. c. ad Heb

Fiducia Hæreticorū reijcitur.

Fiducia Hæreticorum reijcitur.

sequuti, Apostolum sic exponunt: *fides est, quæ facit vt extent quæ sperantur.* siue, *fides est certa securáque possessio eorum, quæ nobis à Deo promissa sunt, et quia hæc speramus, non videntur. Is ergo veram,* inquiunt, *habet fidem, qui certa firmaque persuasione Deum sibi esse propitium credit, et de illius benevolentia omnia sibi promittit.* Sed quod Apostolus ibi per fidem non fiduciam aut spem, sed humilem mentis assensum intelligat, quo verbo Dei creditur, etiamsi non plenè nec euidenter comprehendatur, euincunt illa Apostoli verba: *Oportet accedentem ad Deum credere, quia est.* Et: *fide credimus aptata esse secula verbo Dei.* & Sancti ibidem ab Apostolo commendantur à fide, quam adhibuerunt verbo Dei, cuius testimonium illud est infallibile. De quâ fide Apostolum loqui etiam interpretes attestantur, quoniam fidem & eius actum in assensu operationéque intellectus constituunt; istámque fidem initium salutis esse, iustúmque ex fide viuere, ac per fidem iustificari & operari iustitiam, docent.

CHAP. VII.

De triplici actu fidei.

Actus fidei triplex.

TRiplex actus credendi, iuxta triplicem actus habitudinem ad suum obiectum, reperitur. Nam potest aliquis credere Deo, & credere Deum, & credere in Deum. Cùm verò dicimus, *credere Deo,* significamus ordinem actus ad obiectum formale, scilicet ad diuinam veritatem reuelantem, cui credimus, cuique assensus fidei innititur. Quando autem dicimus, *credere Deum,* significamus habitudinem actus fidei ad materiale obiectum fidei primarium, quod est Deus, & illa quæ ad Deum ordinem habent. Ac demum quando dicimus, *credere in Deum,* significamus habitudinem eiusdem fidei actus, vt est à voluntate & amore Dei excitatus ad Deũ, tanquam finem vltimum, propter quem volumus credere. Sic plerisq; locis August. distinguit, *credere Deo, credere Deum,* & *credere in Deum. Aliud est,* inquit, *credere Deo, credere Deum, et credere in Deum. credere enim Deo, est credere, vera esse, quæ loquitur: credere Deũ, est credere quia ipse est Deus: credere verò in Deum, est diligere illum. Credere vera esse quæ loquitur, multi et mali possunt: credere ipsum esse Deum, et dæmones possunt: credere verò in illum, soli nouerunt qui eum diligunt, vitáque et factis Christiani sunt. quia sic credere, est in Deum pia affectione tendere, quod nulla ratione dæmonibus conuenit, qui credunt sola euidentia veritatis conuicti. Sed peccatoribus, qui pia quadam affectione ad credendum in Deum mouentur, cum nonnulla obtinenda misericordiæ fiducia, commune est cum bonis in Deum credere, licet imperfectiùs quàm iusti actu fidei per dilectionem operantis in Deum ferantur.* Obseruandum tamen hîc est, istam distinctionem subinde in Scripturis & Antiquis Scriptoribus non obseruari. Nam Ioannis 12. legimus: *veruntamen et ex Principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim glóriam hominum magis, quàm Dei.* August. quoque lib. de fide & operibus cap. 14. & vlt. suam confundens distinctionem, peccatores in Christum credere asserit.

Aug. tract. 29. in Ioan. Serm 61. de verbis Domini. Serm. 181. de tẽp.

Credere Deo, credere Deum & in Deum, differunt.

Cyprian. li. 1. epist. 12. Hiero. lib. contr. Lucif. Bernard. serm. 24. in Cantica.

CHAP. VIII.

Vnde sit fides.

Fidei origo.

VT prior definitionis fidei pars, quâ virtus infula dicitur, illustretur, inquirendum est, vnde fides obueniat? eò magis quòd olim extiterint, nec adhuc desint de fidei Christianæ origine varij errores. Primus fuit Tironij, qui putauit, opera nobis dari merito fidei, ipsam verò fidem sic esse à nobis, vt nobis non sit à Deo. Secundus Vitalis, qui arbitratus est, pro infidelibus non esse orandum, sed eis duntaxat verbum veritatis esse prædicandum, cui libero suæ voluntatis arbitrio, absque alio speciali Dei auxilio assentiri queant. In eodem errore hæsit Pelagius cum Celestio, gratiam Dei, sine quâ nihil boni facere possumus, dicentes non esse nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedētibus meritis ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantùm ipso adiuuante per suam legem atque doctrinam, vt discamus, quæ facere, & quæ sperare debeamus. Tertius eorum fuit, qui opinati sunt, naturam non ita esse depraua tam, quin possit velle sanari, & propositæ veritati acquiescere, vel eam contemnere, ideóque non opus esse voluntatem gratia Dei præueniri, mentémque supernaturali lumine ad credendum perfundi, sed sufficere, si præcedat veritatis præconium, cui naturaliter insitum nobis liberum arbitrium consentit ex seipso, si vult, aut dissentit. Nam credendi voluntate donata, excludi putant omnem prædicandi vigorem. In quâ opinione Augustinus seipsum quandoque fuisse testatur: *Similiter*, ait, *errabam, putans fidem, quâ in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, et per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, et iustè, et piè viuamus in hoc seculo. Neque enim fidem putabam gratiâ Dei præueniri, vt per illam nobis daretur, quod posceremus vtiliter, nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis. Vt autem prædicato nobis Euangelio consentiremus, nostrum esse proprium, et nobis ex nobis esse, arbitrabar.* Quem errorem deinde retractauit ex professo, lib. de Prædestinatione Sanct. capite tertio, & libro primo Retractation. capite vigesimo tertio.

Aug. lib. 3. de doctr. Christ. c. 33.

Error Tironij de fide.

Vitalis error de fide.

Pelagij error de fide.

Lib. de prædest. Sanct. cap. 3.

Augustini opinio de fide, postea retractata.

Deus dat velle credere.

Quartus error, prædicto vicinus, eorum est, qui initium fidei Deo quidem tribuunt, sed ideò duntaxat, quia præueniente gratiâ pulset, docendo suadeat ac illuminet, ipsum verò actum credendi libero arbitrio, solùm generali Dei concursu adiuto, relinquat eliciendum. vnde fit, vt ex duobus pari gratia, externa & interna præuentis, vnus prædicationi acquiescat & credat, alter verò non credat, sed dissentiat: & ex duobus pari tentatione pulsatis, vnus perseueret, alter cadat. Arbitrabantur enim, liberum hominis etiam lapsi arbitrium, ex se non minùs valere ac posse ad consentiendum Dei vocationi, & ad acceptandum oblatum à Deo donum, in bonóque permanendum, quàm valeat & possit ad dissentiendum vocationi, & ad respuendum oblatum à Deo donū, eligendumque malum: & pari momento hominis animum ad virtutes & vitia moueri. Quam opinionem ex professo confutat Augustin. lib. de prædest. Sanct. capite 8. & docens, Deum interna peculiarique gratia operari *credere*, *ac velle*, imò ex nolentibus volentes facere: talémque gratiam occultè humanis cordibus diuina largitate tribui, quæ à nul-

lo duro corde reſpuatur, cùm ideò tribuatur, vt chordis duritia primitus auferatur. Homini enim vitiato neceſſarium eſſe auxilium docet, non ſolùm quo poſſit, & ſine quo aliquid non fit, ſed tale ac tantum, quo fiat, vt voluntas hominis velit, obediat, bonum recipiat, & perſeueranter teneat, præconio veritatis conſentiat, ac verè credat. quæ omnia quidem in homine ita operatur Deus, vt naturalē liberi arbitrij facultatem non violet, nec imminuat, ſed iuxta proprium operādi modum ſuauiter moueat, gubernet, dirigat, ſic ad bonum inclinando, vt homo flexibilem ad oppoſitum liberi arbitrij facultatem retineat, qua, dum credit & cōſentit veritati, poſſit non credere ac diſſentire. *Facile namque Deo eſt, auerſas et aduerſas in fidem ſuam conuertere hominum voluntates*, ait Auguſt. lib. de bono perſeu. c. 8. & c. 13. totum eſſe dandum Deo aſſerit, initium boni, & complementum, velle, & facere, ac permanere in bono. perfectius enim eſſe perficere quàm inchoare: proinde non eſſe Deo imperfectius adſcribendum, homini melius, hoc eſt, Deo initium, homini autem finem.

Deus facit, vt homo velit, non tantùm vt poſſit.

Quintus error eſt, aſſerentium, fidem non tribui Chriſti merito, ſed generalis prouidentiæ dono, quemadmodum Chriſti Incarnatio non eſt facta meritis Chriſti, ſed ex largitate prouidentiæ Dei. Hic error apertis Scripturæ teſtimonijs refellitur. Apoſtolus enim ad Epheſios 1. ait: *Benedixit nos omni benedictione ſpirituali in Chriſto.* atqui fides ad benedictionem ſpiritualem cumprimis pertinet. ad Epheſios autem 6. *Pax fratribus, et charitas cum fide à Deo Patre et Domino noſtro Ieſu Chriſto.* ad Hebr. 12. *aſpicientes in authorem fidei, et conſummatorem Ieſum.* ad Philip. 1. *vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm, vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini.* Deinde humilitati & obedientiæ Chriſti aſcribit Apoſtol. Philip. 2. *quòd omnis lingua confiteatur, quòd Dominus Ieſus ſit in gloriâ Patris.* atqui confeſſio iſta fide peragitur. Vnde Chriſtus Ioann. 17. Patrem orauit *pro eorum conuerſione, qui credituri erant in ipſum*, ſignificans, fidem donari merito ſuæ orationis. Hinc à concilio Mileuitano definitum eſt, à Deo per Chriſtum nobis dari, quòd ſciamus, quidnam facere debeamus. à Concilio quoque Trid. ſeſſ. 6. capite 7. quòd fidem, ſpem & charitatem à Deo per Chriſtum infuſam accipiamus. ſeſſ. autē 6. c. 6. docet Cōciliū, totius noſtræ iuſtificationis cauſam meritoriam eſſe, Chriſtū. capite verò 8. tradit, fidem eſſe primam radicem & initiū noſtræ iuſtificationis. Accedit, quòd Eccleſia conuerſionem infidelium à Deo per Chriſtū petat, agnoſcens, fidem interceſſione ac merito Chriſti nobis dari à Deo. quidquid enim Chriſtus abſolutè à Patre petiit, hoc meruit. Neque verò dici poteſt, Chriſtū fidei, diſpoſitionūmq; ad iuſtificationem cauſam eſſe effectiuam, non autem meritoriā, quia Chriſtus nihil, quod ad ſalutem noſtram pertineat, in nobis efficit, quod non etiam nobis meruerit, vt D. Thom. 3. p. q. 49. art. 1. docet, Chriſti Paſſionem eſſe medicinam vniuerſalem ad curandum hominis morbos, ad medicinæ verò conditionem pertinere non tantùm, ſanitatem conferre, verùm etiam ad illam diſponere. Auguſtinus idipſum luculentis verbis atteſtatur: *fidem*, ait, *dediſti mihi, quam inſpiraſti per humanitatem Filij tui.* lib. 1. confeſſ. & lib. de bono perſeu. c. 7. Poſt caſum hominis, non niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum, nec, niſi ad gra-

Concil. Mileuit. c. 4.

Fides per Chriſti meritum.

Driedo lib. de redempt. & cap. hum. gen. ar. 4. Ruardus ar. 6 de ſatisf. Fides per Chriſtum datur.

tiam suam, vt homo non recedat ab eo. *Hanc gratiam posuit in illo, in quo sortem consequuti sumus. per fidem verò accedimus ad Deum.* Hebr. 11. & Rom. 5. & lib. 1. contr. 2. epistol. Pelag. cap. 3. *Nemo potest aliquid boni velle, nisi adiuuetur gratia Dei per Iesum Christũ.* iuxta illud Christi Ioan. 15. *sine me nihil potestis facere: at velle credere, bonum est.* Quibus reiectis erroribus, certa fide tenendum est, fidem, qua Christiani sumus, tam perfectã quàm inchoatam, tam viuam quàm mortuam à Deo Christi merito dari, secũdùm Christi doctrinã: *Hoc est opus Dei, vt credatis in illum, quem misit ille.* Ioan. 6. &: *Sine me nihil potestis facere.* Ioan. 15. & illud Apostoli ad Philip. 2. *vobis donatũ est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, verùm etiam vt patiamini pro eo.* Vtrumque enim ostendit Dei donũ, quia vtrumque dixit esse donatum. 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepisti? Si autẽ accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* 2. Cor. 3. *non quia idonei sumus cogitare aliquid, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* ad Ephes. 6. *Charitas cum fide à Deo Patre, et Domino Iesu Christo.* Quibus Scripturis Aug. se conuictũ fuisse scribit, vt fidem solùs Dei munus esse crederet. S. Thom. in 3. part. qu. 8. Christum esse caput Ecclesiæ supponẽs, infert ab eodem influere in Christianos omnem motum supernaturalem, ac proinde credere, ac velle quodcumque bonum religionis & pietatis. Articulo 3. ad 1. ait infideles potentiâ esse Christi mẽbra, quam potẽtiam fundari in duobus asserit: primario, in Christi virtute, quæ aduersas hominũ volũtates nullo negotio ad se cõuertere potest, secundario autem in potẽtia liberi arbitrij: vnde sequitur, Christi virtute infideles disponi ad fidem, vt fiant actu membra Christi, atque, quoniam credunt, ipsum credere illorum quidem esse propter arbitrium voluntatis, simúlque Dei donum esse per Christum, propter spiritum fidei, seu inspiratam facultatem credendi. *Vtrumque*, ait Augustin. libr. de prædest. Sanct. cap. 3. *credere et velle bonum, Dei est, quia ipse præparat voluntatem: et vtrumque nostrum, quia non fit, nisi volentibus nobis.* & cap. 9. *Fides igitur et inchoata et perfecta donum Dei est*: hoc est, fides, siue viua, siue mortua, illuminatione supernaturali habetur, quoniam sit de rebus humanum captum superantibus, vt monet etiam Chrysost. hom. 12. & 7 in 1. ad Cor.

Vnde sit fides.

Lib. de prædest Sanct. c. 3. & seq.

Fides ẽ Deo, & à libero arbitrio.

CAP. IX.

An fides in hominis potestate sit? ea. cur non omnes credant?

EMergit hîc ex dictis quæstio, quomodo fides in hominis sit potestate, si donũ Dei existat? cùm hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari videamus. Respondendum, fidem prorsus esse in hominis potestate, quia credimus cùm volumus, non credimus, quia nolumus. Id autem quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit, si non vult, non facit, Augustino teste lib. de spir. & lit. cap. 30. & 31. Cùm autem quis cum vult, credit, & cùm credit, volens credit: sequitur, fidem in nostra potestate cõsistere, & credere nostrum esse, quia non fit, nisi volentibus nobis. Quia tamen Deus præparat voluntatem, vt credere velit, inspirando facultatem benè operandi per Spiritum Sanctum; idem actus credendi simul tribuendus est Deo, & libero arbitrio: quia per Dei donum procedit ab

Credere in hominis potestate est.

Modus, quo Deus agit vt credamus, aut velimus, explicatur.

intellectu & voluntate nostra. Si verò quis pressiùs inquirat modum, quo Deus agitur vt velimus bonum, & credamus, respondet Aug. lib. de spir. & lit. c. 33. huius persuasionibus id agere Deum: *vnâ externâ*, quæ fit prædicatione, euangelica lectione, aut monitione, vel qualibet extrinseca suasione, *alterâ intrinsecâ* persuasione, quæ fit illuminatione mentis, atque immissione cuiusdam diuini amoris in voluntatem. Non enim omnis interna suasio efficit, vt credatur, & vt quod cognitum fuerit, appetatur: sed illa sola tantæ rei sufficit, quæ sic animum succedit, commouet, ac delectat, vt ad appetendum id, quod cognitum fuerit, voluntatem hominis inclinet, efficiendo, vt quidquid aliud voluptas, aut dolor suggesserit, boni aut veri propositi delectatione superetur. Tunc enim res cognita appetitur, si tantum delectet, quantum diligenda est. Cur autem hoc fidei donum non omnibus detur, fidelem vouere non debet, qui credit, ex vno omnes esse in condemnationem, siue dubitationem iustissimam: ita vt nulla Dei esset iusta reprehensio, etiamsi nullus inde liberaretur. Vnde constat, ad magnam pertinere gratiam, quòd plurimi liberentur, qui in eis, qui non liberantur, agnoscere debent, quid sibi deberetur: nec in suis meritis, quæ paria vident esse damnatis, sed in Domino glorientur, ac inde ad gratias suo Liberatori agendas incitentur. Sic passim Aug. docet, posse Deum omnes intus trahere sic, vt audiant & credant, sed nolle, vt in vasis misericordiæ suam gratiam commendet, (omnes enim, qui secundùm propositum Dei misericordis vocantur, credunt & obediunt prædicationi:) in aliis verò, quos in massa damnatâ relinquit, vult iusti-

Cur non omnibus fides detur.

tiam suam ostendere: bonus, in beneficio certorum, iustus, in supplicio certorum: bonus in omnibus, quia bonum est, debitum reddere, iustus in omnibus, quia debitum sine cuiusquam fraude condonat. Sed cur hunc potiùs quàm illum Deus liberet, huic potiùs quàm illi persuadeat, hunc potiùs quàm illum secundùm propositum misericordiæ vocet, ad inscrutabilia Dei iudicia referendum est, quæ admirans Apostolus exclamat: *O altitudo diuitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, et inuestigabiles viæ eius!* et: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo?* Rom. 11. Rom. 9.

CAP. X.

Quæ fides dicatur Viua, quæ Mortua?

QVanquam vna genere sit fides, à quâ Christiani dicimur, attamen magnitudine, ac dignitate differt, & experientiarum qualitate diuersos perfectionis gradus sortitur: quibus tamen omnibus eadem definitionis vis & ratio conuenit. In Scripturis siquidem vocatur fides *modica*, & *magna*. Petro enim naufragium timenti dixit Christus: *modicæ fidei, quare dubitasti?* Chananææ verò mulieri: *ô mulier, magna est fides tua. Et dixerunt Apostoli Domino: adauge nobis fidem.* maior autem, vel minor, aut modica fides dicitur, tam ratione maioris aut minoris illuminationis intellectus, quàm ratione maioris & minoris promptitudinis voluntatis. Dignior verò fides aut indignior dicitur, ratione perfectionis virtutum, per quas operatur. quò enim per firmiorem spem, fiduciam, & charitatem operatur, eò magis commendatur. Hinc fides *viua*

Quæ fides viua? Quæ mortua?

Matth. 14. Matth. 15.

Galat. 5. Fides viua.

seu *formata*, quæ adiunctam spem & charitatem habet, nuncupatur. Hæc perfectè vnit Christo, vnumque eius membrum efficit, vitam denique beatam præstat. Quam fidem Catechumeni ex Apostolicâ traditione petunt ab Ecclesiâ, cùm postulant fidem ad vitam æternam perducentem, quod fides absque spe atque charitate non valet, iuxta illud Apostoli: *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Quare fides mortua, *otiosa* & *informis* dicitur, quæ spem & charitatem adjunctam non habet: quia neque perfectè Christo vnit, neque vnum eius membrum constituit, neque ad vitam beatam perducit. quæ fides vera quidem est, quia per illam Deo creditur, & ad assentiendum rebus à Deo reuelatis homo inclinatur. Hinc Iacobus fidem mortuam, non homini mortuo comparat, sed corpori; quia corpus mortuum, quamuis animâ careat, verum tamen corpus permanet: at homo, vel animal mortuum, suam appellationem non vniuocè retinet. Vnde promanauit consuetudo, lapsos in grauiora peccata, ad pœnitentiam, non autem ad fidem exhortandi; quia charitas forma est fidei, non eius essentiam constituens, sed perfectionem adjiciens, vt scilicet virtus salutaris meritoriáque sit, ad vitam immortalem dirigens atque perducens.

1. Cor. 13.

Fides mortua. Jacobi 2.

CAP. XI.

Quòd fides informis ad salutem non sufficiat.

Fides informis quæ?

EX quibus liquet, fidem informem, quamuis veræ fidei naturam retineat, non tamen solam sufficere ad salutē, vt ex professo in suâ epistolâ Canonicâ Iacobus, Petrus, & Iudas admonent, & Paulus 1. Cor. 13. disertis verbis pronuntiat: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Aug. lib. de fide & operibus capit. 14. monet, nonnullos iniquos ex Apostoli Pauli quibusdam sub obscuris sententiis occasionem accepisse sentiendi, quòd fides sola ad salutem absque operibus sufficiat, vt tanquam securi de salute, quæ in fide est, bene viuere non curarent. contra quos libro dicto errorem illum solidissimè confutat, ostendens, in Scripturis Sacris, & ab Apostolo Paulo commendari non fidem timore vel sola experientiâ expressam, qualis est dæmonum, neque sterilem & operibus vacuam, sed fidem gratiæ Christianæ per dilectionem operantem: quam ad salutem valere, Paul. affirmat, dum ait: *Nam in Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per dilectionem operatur.* Aug. lib. de hæresibus cap. 54. Eunomij hæresim fuisse commemorat, quòd fides absque operibus ad salutem sola sufficiat. Quam nostro seculo Lutherus ab inferis reuocauit, docendo: Solam fidem justificare, soláque incredulitate ab homine baptizato acceptam gratiam tolli, imò nullum esse mortale peccatum, nisi, infidelitatis. Quam concil. Triden. justè tamquam pietati Christianæ ac veritati è diametro aduersantem, reprobauit. Suam verò hæresim Lutherus duobus potissimùm scripturæ locis confirmat. Prior est Rom. 3. *Arbitramur hominem iustificari per fidem, sine operibus legis.* Posterior ad Galat. 3. *Scientes, quòd non justificetur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi.* Certum nihil ea Pauli verba Lutherum adjuuant, cùm ex cap. 13. 1. ad Cor. & ad Galat.

1. Cor. 13.

Fides informis ad salutem non sufficit.

Eunomij error de solâ fide iustificante. Galat. 5.

Cōcil. Trident. sess. 6. can. 9. & 17.

Fundamentum Lutheri de sola fide iustif.

5. certum sit, Apostolum de Fide per Charitatem operante loqui, quæ fides opera bona non excludit, sed producit. Ac insuper Apostolus non quælibet opera, sed opera Legis à justificatione remouet, per quæ intelligit opera ceremonialia veteris legis, quæ per Christi mortem erant extincta, & ad iustificationem consequendam inutilia, simul quoque opera Decalogi, facta ex sola cognitione legis, solis naturæ viribus, aut solo spiritu timoris, aut amore præsentium bonorum, citra spiritum gratiæ Christi. Sed opera ex Fide, Spe atque Charitate profecta, adeò non excludit, vt de iis dicat: *circumcisio nihil est, et præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei.* &: *non auditores, sed factores legis justificabantur.* Et Apostolus Iacobus ex professo hominem iustificari docet ex operibus, & non ex fide tantùm, exemplo Abrahæ filium Isaac immolantis, & Raab exploratores suscipientis. adde opus Phinees, quo ex Dei zelo fornicātes occidit, quod ei ad iustitiam reputatum est.

Opera legis quæ excludantur à iustific.

1. Cor. 7.

Roman. 2.

Genes. 22. Iosuæ 2. Numero 25 Psalm. 105. 1. Mach. 2.

CAP. XII.

Vtrùm dubitantes fidem habeant?

An dubitātes fidem habeant?

EXplicatâ priore definitionis fidei parte, qua virtus infusa dicitur, superest, vt de alterâ parte differamus: cuius vi omnino iis omnibus assentimur, *etc.* id est. firmiter adhæremus, siue consentimus, & acquiescimus, quæ diuinitus reuelantur. Vbi primò de iis, qui dubitant, occurrit quæstio: An fidem habeant? Obseruandum, dubitationem quādam ex infirmitate nasci, qualis fuit Petri, dum à Christo audiuit: *Modicæ fidei quare dubitasti?* cuiusmodi dubitatio fidem non euertit, sed minuit. cum fide enim nonnulla dubitatio, imò ignorantia consistit. Vt Apostolus illis verbis indicat: *et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus reuelabit. Verumtamen ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, in eadem permaneamus regula.* Dubitatio alia reperitur pertinaciæ coniuncta. Hæc fidem tollit, atque hæreticum facit, vt docet August. epist. 162. coarguēs Donatistas, quòd tot iudiciis conuicti, adhuc in suo schismate permanerent.

Matth. 14.

Philippen. cap. 3.

Dubitatio pertinax hæreticum facit.

Fides ergo consensum exigit constantem & firmum, quia reuelationi primæ veritatis innititur, quæ nec falli, nec fallere potest. Quare qui veritati satis sibi manifestatæ acquiescere nolens, adhuc dubitare præeligit, Hæreticus meritò habendus est, sicut & ille, qui vnicum fidei articulum pertinaciter reiicit.

Vnum fidei articulum pertinaciter abnuens Hæreticus est.

CAP. XIII.

Vtrùm in Hæretico fides esse queat?

CVm vna sit fides, specie ac genere, Apostolo teste, per quam credantur eædem veritates diuinitus reuelatæ, & hæretici qualescunque naufragium faciant in fide, manifestè cōsequitur, quòd vnius articuli pertinax reiectio totam fidem euertat, quódque infidelitate quacumque vera fides amittatur: quod exemplo monetæ adulterinæ Chrysostomus illustrat. Alij verò similitudinē cymbali, quod sonum integrum retinet, quamdiu nulla fissura corrumpitur; accedente verò minima rima confestim priorem sonum amittit. Quare omnino fatendum est, fidem cum hæresi simul non consistere, sed infidelitate amitti; sicut quolibet peccato mortali charitatem pelli docet

Ephes. 4.

1. Timoth 1

Concil. Trident. sess. 6. cap. 15. Chrys. hom. 1. in Epistol. ad Galat.

1. Cor 13.

Iacob. 2. Iacobus, dum ait: *Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Neque obstat, quòd hæreticus vnum articulum impugnans, alios vt priùs dono supernaturali credere videatur. nam cum formalis ratio fidei sit authoritas Dei reuelantis, sequitur, eum fidei habitum non habere, qui in vno articulo Dei authoritati non acquieuerit, nec credit: sed talis iudicio suo innixus, quod vult credit, quod vult respuit, non habitu fidei, sed placito suo; interdum etiam quodam supernaturali dono adiutus. Nam virtute fidei omnibus eis assentimur, quæ à Deo credenda proponuntur. quia par est omnium, quæ à Deo reuelantur, certitudo.

CAP. XIV.

Deus variis modis reuelat veritatem.

Reuelatio veritatis varia. VEritatem hominibus non vno modo Deus proponit. Nonnunquam enim id facit euidenti reuelatione, claro lumine mentem perfundendo, vt rem intelligat, sciat, videat aut prospiciat; quemadmodum Videri quæ dicantur. fit dono Intellectus, Scientiæ, ac Prophetiæ. Vnde Prophetæ dicti sunt *videntes*. Porrò illa videri dicuntur, quæ per seipsa intellectum aut sensum nostrum ad sui cognitionem permouent. Aliquando Deus veritatem certò quidem reuelat, sed lumine obscuro, ita vt intellectus non sufficiẽter ab obiecto reuelato ad assentiendum commoueatur; sed accedere opus sit piam humilémque voluntatis affectionem, quæ intellectum captiuet, & in obsequium Christi redigat, impetióque suo ad consentiendum inclinet. Qualis reuelatio obscuram & æniginaticam solùm cognitionem generat; cuiusmodi est Fides. Duo itaque Dei reuelatio complectitur: Vnum ex parte rei credendæ, scilicet fidelitatem Dei loquentis: Alterum verò ex parte credentis, videlicet illuminationẽ mentis. Dei enim testimonium fidele est, ideoque infallibile, simul verò oculum mentis illuminans, vt prima veritas reuelans agnoscatur, quæ triplici modo veritate excellit. Triplex veritas, naturæ, intellectus, & sermonis. Nam verum tribus modis dicitur, sicuti & veritas triplex est. Prima consistit in confirmitate rei ad sua principia, & nuncupatur veritas naturæ; quo modo aurum verum dicitur. Secunda veritas in conformitate intellectus ad rem consistit, & vocatur intellectus seu iudicij; vt dicimus: verè iudicasti. Tertia in conformitate verbi interioris & exterioris consistit, quæ sermonis veritas appellatur, fraudique ac mendacio opponitur. Non enim quisquis falsum dicit, mendax est; sed qui aliter loquitur, quàm sentit, siue falsum, siue verum enuntiet: quibus omnibus modis Deus veritate præcellit. Naturæ quidem, propterea, quoniam est idipsum quod est: veritate quoque intellectus, quoniam sapientissimus est, omniúmque rerum exactissimam habet scientiam, vt falli nequeat: veritate demum assertionis, quia fidelis & optimus est, qui proinde fallere non potest. Et quoniam, quidquid in Deo est, Deus est, ideo non solùm Deus verus est, sed etiam prima summaque veritas. Vnde quæstio emergit:

CAP. XV.

Quænam sit Fidei causa formalis, in quam omnium credentium fides resoluatur?

Fidei causa formalis est prima veritas. FOrmalis fidei nostræ causa, siue obiectum formale, per quod, & propter

propter quod, formaliter & principaliter credimus, est prima veritas reuelans, & intus in corde testificans. Nam Deus principaliter & per se credibilia proponit, atque vt propositis assentiamur, interna operatione mentem illustrando, & voluntatem inspiratione piæ affectionis inclinando, efficit. Proinde fidei catholicæ fundamentum primarium, in quod omnis credentium fides vltimò resoluitur, non est docentis seu testificantis Ecclesiæ authoritas, testimonium, vox aut decretum. nam hæc omnia ad genus externæ causæ pertinent, sine quæ, licet ordinariè fides non obtineatur, absque tamen externo Angelorum atque hominum ministerio fides haberi potest. Loquitur enim Deus, nonnumquam reuelando immediatè per seipsum: vti Pater cælestis reuelauit Petro, Christum esse Messiam; & Paulo euangelium. Præterea, externa fidei causa licèt intellectum ad fidei assensum inuitet, & adiuuet propter innatam infirmitatem, rerúmque diuinarum ignorantiam, necnon insitam mortalibus superbiam, plurimúmq; conducat ad vnitatem fidei conseruandam, attamen sola Ecclesiæ vox & authoritas ad veri nominis fidem inducere nequeunt: quia talis fides esset acquisita, non infusa; & virtus humana, non ex Deo; ac insuper quia sine Dei dono, & arcano Spiritus Sancti lumine nulla veri nominis fides haberi potest. Quemadmodum enim ad intelligendum principia scientiarum multa sunt præambula & media, per quæ principia cognoscantur, qualia sunt, institutio, disciplina, explicatio per exempla vel effecta, terminorum expositio, & similia; nihilominus sola formalis ratio illis assentiendi est lumen naturale intellectus agentis, quem propterea splendori & luci Aristoteles comparat: ita planè in assensu fidei, ratio formalis assentiendi articulo fidei, est lumen supernaturale à Deo reuelante infusum, quod tam proponit intellectui credibile, quàm inclinat intellectum per voluntatem nouâ gratia motam ad credendum reuelanti Deo. *Vox enim Ecclesiæ docet forinsecus, sed Cathedram habet in cælo qui intus docet*, ait Aug. vltimum itaque, in quod omnis fides resoluitur, est Deus reuelans, non solùm externè per Ecclesiam, sed etiam internè suadens & persuadens. Hinc primam credendi rationem Apostolus in Deũ refert: *Quum accepisseris à nobis verbũ Dei, non accepistis illud vt verbum hominum, sed (sicut verè est) verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis.* Et ad Galatas 1. *Licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* quia scilicet verbum Dei verax est, certum & immutabile, ac permanẽs in æternum. Quod cùm sit primum fidei fundamentũ, non verò authoritatis Pauli, nec alicuius Angeli; sequitur, Dei testimonio nullum maius afferri posse: & cùm Deus falli aut fallere nequeat, immutabilisq, sit, contrariam sibi doctrinam inuehere non possè. Vnde Aug. ait, se litteris sacris nõ credere propter scribentis authoritatem, sed loquentis. Ceterùm his obstare videtur, quòd si prima credendi ratio in testimonium Spiritus Sancti mentem interiùs illuminantis reduci debeat, minimè videatur esse necessariũ externum visibilis Ecclesiæ testimonium. dicent enim homines, erroribus suis patrocinari volentes, se per spiritum fidei, hoc est, per illuminationem, suggestionémque Spiritus sancti decernere, quid credendum sit, quidque vt adulterinum à fide alienum, sicut hodie Sectarij prætendunt. Sed respondeo, quòd licet fides nostra eiusdem sit rationis cum fide Prophetarum,

Resolutio fidei in primam veritatem, non in Ecclesiæ authoritatem fit.

Matth. 16.

Aug. tract. 3. in epist. Ioan.

1. Thessal. 2.

Fides resoluitur in Deum reuelantem.

Aug. lib. 11. confess. c. 3.

Apostolorum, aliorúmque, qui Deo crediderunt, sicuti & nos; attamen quòd in Prophetis & Apostolis fides longè maioribus Spiritus sancti donis exornata fuerit: siquidem tanto lumine interiùs perfusi fuere, vt credenda distinctè viderent, & veritatem à falsitate discernerent, ideóque externo & publico testimonio ecclesiæ non indigerent. hoc enim abundè intensissimum lumen Fidei, Sapientiæ, ac Intellectus eis præstabat, quod aliis qui obscuriùs illuminantur, datur Angelorum hominúmue ministerio. Nam clara singulorum credendorum reuelatio, qualis facta est Apostolis, qui à Deo primi ecclesiæ Doctores constituti sunt, non passim immediatè à Deo absque humano ministerio fit, sed ordinariè Deus per Ecclesiæ Magistros & Doctores nobis loquitur, ac suggerit omnem veritatem.

Apostoli & prophetæ intentiore lumine distinctè viderunt credenda.

Apostoli non indiguerunt ecclesiæ magisterio.

CAP. XVI.

Vtriam Ecclesia vox, testimonium, et decretum, credendorum regula fideique κριτήριον rectè constituatur.

ETsi veritas à Deo, non ab Ecclesia, primam suam originem trahat, & per solum fidei habitum infusum absque omni externo medio fidem Deus ingenerare possit, sicut Moysen, Prophetas, Apostolos, S. Anthonium, variósque alios electos intus docuit: attamen externam ecclesiæ vocem, perpetuum & ordinarium medium homines ad fidem inducendi, in eáque conseruandi esse voluit; vt qui veritatem immediatè reuelantem minùs contueri possent, illam per homines luce veritatis illustratos propositam, tanquam per nubem, seu lucernam rutilantem, suauiùs apprehenderent. sicut Ioannes *fuit missus à Deo, vt testimonium perhiberet de lumine, et omnes crederent per illum.* Non quia diei claritas egeret testimonio lucernæ; sed quia hominum oculi lucem in se resplendentem tolerare non poterant. Hinc Deus ab initio mundi fideles vt plurimum per alios loquens erudiuit. In Lege quidem Naturæ per Angelos, aut Primogenitos familiarum, & in Lege scripta per Moysen, deinde per Sacerdotes & Prophetas: sic in Lege Gratiæ per Filium Dei incarnatum, & per Apostolos, eorúmq; Successores. Et sicut Deus nobis locutus est in Filio, quum in terris esset; sic illo in cælos abeunte nobis loquitur in Ecclesiæ Doctoribus & Magistris, quibus docendi munus commisit, dicendo: *Euntes, docete omnes gentes.* Et: *qui vos audit, me audit.* Hinc Paulus verbum suum, *Dei verbum* esse affirmat. quod ex c. 17. Ioānis Aug. ostendit, tractans illa Christi verba: *Qui per verbum eorum crediturí sunt in me.* Et Petrus 1. epist. c. 1. ait: *verbum Domini quod permanet in æternũ*, esse *verbum ecclesiæ permanenter et perpetuò euangelizatum.* cui Paulus consonat, dum ait: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* scilicet prædicatum. *Nam quomodo audient sine prædicãte? Hoc est verbum fidei, quod prædicamus.* Vox igitur Ecclesiæ catholicæ est certum veritatis testimonium à Deo constitutum, omnes ad credendum obligans. est enim verbum Dei per Ecclesiam loquentis, cui non minùs credẽdum est, quàm si Deus per se immediatè loqueretur. Quomodocumque enim Deus loquatur, siue per se, siue per alium, audiendus est: nec in certitudine credendi, sed tãtùm in modo discendi discrimen est. alioquin infirmior esset nostra fides, quàm Apostolorum; & minùs certa eorum Fides & Salus, qui prædicantibus Apostolis

Regula fidei est omnis doctrina ab Apostolis, ecclesiæ tradita, siue scripto, siue viuâ voce.

Aug. tract. 35. in Ioan. & lib. cont. mendaciũ, cap. 20. Hebr. 1.

Aug. lib. 11. de ciui. c 2. Ipsa veritas homine assumpto fundauit fidẽ. 1. Thessal. 2. Aug. tract. 109 in Ioã.

Verbũ Dei permanens est vox ecclesiæ.

Vox Ecclesiæ est certum veritatis testimonium.

Deo loquẽti per Ecclesiam credẽdum.

Non minùs certa fides est credẽtium verbo Dei per ecclesiam prolato, quàm immediatè voci Dei.

lis crediderunt, quàm Petri, qui Deo immediatè reuelanti credidit. At clarè in rebus generatis conſpicimus, quòd eandem naturam per medias cauſas quotidie productæ habeant, quam ab initio ex nihilo à Deo creatæ habuerunt. Similiter ergo fides, qua Deo per ſe loquenti, vel per alterum, creditur, paris eſt certitudinis: quia ratio tota credendi ex authoritate & teſtificatione loquentis promanat. *Quod enim credimus, authoritati debemus*, ait Aug. Ne quis autem de docentis Eccleſiæ authoritate dubius fluctuaret, aut circumferretur omni vento doctrinæ, Deus non ſolis Prophetis vel Apoſtolis authoritatem docendi & teſtificandi conceſſit, ſed etiam Paſtoribus & Doctoribus Eccleſiæ perpetuò futuris, quos, Apoſtolo teſte, dedit *in opus miniſterij, in ædificationem corporis ſui, in confirmationem ſanctorum*. Vt eorum opera credentes, non ſecùs quàm alij olim voce Apoſtolorum, in fide conſeruentur. Hos enim Deus teſtes omnis veritatis conſtituit, vt cum Petro dicere poſſint: *Præcepit nobis populo prædicare, & teſtificari*. De quibus Iſaias: *vos teſtes mei, dicit Dominus*. Eoſdem poſuit Eccleſiæ Magiſtros. & Epheſiorum. 4. *depoſiti cuſtodes*, 1. Timoth. 6. *columnas & firmamenta veritatis*. 1. Timoth. 3. Per hos demum loquitur Deus; ac proinde qui eis loquentibus credit, Deo per ipſos teſtificanti credit; iuxta illud: *Qui vos audit, me audit*, planiſſimè oſtendens, cuius perſonam gerant, cùm docent. ſe enim Deus in illis loqui aſſerit, nec ſecus illos eſſe audiendos, quàm ſeipſum. Quemadmodum ergo reuelanti Deo credimus, quia verax eſt, nec falli aut fallere poteſt: ita Eccleſiæ iudicanti atque teſtificanti, hoc eſſe credendum, omnino credimus, quia Deus per Eccleſiam loquitur, cámque infallibilem veritatis teſtem eſſe conſtituit, eiúſque vocem audiri, illique obediri iuſſit: adeò, vt Eccleſiæ atque Deo credere vel obedire, aut non credere & reluctari, pro eiſdem in Scripturis accipiantur; iuxta illud Exod. 14. *Crediderunt Domino et Moyſi ſeruo eius*. Marci vlt. *qui non crediderit*; vobis, ſcilicet, prædicantibus. *Domine, quis credidit auditui noſtro*? Rom. 10. vnde Paulus verbum ſuum *verbum Dei* eſſe aſſerit. Theſſalon. 2.

Aug. lib. de vtil. creden. cap. 11.

Aug lib. de mendacio, cap. 7.

Paſtoribus eccleſiæ authoritas teſtificandi à Chriſto data.

Act. 1. 2. 3. Act. 10. Iſa. 43. Math. vlt.

Matth. 10. Luc. 10. Hebr. 13. Qui Eccleſiæ vocem reſpuit, Deum reijcit.

Porrò hîc obſeruandum eſt, verbum Dei non ſolùm eſſe Scripturam Veteris & Noui teſtamẽti; ſed etiam quidquid Spiritus Veritatis Eccleſiam docet, ſiue per traditiones Apoſtolicas non ſcriptas, ſeu circa ſenſum & intelligentiam verbi ſcripti. Præterea ſciendum eſt, ipſum Dei verbum, ſiue ſcriptum, ſiue non ſcriptum non eſſe per ſe medium ſeu obiectum fidei formale, ſed materiale; quia verbum non loquitur, ſed per loquentis vocem, ſeu Dei vel Angeli, ſeu Eccleſiæ auditur. Ideoque non verbum Dei, ſed Eccleſia eſt iudex quæſtionum fidei, eſt Doctor concludens, & Veritatis teſtis, cui per Scripturas, vel alia media concludenti creditur; cuius determinationi obeditur, quæ nobis veritatem teſtificatur. Ideoque propriè Scripturam credimus; Eccleſiæ verò credimus & obedimus: ſicuti populus Iſraëliticus Moyſi credidit, & Rex Agrippa Prophetis. & *creditum eſt*, ait Apoſtolus, *teſtimonium noſtrum*. quia ſcilicet erat vox Dei per os noſtrum loquentis, docentis & atteſtantis. Non enim in doctrina religionis ſpectandum eſt, quid dicatur, ſed quis loquatur: quoniam religio nititur authoritate & teſtimonio, non autem ratione & argumentis. iuxta illud Auguſt. *Ego Euangelio non crederem, niſi me eccleſiæ commoueret authoritas*.

Verbũ Dei partim ſcriptũ, partim verbo traditum.

Verbum Dei ſcriptũ eſt obiectũ materiale Fidei, non formale.

Eccleſia eſt iudex controuerſiarũ fidei, non autem ſcriptum Dei Verbum.

Exodi 14. Act 26. 1. Theſſal. 1

Aug lib. de vtil creden. c. 12. & 14.

Aug. lib. cont epiſt. fundamen. cap. 4.

In rebus fidei quærendum est de potestate docentis.

Hinc in doctrina fidei ante omnia quærendum est de potestate docentis, & de persona loquentis. Etsi enim verum in se semper maneat verum, siue Angelus, siue Sathanas, siue catholicus Doctor, siue hæreticus seductor hoc dicat: attamen nec Sathanas, nec Hæreticus vera dicens, in causa religionis audiendus est, quia testis idoneus & certus neuter est; sed falsus vterque: quia vel veris falsa permiscet, vel malo fine verum affirmat, vt scilicet postea seducat. Vnde Christus diabolo profitenti: *scio te, quia sis sanctus Dei*; dixit, *obmutesce*. & Paulus Diabolo clamanti, quòd seruus esset Dei, præcepit exire. Licèt enim Hæreticus, imò & Sathanas verbum Dei loqui possit, non tamen propterea ei credendum est, quia authoritatem docendi, veritatem, à Deo non accepit. Ecclesiæ verò Doctoribus ideò credendum est, quia veritatis diuinæ legitimi testes à Deo constituti sunt, & authoritatem docendi & testificandi à Deo acceperunt; ita vt caussa eis credendi, sit Deus, per ipsos reuelans, loquens, docens omnem veritatem. Quam sanè authoritatem vel ordinaria & legitima missio, vel miracula demonstrant. *Pro Christo*, ait Apostolus, *legatione fungimur*. proinde quando loquebatur Apostolus, Christus, cuius ille personam gerebat, per eum docebat: & quando nunc Ecclesia auditur, Christus per eam loquens auditur, iuxta illud: *qui vos audit, me audit*. Hinc vnus est magister noster, Christus, scilicet principalis, qui per se, ac Spiritum Sanctum infallibiliter Ecclesiam, & per ministeriales Magistros omnem veritatem ordinariè docet; ita vt à voce loquentis Ecclesiæ communiter, non autem à solo scripto Dei verbo, fides dependeat: quia Deus ordinarium modum hunc esse voluit, vt per illam docentem credatur per quam ipse loquitur; & quam infallibilem veritatis esse testem constituit, per huius vocem homines voluit ad fidem vocari, & in fide conseruari. Quare huius vocem, testimonium & magisterium, ordinariam esse credendorum regulam, & veluti Lydium lapidem, ad quem omnia credenda examinari debeant, rectissimè concludimus.

Luc. 4.

Act. 16.

Doctoribꝰ Ecclesiæ credendũ, quia veritatis legitimi testes sunt.

Deus per Doctores loquitur.

Deus Ecclesiam cõstituit magistram.

Vox Ecclesiæ Lydius lapis veritatis explorandæ.

CAP. XVII.

Quod docentis Ecclesiæ vox ad fidem generandam vtiliter concurrat.

AD actum Fidei generandum duo necessaria sunt:

Prius, vt credenda proponantur, Alterum, vt eis ad credendum propositis firmus assensus præbeatur.

Aug. in præf. lib. de doctrina Christiana, Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 1.

Vtrumque Deus per se nonnunquam efficit: vt in eis patet, qui solâ Dei reuelatione immediata crediderunt, sicut Prophetis, Petro, Paulo, aliisque Apostolis contigit. Diuinæ tamen sapientiæ vtile visum est, variis mediis externis vti, quibus homines ad credendum inducerentur, inter quæ nonnulla voluit esse temporaria & extraordinaria: (cuius generis sunt miracula & Prophetiæ, quibus maximam hominum infirmitatem Deus potentissimè adiuuat): alia verò perpetua & ordinaria, cuiusmodi est prædicatio veritatis per Ecclesiæ Pastores & Doctores, atque Scriptura sacra semel tradita & creduta: per quæ media homines

Quòd credendum sint hominum ministerio, sola Dei reuelatione.

1. Cor. 14.

Aug. de vtil. creden. c. 14.

Media quædam credendi extraordinaria.

usque ad seculi finem ordinariè ad fidem vocari, & in fide conseruari voluit, quòd talibus mediis humanæ naturæ infirmitas indigeat, ex eo, quòd humanus intellectus ad veritatis diuinæ lumen in se contuendum insufficiens sit, non secus, atque oculus ad solis lumen caligat. Nam 1. Cor. 2. *animalis homo non percipit ea, quæ Spiritus Dei sunt. stultitia enim est illi, & non potest intelligere.* Quia in homine carnali tota regula intelligendi, est consuetudo cernendi, ait Augustinus sermon. 147. Et quanquam renouatus sit, adhuc tamen infirmus permanet, vt diuinas res humanum superantes captum assequi nequeat. Ideo passim hominibus seculi amore & curis obtenebratis expedit, in negotio religionis sapientum iudicio duci, qui inter Deum sapientissimum & hominem stultum medij sunt. Hæc de causa, Aug. lib. de vtil creden. c. 5. & 12. *æterna Dei sapientia homine assumpto,* inquit Augustinus, libr. 11. de ciuit. cap. 12. *fundauit fidem, vt ad Deum iter homini esset per hominem Deum, eóque modo confidentius homo ambularet ad veritatem.*

Media credendi perpetua & ordinaria.

Humanæ infirmitati congruit, vt hominum magisterio eruditur. Exodi 20. 30. Hebr 12

Proinde, humanæ infirmitati congruit, vt non immediatè à Deo, sed ab hominum magisterio eruditur: vt ex veteris populi clamore ad Moysen facto patet: *Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus.* Hinc ab initio Christus, qui viua voce homines doceret, promissus est: & sicut Christus homo homines docuit, sic alus hominibus potestatem hominum docendi dedit.

Christus homo docuit, & docendi potestatem hominibus alios docendi tribuit.

Secundò, infirmitati humanæ sæpenumero connexa est superbia, qua per seipsum homo vult sapere, nec alterius magisterio ad Deum cognoscendum vti. Ad hanc retundendam, per Ecclesiæ authoritatem docere voluit Deus, vt nemo ubi p-

Nemo sibi dux ad beatitudinem.

si Dux in quærendo summo Bono fieri præsumat, in quo Philosophi & Poëtæ, omniúmque ætatum hæretici peccarunt. *dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt:* & reiecta communi veritate, quæ sonat in ore Ecclesiæ, Sectarij, volentes habere priuatam, priuātur ea, suáque Phantasmata colunt, semetipsos prædicant, & dum nolunt discipuli esse veritatis, fiunt magistri erroris. Non enim aliunde nascuntur hæreses & schismata, nisi quia Dei Sacerdotibus non obtemperatur. Sicut enim Iannes & Mambres restiterunt Moysi, sic hi resistunt veritati.

Aug. lib. 8. de ciu. c. 6 Prosp. lib. cont collat. cap 26. Rom 1.

Aug lib 11. cõfess. c. 15. lib. de vera relig. c 38. Iren. lib. 3. cap 3. Cyprian. li. 3. epist. 3. lib. 4. ep. 9.

Tertiò, vt vnitas & obedientia fidei, atque fidelium pax conseruetur, necessaria est docentis Ecclesiæ authoritas. alioquin tot erunt fidei dogmata, quot hominum mente corruptorum capita. Quamuis ergo Dei virtus externis medijs non sit adstricta, homines tamen ordinario docendi discendique modo obstrinxit, quem dum recusant obseruare, variis errorum laqueis semet involuunt.

Ecclesiæ authoritas vnitatem continet.

Aug. lib de vtil. cred. cap: 10. lib. 2. qu. Euangel. 40.

Quartò, voluit Deus homines per homines fidei Doctrinam accipere, propter humanæ societatis arctiorem coniunctionem, vnitatisque Christianæ firmiorem nexum. Nam si homines per homines nihil discerent, ipsa charitas, quæ homines sibi inuicem modo vnitas adstringit, non haberet aditum refundendorum & quasi miscendorum sibi animorum. Hinc Paulus ad Ananiam missus, Cornelius Petro imbuendus traditur, & Eunuchus à Philippo instruitur.

Aug. in Prologo libr. de doct. Christ. Act. 9. Act. 10. Act. 18.

Quintò, voluit Deus homines ab hominibus doceri, vt Ecclesia militans in eo similis esset Triumphanti. In illa enim superiores Angeli illuminant inferiores, sic in Ecclesia Pastores instruunt oues.

Homines docentur ab alijs, exemplo Angelorũ

Ad hominis dignitatem pertinet, quòd Deo cooperetur.

Postremò, vult Deus ab Ecclesia fidei doctrinam accipi, propter humanæ naturæ exaltationem: quia maximæ dignitatis est, Deo hac in parte cooperari. Abiecta enim esset humana conditio, si per homines hominibus verbum suum Deus ministrare nolle videretur. Nunc verò audacter Paulus dixit: *adiutores Dei sumus: Dei ædificatio estis.* homo enim rigat, sed incrementum præbet Deus.

2. Cor. 3.

CAP. XVIII.

An Scriptura sacra sola ad omnes fidei quæstiones determinandas sufficiat?

Sola scriptura non sufficit ad componendum fidei controuersias.

HÆreticis familiare est, obedientiam Ecclesiæ voci debitam hoc fuco repellere, quòd Scripturam sacram reuereantur, per quam Deus indubitanter loquitur, quódque ea sola ad omnem fidei doctrinam sufficiat. Ceterùm quòd sola Scriptura per se nulla ratione ad fidei mysteria decernenda sufficiat, ex eo liquet.

Scriptura sola ad doctrinam insufficiens est.

Primò, quòd interprete egeat, interpretatióque fieri debeat non ex affectu legentium, sed reuelatione spiritus eiusdem, à quo scriptura est. Nam nihil in scriptura tam apertum est, quin à diuersis in varios pugnantésque sensus trahatur, si cum præiudicio opinionis præconceptæ legatur. Idem enim in scriptis, quod in cibis accidit. Opus ergo est magisterio Ecclesiæ, ex cuius ore verbum Dei non recedit, Isaiæ 57. Cum qua Spiritus Sanctus in æternum manet, vt illam omnẽ veritatem (etiam intelligentiæ scripturarum) doceat, Ioannis 16. Cui assistit Christus, manens cum illa vsque ad consummationem sæculi: Matth. vltimo.

Secundò, Scriptura sacra liber est fidelium, cuius omnes partes propter credentes, vel ad credentes scriptæ sunt, vt patet ex tota scriptura Veteris Testamenti & Noui. Proinde scriptura sacra non nisi à fidelibus & Orthodoxis intelligi potest, iuxta illud Isaiæ septimo, *Nisi credideritis, non intelligetis.* Hinc Eunuchus legens Esaiam, non intelligebat, donec Philippus ei ostendit Iesum, qui in littera latebat. Quare meritò Augustinus pietatem fidei, ad intelligendas scripturas secundum gradum constituit. Huius defectu Iudæi velamen incredulitatis in corde habentes, scripturas intelligere non poterant, secundo Corinthiorum tertio. quin eis fiebant *mensa in laqueum*, Roman. vndecimo. Præterea neque ab ipsis fidelibus Scriptura facilè intelligi sola lectione, aut meditatione potest, propter stili obscuritatem maximam, quam eruditissimi Scripturarum expositores agnouerunt, ac propter mysteriorum altitudinem & profunditatem, etiam vbi perspicua videtur, nec non propter fecunditatem, quæ cùm plures sensu pariat, non ita facilè à quouis, quisnam sit genuinus, percipitur: vnde non vno eodémque sensu omnes illam accipiunt.

Act. 8.

Aug. lib. 2. de doctrin. Christ. c. 7.

Scriptura in multis obscura.

Aug. lib. 2 de doctr. Christ. c. 6. & lib. 3. c. 6. lib. 4. ca. 31.

Epist. 3. ad Volusianum.

Postremò, accedit breuitas, cuius gratia multa prætereuntur, quæ tamen ex serie traditionis intelligenda sunt, vt sæpe Augustinus monet. Ex quibus euidenter sequitur, Scripturas Sacras absque voce interpretantis & docentis Ecclesiæ, fidei doctrinam solas per se non sufficere. Denique nec sciri potest absque voce testantis Ecclesiæ, quænam sit diuina Scriptura. Nam si quis totam scripturam sacram vel neget, aut nesciat, nisi Ecclesiæ au-

Lib. de fide & oper. c. 4. Epist. 119. cap. 6.

Scriptura Ecclesiæ authoritate recipitur.

thoritate persuadeatur credere, nunquam Scriptura seipsam probare poterit, quòd sit verbum Dei pronuntiatum. Multa insuper fide credenda sunt, quæ in scriptura non docentur, sed viua voce per successiones temporum veluti manu traduntur, ad quæ determinanda scripturam insufficientem esse patet. Neque verò vllius scriptoris intentio fuit, totam fidei regulam scripto aliquo complecti: nam alioqui tota Scriptura vno momento scribi debuisset. at fides integra, & ad salutem sufficiens, in Patriarchis ante omnem Scripturam fuit, & in populo Iudaico, ante scripturas Noui Testamenti, ac demum in multis Christianis, antequam tota Scriptura Euangelica vel Apostolica scriberetur. Nec verò Christus scribi, sed annuntiari voce viua suam doctrinam edixit, nec Euangelistæ aut alij Scriptores Noui Testamenti totam fidei doctrinam opera dedita conscribere intenderunt: sed prædicationis viua voce priùs factæ commonitoria quædam breuia, & exhortationes ad eam retinendam, occasione data, fidelibus reliquerunt, sicuti Lucas de suo Euangelio testatur: *vt cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* & Paulus in singulis penè suis Epistolis Lectorem remittit ad prædicationem viua voce priùs factam. Romanor. decimo sexto: *præter doctrinam quam vos didicistis.* Corinthior. 11. *sicut tradidi vobis.* 2. Corinthior. primo: *non alia scribimus vobis, quàm qua cognouistis.* Galat. primo: *Si quis Euangelizauerit, præterquam quod accepistis.* Philippens. 4. *Quæ didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite.* Colossens. 2. *Sicut accepistis, sicut dediciſtis.* priori Thessalonic. quarto: *Scitis, quæ præcepta dederim vobis.* Posteriori Thessalon. 2. *Tenete traditiones quas dediciſtis, siue per epistolam.* 2. Timoth. primo & 2. *Quæ à me audisti, hæc cõmenda fidelibus.* vbi clarum est, Paulum ad acceptam viua voce doctrinam tanquam vnicam atque plenissimam fidei normam, non autem ad solas scripturas suum lectorem ablegare. Multa enim Paulus docuit, quæ non scripsit. Apostolos enim scribendi minimam habuisse rationem notat Eusebius libro 5. capite decimo octauo, & 24. & Chrysostomus homil. 1. in Acta: *quia Noui Testamenti doctrina non tam in chartis, quàm in hominum cordibus, non atramento, sed Spiritu Dei viui scribenda erat.* Est quidem scriptura in genere externorum testimoniorum, & in materia credendorum fidelibus adiumento, vt credant: sed tamen non sola sufficit, quia viua vox Ecclesiæ forinsecus docens, proponens, explicans, & ipse diuinus Spiritus intus illuminans, præter Scripturarum litteralem doctrinam, siue generandæ seu alendæ fidei nostræ necessaria sunt.

Fides sine Scriptura esse potest.

Paulus non ad Scripturam, sed ad primam veritatis traditionem remittit.

August. in Ioan. tract. 98. & in Psal. 103. concione 2.

Sola Scriptura ad fidem non sufficit.

CAP. XIX.

Vtrùm vox Ecclesiæ, quæstiones Fidei determinantis, sit certa & infallibilis?

SVperbi rebellésque Ecclesiæ filij, vt omnem Ecclesiæ docentis, testificantis, aut iudicantis, siue per Pontifices, siue per Concilia, Episcopos, ordinariosque Pastores & Magistros, authoritatem conuellant, non alia conditione vocem Ecclesiæ audiendam statuunt, nisi verbum Dei proferat, aut nisi consentanea Scripturæ doceat: hac arte omnem Ecclesiæ doctrinam in du-

Hæretici fe veritatis iudices constituunt.

bium reuocantes, ac seipsos tam Verbi Dei, quàm definitionis Ecclesiæ iudices constituentes. Quoniam ergo hæc illorum cauillatio omnium hæreticorum est nota, omniúmque hæreseon fundamentum, quod omnem religionis & Fidei certitudinem labefactat: ideo comprobandum est, vocem Ecclesiæ, quæstionem fidei decernentis, esse certam & infallibilem.

Matth. 10. & 18. In iudicium Ecclesiæ est infallibile.

Primùm, quia Deus per illam loquitur, & veritatis infallibilem testem constituit. Qui ergo Ecclesiam non simpliciter audit, sed conditionem exigit, vt scripturis & rationi consentanea dicere videatur, talis impius, & in Deum iniurius est, cui per Ecclesiam loquenti non absolutè & simpliciter credere vult, sed sub conditione, si vera & scripturæ consentanea dicere videatur. Sic enim Ecclesiæ testimonium non ex veritate Dei, qui eam in testem assumpsit, sed ex suo pendere vult arbitrio, ac sibi potiùs quàm Deo credit. iuxta illud Augustini ad Manichæos: *Qui in Euangelio quod vultis creditis, vobis potius, quàm Euangelio, creditis.*

Aug li. 17. cont. Faust. cap. 3.

Secundò, Deus non nisi per Ecclesiæ docentis sapientiam, infirmitati & ignorantiæ humanæ in eis, quæ ad fidem necessariò pertinent, succurrere instituit. Pastores enim & doctores dedit, ne simus paruuli, fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ. Proinde necessarium est, Ecclesiam in eis, quæ fidei sunt, ita sapere, vt neque falli, neque fallere possit: alioqui naturæ ignorantiæ non succurritur, sed imponitur.

Ephes. 4.

Tertiò, Voluit Deus Ecclesiæ vocem extrinsecus omnem nobis manifestare veritatem, sicut ipse intrinsecus reuelat. dixit enim: *Ite docete omnes gentes*, adijciens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi*: significans, se cum Apostolis, eorúmque successoribus, qui perpetuò Ecclesiam docebunt, futurum, nec permissurum, vt in docendo Ecclesiam à Fide aberrent.

Quartò, Scriptura Ioannis decimoquarto, & decimoseptimo aperte tradit, Spiritum Sanctum cum Ecclesiæ magistris perpetuò mansurum, vt eos doceat omnia, quoad scilicet intelligendas rectè scripturas, omniáque necessaria dogmata. Vnde sequitur, Ecclesiam non solùm esse veracem, sed etiam magistram infallibilem, vtpote quæ à Spiritu Sancto loquatur. vt Apostoli attestantur, docendo: *visum est Spiritui Sancto et nobis.* Et Paulus: *qui hæc spernit, nõ hominem spernit sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum Sanctum in nobis.*

Act. 15.

1. Thess. 4

Quintò, Ecclesia est columna & firmamentum veritatis, suo videlicet stabili magisterio fideles confirmans, atque certissimo & infallibili testimonio efficiens, vt propositis credibilibus firmissimè à nobis credatur, non quidem expectans immediatè doceri à Deo enthusiasmis, aut nouis afflatibus, neque medijs certis & necessarijs cõcludendo, sed authoritate ac potestate diuinitus accepta doctrinam fidei aperiendo, explicando, decernendo, atque irrefragabili testimonio confirmando. Non enim Ecclesia de rebus fidei ex scientia vel arte concludit, sed doctrinę semel acceptæ certissima & infallibilis est testis & conseruatrix, aperiens & explicans, quid acceptæ ab initio fidei sit consonum, quidque virtute in fidei semine latebat, ac quidnam ex articulis fidei reuelatis rectè deduci possit. Vnde Ecclesiæ Pastoribus & Magistris, simpliciter credenda proponentibus & decernentibus

Ecclesiæ docẽti tam est credendum, quàm præcepti obediendum.

decernentibus, non minùs credendum est, quàm est Legislatori iubenti obtemperandum: quia, sicut ex accepta potestate diuinitus Legislator iubet, ita ex decernendi potestate & gratia à Christo accepta, Ecclesiæ Pastores docent & decernunt. Hinc in Concilijs omnibus conclusiones & decreta, non autem probationes, & argumenta videmus. non, quòd sine argumentis concluserint, sed quia non ex formitate argumentorum sed ex suggestione Spiritus Sancti, & potestate à Christo accepta infallibiliter veritatem concluserunt, vt Actor. decimoquinto Apostoli. Non enim Ecclesiæ doctrina est argumentatio, sicut Theologica scientia, quæ ex arte & principijs disciplinæ Theologicæ docet, persuadet, fidem tuetur, ac rationibus ostendit, non esse improbabilem: sed Ecclesia ex potestate fidem decernit, constituit, authoritate sua prædicat, esse infallibilem, ac circa articulos fidei reuelatos versatur. Non enim scientiæ, sed fidei scholam Christus instituit: nec ad probandum argumentis, sed prædicandum verbo Euangelium, Ecclesiæ Magistros misit, quorum dictis tanquam suis, fideles certò & securè acquiescere voluit, cùm propter assistentiam Spiritus Sancti, tum propter expressam promissionem Christi, quia se cum Ecclesia, *vsque ad consummationem seculi* futurum dixit: vt per eam, & ipsam scripturam, & scripturæ sensum, & multa extra scripturam infallibiliter doceat, eam illuminando per verbum à se immediatè reuelatum, siue scriptum, siue non scriptum, sed viua voce traditum. Quòd enim Ecclesia per assistentiam Spiritus Sancti, quoad res ad salutem necessarias, in omnem veritatem inducatur, in scripturis apertè nobis reuelatum est, etiamsi media, quibus in docendo Ecclesia vti debet, explorata non habeamus. Quare hæc infallibilitas docentis Ecclesiæ studium & industriam non excludit, sed potiùs includit. Nam qui finem dat, etiam media ad finem necessaria præbet, & à medijs, consecutionem finis impedientibus, conseruat, prout in saluandorum prædestinatione manifestum est: vbi non solùm vita æterna, sed etiam media ad illam necessaria prædestinationis effectus sunt.

Veritas ex potestate à Christo accepta decernitur.

Christus fidei, non ratiocinandi scholam instituit.

Matth. 28.

Infallibilitas iudicij non excludit industriam, sed includit.

CAP. XX.

Vtrùm voci Ecclesiæ simpliciter acquiescendum sit?

QVamquam vox Ecclesiæ non sit prima veritas, sed primæ veritatis manifestatio, attamen æquè nos obligat, ac si Deus ipse per se loqueretur: quia non est conditio hominum authoritate inducta, sed à Deo ipso ordinata, infallibilis & diuina, quam qui contemnit, Deum ipsum reijcit. Quare qui Ecclesiam docentem audire nolens, veritatem alibi quærendam arbitratur, is à Deo recedit, & à prima veritate, quæ seipsam ministerio vocis Ecclesiæ reuelat. Et quamuis Ecclesiæ vox Dei respectu ministerialis atque instrumentalis tantùm sit: attamen quoad nos, Magistralis est, verè docens atque decernens credenda, cui proinde nos, tanquam discipuli Magistro, & filj Parentibus obedire necesse sit. Et licet Ecclesiæ vox nihil intus doceat, sed solus Dei Spiritus, attamen verè docet, inducit atque persuadet, ac cum authoritate prædicandi exter-

Ecclesiæ vocem contemnens Deum ipsum reijcit.

Ecclesiæ vox magistralis est respectu nostri.

num ministerium exercet, atque quod fidei est, decernit; sic tamen, vt per huius ministerium Deus ipse omnia principaliter faciat, qui Ecclesiæ Pastores assumit, vt per ipsos doceat omnem veritatem, vtque nuncij ac testes sint infallibiles diuinæ voluntatis, qualescunque tandem sint in seipsis, boni, aut mali, sapientes vel rudes, facundi aut barbari, intentione bonâ docentes, aut prauâ. eorum enim ministerium Deus, qui infallibiliter eis assistit, & per eos principaliter operatur, audientibus efficit salutare. Vnde gaudebat Apostolus, dum omni modo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus prædicaretur. & dum affirmasset, se abundantiùs omnibus laborasse, *Non ego*, ait, *sed gratia Dei mecum*. Rursum, priori Corinthiorum tertio: *Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus. Dei adiutores sumus. Dei ædificatio estis:* insinuans, per Ecclesiæ Pastores Deum agere, non autem ipsos per se. Quo sensu Dominus ait: *vnus est Magister vester*: qui scilicet habet doctrinam à se ipso, & docet per ministros suos. Sic vnus est Spiritus, qui loquitur, sed per homines quos mittit. Veritas prima, lux est animæ, ac mundi: sed affulget per ministros, veluti per lucernas illuminatas, quibus dixit: *vos estis lux mundi*. Deus regit nos ac pascit, sed per Pastores & Doctores, quos dedit. Quare ibi quærenda est veritas, vbi Christus est docens, loquens & dictans. *Ex veritatis ore*, inquit Augustinus, *agnosco Christum, ipsam veritatem: ex veritatis ore agnosco Ecclesiam veritatis participem*. & Epistola 166: *In Cathedra vnitatis posuit Deus doctrinam veritatis*. Similiter Chrysostomus homiliæ. 2. in 2. ad Timoth. *Sacerdos Angelus Domini est, nihil ex seipso loquitur. Si despicis, non illum despicis, sed Deum*. & alibi: *Deus omnia facit: sacerdos linguam et manum præbet*. Eodem sensu vox Caiphæ fuit vox Dei, Ioannis 11. & vox Pharisæorum bona docentium, etiamsi mala facerent. Matthæus 23. vbi Dominus nos de Pastorum doctrina securos fecit, dicendo: *omnia quæcunque dixerint vobis, facite*, illis verbis docens, quòd voci Ecclesiæ in doctrinâ fidei & morum simpliciter acquiescere oporteat, quia licet subiectiuè sit humana, origine tamen sit diuina. iuxta illud Prophetæ: *Ego pascam oues meas*. per Pastores scilicet Ecclesiæ. Porrò hic obseruandum est, infallibilitatem hanc doctrinæ Ecclesiæ non nasci ex immediata Spiritus Sancti reuelatione, neque ex plenitudine scientiæ magistrorum Ecclesiæ, (qui in scripturis sanctis Augustino teste, multò interdum plura nesciunt quàm sciunt) neque ex certitudine mediorum, quibus ad concludendum vtuntur, cum sæpe scripturis aliisque argumentis non necessariò, sed probabiliter concludentibus vtantur, neque insuper hæc infallibilitas à solo studio & industria Doctorum Scripturas & alia docendi media diligenter consulentium, neque demum à sola perpetua Spiritus Sancti assistentia pijs precibus inuocata dependet, nam alioquin frustra rerum sacrarum studia susciperentur, & de re controuersa magna conquisitio fieret, qualem adhibuisse Presbiteros, vt cum Apostolis dogma controuersum decernerent, legimus, & in om-

Per doctores Deus immediatè docet.

Philippen. 1.

Deus docet & loquitur per homines.

Matt. 10.

Matth. 10.

Ioan. 10.
Ioan. 1.
Matt. 6.
Psalm. 22.
Ephes. 4.

Enarrat. in Psalm. 57.

Chrysost. hom 85. in Ioan.

Vox Ecclesiæ origine diuina.

Ezech. 34.
Aug. lib. de pasto. c. 10.

Aug. ep. 3. & 119. c. 18.

Infallibilitas magisterij Ecclesiæ, vnde profluat?

Act. 15.

nibus Concilijs sequentibus adhibitam fuisse videmus: sed infallibilitatem in docendo substantiam fidei, & publica dogmata, reliquae ad salutem necessarias fortitur Ecclesia ex eo, quòd potestatem & gratiam à Christo decernendi ea, quæ sunt ad fidelium salutem necessaria, acceperit, & Spiritus Sancti assistentiâ munita, eiúsque suggestione adiuta, ex qualibuscumque argumentis non nisi veritatem concludet: quia Deus in necessarijs non deest, & alioquin insufficienter Ecclesiæ prouidisset. proinde semper eius doctrina erit infallibilis, etiamsi ratio docendi non ita. In quo quidem primi Ecclesiæ Magistri à successoribus differunt. Apostoli enim, quia Spiritus Sancti Amanuenses & organa, primique fidei Euangelicæ Magistri fuerunt, qui omnia de nouo, absque duce præcedentis Ecclesiæ docere debebant, ideo immediatâ reuelatione Dei, ac scientiæ sacrarum Scripturarum plenitudine indigebant, nec non peculiari Spiritus Sancti directione, tam circa media, quàm conclusiones, vt omni ex parte doctrina eorum esset certa, infallibilis, atque diuina. vnde illis solis concessum fuit nouos Fidei Articulos in Symbolo condere, noua Sacramenta promulgare, Scripturam canonicam scribere: succedenti verò Ecclesiæ quia ista necessaria non sunt, ideo nihil eorum facit, sed maiorum vestigijs insistens, traditæque doctrinæ inhærens, partim sua authoritate credentibus pro tempore fidei doctrinam confirmat, partim dubia emergentia aperit & explicat, atque ita potiùs testem agit, quàm authorem: nec fundamenta ponit, sed solùm superædificat: non plantat, sed rigat: nec prima semina iacit, sed potiùs in aliorum labores subintrans, semmata colit, tuetur & metit. Longè autem maiore peritia & certitudine opus est ad prima principia rerum statuenda, quàm ad conseruandum res iam existentes. Satis enim fuerit semel acceptis diligenter insistere, & ex eis alia deducere: quod facilius est, quàm rem penitus ignoratam de nouo explorare & docere. Vnde in Concilijs Patres non nouà, sed ab antiquis accepta Posteris tradidere, & contra emergentes Hæreses, nouas & peregrinas doctrinas obtrudentes, depositam seu ab Apostolis acceptam fidei doctrinam conseruarunt, nihil noui addendo, sed perperam intellecta corrigendo, & obscuriùs credita ex præcipuis quibusdam articulis (in quibus vt in principijs ac semine latebant) eruendo. Atque hoc sensu intelligendum est, articulos fidei non crescere secundùm substantiam fidei, sed tantùm secundùm explicationem, propter quam contra noua hæreticorum comminenta nonnunquam nouas voces introducere cogitur: vt contra Arrianos, *homousion*: contra Nestorianos, *Theotocon*: contra Sacramentarios, *transsubstantiationem*. quales voces non pertinere ad prophanas vocum nouitates, quas in hæreticis Apostolus reprehendit, ostendit Augustinus in Ioannem, tractatu nonagesimo octauo.

Infallibilitas ex Spiritus Sancti assistentia per Christũ promissa otitur.

Differentia inter Apostolos & posteriores magistros.

Apostoli nouos fidei articulos ediderunt. Scripturas Canonicas dictarunt.

Ecclesia posterioris tẽporis fidei articulos infallibiliter explicat.

1. Cor. 3. Ecclesia nunc superædificat. Ioan. 4.

Ecclesia fidem non innouat, sed explicat.

S. Thom. 2.2 qu. 1. ar. 7.

Aug. tract. 98. in Ioan.

CAP. XXI.

An vox Ecclesiæ definientis diuina sit an humana dicenda?

Ecclesiæ doctrina non purè humana sed quodāmodo est diuina.

QVia Sectarij omnem Ecclesiæ doctrinam ad humanas traditiones pertinere volunt, indéque Patrum interpretationes, Conciliorum decreta, Romanorúmque Pontificum responsa vilipendunt, pretexentes illud Christi: *frustra me colunt, docentes mandata et doctrinas hominum*: ideo non vtile fuerit hîc explicare, quidnam de voce Ecclesiæ sentiendum sit, & an humana vel potiùs diuina Ecclesiæ doctrina sit vocanda.

Principio sciendum est, omnia scientiarum dogmata ab æterno lumine, totius veritatis lucidissimo fonte, promanere, ideoque ratione primæ originis ex Deo esse. Sed licèt omnis scientia & doctrina in illa prima origine conueniat, tamen in modo positionis differt, & ex huiusmodi conditionis diuersitate discrimen omne sortitur. Nam scientia, quæ lumine naturæ, simplici rationis intuitu, absque vllo discursu, de principijs scientiarum naturalium & axiomatum ex eis proximè fluentium habetur, cognitio naturalis dicitur: quæ verò per deductionem, discursum, & per modum illationis obtinetur, acquisita & humana scientia est, licèt etiam Naturalis ex parte obiecti vocetur. Quæ autem cognitio nec vi naturæ, solo videlicet rationis intuitu simplici, nec per discursum, sed per diuinam reuelationem, seu per dispositionem Dei specialem proximè habetur, non scientia, sed Fides nuncupatur, & cognitio, non humana, sed diuina: quia non per modum Naturæ neque Disciplinæ humanæ generatur, sed authoritati Dei innititur, qui per se immediatè, vel per Ecclesiam docet. Vnde patet, quòd Ecclesiæ docentis vox de Fide, licèt per homines administretur, tamen quia Deo istos homines mittente, & hanc illis potestatem, (non per media humana, non per discursum, aut arbitrium hominum, sed per seipsum, & per Sacramentum à se institutum) conferente, exercetur, propterea quòd tam Ecclesiæ doctrina, quàm illa omnis potestas, & omnia, quæ ex eâdem vt tali promanant, non merè humana, sed potiùs diuina censeri debeant, sicut Apostolus innuit, 1. Corinth. decimoquarto, contra eos, qui verba eius tanquam humana contemnebant, differens: *An à vobis*, ait, *verbum Dei processit? Si quis videtur Propheta esse aut Spiritualis, cognoscat, quia quæ scribo vobis, Domini sunt mandata.* vbi suum verbum Dei mandatum vocat. & Ioannis 17. capite. *Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo.* Et primo Ioannis 4. de ijs, qui ex humana prudentia, non ex authoritate à Deo accepta loquuntur: *Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit.* Et Petrus posteriori epistol. capite primo explicationem Scripturæ ait non fieri

Cognitio diuina.

Vox & potestas Ecclesiæ diuina est.

Sciētia acquisita naturalis. Acquisita humana.

propria interpretatione, nec humana voluntate, sed Spiritus Sancti inspiratione. Ac postremò hac ratione Dominus Ioannis doctrinam ex cælo, non ex hominibus fuisse docet. Nempe *quia missus erat à Deo, vt omnes crederent per illum.* Sic cùm Ecclesia in mundum missa sit ad omnes gentes docendum, & vt testis sit veritatis; sequitur, eius vocem non esse ex hominibus, sed ex cœlo: atque potestatem habere non tantùm humanam, sed etiam diuinam.

Luc. 19.

Matth. 28. Act. 1.

CAP. XXII.

Vtrùm Ecclesia noua fidei dogmata docere possit?

Apostoli fidei Christianæ fundamenta posuerunt.

CVm vnica sit & fuerit Christi Ecclesia, quæ pro diuersitate hominum & temporum varium docendi modum habuit, dicendum est, vnam & eandem Ecclesiam à Deo potestatem accepisse, tam nouos articulos immediatè à Deo reuelatos infidelibus proponendi, quàm eosdem fidelibus sua authoritate consignandi, confirmandi, ac emergentibus dubijs explicandi. Sed primitiuæ Ecclesiæ Magistris, qui apud gentes de nouo fidem & doctrinam noua reuelatione à Deo acceptam plantare debebant, ad quas tanquam speciales Christi Legati mittebantur, vsus potestatis illius prioris necessarius erat: succedenti verò Ecclesiæ, quæ non nouis, sed antiquis reuelationibus, & primitiuæ Ecclesiæ fidei innititur, posterior docendi modus conuenit, qui in rigando, superædificando, veritatem suâ authoritate confirmando, & aperiendo, nec non emergentia dubia resoluendo, consistit. Quemadmodum enim Deus res primùm sua potestate creauit, & postmodum eâdem iam creatas conseruat; & eâdem potestate vegetatiua hominis anima in infantibus augmentum, in senibus verò nutrimentum solùm efficit: ita eadem Ecclesia primùm accepta à Deo potestate nouos fidei articulos edidit per Apostolos; postmodum verò per succedentes Ecclesiæ Pastores antiquam ab initio receptam fidem conseruat, præsentisque Ecclesiæ doctrinam suo judicio & authoritate confirmat, ita vt non solùm illius primitiuæ Ecclesiæ, sed etiam modernæ iudicio & authoritate tuti simus quòd in veritate ambulemus, quia præsentis Ecclesiæ testimonio probari debet, quid Apostoli prædicauerint: & hanc audio, vt Christo & Apostolis credam. Noui ergo articuli fidei bifariam intelligi possunt.

Ecclesia posterioris temporis fidem explicat, non proponit nouam.

Noui fidei articuli bifariam dicuntur.

Vno modo, quia noua doctrina nunquam antea hominibus tradita, iam primùm à Deo per Ecclesiam reuelatur. Hìc opus est nouâ Dei reuelatione, qualem Apostoli acceperunt, secundùm illud Pauli: *Quod aliis generationibus non est agnitum, filijs hominum, sicuti nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius.* Huiusmodi nouam doctrinam in Lege Naturæ primi fideles de omnipotentia Dei acceperunt. In Lege verò scripta de simplicitate ac vnitate Dei; ac denique in Lege Gratiæ de mysterio Trinitatis atque Christi Incarnatione Apostoli varias nouas reuelationes acceperunt.

Ephes. 3.

Alio modo noua fidei doctrina vocatur: quia licèt priùs quidem tradita fuerit in semine & virtute, attamen obscuriùs in se, vel paucis, nondum manifestè, quoad omnes. Huius generis noua doctrina per Ecclesiam omni tempore tradi potest, quatenus propter insurgentes hæreses aliquid explicatiùs definitur; vt in omnibus Concilijs factum est, in quo-

S. Thom. 2. 2 q. 1 ar. 10. ad 1. & 2. ar.

bus veteris Ecclesiæ fides plenius explicata est, vt id, quod in ea continebatur implicitè, à quibus postea explicitè crederetur. Si ergo absolutè noui Articuli, quoad substantiam fidei, intelligantur, sic ab hominis lapsu nulla ætate creuerunt; quia in fide primorum parentum, quibus semen benedictum promissum erat, omnia implicitè continebantur, quæ postea explicitè à posterioribus credita sunt. Si autem de nouis fidei Articulis, quoad explicationem, agatur, id omni tempore potest & facit Ecclesia: quod autem alterum non possit aut non faciat, accidit non defectu potestatis, sed quod rei natura non permittat. sicut Deus non potest facere contradictoria simul esse vera, obstante rerum natura. *Quodcunque in Ecclesia*, inquit Lyrinens. *fide Patrum satum est, hoc idem filiorum indole decet excolatur, obseruetur, proficiat et perficiatur! accipiant licet prisca dogmata euidentiam, lucem, distinctionem: sed retineāt necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem.* Quare Ecclesia in suis Symbolis nullos nouos fidei Articulos condidit, sed veteres plenius & explicatitius credendos tradidit.

2. 2 q. 1. ar. 7

Ecclesia nouos articulos quoad explicationem facit, non quoad fidei substantiam.

CAP. XXIII.

Virum omnia credenda per articulos distinguenda sint?

Omnis doctrina publicè ab Ecclesia tradita, est fides.

SCiendum hîc in primis est, omnem doctrinam ab Apostolis Ecclesiæ traditam, & quæ in Ecclesia publicè creditur & docetur, ad Fidei Christianæ regulam pertinere, quæ ab omnibus omnino perseueranter retinenda est, qui à Christi Corporis vnitate nolunt recedere. Ad prescriptum huius regulæ omnia religionis dogmata dimetienda sunt. Hunc Apostolus (2. Cor. 10.) fidem Corinthiorum vult crescere, at *secundum regulam doctrinæ à se tradite.* Eandem regulam vult Galatas sequi. cap. 1. & 6. Et ad Philippen. 3. *In eâdem*, inquit, *permaneamus regula.* quam Apostolicam regulam, Patres traditionem Apostolicam vocant, siue scripto, siue tantùm viua voce tradiderint. Hæc autem fidei regula, forma, seu traditio tripliciter considerari potest. Primum, vt regula summaria & contracta, quæ fidei caput, fundamentum, & radicem complectitur. de qua Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum.* quidquid enim de vltimo fine, aut de mediis obtinendæ salutis credi debet, hîc implicitè continetur: non quia per necessariam consequentiam singula inde credenda deducantur; sed quia in reipsa cognita, quæ hîc traditur, reliqua insint: siue ex natura rei, siue ex diuino beneplacito. Huiusmodi quoque est vniuersale principium illud Apostoli: *accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quòd inquirentibus se remunerator sit.* In priori enim illo, *Deus est*, reipsa continentur omnia, quæ Deo conueniunt: vtpote, quòd sit Vnus, Trinus, Omnipotens, Incommutabilis, Creator, etc: in posteriori verò, quòd sit *Remunerator*, continetur Prouidentia, Iudicium, Misericordia, omnisque modus diuinæ Prouidentiæ, quo Deus homines ad salutem perducere destinauit, ac proinde Christi Incarnatio, Passio, humani generis Redemptio, illiúsque per Gratiam & Sacramenta, variaque media, executio. Talem fidei nostræ breuissimam regulam vocat Apostolus, *confiteri ore Christum Iesum, et corde credere, quia Deus illum suscitauit à mortuis.* Alio modo fidei regula consideratur, vt in certos articulos distincta, capi-

Aug. epist. 57. Regula fidei est Apostolica traditio.

Iren. lib. 3. cap. 4. Origenes in proœmio li. de principiis

1. Regula fidei contracta.

Hebr. 11.

Rom. 10.

II. Regula, fidei Christianæ principia complectitur.

tales tamen & generales, qui que aliorum articulorum multorum semina sunt. Hæc regula fidei Christianæ principia complectitur. Talis regula est Symbolum Apostolicum.

III Regula fidei explicata.

Tertio modo regula fidei considerari potest, vt omnes fidei conclusiones factas, & ab Ecclesia vniuersaliter receptas continet. & hæc est regula fidei explicata, qualem Concilia generalia postmodum ediderunt, nouis semper incrementis, quoad explicationem, auctam: ad quam saltem implicitè tenendam omnis Christianus obligatur. Episcopi verò ordinandi atque omnes, qui ad dignitatem Ecclesiasticam, vel gradum superiorem in Vniuersitatibus admittuntur, in hanc regulam ex decreto Pij IV. iurant.

Vincen. Lyrin. c. 30. & sequen. Aug. lib. de bono perse. cap 20. Epi. 49. q. 2.

Cõcil. Carthag. 4. c. 1. Concil. Trid. sess. 25. c. 2.

Symbolum continet explicitè credenda.

Porrò ex his facilè apparet, non omnia in Scripturis & Ecclesiæ traditione contenta, in certos fidei articulos referenda fuisse; sed ea sola, quæ ab omnibus Christianis expressa fide credenda sunt: qualia sunt, vltimus finis, & media ad illum consequendum necessaria. Neque verò, quidquid ad fidem per se pertinet, nouum statim articulum constituit; sed quod specialem habet difficultatem & ineuidentiam. Est enim Fidei articulus propositio catholica, principij rationem in fide obtinens, specialémque difficultatem & ineuidentiam, omnibus Christianis ad explicitè credendum proposita. cuiusmodi sententiam, à partibus corporis ductâ similitudine, articulum vocamus. Quemadmodum enim corporis membra articulis distinguuntur: ita & Fidei confessio distinctis fidei dogmatibus; quæ dum seorsim nobis credenda proponuntur, appositè fidei articulos nuncupamus. præterea hac articuli voce insinuatur, quòd sicuti vnus idémque homo remanens incrementum accipit, statu habitúque mutatur, (tot enim sunt paruulorum artus & membra, quot senum:) ita quòd vna eadémque omnium, quoad substantiam, fides professum, non permutationem admittat. Cùm enim fides vna sit, Apostolo teste, substantiam eiusdem vnam & eamdem semper esse necessarium est; licet modus credendi possit esse diuersus, atque fidei mysteria pro temporum ratione varia. Idémque fidei dogma cum tempore consolidatur, vt scilicet intelligatur illustriùs, quod antea obscuriùs credebatur, atque crescit ac dilatatur: sed in eodem genere, vt si quid nouè dicatur, non tamen noua fidei doctrina proferatur, quæ non antea in fidei & religionis semine latitauerit, vt præcedenti capite latiùs ostensum fuit.

Fides incrementum, non permutationem admittit. Ephes. 4.

CAP. XXIV.

Qui, et quot articuli ab omnibus Christianis expresè credendi sint?

Quid articulus fidei?

EA fidei dogmata omnibus Christianis scitu necessaria, expressáque fide tenenda sunt, quæ Apostoli diuino Spiritu afflati, duodecim Symboli articulis distinxerunt. Priusquam enim ad omnes gentes docendum à se inuicem digrederentur, vt omnium ad fidem vocatorum vna esset Fidei Religionisque confessio, certam doctrinæ formulam præcipua Christianæ Religionis capita, Euangeliique summam complectentem edendam censuerunt, quam in tres potissimùm partes distribuerunt, quarum singulæ singulis diuinis in Trinitate personis accommodatæ sunt. Ex duodecim enim articulis primus ad personam Patris, sex consequentes ad personam Filij, & quinque reliqui ad personam

Apostoli symbolum fidei cur ediderint.

Symbolum tres partes tribus diuinis personis accommodatas continet.

Spiritus Sancti pertinent. Itaque in prima Symboli parte prima Sacrosanctæ Trinitatis Persona, opusque Creationis, per quod esse Naturæ accepimus, describitur. In secunda vero parte, secunda Persona, humanæque reparationis mysterium, per quod esse Gratiæ accepimus, quod in primo parente amiseramus. In tertia denique parte tertia itidem Persona, caput & fons sanctificationis nostræ, per quam esse Gloriæ consequimur, Tres ergo Symboli partes nobis tria trium Personarum propria opera, ac Diuinæ essentiæ vnitatem, triúmque Personarum distinctionem vnúmque Deum hominis esse conditorem, redemptorem, sanctitatísque ac gloriæ Authorem, vltimúmque hominis finem aperiunt, à quo beatæ immortalisque vitæ possessio per vnum mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum exspectanda est. ac proinde omnes duodecim articuli fidei eò tendunt, *vt cognoscamus vnum Solum Verum Deum, et, quem is misit, Iesum Christum, vnum Dei et hominum Mediatorem, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* hoc est, vt agnoscamus vnicum naturâ Deum, (qui trinus tamen sit in Personis) à quo creati, redempti & sanctificati, tandémque iudicandi sumus.

Patri creatio, Filio redemptio, Spiritui Sancto sanctificatio tribuitur.

Idem Deus nos creauit, redemit, sanctificauit.

Ioan. 17. 1. Timoth 2.

Idem indicabit qui redemit.

CAP. XXV.

Cur ista brevis Fidei formula Symbolum dicatur?

Clemens epist. 1. ad Iacobum. Aug. serm. 115. de tẽp. Ruff. in expos. Symb. Vnde fidei regula Symbolum dicatur?

CONtractam in duodecim Articulos Fidei professionem Apostoli futurę prędicationis sibi normam in commune statuerunt, Symbolúmque nuncuparunt; siue, quia ex variis conflata esset sententijs, quas singuli contulissent; siue quia illa veluti nota seu tessera vterentur ad internoscendos veros Apostolos à Pseudoapostolis, genuinó́sq; Christi discipulos à Pseudofratribus; non secus, quàm in bello milites socios ab hostibus, explorator éque ab amicis tesserâ dignoscunt. Hæc enim Fidei regula omnibus fidelibus, cùm Doctoribus, tum Discipulis communis & cognita esse debet: ac idcirco *non in charta & atramento, sed in cordibus fidelium* inscripta est. Hanc etiam ob causam Leo dicit, quòd neminem cuiuscunque sexus in Ecclesia Symbolum ignorare oporteat. & Augustin. epist. 57. hanc fidei regulam pusillis magnísque communem esse scribit. Similiter alij Patres Symbolum Apostolicum fidei regulam esse tradunt. Multiplex attamen est Symboli acceptio.

Hieron. in epist. ad Pãmachium cont. error. Ioan Ierosolym. Leo epist. 15 ad Augustã. August. epi. 57. Enchi. cap. 56. Ambr serm. 38. Tertul. lib. de velan. virg. lib. de præscript. Iren lib. 1. cap. 2 Terentius in And.

Primò significat collationem: *vt dantes Symbola consumentur.* Prouer. 23. & Comicus: *Symbolum dedit, cenauit.*

Secundo, Vox Symboli denotat idem, quod Allegoria, Ænigma, aut cuiuscumque arcanæ rei nota. qua significatione Dionysius Areop. Symbolicam Theologiam vocat.

Tertio, Symbolum idem valet quod nota, signum, indicium, tesserá́q; qua significatione vox Symboli apertissimè tribuitur Christianæ Fidei regulæ, ab Apostolis omnibus fidelibus præscriptæ, quoniam per hãc communem fidei professionem domestici & fratres ab inimicis secernuntur, & Christo militaturi eisdem Sacramentis obligantur, ac vnitas Fidei, per quam Deo placemus, conseruatur: nec non Ecclesiæ pax & cõcordia fouetur, dum omnium Christianorum cum fide cordis, eadem est professio externa oris, quod tam in docentibus quàm discentibus ad tollenda schismata exigitur, quæ certò emergunt, quando non omnes idem sentiunt & dicunt.

Symboli vox multipliciter accipitur.

Aug lib. de fide & symb. cap. 1. & serm. 181. de temp.

CAP.

CAP. XXVI.

De necessitate symboli ac vtilitate.

Symboli necessitas.

CVm fides catholica omnibus hominibus ad salutem sit necessaria, nec omnibus propter ignorantiam, variáque alia impedimenta, in scripturis versari sit integrum; facilè deprehenditur, necessarium fuisse, vt ea quæ ab omnibus credenda essent, ad breue compendium redigerentur, quòd facilè omnibus proponi posset, ac memoriæ commendari. Est autem Symbolum breue verbis, sed magnum sacramentis. Quidquid enim figuratum est in Patriarchis, quidquid denuntiatum est in Scripturis, quidquid prædictum est in Prophetis, vel de Deo ingenito, vel de Dei Verbo, vel de Spiritu Sancto, aut de reparationis humanæ mysterio; id omne breuiter Symbolum continet. Vnde Augustinus, *facile, ait, est vt dicatur, quid credendum. Nam ecce tibi est symbolum. quid breuius auditur? quid facilius memoriæ commendatur?* & alibi: *Symbolum est comprehensio fidei nostræ simplex, breuis, plena. simplex, vt consulat audientium rusticitati; breuitas memoriæ, plenitudo doctrinæ.* Et iterum: *Symbolum mentem instruit, nec onerat memoriã. paucis verbis dicitur, vnde multum acquiratur.* & li. de fide & symbolo cap. 1. *fides catholica in symbolo memoriæ mandata est, quantum res passa est breuitate sermonis, vt incipientibus atque lactantibus in Christo renatis, paucis verbis quod credendum, et proficientibus, quod multis verbis exponendo proficiendum esset, constitueretur.* Isidorus lib. 2. diuin. offic. cap. 22. *In symbolo ab Apostolis edito pauca sunt verba, sed omnia continentur sacramenta.* Est enim breue fidei verbum, olim à Propheta prædictum, tantæ virtutis, *vt solo hoc symboli gladio vniuersas hæreticorum opiniones posse detruncari*, Leo magnus asserat. Cuius rei exemplum omni memoria dignum recensetur libr. 10. Ecclesiasticæ Hist. cap. 3. vbi Christianus illiteratus simplici articulorum fidei interrogatione Philosophorum aggressus obstupefecit, vicit, ac ad credendum induxit. Petrus autem Chrysologus serm. 61. Symbolum fonti comparans, *Sicut*, ait, *fons, ab angusto manans, magnis fluuiorum laticibus ampliatur: sic fides symboli breuiato sermone credulitatis latissimos meatus exhibet.*

Symbolum est verbum fidei abbreuiatum.

Aug. Ench. cap. 7.

Serm. 115. de temp.

Serm. 119. de temp.

Isa. cap. 10 Rom. 9.

Leo epist. 13

CAP. XXVII.

Vtrùm symbolum, quòd Apostolicum dicitur, editum sit ab Apostolis.

ETsi quædam symbola quadam ratione, Apostolica dici possint, quia doctrinam ab Apostolis traditam continent; quo modo Hilarius de symbolis aduersus Arrianos Nycænum Concilium, Apostolicum vocat; & Epiphanius in Ancorato symbolum Constantinopolitanum Apostolis attribuit: attamen propriè symbolum Apostolicum nuncupamus, quòd ab Apostolis ipsis in vnum collectis pro communi regula Christianæ professionis editũ est. de quo contra vniuersæ Ecclesiæ vsum, communi omnium fidelium sententia probatum, ambigere, an ab Apostolis editum sit, maximæ fuerit insaniæ. Vnde patet Erasmi negantis, ac Brentij & Artopœi dementia vel ignorantia crassa, cùm plurima Veterum hac de re inculentissima extent testimonia. Clemens in primis Romanus expressis verbis scribit, Apostolos priusquam in varias pro-

An Apostoli symbolũ ediderint?

Eras. in præfat. Paraphr. in Matth.

Clem epist. 1. ad Iacobũ

Conformitas doctrinæ.

uincias diuiderentur, symbolum fidei edidisse, vt conformis esset tam docentium quàm discentium vbiq; doctrina. Irenæus symboli recenset articulos, tanquam ab Apostolis editos. Tertullianus eosdem confitetur ante omnes hæreses traditos. Ambros. epist. 81. & serm. 38. *Duodecim Apostolorum symbolo fides sancta concepta est, qui velut periti artifices in vnum conuenientes clauem suo consilio conflauerunt, clauem enim quamdam ipsum symbolum dixerim.* Hieronym. in epist. ad Pammachium contra errores Ioan. Ierosolym. *In symbolo,* inquit, *fidei et spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta et atramento, sed in tabulis cordis carnalibus. post confessionem trinitatis et vnitatem Ecclesiæ, omne Christiani dogmatis sacramentum carnis resurrectione concluditur.* Aug. serm. 181. de temp. à majoribus traditione acceptum dicit, quòd Apostoli simul positi & Spiritu Sancto pleni, breue suę prædicationis compendium, fideiq; regulam commun collatione instituerint, quam secundùm numerum Apostolorum duodecim sententus comprehensam, Symbolum vocauerunt, & serm. 115. vnicuique Apostolo suum articulum attribuit. lib. de fide & operibus cap. 9. moner, vt baptizandi de fidei articulis iuxta traditionis seriem interrogentur. Leo, sermon. 11. de pass. Dom. *Regulam fidei in ipso Symbolo per authoritatem Apostolicæ institutionis accepimus.* & Epist. 13. ad Pulcheriam: *Ipsius catholici symboli breuis et perfecta confessio duodecim Apostolorum, totidem est consignata sententiis, tanquam instructa sit munitione cœlesti, vt omnes hæreticorum opiniones solo ipsius gladio possint detruncari.* Maximus in serm. de Symbolo: *Apostoli Ecclesiæ Dei, quã aduersus militiam diabolici furoris armabant, mysteriũ symboli tradiderunt, vt quia sub vno Christi nomine credentium futura erat diuersitas, signaculum symboli fideles perfidosque secerneret: & alienus a fide, atque hostis appareret Ecclesiæ, qui aut tanquam baptizatus nescisset, aut tanquam hæreticus corrupisset.* Isidorus lib. 2. de diuinis officijs compendiosè refert, quæ priores Doctores de symbolo scripserunt. Innocen. 3. lib. 2. de myst. missæ cap. 24. singulis Apostolis vnũ symboli articulum tribuit. Vtrùm tamen singuli Apostoli singulos articulos ediderint; an potius totum symbolum ab omnibus simul contextum sit; incertum est. Neque ad augendam vel infirmandam eius authoritatem refert, quandoquidem in omnibus & singulis Apostolis vnus idémque Spiritus Sanctus loquutus fuerit. Ideoque licèt symbolum portio Scripturæ Sacræ non sit, quia illud Apostoli non scripto, sed viuæ vocis ministerio tradiderunt; attamen non inferioris est authoritatis, quàm Scriptura Sacra. Quemadmodum enim scimus Ecclesiæ testimonio, Matthæi Euangelium à Matthæo Apostolo conscriptum esse; ita viuæ vocis traditione scimus articulos fidei in symbolo ab Apostolis digestos esse, ac verbum Dei non scriptum continere. Cùm porrò dicat Apostolus: *In omnibus sumentes scutũ fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere,* cõsequitur, symboli Apostolici frequentem recitationem aduersus mundi & diaboli impugnationes quàm plurimùm valere, ac nitar tutissimi scuti protegere. *Iustus* enim *ex fide viuit.* Et licut *corde creditur ad iustitiam: ita ore confessio fit ad salutem.* Ideo confessionis vocem crebrò crumpendum est. Quare sapienter Ambrosius suam hortatur sororem, vt frequẽter symbolum legat, cùm cubitum pergit, quum à somno manè surgit, & quum-

Symbolũ est ab Apostolis editũ

Leo ser. 11. de pass. dom.

Maximus ser. de symb

Isidor lib. 2 de diuin. offic.

Innoc. III li. 2 de myst Miss. c. 42.

Symbolum est paris authoritatis cum Scriptura Sacra. Gregor. li. 1 regist. epist. 24. Sicut sancti Euangelij 4 libros, sic 4 concilia suscipere & venerari me fateor. Ephes. 6. Frequens symboli Apostolici recitatio prodest.

Rom 10.

Ambros ser. 3 de virg.

dolumque horror aliquis animum concutit. *quando enim sine militiæ sacramento miles in tentorio, bellator in prælio?* Augustin. homil. 42. inter 50. *Symbolum quotidie dicite, quando surgitis, quando vos ad somnum collocatis: commemora fidem tuam? sit tibi tanquam speculum, symbolum tuum ibi te vide, si credis omnia, quæ te credere confiteris; & gaude quotidie in fide tua: sint diuitiæ tuæ, sint quotidiana ista mentis tuæ vestimenta.* D. Leo epist. 13. docet, breuem symboli confessionem ad omnium hæreticorum opiniones detruncandas sufficere, ac valere, vt in nullo à vero deuietur. Petrus Chrysologus sermone 62. ait, quotidie personandum symbolum, vt nemo initi cum Deo pacti obliuiscatur, neque promissionum diuinarum cælestiúmque bonorum, ad quæ fides symbolo contenta nos transmittit. Ambros. serm. 38. *Symbolum* ait *esse clauem, qua diaboli tenebræ reserantur, vt Christi lux adueniat. Aperiuntur conscientiæ clausa peccata, vt iustitia manifesta opera fulgeant.* Chrysostom. homil. 1. in symb. *Regularis ista doctrina credentes confirmat, proficientes adiuuat, consolatur viatores, confortat perseuerantes, coronat peruenientes.* Hinc D. Thom. obseruat, symbolum Apostolorum in Ecclesia dici manè, ad Primam, & in Completorio, quasi contra tenebras errorum præsentium, præteritorum, & futurorum: atque occultè recitari, quia fide nondum publicata, persecutionisque tempore editum fuit: in Missa vero palam symbolum Patrum decantari, quia fide manifestata, Ecclesiaque pacem sub Constantino & Christianis Imperatoribus obtinente conditum fuerit. Priùs tamen etiam, ante mysteriorum confectionem, fidei Christianæ symbolum decantatum fuisse, attestatur Dionysius Areopag. in quo vniuersa diuina in nos emanantia beneficia contineri scribit.

Aug. lib. 1. de symb. c. 1. tom. 9.

Petrus Chrysolog serm 61. & 62.

Chrysost. 5.

21. q. 1. ar. 9. Symbolum cur in horis can. ter legatur.

Symbolum cur occultè legatur.

In Missa cur symbolum canteturr? Omnia Dei beneficia in symbolo continentur.

CAP. XXVIII.

Quòd præter Apostolorum Symbolum alia sint ab Ecclesiâ recepta.

PRæter Apostolorum Symbolum tria sunt alia generaliter in Ecclesia susceptа. Tria symbola recepta præter Apostolicum.

Primum est Nicænum, sub Constantino Magno, contra Arianos à Concilio Nicæno editum, quod paris est cum Concilio authoritatis. De quo Athanasius in epist. ad Epictetum; Hilarius lib. de Synodis; Gregor. Nazianzenus tractatu de fide Nicæna, Basilius epistola 60. & 70. Epiphan. sub finem libr. de hæresibus, Cyrillus in expositione symboli Nicæni, tom. 4. Porrò sicut Catholici, ita & Arriani suum habuêre symbolum. de quo Hilar. lib. 4. & 6. de Trinitat. Hieronym. contra Luciferianos. Nicephorus libr. 8. Hist. cap. 47. Similiter Pelagiani suum habuêre symbolum, de quo Augustin. lib. 2. de gratia Christi cap. 32. Lutherani suam Confessionem; & sacramentarij, Caluini Institutionem, quam & Confessionem vocant. Symbolum Nicænum. Sua symbola etiam hæretici iactant.

Secundum symbolum est Constantinopolitanum, ab vniuersali Concilio secundo, Theodosij senioris tempore contra Macedonium coacto, editum: quo nunc Ecclesia in officio Missæ vtitur, adiecta solummodo particulâ, *Filióque*, ad maiorem veritatis explicationem. Quod symbolum (teste Magistro Sententiarum) Leo III. Pontifex in testimonium, quòd à Latinis reciperetur, tabulæ argenteæ inscriptum, post Sancti Pauli corpus in altari posuit. Symbolum Constantinopolitanum. Petrus Lõbardus lib. 1 sent. dist. 11.

Symbolum Athanas.

Tertium est Athanasij, quo Ecclesia in Horis Canonicis ad Primam vtitur, estque paris cum prioribus authoritatis, non quidem ratione Authoris, sed quia susceptum est ab Ecclesia toto orbe diffusa. de quo Nazianzenus oratione in Athanasium; & Augustin. in Psalm. 20. Continent autem hæc tria Symbola eandem fidei veritatem: sed in posteriori plenius explicatur, quod in priori implicitè continebatur: vt pulchrè Vincent. Lyrenens. explicat cap. 32.

CAP. XXIX.

Cuius sit, ex ortâ nouâ de fide controuersiâ, Symbolum explicare?

QVemadmodum in Veteri Lege Deus omnes de religione quæstiones summi Sacerdotis iudicio definiri, eúmque qui obtemperare nollet, interfici statuit: ita & in Nouo Testamento Christianos sine exceptione aliqua Ecclesiam, hoc est, Ecclesiæ Pastores (quorum supremus est B. Petri successor, Pontifex Romanus, Christi in terris Vicarius) audire præcepit, graui addita comminatione: *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus*: id est à spe salutis alienus. Nam Christus est Saluator corporis sui, id est, Ecclesiæ. Ad Romani Pontificis itaque munus pertinet, exortas omnes de fide, aut religione controuersias dirimere, suáq; authoritate terminare, ac proinde si opus sit, nouum symbolum edere. vna siquidem Ecclesiæ Fides esse debet, ac idipsum omnes dicere, nullásque esse Schismata oportet. Quod sanè obtineri nunquam poterit, nisi noua de fide mota lite per supremum aliquem visibilem iudicem quæstio definiri possit, qui necessitatem obediendi latæ sententiæ omnibus fidelibus imponere queat: id quod solus potest Romanus Pontifex, Petri successor, totiúsque Ecclesiæ Pastor. Cuiâ Christo peculiari priuilegio dictum est: *pasce oues meas. Confirma fratres tuos. Non deficiet fides tua. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quæ est domus Dei viui, columna et firmamentum veritatis*, suo Magisterio & authoritate docens omnem veritatem ex promissa infallibiliter Spiritus Sancti assistentia, Christique directione, ita vt solus Romanus Pontifex propria sibi à Deo concessâ authoritate Concilia generalia congregare, sua sententia confirmare, suóque iudicio prorsus rata, certa & irrefragabilia efficere possit. Intersunt quidem etiam Conciliis Episcopi, Doctores, & Principium Legati, etiam Laici: sed longè dispari conditione. Nam Episcopi, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, in Conciliis præsident, atque de rebus fidei sententiam ferunt (vt Iacobus act. 15. de se ait: *Ego iudico:*) sed eorum iudicium omnino firmum non erit, nisi Vicarij Christi comprobatio accedat, cuius fides sentire nequit defectum. Doctores verò Conciliis intersunt, velut Consiliarij, non autem, tanquam iudices. Principes autem atque Laici Conciliis intersunt, nõ vt iudices quæstionum fidei, sed tanquam Protectores Ecclesiæ, definitionúmque eiusdem testes atque executores. Ex quibus triplex de fidei doctrina iudicium esse colligimus.

Aug. libr 2: cont. Iuliã: in epilogo.

Ecclesia, id est, Pastores (quorũ primus est Pontifex Rom.) quæstionũ iudices sunt.

Ad Petri successoré pertinet, Conciliorũ iudicio confirmatio, controuersiarum iudicium. 2. Cor. 1.

Triplex dè fidei doctrina iudicium: Rationis, Discretionis, & Authoritatis.

Primum est Rationis, quoad simplicem firmúmque assensum, qualis fidei est: cuiusmodi generis iudicium omnibus fidelibus commune est. Potest enim quisque ex regula fidei, quam tenet, hæreticis respondere,

quamuis hæreſes neſciat, vt obſeruauit Auguſt. libr. de Agone Chriſtiano cap. 4. & lib. 12. de gen. ad lit. capit. 14.

Hebr. 5. Secundùm Iudicium eſt Diſcretionis, quo credenda ex propriis cauſis agnoſcuntur. Hoc perfectorum eſt, qui exercitatos habent ſenſus, & contradicentes poſſunt arguere: quales ſunt, dono Sapientiæ & intellectus prædíti Doctores.

Aug. tract. 98. in Ioan.

Tertium Iudicium eſt determinatiuum ex authoritate à Chriſto acceptâ: cuius generis iudicium Eccleſiæ prælatis proprium eſt, quos Chriſtus poſuit regere Eccleſiam, ac paſcere gregem ſibi commiſſum, & docere omnem veritatem, vt non circumferamur omni vento doctrinæ: inter quos Eccleſiæ Paſtores Romanus Pontifex ſummus eſt. Cuius iudicio quiſquis non obtemperat, rebellis Matri Eccleſiæ, Deique ordinationi habetur. Oportunuſſimum autem remedium ad componenda Religionis diſſidia, concordiámque ſciſſæ Eccleſiæ reſtituendam Theodoſio Imperatori viſum eſt, ſi nouam doctrinæ formam inducentibus, ſublata diſputandi libertate; proponeretur, vt omnes excitatæ de nouo controuerſiæ, ex veterum patrum, qui Eccleſiæ calculo approbati eſſent, traditione iudicarentur: ſic enim futurum, vt contentioſis via præcluderetur, ne quiſque pro cerebri ſui intemperie Dei Verbum interpretaretur, & ſuum illi ſenſum, prout cauſæ commodum putaret, affingeret; ſuámque ſententiam iudicio Patrum, ſimúlque publico anteferret: ac inſuper eò magis veterum Patrum iudicio ſtandum eſſe, quia cùm ante natam contentionem floruerint, nullíque præſenti parti aut ſectæ vnquam addicti fuerint, vt minimè ſuſpecti controuerſiæ nunc doctrinæ cenſores agnoſcendi ſunt. Quæ ſententia Theodoſio per Nectarium ad Siſinnij ſuggeſtionem propoſita, ſapientiſſimè placuit, eóque facto memorandum toti poſteritati nouas ex doctrinæ diuerſitate diſcordiarum flammas emergentes opprimendi, reliquit exemplum. Quod ipſum antè docuerat Tertullianus, ſeriò admonens, ne catholici cum hæreticis de ſacris Literis diſputaturi, in arenam deſcendant, ſed potiùs, vt ad maiorum traditionem prouocent, & ex illa germanam ſcripturæ intelligentiam, omnémque de fidei quæſtionibus veritatem petant atque confirment. Idem tradit Origen. tract. 29. in Matth. *Illa ſola*, inquit, *eſt credenda veritas, quæ in nullo ab eccleſiaſticâ traditione diſcordat.* Athanaſius: *Hoc ſolummodo reſpondere Hæreticis ſufficit, quòd iſta non ſint Catholicæ Eccleſiæ, neque iſta patres noſtri ſenſerunt. Et ſanè cum his Eccleſiæ Magiſtris non ſapere, omnino eſt deſipere.* Baſilius: *quæ à ſanctis Patribus edocti ſumus, ea interrogantibus nos annuntiamus.* Auguſt. lib. 2. contr. Iulian. in epilogo: *Quod inuenerunt in Eccleſia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt. Nondum apud illos iudices aliquid agebamus, & apud eos acta eſt cauſa noſtra. Nec nos nec vos eis noti fueramus, & eorum contrà vos latas ſententias recitamus. Nondum vobiſcum certabamus, et eis pronunciantibus vicimus.* Vincentius Lyrinenſ. *Neceſſe eſt omnibus catholicis, vt ſanctæ ſanctorum Patrum fidei inhæreant, adglutinentur, immoriantur. Quiſquis hos in ſenſu catholici dogmatis vnum aliquid in Chriſto ſentientes contempſerit, non hominem contemnit, ſed Deum.* Quæ omnia conformia ſunt diuino oraculo: vi-

Act. 20. Epheſ. 4.

Remedium ad componenda religionis diſſidia oportuniſſimũ.

Iudicio Patrum ſtandum.

Theodoſius ex Nectarij ſententia ſecundùm veterũ patrum ſententiam cõtrouerſias finiri iudicauit.

Hæretici ſunt ad Maiorum doctrinam prouocandi.

dete et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea: et invenietis requiem animabus vestris. Sanè quàm parum disputationibus & colloquijs nostra ætate effectum sit, experientia demonstrauit. Nihil enim ferè aliud sequutum est, quàm à Tertulliano fuit prædictum: *quòd scilicet disputationibus firmi fatigentur, infirmi capiantur, medij cum scrupulis dimittantur.* Quare obseruandum est Martiani edictum, vt de semel iudicatis non amplius disputetur.

Disputationes & colloquia cum hæreticis passim plus nocèt quàm profunt.

CAP. XXX.

De Apostolici Symboli distributione, Articulorúmque numero.

VArij Scriptores Ecclesiastici Symbolum explicarunt. Inter veteres quidem Cyril. Hierosolym. in Catechesi 4. Chrysost. hom. 1. & 2. in symbolum. Ruffinus, cuius expositio apud Cyprian. & Hieron. reperitur. Aug. lib. 4. de symbolo ad Catechumenos edidit, qui habentur tomo 9. & librum de fide & symbolo, tomo 3. Item serm. 115. 119. 123. 125. 131. 181. 192. 193. 194. tom. 10. & in Enchiridio symbolum exponit. Petrus Chrysologus serm. 57. vsque ad 62. Maximus Taurinens. hom. 1. de diuersis.

Symboli Apostolici scopus, vt cognoscamus vnum Deum in Trinitate.

Eò autem symboli doctrina maximè pertinet, vt veram Dei diuinárúmque rerum cognitionem, omnibus hominibus ad bene beatéq; viuendum scitu necessariam, succinctè comprehensam habeamus. Vbi primum locum obtinet agnitio vnius veri Dei in Personarum Trinitate: *et vnum Deum in Trinitate, et Trinitatem in vnitate veneremur.* Ideoque huic sanctissimæ simul & indiuiduæ Trinitati, præcipuæ tres symboli partes, in quas distribuitur, correspondent: Prima nimirum de Creatione, secunda de Redemptione, tertia de Sanctificatione. Quæ distributio diuinis Personis accommodata non innuit aliquam istarum operationum, vni diuinæ personæ, reliquis exclusis, competere, cùm indiuisa Trinitatis sint opera, sed vt ex hac loquendi formula intelligamus, Patrem & Filium & Spiritũ Sanctum non esse tantùm nomina sono distincta, sed verè distinctas reipsa Personas, vnius tamen essentiæ, diuinitatis, ac operationis. Nam illæ tres Personæ vnus sunt Deus, æternus, immensus, incomprehensibilis, quo nihil maius, melius, aut sapientius excogitari potest, in essentiá vnus & simplex, in Personis autem tribus distinctus. Est autem Pater, suum ab æterno generans filium, fons & opifex rerum: Filius ex Patris substantia genitus mundi Saluator atque Redemptor: Spiritus Sanctus Ecclesiæ seu fidelium sanctificator. Proinde vnus Deus hominis est Creator, Redemptor, atque iustificator. *Ex ipso, per ipsum, et in ipso sũt omnia.* ab vno Deo creati, redempti, sanctificati, beatique sumus. Porrò fidem de vno naturâ Deo, & trino in personis, Apostoli in XII. articulos distribuerunt, quorum nomina singulis articulis Innocen. III. libr. 2. de myst. Missæ, ca. 42. adijcit, sed paulò aliter, quàm Aug. serm. 115. de tẽpor. Numerus autem duodenarius articulorum fidei mystícè designat fidem Trinitatis per quatuor orbis terræ partes futuram: si quidem tria quatuor numerum duodenarium constituunt. Nec mysterio vacat, quòd Christus XII. Apostolos elegerit, per quos Euangelij per Orbem disseminati voluerit. Ideo varus ty-

1. Ioan. 5.

Deus in natura vnus, in personis trinus.

Rom. 1.

Duodecim articuli: quia fides trin. per 4. orbis partes erat futura.

Supra cap. 23.

pis hos XII. fidei Christianæ doctores adumbrat Scriptura.

XII. Apostoli variis figuris adumbrati.

Prima figura luculentissima extitit in XII. Patriarchis, à quibus XII. tribus Israël promanarunt. Sicut enim filij Synagogæ à XII. patribus secundum carnem nati sunt: ita & filij Ecclesiæ à XII. Apostolis in Christo sunt geniti.

Secunda figura XII. Apostolorum exprimitur, Exodi 15. in XII. fõtibus. Exodi 28. ijdem præfigurantur per XII. lapides, in quibus erant XII. nõmina filiorum Israël insculpta, ac ibidẽ per tintinnabula ex veste Pontificis dependentia. Num. 13. per XII. exploratores à Moyse missos in terram Chanaan. Iosue 4. per XII. lapides in Iordane positos. Apoc. 21. adumbrantur per XII. portas, & XII. fũdamenta Ciuitatis sanctæ: quia scilicet eorum prædicatione conuocati sunt in Ecclesiam fideles, ac eorundem magisterio fides Ecclesiæ fulcitur atque conseruatur.

CAP. XXXI.

De primo Symboli articulo.

Primus fidei articulus cuiusque sensus.

PRimus symboli articulus est: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem Cœli et terræ.*

Cuius articuli hæc est sententia: firmo & constanti mentis assensu, oriique cõfessione profiteor, vnum esse Deum, naturâ simplicem, infinitæ perfectionis, potentiæ, bonitatis, sapientiæ, à quo seu fonte omne bonum dimanat, & in Deitate primam Personam esse Patrem, qui Filiũ ex omni æternitate genuit, suaque omnipotenti virtute visibilia & inuisibilia omnia ex nihilo, solo verbo produxit, productâque etiamnum conseruat & regit. Quia verò in singulis Apostolici symboli verbis ingentia latent mysteria, eadem iuxta Catechismi ordinem perpendemus.

Occurrit autem primo loco vox CREDO: circa quam B. Aug. obseruat, quòd prima vox, quam in symbolo Christiani dicere iubentur, sit CREDO: vt quisq; intelligat Christiani hominis officiũ esse, non scientiam profiteri, non rationibus inuestigare, quæ credenda proponuntur, sed cordis simplici modestiâ, veritatis integritate cõstanter assentiri. Vnde primi Christiani *discipuli* vocabantur, quo nomine significabatur, eos non Magistros, aut contẽtiosos disputatores esse, sed ab Ecclesia Magistra fidem, omnemque veritatem ad discere oportere, ac omni postposita dubitatione consentire, verum esse quod tradit. Nec mirum est, primo loco à fideli professionem credulitatis exigi, cùm accedentem ad Deum credere oporteat: & nihil in cõmuni vita geri possit, nisi credulitas antè præcesserit. Nam quæ disciplina vel ars mechanica discì potest, nisi prius docenti credatur? Intelligẽtiæ siquidem aditus credendo paratur, iuxta illud Isaiæ: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Quibus verbis significat, non per cognitionem tendendum esse ad fidem, sed per fidem ad cognitionem.

Credo, est prima vox Christiani. Aug. serm. 131. & 181. de temp.

Christiani officiũ est credere, nõ disputare.

Aug. de prædest. Sanct. ca 2. Hebr. 11. Theodoretus lib. de fide.

Isa. 7.

CAP. XXXII.

An sit imprudentiæ aut leuitatis, assentiri doctrinæ propositæ, sine manifesta et euidenti ratione?

Non est imprudentiæ, simpliciter Deo credere.

CVm iustissimũ & ratione plenum sit, vt primæ veritati, hoc est, Deo loquenti, nulla requisita ratione vel demonstratione, absq; vlla hæsitatione firmissime credamus, omnino patet, neque imprudentiæ, neque leuitatis esse, quod absque preuiâ demonstratione fideles credant. Multò enim tutius dimit-

authoritati, quàm humanæ rationi acquiescunt. Ideoque fideles, non ratiocinatores, & discipuli (quorum est Magistro credere) non Philosophi, vocantur, qui nihil credendum arbitrantur, nisi manifestâ ratione ostendi queat. Vnde Apostolicæ doctrinæ Ethnici Philosophi maximè restiterunt, eámque veluti stultitiam spreuerunt, quòd simplicibus verbis credendam veritatem proponeret. *Nos*, ait Apostolus, *prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: quoniam & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt.* Contra quos differens libr. 1. de Græcanicis affect. Theodoretus; *Cur nostrum*, ait, *credulitatis et fidei titulum accusatis? quódque nostris sententijs tradendis nullam demonstrationem prætendamus, solam verò illis fidem atque credulitatem insinuare conemur, quos rebus diuinis imbuendos suscepimus? Annon ratione plenum est, quòd Deo absque demonstratione credamus?* Si Pythagoras iussè discipulis quinquennij silentio indicto, sibi asserenti, nulla reddita ratione, credi ab eis voluit, an Deo minùs debebitur? Si Plato Philosophorum princeps vanissimis Poëtis, qui nec signis, nec demonstrationibus necessarijs vterentur, fide adhiberi constituit, annon sanctius & iustius est diuinis Apostolis credere, qui nihil turpe, nihil fabulosum, nihil incredibile asserunt, sed quæ Deo conuenientia, quæ in se sanctissima, nobisque salutaria sunt, tradunt? Obiecit & olim Christianis Iulian. Apostata fidei Christianæ rationis carentiam & iusticitatem: cui respondit Gregorius Nazianzenus, verbum, CREDERE, Christianis esse, quod Pythagoreis, IPSE DIXIT: & orationis doctrinæque sufficientem esse demonstrationem, quòd Apostoli, Apostolicique viri, sanctitate, doctrina, & miraculis illustres, dignissimi sint, quibus credatur. Hinc Augustin. Manichæos ex professo refellit, quòd reprehenderent Catholicæ fidei doctores in eo, quòd fidem ante rationem exigerent, seseque autem dicerent nullum premere ad fidem, nisi priùs discussâ veritate, redditáque omnium, quæ asserebant, clara ratione. Contra quos ostendit, rectissimè institutum esse, vt ab eis qui Christianam religionem suscepturi sunt, ante omnia fides exigatur, quoniam tutissimum sit credere sapientibus. *Et turbam non intelligendi vinacitas, sed credendi simplicitas tutam facit.* In quem sensum D. Gregor. illa B. Iob verba explicat: *Boues arabant, et asinæ pascebantur iuxta eos.*

Fuêre insuper alij, qui fidem ingenij humani limitibus coarctarunt, vt Arthemonitæ, quos notat Eusebius, & Petrus Abaillardus, quem confutat D. Bernard. epistol. 190. quos omnes scriptura refellit docendo: *fidem esse rerum non apparentium*, quásque Deus quibus vult reuelát, quòd pertineant ad occulta sapientiæ suæ, quæ humana ingenio perueſtigari nequeunt. Ideoque Apostolus intellectum in obsequium fidei captiuandum scribit: quia res, quæ credenda proponitur, nequaquam euidenter vera esse perspicitur. Euidenter enim verum est, quod intellectus terminis confestim verum esse agnoscitur. Licet autem quod credendum proponitur, non perspicuè verum esse videatur, apparet tamen credibile, idque aut per argumenta vel miracula, vel per fidei habitum, qui hominis intellectum ad recte de fidei rebus iudicandum disponit. Nam quod lux est corporeo oculo, hoc fides intellectui

Christiani discipuli, non Philosophi vocantur.

1. Cor. 1.

Ratione plenum est, vt credatur Deo.

Si credendum Philosophis & Poëtis, cur non Deo?

Greg. Nazianz. orat. 2 in Iulian. credere Christianis, idem quod, ipse dixit, Pythagoreis.

Sufficiens demonstratio est, quod Apostolici vix dixerint. Lib. 1. de vtil. cred. c. 1

Manichæi rationem exigebant ante fidem.

Lib. cont. epist. fundam. c. 4. nõ intelligẽdi vinacitas, sed credẽdi simplicitas tuta. lib. 2. moral. cap. 25.

Euseb. lib. 5. Hist. cap. vlt.

Hebr. 11. Matth. 11. Psalm. 50.

2. Cor. 10.

Quid sit euidenter verum?

Credibilia sunt quæ credenda proponuntur.

Ioan. 11. 2. Cor. 3.

intellectui mentis, iuxta illud Christi: *adhuc modicum lumen in vobis est*, ac illud Apostoli: *Transformamur à claritate*, scilicet fidei, *ad claritatem*, putà speciei.

CAP. XXXIII.

Quot et quibus medijs Articuli Christianæ Fidei credibiles reddantur?

QVia testimonia Dei credibilia facta sunt nimis, multa per Catholicos Doctores argumenta congeruntur quibus Christiana Fides, & Euangelica doctrina euidenter credibilis esse ostendatur: quæ ad octo possissimùm capita reduci possunt: quæ ipsa deinceps ordine subiungemus.

Articuli Fidei octo argumentis credibiles esse ostenduntur.

Primum argumentum desumitur ab antiquitate Fidei Christianæ, quæ omnibus Paganorum erroribus multò vetustior est, vt ostendit Tertullianus in Apologia cap. 19. & 20. Augustinus libr. 18. de ciuit. cap. 37. 38. Omnes insuper hæreses præcessit. Nam bonum semen ante zizania seminatum fuit, authore Christo. Et sanè notum est, Cur, Vbi, Quando, & Quomodo singulæ hæreses inceperint? Quo argumento vtitur Tertullianus lib. de præscript. aduersus hæreses: *Qui estis? vbi tam diu latuistis?* Et Hilarius libr. 6. de Trinitat. *tardè venerunt pij isti doctores.* Hieronym. in epistol. ad Pammachium & Oceanum: *Eam senex tenebo fidem, quam puer didici.* Et cõtra Luciferian. circa finem: *breuem tibi apertámque animi mei sententiam proferam, in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata vsque ad diem hanc durat.* Similia habet Optatus libr. 2. contra Parm. Augustinus lib. cont. epistol. fundam. cap. 4.

I Argumẽtum ab antiquitate. Matth. 13.

Hæreseon origo est nota.

Secundum argumentum desumitur ex Prophetarum oraculis, qui Deo inspirante omnia fidei Christianæ mysteria prædixerunt, multisque figurarum vmbris ea expresserunt: quoniam illa doctrina verè diuina credenda est, quæ non nisi à Deo suam originem habere potuit. At solus Deus futura contingentia prædicere potest: iuxta illud Isaiæ: *dicite quæ ventura sunt, et sciemus quoniam Dij estis vos.* Cùm ergo sola religio Christiana oraculis Prophetarum ab initio mundi prænuntiata fuerit, omniáque, vt prædicta fuerunt, ita euenerint, sequitur, eam esse veram religionem. Quo argumẽto vtitur Apostolus, dum ait, *se segregatum in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas.* Eusebius lib. demonstrationis Euang. Aug. lib. 4. de ciuit. c. 24. lib. 22. c. 6. & 7. Prosper. lib. de prædict. & promiss. Prophetarum.

II. Arg. ex Prophetis desumitur.

Rom. 1.

Tertiùm argumentum ex amplitudine locorum & varietate gentium, quæ Fidem Euangelicam receperunt, trahitur. Prædixerũt enim Prophetæ, totum Orbem terrarum in Christum crediturum, benedictionémque ab eo consecuturum. Genes. 15. *In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ.* Psalm. 2. *Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Psalm 71. *Dominabitur à mari vsque ad mare, et à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* Similia apud Isaiam, Danielem, & alios Prophetas legimus. At nulla Philosophorum aut Hæreticorum secta totum orbem impleuit, vti Christi doctrina. Nam impietas Mahometica ad multas Occidentales partes nunquam penetrauit: & singulæ hæreses certis temporibus, certisque limitibus coarctatæ fuerunt. Quo

III. Arg. ex amplitudine locorum.

Isa. 2. Daniel 3.

argumento vtitur Auguſt. de vtil. creden. capit. 14. & 17. & lib. cont. epiſtol. fundam. capite 4. Apoſtolus Rom. 1. *Fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo.* ad Coloſſ. 1. *In vniuerſo mundo eſt, et fructificat, & creſcit.*

IV. Argu. ex ſtabilitate.

Quartum argumentum elicitur ex ſtabilitate, continuáque ſucceſſione Fidei Catholicæ, quæ nunquam interrumpi aut interire potest, cùm dixerit Chriſtus: *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi.* Matth. 28. *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Matth. 16. *Regni eius non erit finis.* Daniel. 9. *Si opus hoc aut conſilium ex hominibus, diſſoluetur: at ſi ex Deo eſt, non poteſt diſſolui.* Luc. 1. Vnde omnium Philoſophorum Hæreticorúmque ſectas paulatim defeciſſe conſpicimus, Fidem autem Euangelicam repugnantibus primò Iudæis, deinde Pagans, poſtremò Hæreticis, inuictam permanſiſſe, quinimò & inter perſecutiones creuiſſe, atque, ſicut aurum in fornace, illuſtriorem eſſe redditam. Act. 5. Quod Arca Noë iam olim adumbrauerat, cùm aquis non opprimeretur, ſed ſubleuaretur vſque in cælum. Quare Veteres Eccleſiaſtici Scriptores perſecutionem Eccleſiæ vitis putationi ſapienter comparant, ac ſanguinem Martyrum ſemen Chriſtianorum vocant. Hæc autem fidei conſtantia reſplendet potiſſimùm in robore fidelium omnis ſexus & ætatis, qui pro dogmatibus Eccleſiæ retinendis bonorum ac vitæ iacturam animis promptiſſimis ſuſtinuerunt, atque in ſerie Romanorum Pontificum, quę hactenus inter tot oppugnationes nunquam interrupta fuit, aduersùs quã nec Hęretica peruerſitas, nec Paganorum perfidia, quantumuis Principum ſeculi viribus adiuta, vnquam præualere potuit: cui quamdiu Principes, Regna, Prouinciæ, populíque adhæſerunt, tam diu floruerunt: at vbi ab Apoſtolica fide ac Sede receſſerunt, tanquam rami ab arboris trunco præciſi confeſtim exaruere. Cuius rei manifeſtum exhibent documentum Ægyptus, Oriens, & Græcia, Septentrionaliáque Regna. Hoc ſtabilitatis teſtimonio Veteres paſſim vtuntur. Iren. libr. 3. cont. hæreſes capite 3. Tertullian. lib. de præſcript. Optatus lib. 2. cont. Parm. Epiphan. Hæreſi 27. Cyprian. lib. 4. epiſt. 2. & libr. de vnit. Eccleſiæ. Auguſtin. lib. cont. epiſt. fundam. capite 4. lib. de vtil. credendi, cap. 17. Theodoretus lib. 9. de Legibus.

Perſecutionibus Eccleſia illuſtratur.

Iuſtin. in dialogo cũ Triphone. Leo ſerm. 1. de Petro & Paulo Tertullian.

Regna ſede Apoſtolica deficiẽtia exareſcunt.

Porrò quantum ſtabilitatis in Chriſti Fide reperitur, tantum inſtabilitatis in Hæreticorum doctrinâ conſpicitur. Sectæ enim mox in varias alias diſſecantur, ruunt de errore in errorem, nouas indies fidei confeſſiones cudunt & recudunt, imò ſibi ipſi vnus Hæreſiarcha plerumque aduerſatur, dum nunc hoc, nunc illud ſentit, & quod antè placuerat, poſtea improbat: ſicut notauit Apoſtolus 2. Timoth. 3. de hæreticis pronuntians: *homines corrupti mente, reprobi circa fidem: ſed vltra non proficient: inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus.* Auguſt. in verba Pſalm. 57. *tanquam aqua deficient.*

Doctrina hæreticorũ inſtabilis.

Theodorus lib. 8. & 9. curatione græc. aff. ct.

V. Arg. ex Miracul.

Quintum argumentum ſumitur ex Miraculis, in Euangelicæ Fidei confirmationem, ab initio vſquè hodie factis. Nam Deus, cuius ſolius potentiâ tam multa, támque præclara ſupra naturæ ordinem ſigna, in confirmationem doctrinæ Chriſtianæ contigerunt, falſitati teſtimonium perhibere nequit. Impoſſibile enim eſt mentiri veraciſſimum Deum, aut falli, vel fallere. Inter miracula verò Auguſtinus enumerat, quod orbis vniuerſus

per XII. Apostolos infirmos, ignobiles, rudes, & iuxta seculum pauperes, Christo fuerit subiugatus, cùm videamus, nullis armis, neque cooperante seculi potentiâ & facundiâ, vnam aliquam Paganorum, Philosophorum aut hæreticorum sectam toti mũdo persuaderi potuisse. Quo argumento vtitur Augustlib. 28. cont. Faust. cap. 4. Augustlib. coat. epist. fundam. c. 4. & 5. libr. de vtilit. credend. cap. 17. lib. 10. de ciuit. c. 8. 12. 16. & 32. Item lib. 22. de ciuit. c. 8. & 10. varijsque aliis locis de Paganis & Hæreticis constat, eos nulla vnquam vera miracula in suæ perfidiæ confirmationem edidisse. Refert quidem Valerius Max. lib. 8. quòd statuæ & bruta vocem quasi humanam emiserint, quódque Virgo Vestalis aquam cribro hauserit; & Cicero de diuinatione, quòd Augurcotem nouaculâ sciderit: sed hæc omnia leuia, quædam etiam vana vel inutilia signa occultâ vi Dæmonum edita sunt, vt de Magis Pharaonis, & de Antichristo Scriptura testatur. Nam magi suis incantationibus prodigia edẽtes aliquãdiù Moysi restiterunt, & *Antichristus*, Apostolo teste, *aduentet secundum operationem Sathanæ, in omni virtute, & signis et prodigijs mendacibus, faciens ignem de cœlo in terram descendere, ac vt loquatur imago bestiæ.* Sed huiusmodi signa vim creaturæ non superant: ideo vera miracula non sunt, quoniam dæmonum virtute fiũt. Quòd enim Pseudoprophetæ, in falsitatis confirmationem, ignem de cœlo per inuocationem Baal frustra deducere tentarint, ex lib. 3. Reg. cap. 18. notissimum est. De Symone Mago, quòd per aërem volare non potuerit, sed orante Petro à Dæmonibus desertus fuerit, narrat Egesippus lib. 3. de excidio Hierosolymitano cap. 2. Manichæum frustra tẽtasse infirmo Regis Persarum filio restituere valetudinem, scribit Epiphanius hæresi 66. Cyrolam Arrianum, quemdam cæcitatem simulantem, ex vidente cæcum fecisse, refert Gregor. Turonens. Hist. Francorum libro 2. capite 3. Eunomium frustra mortuum suscitare tentasse, scribit Cassian. collat. 15. capite 3. Illud idem nec quicquam fuisse conatum Polychronium Monothelitam, Acta Synodi sextæ actione 15. testantur. Optatus lib. 2. contr. Parm. scribit, Donatistas, qui canibus Eucharistiam comedendam obiecerant, ab eisdem in rabiem conuersis discerptos. Paulus Diaconus lib. vlt Rom. rerum refert, Iconomachum quemdam sepulchro includi se passum Diaboli suggestione, & fraude, Constantinum Iconomachum collaudasse, vt hæresis mortuorum responsis confirmari videretur. Lutherus nostro seculo Dæmonium eijcere tentauit, sed mulieris obsessę manus non euasisset, nisi eius discipuli portas securibus patefecissent, Staphylo teste, qui se interfuisse narrat. Et Caluinus Brulęo cuidam, mortuum se fingenti, vitam restituere attentans, eundem ex viuo mortuum fecit, vt in Caluini vitâ Bolsecus memoriæ prodidit. Quare in huiusmodi Pseudoapostolos illud Tertulliani bellè quadrat: *Apostoli à mortuis suscitabant, isti de viuis mortuos faciunt.* Cur autem in Catholicæ Fidei confirmationem nunc passim, sicut in Ecclesiâ primitiuâ, non fiant miracula, tradit Augustinus libro 1. retract. capite decimotertio: *Ne anima semper visibilia quæreret.* addit Gregorius homil. vigesimanona in euangelia: *fides plantata, irrigatione indigebat, vt cresceret.* Quam causam repetit libro trigesimoquarto moral. capite 2. & Apostolus priori Corinthiorum primo: *Iudæi signa petunt:* & capite decimoquarto: *Signa*

Miracula vera ab hæreticis non fiunt. Exodi 7.

2. Timoth. 3.

2. Thessal. 2.

Apoc. 13.

Hieron. Bolsec. in Caluini vita cap. 13.

Miracula cur passim nunc non fiant.

sunt non fidelibus, sed infidelibus.

VI Argu ex concordia doctrinæ.

Sextum argumentum deducitur ex admirabili Concordiâ, communique fidelium omnium & stabilissimo consensu in vniuersis dogmatibus fidei, qui apparet in eiusdem omnino doctrinæ susceptione, in generalibus Concilijs, & in communibus Sacramentis, ac vna Religione, omnium fidelium populorum more confirmata. *Deus* enim

1.Cor.14. Matth.12. *author est pacis, non diuisionis, neque dissensionis.* Et: *omne regnum in seipsum diuisum desolabitur.* Quare Apostolus certam reprobæ doctrinę notam assignat, pugnam & dissentionem.

Hebræ. 13. *Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci.* & Iacobus suæ Epistolæ cap.3. *Nolite plures magistri fieri.*

Dissensio est signum falsę doctrinæ. id est, nolite propria, diuersaque docere. Sicuti enim inter Vetus & Nouum Testamentum, ita & inter sacros omnes Scriptores (licet diuersis temporibus, locis, & occasionibus scripserint) mira est consensio. Similiter quoque Concilia generalia, Pontificúmque Decreta in rebus fidei per omnia inter se consentiunt. Et quanquam in minoribus & adiaphoris rebus ecclesiastici scriptores aliquando dissentiant, in grauioribus tamen planè idem sapiunt. Nam omnia sua iudicio summi Pastoris (cuius est, Ecclesiam Spiritu Sancto assistente in omnem veritatem dirigere) submittunt. Quare meritò laudatur Theodosius, quòd ex priscorum Ecclesiæ Doctorum consensu, exorientes hæreses profligandas esse iudicauerit. Quòd autem inter hæreticos nulla, ne quidem in præcipuis Christianæ fidei capitibus, concordia sit, ex Lutheranorum & Sacramentariorum libris, quibus se inuicem mirè miséréque lacerant, notum euadit. Imò nec ijdem Hæretici de vno eodémque dogmate vnum & idem sentiunt, vt Molles & Rigidi Lutherani dicti euincunt. Quin nec vnus idémque hęresiarcha secum ipse conuenit, quod ex innumeris Lutheri & Caluini contradictionibus luce meridiana clarius est: quorum Confessiones & Scripta diuersis temporibus edita sibimet palàm contradicunt. Id quod alijs omnibus Hęreticis omni ætate solemne fuisse, facilè ostendi potest. Nam ex Simonis Magi secta mox varias alias hæreses prognatas esse, scilicet Menandrianorum, Basilidianorum, Saturnianorum, & alias, refert Irenęus lib.1. cap. 21. contra hęreses. Et de Valentinianis, cùm essent plurimi, vix duos aut tres inter se de omnibus dogmatibus conuenisse, scribit idem Auctor libro 1.cap.5. Donatistarum hęresim in minutissima frustula suo tempore diuisam fuisse, testatur Augustinus libr.1.de baptism.ca.6. De Marcionitis idem scribit Epiphan. lib.1.contra Hæreses, & de Montanistis libr. 2. de Messalianis, hæresi 80. Idem de Manichęis Augustinus hęresi 46. De Arrianis idem testatur Ruffinus libro 10. Historiar. capit. 25. quos singulis penè annis fidei suæ confessionem commutasse, in vtroque ad Constantium libro scribit D. Hilarius. Ab Eutychianis totius Orientis sectas exortas esse, tradit Euagrius in Histor. libro tertio & quarto. & Damascenus de centum hæresibus. De Lutheranis idem ostendit Staphylus, libro de Concordia discipulorum Lutheri, & Guilielmus Lindanus in tabulis Analyticis. Qua dissentione hæreses Deo prouidente consumuntur, iuxta Isaiæ vaticinium: *concurrere faciam Aegyptios aduersus Aegyptios*, & vt bellum hæreticorum pax sit Ecclesiæ. Quòd autem nec in se-

Hæreses diuiduntur in alias sectas.

Ex vnius capitis dicto pendet fidelium consensio.

Sozom lib 7.hist. cap. 12.

Hæreses dissensione consumuntur.

Hilar. lib 7.de Trini

ctis Paganorum vera consensio fuerit, ex eo patet, quòd ad eamdem Religionem apud eos pertinuerint dij inter se belligerantes, vt Aug. notat serm. 11. de verbis Domini. Philosophi verò mutuis dissensionibus suam ipsorum doctrinam potenter euerterunt, Basilius orat. 1. De opere sex dierũ notauit. & Theodoretus lib. de fide. Aug. lib. 8. de ciuit. cap. 41. & 52. vbi ait, diabolum per Hæreticos efficere conatum, vt in Ecclesia Christi liberæ dissensiones essent, sicut in Academijs Philosophorum: vt quemadmodum illæ per multas contentiones ab inuicem consumuntur, ita tandem in Ecclesia Christi per dissensiones idem eueniret.

Liberæ inter Philosophos dissentiones.

VII. Arg. à sanctitate doctrinæ.

Septimum argumentum deducitur à puritate & sanctitate doctrinæ Catholicæ, quæ nullum errorem neque in fide, neque in moribus continet. Est enim *lex Domini immaculata*. Et quamuis res humanum captum superantes tradat, non tamen rationi humanæ contrarias docet.

Psal. 118.

Perfectio Christianæ doctrinæ triplex.

Triplicem verò in Christi doctrina perfectionem reperimus. PRIMA est in rerum diuinarum cognitione. SECVNDA in hominum moribus dirigendis. TERTIA in eo, quòd non solùm viam consequendæ veræ fructuosæque virtutis immortalitatisque aperiat, sed & operandi, ac bene rectéque viuendi opem virtutémque subministret. Nam *Euangelium virtus Dei est in salutem omni credenti*. Quanquam verò Christi gratia occultè præstetur: attamen palàm elucet in perfectione vitæ illorum, qui hanc doctrinam profitentur: quorum alij Virgines, alij Martyres, alij Confessores, & inter hos nonnulli Eremitæ, alij Cœnobitæ, rebus suis mũdi abiectis, Angelicam in terris vitam ducunt. In legibus autem & doctrina Paganorum, Poëtarum, Philosophorum atque Hæreticorum quamplurima falsa traduntur, cum ratione pugnantia, Legi Naturæ aduersantia, foedissimis sceleribus & flagitijs plenissima, vt libr. 6. & 7. de ciuit. ostendit Augustin. & Theodoretus lib. 9. de legibus: vbi Lycurgi, Platonis, aliorúmque Legislatorum placita cum legibus Christianorum conferens, demonstrat, illorum legibus scelera flagitiáque suaderi, ac laudari, Christi autem legibus non nisi mores sanctissimos præscribi, hominésque ad spem Regni cælestis beatæque ac immortalis vitæ incitari, erigi, vocari. Poëtas verò tanquam impietatis, omnisque licentiæ magistros Plato ipse à sua Republica eiecit, vt refert Theodor. lib. 2. Aug. lib. 6. de ciuit. cap. 5. Mythicæ seu fabulosæ Theologiæ turpitudinem describit. Et lib. 7. cap. 34. Numæ Pompilij libros propter Sacrorum spurcitiam, Romani Senatus iussu concrematos fuisse, ex Varrone refert. Quibus non absimiles hæretici, obedientiâ legum, pudore, ac omni morum honestate profligata, in omne vitiorum atque obscœnitatum carnis genus præcipites ruunt, vt de veteribus hæresiarchis Epiphanius memoriæ prodidit, & de nostri seculi Hæreticis idem testantur, quotquot de vita, gestis, & moribus eorum scripserunt.

Rom. 1.

Doctrina Philosophorum & hæreticorũ multa falsa, & impura continet.

Poëtas vt impuros Plato reiecit.

Epiph. de hæreses.

Postremum argumentum sumitur ex efficacia doctrinæ Euangelicæ, quæ breui tempore totum orbem penetrauit, Iudæorum ritus, Gentilium superstitiones, Idolorúmque cultum abolenit, iuxta Isaiæ vaticinium: *Eleuabitur Dominus solus in die illa*. & Habacuc. ca. 2. *Ante faciem eius ibit mors*, id est, à facie Crucifixi diabolus fugiet, in-

VII. Arg. ab efficacia doctrinæ.

Isaiæ. 2.

terprete B. Leone ſermo. 8. de paſſ. Dom. Aug. lib. 22. de ciuit. cap. 5. Accedit Ioannis teſtimonium cap. 12. *Nunc princeps huius mundi eycietur foras*: quod vel tunc apparuit, quando Chriſti leges, Romanos, Perſas omnéſque barbaras nationes ſibi obedientes reddiderunt, legéſque Solonis, Platonis, aliorúmque Legiſlatorum, omnémque gentilium Theologiam naturalem, fabuloſam, & ciuilem aboleuerunt.

CAP. XXXIV.

Vtrum rationes, quæ doctrinam Chriſtianam eſſe credibilem euincunt, fidei meritum tollant aut diminuant?

Rationes fidem illuſtrátes fidei meritum non diminuunt.

LIceat fides abſque omni ambiguitate, demonſtrandíque ſtudio retinenda ſit, ac proinde vitioſa ſit curioſa reuelatæ veritatis indagatio: attamen intelligendi ſtudium laudabile eſt, quia plurimùm ſtudioſus à curioſo differt. Hic enim rationes cæleſtis doctrinæ vt credat exigit; quod impudentiæ, arrogantiæ, vel temeritatis eſt: ille verò rationes excogitat, vt quod promptâ voluntate credit, authoritati diuinæ ſimpliciter acquieſcendo, remotis fidei impedimentis, & diſcuſſis ignorantiæ nebulis, firmiùs promptiúſque credat. Proinde non ex infideli curioſitate ſtudioſus fidei myſteria perſcrutatur; ſed vt quod priùs firmiter credebat, poſtea etiam intelligat, & contra fidei hoſtes tueri valeat. Fides enim præcedit intellectum, vt intellectus fidei ſit præmium. Vnde Auguſt. de nat. & gratia c. 20. *Diſputare prodeſt, ſi præcedat firmiſſima fides.* quia ſcilicet rationes fidem conſequentes illam non minuunt, ſed augent, coadiuuant atq; roborant: vt ſignificat Petrus, dum ait: *paratiſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, fide & ſpe.* Neque his aduerſatur Gregor. hom. 26. in Euangel. dicens: *fidem non habere meritum, vbi humana ratio præbet experimentum.* Vbi loquitur de humana ratione fidem præcedente, qua nimirum fiat, vt credamus, non autem ſolùm vt firmiùs & promptiùs, quod ratione fidem conſequente perficitur.

Aug. lib. de vtil. creden. cap. 9.

Aug. lib. 4. cont. Fauſt. cap. 2. & ſer. 3. de verb. Domini.

1. Epiſt. c. 3.

Ratio, qua fit vt firmè credamus, fidei meritum auget.

CAP. XXXV.

De confeſſione Fidei.

VOx, *Credo*, duplicem actum fidei complectitur; *interiorem*, qui eſt intimus animi conſenſus, & *exteriorem*, qui in externâ fidei profeſſione conſiſtit. Vnde Parochi admoneant eum, qui dicit, *Credo*, non ſolùm internum ſuæ mentis aſſenſum declarare, ſed etiam id quod animo incluſum tenet, aperta profeſſione fateri debere, quia *corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Eſt autem fidei confeſſio ſuo tempore ac loco neceſſaria: tunc ſcilicet, quando ex illius omiſſione honor Dei vel ſalus proximi detrimentum pateretur. Vt ſi quis de fide interrogatus taceat, ſuóque ſilentio fidem abnegare putetur, aut ſaltem reputare tam vilem, vt pro eâ Chriſtianus mori non debeat, nec audeat, aut deniquè, ſi ex taciturnitate infirmi à fide abducantur, vel graue ſcandalum patiantur. Huiuſmodi enim occurrente caſu, qui de fide interrogatus tacet, etiam propoſito mortis periculo, Chriſtum erubeſcere cenſetur, quem proinde etiam Chriſtus nō agnoſcet, iux-

Credere duplicem actum cōplectitur.

Rom. 10.

Confeſſio fidei quo caſu neceſſaria.

Luc. 9.

ta illud, *Qui me erubuerit & sermones meos hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.* Non enim sufficit non negare, sed insuper Christum eiúsque doctrinam confiteri oportet, exemplo Act. 4. Apostolorum, qui Iudæorum Principibus respondérunt: *non possumus, quæ vidimus & audiuimus, non loqui.* & Paulí dicentis: *non enim erubesco Euangelium.* Sic Propheta Rom. 1. Regius aiebat: *credidi, propter quod loquutus sum.* Quòd autem Psal. 115. etiam proposito vitæ periculo necessarium sit confiteri Christum & Matth. 10. sermones eius, ex Matthæo, Marco, & Luca constat, vbi Christus Marc. 8. iubet respondere Regibus & Principibus, addens: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Qui me confusus fuerit. Quime erubuerit*, &c. Vnde patet impiam Euangelioque contrariam esse illorum doctrinam, qui tradunt, nullum esse crimen, si quis fidem corde retentam ore abneget: quod olim Priscillianistæ docuerunt, quorum celebre dictum erat:

Fidē corde retentam non licet orè negare.

Iura, periura, secretum prodere noli;

teste Aug. lib. de hæresibus cap. 70. & Leone epist. 93. quibus consensere Basilides cum suis (Eusebio teste libr. 4. hist. c. 8.) & Helchesaitæ, de quibus Eusebius libr. 6. hist. cap. 28. Epiphanius hæresi 19. Idipsum placuit Mahometo in suo Alcorano, cap. 26. & hæreticis, quos confutat D. Bernardus serm. 65. & 66. in Cantica: quorum placita receperunt clancularij Anabaptistæ, nec non & Caluinistæ, de quibus Hieronym. Bolsecus in vita Caluini cap. 20. refert, hoc in Geneuensi Ecclesia cōstitutum esse dogma, vt quando de Dei Gloria promouenda occasio incidit, non

Caluinistæ docent licitum esse mendaciū.

solùm liceat mendacium veritatis specie fucare, sed etiam contra mētem loqui expediat, imò necessarium quandóque sit. Sentiunt itaque hi cum priscis hæreticis, fidei ac religionis dissimulationem licitam esse, potiúsque mentiendum esse, quàm moriendum: in eo similes Iudæis, quos Ioan. notat: *Quòd Iesum non sint confessi, eò quod magis gloriam hominum diligerent, quàm Dei.* Quali- Ca. 12. Ioā. is etiam Herodes fuit, qui in Iudea verum Deum, extra verò Iudæam Deos falsos colebat, Iosepho teste lib. 15. Antiq. cap. 14. & lib. 16. cap. 9. Cui non dissimilis Æthiobolus Sophista Constātinopolitanus, moribus Imperatorum sese accommodans, sub Constantio se Christianum, sub Apostatâ Iuliano Paganum, eóque sublato sub alijs Imperatoribus iterum se Christianum exhibuit, vt describitur libr. 6. Tripart. histor. cap. 38.

CAP. XXXVI.

An, quando de fide aliquis interrogatur, inuolúta & obscura responsio sufficiat?

QVando fidei confessio exigitur, nefas est, dubia vel inuoluta reiponsione veritatem obtegere, sed apertâ fidei professione Deo gloria danda est. Qui enim videri vult negasse, aut fallaces in excusatione præstigias quærit, negauit: & qui vult videri paruisse impio edicto, iam reus est. Vnde Cyprianus Libellaticos acriter increpat, & peccasse conuincit ex eo, quòd feralibus edictis paruisse videri vellent, producens Eleazari exemplum, qui mori potiùs elegit, quàm simulare carnes suillas edisse. 2. Ma. cap. 6. Et Ambrosius libr. de Iacob & vita beata ex professo inuolutam & obscuram responsionem insufficientiæ coarguit. Et in Lucam libr.

Aperta fidei cōfessio esse debet.

Cyprian. l. 1. epist. 7. lib. de exhort. martyr.

10. expositionem verborum negationis Petri reijcit: *nescio, quid dicis.* id est, sacrilegia vestra nescio, non approbo. Chrysost. hom. 55. in Matth. clara & magna voce profitendam veritatem docet. Cuius rei præclarum Augustinus commemorat exemplum de Victorino Rhetore Romano, cui dum offerretur, vt clanculum baptizaretur, palàm Christi fidem profiteri maluit, ne ipsum Dominus erubesceret in cælis, si coram hominibus ipsius doctrinam profiteri erubuisset in terris. Eusebius lib. 8. hist. cap. 3. 7. & 9. iurè culpari silentium ostendit. ac lib. 4. ca. 17. quendam à iudice insidiante rogatum, an Christianus esset? liberè professum esse scribit.

Aug. lib. 8. Confes. c. 2.

CAP. XXXVII.

Vtrum persecutionis tempore fuga sit licita?

Fuga tẽpore persecutionis quibus licita.

TErtullianus in libr. de Fuga, nullo casu fideli permissam esse fugam docuit: sed Ecclesiæ Catholicæ doctrina semper cõtrarium tenuit, sanctiq; tam in Veteri quàm Nouo Testamen. cùm verbis, tum exemplis nonnunquam cedendum furori persequentium comprobarunt. Nam de Vr. Chaldæorũ, propter religionis causam, Thare pater Abrahæ profugit. Iacob iræ fratris Esaii voluntario se exilio subduxit: nec non Moyses à facie Pharaonis, Iudicum 6. Gedeon à facie Madian, Dauid regis Saülis persequutioni fugiendo se subtraxit, Helias furori Iesabelis cessit, Abdias Prophetas occultauit: Mathatias cum plerisque Mosaicæ legis amatoribus in desertum se contulit, vt Antiochi sæuitiam declinaret. Christus autem verbo & exemplo fugam esse licitam declarauit. Fugit primùm in Ægyptum, sæpius secessit in desertum, nonnũquam se occultauit, ac luculentis verbis dixit Apostolis: *Si vos persequuti fuerint in vna ciuitate, fugite in alteram.* Cuius doctrinæ memor Apostolus Paulus, per sportam dimissus fugit, suumque factum probando commemorat 2. Cor. 11. Ex quibus fugam suam licitam fuisse probat Athanasius in Apologia pro sua fuga: quia nemo se in periculum abnegandæ fidei conijcere debet, nec Deum tentare licet. quod fit, quando spretis ordinarijs à Deo institutis medijs, præsidia miraculorum extra communem Naturæ legem expectantur, id quod præsumptionis vitio non caret. Hinc lapsum refert Eusebius eum, qui se periculo temerè obiecerat, quia suæ fragilitatis oblitus, quod se velle sentiebat, perficere quoque posse opinabatur, sicuti Petrus, de suis viribus præsumens, Christum abnegasse legitur: qui postea quantumuis constans fugere non erubuit, donec ei Christus horam adesse mortis significaret.

1 Reg. 21. 3. Reg. 17. & 19. 4. Reg. 18.

Matth. 10.

Act. 9.

Aug lib. 12. cont. Faust. cap. 36.

Euseb. li. 4 hist c. 15.

Cyrill. l. 9. in Ioan. c. 26.

Nazianzenus aliam fugæ causam adfert, dicendo, cedendum esse furori persequentium, ne occasionem mali præbere videatur, obijciens se nocere paratis. Hinc pastoribus licitam tunc esse fugam docet Augustinus quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus quæritur, vt ab alijs, qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia, nec debitum ac pietati necessarium ministerium desit. Eos verò, qui sic fugiunt, vt gregi Christi ea, quibus spiritualiter viuit, alimenta substrahantur, *Mercenarios* esse dicit, *qui videntes lupum venientem fugiunt, quia non est eis cura de ouibus.* Vnde Ambros. Iustinæ Augustæ, vt fugeret, imperanti respondet: *Ego hoc sponte non faciam, ne lupis cuiuis septa tradere videar.* Nõ mul-

Egesippus de excidio Hierosol. Amb. epist. 12. Nazianzẽ. oratione. 1. in Iulian. Pastori quãdo fugere liceat. Aug epist.

Tripart. hist. li. 9. ca. 20. Ambrosij & Basilij constantia.

multum enim interest (ait epist. 32.) *vtrum volens relinquas, an tradas altare Christi.* Nec dissimili constantia Basil. Imperatori Valenti exilium eius decernenti, respondit, *omnes mortis species potiùs esse tolerandas, quam patiendum sit, vnam de diuinis dogmatibus syllabam corrumpi.*

Ambros & Basil. constantia.

L. 7. tripart. hist. c. 36.

CAP. XXXVIII.

Vtrum Clericis & Religiosis vestium commutatione insidias hostium fidei declinare liceat?

QVamuis rectè Concilium Triden. statuerit, vt nulli Regulari occultè ferendi habitum suæ religionis licentia detur, Diuúsque Thomas tradat, non esse deponendum obligationis signum; nihilominùs subexsistente probabili vitæ periculo, licitum esse Religioso, tuendæ salutis suæ caussa, vestes ad tempus commutare, cum Antonino sentimus; quòd Ius positiuum, necessitate premente, naturali cedere debeat. Commendatur enim Eusebius Samosatenus Episcopus, quòd periculi declinandi caussa, militari habitu susceptо, Apostolicis laboribus desudauerit, Presbyterósque & Diaconos ordinauerit. Et in Clementinis statuitur, ne Clerico vestes propriè congruentes Ordini abijcere, aliásque assumere liceat, præterquam ex caussa probabili. Quemadmodum enim decenter constitutum est, ne vir muliebri veste vtatur, aut contrà, in quo peccasse quosdam hæreticos refert Bernardus (serm. 15. in Cantica) qui inter textrices considebant, vt suas hæreses securiùs profiterentur atq; propagarent, attamen, teste Hieronymo, mulier veste mutata in habitu virili mortis deuitandæ caussa in villula degere potuit. Quanquã verò propriam subinde fidem occultare liceat, nunquam tamen signo infidelitatis aut reprobæ sectæ vti fas est. Imò ne quidem Eleazarus specimen perfidiæ aut simulationis, mortis vitandæ caussa exhibendum putauit, ideóque mori satius quàm simulare duxit.

Vestiũ mutatio quando religioso licitat. Cõc. Trid. sess. 25. cap. 14. reform.

S. 2. q. 185. art. 8.

Anto. part. 3. tit. 10.

Lib. tripart. hist. 7. c. 16.

Li. 3. de vita honest. cleric. cap. 2.

Mulier viri habitu non vtatur. Deut. 22. 2. Cor. 11. Amb. epist. 15. Hieron. in epist. ad Innocen. de

muliere sectis icta.

Signo infidelitatis nõ licet vti. 2. Mach. 6.

Signa porrò, ex quibus Veteres fidem negari colligebant, varia fuêre. L. 6. tripart. hist. cap. 38.

Signa negationis fidei.

Primi generis erant, idola colere, aut thura adolere, teste Cypriano lib. 4. epist. 2. quibus hodie assimilantur, qui hæreses amplectuntur, aut laudant.

Libellatici.

Secundi erant, nomen libello dare: vnde tales *Libellatici* nuncupantur, quorum crimen in eo consistebat, quòd iudici vel scribæ pecuniam conferrent, vt eorum, qui iussis impijs paruerant, numero ascriberentur, ne vlteriùs ad immolandum idolis vrgerentur, persecutionísque furorem euaderent, cùm legi paruisse viderentur. De qualibus loquitur Cyprianus. Sic nunc peccant, qui metu damni, aut spe temporalis commodi, se hæreticis accommodant, fœderáque cum eis ineunt.

Cyprian. li. 1. epist. 3. li. 2. epist. 7. li. 3. epist. 5. li. 4. epist. 2. sermon. de lapsis de exhort. martyrij c. 11. Cõcil. Nicen. can. 11. Aug. epist. 164. Lactan lib. 4. cap. vlt.

Tertij erant, comedere idolothyta, id est, idolis oblata. 1. Cor. 8. & 10. Cyprian. serm. de lapsis. His similes videntur, qui Hæreticorum sacrilegas cœnas aut conciones adeunt, vel quoquo modo eorum concioni sociantur: item, qui diebus ieiuniorum carnibus vetitis ex inobedientia vescuntur.

Quarti erant, coronam in natalitijs Principum gestare, aut more sacrificantium hederâ caput cingere. Tertul. libr. de corona militis, & Cyprian. serm. de lapsis. Hoc modo peccant, qui factionum Hære-

ticarum tesseris vtuntur, putà scutellulis, aut floribus certi coloris, vel reflexione galeri certo modo facta, vti per Geusios factum vidimus.

Quinti erant, iurare per fortunam Cæsaris. Euseb. lib. 4. libr. 4. Hist. cap. 15. Sic hodie peccant, qui symbolo factionis hæreticæ ad se internoscendum vtuntur, nominando se Calumistas, Lutheranos, Mennonistas, Seruetianos, Aërianos, aliisque huiusmodi nomenclaturis, quibus tanquam charactere dignoscantur.

Apoc. 13.

Sexti erant, ab Imperatore Ethnico militiæ cingulum aut chlamydem accipere. Concil. Incen. can. 11. Hinc Iouinianus recusauit à Iuliano, tripart. Hist. lib. 7. cap. 1. Similiter à Valente Arriano Terentius tripart. Histor. lib. 8. cap. 13.

Postremum signum erat, non Christianorum, sed Ethnicorũ more viuere: quales Paulus ait, *fidem negare factis*. Hæc de fide & actu fidei occasione verbi CREDO dicta sunt.

Ad Titũ. 1.

CAP. XXXIX.

De Fidei officio.

In Deum credere, Deo, & Deum.

CONsequentibus verbis, IN DEVM, primum fidei officium indicatur, quod est, *in Deum verum credere*: id est, pia affectione in Deum tanquam finem moueri. *Credere Deo est*, est assentiri iis, quæ Deus loquitur propter eius infallibilem veracitatem. *Credere* autem *Deum*, est assentiri, quòd Deus sit vnus & trinus: Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Vnus quidem Deus naturâ, sed tres personæ. Quomodo autem distinguantur, *Credere Deo*, *credere Deum*, & *credere in Deum*, latè exposuimus cap. 6. de triplici actu fidei differentes.

Supra ca. 6.

CAP. XL.

De voce, DEVS.

Deus: vnde deducatur illa vox.

NOminis huius tres profert etymologias Damascenus. Prima est nominis Theos, à *thein*, illa vox. id est, currere & disponere vniuersa: vel ab, *ethin*, id est, vrere. Deus enim ignis est, omnem malitiam consumens: vel à θεάσθαι, id est, intuendo omnia. Quæ quidem tres nominis Dei interpretationes à Damasceno ex Lingua Græca sumuntur. Vocantur enim Græci Deum θεὸν, Hebræi autem, elohim, quod sonat, *fortem & robustum*: & Iehoua, quod sonat, *qui est*. Obuat Theodoretus libr. 3. de curat. Græc. affect. quòd nomen Theos ab iis impositum fuerit, qui solem, lunam & sidera in perpetuo motu existentia Deos esse opinabantur. Dionys. Areopagita libr. de diuinis nominibus cap. 12. *Deitas*, inquit, *Græce* Theiotes *dicitur, quia prospiciat cuncta, prouidentiâ bonitatéque mirabili, & circùm omnia currat, cunctáque contineat, & omnia repleat, atque vniuersa transcendat, quæ illius prouidentiâ vtuntur.* Latinis autem *Deus*, aut à voce Græca, θεὸς vel ἀπὸ τοῦ δίειν hoc est, *à timore* deduci videtur, quia Deo timor & reuerentia debeatur: nisi fortè placeat, Deum à dando Latinè dici: quia ab eo rebus omnia proueniant. Ceterùm vndecumque nomen Deus suam etymologiam trahat, non tam substantiam, quàm operationem significat, si vocis originem ab operationibus desumptam spectes: attamen ad substantiam denotandam impositum

Damasc. li. 1. de fide c. 12.

Deut. 4.

Quidam Deũ à dãdo, dici volunt.

Aug. lib. 1. de doctrin. Christ. cap. 6. & 7.

est, & naturam quamdam excellentissimam & immortalem, qua nihil melius aut sublimius excogitari possit; quæ naturæ quadam necessitate ex seipsa subsistat: ac proinde à nullo alio sit effecta, moueatur aut regatur, sed efficiat, moueat, conseruet ac regat liberè alia vniuersa à se producta; iuxta illud Exodi: *Ego sum qui sum.* & illud Apostoli: *Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

Dei nomen substantiam denotat, & qualem.

Isidor. li 1. differ. differentia 1. Exod. 3.

Obseruatione autem dignum est, quòd nomen Dei ferè in omni lingua sit tetragrammatum, id est, quatuor literarum: quo significatur Dei quadruplex excellentia, scilicet in sua essentia, in suo Esse, in Virtute, in Operatione.

Nomẽ Dei in omni penè lingua quatuor est litterarum.

CAP. XLI.

Quòd vnus sit Deus.

Deus vnus est.

CRedere nos profitemur in Deum, non in plures Deos. Vnus enim tantùm est Deus, vnus rex regum, Dominus dominantium, vnus creator rerum, vnus author & finis omnium, cui soli cultus latriæ debetur iuxta doctrinam scripturarum, traditionem Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, omniúmque Christianorum doctorum. *Scimus*, ait Apostolus, *quoniam nullus est Deus nisi vnus.* Sunt quidem plures, qui appellantur dij; sed vnicus est naturâ Deus: ceteri vocantur Dei propter participationem quandam excellentiæ, perfectionisque diuinæ, vt Principes, Iudices, Sacerdotes atque Prophetæ. Psalm. 49. 81. 85. Exod. 7. & 22. Ioan. 10. Dionys. Areopag. libr. de diuinis nominibus cap. 12. Sunt & alij, qui stulto gentilium errore dij nuncupantur: sed *nobis*, ait Apostolus, *vnus est Deus.*

1. Cor. 8.

Dij vocantur participatione excellentiæ.

Damascen. lib. 1. de fide cap. 5.

Quòd autem plures esse Dei nequeant tribus, rationibus ostenditur.

Non posse Deos plures esse, rationibus ostenditur.

Prima ex summa perfectione desumitur, cui nihil deesse potest.

Secunda. quia Deus infinitus & incircumscriptus est.

Tertia. Quoniam omnis multitudo ab vnitate proficiscitur, & multitudo principum mala est. Quare cùm nequeant esse duæ res naturâ distinctæ summè perfectæ, neque duæ infinitæ, & optimum sit regimen Monarchicum, vnicum consequitur esse naturaliter Deum, summè perfectum, absolutè infinitum; & quoniam tam diuersas mundi partes concordi pace colligat. Alioqui enim iamdudum orbis dissolutus corruisset, necnon orta dissensione perijsset. Sed quia nonnulli dubitauerunt, an Deus aliquis esset, alij etiam planè negarunt; discutiemus, an probari possit, Deum esse.

Lactan. li. 1 diuin instit cap. 3. vsque ad 7.

CAP. XLII.

Quòd non solùm ex Fide, sed etiam euidenti ratione probari queat, Deum esse.

EX Scripturis Sacris & doctrina fidei Deum esse conuinci, extra controuersiam est, cùm nihil penè aliud tota scriptura clamet, adeóq; esse Deum asseueret, vt etiã ab existendo nominari, cognoscique velit: referens Deum de seipso dixisse: *Ego sum qui sum.* Sed posse insuper naturali ratione probari Deum esse, fatendum est, non quidem à priori, quia Dei esse nul-

Deum esse, probatur rationibus euidentibus.

Exod. 3.

lam habet cauſſam, & Dei natura nec verbis explicari, nec animo vel intellectu comprehendi poteſt; ſed ex effectibus Deum eſſe tam luculenter demonſtrari poteſt, vt meritò ſint inexcuſabiles, qui debitum ei cultum non exhibent. Nam ineſſe quendam humanæ menti, & quidem naturali inſtinctu, diuinitatis ſenſum, experientiâ patet. Si quidem vt Cicero ait, *nulla eſt tam barbara natio, nulla gens tam efferata, cui non* insideat *hæc perſuaſio, Deum eſſe.* Et qui in alijs vitæ partibus minimum videntur à belluis differre, quoddam tamen perpetuò religionis ſemen retinent, ſuáque ſacra & ſacrificia habent. Nulla enim ab initio mundi regio, nulla vrbs, nulla domus religione carere potuit, in quo tacita quædam confeſſio eſt, inſcriptum omnium cordibus diuinitatis ſenſum. Cuius quidem conceptionis etiam idololatria documentum præbet. Licet enim homo ſe non libenter alijs creaturis ſubijciat: attamen ad infima quæque colenda potiùs ſe demittet, quàm nullum habere Deum putetur: adeò enim vehemens eſt iſta de numine impreſſio hominis menti, vt facilius ſit naturæ affectum frangi, quàm illam obliterari. Quare vaniſſimum eſt quod à nonnullis dicitur, paucorum calliditate excogitatam eſſe religionem, vt hac arte ſimplicem populum in officio continerent, cùm ipſi Deum eſſe non crederent. Quamuis enim nonnulla commenti ſint homines, quibus reuerentiam plebeculæ injicerent, quò haberent obſequentiores eius animos; id tamen nunquam obtinuiſſent, niſi priùs conſtanti de Deo perſuaſione hominum mentes imbutæ fuiſſent.

Cicero de nat. Deorũ.

Nulla gens religione caret.

Religio obſequentes facit.

Ac licet olim nonnulli extiterint, qui Deum eſſe negauerint, & hodie non pauci emergant impij, dicentes in corde ſuo: non eſt Deus; attamen & illi velint nolint, quod neſcire cupiunt, frequenter ſentiunt. Dum enim aliquod iræ diuinæ indicium ſe profert, Deum, quem ſtudent contemnere, inuiti exhorreſcunt, ac timore maximo perturbantur. vnde id, niſi ex diuinæ maieſtatis vltione, quæ eorum conſcientias anxietate percellit? & quantumcúmque audaces Dei contemptores eſſe videantur, nunquam tamen ſe ab hoc ſtimulo conſcientiæ omnino extricabunt. Vnde ipſi quoque numinis contemptores exemplo ſunt, vigere ſemper in omnium hominum animis aliquam Dei notionem. Nam licet iudicium cæleſtæ, quódque de religione omnibus ſeculis creditum eſt, verbis eludant, ſe tamen è Dei metu eximere nequeunt, quia intus eos mordet conſcientiæ vermis, qui nunquam emoritur, ſed torquet, nec integram ſinit eſſe peccati voluptatem. Contra quos Atheos (quales fuere Diagoras, Protagoras, Theodorus, de quibus Cicero & alij) ad euincendum eſſe aliquem Deum, in primis valet anxietas & ſtimulus conſcientiæ, qui delinquentes mox apprehendit, & torquet, vt in primo parente apparuit; qui ſe à facie Dei abſcondere tentauit, vt Chryſoſtom. homil. 17. & 20. in Gen. oſtendit.

Cicero l. de nat. Deorũ. Theodoretus lib. 3. de curat. Græc. affect. Lactan. l. 1. diu. inſtitu. cap. 2. Lib. de ira Dei cap. 9. Plutarchus de plac. philoſoph. li. 2. cap. 7.

Secundò aliquem eſſe Deum, clamat omnium rerum mutabilitas, creatio, ſapientiſſima diſpoſitio & gubernatio. Auguſtinus lib. 10. confeſſ. cap. 6.

Valer. Max. lib. 1. cap. 1. Pſal. 13. & 52.

Tertiò, Deum eſſe, teſtantur pœnæ & ſupplicia peccantium, Deúmque contemnentium: vt immiſſio diluuij, conflagratio Sodomæ, perditio Pharaonis omniúmque Ægyptiorum Iſraëlitas perſequentium. ſicut ijs auditis Iethro Exodi 18. dixit: *Nunc cognoui, quia magnus Dominus ſuper omnes Deos.*

Exodi 18.

Ioan. 21.

Quartò, Deum eſſe, conuincunt miracula omnem creaturæ virtutem excedentia: vt, reſuſcitatio mortuorum, conſeruatio in igne, vel à morſu leonum, vt Danieli accidit, prædictio Prophetarum, qui futura contingentia, liberóſque hominum actus, tanquam ſibi præſentes reſerarunt.

Cultores Dei inuicti redduntur.

Quintò, conſeruatio & protectio cultorum Dei, quos miris modis Deus inuictos ab initio mundi reddidit: vt coram Holoferne Achior inſigni oratione deduxit, concludens: *Si non eſt offenſio populi huius coram Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis, quoniam Deus illorum defendet eos, et erimus opprobrium vniuerſa terræ.* Quod nec conſiliarij Aman, hoſtis Iudæorum, ignorarunt, dum ei dixerunt: *Si de ſemine Iudæorum eſt Mardochæus, ante quem cadere cœpiſti, non poteris ei reſiſtere, ſed cades in conſpectu eius.*

Iudith. 5.

Heſter. 6

Sextò, Deus ſe per incarnationem hominibus manifeſtauit, reſtituendo cæcis viſum, claudis greſſum, ægrotis ſanitatem, ſurdis auditum, mortuis vitam: cõuertendo aquam in vinum, multiplicando panes: ſe mortuum reſuſcitando: in cœlum aſcendendo: totúmque orbem terrarum ad credendum in Chriſtum crucifixum adducendo. In eo enim ſumma Dei virtus apparet, *quòd in nomine Ieſu omne genu flectatur*, quódque toti orbi ſalutis ſpem Fide in crucifixum pendere, perſuaderi potuerit. *Crux* enim *Iudæis ſcandalum, gentibus ſtultitia* videbatur: ſed opera Chriſti teſtimonium perhibent de ipſo, quòd ſit Deus. Ioan. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite.*

Deum eſſe, quintum argumentũ ex ratione petitis oſtẽditur. D. Thom. 1. p. q. 2. art. 3.

Prætereà variis rationum generibus Eccleſiaſtici ſcriptores, tam priſci quàm recentiores, Deum eſſe demonſtrant: quæ ad quinque capita reuocari poſſunt.

Primum eſt. In rerum natura oportet aliquod eſſe primum mouens omnia alia, quod ipſum à nullo alio moueatur, alioquí progreſſus eſſet in infinitum, qui nunquam compleri poſſet, ac proinde nihil moueretur. Ariſt. lib. 8. Phyſic.

Secundum. Neceſſe eſt inueniri in rerum natura primam aliquam efficientem cauſam, quæ non ſit ab alia; Nam omnis media cauſa virtute prioris operatur: deueniendum itaque eſt ad primam quæ agat, & non agatur, alioqui ad progreſſum infinitum redibimus, qui cùm nunquam adimpleri queat, ſequeretur nullum eſſe effectum. Damaſcenus lib. 1. c. 3. de fide.

Tertium. In rerum natura oportet reperiri aliquod ens neceſſarium, quod ſuæ neceſſitatis nullam cauſſam habeat, alioqui contingeret nihil omnino eſſe, aut progreſſum fieri in infinitum.

Quartum. In rerum natura eſt aliquod primum ens, optimum, veriſſimum, nobiliſſimum, quod omnibus alijs ſit cauſſa entitatis, bonitatis, veritatis atque laudabilis virtutis. Nam cùm nihil ſeipſum eſſe, facere poſſit: ſequitur, omnia quæ ſunt, eius participatione quod per ſe eſt exiſtere, bona, vera, nobiliaque eſſe. Nam vnumquodque in ſuo genere primum, reliquorum eiuſdem

generis graduum causſa eſt. Ariſt. lib.2. Metaphyſ.cap.4.

Quintum. Inuemtur totius vniuerſi gubernator, qui res omnes in ſuum finem dirigat, quem ſemper aut plurimum aſſequuntur. Nam id quod ordinatum diſpoſitúmq; perſeuerat, cauſſam intelligentem extra ſe habere oportet, quæ cauſſas naturales etiam rationis expertes ordinet in ſuum finem atque dirigat. Dionyſ. Areopag. libr. de diui. nominibus cap.7. Chryſoſt. homil. 4.& 10. ad Antioch. Cyprian. Lactan.& alij. Creatura omnis Deum eſſe clamat, eiúſque inuiſibilem potentiam creaturæ magnitudo, ſapientiam pulchritudo, ordinatiſſimáque diſpoſitio, bonitatem verò rerum omnium vtilitas oſtendit: ex quibus effectibus Creatorem potuiſſe agnoſci, docet Sapiens, & à quibuſdam agnitum fuiſſe, ait Apoſtolus. Neque his repugnat, quòd Apoſtolus dicat: *Oportet credere accedentem ad Deum, quòd ſit.* & Auguſt. *mundum videri, Deum credi. & quod cœlum et terra ſurdis loquantur, niſi Deus altus miſereatur.* Nam eiuſmodi ſententiis tantùm humanæ mentis per lapſum primi Parentis excæcatio facta inſinuatur, quæ impedit, ne ex creaturæ ſolius contemplatione in plenam Dei cognitionem deuenire queamus, ſed opus ſit, vt mentis obumbrationem vera fidei lux diſcutiat, ſine quâ omnis Philoſophorum de Deo cognitio fuit confuſa, indiſtincta, multo parta labore, plurimíſque falſitatum erroribus permixta. Vnde multò certiùs & plura de Deo fide tenemus, quàm Philoſophi ratione naturali vnquam inueſtigare potuerint.

Sapientiæ 13.

Hebr.11.

Aug.lib.11. de ciuit.c. 4.lib. 10. confeſſ.c.6. Sola creaturæ contẽplatio ad perfectam Dei notitiam non perducit.

Proſp.li 2. de voc.gẽt cap. 17.

S. Thom.2. a q.1. art.8. ad 2. Plura & certiùs de Deo per fidẽ ſcimus, quàm per rationem.

CAP. XLIII.

Quòd vnus ſit Deus naturâ, ſed in tribus perſonis ſubſiſtat.

CRedimus vnum eſſe Deum, non tamen ſolitarium, ſed in perſonis trinum: ſcilicet Patrem & Filium & Spiritum Sanctum. *Hi tres* (ait Ioann.) *vnum ſunt*, quia vnus Deus ſunt qui mundum condidit, qui creatum gubernat, qui finis eſt omnium, cui ſoli cultus & veneratio latriæ debetur: quia vna eſt trium perſonarum diuinitas, vna ſubſtantia, vna bonitas, vna virtus, vna voluntas, vnus actus, vna poteſtas, vna & eadem trium perſonarum operatio & motio. Sicut enim naturaliter eſt vnus Deus, ita naturaliter vna & eadem diuina Natura in tribus à ſe inuicem diſtinctis modo exiſtendi perſonis reperitur. In Patre ſiquidem diuinitatis à nullo alio accepta exiſtit, in Filio autem per modũ generationis promanans, in Spiritu Sancto eadem incircumſcripta diuinitas à Patre & Filio procedens ſubſiſtit. Quam diuinæ naturæ in tribus perſonis identitatem, ſimúlque trium perſonarum in vnitate naturæ diſtinctionẽm, Veteres elucidant exẽplo Adami, Euæ atque Seth. In his enim tribus eadem ſpecie naturæ diuerſimodè ſubſiſtebat. In Adamo quidem ceu in fonte exiſtebat: in Eua verò tanquam accepta ab Adamo: in Seth autem veluti procedens ab vtroque. Differt tamen hæc ſimilitudo in eò, quòd hi tres homines ſint vnus homo ſpecie, non numero, quia diuerſam habent numero naturam: ſed Deus eandem & incircumſcriptam in tribus perſonis habet naturam. In Tri-

1.Ioan.5.

Vna diuinitas in tribus perſonis diſtinctis exiſtit.

Iuſtinus de coeſſentiali Trinitate.

Gregor. Nazianz.

nitate siquidem quod commune & indifferens est, tribus personnis reipsa vnum atque idem est, vnica scilicet & tota natura, vna virtus, sapientia, bonitas etc. Id tamen vnum toti Trinitati commune si cum æterna sua proprietate personali consideretur, tum ad personam contrahitur: & quoniam in diuinis proprietates differunt, luculenter distinctionem personarum in vna deitate ab æterno fuisse indicant, non quidem ratione naturæ, sed originis. Natura igitur diuina cum personali proprietate ingeniti concepta ad primam trinitatis personam contrahitur, de qua dicitur: *Credo in Deum Patrem.* Si intelligentia capi nequeat, quomodo vna numero natura, eadem diuinitas & essentia in tribus personis origine, subsistentia, existendique modo à se inuicem distinctis, immanenter & incircumscriptiuè esse possit, fide teneatur. Nam de Deo ea tantùm dicenda, credendáque sunt, quæ Deus nobis reuelare dignatus est, inter quæ ineffabile reponendum est Vnitatis diuinæ naturæ, atque Trinitatis diuinarum personarum, mysterium, de quo Philosophi aut nullam, vel admodum obscuram habuere notitiam, & graues omni tempore circa hoc arcanum errores grassati sunt: quos vt facilius deuitemus, paucis commemorare non erit inutile.

Trinitatis mysterium nobis à Deo reuelatum.

Aug li. 10. de ciuit. c. 23.

CAP. XLIV.

Errores de Deo.

De Deo errores.

LIcet omnibus naturaliter insitus sit diuinitatis sensus, & confusa quædam de Deo notitia, nihilominus eandem plurimi cæcitate, insciti, temeritate, vel audaci vanitate suffocarunt, corruperunt, vel destinata malitia à Dei notitia degenerarunt. Quorum nonnulli Deum aliquem esse vel dubitarunt vel negarunt, alij plures Deos induxerunt, qui ad septem capita reuocantur.

Deum esse quidam negarunt.

Primum Genus eorum fuit hominum, qui delectati pulchritudine corporum cælestium, sidera coluerunt, Solem, Lunam & stellas. De quibus Sapientiæ 13.

Secundum Genus eorum fuit, qui ob vtilitatem, rebus diuinitatem ascripserunt, vt Cereri, Baccho, Anseribus, Bobus.

Tertium Genus eorum fuit, qui ex adulationis studio homines mortuos aut eorum statuas pro Diis coluerunt. (de quibus sapientiæ. 14.) vt Belum, Iouem, Saturnum & alios. De quibus August. lib. 4. de ciuit. cap. 8.

In cõfictorum Deorum genealogiis occuparunt se Poëtæ.

Quartum Genus eorum fuit, qui aduersitatum, damnorúmque metu Morbos, Volucres, Serpentes, Dæmonésque in sculptilibus responsa dantes coluerunt. Aug. lib. 8. de ciuit. cap. 23. refert, Hermetem trismegistum docuisse, sculptilia tanquam dæmonum esse corpora, quibus insint inuitati, vt obsint, aut prosint.

Quintum Genus eorum fuit, qui hominum affectus & vitia pro diis habenda deliraruut, vt Priapum, Venerem, Martem, Iram, Gaudium.

Sextum Genus eorum fuit, qui virtutes diuinis honoribus exornarunt, Iustitiam, Fidem, Victoriam, Pacem.

Septimum Genus eorum fuit, qui principes aut rerum inuentores diuinis honoribus coluerunt, propter singularia quædam officia, humano generi præstita: quo modo Æsculapius, Mercurius, & alij culti

fuerunt. Auguſt. libro 6. de ciuit. cap. 5.

Clemes II. 2. recog. Iren. lib. 1. contr. Hær. Epiphanius & Aug. lib. de hæreſ.

Tertius circa diuinitatem error eſt eorum, qui duo æterna principia, vnum Bonorum, alterum verò Malorum conſtituunt. Quorum princeps fuit Simon Magus, cuius errorem complexi ſunt Carpocrates, Gnoſtici, Heraclionitæ, Cerdoniani, Cajani, Martionitæ, & tandem Manichæi, quos operoſis libris confutauit B. Aug.

Aug. contr. Fauſtum Manichæũ.

Quartus, error docet, tres eſſe Deos, tres mentes, tres Spiritus æternos, eſſentiali numero differentes. Quæ ſententia Peratarum fuit, de quibus Theodoretus libro de Hæret. Fab. cap. 18. & Ioannis Philoponi, de quo Suidas verbo: Ioannes Grãmaticus. Idem ſenſit is, contra quem Anſelm. ſcripſit lib. de incarn. verbi. Idem videtur ſenſiſſe Abbas Ioachim aſſerens, tres perſonas non eſſe vnam eſſentiam, niſi per collectionem, quemadmodum multi homines ſunt vna Eccleſia; vt in Concil. Lateran. ſub Innocent. 3. cap. 2. Idem noſtro ſeculo docuit Valentinus Gentilis, apud Bernenſes capitis damnatus. Quos omnes errores elidimus aperta profeſſione, dicendo: *Credo in vnum Deum. vnum*, non ſpecie nec collectione, ſed numero, præter quem nullus alius ſit Deus. Deuteronom. 4. 6. & 32. Iſaiæ 43. *Ego ſum, & abſque me non eſt Deus.*

Vnus Deus numero, nõ ſpecie, aut collectione.

CAP. XLV.

De voce Patris.

Pater dicitur de Deo ad aliquid.

POſtquam vnam Dei naturam diuinitatiſque eſſentiam profeſſi ſumus, eandem pluribus perſonis communem eſſe, atque primam in diuinitate perſonam eſſe, ac dici PATREM, confitemur, quia eiuſdem naturæ Filium ex ſe ab æterno genuit. Qua confeſſione Chriſtiani diſcernuntur à Iudæis, Mahometanis, & omnibus illis Hæreticis, qui nullam in Deo perſonarum diſtinctionem agnoſcunt: quales fuêre Sabelani, Paulus Samoſatenus, Photinus, & noſtro ſeculo Seruetiani. Vox PATER, de Deo dicitur, non ſecundùm ſubſtantiam, neque ſecundùm accidens, ſed ad aliquid, vt ſignificet proprietatem primæ in diuinitate perſonæ, ſiue modum ſubſiſtendi, & habitudinem ad ſecundam diuinitatis perſonam, iuxta illud Apoſtoli: *Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cælis, et in terra nominatur*: id eſt, æterna & temporalis. Nam ſolus in diuinis generat, & ab eo omnes temporaliter generantes habent eſſe, ac generare poſſe. Sic Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 15. Vbi ſignificatur, Deum alio modo Verbi Patrem eſſe, quàm Angelorum vel hominum. Chriſti enim Pater eſt, non ſolo nomine, ſed æterna & incommutabili generationis proprietate. Ideoque ſolus Chriſtus Vnigenitus, Conſubſtantialis, Primogenitus, verus & proprius æterni Patris ſempiternus eſt filius, originis proprietate, non adoptione, veritate, non nuncupatione, natiuitate, non creatione. Nos autem homines & Angeli, filij quidem Dei etiam dicimur & ſumus, quia ab eo producti ſeu ex nihilo creati, ac per gratiam in filios adoptati ſumus. Dicimur ergo filij adoptione, creatione, gubernatione, nuncupatione quadam analogica, non autem natiuitatis proprietate, quia non propriè nati, nec ſemper filij fuimus. Alioquando enim filij non eramus: quare non ſolùm Dei Patris, ſed etiam

Aug. lib. 5. de trin. cap. 4. & 5.

Damaſcen. lib. 1. de fide cap. 13.

Epheſ. 3.

Chriſtus ſolus eſt originis proprietate filius.

Filij Dei dicimur analogia quadam.

etiam Filij atque Spiritus Sancti, imò & totius Trinitatis homo filius est ac dicitur, Deuteronom. 32. Malachiæ 1. *nunquid non Pater vnus omnium nostrum?* Rom. 8. *clamamus, Abba pater.* Matth. 6. iubemur orare: *Pater noster qui es in cælis.* Iob. 38. *Quis est pluuiæ pater.*

Aug. lib. 3. cont. Max. cap. 15.

Præterea hîc sciendum est, in diuinis reperiri quinque notiones, id est, quinque voces, per quarum significata nobis innotescunt diuinæ personæ, ipsarúmque distinctio: scilicet *Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio, Processio.* Ex quibus iterum tres sunt proprietates, vni tantùm Personæ conuenientes: videlicet *Paternitas, Filiatio & Processio.* Nam *Spiratio* communis est Patri & Filio: *Innascibilitas* autem non tam relationem quàm eius negationem denotat.

Quinque sunt notiones, quatuor relationes tres proprietates.

CAP. XLVI.

De Omnipotentiâ Dei.

Omnipotentia est quædam Dei nota.

INter nomina, quibus Dei summa vis, immensáque maiestas explicari solet, *Omnipotentis* vox frequentissima est, quam Deus sibi velut notam propriam reseruat, dicens Abrahæ Gen. 17. *Ego Dominus omnipotens.* & Genes. 43. *Deus meus omnipotens*, ait Iac. & Ioan. Apoc. 1. *Deus qui est, & qui erat, et qui venturus est, omnipotens.* Num. 11. *nunquid manus Domini infirmata est?* Sap. 12. *subest tibi, cùm volueris posse.* Lucæ 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Quibus locis & aliis plurimis omnipotens vis Deo tribuitur, vt intelligamus, quantâ religione ac pietate illud purissimum, perfectissimum, infinitúmque Numen colere debeamus. *Omnipotens* autem dicitur, quia omnia quæ contradictionem non implicant, nec summæ perfectioni repugnant, efficere potest, siue, quia omnia possibilia facere potest. Est autem absolutè possibile, quidquid rationem entis obtinere potest: rationi verò entis solum non ens aduersatur. Proinde illa sola non possunt fieri, nec sub rationem possibilis absoluti cadunt, quæ implicant simul esse atque non esse. Fieri enim nequit, vt idem concipiatur esse, & non esse. Quandocúnque ergo prædicatum subiecto repugnat, impossibile censetur, possibile verò, si non repugnet.

Gen. 17.

Deus omnipotens cur dicatur.

Sciendum præterea nomine omnipotentiæ significari, nihil esse, nec animo vel cogitatione fingi posse, quod Deus efficere nequeat: vnde sequitur, Deum non solùm posse omnia, quæ creauit, in nihilum redigere, sed etiam multò plura, maiora, & meliora efficere posse, tam secundùm essentiam, quàm accidentia, seu indiuiduales, specificas & genericas conditiones. Infinitæ siquidem est virtutis, omnem in se virtutem supremè habens, ac omnis author virtutis, ait Dionysius: cui Aug. Enchir. cap. 96. consentiens, *Nec ob aliud*, inquit, *vocatur omnipotens, nisi quia quidquid vult potest, nec voluntate cuiuspiam creaturæ voluntatis eius impeditur effectus.* Lib. 5. de ciuit. Cap. 10. *Omnipotens est, quia facit quod vult et pati nequit quod non vult*: quod sæpius alibi repetit. In Deo enim potentia solum actiua est, non autem passiua, quia imperfectionem denotat, in eámque naturam duntaxat cadit, quæ perfici potest. Similiter mentire, fallere aut falli, peccare, interiri, ignorare, seipsum negare, quia sunt actiones imbecillitatis, non potentiæ: ideo hæc Deus non posse dicitur, quia posse

Dionys. Areop. lib. de diu. nominibus cap. 8. & 10.

Aug. lib. 21. ciuit. cap. 7. lib. 26. cont. Faust. ca. 5. lib. 1. de symb. ad. techum c. 1. ser. 119. de temp.

Potentia peccãdi est imbecillitatis actio: ideo non tribuitur Deo.

illa, infirmitatis est atque defectus. Sunt & nonnulla, quæ Deus potest per absolutam potentiam, sed non per iustitiam, vt Gen. 19. *Non possum facere quidquam, donec illuc introeas.* Vnde Aug. & post eum scholastici Doctores potentiam duplicem in Deo constituunt: vnam absolutam, quâ omnia possibilia potest: alteram ordinariam, quâ Deus agit secundum causas seminales, ordinémque à se creaturis lege aliqua præfixum.

Aug li 5. de ciuit. c. 10.

Lib. 1 cont. Gauden. cap. 22.

Potētia Dei duplex: absoluta, & ordinaria.

CAP. XLVII.

Omnipotentiæ Dei signa.

Omnipotentiæ signa.

RElucet opificis Dei omnipotentia. I. in Creatione machinæ mundi, omniúmque creaturarum. II. in modo producendi: quoniam *dixit, & facta sunt*, idque ex nihilo. III. in rerum omnium conditarum gubernatione. IV. in bonorum protectione, malorúmque punitione. V. in Christi resuscitatione à mortuis, variisque prodigiis & miraculis. VI. Impiorum iustificatione, in qua rebelles ad se propitius conuertit voluntates. VII. Id mundi renouatione, omniúmque mortuorum resuscitatione.

Aug. serm. 192. de tēp.

CAP. XLVIII.

Errores de omnipotentia Dei.

DE omnipotentia Dei hæsitarunt non solùm Ethnici, sed etiam Iudæorũ plurimi, qui Deum tentasse leguntur, dicentes: *nunquid poterit mensam parare in deserto?* & dux in porta Samariæ pressurâ sublatus è vita, non credebat prophetæ verbum à Deo impleri posse. & Ioan. 6. Iudæi: *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandũ?* Præterea Manichæi Deum bonum à Deo malo victum fabulati sunt: Abailardus verò Deum non liberè sed necessitate naturæ agere sensit, ideóq; præter ea quæ facit, nihil aliud posse agere. Quem sequutus est Vvicleffus, & Bucerus in tractatu de lib. arb. atque Caluinus lib. 1. Instit. c. 16. 3. Contra quos scriptura docet, multa Deum posse facere, quæ nunquam facturus sit: vt quòd camelus per acus foramen transeat: vt XII. Angelorum legiones mitterentur: vt impij confestim iustis subijcerentur: quòd homo in hac vita omni peccato, etiam veniali careat: denique aliter, quàm per Christum Deus hominem saluare posset. Sed obijciunt hæretici, Deum id solum posse facere, quod ab æterno præscijt & decreuit se facturum: nec inanem, otiosam & velut sopitam, sed vigilem, efficacem, & operosam, atque in actu continuo versari Dei potentiam. Respondendum est, Deum ab æterno sciuisse, se posse alia multa facere si vellet, sed noluisse decernere se facturũ, quoniam liber est in statuendo à se facienda: & quoniam omnis creaturarum bonitas finita est, sequitur, Deum quilibet creatura meliorem aliam producere posse.

Psal. 77. 4 Reg. c. 7.

Aug lib. de hæres c. 46.

Thomas VValden. lib. 1. doctr. fidei ca. 10.

Math 19. 26

Sapien. 11. & 12.

Aug. lib de spi. & lit. c. 1. & 35. lib. 13. de trinit. c. 18.

Et quoniam præterita, vel futura; liberè à Deo facta sunt aut facienda, ideo absolutè dicendum est, Deum posse facere, vt præterita nõ fuerint, & vt futura non sint, in sensu tamen diuiso, non composito, qui contradictionem implicat. Quo sensu Hieronymus in epist. ad Eustochiũ scribit, Deum non posse virginem post ruinam suscitare. & Aug. libro 26. cont. Faust. cap. 4. & 5. non posse futura non fieri, & non fuisse facta, videlicet in sensu cõpositio. Nam in sensu diuiso, quemadmodum possi-

Contingẽs præteritum potest non fuisse.

Quæ sunt præterita, possunt non fuisse.

bile est illum qui est, non esse, ita & eum, qui contingenter fuit, non fuisse: ac qui futurus est, non fore.

CAP. XLIX.

Cur solius omnipotentiæ Dei mentio fiat in symbolo, prætermissis aliis præconiis?

Cur in symbolo sola de omnipotentia commemoretur?

MVltis in scriptura sacra elogiis Deus celebratur. Nam Bonus, Sanctus, Iustus, Immortalis, Fortis prædicatur: sed Omnipotentiæ tantùm hîc expressa fit mentio, quod hæc vox reliquas Dei perfectiones suo ambitu cõcludat. Nam omnipotentem rerum omniũ scientiam, cunctáque suo nutui habere subiecta, ac simul Iustum, Bonum, Immortalem, summè perfectũ esse oportet. Maximè insuper ad fidem, spem, humilitatémq; fideliũ confirmandam persuasio omnipotentiæ Dei conducit. Nam quidquid credẽdum proponatur, & quantumuis humani ingenij captum, rerúmque vsitatum cursum superet, facilè credetis, qui Deum longè plura posse nouit, quàm humanæ mentis acies penetrare valeat. Hinc Angelus futurum B. Virginis conceptũ atque partum annuncians: *Non erit impossibile*, ait, *apud Deum omne verbum.* Ac Deus ipse magnificas promissiones Abrahæ facturus: *Ego*, ait, *Deus omnipotens.* Et Christus, Matth. 19. *apud Deum omnia possibilia sunt.* Et Angeli, Sarræ sterili partum addicentes, Genes. 18. *Numquid Deo aliquid est impossibile?* Præter ea nihil tam arduum est aut magnum, quod ab omnipotente sperari non debeat. Quare hac maximè fide opus est, cùm in Dei gloriam vel proximorũ vtilitatem admirandum aliquid aggredi, aut precibus à Deo impetrare volumus. Vt Dominus innuit Apostolis dicẽs: *Si habueritis fidẽ sicut granum sinapi, dicetis mõti huic: transi hinc, illuc, & transibit. Et nihil impossibile erit vobis.* Et Iacob. *postulet in fide nihil hæsitans.* Bonum itaque obtinendi quod petimus confidentiam, omnipotentiæ fides adducit, & ad omnem animi modestiam humilitatémq; instituit, iuxta illud Petri: *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Ac insuper omnipotentiæ fides efficit, vt hominis animus nulla desperatione frangatur, Deúmq; solum vt mortis & vitæ Dominum obseruet ac timeat. Vnde tres pueri Danielis 30. hac fide armati libertate summa Regi ad idololatriã cos incitanti responderunt: *Est Deus, qui potest nos liberare.* Et Hester 3. *non est qui resistat maiestati tuæ.* Lucæ 12. *Ostendam vobis quem timeatis. Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatẽ mittere in gehennam.* Proinde non parum audaciam peccandi omnipotẽtiæ persuasio coërcet, dũ quis expendit, se omnipotentis Dei manum effugere non posse, vt Antiocho Regi septimus fratrum obiecit: *omnipotentis Dei Iudicium non effugies.* & Apostolus ad Hebr. c. 4. *Viuus est sermo Dei & efficax.* & c. 10. *Horrendum est in incidere manus Dei viuentis.* Postremo fides omnipotentiæ Dei nos ad recolenda & celebranda immensa eius erga nos quotidie beneficia excitat, vt cum B. Virgine animo grato exclamemus: *fecit mihi magna qui potens est.* & : *gratias agimus tibi Deus omnipotens.* Apocal. 11.

Fides omnipotentiæ Dei cõducit ad pietatis custodiam.

Lucæ 1.

Gen. 17. 18.

Gen. 18.

Matth. 17.

Omnipotentiæ Dei fides nos contra hostes quoscunque munit.

2. Machab. 7.

Lucæ 1. Apoc. 11.

CAP. L.

Cur Omnipotentia, communis etiam Filio & Spiritui Sancto, Patri speciatim tribuatur?

LIcet absoluta nomina, quæ Deo secundùm substantiam tribuuntur, æqualiter tribua Personis

Cur omnipotẽtia Patri tribuatur.

conueniant, cùm eminentiam alicuius perfectionis in Deo existentis denotēt, attamen in sanctis eloquiis Patri attribuitur Potentia, quod omnis Esse ac originis fons sit, à nullo alio suam essentiam accipiens, sed à seipso subsistens: ac insuper, ne in eo propter antiquitatem defectum cadere posse suspicemur, quemadmodum in creaturis, senium & vetustatem, interitum adducere videmus. Filio autem Sapientia tribuitur, quia æternum est Patris Verbum, per quod condita sunt ordinatissimè omnia, & à quo fluit omnis sapientia: & ne propter generationis originem, sicut in filiis hominum, sensus defectum in eo esse opinemur. Spiritui quoque sancto Bonitas, quia Patris & Filij æternus amor est: ac ne in eo spiritum tumoris aut crudelitatis esse imaginemur.

Sapientia Fides cur tribuatur?

Hugo de S. Vict. lib. 3. de sacram. c. 23.

Bonitas Spiritui Sancto tribuitur.

CAP. LI.

De origine mali, et cur Deus omnipotens mala esse sinat?

Malorum origo.

DE malorum origine Manichæi multa stulta docuerunt, statuentes duo æterna principia: vnum Bonorum, alterum Malorum. Contra quos Scriptura Sacra tradit, à summè, æqualiter & immutabiliter bonâ Trinitate creata esse omnia, bona quidem singula, sed tamē non summè, nec æqualiter, nec immutabiliter bona, ideóque in eis bonum minui, & augeri posse. Bonum autem minui, malum est, quāuis quātumcúnque minuatur, remaneat tamen semper aliquid, in quo malum sit. Nam nihil aliud est malū, quàm boni priuatio. Cui ergo inest malum, vitiatum, vel vitiosum est bonum. Nam si bonum non esset, non modò vbi cōsisteret, sed vnde oriretur malum, non haberet, quia est corruptio boni: at corrūpi aliquid, nisi bonū sit, nòn potest, quoniā nihil est aliud corruptio, quàm boni exterminatio. Proinde malum non causām aliquā efficientē, sed tantū deficientem habet, voluntatē scilicet angeli & hominis, existentem in natura bonā: quem defectum, vti & omne malū, Deus non facit, sed permittit. Nō enim fit aliquid, nisi omnipotēs fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciēdo. Nec dubitandū est, Deum facere bene, etiā sinendo fieri, quæcunq; fiunt malè. Non enim hoc nisi iusto iudicio sinit. Et profectò bonum est omne, quod iustum. Quanquam ergo ea quæ mala sūt, non sint bona, tamen vt non solùm bona, sed etiā sint & mala, bonū est. Nam nisi hoc bonum esset, vt essent & mala, nullo modo esse permitterētur ab omnipotēte bono: cui tam facile est, quod non vult esse, non sinere, quàm facile est quod vult, facere. Permittit autē esse mala, quia tam potēs & bonus est, vt etiam de malo bene faciat. Melius autē iudicauit de malis bene facere, quā mala nulla esse permittere. Bene autē facit de bono naturæ vitiato, Deus, illud reformando, aut puniendo, benéque ordinando. Nam malum suo loco positū eminentiùs bona commendat: efficit enim, vt magis placeāt & laudabiliora sint, dum malis comparantur. Quare impiissima est Caluini doctrina, tradētis, Deū authorem & operatorē peccati principalem esse, Sathanam verò & homines ministros dūtaxat. Nam Deū esse negat, qui eū peccati authorem facit, vt ostendit Basili. in homil. quòd Deus non sit author malorum. &: *Deus*, ait, Iacob, *intentor malorum est. Omne enim datum optimum, et omne donum perfectum*

Malum est boni priuatio.

Aug. Enchir. c. 12. 13.

Mali causa datur deficiens.

Aug. li. 12. de ciuit ca. 6.

Deus malū non facit, sed permittit.

Psal. 113.

Aug. Enchir. c. 96.

Cur Deus esse mala permittat?

Deus mala esse sinit, non facit.

Caluinus Deum peccati authorem facit.

Caluinus lib. 1. inst. c. 18. lib. 2. c. 4. lib. 3. c. 23. sect.

Iac. 1.

Aug. Enchir. c. 10. 11. 27. 96.

Basil. hom. quòd Deus non sit author mali.

Dionys. Areop. li. de diui. nom. cap. 18.

est descendens à patre luminum. Ipse lux est illuminans, non obtenebrans, author omnis essentiæ, non corruptor boni.

CAP. LII.

Creatorem.

Creare quid sit?

VOx *Creatoris* communi Ecclesiasticorum scriptorum vsu soli Deo attribuitur, sicut & *creare*: propriéque sumpta denotat ex nihilo aliquid producere: Facere autem, appropriatione quadam significat aliquid ex materia producere. quanquam subinde istæ voces confundantur. Psal. 32. *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit & creata sunt.* Est ergo creatio, rei ex nihilo productio: non vt Vvicleff opinabatur, ex esse intelligibili in Deo, ad esse essentiale extra Deum, quia sic producerentur creaturæ ex substantia Dei, vt deliraruntManichæi, cùm earum esse intelligibile nihil aliud sit, quàm Deus. Sed absolutè Deus totum ens rei ex nihilo, nulla præsuppositamateria, sed voluntate & imperio produxit. *Ex nihilo*, ergo tantum valet, quantum *non ex aliquo. Ex*, insuper non denotat habitudinem causæ seu influentiæ eius, quod nihil est in rem; sed habitudinem cuiusdam ordinis nihili ad rem: quatenus non esse rei præintelligitur ante rei esse secundum nostrum cõcipiendi modum. Proinde non est hîc cogitandus ordo realis, qualis est inter terminum à quo & ad quem, dum vterque realis est; sed habitudo entis ad nihil: quia creatio passiua non significat motum, passionem vel mutationem in re aliqua priùs existentem, sed relationem dependentiæ, quam creatura ad Deum habet, sicut effectus ad causam. Creatio actiua immanens est ipsa Dei intellectio & volitio indistincta à diuina essentia, per quam Deus creat: quæ licet quoad esse suum necessaria sit, quia tamen infinita est, illam habet perfectionem, vt ex ea immutata creaturæ produci queant: eatenúsque productio creaturarum libera est. Creatio insuper actiua, considerata vt operatio transiens, est ipse Dei effectus, seu creatura, vt à Deo procedens ex nihilo, siue accidens sit quod ex nihilo producatur, siue substantia, siue totum, siue pars. Attamen quoniam solę res completæ, ac per se subsistentes propriissimè existunt, ideo illæ creari propriissimè dicuntur. Et quidem omnia ex nihilo creata esse dicuntur duplici causa: PRIOR est, quoniam res tota secundùm omnes suas partes (materiam scilicet & formam) ex nihilo producta est: vt res omnes incorruptibiles. Posterior verò, quia secundum aliquam sui partem intimam res ex nihilo producta est: quomodo res omnes corporeæ ex nihilo creatæ dicuntur, ratione materiæ primæ, quam Deus ex nihilo produxit. Sic omnia creasse Deus verissimè dicitur, Creatórque omnium vocatur. Licet enim diuersæ corporales aut seminales causæ gignendis rebus adhibeantur, siue operationibus Angelorum, siue hominum, aut quorumcunque animalium vel quarumlibet aliarum rerum: attamen ipsas naturas, quæ sic vel sic in suo genere efficiuntur, non facit nisi summus Deus, cuius occulta potentia cuncta penetrans incommutabili præsentia facit esse, quidquid aliquo modo est, in quantum est: quia nisi faciente illo, vt tale vel tale esset, prorsus esse nõ posset. Quare solum Deum omnium cõditorem naturarum dicere oportet, qui neque ex ea materia facit ali-

Ex nihilo.

Creatio passiua significat relationem dependentiæ.

Quomodo ex nihilo sint omnia.

Sapien. 11. Eccles. 1. 2. Macha. 7. Apoc. 4.

Si Deus res non conseruaret, interirent.

Aug. lib. 12. de ciui. c. 25

quid, quam ipse nō fecerit, nec operarios habet, nisi quos ipse creauit. Et si potentiam suam effectiuam rerúmque omnium conseruatiuā substrahat, tam non erunt res, quā non fuerunt antequàm fierent. Dicūtur quidem res aliquæ necessariæ, non quia nulla potentia fieri possit vt nō sint, sed quia nullam in se potentiam physicam ad non esse habeant: sicut de angelis malis aut Aug. *si eis subministratio vitæ, viuacisque potentiæ auferatur, interibunt.* Creat autē Deus, vt essentia vnus, naturaliter in personis trinus. Vnde sequitur, omnia creabilia tori communia esse Trinitati. vnde Psal. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et 1. Cor. 8. *vnus est Deus pater, ex quo omnia: vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia.* Quare confitendum est, nullius creaturæ quantumlibet paruæ creatorem alium esse quàm Deum, atque omnes figuras, species, & formas naturales, quas videmus in quibuscúnque nascentibus, non extrinsecus adhiberi, sed intrinsecus creatoris intima potentia effici, nulli posse tribui creaturæ, sed Deo soli creatori, qui diuina sua potentia cœlum & terram implet, necnon sapientia à fine vsque ad finem attingit fortiter, & disponit omnia suauiter. Ita vt ab eadem vi diuina rerum omnium effectiua, à qua mūdus speciem suam accepit, cùm fieret, putà cœlum, rotunditatem, & Solem, etiam nunc res omnes naturales suam figuram & formam accipiant, quam non extrinsecus exhiberi, sed cum eis intrinsecus nasci videmus. Habent enim illæ formæ causam efficientē, secretum naturæ viuentis & intelligentis arbitrium, quod non nisi Deus est. Quare agricolas non dicimus frūctuum creatores, cùm legamus: *Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.* Neque ipsam terram, quæ tanquam mater fœcunda, germina promouet, fixaque radicibus continet, cùm similiter legamus: *Deus vnicuique seminū dat proprium corpus, quomodo voluerit:* nec mulierem sui partus creatricem appellamus, sed illum, qui Hieremiæ dixit: *priusquam te formarem in vtero, noui te.* Et Iob 10. *manus tuæ plasmauerunt me.* Quare licèt variæ causæ seminales adhibeantur operationibus hominum aut angelorū vel quorumcúmque animaliū, herbarum, arborum, aliarúmque quarumlibet rerum, attamen ipsas naturas, vt sic vel sic in suo genere nascantur, non efficit nisi summus Deus: cuius occulta potentia cuncta penetrans incommutabili præsentia facit esse, quidquid aliquod modo est, in quantum est: quia nisi faciente illo vt tale aut tale esset, prorsus esse nō posset. Qui licet virtutē motus proprios efficiendi, suóque creatori cooperandi largitus sit creaturæ, attamen solus Creator dicitur: quia neque ex materia illa facit aliquid, quam ipse ab initio nō creauerit, nec cooperarios habet, nisi quos ipse fecit, & quibus vim effectiuam dedit, à quibus si potentiā suam rerum omnium conseruatiuā, concursúque substrahat, nec operabuntur, nec erunt, sicut, antequā fierent, non fuerunt. Cū autem soli rerum omnium authori in recognitionem sūmi dominij, naturæque ab eo acceptæ cultus Latriæ debeatur, profitendo Deum esse creatorem, significamus, Deo soli offerenda esse sacrificia, cui omnis natura ab ipso creata naturaliter seruit est, variosque de rerum ortu, mundique origine confutamus errores tam Philosophorum quàm hæreticorum.

Quomodo res quædā creatæ necessariæ dicantur? Ench. c. 27

Deus vt essentia vnus est in personis, naturaliter trinus est creator.

* Aug. lib. 5. de gen. ad lit. ca. 16. & sequen. lib. 12. de ciuit. c. 24. & 25.

Figuras, species & formas rerū naturalium Deus quotidie adhuc efficit.

1. Cor. 3.

1. Cor. 15.

Ieremi. c. 1. Iob. 10. 2. Machab.

Profitendo Deum esse Creatorem significamus ei soli debitū esse Latriæ cultum.

CAP. LIII.

Omnia visibilia & inuisibilia sût à Deo.

CÆli & terræ: id est, totius machinæ mundi authorem esse Deum credimus; ita vt nulla sit res vllibilis aut inuisibilis alia à Deo, quæ non sit ab ipso producta ex nihilo. *Dixit enim et facta sunt*, citra moram temporis, nullâ vi, aut necessitate coactus; sed sua sponte atque libera voluntate. Neque verò alia ex causa nisi vt bonitatem suam communicaret, immensæque potestatis ac sapientiæ vestigium exhiberet, tam admirandum fabricæ mûdi opus ex nihilo esse fecit. Nam ipsa Dei natura per se beatissima, nullius rei indiga est. Deus enim bonorum nostrorum non eget. Ab æterno enim in seipso, & per seipsum est; ac seipso perfruitur. Vtque sola bonitate impulsus mundû condidit: ita non ideam, exemplum, aut formam extra se positam secutus est, cùm vniuersa conderet, sed ex seipso sumpsit. Nam diuina intelligentia rerum omnium exemplar continetur, quod in seipso Deus intuens ac velut imitatus, sua propria sapientia & virtute cuncta produxit.

Deus vt suã bonitatem alijs communicaret, mundum ex nihilo fecit.

Psal. 148.

Psal. 15.

Deus mundû creauit, vt suam bonitatem cõmunicaret.

Cæli & terræ nomine quid intelligendum.

Cæli & terræ nomine, quidquid his continetur, intelligendum simul est. Nam cælum orbis pars suprema est; terra verò centrum, sub quibus extremis omnia rerum vniuersitate comprehensa, quæ sensu vel mente à nobis percipi queunt, creata esse à Deo cõtinentur: iuxta illud Psalm. 88. *Tui sunt cæli, & tua est terra: orbem terræ, & plenitudinem eius tu fundasti*; declarans, præter cælos, Deum solis, lunæ, siderûque splendorem, motum, constantémque orbium cælestium cursum, vt essent *in signa, et tempora, & dies et annos*, addidisse, terrâmque in media parte mundi statuisse, ornatam mõtibus & vallibus, arboribus, omnique herbarum & florum varietate, innumerabilibúsque animãtium generibus, sicut antea quoq; aquas & aëra animantibus, luce, aliisque modis exornârat, prout Moyses in lib. Gen. describit. Quam creationis historiam Deus extare voluit, vt fidelis populus non alium Deum quæreret, nisi qui à Moyse propositus est mundi conditor. Illic primò tempus notatum est, vt humani generis rerúmque omnium origo ex annorum continua serie agnosci posset. Cuius rei cognitio per necessaria fuit ad excludendum prodigiosas de rerum omnium prima origine fabulas. Quidam enim mundum ingenitum, atque nunquam interiturum posuerunt: contra quos disputat Aug. lib. 11. de ciuit. Epiph. Athanas. Lactant. & alij, sedulò refellentes illud Aristotel. axioma: *Ex nihilo nihil fit*. Alij cuncta sponte nata ex fortuitis atomorum concursibus senserunt: contra quos Lactant. libr. 2. Instit. disserit. Plato mundum ex præiacente materia factum esse docuit, ac proinde opificem ex materia, non creatorem ex nihilo producẽtem Deum putauit. Quem Stoici, vtique hæretici secuti materiam Deo coæternam esse opinati sunt, vt de Hermogene, atque Martione Tertullianus, de Manichæis & Seleucianis Augustin. referunt. Nonnulli mundum docuerũt quidem conditum, sed à duabus æternis virtutibus sibi contrarijs, vna bona, altera mala. Ita Simõ Magus, Seleuciani, Patriciani, Cani, Sethiani, Archontici, & Manichæi Pythagoram sequuti: de quibus Epipha. & Aug. de hæresibus. Quos aptissimè B. Aug. imperito cuidam in artificis officinam ingresso comparat, qui multa ibi conspiciens in-

Psal. 103.

Gen. 1. 6. Creationẽ rerũ Moyses describit.

Errores de prima rerũ Orig. ne. Aug. lib. 11. de ciui. c. 4. Epiphan. hær. 4. & sequent. Athan. in orat. de incarn. Verbi. Lactãt. li. 2. instit. c. 11.

Tertullian. li. 5. cont. Martion. & li. cont. Hermog. Aug. hæresi 46. & 59. Epiph. hæresi 22. 23. 38. 39. 40. & alijs. Aug. hær. 46. Aug. li. 1. de gent. cont. Manich. c. 16. & tract. 1. in Ioan.

strumenta, quorum vsum ignoret, superflua dicat: & si eorum aliquo se vulneret, etiam perniciosa esse arbitretur quorum tamē omnium insignem vsum opifex nouerit. Sic, ait, in Dei operibus insipientes ea reprehendunt, quorum causas non vident, cùm omnia sint bona, conditorique suo placentia, qui eis ad gubernationem vniuersitatis (cui summa lege dominatur) sapientissimè vtitur. Denique nonnulli Deum omnia mediantibus alijs spiritibus creasse somniant, Platonis authoritate inducti, qui minores Deos à summo Deo factos, rerum ceterarum effectores esse, ac hominis immortalem partem à summo Deo, (animum scilicet) mortalem verò (putà corpus) ab illis accipi posuit. Aug. lib 12. de ciuit. c. 24. & sequ. Cuius errorem Aug. diligenter refellit. Ex quo errore Arrius Patrem tanquam maiorem, per Filium veluti minorem, omnia creasse docuit.

Cyril. lib. 5. thesau. c. 3. Postremus error de mundi ortu est constituentium, non in tempore, neque initio temporis, sed sempiternè ipsum factum esse, vt initiū habeat substitutionis, non temporis: veluti si pes ab æterno fuisset in puluere, vestigium quoque à calcante factum semper fuisset, quamuis pes prior puluere non esset. Hoc commentum refutat Augustin. lib. 10. de ciuit. cap. 31.

Mūdus est creatus, nō æternus.

CAP. LIIII.

Quibus argumentis demonstretur, mundum non fuisse ab æterno.

Rationes euincentes mundum non esse æternum. PRæter infallibilem scripturæ sacræ authoritatem, quæ creationis rerum historiam continet, etiam rationibus, incepisse mundum, euinci potest. Nam si mundus ab æterno fuisset, rerum in mundo gestarum monumenta omni memoria hominum antiquiora exstarent: at nulla omnino sex annorum millia excedunt. Nam Berosi historia omnium prophanarum vetustissima, tēpus diluuij ac Noë non superat. Moysis autem historia omniū sacrarum & profanarum antiquissima, quinque millium & septingentorum annorum memoriam non attingit. Præterea omnium gētium, populorum, prouinciarum, & ciuitatum, nec non regnorum, & Monarchiarum origo reddi potest. Ergo esse aliquando cœperunt. Postremò multæ nationes, regiones, & flumina retinent nomina filiorum Sem, Cham & Iaphet, à quibus omnes populi super faciem vniuersæ terræ disseminati esse asseruntur: vt Riphæi montes, Phutensis regio, Sydonij, Chananei, Assyrij, Elamitæ, Medi, Iapones. Ioseph. l. 1. contra Apionem. Iust. apol. 2. Clemens strom. lib. 1. Tertull. in apol. cap. 19. Aug. l. 18. de ciu. cap. 39. Gen. 10.

Obiectiones Philosophorum dissoluit D. Tho. libr. 2. cont. gentes. cap. 31.

CAP. LV.

Quid ante mundum creatum egerit Deus?

Quid ante mūdi creationē Deus egerit. QVia carnalis hominis sensus curiositate quadam per immensa seculorum spatia, quæ creationem mundi præcesserunt, diuagatur, in eam cogitationem facilè incidit, vt quærat: Quid ante creatum mundum egerit Deus? & an otiosus immensum temporis imaginarij spatium præterfluere siuerit? D. Aug. refert, quemdam elusisse quæstionis violentiā, respondendo: *alta scrutantibus gehennas parabat.* Aug. lib. 11. cōfess. c. 12. Qua graui responsione admonemur, arcana Dei consilia reuerenter esse suspicienda, non autem curiosè indaganda,

dagandaꝫ cùm Deus sit infinitus, inuisibilis, eiúsque sapientia, & virtus, & iustitia incomprehensibilis: cuius voluntate superior flagitari rerum causa non debeat; nec extra mundum egredi, ad percurrenda immensa temporum & locorũ spatia opus sit, cùm satis multa in amplissimâ cœli & terræ circumferentiâ homini occurrant, quæ inæstimabili suo fulgore sensus omnes nostros absorbeant, & intra quinque & amplius annorum millia satis multa Deus ediderit documenta, in quorum assiduâ meditatione nos exerceamus. Proinde in illis, quibus nos velut cancellis Deus circumscripsit, maneamus, & mentes nostras contrahamus, ne vagandi libidine diffluant. Nec tamen curiosa mens humana Deum ab æterno quidem fuisse, sed otiosum, inertem ac desidem imaginetur, digna quæstio est, cui seriò respondeatur: quẽ-

Lib. 11. confess. cap. 12. admodum & ipse Augustinus post repressam hominis proteruiam respondendum duxit, in hunc modũ: *Antequam faceret Deus cœlum & terram, non faciebat aliquid, quia nulla fiebat creatura, antequam esset vlla creatura: & quoniam ante tempora à Deo creata, nulla fuerunt tempora, ideò non erat, tũc, neque ante, vbi tempus non erat. Etenim Deus non tempore præcedit tempora, alioquin non omnia tempora præcederet: sed celsitudine semper præsentis æternitatis, in qua nulla est temporum successio, nec mutatio aut vicissitudinis obumbratio.* Cuius quæstionis profunditatem pleniùs euacuans alibi, subijcit: *Deum ab æternitate initio carente, seipso beatum fuisse, atque coæternum sibi Verbum genera sse, quod sempiternè dicitur, eóque simul ac sempiternè dicuntur omnia, ita nihilominus vt non simul fiant omnia: quoniam omne quod esse incipit & esse desinit, tunc esse incipit, & tunc desinit, quando debuisse incipere vel desinere in æterna ratione cognoscitur, vbi nec incipit esse aliquid, nec desinit.* Ab æterno igitur Deus Pater Filium genuit, & cum Filio Spiritum sanctum produxit, seipsaque Trinitas beata fuit: cuius participatione bonitatis omnis creatura sit bona, lucida, beata. Nam creatura nihil perfectionis creatori præbet, sicut nec nuulus fonti, nec radij Soli.

Iac. 1.

Li. 12. de ciuit. c. 17.

Li. 11. confess. cap. 7.

CAP. LVI.

Quomodo absque sui mutatione Deo in mentem venerit, vt creaturas non citiùs, sed initio temporis crearet?

Quomodo absque sui mutatione Deus cũcta creauerit?

CReationem mundi Deus neque nouo consilio, neque mutabili voluntate, sed æterna & immutabili decreuit, quæ non necessariò, sed liberè effectum producit, quando esse vult. Ideóque vna eadémque immutata voluntate fit, vt res non sint, quando non fuerunt, & vt sint, quando esse cœperunt.

Aug. Li. 11. de ciuit. c. 4.

Deus libere absque mutatione aut passione agit.

Agit enim Deus libertate, absque vlla sui mutatione, sine labore, vicissitudine, motione, affectione, agitatione vel passione. Quiescẽs enim agit, & agendo quiescit, eadémque voluntate effectus diuersissimos producit: ac vt res sint, aut nõ sint, agit. Quemadmodum enim sol absque vlla sui mutatione eodem calore glaciem soluit, & lutum indurat, diuersissimósque effectus producit: ita vna, sempiterna, & incommutabili voluntate, absque vlla nouitate, Deus nouos, diuersissimósque effectus facit: quia omnis nouitas, quæ in exortu creaturæ accidit, non in Creatore, sed in nascente creatura reperitur. Deus enim creare, fa-

Vna sempiterna volũtate Deus omnia facit.

Deus in se quiescens causa est rerum.

cere, agere dicitur, quia causa est rerum in tempore existentium. Talibus enim vocibus Deo attributis non motum voluntatis eius, sed nouum aliquem effectū significamus, vt Aug. docet. Deus enim ab æterno eandem essentiam, scientiam, voluntatem & actionem habuit, qua productæ sunt omnes creaturæ; & fuit semper causa in actu, non autem in potentia. Sed quia causa hæc infinitæ virtutis est, nec necessaria, sed libera, ideo etiam posita in actu causa hac sufficientissima, non sequitur effectus, nisi cùm illa vult effectum consequi; & tunc accedit voluntati Dei solus respectus rationis ad res futuras, quando vult existere, ac ab eodem recedit, quando non vult existere.

Li. 12. de ciuit. ca. 17. & li. 1. de gen. ad lit. ca. 18.

Deus est causa in actu sed libera, ideo effectus existit quādo vult: ille D. Tho. l. 2. cont. gent. cap. 32.

CAP. LVII.

Cur Deus Mundum tandem creauerit?

Cur Deus mundum creauerit?

SAtis esse Christiano, tradit Aug. rerum creatarum causam, siue cœlestium siue terrestrium, siue visibilium siue inuisibilium, non nisi bonitatem credere Creatoris, qui vnus & verus est Deus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus: qui summè bonus & beatus, alios etiam voluit participes esse bonitatis suæ ac felicitatis; vt illis verbis Gen. 1. significatur: *Et vidit Deus, quòd esset bonum*, Prouerb. 16. *vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*; vt suam bonitatem, potentiam, & sapientiam communicaret ac demonstraret. Ex rerum enim omnium cōditarum vtilitate bonitas, ex magnitudine potentia, ex dispositione sapientia Dei commonstratur: vt homines intelligant inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, quantáque totius machinæ mundi opifici gloria, laus & honor debeatur. Eruditionis enim creaturis ratione præditis, ac in Dei amorem prouehendis, Mundi officina est accommodatissima. Quis enim ex creaturarū magnitudine Creatoris infinitam esse vim non colligat? quis ex rerū omnium vtilitate, summam eius bonitatem nō videat? denique quis eum diligendum non censeat, qui in hominum gratiam tam eximia opera effecerit? Cœlum quidem, in quo sempiterna felicitate perfruamur, terram verò cum omnibus, quæ in ea sunt, creaturis & commoditatibus, ne quid homini tempore decursus vitæ transitoriæ deesset.

Aug. Ench. cap. 9. Li. 1. de doct. Christ. c. 32.

Prosper sententia 141.

Ex creatione mundi in creatoris amorem euehimur.

Mundi cōtemplatio in Dei amorem prouehit.

Rom. 1. Sap. 13.

CAP. LVIII.

Vtrùm simul, an successionis ordine Deus res creauerit?

An simul omnia creata sint?

DVæ sunt de ordine creationis rerum sententiæ: PRIOR est Philonis, Origenis, & Augustini, quem Procopius, Caietanus, & nonnulli alij sequuntur. Hi arbitrantur, Deum vno momento res omnes in sua perfectione condidisse, Moysémque sua descriptione tantummodo cognitionis angelicæ ordinē repræsentare voluisse, illudque significari Ecclesiastic. 18. *creauit omnia simul*.

Philo libro de allego. Orig. lib. 4 Periar.

Aug. li. 1. de gen. ad lit. c. 15. & lib. 6. cap. 5. Li. 11. de ciuit. cap. 9.

Altera sententia est, Deum per interualla & successionem temporis mundum creasse, résque omnes, sicut à Moyse narrantur, certis diebus distinxisse. Quę olim placuit Basilio & Græcis; Ambrosio, Hieron. Gregorio, Bedæ, Strabo, Ruperto, Magistro sentētiarum, & tanquam probabiliori ab omnibus penè recipitur. Sex autem diebus opus suum Deus digessit, vt significaret, nos in operum suorum meditatione toto vitę huius decursu occupari debere: quo finito, beata Dei contemplatio-

Cur sex diebus digestum.

ne perfruentes, in æternum quiescamus.

CAP. LIX.

Vnum Deus vnicum mundum creauerit?

Aug. lib. de hæres. c. 77. Vnicus est mundus.

NOn defuerũt hæretici, qui Democritum sequuti, plures esse mundos opinati sunt, quibus scriptura sacra passim de vnico mundo loquens refragatur, vt Iob 28. Ipse fines mundi intuetur. Eccles. 3. mundum tradidit disputationi eorũ. Matth. 13. à constitutione mundi. Ioan. 1. mũdus per ipsum factus est. Ephes. 1. ante mũdi constitutionem. Cuius vnius mundi partes omnes, tum inter se, tũm ad Deum tãquam ad sui causam efficientem, exemplarem, atque finalem ordinem habentes, vnam veluti quamdam domum constituunt, in qua vnicus supremus sit Dominus & gubernator, à quo res cũctę suis functionibus deputentur, vt ad vnam totius vniuersi pulchritudinem constituendam resultent, sibique inuicem omnia prosint aut noceant: vt carminis exemplo illustrat Aug. in quo contraria contrarijs opposita sermonis venustatem cõficiunt. Perfectio autem vniuersi ex quatuor diuersis rerum gradibus consurgit, putà existentium, viuentium, sentientium, & intelligentium. vt obseruarunt Dionysius & August. Quamquam verò non plures, sed vnicum Deus mundum creauerit, attamen infinita sua effectrice potentia tam facilè alios ex nihilo producere mundos potest, quàm figulus ex eadem arte infinita formare vasa, si ei materia infinita non deesset.

Vnius mũdi vnicus rector & Dominus.

Pulchritudo mũdi ex contrarijs resultat. Aug. lib. 11. de ciuit. ca. 18. libr. 1. de gent. cont. Manich. cap. 16.

Perfectio mundi ex quatuor rerum gradibus consurgit.

Dionys. Areop. l. de cœlesti. Hier. cap. 4. Aug. l. 11. de ciui. c. 16.

Plures mũdos Deus creare potest.

CAP. LX.

De Angelorum creatione.

Angeli à Deo creati. Ioan. 1. Coloss. 1.

CErta fide tenendum est, angelos à Deo ex nihilo creatos esse, certúmq; suæ durationis spatium habere. Omnia enim per ipsum facta sũt. Et ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, qui est primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt vniuersa, in cœlis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates: omnia per ipsum, & in ipso cõdita sunt. Ceterùm quando angeli conditi fuerint, non perinde certum est. Multi enim opinati sũt ante corpora spiritus extitisse, ac postmodum in corpora velut carceres relegatos fuisse. Quod Origenist. commentũ à fide alienum est. Ex hoc porrò dogmate defluxisse videtur & aliorum sententia, qui angelos ante mundum visibilem creatos putarunt, inter quos Nazianzenus, Hilarius, Ambrosius & Hieronymus atque Damascenus recenseri solent. quæ sententia diligentiùs postea occasione Arianorũ (qui Christum etiam incepisse esse tradebant) discussa, minùs scripturæ consentanea visa est, quæ Angelos inter opera sex diebus facta commemorat. Quare Augustinus, Epiphanius, Beda, Scholasticique doctores veriùs angelos cum mundo corporeo fuisse cõditos docẽt. quorum sententiam Concilium Lateranense sub Innocen. III. cõprobauit. Moyses autem creationis angelorũ expresse non meminit, tum quia rudi populo corporeis tãtùm rebus assueto scriberet, tũ quia primi hominis cõditionem, & ipsum, & sal-

Angeli ante visibilem mundum creati?

Nazian. in ser. de nata. Basil. ho. 1. hepaem. Hilar. li. 12. de trinit. Ambr. li. 1. de opif. 6. dierum. Damas. li. 2. cap. 3. Aug. li. 11. de ciui. c. 9. Beda in 1. cap. gen.

Cur Moyses angelorũ creationẽ non expresserit.

Cœli nomine angeli comprehendũtur.

uatoris promissionem ob oculos proponere intendebat. Nomine tamen cœli etiam angelos, inuisibilésque omnes creaturas complexus est, quem imitati Apostoli etiam cœli nomine spiritualem naturam comprehenderunt, iuxta interpretationem Concilij Nicæni & Constantinopolitani: creatorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Duplicem enim intelligentem naturam Deus esse voluit, vnã corpoream, alteram incorpoream: & spirituali tanquam præstantiori cœlum empyreum, digniorem mũdi scilicet partem inhabitandam, homini verò terram, assignauit.

CAP. LXI.

De naturâ & proprietatibus Angelorum.

Angelorũ natura quæ & quales.

SPiritus nomen est naturæ, Angelus verò nomen est officij, idẽ significans, quod *nuncius* aut *legatus*: tribuitúrque hoc nomen non solùm cælestibus spiritibus, sed etiam hominibus, propter officij & potestatis angelicæ participationem. Sũt enim angeli ministri Dei, suam operam & officia ei impendentes: eius voluntatem, leges, miserationes & iudicia hominibus annunciantes. Per angelos enim Deus homines docet præterita, præsentia & futura: per angelos Deus bonos protegit, multáque beneficia largitur: per eosdem impios punit, coërcet, ac in gehennam proijcit. Sicut autem Angeli nomen ad homines, Dei voluntatem & legem annunciantes, transfertur: ita etiam ad facinorosos, qui diaboli velut instrumenta sunt. Ob quam rem Satanæ angeli dicuntur. Veteres Philosophi creaturas spirituales, non angelos, sed intelligentias, & substantias à materiâ separatas nuncupabant. Platonici etiam Deos ac dæmones appellabant, eósque sacrificijs, latriæque cultu honorandos tradebant. At Christiani eos non esse Deos, sed Dei veri ministros, qui hymnis eũ, tanquam suum Dominum & creatorem collaudent, eiúsque voluntati promptissimè pareant, suósque conseruos agnoscunt, quibus velut incorporeis & immortalibus non sit necessarius sexus, cùm neque propagatione augeri, neque morte diminui queant. Porrò Angeli nomine denotamus creaturam intellectualem, naturâ sua incorpoream, homine præstantiorem. Damascenus libr. 2. de fide cap. 3. Angelum definit esse substantiam intellectualem semper mobilem, suæ potestatis arbitrióque liberam, in corporalem Dei ministram, per gratiam, nõ natura immortalitatem consecutam. Aug. libr. de cognit. veræ vitæ tom. 9. *Angelus est*, inquit, *substantia incorporea intellectualis*. Vnde colligimus quatuor angelorum proprietates: videlicet, quòd sint spiritus, & personæ, ac intellectu rationeque præditæ, atque libero arbitrio vtentes. Platonici Angelis corpora ætherea tribuerunt, August. teste lib. 8. de ciuit. cap. 15. qui dubitasse hac de re quoque videtur; vt apparet Enchir. c. 58. 59. & alijs locis. Origenes angelos in corpora velut carceres detrusos opinatus est. Aristot. li. 4. Physicor. refert, quosdam Philosophos nihil agnouisse, quod non esset corporeum: quod etiam Saducæi & Manichæi senserunt. Cetertùm ex scripturis constat, angelos prorsus incorporeos esse. Psal. 103. *qui facis angelos tuos spiritus*. Spiritus autem carnem & ossa non habet. Vnde Apostolus: *non est nobis colluctatio aduersus carnem et sangui-*

Per angelos Deus bonos protegit, impios autem punit.

Malach. 2.

Iren. lib. 4. cap. vlt.

Angeli sũt Dei ministri.

Theodoretus lib. 3. de curat. Græc. affect.

Quid sit Angelus.

Dionys. Areop. lib. de cœlesti hier. cap. 4.

Quatuor Angelorũ proprietates. Angeli nõ sunt corporei li. 21. de ciui. cap. 10. L. 2. de gen. ad lit. c. 17. Origen. l. 1. Periarchon. cap. 6. Bernard. li. 3. de consid. Aug. hæresi 46. Matth. 8. Marci. 5. Lucæ 8. & 24. Ephes. 6.

nem, sed contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Sunt ergo Angeli substantiæ quædam incorporeæ, incor-
Matth. 25. ruptibiles, seu immortales, natura tamen sua mutabiles (quemadmodum suo casu nonnulli angelorum testantur) atque passibiles: vt ex æterno igne ipsis præparato liquet.

Quòd verò angeli sint personæ quædam rationales, & non tantùm Dei motiones, seu virtutes rerum, Dei potentiam annunciantes, vel ea, quæ Deus edit, suæ virtutis specimina, (vt opinati sunt Saducæi, omnes spiritus & angelos è medio tollentes) ex scripturis euidentissimum est. Nam loquuntur, *vident faciem patris, gaudent super hominum pœnitentiâ*, erudiunt homines, Deo assistunt, Deum laudant, ei
Act. 23. ministrant, leges promulgant, homines protegunt, eorum preces Deo offerunt, próque hominibus intercedunt, aduersarias potestates Angeli boni debellant: quæ omnia personarum officia sunt. Ex quibus etiam sequitur, angelos ratione vti, atque libero arbitrio: & quidem ab initio sic vertibiles conditos, vt potestatem haberent in bono manendi & proficiendi, & in deterius prolabendi. Sunt autem Angeli conditi, vt suum opificem in choro cœlesti hymnis laudarent, eique tanquam Domino ministrarent, iussaque eius omnia exsequerentur. Sunt autem in Cœlo Empyreo Angeli ab initio constituti, iuxta illud Isaiæ c. 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer?* & Ezechiel 28. *in deliciis paradisi fuisti.* Lucæ 10. *videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* 2. Pet. 2. & in epist. Iudæ dicuntur angeli mali suum dereliquisse domicilium, præcipitati in tartarum, aëremque caliginosum. Apoc. 12. describitur bellum factum in cœlo inter angelos bonos & rebelles, qui videntur ibi significari esse tertia pars omnium angelorum. Dicitur enim Draco secum traxisse tertiam partem stellarum. De natura verò Angelorum, ordinibus, numero, inter se differentia & officiis, subtiliter in libro de cœlesti Hierarchiâ Dionysius Areop. differit. Attamen, quę ibi sunt personarum differentiæ, & cùm omnes cœlestes isti spiritus generali nomine Angeli nuncupentur, vtrùm ijdem Archangeli, Virtutes, Sedes, Principatus, Dominationes siue Potestates nuncupentur, non ita clarè expressit, quum Augustinus ingenuè confiteatur, se ignorare. Calumnus autem Dionysium Areopagitam multa quidem subtiliter & argutè de Angelis disputasse scribit, verùm incerta inutiliáque illa omnia censet: Dionysiúmque scriptorem planè diuinum, garrulitatis, curiosæq; doctrinæ accusat, sed immeritò: cùm Dionysius ea tradat, quæ scriptura diserte continet. Ac inprimis cùm sint intelligentiæ incorporeæ, in Dei obsequium paratæ, illíque assistentes, sequitur, Angelos multò præstantiores naturâ esse hominibus. Quod Psal. 8. continetur: *Minuisti eum paullo minus ab Angelis.* & 2. Reg. 14. *sapiens es, quasi Angelus Dei.* ad Gal. 4. *sicut Angelum Dei suscepistis me, Licet Angelis de cœlo*, ad Gal. 1. Quantæ autem sapientiæ ac fortitudinis existant, ex Prophetarum instructione, quos etiam de rebus absentibus, præteritis, & futuris docuerunt, exercitus Pharaonis, atque Sennacherib repentinâ strage, intelligi potest. An verò eiusdem naturæ omnes sint, an diuersæ speciei, Damascenus se ignorare confitetur. D. Thomas singulos Angelos inter se differre specie opinatur: Scotus, Bonauentura,

Angeli non sunt Dei motiones, sed personę veræ.

Cur Angeli conditi. Isaiæ. 6. Hebr. 1. Damasc. li. 2. c. 3. Theodor. lib. 3. de curat. græc. affect.

Vbi Angeli conditi, an omnes in cœlo empyreo.

De natura Angelorũ.

Enchir. ca. 58.

Calui. lib. 1. Instit. c. 14.

Angeli hominibus natura præstant.

Angelorũ sapientia & fortitudo.

An Angeli specie differant. Damasc. li. 2. c. 3. Scotus in 3. di. lib. 2. sent. & alij.

Angeli differunt dignitate ac officio, non specie.

Durandus, & alij contra sentiunt, omnes Angelos eiusdem, esse speciei, ac solùm differre authoritate, ordine, stazione, illuminatione, dignitate ac officio: sicut in Ecclesiasticâ Hierarchiâ differunt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & reliqui inferiores ministri. Quæ sententia Scripturæ conformior apparet, cùm de Angelis passim, sicut de hominibus, & alijs eiusdem speciei rebus loquatur. Et cùm homines sint futuri similes Angelis Dei, si non tantùm numero & ordine, sed etiam specie differrent, sequeretur, homines beatos ad varias species transferendos. Quòd autem solo numero, non specie different, expressè docent Athan. Basil. & Aug. Enchir. cap. 29. & 58. & li. 3. de lib. arb. cap. 12. Gregor. Nyss. libr. de creatione hominis cap. 18. dicit infinita angelorum millia cõsistere in eadem essentia. Gregor. Nazianzen. in oratione in laudem virginit. Damascenus libr. 1. capit. 7. Anselmus lib. cur Deus homo. capite 21. Idem rationibus colligi potest: 1. omnes Angeli sunt ad eundem finem sempiternæ beatitudinis conditi. 2. Angeli eiusdem naturæ ad diuersos choros, imò Hierarchias pro meritorum diuersitate euecti. 3. sicut mereri & demereri, ita intensiùs aut remissiùs gratiæ Dei libero suo arbitrio cooperari potuerunt. 4. amicitia & consensus inter ea quæ sunt eiusdem naturæ, faciliùs seruatur. Cùm itaque angeli personæ sint, numero à se inuicem differentes, pro suæ dignitatis & ordinis ratione illuminationem & gratiam Dei participantes, sequitur, certo loco definiri eorum naturam & operationem, non quia more corporum loco circumscribantur, aut claustris vel muris contineantur, sed quia loco finiatur determinetúrque eorum substantia, perfectio, & operatio, ita vt simul in cœlo & in terra non remaneant. In locis autem non corporalibus, sed intellectualibus sunt, quia nec corporalem figuram nec magnitudinis interualla habent: sed cùm spiritus sint, intellectualiter adsunt & operantur, vbicumque iussi fuerint. Nec lingua vel auditu indigent, sed absque sermonis prolatione inuicem suos conceptus & voluntates insinuant. Apparent autem, quibus eos Deus apparere voluerit non secundùm id quod sint, sed in assumptis corporibus, ac in ea transfiguratione, qua possint conspici, imò & ab hominibus tangi. Qualia verò sint hæc eorum corpora, *quis explicet*? inquit Augustinus: sicuti etiam, quomodo non solida corpulentia, sed spiritali potentia quasdam visiones, non oculis corporeis, sed spiritalibus, vel mentibus ingerant, vel dicant aliquid, non ad aurem forinsecus, sed intus in animo hominis, etiam ibidem ipsi constituti, secundùm illud Prophetæ: *Et dixit mihi Angelus, qui loquebatur in me:* vel appareant in somnis, & colloquantur more somniorum. In his non inutiliter exerceri hominum ingenia scribit August. modò adsit disceptatio moderata, & absit error opinantium se scire, quod nesciunt. Tunc autem, sicuti est angelica natura, nobis innotescet, cùm ei coniuncti fuerimus in finem, ad simul habendam beatitudinem sempiternam. Quantus autem sit Angelorum numerus, solus is nouit, qui eos condidit: attamen ingentem angelorum esse numerum, ex Daniele cap. 7. Psalm. 34. 67. & Apocal. 5. (*erat numerus millia millium*) constat, vbi Deo myriades assistere legimus angelorum, qui prompti sunt ad eius voluntа-

Basil. lib. 3. cont. Eunom. Athan. q. 4. ad Antiochum.

Quomodo angeli loquantur.

Apparitiones angelorum.

Aug. Enchir. c 59. Gen. 18. 19. 33 Tob.

Zachar. 2. Matth. 1.

De numero angelorum. Matth. 26. Legionum fit mentio.

Angelorũ natura & operatio definitur loco & circumscribitur terminis essentialibus non localibus.

tem implendam, confestimque naturæ agilitate se transferant, quocunque diuinus nutus iusserit. Ob quam rem scriptura, licet spiritus forma careant, eos tamen nobis alatos depingit, vt incredibili celeritate ad auxilium nobis ferendum (quando res tulerit) præsentes adesse non dubitemus.

CAP. LXII.

Quales Angeli, quoad gratiæ munera, conditi sint?

Sanctitas non est angelis naturalis, sed Dei beneficio naturæ adiecta.

INter certa bonitatis & sapientiæ suæ opera Deus Angelicos spiritus sapientes & iustos condidit. Per verbum enim Dei creati naturam acceperunt, & per sanctificationem Spiritus sancti perfecti, pro suæ dignitatis ratione illuminationem & sanctitatis gratiam adepti sunt. Nam sanctificatio non est eis naturalis per essentiam vt Deo, sed foris proueniens ex Spiritu sancto: ideoque ab ea prolabi potuerunt, quemadmodum de Sathana scriptum est: *In veritate non stetit*, id est, non perseuerauit. Vnde perspicuum est, ipsum & reliquos desertores angelos ab ortus sui initio gratiâ prædictos fuisse: quod Isaias apertè significat, dicens: *Quomodo de cœlo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris?* Et Ezechiel: *à diebus conditionis tuæ plenus sapientia & decore.* Et Petrus ac Iudas scribunt, angelos perdidisse suum domicilium & principatum, quem scilicet ab initio conditionis suæ, tam secundum excellentiam naturæ, quàm iuxta munera gratiæ obtinuerunt, sicut Lucæ 10. ait Christus: *videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* In quo scilicet Deus cum bona voluntate, id est, casto amore, quo illi adhærent, angelos omnes creauerat, *simul in eis condens naturam, et largiens gratiam*, inquit Augustinus. Quare certa fide tenendum est, Diabolum ab initio bonum à Deo factum esse, non autem semper malum extitisse, vt Manichæus delirauit. Addunt veteres, aliquo tempore non solùm bonum fuisse, sed etiam vitæ æternæ capacem, atque ad eam promerendam donis supernaturalibus præparatum extitisse. De Angelis autem bonis, quòd ab initio in iustitiâ creati sint, perseuerantiæque merito confirmari promeruerint, constans est veterum sententia. Quos etiam D. Thomas sequutus est, repudiatæ Hugonis & Magistri sententiarum opinione, quæ habet, angelos ab initio sic fuisse creatos, vt stare atque non peccare possent, sed non mereri, idque, quia scirent, quò tendendum esset, sed non haberent voluntatis dispositionem, qua meritoriè id exequerentur. Cui sententiæ Veterum scripta repugnant, dicentium, bonum Deum simul creasse naturam, & infudisse gratiam, vt scilicèt finem suum nouerint, & ad eum conuenientibus mediis dirigi ac tendere valuerint. An autem quidam angelorum suum lapsum aut perseuerantiam cognouerint, dico eandem fuisse rationem angelorum & hominum: ideoque angelos, priusquam ad terminum sibi præfixum peruenissent, de sua perseuerantia non fuisse securos, id verò præmij loco accepisse, vt de sua stabilitate securi essent. Porrò quòd hominibus mors, hoc Angelis lapsus fuit: ideoque illis non est pœnitentiæ locus, vt neque hominibus post mortem.

Basil. in Ps. 32. Cyril lib 6. in Ioan. c. 6. Damascen. lib. 2. cap. 3. Greg. li. 22. Mor. c 24.

Hugo Victorin' l. 1. de sacram. part. 5 c. 19. & 20. Magi. li. 2. dist. 3.

Angeli boni suam cõfirmationẽ promeruisse.

Aug. Ench. c. 28. & 29. Lapsus angelis quodammodo hominibus. Damasc. li. 2. c. 4. de fide.

Ioan. 8.

Angeli omnes in gratia conditi Isa. 14. Ezechi. 28. Etiam Lucifer in gratia est conditus.

Aug. lib. 11. de ciuit. ca. 11. & seq. Aug. lib. 12. de ciuit c. 9. lib. de correp. & grat. c. 16. & 21.

CAP. LXIII.

De causâ Angelicæ ruinæ.

Ang. Enchirid. 23. & 28.

QVamuis Deus omnes Angelos bonos sanctósque creasset, non tamen summè perfectos nec immutabiles: ideóque qua parte ex nihilo fuerunt, bona voluntate abiecta sibi placere, Deóque rebelles esse potuerunt. Sua enim pulchritudine delectati, Deóque nolentes subijci, sibi ipsis duces vitæ, authoréque beatitudinis esse voluerunt.

Damasc. li. 2. ca. 3.

Angelorũ ruina. Isa. 14. Ezech. 28. Eccles. 10. 1. Tim. 6.

Hinc initium peccati, superbia, & radix omnium malorum cupiditas: id est, inordinatus plus habendi, quàm conueniat, appetitus, siue pecuniæ, siue alicuius excellentiæ.

Quomodo sapientissimus à Deo recessit.

Sed quomodo Angelus sapientissimus eò vesaniæ prorumpere potuit, vt Altissimo similis esse vellet? Respondet variis locis August. tam Angelum quàm hominem in sui ipsius pulchritudine amoréque quiescentem, facilè meliori spreto bono, sibi ipsi placere, desertóque incommutabili Deo ad caduca intentionem transferre. Ex Angelis ergo creatis, vt sapienter beatéque viuerent, alij propriâ voluntate steterunt, alij verò electione ad seipsos conuersi defecere, malique ac miseri effecti, superbiâ, inuidiáque repleti sunt.

CAP. LXIV.

Ex quo Angelorum ordine diabolus fuerit?

Ephes. 6. Aug. lib. 11. de gen. ad cap. 19.

CVm ex Apostolo constet, non solùm ex infimo Angelorum ordine, sed etiam ex principibus & potestatibus quosdam Deo deserto Luciferò in elatione adhæsisse, non improbabiliter colligunt veteres, diabolum fuisse summum Angelorum, qui ex omnibus ordinibus Angelorum nonnullos in suam societatem pertraxerit: cuius tyrannidi iusto Dei iudicio inobedientiæ suæ merito subiugati sunt.

Basil. hom. 9. Gregor. Isidor. Diabolus ex omnibus ordinibus quosdam in suũ consensum pertraxit.

Damascenus quidem opinatur, diabolum ex postremo angelicorum spirituum ordine, qui custodia à Deo commissa fuerit, extitisse sed veriorem esse putamus Basilij, Augustini, Gregorij, Isidori, aliorúmque sententiam, qui tradunt, Sathanam supremum fuisse angelicorum spirituum, superbiáque aduersus Deum elatum, infinitam ex singulis ordinibus Angelorum multitudinem in suas partes pertraxisse, quorum nunc princeps & caput est, qui hominibus felicitatem, ad quam creati erant, inuidentes, à Dei obedientia eos abducere omni studio moliuntur: quibus vitia suggerere, variisque modis suadere, non tamen voluntatem hominis cogere possunt. Nocere insuper, nisi Dei permissione, nequeunt: quo permittente, plurima efficiunt, seque in quam volunt figuram transformant. Prædicunt etiam, quæ futura sunt, aliquando ex causis euentus prospicientes, nonnumquam verò conijcientes: vnde & pleraque mentiuntur. Quibus nulla fides adhibenda est, etiam nonnumquam vera proferant: quia non dicunt vera, nisi vt ad falsa deducant, nec benefaciunt, nisi vt occultè lædant. Vnde ipsorum beneficia omnibus sunt nocentiora vulneribus,

Damasc. li. 2. c. 4.

Sathan. fuit Angelorũ Supremus.

Apoc. 12. Iob. 1. Matth. 8.

Diabolus ad malum non cogit sed inuitat.

Diabolus vera quædã dicit vt amplius fallat.

Diaboli beneficia vulneribus nocentiora.

CAP. LXV.

CAP. LXV.

De Angelorum distinctione & ordinibus.

Angeli non naturâ sed ordinibus distincti.

ANgeli non naturâ sed illuminatione, stationéque differentes ab initio simul omnes creati, & in nouem ordines, tresque Hierarchias, id est, sacros principatus, distributi sunt. Ita se à Diuo Paulo edoctum fatetur Dionysius Areop. qui tres Hierarchias constituit; supremam, medium & postremam; ac singulis Hierarchiis tres angelorum acies seu choros assignat. *Prima* Hierarchias continet Seraphim, Cherubin, & Thronos: *Secunda* dominationes, virtutes, potestates: *Tertia* principatus, archangelos & angelos. Quid autem distent inter se angelorum vocabula, quibus vniuersa cœlestis societas comprehensa est, Augustinus Enchiridij ca. 58. se ignorare profitetur: idque apparenter, quia Dionysij librum hac de re tractantem non viderat: qui licet plurimum lucis ad cognitionem angelicæ naturę contulerit, attamen cap. 6. de cœlesti Hierarchia confitetur, solum Deum ipsasque cœlestes Virtutes exactè singulorum ordinum distinctiones cognoscere. Docet autem Dionysius, nomina ordinum proprias functiones spirituum cuiusque ordinis denotare. Ideóque SERAPHIM, id est, *ardentes* vel *succedentes*, illi spiritus appellantur, qui præ cæteris Dei charitate flagrant, alioſque inferiores ad Dei amorem inflamment. Cuius nominis Isaias c. 6. meminit. Nec alibi hoc nomen scriptura reperiri notat ibidem Hieronym.

Lib de cœlesti hier. Theodor. lib. 3 de angelis. Damascen. lib. 2. cap. 3. Greg ho. 34. in Euāg. S. Thom. 1. p. q. 108. Aug. apertè fatetur se ignorare quid inter se angeli differāt. lib. 12. de gen. ad lit. c. 29. lib. cont. Priscillianistas ad Orosium. c. 11. Idem fatetur Damas. lib. 2. cap. 3. Angelicam naturam Deus & ipsi angeli exactè nouerunt. Lib. de cœlesti hier. c. 7. & 15. Seraphin.

Cherubin.

CHERVBIN (*multitudo scientiæ*) vocantur illi spiritus, qui scientiâ præ alijs eminent, inferioréſque illuminant. Hujus nominis scriptura mentionem facit Gen. 3. 2. Reg. 22. Ps. 17. & 79. *qui sedes super Cherubin*, id est, qui omnem scientiam superas. Quod nomen etiam diabolo propter inflantem scientiam Ezechielis 28. tribuitur: *perdidisti ô Cherubin*: in quem locum Hieron. Dionysius, cap. 7. Gregor hom. 37. in Euang. scripserunt.

Throni

THRONI *vel* SEDES *appellantur* spiritus, qui diuinos fulgores susci-pientes, tantâ diuinitatis gratiâ replentur, vt per eos Deus sua iudicia decernat. Quorum Apostolus Colossens. 1. meminit. Dionys. cap. 7. Greg. hom. 34. in Euang.

Secunda hierarchia

Secunda Hierarchia eos spiritus complectitur, qui in rerum agendarum dispositione varijs modis excellunt. DOMINATIONES vocantur illi spiritus, qui ea rectissimè ordinat, quæ ad Dei gloriam gerenda sunt, & ad hoc peragendum alios dirigunt: de his Apostolus ad Colos. 1. Dionys. cap. 8.

Dominationes.

Virtutes.

VIRTVTES nuncupantur, qui masculâ quadam fortitudine ad obsequium Dei expediti sunt, inferioribúsque ad idipsum vires & opem præstant: de quibus Psal. 148. & Apostolus Ephes. 1.

Potestates.

POTESTATES dicuntur spiritus, qui inseparabili quadā constantia in Dei obsequium intenti sunt, & inferiora ad illud agmina promouent. De quibus ad Coloss. 1. Apostolus. Dionysius, Gregorius, Bernardus libro quinto ad Eugen.

Tertia Hierarchia. Dionysius Areopag. c. 9 cæl. hier. Principatus.

TERTIA Hierarchia eos spiritus complectitur, qui in rerum gerendarum executione peculiari quadam gradus excellentia præminent; quorum primi sunt, Principatus, seu principes: de quibus Apostolus ad Coloss. 1. & ad Ephes. 1. & Psalm. vigesimo tertio: *attollite portas principes.*

Archāgeli.

ARCHANGELI vocantur, qui in

rerum gerendarum executione medij sunt: quorum Apostolus meminit 1. Thessal. 4. & Iudas in sua Canonica.

Angeli. Angeli verò nuncupantur, in rerum gerendarum executione infimi, qui nomen omnibus cælestibus spiritibus commune retinent, cuius passim in scripturis fit mentio.

Athan. tom 4. q. 4. Damasc. lib. 2. cap. 3. Theodoret. lib. 3 de cur. Græc. affec. Oecum. in 15. cont. Lucif. Anselm. in 2. Cor. 12. & in cap 1. ad Ephes. & 1. c. ad Coloss.

Eodem, quo Dionysius Areopagita modo, spirituum cælestium ordines recensent Athanasius, Damascen. Theodoretus, Oecum. Anselmus & passim doctores. Gregorius tamen homil. 34. in Euang. loco virtutum numerat Principatus: quem sequitur Bernard. lib. 5. ad Eugen. & sermon. 19. in cantica; & Rupertus in cap. 2. Nahum Prophetæ.

Dionys. Areop. c. 6. Quomodo autem prædictæ cælestium spirituum sacræ functiones peragantur, & quæ ibi singularum personarum, ordinum, ac propriarum actionum distinctiones sint, solus Deus, atque ipsæ cælites Virtutes exactè norunt: vt ipse Dionysius cap. 6. confitetur; & Nazianzen. oratione 2. de Theologia: necnon Aug. Enchir. cap. 58. & lib. ad Orosium cap. 10. & lib. 4. de gen. ad lit. c. 3.

An idem spiritus ratione diuersorum officiorum, differétium ordinum nomen sortiatur. An verò, sicut nomen Angeli omnibus creatis incorporeis spiritibus attributum est, quia illorum ministerio Deus ad exequēda, quæ decreuerit vtatur, ita etiam aliæ, quibus insigniuntur appellationes, & simili ratione omnibus tribui possint ad commendandam angelici ministerij dignitatem, ambigunt nonnulli, existimantes, quòd vniuersi Angeli, EXERCITVS vocentur, quia vt satellites principem suum circumdant, eius maiestatem perspicuam reddunt, & instar militum ad sui ducis signum intenti, ita expediti, vt simul atque annuerit, in opere sint. THRONI quoque appellentur, quia in illis quodammodo resideat gloria Dei. Quia verò per eos imperium suum in mundo exerceat, ideo dicantur nūc PRINCIPATVS, nunc POTESTATES, nunc DOMINATIONES. Postremò quia vim fortitudinémque manus suæ Dominus per ipsos miris modis exerat, ideo appellentur VIRTVTES: & quoniam homines ad sui amorem notitiámque Deus per eosdem inducat, suámque erga humanum genus beneficentiam prouidentiámque declaret, ideò etiam CHERVBIN & SERAPHIN appellentur. Quæ opinio scripturis consentanea videtur, quæ Michaëlem nunc Archangelum, nunc Principem Magnum appellant. Ceterùm siue dicta sententia vera sit, siue potiùs Dionysij Areop. (quam Ecclesia communiter tenet) hoc potissimùm ad fidei nostræ consolationem pertinet, quòd Angeli diuinæ erga nos beneficentiæ dispensatores sint, pro nostra salute excubent, nostri defensionem suscipiant, vias nostras dirigant, solicitudinem gerant, ne quid aduersi nobis accidat, iuxta illud Psalm. 91. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* & Psalm. 34. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Sicut angelus Domini cōsolatus est Agar fugientem dominam suam, & reconciliari iubet: ac seruo Abraham pollicetur, quòd angelus sit itineris eius director futurus. Iacob precatur, vt angelus, per quem ab omni malo ereptus fuerat, benediceret filiis Ioseph. Et protegendis Israëliticis castris Angelus præfectus fuit. Et quoties Deus Israëlem de manu hostium liberare voluit, toties per

Daniel 10.

Angelica ministeria.

Angeli homines custodiunt, variáque beneficia præstant.

Gen. 16.

Gen. 24.

Gen. 48.

Exodi. 14. & 23.

Angelos vindices excitauit. Per Angelos Thobiam & Saram curauit, Elizæum protexit, Ezechiam obsidione liberauit. Sic denique Angeli Christo ministrarunt, eique in omnibus angustiis adfuerunt, mulieribus resurrectionem, Apostolis eiusdem Christi glorioſum aduentum annuntiarunt: contra diabolum, omnésque sanctorum hostes depugnant, & aduersus hostes, qui infesti sunt, vindictam exequuntur: orant pro hominibus, eorum preces, vota & bona opera Deo præsentant.

Iudicum 2. 6. 13.

Matth. 4.

CAP. LXVI.

Vtrùm omnes spiritus cæleſtes ad ministeria externa mittantur?

DIonysius tradit, non omnes angelos immediatè ad exhibenda hominibus officia mitti, sed supremos inferioribus Dei nutum insinuare, quem illi promptissimè exequuntur. Ceterùm D. Gregor. arbitratur, ordinariè quidem non ex superioribus ordinibus, sed ex inferioribus tantùm angelos mitti: attamen nonnunquam etiam ex primis Hierarchiis quosdam delegari, imò etiam supremum angelorum. Nam Michaëlem sæpius missum legimus, qui *Princeps Magnus* appellatur, imò supremus omnium angelorum esse videtur, qui Lucifero se contra Deum extollenti opposuit, dicendo: *Quis vt Deus?* vnde nomē obtinuit: & Raphaël vnus ex septem angelis astantibus ante Deum se à Deo missum confitetur. Et Isaiæ 6. vnus de Seraphim aduolasse narratur. Deniquè Gabriel ad B. Virginem venit: at vnum ex primis spiritibus aduentum Filij Dei in carnem nuntiare decuit. Postremò Apostolus: *Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis*: vbi non de mediata missione loqui videtur Apostolus (vt nonnulli volunt) quia intendit probare, Christum omnibus angelis esse maiorem, quia vniuersi aliquando in hominum ministerium delegentur. Sciendum tamen quòd licet angeli, dum in terras mittuntur, absint à cœlo, non tamen desinant videre Deum, eatenúsque dicantur astare Deo, quem per beatificam visionem semper habent præsentem, iuxta illud Christi: *Angeli eorum semper vident faciem Patris.*

Dionys. lib. de cæleſti Hier. c. 9. & 13.

An omnes spiritus cæleſtes mittantur.

lib. 17. moral. c. 9. & hom. 34. in Euang.

Daniel. 10.

Michaël supremus angelorū.

Thob 10.

Raphaël vnus ex septem.

Isaiæ 6.

Lucæ 1.

Gregor. hom. 34. in Euang.

Seraphim missus.

Hebr. 1.

Angeli in terram missi Deum vident.

Matth. 18.

Gregor. lib. 2. mor. c. 3.

CAP. LXVII.

De ministeriis angelorum.

ANgelos diuinæ erga nos beneficentiæ dispensatores & ministros esse, necnon diuini præcepti, tam in puniendis malis, quàm protegendis bonis, executores, passim Scriptura Sacra commemorat. Angelus enim Paradiso eiecit prævaricatores diuini mandati: consolatur Agar fugitiuam: dux itineris est seruo Abrahæ, & Thobiæ: liberat Iacob ab omni malo: benedicit Ephraim & Manasse: protegit nocte ac die Israëlitica castra: deniquè per angelos Deus vindices, qui populum Israëliticum ex seruitute liberent, excitauit, Elisæum protexit, Thobiam cæcum videre fecit, Saram à dæmonio liberauit, Danielem edocuit, atque à Leonibus tutum fecit, Machabæum in bello animauit, illæsúmque custodiuit, infinitáque alia sanctis beneficia præstitit. Per eosdem angelos Deus iudicia sua exequitur, vt apparuit in euersione Sodomæ, vici-

Angeli protegunt bonos, & puniunt malos.

Gen. 3.
Gen. 16.
Gen. 24.
Thob. 5.
Gen. 48.
Exodi 14.
Iudicum 2. 6. & 13.
4. Reg. 6.

narúmque ciuitatum: in occisione Pharaonis & Ægyptiorum, in percussione tam rebellium Israëlitarum in deserto, item in Dauidis punitione, atque Assyriorum sub Ezechia, & Heliodori, sub Onia.

1. Paralip. cap. 21. 3. Reg. 19. Esaiæ 37. 2. Paralip. 32. 2. Machab. 3.

CAP. LXVIII.

De custodia protectione & cura Angelorum.

Aug. Enchir. ca. 56. & 61. lib. 12. de ciuit. c. 1. Angeli hominum custodes.

SIcut angelis hominibúsque bonis idem est commune bonum Deus; ita angelorum hominúmque bonorum vna est societas, eadémque volúntatum & studiorum communio. Vnde congruentissimum est, vt angeli charitatis vinculo nobis coniuncti hominum curam gerant, eos protegant, suóque ministerio in Deum dirigant, vt eorum tandem societate atque cõiunctione sint fœlices. Vnde colligit Dionysius Areopag. hominum ordinibus atque functionibus angelos quosdam præesse, pro salute hominum eos excubare, suscipere defensionem ipsorum, viam dirigere, solicitudinem, ne quid aduersi contingat, gerere. Quid? quòd angeli Regnis quoque præfecti leguntur. Constat enim ex Scriptura Sacra, certos angelos regnis & prouinciis quasi præsides à Deo designari, quibus eorum salus commendata sit, vt speciali cura homines illorum regnorum in Deum dirigant, ac mala ab eisdem auertant. Nam Iosue 5. Angelus ait: *Ego sum princeps exercitus domini.* Daniel inducit angelum principem Persarum, & alium Græcorum. Apoc. 12. Michaël princeps Ecclesiæ contra draconem luctatur. Quò etiam illud pertinet: *constituit terminos populorum, iuxta numerum angelorũ Dei.* &: *In vnamquamque gentem præposuit rectorem.* Hinc angeli populum Israëliticum in deserto deduxerunt: legis Dei præcones in monte Sina fuere: sacramenta Dei reuelauerunt: mysteria futura prædixere: Prophetas illuminarunt.

Hebr. 1. Dionys. lib. de cæles. hier. c. 9. Psal. 91. & 34. Angeli regnis præfecti. Exodi 24. & 23. Daniel. 10. Deuter. 32. Ecclesiast. 17. Exod 14. & 33. Act. 7. Galat. 3. Daniel 7.

CAP. LXIX.

Vtrum singulis hominibus Angeli ad eorum custodiam sint attributi?

EX scripturis certò habemus, non tantùm vni angelo vnumquemque nostrum esse curæ, sed omnes vno consensu pro nostrâ salute vigilare, iuxta illud Psalmi: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Et de omnibus angelis dicitur, quòd *gaudeant super vno peccatore pœnitentiã agente.* De pluribus etiam angelis scribitur, quòd Lazari animam in sinum Abrahæ detulerint: & plurimos currus igneos ad sui tutelam destinatos Elizæus ministro demonstrat. Cęterùm an singulis hominib. singuli angeli ad eorum specialem defensionem & directionem sint attributi, non perinde certum est; attamen etiam id scriptura confirmare videtur. Nam Gen. 48. fac. ait: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Matth. 18. *Angeli eorum.* In quem locum Hier. multos veterum sequutus, id expressè tradit. & Act. 12. ex cõmuni hac conceptione, quòd singulis hominibus singuli præsides assignati sint angeli, cùm fideles congregati persuadere sibi non possent, adesse Petrum in carcere detentum, leguntur dixisse: *Angelus ipsius est. Spectaculum factũ sumus angelis*, ait idem Apostolus. Angelorum enim plena esse omnia scribit Ambr. ipsos Ecclesiæ præsidere, & singulorum actiones consi-

Angelorũ custodia. Psal. 91. Lucæ 15. Lucæ 16. 4. Reg. c. 6. Greg. Nyssen lib. de vita Moysis. Basil. lib. 3. cõt. Euno: & conc. 9 in Psal. 33. Theodoret. in 10. c. Danielis. S. Thom. 1. p. q. 113. ar. 3. Act. 27. 1. Cor. 12. 1. Cor. 4. Ambr. in Psal. 118. ser. 1. & in Psal. 33.

detrare: ideóque, vel propter eorum reuerentiam à peccatis esse abstinendum.

Basil. lib. de virg.

Custodiæ porrò angelicæ triplex causa reperitur: PRIMA est, vt angelus bonus hominem fidelem cõtra diaboli tentationes & insidias tueatur, qui diuersissimis impugnationũ modis in tenebras errorum, necnon peccata morum inducere eos molitur.

Chrysost. homil. 3. in epistol. ad Colos.

Angeli nos à periculis liberant.

SECVNDA est, vt hominem à corporalibus periculis eripiat: sicut angelus se medium inter castra Israëlitarum & Ægyptiorum constituit: in fornacem, vt tres pueros ab igne tutaretur, descendit; ac in foueam, vt à Leonibus Danielem liberaret cap. 6. Thobiam à cæcitate curauit. cap. 12. Petrum ex carcere deduxit: Iacob ab omni malo eripuit: Elizæum protexit contra Syros. 4. Reg. 6.

Exod. 14.

Daniel. 3.

Act. 12.

Gen. 48.

Apoc. 8.

Zachar. 1.

TERTIA causa est, vt pro homine apud Deum intercedant, eiúsque preces Deo sistãt: iuxta illud Thobiæ 12. *Ego obtuli orationes tuas Domino.* Nec preces tãtùm, sed & iustorum animas in paradisum deducunt, Christóque, Patri offerendas, tradunt. Quemadmodum Lazari anima ab angelis in sinum Abrahæ deportata est, Lucæ 16. Corpus insuper Christi Deo offerunt, vt eorum misereatur, pro quibus se Dei Filius obtulit, Chrysostomo teste lib. 3. de incõprehensibili Dei natura, in fine. Censentur autem angeli homines deserere, quando hæc ministeria desinunt impendere, vt explicat Basil. in Psal. 33.

Angeli pro hominibus intercedũt.

Conciliantur angeli virtutibus.

Conciliamus autem nobis bonos angelos studio virtutum. Nam sibi dissimiles homines prauos, quemadmodum & Deo rebelles angelos auersantur; vt lucta Michaëlis cùm Dracone seu Lucifero comprobat.

Aug. lib. 8. de ciuit. c. 24. & 25.

Apoc. 12.

Cur autem sanctorum angelorum amicitia homini in hac vita non manifestetur, idcirco fieri docet Augustinus, quia fallaciter dæmones sese in angelos lucis transfigurant.

Aug. lib 19 de ciui. c. 9.

CAP. LXX.

Vtrùm sicuti homines Angelum bonum ad sui tutelam, ita & malum ad exercitium deputatum habeant?

Angeli mali sicut boni deputati ad exercitium?

EX lib. Pastoris apocrypho pleríq; veterũ opinati sunt, vnum quemq; duos habere assignatos angelos: vnum, qui ad bonum dirigat; alterum verò, qui ad malum sollicitet. Ita Orig. Nyssen. Chrys. Basil. Cassian. cuius sententiam recenset Prosper. cõtra collat. c. 26. Sed cùm primum hominis peccatum non ex instituto à Deo exercitio, sed ex inuidia diaboli occasionẽ sumpserit, neque desinat malignorum spirituũ studium; quò secum pertrahant homines in æternæ dãnationis pœnas, sempiternáq; fœlicitate priuẽt, quã suo vitio ipsi perdiderũt, satísq; homines tententur à sua concupiscentia, à mundo prauísque hominibus: improbabile arbitramur, quod singulis hominibus angelum malum Deus assignarit ad tentandum. Satis enim diabolus ex seipso pronus est ad tentandum, cùm *tanquã Leo circumeat quærens quem deuoret*, vt ex historia Iob constat. Quare scriptura potiùs coërceri à Deo malignos spiritus, quàm ad exercitiũ immitti significat. Nam ligatum esse Sathanam dicit, nec quicquam posse, nisi quod ei permissione singulari à Deo conceditur: ideóque plus esse timendam Dei offensam, quam diaboli potentiam, admonet Ambros. lib. 7. in Lucam c. 15. & lib. 6. cap. 7. Quod ex cap. 5. Marci patet, vbi dæmonia non nisi Christo permittente, porcos ingressi sunt; & Iob. cap. 1. Sathanas in animam seruire prohibetur: ac in eos potestatem

Origin. l. 3. Periarch. c. 2. & hom. 12. & 35. in Lucan.

Nyssen. lib. de vita Moysis traditionem esse dicit.

Chrys. ho. 3. in epist. ad Coloss.

homil. 5. operis imperfecti in Matth.

Basil. in Ps. 1. Cass. collat. 8. qu. 17.

Iacob 1.

1. Ioan. 3.

1. Pet. 5.

Iob. 2.

Apoc 20.

Plus timenda Dei offensa, quam dæmonis potentia.

Matth. 8.

Iob 1.

Thob. 6.

habet, qui suæ libidini vacant, instar equi ac muli, Thobiæ 6. A quo enim quis victus, huius & seruus est. Ioan. 8. 2. Petr. 2.

Dæmones parati ad nocendum hominibus

Quàm autem dæmones parati sint ad reducendum homines, ex lib. 3. Reg. c. 22. apparet; vbi ad Achab regem decipiendum se offert spiritus nequam dicens: *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius.* & Psal. 148. *spiritus procellarum faciunt verbum eius.* & *datum est angelis nocere terræ & mari.* Apoc. 7. & 14.

CAP. LXXI.

Vtrùm singulis rerum generibus ad procurationem quandam angeli deputentur?

Vtrùm rebus singulis angeli præficiãtur.

NOnnulli opinantur, non solùm hominibus, sed & aliis rerum generibus angelos præficiri: vt Damascenus terrestri ordini, Origenes hom. 13. in Numer. August. lib. 3. de trinit. cap. 4. Theodoretus q. 3. in Gen. Thom. 1. p. q. 110. art. 1. ad 1.

lib. 2. c. 4.

CAP. LXXII.

Quomodo discernatur bonus angelus à malo?

Discretio boni angeli à malo.

CIrca spirituum apparitiones & operationes multa sunt incerta, circa quæ non mutiliter hominum exercentur ingenia: si tamen adhibeatur disceptatio moderata, & absit error opinantium se scire quod nesciunt. Quid enim opus est, vt definiantur cum discrimine, quæ absque salutis discrimine nesciuntur? Sed quia plerúmque *Satham in angelum lucis se transfigurat*, id posse diiudicare magis opus est, ne fallendo ad quædam perniciosa inducat. Nam fingens se bonum, ea sæpe dicit aut facit, quæ bonis angelis congruunt, vt per hęc aliena, sibi authoritatem conciliet, paulatímque ad sua ducat. vnde nec vera dicenti diabolo fides adhibenda est, nec ab eo vllum veritatis testimonium suscipiendum est: vt Dominus suo facto confirmauit, silentium imponendo dæmoniis acclamantibus, *tues Filius Dei*: & Apostolus, spiritum pythonicum dicentem, *Isti homines serui Dei excelsi sunt*, expulit: nolens fideles vllam cum dæmonibus societatem habere. *Quæ*, ait, *societas luci ad tenebras? quæ conuentio Christi ad Belial?* significans, nullum prorsus homini cum diabolo consortium esse debere, ideóque artes eius vniuersas esse detestãdas, superstitiones, magiam, pactáque omnia expressa, vel tacita; de quibus Aug. latè disserit.

Marci 5. Act. 16.

1. Cor. 10. 2. Cor. 6. Nullum homini cũ diabolo consortiũ. Aug. lib. 2. de doct. Christ. cap. Iob. 1. Matth. 8. Aug. quomodo dæmones res immutent tractat. lib. 18. de ciuit. cap. 18. Damasc. lib. 2. de fide c. 4. Aug. lib. 10. de ciuit. c. 12. & lib. 21. c. 8. explicat quomodo subinde vera dicant. Dæmones quomodo subinde vera dicant, bonus angelus gaudium, malus autem timorem relinquit.

Quanquam enim dæmones nullam potestatem, nisi Deo dispensatorie permittente habeant (vt in Iob, & porcis apparuit) permissione tamen Dei facta nocendi vim summam habent, transformántque se in angelos lucis, ac res variè immutant. Et licet futura nesciant, prædicunt tamen quandóque ea, quæ longè futura sunt, aut alibi sunt, prospicientes; quandóque verò ex præsentibus causis, vel indiciis coniicientes: vnde & plerumque mentiuntur. Et suggerere quidem homini praua & falsa permittuntur: sed tamen in hominis animam illabi, & cogere aliquem, vt suggestioni consentiat, omnino nequeunt. Quomodo autem Angelus bonus à malo dignosci soleat, Athanasius in S. Anthonij vita tradit, ex scripturis & experientia ostendens, quod omnis angelus ho-

2. Cor. 11.

mini apparens initiò terrorem incutiat (quia inferior natura subigitur à superiore naturaliter timet) sed bonus angelus semper ante recessum consolationē præbet: malus autem perterritum hominē reliquit: vnde Gabriel ait B. Virgini: *Noli timere Maria*; & angeli mulieribus: *Nolite timere vos.*

Lucæ 1. Math. 28. Marci 16.

CAP. LXXIII.

Vtrùm rectè honor angelis exhibeatur?

Angelis bonis honor debetur, sed non Latriæ.

SIcuti Deum in sanctis eius rectè laudamus, ita & in ministris honoramus. Nec enim æquum est, sine honore præteriri ea instrumenta, quibus numinis sui præsentiam specialiter Deus exhibet: vnde, sæpius angeli DII nuncupantur, quia in suo ministerio, veluti in speculo, diuinitatem aliqua ex parte nobis repræsentant. Nec id mirum videri debet, cùm & principibus & præfectis id honoris detur, vt DII appellentur: quia summi Regis & Iudicia vices in sua functione gerant. Quibus si cōgruus honos propterea meritò debeatur; quanto magis angelis, in quibus diuinæ gloriæ charitas multò abundantiùs refulget? Porrò licèt angelis honor eximius deferendus sit, non tamen Latriæ cultu, qui soli Deo exhibendus est, venerandi sunt, vt Apocal. 19. angelus expressit, dicendo Iohanni, *vide ne feceris, conseruus tuus sum, Deum adora.* Quare vana Caluini calumnia est, dicentis, ea quæ solius Dei & Christi sunt, ad angelos transferri, superioribúsque seculis Christi gloria immodicis angelorum elogiis obscuratam fuisse.

Angeli, Prophetæ, & principes atque Sacerdotes cur Dij vocentur.

Aug. lib. 8. de ciuit. c. 27. lib. 1. instit. c. 14. nu. 10.

CAP. LXXIV.

Cur Deus angelorum operâ vtatur?

Cur Deus Angelorū opera vtatur.

QVamuis Deus per se absque vlla angelorum opera quæcumq; vult, solo nutu exequi possit: attamen angelorum ministerio potentiam suam declarare, fidelium salutem curare, suæque beneficentiæ dona ipsis communicare solet; non quia illis carere nequeat; tantum abest, vt ad leuandum difficultatem sint illi subsidio; sed ad solatium nostræ imbecillitatis, vt in spem bonam erigamur, nullāque trepidatione aut desperatione concidamus, cùm ipsum Deum Omnipotentem habeamus protectorem, & insuper nostram salutem procurandam innumeris suis satellitibus commiserit, quorum præsidio & tutela septi, ab omni periculo imminente liberemur; vt in Helizei ministro apparuerit, qui conspecta multitudine angelorum, à quibus cùm Propheta custodiendus erat, intrepido animo hostes despexit, quorum priùs aspectu, pauore consternatus erat. Proinde ex angelorum ministerio expugnata omni diffidentia, spes nostra in Deo fortiùs statuitur, cuius opem esse præsentem ipsi Angeli ab eo missi contestantur. Non igitur, dum angelos honoramus, gloriam Deo debitam partimur: neque dum angelicum præsidium commendamus, fiduciam nostram inter Deum & angelos diuidimus: sed gloriam & honorem Deo, vt omnis salutis authori, tribuimus, solum vt fontem omnis auxilij & boni spectamus, inuocamus, & prædicamus: nihilominus tamen etiam bonitatis & potentiæ ipsius ministros condecente

Angelorū præsidia nostræ fragilitati accōmodata.

Angelos rectè honoramus & inuocamus

honore afficimus; non colendo, vt Deos, sed obsequium impendendo, vt Dei amicis, domesticis, eminentibúsque seruis nostris.

CAP. LXXV.

De Dæmonibus quid scire expediat?

SICVTI angelorum bonorum ministerio Deus ad electorum hominum salutem, ita quoque malignorum spirituum opera, cùm ad exercendum pios, tùm ad puniendum peccatores vtitur. Eóque ferè tendunt omnia, quæ de malignis spiritibus Scriptura tradit, vt solicitos simus ad præcauendas eorum insidias, armisque congruis ad propulsandos hujusmodi potentissimos hostes nos instruamus. Nam cùm Sathan *Deus* ac *Princeps hujus seculi* vocatur, cùm *fortis armatus*, *princeps aëris*, *leo rugiens*, *draco*, aliisque similibus nominibus describitur; eò hæc respiciunt, vt cautiores, & ad pugnam paratiores simus; quemadmodum B. Petr. significat exhortatione subjuncta: *cui resistite fortes in fide*. Et Paul. vbi monuit luctam *non cum carne & sanguine* nobis esse *sed cum principibus aëris, potestatibus tenebrarum, & nequitiis spiritualibus*, continuò *arma* induere jubet, quæ tanto certamini paria sint. Quare nunc quoque fideles ad hunc finem omnia cõferant, vt hostem audacia promptissimum, viribus robustissimum, artibus callidissimum, diligentia & celeritate infatigabilem, machinis omnibus refertum, pugnandi scientia expeditissimum, longo impugnandi vsu exercitatissimum, erectis excitatisque animis vincant, nec vnquam ignauia se ab eo opprimi sinant. Et quoniam hæc militia non nisi morte finitur, ad perseuerantiam se incitent, imbecillitatisque suæ conscij, Dei opem inuocent, cuius est consilium & robur, & animos, & arma subministrare. Ad quod agendum eò magis impellimur, quòd non vnum aut alterum, sed maximas esse spiritualium hostium copias, quæ nobiscum gerant bellum, scriptura denunciet. Nam Maria Magdalena liberata fuit à septem dæmonis: & semel electum dæmonium *septem alios spiritus se nequiores secum assumit*, vt redeat in possessionem vacuam. Imò legio tota subinde hominem obsidet. Ex quibus docemur, cum infinita hostium multitudine bellandum nobis esse, ne paucitate contempta, simus ad prælium remissiores. Dum autem nonnunquam vnus Sathan vel diabolus proponitur, qui regno iustitiæ aduersetur, nobis insinuatur, quòd sicut fidelium societas Christum habet caput, ita impiorum factio suum principem habeat diabolum, iuxta illud: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius*. Præterea cùm Sathan perpetuus sit Dei & hominum aduersarius, Dei gloriam, Christique regnum, hominúmq; salutem totis viribus demoliens, irreconciliabile cum eo nobis bellũ esse debet, nec pax vel inducię cum eo quærendæ. Talis enim Gen. 3. describitur, vt hominem ab obedientia Deo debita abducat, simul Deum honore iusto spoliet, hominémque in ruinã præcipitet: qualis etiam à Christo describitur, quando *aduersarius* & *tentator* vocatur, & spargere Zizania ad corrumpendum semen vitæ æternæ, ac *mendax* & *homicida* fuisse *ab initio* dicitur: quoniã studium eius est mendaciis, erroribus, odiis, contentionibus & pugnis per ipsum excitatis Dei regnum euertere, hominé que

Quo tendant quæ de malignis spiritibus Scriptura tradit. Diaboli potentia describitur, vt armis congruis eam propulsemus.

1. Petr. 5.

Ephes. 6.

Militia fidelium cõtra dæmones.

Deus consiliũ robur, & arma suppeditat.

Matt. 10.

Matth. 12.

Luc. 8.

Diaboli studium describitur

Matth. 4. Matth. 13.

Ioan. 8.

hominésque in æternum interitum secum demergere. Inde Paulus hæreses vocat doctrinas dæmoniorum. 1. Timoth. 5. omnis enim malitiæ & iniquitatis author, dux & architectus est, illud omnia sua studia dirigens, vt Dei gloriam, hominúmque salutem impetat. quam quidem malitiam non ex natura vel creatione, sed ex deprauatione sibi accersiuit: vnde Christus Sathanam ex proprio mendacium loqui pronuntiat: *quia non stetit in veritate.* Vbi significat, dæmones prima creatione angelos Dei fuisse, sed degenerãdo se perdidisse, aliísque factos esse instrumenta perditionis. Quo autem ordine lapsus ille acciderit, quæ causa eius, item modum, tempus, speciem scriptura nõ expressit, sed id, quod ad hominum eruditionem ædificationémque pertinet, non tacuit: quòd videlicet illis peccantibus Deus non pepercerit, cœlóque depulerit, quódque contumaci rebellique suâ voluntate in ea semper ferantur, quæ Deo aduersari putent: qui tamen potentiæ suæ fræno ita eos constrictos tenet, vt nihil efficere vel exequi conatu suo queant, nisi quod ille permiserit, atque ita creatori suo velint nolint obsequantur. Quorum conatus ita Deus temperat, vt electos oppugnando exerceant, & licet subinde illos vulnerent, & ad tempus vincãt, non tamen finaliter opprimant: reprobos verò ab eis subactos Deus velut iustitiæ ministris torquendos tradit, & in eos imperium exercere, ipsique vt mancipiis abuti permittit.

Dæmon creatione bonus, propria voluntate malus. Ioan. 8.

Angelorũ lapsus quo ordine factus.

Aug. lib. 11. de ciuit. ca. 11. li. 12. c 9.

2 Petr. 2. Iudas in sua canonica epist.

Dæmones impiis vt mancipiis abutuntur, vt tortores eos affligũt.

CAP. LXXVI.

De hominis creatione.

Primus Adã causa omnis nostræ miseriæ.

SIcut cœli nomine imprimis angelos, ita nomine terræ homi-

nem comprehendi tenendum est, cuius primæ conditionis statum illi cognoscere necessariũ est, qui eiusdem lapsum & reparationem intelligere voluerit. Nam Aug. teste, *fides Christiana in duorum hominum causa & agnitione propriè consistit:* videlicet, primi Adæ, & secundi: quorum per vnum in mortem præcipitati, per alterum verò ad vitam redempti sumus. Per vnum sapientiam & innocentiam perdidimus, per alterum è tenebris ignorantiæ, in lucem veritatis, iustitiæ, pietatis, adoptionémque filiorum translati sumus. De primo scriptum est: *homo cùm in honore esset, non intellexit, et comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.* De secundo autem: *factus est nobis sapientia et iustitia, et sanctificatio et redemptio.* Et ad Romanos, *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi.*

Secundus verò Adam causa nostræ reparationis & gloriæ.

Aug. li. 2. de peccat. orig. c. 24.

Fides Christiana in cognitione lapsus & reparationis consistit.

Psal. 48.

1. Cor. 1.

Rom. 5.

CAP. LXVII.

De voce Homo, *vnde deducatur?*

Homo ab humo dicitur.

HOmo ab *humo* dicitur. *Ideo* enim, ait Lactant. *humo nuncupatus est, quòd sit factus ex humo, sicut Adam idem est quod terrenus, seu de terra natus.* Ac proinde homo secundùm corpus Adam dicitur, non secundùm animam. Estque Adam humani generis commune nomen, sicut homo. Vnde in Gen. cap. 5. etiam Eua vocatur Adam, vt obseruauit Augustinus lib. 15. de ciuit. cap. 17. qui etiam notat, quatuor litteris huius nominis, quatuor orbis terræ partes adumbrari, in quibus essent futuri homines, tract. 9. in Ioan. Hoc igitur nomine homo

Lactan. li. 2. diui. inst. c. 11.

Hier. in 2. c. Ioel.

Ambr. libr 3. offic. c. 5.

Bern. serm. 3. de vigilia natiu.

Aug. li. 13. de ciu. c. 17.

Quatuor literæ nominis Adã, quatuor orbis partes adumbrãt.

Vere homo nostræ originis admonemur.

quisque Originis suæ admonetur, vt non superbiat, dum se ex vili puluere humore concreto factum audit. Cuius rei humilis agnitio gratissima Deo semper extitit. Vnde Genes. 18. Abrahám se puluerem & cinerem esse confitetur. Dauid se Dei figmentum ignoscit, Iob. 7. & 10. Psal 102. 15.

memento quod sicut lutum feceris me. Isaiæ 64. *Nos lutum, tu fictor noster.* Isaiæ 45. *væ! qui contradicit factori suo.* Ieremiæ 18. *sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.* Quod Apostolus ad Romanos 9. allegat. Ecclesiastici 10. *quid superbit terra & cinis?* Hinc solent Veteres insigniùm profundissimæ humiliationis, pœnitentiæ ac luctus, etiam capita sua cinere aspergere: quod in die Cinerum anniuo solemni memoria recoli adhuc in Ecclesia vidimus.

Cinerum aspersio nos originis nostræ admonet.

CAP. LXXVIII.

Quid Hominis voce significetur?

QVidnam homo dicatur, vtrùm anima, vel corpus: an nec anima, nec corpus, sed anima corpori coniuncta, post Varronem disputauit Augustinus, cuius resolutio est, hominem propriè vocari animam rationalem, terreno corpori vnitam: ac proinde hominē significare non animam solam, nec corpus solum, sed eum, qui ex anima & corpore constat. In Scripturis tamen frequēter sola carnis, aut sola animæ voce per Synechdochen totum hominem designari notissimum est: vt Gen. 46. *Omnes animæ ingressæ in Aegyptum cum Iacob fuere* 70. Deuteronom. 10. *In* 76. *animabus descenderunt patres in Aegyptum.* Roman. 13. *omnis anima potestatibus, sublimioribus subdita sit.* Actor. 27. *Eramus vniuersæ animæ in naui* 276.

Lib. 19 de ciuit. c. 3. & lib. 13. c. 24. lib. de moribus. Eccl. c. 27. tract. 19. in Ioan.

Lactan. lib. 2. cap. 5. Homo significat animam rationalem corpori vnitā.

Anima pro homine vsurpatur.

Similiter caro hominis loco vsurpatur. Psalm. 64. *ad te omnis caro veniet.* Isaiæ 40. *omnis caro fœnum.* Ioëlis 2. *Effundam spiritum meum super omnem carnem,* Ioannis 1. *Verbum caro factum est.* id est, homo: vt contra Apollinarem exponit Augustinus epist. 120. cap. 4. Sic hominem sepelitum dicimus, ratione carnis. Augustin. lib. 13. de ciuitat. cap. 24. & Apostolus Rom. 3. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* Item Galat. 5. *manifesta sunt opera carnis,* id est, hominis.

Caro pro homine interdum ponitur.

CAP. LXXIX.

De Hominis ortu.

DE prima hominum origine Poetæ ac Philosophi, necnon Manichæi (de quibus Augustinus hæresi 46.) & Seleuciāni (de quibus hæresi 54.) & Patriciani (de quibus hæresi 61.) & Paternuani (de quibus hæresi 85.) ac denique Seueriani (de quibus Epiphanius hæresi 45.) multa fabulati sunt. Ceterùm veram hominis originem scriptura sacra narratione fidelissima demonstrat. *Formauit,* inquit, *Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viuentem.* Et infra Mulieris quoque ortum describit: *Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Quæ hominis creatio repetitur Ecclesiastici 17. *Deus creauit de terra hominem: creauit ex ipso adiutorium simile sibi.* Iob. 10. *Manus tuæ Domine fecerunt me,* Vbi docet scriptura, Deum, postquam cœlum & terram creasset, omniúmque rerum copia, varietate, pulchritudine, non secus atque amplam splendidissimámque domum, exquisitissima simul &

Lactan. lib. 2. de instit. c. 11. & 12.

Hominis origo quæ sit?

Gen. 2.

Deus in mundum iam ornatū, hominem veluti regē in palatium induxit.

copiosissima supellectile adornasset, idque totum, quod homini vtile ac salutare prouidebat fore, præparasset, tunc demum hominem formasse, masculum & fœminam: masculi quidem corpus ex limo terræ, mulieris autem ex viri costa: animam verò vtriusque, ex nulla præiacente materia, neque ex sua substantia, sed ex nihilo creatam illis inspirasse. Cur verò Deus hominem vnum & singulum creauerit, ex quo totum diffunderetur genus humanum, etiam fœmina viro copulanda, explicat August. lib. 12. de ciuit. c. 21. 22. & 26.

Cur Deus ex vno viro omnes homines esse voluerit?

CAP. LXXX.

Cur Homo post reliquas creaturas formatus sit?

HOminem Deus nouissimo loco condidit, vt in mundum velut in regnum omnibus rebus præparatis intraret. Decebat enim, vt cuius gratia Dei cuncta produxerat, non nisi rebus necessariis iam paratis induceretur; tanquam operis tam admirandi testis, & laudator, qui in operum Dei assidua meditatione occuparetur: & immensas sapientiæ, iustitiæ, bonitatis, potentiæque ipsius diuitias in omnibus creaturis, velut in speculo contemplaretur, ac de tantis tamque multiplicibus beneficiis humano generi collatis gratias eidem opifici homo ageret, nec ingrata obliuione horum memoriam sepeliret: indéque ad ipsius Creatoris benignissimi, qui ante hominis ortum de eo sollicitus fuerat, amorem, fiduciam: inuocationem & laudem prouocaretur, profitēdo Cœli & terræ creatorem, omnium quæ condidit, in sua potestate dispensationem habere: ab eo proinde omnium bonorum summam exspectaret, nec in alium vnquam spem suam conjiceret, sed toto pectore ipsum amare & colere studeret, dicendo cum Propheta: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Psal. 115.

Lactan. lib. 3. instit. c. 9. Iunilius & Chrysost. in gen.

Homo post reliquas creaturas cur factus?

Philo de opificio mundi, & post eum Ambrosius scribunt, mundum esse locum certaminis, in quem homo tanquam in stadium introductus est, vt bene certādo, hostémque pietate & iustitia vincendo, coronam reportāret, aut si vinceretur, ignominiam, nec præmium, sed supplicium promereretur.

Ambr. sermoni. 38.

Mundus est instar stadij certaminis.

CAP. LXXXI.

De statura humani corporis.

QVamuis homo secundùm corpus ad Imaginem Dei non sit factus, (vt Anthropomorphitæ putarunt,) sed in anima sedes imaginis Dei resideat, attamen externa corporis species, nos à brutis animalibus discernens, singularem quandam dignitatem exibet, quum

Humani corporis statura erecta.

----prona spectent animalia cætera terram;
Os homini sublime dedit, cælúmque videre
Jussus, et erectos ad sidera tollere, vultus,

Ouidius lib. 1. Metamorphos.

vt mens assiduè commoneretur, quæ sursum sunt quærere ac sapere, non autem quæ super terram: vt Augustinus notat libr. 6. de gen. ad lit. capit. 12. lib. 1. de gen. cont. Manich. cap. 17.

Quàm verò sapiens omnium & singularum humani corporis partium dispositio, quantáque vtilitas & necessitas sit, enarrat Lactant. lib. de opificio Dei, cap. 8.

Dispositio partiū humani corporis admiranda.

CAP. LXXXII.

Quale fuerit hominis corpus ante peccatum?

Corporis in statu innocentiæ qualitas.

QVale prima origine hominis corpus extiterit, ex cap. 2. Geneseos edisc imus, vbi Moyses ait: *factus est homo in animam viuentem.* id est, animal viuens, siue, animale corpus habens, sentiens, alimentis ægens, ne fame aut siti deficeret, interprete Apostolo, 1. Corinth. 15. quod tamen animale corpus validum erat, nulli ægritudini vel miseriæ obnoxium, à moriendi necessitate liberum. Quia si primus parens diuinis mandatis obtemperasset, ad eandem cum beatis spiritibus nulla intercedente morte felicitatem peruenire meruisset. Vnde quodammodo immortalis verè dici poterat, quia scilicet poterat non mori: simul mortalis, quia mori poterat. In quo plurimùm à beatorum statu differebat, quorum post resurrectionem immortalitas in eo consistet, quòd mori non poterunt, nec vlla corrumpente vel affligente passione percelli, vt docet Apostolus, 1. Cor. 15. & ex eo August. lib. 13. de ciuit. c. 23. 24. lib. 6. de Gen. ad lit. c. 19. & li. 1. de peccat. merit. c. 3. 4. 5. vbi ostendit, inter se distingui mortale, mortuum, & moriturum, longéque nunc aliter hominem esse mortalem, quàm ante lapsum, quia per peccatum obnoxius necessitati moriendi factus est, vnde ab Apostolo corpus nostrum dicitur mortuum, Rom. 8. quòd mori debeat homo, iuxta illud: *Statutum est omnibus hominibus semel mori.* Adam itaque sicut mortalis & immortalis, ita & passibilis ac impassibilis dici poterat. Ab omni enim prorsus miseria immunis vixisset, neque à feris, aut quolibet alio extrinseco (ipsum per angelos tuente Deo) lædendus erat, si innocentiam conseruasset. Augustinus libro decimoquarto, De ciuit. cap. 26.

Animale corpus quodnam intelligatur.

Adam mortalis & quodammodo immortalis.

a Passio corrumpens & affligens nõ est in beatis, sed in damnatis.

Hebr. 9.

Per peccatũ orta moriẽdi necessitas.

Passibilis autem eatenus fuit, quia corrumpi potuit. Nam passione perficiente tam interiùs quàm exteriùs, stante innocentia pati potuisset: siquidem dormiuisset, generasset, suas oblectationes habuisset.

Passio perficiens.

CAP. LXXXIII.

De vita hominis innocentis tempore.

SI homo non peccasset, nequaquam exspoliandus fuisset corpore, sed super vestiendus immortalitate. Quandiu porrò in animali vita relictus fuisset, ex scripturis colligi nequit. Hoc tantummodo incunctanter tenendum est, quòd primus humani generis parens filiis absque pudenda libidine generatis, cõsummatáque vitæ animalis metâ, certo à Deo constituto termino, in consortium angelorum nulla intermedia morte translatus fuisset, beatam immortalitatem absque fine possessurus, vt Aug. passim docet Enchir. c. 104. lib. 12. de ciuit. c. 21. lib. 14. de ciuit. cà. 26. lib. 9. de Gen. ad lit. c. 4. lib. 1. de peccat. merit. c. 2.

Innocentiâ seruatâ, homo ad immortalitatẽ translatus fuisset.

CAP. LXXXIV.

De generandi modo, tempore innocentiæ?

HOmo in primæ integritatis statu liberos per concubitum quidem genuisset, sed absque omni pudenda libidine, rationémque perturbante motu inordinato si-

Innocens homo generasset absque motu inordinato.

similiter excluso partus dolore, per omnia sibi, quoad immortalitatem, aliáque primi status munera, similes: qui tamen minimè confestim à natiuitate omnium rerum naturalium scientiam vel vsum habuissent, sed cum ætate profecissent. Atque vt corporis robore ac forma diuersi dispareſque erant futuri; ita quoque ingenio & intelligentia alij alios excelluissent: vt tradit Augustinus lib. 12. de ciuit. cap. 23. lib. 14. cap. 26. lib. 9. de gen. ad lit. cap. 3. lib. 1. de peccat. merit. cap. 37. & 38. vbi

Imbecillitas infantiũ ad pœnam hominis damnati.

ostendit, imbecillitatem hodiernam paruulorum non pertinere ad naturam hominis instituti, sed ad pœnam damnati, libro secundo de peccat. merit. capit. 29. libr. 1. confession. cap. 7. & 8.

Adam in virili ætate creatus.

Si quis autem de Adamo quærat, in qua corporis statura Deus eundem formauerit? Respondet Augustinus (libr. sexto: de gen. ad lit. ca. 13. & 14.) Adamum in virili ætate, atque plena hominis mensura, idoneum ad generandum à Deo creatum esse, vt ex verbis statim post formationem viri & fœminæ dictis apparet: *crescite & multiplicamini.*

CAP. LXXXV.

Vnde primo homini in statu innocentiæ immortalitas obuenerit?

IMmortalitas corporis in statu naturæ integræ nõ ex sola intrinseca qualitatum temperie corporis, sed ex beneficio Dei, eóque duplici prouenisset, quorum neutrum per se absque altero suffecisset, puta ex bona corporis dispositione, consurgente ex optima elementorum temperatura, simúlque ex iustitiæ originalis munere, quæ singulas corporis partes & animæ potentias plenissimè menti subijciebat, vt eas quieto imperio, quatenus vellet, moueret: & ex vsu ligni vitæ, quod vitam stabilem efficiebat, humidum radicale in longa tempora restaurando, vigorémque naturæ submittendo, ne aliquãdo senio labasceret. Sicut enim Adam ex aliorum lignorum fructibus refectionem cõtra defectionem hauriebat: ita de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem, vt frequenter docet Aug. lib. 1. de peccat. merit. cap. 3. lib. 13. de ciuit. cap. 20. libr. 8. de Gen. ad lit. 3. & sequen. Prosper. lib. 3. de vita contempl. c. 18. Chrysostom. hom. 18. in Gen. Vtrùm autem lignum vitæ remedium præstiterit contra senium, naturali aliqua proprietate, an potiùs ex diuina assistente virtute, sicut in subiecto capaci & disposito sacramenta operantur, disputat August. lib. 10. de Gen. ad lit. cap. 40. vbi significat, vtrúmq; dici posse. Nam contraria sic temperari queunt, vt inuicem non aduersentur, sed bonam valetudinem reddant, & stabilitatem consequantur: vt patet in translatione Henoch & Heliæ, quos adhuc viuere credimus, & in Israëlitarum calceamentis, vetustate non obtritis. Quòd porrò lignum vitæ non solùm homini datum fuerit, vt alimentum, sicut cæteri cibi, sed etiam tanquã sacramentum sapientiæ, cuius alimento anima rationalis refecta nequaquam in nequitiæ mortem vertitur, indicat scriptura Prouerbior. 3. & Apocalyp. 2. Sapientiam lignum vitæ appellans: & docet hoc ipsum Augustinus libro 2. de peccat. meritis. capit. 21. & libr. decimotertio: de ciuit. capit. 20.

hominis ex duobus oriebatur.

Ligni vitæ efficacia.

Lignum vitæ stabilitatem contra vetustatem præbebat.

Aug. lib. de nat. & grat. cap. 54.

Gen. 3. 4. Reg. 2. Deut. 30.

Immortalitas primi

CAP. LXXXVI.

Vnde mors nunc obueniat?

EX supradictis perspicuè consequitur, mortem corporis, id est, separationem carnis ab anima, non esse ex prima institutione Dei, neque secundū conditionē status primi, sed pœnam esse peccati, iuxta illud Genes. 3. *Quacumque hora comederis, morte morieris.* Et Ecclesiastici 25. *A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur.* Roman. 5. *per peccatum mors, & corpus mortuum est propter peccatum,* 1. Corinthior. 15. *Stimulus mortis peccatum, Deus enim mortem non fecit.* Sapientiæ 1.

Mortis causa peccatū.

Philosophi naturæ humanæ lapsum ignorātes, arbitrati sunt, mortem homini naturalem esse, ac pertinere ad naturæ primordium, non supplicium, ad naturam hominis institutum, non autem ad pœnam damnati. Contra quos disserit Augustinus libro 13. de ciuit. c. primo: & sequentibus vsque ad decimum sextum.

Mortem Philosophi putarunt esse naturalem.

Pelagiani Philosophos sequuti, etiam docuerunt, mortem accidere secundùm naturam hominis à Deo institutum, non autem inflictam esse merito peccati. Contra quos varijs locis disserit Augustinus libr. 1. de peccat. merit. à cap. 1. vsque ad 7. & lib. 3. cap. 11. & vltimo. lib. 2. de bono perseu. cap. 11. & 12. libro de hæresibus cap. 14. &c.

Idem Pelagiani sensere.

Et damnata est Pelagij doctrina in Concilio Carthaginensi & Mileuitano sub Innocent. I. can. primo: *Quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita vt siue peccaret, siue non peccaret, moreretur, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.* Idem confirmatur in Concilio Arausicano sub Leone I. can. 2. In Concil. Tridentino sessione. 5. de peccato orig. can. 1. & 2.

Miseriarū huius vitæ origo ex peccato.

Nonnulli veram huius vitæ miseriarum caussam ignorantes, ad anteactæ vitæ merita retulerunt; alij Naturam ipsam velut nouercam accusarunt, vt obseruat Augustinus lib. 4. cont. Iulianum cap. 12. At fides Christiana diuinitus accepta tradit, quod *per vnum hominem peccatum ingressum sit in mundum, & per peccatum mors,* quodque in vno primo parente omnes peccauerint; vniuersisque huius mortalis vitæ pœnis ac miserijs obnoxij sint facti.

Rom. 5.

CAP. LXXXVII.

De Anima rationali.

De animæ origine.

QVia homo ex corpore & anima constat, expositis ijs, quæ ad corporis originem & conditionem, siue ante lapsum, siue post peccatum spectant, de altera hominis parte nobiliore, quæ ANIMA, & interdum SPIRITVS vocatur, nunc differendum est. Sciendum ergo in primis, animam non dici Spiritum, quia flatus sit, aut vis aliqua diuinitus infusa corpori, quæ tamen essentia careat, sed quia incorporea sit anima, creata non minùs à Deo quàm Angeli. De cuius naturâ, qualitatibus & origine, non solùm Philosophi, sed etiam Hæretici varios errores sparsere. Cuius cognitio tam ad Dei (ad cuius imaginem & similitudinem creata est) quàm ad sui ipsius notitiā homini pernecessaria est. Quidam igitur putauerunt, Animam esse Ignem, alij Aërem, alij Aquam, alij Sanguinem, alij ex Elemētis compositam:

Eccles. 12. Lucæ 23. Act. 7. Rom. 8. Galat. 5. Iacob. 2.

Dei animæ rationalis natura.

alij harmoniam, seu contrariorum in corpore proportionem: alij temperamentum ipsarum corporis qualitatum: quidam demum esse corpoream, alij verò spiritualem incorporeæque naturæ. Rursus, alij mortalem, alij immortalē: ex quibus nonnulli animam æternam, alij creatam posuerunt: iterúmq; nonnulli animas simul omnes cū angelis in cœlo fuisse creatas, anteactæque vitæ merito in corpora missas: alij ex Dei substantia per arcanum diuinitatis influxū transfundi animam in hominem fabulati sunt. Sed contra hos omnes errantes & allucinantes Catholica fides docet, animas singulas à Deo in corpore organico generationis opere præparatio creari, vt ex anima & corpore tanquam partibus substantialibus constituatur homo.

Anima est pars substātialis hominis.

Vnde reijcitur eorum opinio, qui animam tantùm esse corporis accidens senserunt: item eorum, qui cū Pythagora vel Platone animas ex astris ad corpora delabi, & ex vno corpore in aliud commigrare: & hoc itidem & iterum sine vllo fine priorum aut posteriorum seculorū factum esse, atque futurum asserūt: ita vt animæ nunquam stabilem assequantur beatitudinem, sed infinitis reuolutionibus vnaquæque anima in suum astrum, vnde sumpta fuerat, redeat, & per circuitus temporum ad corpus iterum descendat, & ex vno in aliud commigret. Quod commentum refutat Aug. lib. 12. de ciuit. cap. 20. Statuebat hæc opinio animam in corpore, non vt partem substantialem, sed vt nauclerum in naui, sed vt aurigam in curru, & captiuum in carcere.

Animæ separatio à corpore pœnalis.

Vnde separationem animæ à corpore non inter pœnas, sed beneficia reponenda dicebant: quia tunc demum animam beatam fieri arbitrabantur, cùm omni corpore exuta, ad Deum simplex, sola, nudáque rediret. Quod confutat Augustinus lib. 13. de ciuit. cap. 16. ostendens non corpus, sed corruptibile corpus animæ onerosum esse, iuxta illud Sapientis: *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam.* id est, corpus propter peccatum corruptioni obnoxium animam perturbat, molestiisque varijs onerat. Nam per se bonum esse animæ, corpori vniri, euincit illud Apostoli 2. Cor. 5. *Nolumus exspoliari, sed superuestiri.* Idipsum comprobat fides Incarnationis Verbi, Resurrectionisque Christi ac omnium hominum. Origenes sentit, omnes animas eiusdem speciei cum Angelis in cœlo fuisse creatas, ibique peccasse, ac pro meritorum diuersitate in corpora demitti. Quam opinionem Hieronym. (epist. 27. apud Augustin.) stultam vocat, Leo autem hæreticam, quòd repugnet Apostolo dicenti: *Quum nondum quidquam boni egissent aut mali.* & Genes. 2. *Formauit Deus hominem de limo terræ: & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ* & Zachariæ duodecimo: *formans spiritum hominis in ipso.*

Sap. 9.

Origenis de animarū incarceratione in corpore sententia reijcitur.

Li. 1. Periarchon. cap. 8.

Leo epist. 11. & 43. Rom. 3.

Quòd insuper anima non sit portio substantiæ Dei decerpta, & in hominem transfusa, inde patet, quòd anima non sit incommutabilis vt Deus, cùm proficere & deficere possit, sitque non solùm mutationi obnoxia, sed passionibus quoque, ignorantiæ, prauis cupiditatibus, infirmitati, omnísque generis vitijs, quæ Dei naturæ ascribere, insaniæ fuerit. Augustinus epist. 28. & lib. 13. de ciuit. capit. 24. ostendit, Deum non ex sua substantia, neque ex præiacente materia, sed de nihilo spiritum hominis creasse, quem corpori inserendo inspirasse, aut insufflasse conuenienter dicatur, sed immutabilis mutabilem, sent.

Anima non est pars substātiæ Dei.

Deus anima de nihilō creat, & creando corpori in-

increatus creatum. Et quidem de primi parentis anima, quin à Deo immediatè sit ex nihilo producta, inter Catholicos doctores nulla est controuersia: sed vtrùm etiam aliorum hominum singulæ animæ ex nihilo creentur, & creando corpori infundantur, an verò Deus animam producat ex animâ parētum, quemadmodum lumen videmus produci de lumine, & animam bruti per aliam in materia præparata excitari: grauis fuit olim quæstio.

CAP. LXXXVIII.

Vtrùm anima sit ex traduce? vel num creetur, & creando corpori infundatur?

An anima sit ex tradu-ce?

DE animabus posterorum Adæ, vtrùm animæ propagentur, & per traducem ab animabus parentum gignantur, occasione peccati originalis, quod à parente primo in omnes posteros transfunditur, à veteribus dubitatum fuit. Tertullianus, Apollinaris, Luciferiani (teste Augustin. lib. de Hæres. c. 86.) Arabici, Saducæos sequuti, nonnulli-

Tertul. l. de anima c. 2. lib. de carne Christi. Apollin. li. 5. tripart. hist. ca. 44. Aug. hæresi 81. & 86. epist. 28.

que alij senserunt, omnes animas posterorū Adæ per traducem ex animabus parentum gigni, & propagari, labe peccati originalis infectas. Quam sententiam Diuus Augustinus (licet cunctandum elegerit) sibi non displicere varijs locis innuit.

Animæ creantur, & creando infunduntur.

Alij senserunt, animas singulas à Deo creari, & creando in materia præparata infundi. Hieron. in 12. ca. Eccles. libr. 3. contra Ruffin. & in Epistol. contra errores Ioann. Ierosolymitan. Hilar. lib. 10. de Trinitat. Ambros. lib. de Paradiso capite 11. libr. de Noë & Adam capit. 4. Gregor. Nyssen. lib. de anima cap. 6. Cyrill. lib. 1. in Ioann. cap. 9. Lactant. lib. de opificio Dei cap. 14. Bernardus sermon. 2. de Incarnat. Domini, Magister senten. libr. 2. dist. 17. & 31. ibidémque Doctores Scholastici, qui omnes magno consensu hanc opinionem amplectuntur. Hinc nunc omnium doctorum communis & recepta est sententia. Diuus Hieron. in epistola ad Pammachium vocat Ecclesiasticū dogma. D. Thom. ad fidem pertinere scribit. Petrus Lombardus certissimè tenendum ait, non à parentibus animas gigni, sed à Deo corporibus præparatis infundi, ac infundendo creari.

Hieron. in 12. c. Eccles. lib. 2. cont. Ruffi. Gennadius lib. de Ecc. dogm. c. 15. D. Tho. li. 2. cont. gen. c. 86. 1. p. q. 118. ar. 2.

Quamuis Diuus Augustinus hanc sententiam placere quidem sibi dicat, verámque esse optet potiùs quàm putet: attamen propter varias difficultates hinc in materia peccati originis emergentes, cunctandum elegit, in eáque cunctatione vsque ad mortem permansit, vt constat ex libris eius quatuor de origine animæ, potissimùm libr. 2. cap. 13. & epist. 28. ad Hieronym. epist. 157. lib. 5. cont. Iulian. c. 3. li. 2. de peccat. merit. c. 26. lib. 10. de Gen. ad lit. cap. 23. libr. 2. Retract. cap. 15.

Cuius cunctationem sequuti sunt Gregor. lib. 7. regist. cap. 51. & Eucherius lib. 2. in Gen. in c. 2. *Vtrùm*, ait, *animæ ex animabus procreentur, an singulæ nouæ creentur, quæstio est in definiendo difficilis, quia nihil est à sanctis viris vel scripturarum authoritate manifestè definitum.* Et quidem ante hos omnes cunctatus est Ruffinus, quem propterea reprehendit Diuus Hieronym. lib. 2. in eundem. Aristot. libr. 2. de Gen. animalium capit. 3. aliter hominis animam produci, quàm ceterorum animalium agnoscit.

CAP.

CAP. LXXXIX.

Quòd anima sit incorporea & immortalis.

Anima est immortalis & incorporea.

ANimam rationalem Saducæi corpoream & corruptibilem esse docebant: quos Dominus ipse Matth. 22. & Apostolus Act. 23. confutarunt. Vtrumque enim scriptura palàm & sæpe confirmat, vocãs animam *spiritum* incorporeum, *qui ad eum redit, qui dedit illum.* Eccles. 12. Matth. 10. *nolite timere eos qui occidunt corpus, animam non possunt occidere.* Lucæ 23. *In manus tuas commendo spiritum meum.* Roma. 8. *spiritui nostro.* ad Gal. 5. *cõtra spiritũ.* Act. 7. *spiritum meum.* Iac. 2. *corpus sine spiritu.* 2. Cor. 7. hortatur fideles, vt se emundent *ab omni inquinamento carnis & spiritus.* 1. Petr. 2. Christus vocatur *Episcopus animarum.* Hebr. 13. Pastores pro animabus rationem reddent. Hebr. 12. *Deus pater spirituum* dicitur. Alibi Paulus Deum inuocat testem in animam suam. Quòd vero, sicuti incorporeæ, ita & naturâ sua incorruptibiles immortalésque sint animæ rationales, certissima fide tenendum est, cùm id scriptura tam Veteris quàm Noui Testamenti manifestissimè tradat: Gen. 1. *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* id est, naturæ intelligentis & immortalis. iuxta illud Sapientis: *creauit Deus hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum.* Gen. 37. *descendam ad Filium meum*, inquit Iac. quem tamen à fera deuoratum arbitrabatur. Exod. 3. *Ego sum Deus Abraham, Isaac, et Iacob. Non est autem Deus mortuorum, sed viuorum.* Quo argumento contra Saducæos Dominus

Sapien. 2.

est vsus. Matth. 22. Eccles. 12. *Spiritus redit ad eum qui dedit eum.* Sap. 3. *Iustorum animæ sunt in manu Dei.* Sapientiæ 4. *Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Hùc pertinent scripturarum loca, in quibus defuncti *ad populum suum apposiri* dicuntur, & oratum, tumulatúmque fuisse pro defunctis. Nisi enim eos, qui mortui erant corpore, secundùm animam viuere, & suo tẽpore secundùm corpus resurrecturos credidissent, superfluum & vanũ fuisset orare pro defunctis. Quare animam non solùm viuere ac superesse dissoluto corpore, credendum est, sed etiam natura sua immortalem à Deo conditam esse, vt Dominus expressis verbis Matth. 10. asserit: *animam non possunt occidere.* Lucæ 10. mendici anima defertur ab Angelis in sinum Abrahæ: Epulonis verò descendit ad infernum. Act. 23. *de resurrectione mortuorum ego iudicor.* 1. Cor. 15. *Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra.* 2. Cor. 5. *Optamus peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.* Apoc. 6. *vidi subtus altare animas.* 14. *beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Idem tradiderunt vnanimi consensu omnes vtriúsque Testamenti fideles, & scripturarum Sacrarum interpretes, necnon præcipui quique gentium Philosophi, vt Pythagoras, Socrates, & Plato, teste Plutarcho, & Cicerone. De Aristotele, quidnam de immortalitate animæ senserit, incertum est. Plutarchus lib. 5. de placitis Philos. cap. 1. & Theodoretus libr. 5. de curat. Græc. affect. Scotus in 4. qu. 43. qu. 2. opinantur, Aristotelem existimasse, hominis animam esse mortalem. S. Thom. lib. 2. cont. gent. cap. 79. Ammonius, Simplicius, Auicenna, Albertus, & plerique alij sentiunt, Aristoteli animam fuisse immorta-

1. Mach 2. 2. Mach. 12.

Plutarchus l. 4. de plac. Philos. ca. 7. Cicer. Tusc. & li. de senect.

Aristoteles de animæ immortalitate dubius.

lem. Veriùs apparet, quòd Aristoteles dubius fuerit, nec in hanc vel illam partem satis resolutus, ideóque magis inquirendo, quàm affirmando hac de re suam opinionem proposuerit.

Testimonia immortalitatis animæ.

Quòd porrò anima sit immortalis, euidentibus signis & rationibus cuinci potest. PRIMVM quidem ex dignitate ac præstãtia naturæ animæ rationalis, cuius ita extingui conscientia nequit, quin Dei iudicium reformidet: quod indubitatum est immortalitatis spiritus signum. Nam ad Dei tribunal nunquam motus siue essentia penetraret, cùm pœnæ spiritualis metu non corpus, sed anima sola commoueatur. Eodem pertinet Dei cognitio, quia ad vitæ fontem non peruenit vigor euanescens.

Immortalitas animæ rationalis confirmatur.

Deinde præclaræ dotes, quibus humana mens pollet, immortalis essentiæ testimonia sunt. Nam animæ rationalis potentiæ non sunt ad corruptibiles res, vt brutorum sensus, limitatæ, aut quoad operationem dependentes: mentis enim agilitate animæ Deum inuisibilem & angelos intelligit. Recta, iusta, & honesta concipit: cœlum & terram, naturæque arcana perlustrat: & vbi omnia secula intellectu & memoria complexa est, singula sua serie digerit, futuráque ex præteritis colligens, apertè demonstrat, in homine diuinum aliquid esse insculptum, quod à corpore non dependeat. Quod etiam somnus ipse conuincit: qui licet vita exuere videatur, attamen cogitationes non modò earũ, quæ nunquam factæ sunt, rerum, suggerit, sed præsagia etiam in futurum tempus. Vnde intelligentiæ sedem spiritum esse, non corpus, oportet, cuius operationes propriæ & immediatæ, velle scilicet ac intelligere, cùm à corpore non dependeant, & sine concurrentia actionis alicuius corporeæ, vel rei corruptibilis exerceantur, cõsequens est, spiritum intelligentem esse immortalem: ACCEDIT argumentum ab eius appetitu desumptum, quo anima desiderat beatitudinem, videre Deum, numquam interire: qui tanè vanus & irritus esset, si numquam expleri posset.

Operationes animæ propriæ à corpore nõ dependent: scilicet velle, intelligere.

Aliud insuper immortalitatis animæ testimoniũ ex eo ducitur, quòd omnis forma corruptibilis cogi possit, vt præter naturam operationem suam exerceat, ac nonnumquam impediri, ne exercere queat (vt aqua ab igne calefacta necessariò vrit, & non refrigerat:) sed anima rationalis nullius causæ naturalis vi adigi potest, vt contra naturalem suum operandi modum agat, neque impediri potest, quò minùs propriam operationem (velle scilicet & intelligere) exequatur. Ergò sicut à nulla naturali causa in sua operatione anima rationalis cogi vel impediri potest: ita neque corrumpi. Nam esse atque operari coniuncta sunt.

Denique obligatio ad virtutum officia, immortalitatis animæ signũ est. Cùm enim vitia sæpe vitam temporalem oblectent atque prolongent, econtrà verò studium virtutis valetudinem lædat, & nonnumquam tollat, sequeretur, potiùs sectanda homini esse vitia quàm virtutes, si anima corpori superstes non esset, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 15. *Si mortui non resurgunt, bibamus & comedamus, cras enim morieniur.* Rursus idipsum euincit Dei erga homines beneuolentia, quos cùm intelligentes, suique capaces condiderit, & in hac mortali vita non plenè intelligatur neque possideatur, aliam superesse vitam oportet, in qua Deus se clarè videndum

fruendúmque exhibeat.

Postremò. Dei iustitia immortalitatem animæ requirit. Cùm enim ad illam pertineat, vnicuique iuxta sua merita reddere, iustis quidem præmia, impijs autem supplicia, & illud in hac vita non fiat: prorsus consequitur, aliam expectandam esse vitam, in qua vnicuique iusta detur retributio. *Si enim in hac vita tantùm sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus animantibus*, inquit Apostolus 1. Cor. 15.

CAP. XC.

De statu primi Hominis.

Primi hominis status.

QValem Deus primum hominem creauerit, scriptura manifestè describit Gen. 1. *Creauit Deus hominem ad imaginem et similitudinẽ suam*, id est, naturæ intelligentis memoria, voluntate ac libero arbitrio præditum, simúlque talem, qui rectus, iustus, sanctus, & sapiens, in Dei filium adoptatus, Deique amicus esset. Imago enim naturam, similitudo autem ad virtutum ornamenta pertinet. Neque enim tam insulsè sapiendum est, vt secundùm figuram & lineamenta corporis homo ad imaginem Dei conditus putetur, cùm Deus spiritus sit, cui nullum corpus assimilari possit: quanquam in erecta hominis figura eminentiam supra cetera animantia ipsius nonnullam refulgere ostenderimus. Perperam verò Caluinus veteres suggillat, quòd inter imaginem & similitudinem differentiam posuerint: *cum*, inquit, *similitudo vice expositionis tantùm addita sit.* Nam licet nonnulli has voces pro eâdem re accipiant, vt similitudo præambula & genus sit imaginis: attamen plures veterum, ne superflua vocum repetitio admittatur, imaginem à similitudine distinguunt, vt Imago ad naturam, Similitudo autem ad naturæ perfectionem & decorem pertineat, vt sensus illius dicti, *Faciamus hominem ad Imaginem et similitudinem nostram*, sit, faciamus hominem nobis similem, videlicet intelligentem, sanctum, libera voluntate præditum, scientia virtutibúsq; ornatũ quoad animam, Deum repræsentantem immortalem, incorporeum, inuisibilem.

Imago naturæ. Similitudo virtutum.

Supra c. 18.

Bern. ser. 80. & 81. in Cantic.

CAP. XCI.

In quo consistat Imago Dei in homine?

Imago plus requirit quam similitudo.

NOn omnis similitudo Imago est, nam ouum ouo simile est, non tamen eius Imago: quia vox *Imago* similitudinem denotat, secundùm aliud expressam, atque exemplar in eo, quòd naturale aut proprium est, repræsentantem: cuius defectu res inanimes, atque omnes ratione carentes, quæ Deo solùm cõmunicant, in eo quòd sunt, aut etiam viuunt, Dei vestigium, non imago dicuntur. At homo, quia mente intelligendíque facultate, rationis arbitrio, dominandíque potestate Deum repræsentat, illius Imago nuncupatur; vt ex Apostolo docet Augustinus. Et quoniam primaria Imaginis diuinæ sedes in rationali anima, eiusque potentijs consistit, ideò non solus vir, sed & mulier ad Imaginem Dei condita est. Quia tamen vir intelligentiâ, sapientia, principatu, dominióque mulierem superat, ea consideratione Apostolus viro potiorem Imaginis Dei rationem attribuit. *Vir*, inquit, *Imago & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. Non enim vir*

Aug. lib. 83. quæst. 51.

Imaginis ratio in homine in quo consistat.

Ephes. 4. Colos. 3. Aug. li. 12. trinit. cap. 7. Gen. 1. & 9. 1. Cor. 11.

ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Vbi varias in homine Dei repræsentationes ad Imaginis rationem pertinere significat: vt puta, quòd sicut ex Deo omnia dimanant, ita ab vno viro Adam omne genus humanum, etiã Eua, profluxerit: & sicut Deus est prima omnium rerum causa, & Dominus: ita cunctorum hominum origo & princeps Adam: & quemadmodum propter Deum omnia sunt; ita mulier propter Adamum condita est. Porro communes viro & mulieri repræsentationes à doctoribus recensentur. I. Quòd homo intelligat, velit, memoriam habeat. II. Quòd sicut Deus incorporeus & immortalis est; ita & homo interior, seu anima. III. Quòd sicut Deus est, viuit, & sapit ratiocinatur, ita & homo. IIII. Quòd sicut Deus inuisibilis & simplex est, non ex partibus compositus instar corporum; ita homo interior. V. Quemadmodum Deus vbique totus est, ita hominis anima in suo corpore vbique tota est. VI. Quemadmodum Deus omnia viuificat, mouet & gubernat, ita suum corpus anima vegetat, mouet atque regit. VII. Sicut Deus sui iuris & liberi arbitrij est, ita in suis actibus anima. VIII. Quemadmodum Deus omnibus alijs rebus dominatur, ita homo alijs creaturis, iubendo vel vtendo. Vnde Iacobus ait, omne genus animalium ab humana natura domari. IX. Sicut vna diuina natura tres habet distinctas personas; ita vna anima tres distinctas facultates. Et sicut à Patre generatur Filius, & ab vtroque procedit Spiritus sanctus, ita ab intellectu generatur voluntas, & ex vtroque procedit memoria.

Homo in quibus Deo similis existat.

Act. 17.

Iac. 3.

Ab intellectu voluntas, ab vtroque memoria.

Postremo, sicut Pater à nullo est sentium suum accipiens, fons est totius diuinitatis, à quo generatur Filius, & à quo per Filium procedit Spiritus sanctus, ita humanæ naturæ fons est Adam, ex quo Eua, & ex vtroque Seth.

Iustin. in expos. fidei de essen. trini.

CAP. XCII.

Cur animalia nunc homini non semper obtemperent, sed potius noceant?

QVod bestiæ ab initio subditæ à Deo hominis imperio, nunc subinde noceant, imo etiam homines interimant, non ad conditionem hominis instituti, sed ad pœna damnati pertinet. Iustè enim inobedientia primorum parentum rebellione subiectorum brutorum vindicatur, & per vilissima animalcula humana superbia domatur: per pulices, lendes, pediculos, muscas, ranas, erucas, &c. Quibus nonnumquam potentissimos reges, regnáque Deus perdomuit: vt Pharaonem, Antiochum, Herodem, Romanos, apud quos animalia domestica efferata dominorum imperia refugisse scribit Augustinus. Quemadmodum verò ad peccati vindictam pertinet, quòd animalia nunc homini noceant, (vt patet ex occisione facta per leonem inobedientis prophetæ: necnon puerorum Elizeo maledicentium, per vrsos:) ita ad innocentiæ testimonium, quòd serpentes iustis (exemplo Pauli) nihil noceant, nec leones, vt ex Daniele, historiisque sanctorum comprobatur, ad quorum pedes truculentissimos leones prouolutos esse legimus.

Animalium in homine rebellio, vnde proueniat?

Aug. li. 3. de ciuit. c. 23.

Ferè iustis nõ nocent. 3. Reg 13.

Act. 28. Daniel. 6.

CAP. XCIII.

In quo similitudinis ratio consistat?

DEi similitudo in homine consistit in sapientia, boni amore,

Similitudo Dei in quo consistat.

iustitia, sanctitate, ac virtutibus exteris, quibus anima Deo assimilatur. iuxta illud Christi: *Estote perfecti, sicut et pater vester cœlestis perfectus est.* Et illud Apostoli: *Induite nouum hominem qui secundùm Deum creatus est in iustitia, et sanctitate veritatis.* Quod Ecclesiasticus ita expressit: *Deus creauit de terra hominem, et secundum se vestiuit illum virtute*, id est, ad suam similitudinem fecit sapientem, iustum, innocẽtem, aliisq; virtutibus exornatum. Ecclesiastes autem: *Fecit Dominus hominem rectum*, qui si Deum creatorem suum nõ amasset, vtique rectus non fuisset. & Psalmista: *Homo cum in honore esset*, id est, cùm Dei similitudine fulgeret, *non intellexit*, hoc est, indulta sibi gratuita Dei bonitate virtutum dona, grata consideratione non ponderauit. *Ideo comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis*, similitudine affectionum & cupiditatum. Nam triplex in homine similitudo reperitur. Naturæ Gratiæ, & Gloriæ. Mediam autem peccando perdidit, scilicet innocentiam, sapientiam, ceterarúmq; virtutum pulchritudinem, qua Deo assimilabatur, non primam in intelligendi facultate sitam, quæ ad imaginem pertinet, quam homo peccando nõ perdidit. Sciẽdum tamen, nomen imaginis aliquando in scriptura includere similitudinis perfectionem. ad Ephes. 4. *Induite nouum hominem qui secundùm Deum creatus est.* Colos. 3. *Induentes nouum hominem, eum qui renouatur in agnitionem, secundùm imaginem eius qui creauit illum.* 1. Cor. 3. & 1. Cor. 15. *Portemus imaginem cœlestis.* Ad quæ respiciens Augustinus subinde, ait, hominem per peccatum amisisse Imaginem Dei: secundùm videlicet delicamenta pulchritudinis iustitiæ, vt seipsum explicat lib. 1. retract. cap. 26. & libr. 2. capit. 24. Quo modo etiam intelligendi sunt alij doctores, similiter loquentes, vt Hieronymus & Epiphanus.

Matth. 5.

Ephes. 4.

Eccles. 17.

Eccl. cap. 7.

Psal. 48.

Ambros. li. de dign. cõd. huma. cap. 1.

Chryso. ho. 8 in gen.

Triplex similitudo, naturæ, gratiæ, & gloriæ.

Imago nõ numquam similitudinis perfectionem includit.

Aug. lib 6. de gen. ad lit. c. 24.

Lib. de spirit. & lit. c. 27. 28.

Hieron. in ep. ad Pammach.

Epiphan. in epi. ad.

CAP. XCIV.

Vtrùm rectitudo iustitiæ homini naturalis, vel potius supernaturalis dici debeat?

NAturale variis modis accipi solet. Primùm quidem Naturale vsu recepto dicitur, quidquid ad rei essentiam pertinet. Hoc modo sanctitas, iustitia, bonitas Deo naturalis est, non homini neque angelo: quia eis aliunde obuenit, saluáque rei essentia potest abesse, sicut ab impijs hominibus & dæmonibus abest. Secundò Naturale dicitur, quod ex naturæ principijs profluit, aut quod lege atque necessitate naturæ debetur, sicut alimentum filio à parentibus. Qua ratione iustitia hominis naturalis dici nequit, quia nulla creatura ex seipsa iustitia habet, sicuti nec immortalitatem, sed gratuito munere illam accipit ab eo, *a quo descendit omne donum perfectũ.* Tertio naturale vocatur id, quod rei ex naturæ suæ principijs, quoad operationem vel motum, conuenit: vt lapidi naturale dicimus, deorsum labi. Nec hoc modo iustitia homini naturalis est, vt voluit Pelagius: Nam *Deus in nobis operatur velle et perficere.* Quartò. Id Naturale censetur, sine quo humana natura non nascitur, vel Id, quod cum natura contrahitur: Sic dicimur *natura filij iræ.* Sapient. 12. *naturalis malitia eorum.* Rom. 11. *ex naturali excisus oleastro.* Hoc etiam modo iustitia nobis dici nequit naturalis, cùm non iusti, sed iniqui nascamur, & contra

Naturale variis modis accipitur.

Dion. Areop. de diui. nom. cap. 4.

Basil. lib. de Spirit. sanct. cap. 15.

Fulgen. de fide ad Petrum. c. 23.

Iustitia nõ est hominis naturalis.

Iacob. 1.

Philippen. 2.

Ephes. 2.

naturam inseramur bonæ oliuæ. Hoc verò modo iustitia Christo naturalis fuit ; & docet Augustinus Enchir. capite 40. Cyril. in Ioan. libro 1. capite Lucæ tractans angeli verba : *quod nascetur ex te sanctum*. S. Thom. 3. part. quæst. 34. art. 3. ad 2.

Psal 50.

Naturale quod ad naturæ perfectionem pertinet.

Postremò Naturale dicitur, quod homo à Deo in sua creatione cum natura accepit : quódque ad naturæ decorem & perfectionem pertinet, quamuis essentia rei salua abesse possit. Hoc modo iustitiam hominis primo & angelis fuisse naturalem rectè dicimus, quia *'Deus creauit hominem rectum, ad Imaginem et similitudinem suam*: ad fruendum Deo. *Creasti nos ad te* (ait Augustin. lib. 1. confes. capite 1.) *et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Quòd autem Dei dona, homini in sua creatione collata, rectè quodam sensu naturalia vocentur, docet Fulgent. libro de Incarnat. & grat. capite 22. Prosper contra Cassianum. Damascenus, libro 3. de fide capite 24. Leo sermon. 1. de Ieiun. 10. mensis. & sermo. 4. de natiuitate Domini, & sermo. 15. de pass. Augustin. sæpe docet, nihil aliud esse vitium, quàm naturalium priuationem bonorum. Enchiri. capite 11. libro 3. de libero arbi. capite 18. & 19. de spirit. & lit. capite 27. Cœlestinus in epistol. pro Prospero & Hillar. capite 4. dicit, naturalem innocentiam in Adæ præuaricatione perditam. Gregor. libro 29. moral. capite 21. Accedit expressè Sanct. Thomæ 3. part. quæstio. 34. artic. 3. ad 2. doctrina : *Illud*, inquit, *quod homo in principio suæ creationis habet, est homini naturale.*

Iustitia quo sensu naturalis dici possit. Eccles 7.

CAP. XCV.

De libero hominis Arbitrio.

NE vocis ambiguitate quis decipiatur, ab expositione nominis *liberi arbitrij* tractatum hunc inchoabimus : de quo triplex opinio reperitur. Prima eorum est, qui sentiunt, nomen *liberi arbitrij* significare coniunctionem iudicij rationis, & electionis voluntatis : & ratione iudicij nuncupari arbitrium, ratione autem electionis, liberum : vt nihil aliud sit Liberum Arbitrium, nisi iudicium cum electione. Augustin. lib. 3. Hypogno. Petrus Lombardus libr. 2. sent. dist. 24. §. D. Secunda aliorum est, qui existimant, nomen liberi arbitrij propriè de actu rationis dici : quia arbitrari idem sit, quod iudicare. Bernard. lib. de grat. & lib. arbit. Ruard. art. 7. Lou. Tertia, denique sententia est communis Patrum & S. Thomæ, 1. part. quæst. 83. art. 3. ad 2. qui docet, per liberum arbitrium solius voluntatis actum denotari, qui solus verè ac propriè liber est. Vnde nomen voluntatis Patres addere solent, dicentes: *liberum voluntatis arbitrium*, sic Ambros. August. & alij passim. Quamuis enim arbitrari propriè ad intellectum pertineat, rectissimè tamen voluntati accommodamur, quia eius electio est sententia quædam, & vltimum ipsius iudicium, cõsensus, beneplacitum seu decretum, quo se nutu suo in hanc partem absque vlla naturali vel fatali necessitate inflectit, mouet, inclinat. Apprehensum enim bonum vel malum intellectus proponit animæ, quæ sua voluntate, imperio, ac placito concludit, eligendo vel repudiando. Vnde liberi arbitrij definitionem

Liberum arbitrium vnde dictũ

Ambros. li. 1. de fide c. 3.

Aug. lib. de grat. & libe arb. c. 2. Lib. 5. de ciuit. cap. 9.

Quid liberum arbitrium.

colligere possumus hunc: *Liberum arbitrium est facultas libera intelligentis naturæ, qua positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere et non agere, eligere, et repudiare.* Est enim liberum arbitrium non habitus, vel actus, sed potentia indeterminata, quæ in sola intelligente natura reperitur, scilicet in Deo, angelis & hominibus, & circa media ad finem aliquem conducentia versatur, cuius actus proprius est electio, quæ consultationis velut conclusio est, duobúsque modis peragitur, vel seligendo vnum ex pluribus propositis, quæ contrarietatis libertas dici solet, vel vno tantùm proposito, illud acceptando vel repudiando, quæ libertas contradictionis nuncupatur. Et quoniam eligere, voluntatis est, sequitur, liberum arbitrium esse voluntatem, seu appetitum rationalem: qui vt finem respicit, voluntas dicitur, vt autem media considerat, liberum arbitrium vocatur, quia videlicet rem vt bonam vel malam à ratione propositam amplectitur aut repudiat suo nutu, nulla fatali aut naturali necessitate appetitum in hanc vel illam partem inflectente. Non enim ad libertatem arbitrij sufficit, quod homo in sua actione non cogatur, quódque sponte, hoc est, ex interno principio operetur. Nam & animantia rationis expertia, quædam vt sibi bona ex apprehensione sensus appetunt, nonnulla tanquam noxia fugiunt, ad quæ nulla vi externa compelluntur, sed ex interno appetitu sensitiuo mouentur, quæ tamen nemo liberè moueri dixerit: quia solet naturæ instinctu ad vnum determinatò ferantur, potiúsque agantur, quàm agant, Damascen. lib. 2. fidei Orthod. capite 27. Similiter nonnulla homo vult iudicio ad vnum determinato, ideóque non liberè, sed necessariò: veluti omnes beati esse appetunt, & miseriam fugiunt, quia voluntas naturaliter in bonum generatim apprehensum inclinat, & malum auersatur. Quòd vt plenius intelligatur, sciendum est, triplicem distingui libertatem. Vna est libertas à necessitate, quæ naturæ libertas dicitur: Altera est libertas à peccato, quæ Gratia nuncupatur: Tertia est libertas à miseria, quæ libertas Gloriæ appellatur. Rursus libertas naturæ in duas species diuiditur. Est enim libertas à coactione, qua sponte voluntariè & libenter fiunt, etiam quæ necessaria sunt: quo modo fœlices esse ita volumus, vt infœlices esse nullo modo velle possimus. Augustinus Enchir. capite 105. Et est libertas non solùm coactoni, sed etiam necessitati opposita, quæ pro arbitrio possumus velle, & non velle. Quæritur ergò, à qua libertate dicatur liberum arbitrium? Respondeo, certum esse, imprimis libertatem arbitrij à libertate Naturæ, non à libertate Gratiæ vel Gloriæ dici, cùm impij non careant libero arbitrio, quamuis serui sint peccati, corruptionis & miseriæ. Addo præterea, æquè certum esse, ad constituendum liberum arbitrium non sufficere libertatem à coactione, sed exigi libertatem à necessitate. Id apertè Scripturæ plurimis locis tradit. Ecclesiastici 15. *Deus reliquit hominem in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta: Si volueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposuit tibi ignem et aquam: ad quod volueris, porriges manum tuã. Ante hominem vita et mors, bonũ & malum quod placuerit ei, dabitur illi:* significãs ad rationem liberæ electionis requiri libertatẽ à necessitate, non solùm à coactione.

Liberũ arbitrium est potentia indeterminata.

Libertas cõtrarietatis & contradictionis.

Volũtas vt finem respicit, appetitus rationalis, vt autem media, liberum arbitrium.

Fatalis & naturalis necessitas libertati repugnant.

Ad libertatem nõ sufficit spontaneum, est absque coactione.

Triplex libertas.

Libertas naturæ duplex.

Libertas arbitrij, à libertate naturæ, non gratiæ vel gloriæ dicitur.

Distin. actio voluntarij & liberi.

Nam in eo propriè distinguntur Liberum & Voluntarium, quod Libertas omnem necessitatem: Voluntariũ autem solam coactionem & violentiam excludit. Fit enim voluntarium, quod à principio interno cum cognitione profluit, vnde pecora sponte, sed non tamen libere in pabulum feruntur, & Deus Pater sponte, sed non liberè Filium genuit. Liberum enim à violentia est, quidquid in agendo vim extrinsecus illam non patitur. Liberum autem à necessitate est, quod nõ solùm à principio innato cũ cognitione fit, sed insuper quod nulla fatali vel naturali necessitate operatur, & ex rationis ac voluntatis facultate sic agit, vt non agere possit, & in vtramque partem suam habeat optionem & electionem, non quòd simul velle, & non velle idem possit, sed quia dum vult, potest non velle, & à volendo cessare. Vnde sequitur, non omne quod est, quando iam est, necesse esse vt sit, quia vt causa sit libera in agendo, non opus est, vt priùs tempore fuerit libera. Nam Deus ab æterno voluit creaturarum bonum, quod nunc habent, & tamen liberè voluit, quamuis æternitatem nullum tempus præcesserit, quia in ipsa æternitate ita voluit, vt posset non velle.

Liberum à violentia.

Liberum à necessitate.

Libertas [illegible] & naturalis necessitatem

Deus ab æterno liberè voluit creaturarũ bonũ quod habent.

CAP. XCVI.

De potestate liberi arbitrij hominis integri.

Qualis hominis integri fuerit lib. volunt. arbitr. Aug. Enchir. c. 105 106.

PRimus homo talis à Deo conditus est, vt libero voluntatis arbitrio & bene velle posset, & malè: nec gratis, si bene, nec impunè, si malè. Sufficiebat autem solum liberum arbitrium ad peccandum, non tamen ad merendum, neque ad iustitiam retinendum: sed opus insuper diuina erat gratia, & auxilio, quod ei præsens aderat, eóque vti poterat, quando volebat. Quale sanè adiutorium si primo homini in statu integro defuisset, absque sua culpa cecidisset, quum sibi ad standum & in iustitia perseuerandum solum liberum arbitrium non sufficeret. Quod exemplo hominis illustrat B. Augustinus, qui sibi ad moriendum, non autem ad viuendum sufficit, quia elementorum adiutorio ad vitam conseruandam indiget. Iterum exemplo sani oculi, qui vt functionem suam exerceat, lumine indiget. Dederat, inquit Augustinus lib. de correp. & gra. c. 11. homini Deus bonam voluntatem (in illa quippe eum fecerat, qui rectũ condiderat) dederat & adiutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet, vt autem vellet, in eius libero relictum erat arbitrio. Posset ergo permanere si vellet, quia non deerat adiutorium, per quod posset, & sine quo non posset bonum perseuerantem tenere, quod vellet. Si autem hoc adiutorium vel angelo, vel homini, quamprimum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere, si vellet, non vtique sua culpa cecidisset: adiutoriũ quippe defuisset, sine quo manere non possent. Acceperat enim primus homo posse, si vellet, sed non habuit velle quod posset: nam si habuisset, perseuerasset.

Li. arb. hominis integri diuino ad bene operãdum indigebat auxilio.

Aug. de corrept. & grat. c. 11. & 12. Enchir. ca. 116. Lib. 14. de ciuit. c. 13 li. 21. c. 30. ser. 11 de verb. Apost. Lib. de bon. perseu. c. 7.

CAP. XCVII.

Cur Deus hominem malè libero vsurum arbitrio creauerit?

Cur malè vsurũ libero arbitrio Deus creauerit?

ISta quæstio sæpius initio Christianæ fidei doctoribus obiecta fuit, cui

cui à Diuo Petro Apostolo, Dionysio Areopagita, Irenæo, Augustino, aliisque responsum est, Deum benefacere voluisse etiam de malefaciente: & ordinem prætermittendum non fuisse, in quo ostenderetur, quàm bonum sit animal rationale, quod etiam peccare possit; Congruentissimum insuper fuit, Deum sic hominum & angelorum ordinare vitam, vt in ea priùs ostenderet, quid liberum posset arbitrium; deinde, quid suæ gratiæ posset beneficium, iustitiæque iudicium.

Clem. lib. 3. recog. Dionys. Areop. lib. de diui. nom. cap. 4. Iren. lib. 4. cap. 17. Aug. Ench. c. 104. 105. lib. de correp. & grat. c. 10. lib de bono perseu. c. 7. Cyril. in Ioan. lib. 9. c. 10.

CAP. XCVIII.

Quòd liberum hominis arbitrium peccato non sit amissum.

Liberũ arbitrium experientia comprobatur.

QVod in homine lapso facultas vnum præ alio eligendi remanserit, ac proinde liberum voluntatis arbitrium, experientia ipsa comprobat. Quantumcúmque enim ad consentiendum actioni contingenti, vel quippiam agendum, nos suasio, vel inspiratio moueat, attamen nos liberè posse acquiescere, vel renuere, palàm experimur. Quòd etiã pertinet, quòd plurima nõ nisi prętio diligenti consilio, seriáque permissa deliberatione operemur. Frustra porrò consuleremus, si nobis liberum non foret in hanc vel illam partem nos flectere, nutúque voluntatis placentem nobis partem eligere. Accedit, quòd experiamur, non inaniter hominibus leges & consilia dari; minas & præmia proponi: neque frustra homines ad bona inuitari, rogari, corripi, laudari, vituperari: quæ tamen omnia in vanum adhiberentur, si homo ad id quod facturus sit, non liberè, sed necessariò ferretur. Nemo enim laudem, præmium aut supplicium pro eo meretur, quod aliter fieri non potuit. Suffragantur experientiæ aperta scripturæ testimonia, quæ homini lapso perspicuè liberũ voluntatis tribuunt arbitrium. Et quidem hæc ipsa scripturæ testimonia possunt ad decem capita reuocari. PRIMVS ordo earum sit scripturarum, in quibus expressa libertatis mentio fit; vt 1. Cor. 9. *Non sum liber? nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi?* 1. Cor. 7. *Qui statuit in corde suo firmus non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis.* Numer. 3. *vir in arbitrio habebit votum vxoris suæ.* Iosuæ vltimo: *Optio vobis datur.* 4. Regum 2. *Populus obtulit arbitrio suo, & iudicio cordis sui.* Isaiæ 1. *Si volueritis, & audieritis me.* Eccles. 15. *Deus reliquit hominem in manu consilij sui.* Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi.* Ad Philemonem: *Sine consilio tuo nihil volui facere, ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.*

Scripturæ testimonia de lib. arb. ad 10. capita reuocantur.

Libertas arbitrij statuitur.

Secundus ordo scripturarum est illarum, quæ actiones humanas in hominis arbitrio & potestate consistere significant, ita vt sæpe non faciat, quod agere potest. vt Eccles. 31. *potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit.* Gen. 4. *sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Deut. 38. *Mandatum quod ego præcepi tibi, hodie non suprate est, sed iuxta te.* Eccles. 15. *Si volueris conseruare mandata, conseruabunt te, &c.* 1. Cor. 9. *non vsi sumus hac potestate.*

Homo potest agere & non agere.

Consilium & deliberatio ostendunt libertatem.

Leges, minæ, præmia.

Correptio, laus & vituperium.

Tertius ordo scripturas continet, in quibus optio vel electio homini permittitur; vt Gen. 13. Abraham Loth optionem terræ concessit. Deut. 30. Moyses Israëlitico populo benedictionem proposuit. Iosue vltimo: *optio vobis datur, eligite ho-*

Optio & electio libertatem conuincit

die quod placet. 1. Paralipom. 21. optio Dauidi offertur. Ecclesiastici 15. *appositit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam.* 1. Cor. 7. *Qui statuit in corde suo firmus &c.*

Exprobatio signum libertatis.

Quartus ordo scripturarum est, in quib. homini exprobratur, quòd contra Dei voluntatem agat, eique resistat. Prouerb. 1. *Vocaui & renuistis.* Isaiæ 5. *Expectauí vt faceret vuas, & fecit labruscas.* & cap. 65: *Expandi manus meas ad populum contradicentem.* Actor. 7. *vos semper Spiritui Sancto restitistis.* Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti?* Apocal. 2. *Tempus dedi ei vt pœniteret, & nonuult pœnitere.*

Libertatẽ ostendunt præcepta, consilia, suasiones.

Quintus ordo scripturarum est, continentium diuina præcepta, prohibitiones, consilia, suasiones, exhortationes, dehortationes, correptiones, laudes, obsecrationes, inuitationes, præmia, & supplicia: quæ omnia homini frustra proponerentur, nisi liberum haberet arbitrium.

Promissio mercedis, & comminatio supplicij.

Sextus ordo scripturas complectitur, quibus omnia hominum facta in iudicium adducenda significantur: vt Deus mercedem boni operis aut mali retribuat. vt Ecclesiastes 12. *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium, siue bonum siue malum sit.* 2. Corinth. 5. *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum,* Rom. cap. 2. *reddet vnicuique secundum opera sua.*

Interrogationes cur homo fecerit?

Septimus ordo scripturarum est, continentium interrogationẽ, Cur hoc & non illud homo fecerit? vt Geneseos cap. 4. Dominus Deus ait Cain: *quid fecisti?* & geneseos capite tertio Euam interrogat: *Quare hoc fecisti?* Actorum capite quinto D. Petrus.: *cur posuisti hanc rem in corde tuo?* Matthæi vigesimosecundo: *quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Lucæ capite decimo nono. *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam?*

Pœnitentiæ actio.

Octauus scripturas continet, in quibus multi peccatores ad cor redisse, ac pœnitentiam egisse significantur. Psalm. 50. Dauid, *peccatum meum agnosco.* Psalm. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* Isaiæ 38. *Quid dicam aut respondebo, cum ipse fecerim?* Ieremiæ capite octauo & trigesimo primo, reprehenditur populus Israeliticus, in quo nullus pœnitentiam ageret, dicens: quid feci?

Consensus & cooperatio.

Nonus ordo scripturarum est, quæ hominis consensum & cooperationem cum Dei gratia exigunt. Psalmo sexagesimo nono. *Adiuua nos Deus salutaris noster.* Psalmo septuagesimo octauo, *Deus in adiutorium meum intende.* Ecclesiastici capite quinquagesimo primo, *memoratus sum misericordiæ tuæ domine, et cooperationis tuæ.* priori Corinth. capite tertio: *Dei adiutores sumus.* Græcè συνεργοι, id est, *cooperatores.* priori Corinth. decimo quinto: *laboraui non ego, sed gratia Dei mecum.* Nemo autem adiuuari dicitur, nisi adiuuanti cooperetur. Augustinus serm. 13. verbis Apostoli.

Oratio & gratiarum actio.

Postremus ordo scripturarum est, quæ orationes & gratiarum actiones pro bonis operibus peractis, aut tentationibus superatis commendant. Ad quid enim oratio vel gratiarum actio, si non liberè, sed necessitate, homo ad operandum aut non operandum impellatur? Cur pro Iudæorum conuersione Apostolus Deum assiduè interpellasset, eorúmque pertinaciam continuo animi dolore plan-

xisset, nisi Dei gratia iuuante bene, suáque peruersa voluntate malè agere potuissent?

Gratia libertatem firmat.

Quibus scripturis euincitur, in homine post lapsum non tantùm voluntatem remansisse, sine qua rationalis natura subsistere nequit, verumetiam libertatem, quâ voluntas se huc & illuc inflectere queat. cui quidem libertati gratia Dei, qua voluntas ad bona peragenda indiget, adeò non obstat, vt potiùs firmet ac statuat. vnde in Pelagio damnatum est, quòd assereret liberum arbitrium gratia Dei frangi. Quare Concilium Arausicanum, & postea Tridentinum rectè definierunt, Liberum hominis arbitrium non esse sublatum, sed infirmatum nec gratia euerti sed adiuuari. Quam doctrinam vnanimi consensu omnes tam Græci quàm Latini doctores tradiderunt. Clemens lib. 2. recognit. & epist. 3. refert, Simonem Magum, qui hominum actiones fato tribuebat, à B. Petro fuisse confutatum, ac libertatem arbitrij humani demõstratam fuisse ex Dei iudicio, quo hominum actibus præmia vel supplicia decernit, atque per iura populorum seculique potestates & leges, quæ mala puniunt, & bona laudant, præmióque digna censent. Meritò itaque exclamat Origenes: *Erubescant, qui negant liberum arbitrium.* & D. Augustin. tres libros pro defensione liberi arbitrij contra Manichæos elaborauit. Et in libris posterioribus contra Pelagianos diligenter admonet; ne ita Dei gratiam prædicemus, vt liberum tollamus arbitrium, ne insuper ita liberum extollamus arbitrium, vt Dei gratiam denegemus. Qua de re scripsit librum *de gratia, et lib. arb.* item librum *de correptione et gratia*, in quo docet, præceptis & correptionibus pulsari liberum hominis arbitrium, orationibus verò, Deique gratia excitari adiuuarique, vt bene operetur: non enim hominem Deus mouet sicut insensatum lapidem, sed secundùm naturæ suæ conditionem, vt scilicet benè velit libero voluntatis arbitrio. Quam doctrinam contra Pelagianos differens Aug. (vt calumniantur sectarij) non retractauit, sed inculcauit lib. 1. retract. cap. 9. explicans, quomodo verè dixisset: *per voluntatem posse caueri peccatum*; scilicet cum gratia Christi, & cap. 10. *omnes homines posse saluari si velint, quia*, inquit, *præparatur voluntas à Domino.* Enchiridij cap. 32. *Quomodo non volentis nec currentis, cùm proculdubio si homo eius ætatis, vt ratione iam vtatur, non possit credere, sperare, diligere, nisi velit: nec peruenire ad palmam supernæ vocationis Dei, nisi cucurrerit.* Quo autem sensu dixerit Enchir. cap. 30. *Quòd homo malè vtens libero arbitrio se perdiderit et ipsum, seruúmque peccati fecerit et diabolo*, ex prædictis liquet, quia scilicet peccando libertatem à peccato & à miseria perdidit, seipsúmque damnationi obnoxium fecit. Similiter ait, liberum arbitrium à seruitute liberandum, & liberius fore, quoniam peccare non poterit; respiciendo nimirùm ad libertatem, non à necessitate quam natura contulit, sed à peccati & miseriæ seruitute, de qua Ioannis 8. *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* & Rom. 8. *ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis.* Bernardus libr. de gratia & libero arbitr. hanc triplicem libertatem, à Peccato, & à Miseria, atque à Necessitate obseruauit, vtumámq; rationalem comitari naturam admonet: quod lumine rationis naturalis tam euidens est, vt

Aug. epist. 106.

Cõc. Arausic. can. 13. Cõcil. Trident. sess. 6. can. 4. 5. 6.

Dei iudicia libertatem arbit. euincunt.

Origen. ho. 12. in numeros.

Aug. lib. 1. cõt. 2. epist. Pelag. cap. 2. li. 2 de pecc. merit. ca. 18.

Leo ser. 16. de pass. & 5. de qua frag. Greg. hom. 9. in Ezech.

Aug. non retractauit doctrinam de lib. arb.

Aug. hom. 50. inter 50.

Libertatẽ à peccato & miseria peccando homo perdidit.

Aug. lib. 5. de ciu. c. 9.

communi consensu sapientes etiam ethnici hominem liberi esse arbitrij agnouerint. nulla enim vnquam respublica fuit, quæ non habuerit magistratus, consilium, leges pœnas & præmia; quæ omnia essent supervacanea, si nulla esset libertas eligendi.

CAP. XCIX.

De qualitate liberi arbitrij post lapsum.

Lib. arb. per peccatum non est extinctum.

QVanquam liberum hominis arbitrium per Adæ prævaricationem suam naturalem libertatem non amiserit, nec proinde sit extinctum, attamen per peccatum fuisse corruptum, viribus attenuatum languidum & infirmum ad operationes salutares, confitendum est. Mentem enim, perdita luce sapientiæ, infidelitatis tenebræ inuaserunt; vnde sequuta rerum credendarum agendarumque ignorātia; factúmque, vt homo facilè complectatur falsa pro veris; nec de rebus (id est, ad Dei veri cultum, & animæ salutem) ex seipso rectè iudicare possit, sed lumine diuino illustrandus sit, quo adiutus de re salutari proposita bene censere queat, prout docet Apostolus: *Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et alibi: *Non ego, sed gratia Dei mecum.* & ad Rom. *non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.*

Mens hominis obscurata peccato.

2. Cor. 3.

1. Cor. 15. Rom. 9.

Voluntas corrupta peccato.

Similiter in hominis voluntatem deperdita charitate per Adæ (in quo omnes cecidimus) prævaricationem irrepsit rerum noxiarum cupiditas, cælestiúmque bonorum fastidium; vnde nata est pronitas ad mala. A qua mentis & voluntatis omniúmque naturalium virū corruptione atque infirmitate, nemo seipsum liberare potuit, sed cælesti Medico indiguit, qui hæc vulnera curaret; simul adjutore, à quo ex tam profundo ignorantiæ, malitiæ, ac infirmitatis puteo educeretur; necnō Saluatore, qui à reatu mortis & diaboli captiuitate eriperet. Is autem *vnus Dei & hominum Mediator, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Cuius intuitu Deus nullis hominum existentibus bonis meritis, præueniente gratia, seu inspiratione, & adiutorio Spiritus sancti hominem vocat. Qua quidem vocatione operatur, vt qui prius à Deo auersus erat, ad ipsum conuertatur, credat, speret, diligat, oret, peccati pœniteat, seipsum ad iustitiam præparet ac disponat, vtque tandem gratis iustitia per obseruationem mandatorum Dei crescat, & vsquè in finem perseueret. Qua præueniente gratia Deus hominis liberum arbitrium ita mouet, vt Deo excitanti, vocanti, persuadenti liberè assentiendo cooperetur. Non enim gratia liberum euertit arbitrium, sed infirmū sanat & corroborat, vt sublimia futuræ vitæ bona credere, sperare, ac diligere valeat: iuxta illud Augstini: *Credere & velle bonum nostrum est, propter arbitrium voluntatis, quia non fit nisi volentibus nobis; & vtrumque Dei est propter spiritum fidei & charitatis.*

Medico, adiutore, atque saluatore opus fuit.

1. Tim. 2.

Intuitu Christi Deus nos præuenit sua gratia.

Aug. libr. de prædest. sanct. cap. 3. Item libr. de grat. & lib. arb. cap. 16.

CAP. C.

Quid sine Christi gratia liberum hominis arbitrium boni possit?

EX viribus naturæ peccato quidem læsis, sed tamen non om-

Quid libe. arbitr. sine

gratia poſſit.

nino ſublatis, hominem abſque ſpeciali Chriſti gratia poſſe naturalem de rebus cognitionem habere, imò & ex lumine naturali cognoſcere Deum eſſe, & vnum, ſcriptura variis locis ſignificat, eos coarguens, qui mundi dominum non inuenerunt, vel poſtquàm ex rebus creatis cognouiſſent, non ſicuti Deum glorificauerunt. Similiter ad actiones naturales & ciuiles, virtutem naturæ relictam, generali Dei concurſu adiutam, ſufficere indicat, vbi actiones mechanicas & ciuiles (vt artes addiſcere ac exercere, familiam vel rempublicam adminiſtrare) aliáq; ſimilia hominibus bonis & malis

Sapien. 13. Act. 17. Rom. 1.

Aug. lib. 22. de ciui. cap. 24.

fuiſſe communes recenſet. Gen. 4. *Poſteri Cain muſicam, organa, citharas, artem fabrilem reperiunt. Moyſes eruditus eſt in omni ſapientia Ægyptiorum.* Act. 7. Exodi 31. Deus implet ſpiritu ſapientiæ Beſeleel, & Ooliab, ad excogitandum quidquid fabrefieri poteſt. Quamuis interim doceat, ad huius temporalis vitæ munia perfectè ac ſine errore gerenda hominem crebris illuminationibus, diuinis inſtinctibus, angelorúmque miniſterijs ſæpe indigere. Præterea ex naturali iudicio conſcientiæ, quæ à quibuſdam manifeſtis ſceleribus abhorret, & ad bonum honeſtum inclinat, cum generali Dei concurſu quiſpiam poterit opera moraliter bona exercere, in quibus neque ex genere operis, neque ex intentione finis peccet: veluti, quoniam latrocinari quis nolit, furta, adulteria, grauioráque flagitia oderit, quia rectæ rationi aduerſentur; & quia facere alteri non vult, quod ab alio pati nollet.

Aug. lib. de ſpiritu & lit. ca. 27. & 28. lib. 2. confeſſ. cap. 4. lib. 3. hypognoſt.

Poſtremò liberum hominis arbitrium generali cooperatione Dei adiutum, peccata quædam vitare, tentationéſque nonnullas ſuperare poteſt. Nam, vt ait Auguſt. *cupiditas cupiditate ſuperatur.* Hoc interim contra eos, qui naturæ corruptæ plus æquo tribuunt, conſidenter ſtatuendum eſt, neminem per ſuæ naturæ vires aut merita abſque diuina per Chriſtum gratia poſſe iuſtificari coram Deo, aut ſe ad iuſtificationis gratiam præparare, vel omnia cum lege naturę pugnantia crimina vitare, omnéſque Dæmonis atque Mundi tentationes ſuperare, aut verarum virtutum Deo placentium habitus acquirere, multóque minùs piè viuere, aut opera vitæ æternæ meritoria producere, vel in iuſtitia diu perſeuerare. Nam ſine Chriſti gratia nullum verè bonum, hoc eſt, nullum religionis aut pietatis opus, quoad Deum tenditur, ſalúſque animæ acquiritur, in homine reperiri poteſt; iuxta illud Chriſti: *Sine me nihil poteſtis facere.* Vnde concilium Triden. iuſtè anathema ei dicit, qui abſque Chriſti præueniente gratia & adiutorio hominem ſenſerit poſſe credere, ſperare, diligere, pœnitere, iuſtè viuere, aut perſeuerare; tribuens ſcilicet fidei initium & augmentum, conuerſionem voluntatis in Deum, in bono perſeuerantiam, omniáque beatitudinis æternæ conſequendæ media gratiæ Dei per Chriſtum; vt *qui gloriatur, non in ſe, ſed in Domino glorietur.*

Lib. de nat. & grat. c. 27. lib. 3. cont. 2. epiſt. Pelag. cap. 4.

Sine Chriſti gratia nulla meritoria virtus.

Ioan. 15. Cõcil. Trid. ſeſſ. 6. can. 1. 2. 3.

Ieremi. 9.

CAP. CI.

De gratia Chriſti.

In quo Chriſti gratia cõmitat.

QVemadmodum periti Medici primùm de morbo, poſtea de remedio differere conſueuerunt; ita poſt agnitionem corruptionis naturæ humanæ, atque languoris & infirmatis liberi arbitrij, nonnulla de Chriſti Gratia ſubiiciemus; cuius

vt perneceſſaria cognitio, ita & iucundiſſima eſt. Nam in cauſa duorum proprie hominum, Adæ ſcilicet primi, & Adæ ſecundi, CHRISTI, ſeu in notitia morbi & remedij, lapſus & humanæ redemptionis Chriſtiana fides conſiſtit: vt ſæpius confitetur Auguſtinus: *Hoc eſt*, inquit, *de verbis Apoſtoli ſerm. 12. fidei Chriſtianæ fundamentum, vnus & vnus: vnus homo, per quem ruina: alius homo per quem ſtructura: Adam cecidit Chriſtus erigit: Adam occidit, Chriſtus viuificat: Adam perdidit nos, Chriſtus ſaluat nos: Adam ſauciat, Chriſtus ſanat: Adam ruit, quoniam diuiſit manentem; manens ille deſcendit ad iacentem, vt hominem perditum ſaluaret, mortuum viuificaret, captiuum liberaret, iræ Dei obnoxium reconciliaret.* Magnã iſtam gratiam commendat Apoſtolus Chriſtianis dicens: *vnus Deus, vnus mediator Dei & hominum: homo Chriſtus Jeſus*: ſignificans, gratiam fidelium non eſſe gratiam creationis, quam à Chriſto ſecundùm verbum, id eſt, vt Deo Creatore accepimus: ſed eſſe gratiam redemptionis, quam per hominem Chriſtum vt mediatorem ſecundùm humanam naturam conſequimur. Quid eſt enim Mediator, niſi per quem coniungimur: per quem Deo reconciliamur, à quo per peccata ſeparati, cæci, ſauci & infirmi eramus, vt neque ſalutari veritati ex nobiliptis credere, neque ſalutiferum aliquod bonum velle, multò minùs perficere valeremus? Quæ omnia nobis Chriſti Redemptoris Gratia præſtantur, per quem ad fidem vocamur, peccatorum remiſſionem, filiorum Dei adoptionem, virtutum operationem, & ab omnibus infirmitatibus, Adæ peccato contractis, plenam curationem, vitãmque beatam tandem conſequemur. De qua Chriſti gratia, qua fideles, Deo grati, bene viuentes, & ſpe ſalui beatique ſumus, magna olim cum Gentibus & Iudæis, Pelagianiſque concertatio fuit. Gentiles enim Philoſophi naturæ bono humaniſque diſciplinis exculti, ſe ad bene beatéque viuendum ſibi ſufficere arbitrabantur, qui *dicentes, ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*, ſéque fœdiſſimis peccatis coinquinarunt; de quibus Apoſtolus ad Rom. 1. & Baruch: *viam ſapientiæ ignorauerunt, et virtutis ſemitas non inuenerunt*; quia Chriſtum ignorantes, totam iuſtitiæ ſpem in ſeipſis conſtituerunt. Iudæi verò carnalibus Legis Moſaicæ ceremonis adhærentes, ſolo legis per Moyſen datæ adiutorio, ſpiritu gratiæ Chriſti reiecto, ſe iuſtificari poſſe contenderunt. At lex peccatum oſtendere, metu cohibere, non autem ſanare poterat; vt inſigni typo Helizeus Chriſtum adumbrans expreſſit, quia per ſeruum ad ſuſcitandum hoſpitis filium morte abreptum, baculum miſit, qui mortuo applicatus eum viuificare non potuit, ſed neceſſarium fuit Helizeum Dominum, grandem ad paruulum, viuum ad mortuum venire, qui ſeipſum contraheret, exinaniens vt ſerui formam acciperet, paruulúſque effectus ſe paruulo mortuo coaptaret, illiúſque corpus ſui ſpiritus afflatu calefaceret, atque communicatione viuificaret. In quo typo vim Chriſti gratiæ Prophetice exprimenti ſuſcitatus eſt mortuus, ſicut iuſtificatus eſt per Chriſtum impius. Quam Chriſti gratiam commendans Apoſtolus: *Non irritam facio*, inquit, *gratiam Dei. Nam ſi per Legem iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.* Et in epiſtol. ad Rom. ad Galat. ad Epheſ. ad Philippen. & ad Hebræos, ex profeſſo non per

Aug. lib de pecc. Orig. 1.

24 de verb. Apoſt. ſer. 12 epiſt. 156.

In cognitione Adæ primi & ſecundi fides Chriſtiana conſiſtit.

1 Timoth. 2.

Gratia Chriſti in quo ſita.

Philoſo. ſe ad bonum viuendum ſufficere opinati ſunt.

Rom. 1. Baruch. 2.

Iudæi ſolo Moſaicæ legis adiutorio contenti ſunt.

Legis vet. officium eſt peccatũ oſtendere, non ſanare. Lib. 4. Reg. cap. 4.

Gal. 2.

Legem, sed per Christi Fidem nos iustificari tradit, non solùm quoad remissionem peccatorũ, sed etiam quantum ad operationem virtutum: *Iustus* enim *ex fide vivit*, id est, iustificatur, & bene operatur. Pelagius autem Dei gratiam, quæ per Christum datur, tantùm in remissione peccatorum, & adiutorio doctrinæ constituebat: ac proinde solùm eam valere sentiebat, vt peccata commissa remitterentur, non autem vt futura vitarentur, aut iustitiæ impedimenta superarentur; nequè vt bonum vellemus, sanctè operaremur & viueremus. Nam ad declinandum à malo, & faciendum bonum, liberum hominis arbitrium sciențiâ legis adiutum sufficere asserebat: sub scientia verò omnem doctrinam, exempla bona, exhortationes, miracula, externáque cetera virtutum incitamenta; item terrores, promissa, suationes, pulsus, aliáque huiusmodi adiumenta comprehendebat: gratiam autem, qua per Christum charitas diffunditur, & cùm bona facta fuerit, adiuuatur, vt bonos actus operetur, & in vitam æternam dirigitur, vehementissimè oppugnabat; negans charitatem & bonos animi motus, quibus Deus diligitur & proximus, à Deo dari, effici, diffundi vel inspirari. Ad omnia enim ista liberum hominis arbitrium in creatione à Deo acceptum sufficere dicebat, modò doctrina legis, aliisque externis auxilijs iuuaretur. Ad eundem errorem accesserunt Cassianus & Faustus, aliique nonnulli, qui bona desideria, ac dispositionem ad gratiam sine speciali præueniente gratia haberi posse prædicabant.

Rom. 1. Hebr 10. Gratia Christi secundũ Pelagium consistebat in doctrina & externis tantum adiuuentis.

Charitas & boni animi motus à Deo.

Isido. lib. de scriptis. Ado in Chron. Cassiani & Fausti opera, in Conc. Rom. à Gelasio damnata. Gratiam distin. 16 can. Sancta Rom. Eccl.

CAP. CII.

De Gratiæ nomine.

GRatiæ nomen à *gratis* deducitur. Id enim Gratia dicitur, quod gratis donatur, non tanquam merces aut debitum. *Ei enim qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Romanorum 4. Et: *si gratia iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia.* Rom. 11. TRIPLEX autem est nominis gratiæ acceptio. PRIMA est amplissima, pro quouis Dei beneficio, siue naturali, siue supernaturali, gratis dato; qua significatione Corpus, Anima, Naturales potentiæ, pulchritudo, diuitiæ, aliáque huiusmodi gratuita dona GRATIA dicuntur. quo modo Sapiens vtitur Gratiæ voce, dum ait: *Omnium nutrici gratia tua seruiebat.* & Psalm. 44. *Diffusa est gratia in labijs tuis.* Ioann. 1. *Plenum gratiæ & veritatis.* Lucæ 2. *Gratia Dei erat in illo.* & cap. 5. *mirabantur in verbis gratiæ.* Quam Gratiæ significationem agnoscit August. epist. 95. *Quadam*, inquit, *non improbãda ratione dicitur Gratia Dei, qua creati sumus, et de hoc tanto beneficio gratias agere debemus.* Vnde meritò ista Gratia dici debet, quia non præcedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est. Hanc generalem Dei gratiam commendabat Pelagius, asserens sine Dei gratia hominem nihil posse; sed gratiæ nomine intelligebat hominis arbitrium, naturalésque potentias, August. serm. 11. de verbis Apostoli, & lib. de Gratia Christi cap. 3.

Gratia à gratis. Aug. lib de gratia & lib. arbit. cap. 21. August. in Psal. 43. Gratiæ nomen vnde deductum? Triplex acceptio nominis gratiæ.

Aug. epist. 9. ser. 11. de verbis Apostol. In Ps. 144. lib. 1. de prædest. sanct. c. 15.

Pelagius per gratiã, dona naturalia & gratuita & externa adiumenta intelligebat.

Secunda, Nomen Gratiæ accipitur pro beneficio naturæ gratuitæ

Gratiæ sunt beneficia.

naturæ superadditis. Aug. lib. de corre. & gra. cap. 10. & 11. lib. 12. de ciu. cap. 9. Ench. cap. 10. 6.

benignitate Dei superadditis; quæ non quidem indebita, sed propriè non debita nominantur. Qualia dona sunt, Iustitia primò homini & Angelis collata, & beneficiū Vnionis & Gratiæ Humanæ Naturæ Christi concessæ. Nam hæc dona licet à Deo gratis dentur, non tamen ex Christi merito, neque peccatori & indigno: ideóque adhuc generales gratiæ reputātur, de quibus cum Pelagio non propriè fuit concertatio.

Gratia Christi est specialis & propria homini lapso.

Tertiò, Gratiæ nomen accipitur speciatim pro solis illis Dei beneficiis, quæ non modo supernaturalia & non debita sunt, sed etiam ex se indignis hominibus Christi merito conferūtur: iuxta illud Apost. Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu*; vt significaret Iustificationem post Adæ lapsum non solùm gratis dari, sed etiam ex se indignis & peccatoribus, qui sub iugo Sathanæ mortis & peccati remanerent, nisi per Christū redimerentur. De Gratia hoc modo accepta cum Iudæis & Gentilibus Apostolus, & contra Pelagianos Augustinus potissimùm differunt. vocatúrque ista gratia specialiter, *Gratia Christi*, *Gratia Noui Testamenti*, *Gratia Fidelium*, *Gratia redemptionis*, *Gratia prædestinationis*, *Gratia iustificans impium*; *Gratia gratificans*: *Gratia operans & cooperans*; *sine præueniens & subsequens*, *aut Gratia vocans, excitans, pulsans et adiuuans*. De qua Gratia Augustinus libro de *Gratia Christi*, *De gratia & liber. arbitr. de natura & gratia*, variósque tractatus, epistolas & sermones edidit. Complectitur autem hæc Gratia potissimùm tria; scilicet I. Dei beneuolentiam & fauorem, gratuitámque peccatorum remissionem. II. dona gratuita; quæ infundit Deus; habitus scilicet fidei, spei, charitatis, aliarúmque virtutū. III. quædam auxilia specialia, quibus homines Deus ad credendum, sperandum, declinandum à malo, & bonū faciendum, mouet ac dirigit.

De gratia Christi, quę indignis ex se datur, cū Pelagio cōtrouersia est.

Gratia Christi potissimum tria complectitur: remissionem peccatorū, diffusionem internorum donorum, & auxilia externa Spiritus sancti

CAP. CIII.

De gratiæ Christi diuisione.

GRatiarum vna æterna est, alia temporalis. ÆTERNA est amor, quo Deus nos ante mundi cōditionem ab æterno dilexit, in cujus laudem & gloriam nos à Deo prædestinatos esse, atque in adoptionem filiorum electos, testatur Apostolus ad Ephesios: *Prædestinauit nos in laudem gloriæ gratiæ suæ.* id est, vt laudetur & glorificetur gratia ipsius.

Gratia æterna, est amor Dei æternus, & temporalis, est vocatio, iustificatio, &c.

Gratia temporaria vocatur beneficium vocationis & iustificationis, alteriusque doni gratuiti, quod in tempore datur; & quidem ex æterna gratia, vt effectus ex causa deriuatur. Nam *quos prædestinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iustificauit.* Rom. 8.

Diuisio gratiæ temporariæ.

Gratia verò hæc temporaria diuiditur in *gratiam gratis datam*, id est, donum supernaturale, absque vllo debito ad aliorum salutem præcipuè collatum, de quo Apostolus 1. Cor. 12. *Diuisiones gratiarum sunt*: & in *gratiam gratum facientem*, id est, donum supernaturale absque vllo debito, ad propriam vnuscujusque spiritualem salutem potissimū datum. De quo Apostol. ad Cor. 12. *sufficit tibi gratia mea.* Sicut enim in Republica duo Virtutum genera necessaria sunt, scilicet quędam priuatæ cujusque vitæ necessariæ, (quales sunt Continentia & Temperantia) & aliæ communes aliisq; seruientes (quales sunt Iustitia, Liberalitas

Quid gratia gratis data?

Dona virtutum priuata, & communia.

beralitas & similes:) in Ecclesia Deus esse voluit duo adiumentorum genera: Priuatum, quo quisque fit bonus: & Commune, quo alios adiuuet.

Diuisio gratiæ gratũ facientis in habitualem & actualem.

Gratia gratum faciens diuiditur in gratiam permanentem siue habitualem, & gratiam auxilij actualis specialis, quæ actio seu motio est Dei, qua homo ad operationes naturæ vim aliquo modo superantes adiuuatur. Tribus autem modis actio naturæ vires superare potest.

Tribus modis actio vires nat. superat.

Primò, si operatio sit ordinis superioris, quàm res naturales, ita vt requirat habitum diuinitùs infusum, quales sunt actus Virtutum Theologicarum, Fidei, Spei, & Charitatis.

Secundò, ratione status.

Secundò, ratione status: quia non simpliciter, sed ratione corruptionis & infirmitatis homo quædam sine adiutorio non potest, quæ sanus potuisset.

Tertiò ratione modi.

Tertiò, ratione modi, temporis, circunstantiæ loci, aut alterius cuiuscumque. Nam sæpe homo sanus posset, quod ratione infirmitatis nequit, omnes tentationes superare.

Auxilium gratiæ specialis differt à communi.

Differt porrò auxilium Gratiæ specialis à generali, quòd illud detur solùm ad actus bonos, istud autem ad omnes actus, tam malos quàm bonos præstetur. Insuper Generale Auxilium datur à Deo, vt authore naturę, vt naturalia opera exerceantur: Speciale autem à Deo, vt gloriæ authore præstatur, & ad ea opera, quæ ad finem perpetuæ beatitudinis ordinantur. Præterea generale auxilium quamuis non sit absolutè debitum, ex hypothesi tamẽ, qua Deus res extare, & operare vult, auxilium, sine quo nihil efficere possunt, eis debetur. At speciale Christi auxilium prorsus est homini lapso se indebitum, nouáque Dei liberalitate, intuitu Christi datur. Ideóque ipsi nomen gratiæ magis propriè quàm auxilio generali conuenit: quod patet ex orationibus assiduis, quas pro isto Dei per Christum auxilio habendo, fundimus. Porrò iterum auxilium speciale, diuiditur in preueniens, seu excitans, & adiuuans.

Auxilij specialis diuisio in excitans & adiuuans.

Excitans dicitur, quo Deus torpentem & velut somno compositum hominis animum tangit, illustrationibus atque inspirationibus, vocando, pulsando & stimulando, vt se à peccati somno vel negligentia benè operandi erigat. Id autem Deus bonis suasionibus facit, immittendo peccatoris animo gehennæ timorem, conscientiæ remorsum, iustitiæ pulchritudinem, peccati fœditatem, beatitudinis desiderium. Apoc. 3. *Ecce sto ad ianuam et pulso.* vbi significatur hoc excitans auxilium omnem bonum liberi arbitrij præuium conatum excludere, ac præuenire. Hinc illud in precibus Ecclesiæ: *Actiones nostras quæsumus Domine, aspirando præueni, et adiuuando prosequere.* & illud Augustini: *Quòd ad Deum nos conuertimus, nisi ipso excitante & adiuuante non possumus.* & illud Bernardi: *conatus nostri cassi sunt, si non adiuuentur, & nulli, si non adiuuentur.* Quibus consentit doctrina Concilij Triden. sess. 6. ca. 6. *Disponuntur ad iustificationem, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, etc.*

Auxilij specialis diuisio in excitans & adiuuans.

Quid excitans auxilium?

Aug lib. 1. quæ ad Simplicia. qu. 2.

Aug lib 2. de pec. merit cap. 18.

Inchir. 32. c

Bern li. de gratia & li. arb.

Adiuuans auxilium dicitur diuina cooperatio, directio atque, protectio, quibus iuuamur, tum vt eligamus, tum vt faciamus, quod Deus præueniens inspirauit. De quo Apostolus loquitur, dum ait: *Deus operatur in nobis velle et perficere.* & passim oramus, *Deus in adiutorium meũ intẽde. Deus adiuua nos.* quia (vt

Quid adiuuãs auxiliũ? Aug. lib. de grat & libe. arbi. c. 16. & 17.

Philip. 2.

Psa. 78. 79. ait. Augustin. Enchir. 32.) *Deus hominis voluntatem et præparat adiuuandam, et adiuuat præparatam.* Vnde *cooperari Deo* dicimur. 2. Cor. 3. & 1. Corinth. 15. *Gratia Dei mecum.* Est ergò gratia cooperans, quia adiuuamur, dum cooperamur, gratia verò operans, qua excitamur, vocamur, ac præparamur vt velimus.

Gratia sufficiens & efficax.

Rursus auxilium, siue gratia, diuiditur in gratiam sufficientem, & efficacem. *Sufficiens* auxilium dicitur, quo Deus ita hominem vocat, excitat & præparat, vt possit, si velit credere, conuerti, bonum facere, tamen re ipsa non velit credere, conuerti, aut bonum facere. Talem gratiam habebat Adam, qua poterat perseuerare si voluisset: quæ tamen non ita eius voluntatem moueret, vt vellet. Distinguendum est enim iuxta scripturas, & B. Aug. auxilium, quo possumus id quod volumus, ab eo auxilio, quo volumus id quod possumus. Differunt enim posse, & velle: non enim qui potest, cõtinuò etiam vult: nec omnis qui aliquid vult, statim potest, vt indicat illud Ioan. 1. *dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Isaiæ 5. *quid vltrà debui facere vineæ meæ, et non feci?* Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti?* Rom. 2. *An diuitias* &c. Ioan. 15. *Si non venissem,* &c. Matth. 11. *Væ tibi Corozaim!* Matth. 23. *Quoties volui congregare,* &c. Et Matth. 19. Dominus: *Qui potest capere, capiat.* Ioan. 13. *Non potes me sequi modo.* Ioan 12. *Non poterant credere.* Act. 7. *Vos semper Spiritui sancto restitistis,* 2. Cor. 6. *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Heb. 12. *Ne quis desit gratiæ Dei.* 1. Timot. 4. *Noli negligere gratiam Dei.* 2. Timoth. 1. *Resuscita gratiam Dei.* Celestinus in epist. pro Prospero & Hilario c. 4. dicit, omnes in Adæ præuaricatione naturalẽ perdidisse posse

Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 1. lib. de grat. Christi ca. 47.

Aug. Enchir. 95. Aug. tract. 89. in Ioan.

sibilitatem, & Aug. ser. 12. de verbis Apostoli: *homo per malũ velle, perdidit bonũ posse.* Ad huiusmodi auxiliũ sufficiens pertinet inspiratio, pulsus, motio, citatio & illuminatio, cui homo nõ acquieuit, nec cõsentit, quia suadet tãtùm, non etiam persuadet. De hac gratia loquitur Augustin. li. de spir. & lit. c. 33. dicens, quibusdam intrinsecus suaderi, sed non persuaderi: vt accidit ijs, quibus Act. 16. Apostolus prædicabat, quibus tamen ostium cordis Deus non aperuit. *In modico suades me Christianũ fieri.* & c. 34. eiusdem libri de spir. & lit. idem Aug. docet, quosdam adiuuari vt possint, multaque fieri posse, quæ nunquam fient. Sic Augustin. lib. 83. quæst. 68. inuitatos ad cœnam venire potuisse scribit. Ad hoc auxilium etiam virtutum habitus, dona Spiritus sancti, & gratiæ Sacramentorum spectant, quibus homini fideli præstatur, vt aliquid boni agere possit, etiamsi nunquam id facturus sit: putà continere, martyrium pati, eleemosynam dare, orare, ieiunare, atq; huiusmodi alia permulta. Quemadmodum ait Augustin. Abraham vires habuisse continendi, & Ioannem Euangelistam martyrium obeundi.

Aug. lib. de bono cõiugali c. 21. lib. de virgin. c. 44. lib. 10. confess. c. 5.

Sciendum verò hic est, auxilium sufficiens hîc dici, non quia homo isto præditus, ad agendum bonum sine Dei motione, directione, illuminatione, inspiratione, excitatione, protectione, bonæ voluntatis successione atque cooperatione sibi sufficiat, illisque non indigeat (cùm fatendum sit, nos per Iesum Christum ad faciendam iustitiam per actus singulos adiuuari,) sed quia per sufficientem gratiam sic Deus hominis voluntatem præparat, & dirigendo, protegendo, cooperando adiuuare paratus est, vt verò ille sic præparatus, bonum hoc, vel illud facere possit, etiamsi re ipsa hoc

Celestin. ep. pro Prospero & Hila. c. 8 Aug. epist. 107.

acturus non sit.

Efficax gratia dicitur operatio Spiritus sancti, qua propter Christum Deus hominem ita vocat & excitat, instigat, illustrat, mouet, afficit, dirigit, protegit, eíque cooperatur, vt re ipsa sic vocatus credat, cõuertatur, ac bonum faciat. De qua efficaci gratia infallibiliter & inseparabiliter opus producente, ad quod datur, Ioan. 6. loquitur Dominus: *omnis qui audiuit à Patre et didicit, venit ad me.* Est ergo quædam Dei vox, intùs in hominis corde loquẽs, & voluntatis succensio, quæ infallibiliter persuadet, efficítque, vt homo consentiat, voluntátique obediat & acquiescat. Nam quisquis vocem illam audit, ille quoque venit. Hanc vocem, Gratiam efficacem nominamus, quam electos infallibiliter audire vt conuertantur, & vsque in finem perseuerent, probant illa Domini verba: *Et non rapiet illas quisquam de manu mea.* & Apostoli, Rom. 8. *Quos vocauit, hos & iustificauit.* Vbi de vocatione secundùm propositum æternæ Dei voluntatis agit. Nam temporali vocatione multi vocantur, qui non iustificantur, vt prosequitur Aug. lib. 83. quæst. 68. & lib. 1. ad Simplicianum, qu. 2. vbi Deum interne vocando præbere vires humanæ volũtati docet, vt venire possit: attamen nõ istatim hominem sequi, nisi Deus altiùs miserendo congruè vocet, sicut venire faciat. Et lib. de corrept. & gratia c. 7. omnes iustificatos posse perseuerare, si volunt. Quod etiam definitur in Concil. Arausicano can. 25. & Triden. sess. 6. c. 13. Ex quo sequitur, omnes iustificatos habere Auxilium Sufficiens, quo perseuerare possint si velint: quia tamen non omnes perseuerant, sequitur, non omnes habere finaliter Auxilio Efficax, de quo Ezechiel c. 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam vt in præceptis meis ambuletis*: non ait, *vt possitis ambulare*, sed *faciam vt ambuletis, et iudicia mea custodiatis et operemini.* Cui Apostolus consentiens ait, Deum operari *velle et perficere*: quia videlicet Auxilio Efficaci hominis animam facit consentientem, & voluntatem obedientem: non autem offerendo gratiam solùm cui acquiescamus, si velimus, id facit, sed alta secretáque vocatione in corde hominis sic operando, & ita voluntatem mouendo, succẽdendo & dirigendo, vt liberè vocationi occultæ obediat, acquiescat, cõsentiat, velit, operetur, iuxta illud Psal. 36. *à Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet.* De hac Efficaci Gratia loquit: August. lib. de gratia & lib. arbit. c. 5. *Vt Paulus de cœlo vocaretur, & tam magna, et efficacissima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat sola, quia merita eius erãt magna, sed mala.* Et lib. de prædestin. sanct. c. 8. *Hac gratia à nullo duro corde respuitur, ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primùm auferatur.* Vnde cõstat, efficacem gratiam non à præscientia vel euẽtu, sed ab efficientia effectus dici: & libr. de corrept. & grat. c. 11. & 12. docet, electis non solùm dari, vt perseuerare possint, si velint, sed etiam dari vt velint, & certissimè perseuerent. Et li. de Prædestinatione sanctorum c. 10. docet, prædestinationem esse gratiæ præparationem, gratiam verò esse ipsam voluntatis præparationẽ per beneficia Dei, quibus certissimè liberãtur, quicumq; liberãtur, vt habet lib. de bono perseu. c. 14. Vnde sequitur, præparationẽ gratiæ finaliter efficacis fundamẽtum esse prædestination. *Si enim Deus miseretur, iam volumus* (inquit Aug. li. 1. q. 2. ad Simplicianum,) *ad eandem quippe misericordiam pertinet, vt velimus.*

Efficax gratia describitur.

Aug lib. de grat. & lib. arb. c. 17.

Ad Philip. 2.

Greg. hom. 9. in Ezechielem.

Efficax gratia ab effectu dicitur.

Ioan. 10.

Efficacia gratiæ vnde profluat? v. de corrept. & grat. c. 11. & 12.

Præparatio gratiæ efficacis est fundamentum prædestinationis.

CAP. CIV.

Vnde Gratiæ efficacia profluat?

VTrùm Gratiæ efficacia pendeat ex voluntate diuina, vel potiùs ab humana, non solùm priscis seculis contra Pelagianorum reliquias, sed etiam nunc grauis est concertatio, non solùm contra hæreticos, qui Deum actione Physica voluntatem passiuè tantùm se habentem mouere ad bonum docent, sed etiam contra nonnullos Ecclesiæ Doctores, qui plus æquo humanæ voluntati tribuentes, ab humana voluntate Gratiam Efficacem dependere volunt, efficaciam gratiæ constituentes in assensu & cooperatione voluntatis, quæ gratiam ex se non nisi sufficientem, cooperatione sua efficacem reddat, illúdque Auxilium Sufficiens, siue maius, siue minus in se sit, efficax vocetur, cum quo voluntatis arbitrium pro sua libertate cooperatur: illud verò inefficax dicatur, cum quo arbitriũ pro sua eadem libertate non cooperatur, vt auxilij efficacia, vel inefficacia pendeat à liberó consensu & cooperatione arbitrij voluntatis humanæ. Quam sententiam B. Augustin. in epistol. 107. ad Vitalem tanquam fidei aduersantem reprehendit, docens, efficaciam gratiæ non ab humana pendere voluntate, sed à diuina, quæ vocatione alta atque secreta sic hominis agit sensum, vt accommodet assensum. Non enim solùm Deus hominis voluntatem præparat & operatur docendo, pulsando, excitando, vel etiam quomodocúmque suadendo ac illuminando, sed etiam maius lumen communicando, intensiorem actum excitando, vel plures & diuersos motus inspirando, quibus voluntas hominis ita alliciatur & præparetur, vt infallibiliter consentiat. Nouit enim Deus capacitatem & inclinationem humanæ voluntatis, omnésque vias & modos, quibus ad consentiendum inclinari, vel impediri possit, & sua infinita sapientia & potentia ea prouidere atque dare potest, quibus homo certissimè inclinetur, attamen liberè, quia remanet potentia non consentiendi, vera, realis, & Physica, etiamsi futurum non sit, vt homo sic præparatus dissentiat, quia nimirum occulta inspiratione, atque dilectionis & delectationis infusione ita afficiatur, vt libero suæ voluntatis arbitrio verum credat, nec suasus tantummodò, sed etiam persuasus & consentiens abscondat, atque vt bonum velit, amet, operetur, & præcepta Dei obseruet: Quæ Dei efficax operatio cùm suauiter hominis voluntatem afficiendo, non autem violenter inflectendo, neque motum necessitate prædeterminando fiat, nihil humanæ libertati officit, imò illam statuit, gubernat, dirigit, hominémq; infallibiliter perseuerare facit. Inde enim pendet certitudo atq; infallibilitas prædestinationis, quòd electis Deus finaliter efficacem gratiam præparauit, iuxta illud Apostoli: *Quos enim prædestinauit, hos & vocauit*, (vocatione secundùm propositum, vt Augustin. monet de corrept. & grat. c. 7.) *quos autem vocauit*, (secundùm propositum,) *hos iustificauit*, (secundùm propositum, quod adiunctã habet vsq; in finem perseuerãtiam:) quos autẽ ita iustificauit, hos magnificauit. Quòd si vocatio efficax nõ à proposito Dei, sed ab humana voluntate penderet, nullus prædestinationi locus, sed tantùm præscientiæ relinqueretur,

Caluin. lib. 2 inst. c. 3. num. 10.

Efficacia gratiæ non à voluntate hominis dependet.

Molinea disput. 40.

Ex gratia finaliter efficaci pendet certitudo prædestinationis.

neque Apostolus dixisset: *vt secundùm electionem propositum Dei maneret: non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau odio habui.*

Discretio fidelis à nõ credente à gratia est.

Præterea si efficax gratia in se à sufficiente non esset distincta, sed ab humana volũtate totum discrimen dependeret, sequeretur, Apostolum non debuisse discretionem credentis ab infideli, gratiæ Dei tribuere, sed libero hominis arbitrio, quod in fideli gratiæ acceptæ acquieuit, cooperatione sua & consensu gratiam

1. Cor. 4. sufficientem efficacem fecit. Ac proinde contra intentionem Apostoli fidelis contra infidelem gloriari poterit, quòd inspirationem admiserit, quam alter reiecit, quódque gratiæ cooperatus sit, quam alter parem habens contempsit; interrogãtique: Quis te discernit? quid habes quod non accepisti? respondere poterit: discreuit me liberum voluntatis meæ arbitrium: non accepi consensum neque cooperationem ab alio, sed ex meipso: inspirationem accepi, quam alter mihi in gratiæ donis par, non admisit. Neque suffecerit dicere, quòd liberum talis hominis arbitrium fuerit gratia sufficiente præparatum, vt posset credere, aut bene operari. Nã etiam Pelagius liberũ hominis arbitrium doctrina præparari oportere asserebat; contra quem Aug. ex Apostolo non solùm posse credere, sed etiam ipsum credere donum esse Dei ostẽdit, & Deum in nobis operari, *non solùm vt possimus velle, sed etiam vt velimus*, quoniam Deus vocatione illa secundùm propositum, sic hominis agit sensum, vt diuinæ vocationi accommodet assensum: sic cor hominis mouet, vt acquiescat, obediat, conuertatur: sic hominis cor durum emollit, vt à nullo quantumuis duro corde resAug. lib. de grat. Christi cap. 10. Ad Phil. 1.

Philip. 2. puatur. non enim Deus expectat præuisam obedientiam, sed præstat & efficit tollendo cordis duritiem, iuxta illud Ioan. 6. *omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me.* Vbi infallibilitas effectus non habet pro causa studium discipuli, sed excellentiam Magistri, secundùm illud Isaiæ 54. *Erunt omnes docibiles Dei*, siue, docti à Deo. De quibus Psal. 93. *beatus homo, quem tu erudieris Domine.* & Psal. 37. *à Domino gressus hominis dirigentur, et viam eius volet.* Nam *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis*, vt ait Apostolus 2. Cor. 3. Neque tamen ita diriguntur gressus nostri à Deo, vt non etiam eosdem nos dirigamus, iuxta illud Prouerbiorum 15. *vir prudens dirigit gressus suos.* Quare Dei gubernatio atque directio homini lapso ad singulos actus bonos præuia & necessaria minimè voluntatis adimit libertatem, sed adiuuat, ne sua imbecillitate, & ad malum pronitate, à bono operando deficiat, liberáque sua electione Deum deserat. Sic autem Dei efficax directio hominis voluntatem agit, vt eam sibi subijciat, & sequi liberè faciat, non solùm vocando, prout viderit homines ex præuijs quibusdam affectionibus secuturos, sed efficiendo, vt sequi velint, atque libera electione sequantur.

Aug. lib. de praedest. sanct. c. 8.

Efficax directio cum libertate consistit.

CAP. CV.

Quomodo Libertas Arbitrij consistat cum efficaci Gratia Dei.

CVm efficax Dei gratia hominis voluntatem adiuuet, dirigat, moueat, inclinet, flectat, disponendo, præparando, succendendo, & afficiendo, sicut modũ libero agenti congruum non impediat, sed mo-

Efficax gratia quomodo cum libertate cõsistat?

tum naturalem agere sinat, consequitur, liberum arbitrium per efficax Dei auxilium non tolli, nec eius liberam cooperationem excludi, sed econtrà statui, confirmari, dirigi. Et quamuis efficax Dei auxilio hominis voluntatem sic dirigat, vt infallibiliter & indeclinabiliter bonũ velit, consentiat, faciat, eligat, obediat, cooperetur, attamen voluntas in se ad oppositum flexibilis remanet, & ita libero suo nutu se in hanc partem, quam eligit, inclinat, vt possit eandem partem non eligere, & id etiam quod amplectitur & vult, respuere atque nolle, licet de facto nunquam eueniat, vt quãquam possit, respuat & non velit quoniam ipsa efficax gratia suauiter hominis cor emollit, ducit, & sic afficit, vt nõ respuatur, sed homo velit, consentiat, obediat, operetur, præuiámque gratiam sequatur, sicut scriptura variis locis indicat, per Ezechielem dicendo: *faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis et operemini.* Item, *Deus operatur velle & perficere*: ac *donum Dei esse credere, & pati pro Christo.* Quam doctrinam Augustin. plurimis locis ex scriptura sacra validissimè cõfirmat: cuius aperta & constans sententia est, quòd efficax Christi gratia à nullo duro corde respuatur, quódque liberum arbitrium per illam nõ tollatur, sed adiuuetur atque roboretur, vt illam sequatur, & consentiendo cooperetur Epist. 106. *gratia*, inquit, *meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici, comitante, non ducente, pedisequa, non præuia voluntate*: ibidémq; aliquoties repetit, per gratiam voluntatem præueniri & præparari. Quomodo autem Deus præueniat explicat epist. 107. & li. 1. ad Simplician. quæst. 2. dicens, *velle nostrum, & Dei esse, et nostrum: Dei quidem vocando, nostrum autem sequendo.* Et

Infallibiliter & indeclinabiliter agi, cum libertate consistit.

Ezech. 11. & 36.

Philip. 1. & 2. Ioan. 15.

Lib. de prædest sanct. cap. 8.

Lib. de corrept. & grat. ca. 14. Deo volenti salutem facere nullum humanum resistit arbitrium.

Enchir. 95.

libr. de gratia & libr. arbitr. cap. 5. *vt Apostolus*, inquit, *efficacissima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat sola, quoniam scilicet voluntas humana non cooperabatur in actione vocanti Deo, qua præueniebatur et præparabatur vt conuerti vellet. Vt* (enim) *velimus* (ait c. 17.) *sine nobis operatur, cùm autem volumus, et sic volumus, vt faciamus, nobiscum cooperatur Certum namque est, nos velle cùm volumus, sed ille facit, vt velimus bonum, de quo dictum est, quòd præparatur voluntas eius à Domino.* Præparatur autem voluntas hominis interna inspiratione, illuminatione, suasione, congrua vocatione, excitatione, delectationis infusione, accommoda persuasione: deinde ipsa voluntas sic præparata & illustrata, per Spiritum Sanctum bona desideria affluentem, & voluntatem ad boni amorem succedentem adiuta, inspirationi atque internæ suasioni libera obedientia assentitur. Vt autem ista luculentiùs intelligantur, obseruãdum est, Deum variis modis posse humanam voluntatem inclinare ad aliquid appetendum vel fugiendum.

Præparatio voluntatis à Deo.

Quot modis Deus humanam voluntatem flectere possit?

Primò efficienter & Physicè, illam immediatè ita mouendo, & potenter ad vnum determinando, vt humanæ postea non sit electionis motioni obtemperare vel refragari, neque sit voluntatis se proprio motu flectere, Deóque operanti cooperari, sed tantùm inflexibili affectu sequi, & propensè obsequi. Quomodo asinam Balaam Deus loqui, & Maris Rubri Iordanísque aquas cõtra naturę legẽ eroctas, stare fecit. Hoc modo impius Caluinus Deum in nobis bona efficaciter operari docet, absque vlla cooperatione liberi arbitrij. Sed hæc sententia Scripturæ Sacræ, Conciliis, & omnibus Ecclesiasticis Scriptoribus aduersa-

Caluin. li. 2. Instit. c. 3. num. 9. 10. 11. 12.

Concil. Trid. sess. 6. can. 4

tur, ideóq; à Concilio Trident. iure damnata est. Quãquàm enim Deus sic hominis voluntatem flectere & afficere possit, vt necessariò sequatur, id tamen ordinarius diuinæ prouidentiæ modus non patitur, iuxta quem Deus omnia quæ creauit, sic administrat, vt etiam ipsa proprios exercere & agere motus sinat. Prouidentia enim sua Deus res omnes in fines suos dirigit, salua rei cuiusque naturali proprietate & cõditione, inuiolatóq; causarum secundarũ agendi modo, quæ ab efficacissima Dei voluntate habent non solùm quòd sint & agant, sed etiam, quòd hoc modo, putà liberè, contingẽter aut necessariò, vt docet D. Tho. 1. p. q. 19. art. 8. & q. 22. art. 4.

Aug. li. 7. de ciuit. c. 30. In Ps. 148.

Deus immediatè voluntatem mouet, eidémque saluo agendi modo naturali cooperatur.

Secundus modus est, vt Deus efficienter, & immediatè voluntatem flectat, eam impressa virtute transeunte succendendo, mouendo, & applicando ad opus, reseruato tamẽ ei suo naturali agendi modo, videlicet per modum liberæ electionis & cooperationis. Sic enim diuina cooperatio cum secundis causis etiam liberis concurrit, vt non solùm eis dederit, & conseruet virtutes operatrices, sed etiã eas moueat & applicet ad opus: iuxta scripturam Actor. 17. *In ipso viuimus, mouemur & sumus.* Roman. 9. *Quoniam ex ipso, et in ipso, et per ipsum sunt omnia.* & 1. Cor. 12. *Omnia in omnibus operatur.* Ephe. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* & Sapientiæ 8. *omnia in mensura, et numero, et pondere disposuit.* & Isa. 26. *Omnia opera nostra in nobis operatus es Domine.* Quæ Scripturæ disertè significant, particulares rerum effectus non sine Dei cooperatione à solis causis secundis immediate produci, sed vnũ & eundem effectum à Deo & à causa secunda immediate attingi & produci, idque simul tempore, nec vnâ, sed pluribus actionibus: quarũ nulla superflua sit, quia pluriũ sint causarũ diuersi ordinis. Nam Deus vt causa efficiens duplicem habet operationem, VNAM immanentem, quæ scilicet est intellectio & volitio diuina: AETERAM verò transeuntem, quæ re ipsa effectus est, vt vi potentiæ diuinæ existens. atque ista Dei operatio formali ratione distinguitur ab actione transeunte causæ secundæ, quæ effectus est, vt à secunda causa productus. Attingitur quidem simul tempore idem effectus vtráque operatione, sed tamen naturâ prius per diuinam, quę est prima causa, ab omni alia independens, virtutem operatricem causæ secundę conseruans, & ad operandum mouens & applicãs, salua cuiusq; causæ operandi conditione & modo. Sicut enim causas naturales, fortuitas, & liberas instituit: ita earũdem vim operatricem cõseruat, ad operationem modo sibi congruo mouet, & ad finem reseruato earũ agendi modo dirigit, vt clarè docet Aug. l. 5. de ciui. c. 9. & sequẽt. Et quemadmodũ in operationibus naturalibus causæ secundæ dicta cooperatione Dei ad effectum naturalem producendum indigent, & sine illa nullam operationem exercent, ita in actionibus salutiferis, & supernaturalibus, præter virtutem ad operandum sufficientem, Christi beneficio homini collatam, opus est speciali Dei auxilio supernaturali, quod liberum hominis arbitrium ad bene operandum excitet, suauiter moueat, & ad perseuerandi constantiam foueat, confirmet, dirigat. De quo Dominus Ioannis 15. *Sine me nihil potestis facere.* Quid verò hæc Dei motio nihil aliud est, quàm virtus per modum transeuntis à Deo impressa virtuti naturali, dum illa vt instrumento actionem perficiendam vtitur: manifestum

Deus vt causa efficiens duplicem habet operationẽ.

Sicuti esse, ita & moueri à Deo est.

Aug. li. 5. de ciui. c. 9. 10. & 11. & l. 7. c. 30. S. Tho. 1. p. q. 19. ar. 8. & q. 22. ar. 4.

Motio Dei quid sit.

est, quòd hæc Dei motio, siue naturalis causæ vsus, modum agendi secũdę causæ non tollat, sed omnino inuiolatum seruat. Hoc modo Deum inclinare hominum voluntates ad bonum efficaci suæ gratiæ auxilio, salua liberi arbitrij naturali operatione, docet passim B. Augustinus. *Confitendum est*, inquit, *quod agit Omnipotens in cordibus hominũ etiam motum voluntatis eorũ, vt per eos agat, quod per eos agere voluerit. Dominatur enim voluntatibus eorum, vt eas inclinare possit, quò voluerit, & quando voluerit, et eo modo quo voluerit. Quis enim tam impiè desipiat,* (ait Enchir. 98.) *vt dicat, Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit in bonum non posse conuertere? Sed tum facit, per misericordiam facit: cum autem non facit, per iudicium non facit, quoniam cuius vult miseretur, et quem vult indurat,* Lib. de grat. Christi cap. 24. ex capit. 15. Hester ostendit, Deum occulta potestate interiùs operari in hominum cordibus non solùm veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates. Respexit Petrum Dominus, & interioris hominis vsque ad exterioris lachrymas mouit, & produxit affectum. Lib. de gratia Christi. c. 45. ex Ambros. & c. 47. docet, in eo catholicos à Pelagio propriè dissentire, quòd teneant, ipsam voluntatem bonam, & actionem Dei auxilio per Christum produci, vt sine illo adiutorio nihil benè velimus & agamus: Pelagius autem dicat, Christi gratiam non consistere in inspiratione charitatis, sed in reuelatione doctrinæ, suasione, excitatione, exemplis & remissione peccatorum lib. de grat. Christi c. 47. & 10. Cùm autem Deus sic in hominum cordibus operatur velle & perficere, omnémque bonum animi motum, quo in Dei aut proximi amorem tendimus, proprium voluntati humanæ operandi modum reliquit, quia eius infinita potestas efficacissimaq; voluntas omnem in se continet operandi modum, efficitque, non solùm vt res sint & operentur, sed etiam vt sic & hoc modo. Augustini sententiam hac in parte sequitur Diuus Thomas 1. part. q. 105. art. 5. Lib. 3. contra gent. cap. 90. & q. 3. de potentia. ar. 7. Item 1. p. q. 19. ar. 8. & q. 22. art. 4.

Aug. lib. de grat. & lib. arbit. c. 21.

Tertiò, Deus humanam voluntatem inclinat efficienter quidem, sed mediante aliqua forma, quam imprimit, sicut infundendo gratiam & virtutes, inclinat voluntatem ad bonas actiones. Amor enim instar ponderis est, affectum inclinantis in rem amatam. Vnde si tantus amor veritatis & iustitiæ inspiretur hominis animo, vt ita oblectet animum, vt quidquid aliud voluptas seu dolor suaserit, delectatio illa superet, per talem cordis affectionem voluntas inclinatur, vt cum gratia cooperetur, vt docet Augustin. libr. de gratia Christi cap. 6. lib. de corrept. & gratia cap. 12. lib. de spir. & lit. c. 34. lib. de grat. & lib. arb. c. 16. & docet, petendam à Deo magnam voluntatem, quæ sit efficax & c. 20. & 21. ait, Deum corroborare dando fiduciam, in fugam conuertere, immisso timore.

Quartò, voluntatem Deus inclinat obiectiuè, per internam suasionem efficaciter persuadentem. Nam si bonos oratores ita rationibus propositis atque eloquij suauitate hominum animos, quò volunt, rapere videamus, vt quod lubet persuadeant, quantò magis diuina sapientia id efficere salua hominis libertate poterit? Hoc etiam modo Deum inclinare hominum corda, vt quod verum & bonum est, credatur, amotur,

Deus voluntatem inclinat persuadendo.

tur, & persuadeatur, docet August. libr. de gratia Christi ca. 7.10. & 13. ostendens, Noui Testamenti gratiam non in solo pulsu, aut suasione quamuis interna consistere, verùm in cordis apertione, & in persuasione. Quantumuis enim quis sit excitatus foris & intùs, efficaciter præparantem Christi gratiam non habet, nisi velit, credat, conuertatur, consentiat, nec suasus tantummodo, sed etiam persuasus abscedat, vt docet Augustin. libr. de corrept. & grat. cap. 11. & 12. libr. de spir. & Actor. 16. lit. cap. 34. epist. 107. vocatione alta & secreta sic hominis agit sensum, vt accommodet assensum. lib. de grat. Christi c. 47.

Quintò, Deus hominis voluntatem inclinare, flectere & mouere obiectiuè quidem, & efficaciter potest, sed ita, vt non tam ex energia persuasionis consensus sequatur, quàm ex dispositione voluntatis, quam Deus præuidet infallibiliter acquieturam, si hoc vel illo modo, cum his aut illis circumstantijs vocetur. Nimirùm cùm Deus aliquid interna suasione sic proponit, vt aptam esse ad consentiendum voluntatem præuideat: quomodo Apostolum Paulum vocasse ponitur, efficiendo, vt tale visum eius menti occurreret, quale requirebatur, vt mens illa & voluntas refractaria retorqueretur & cogeretur ad fidem. Hoc modo Deum trahere homines ad fidem, & facere eos velle credere, docent nonnulli eleganter, Aug. tract. 26. in Ioan. Augustin. tractatu 26. in Ioan. lib. 1. ad Simplic. q. 2. cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat. & lib. 2. de bono perseuer. cap. 14. dicit, quosdam naturaliter diuinum habere munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa cõspiciant. li. de spir. & lit. c. 34. Deum suasionibus bonis, internis inspirationibus, atque visorum immissione cum anima dicit agere vt velit, istâque ratione ipsam voluntatem bonam esse donum Dei. Vnde colligunt, gratiam efficacem infallibiliter effectum producentem, non tam ad gratiam adiuuantem, quàm excitantem pertinere; nihilque aliud esse, quàm suasionem Dei internam, quâ ita vocatur aliquis, vt aptum est ei, vt vocantem non spernat, proposito scilicet ei obiecto eo modo, loco, tempore, ac cum omnibus alijs circumstantijs, quibus ingenio eius congruere Deus præuidit.

Ex his quatuor posterioribus modis, quocumque Deus vtatur, manet integra voluntatis libertas, cùm efficaci gratia Deus ita voluntatem moueat, vt proprium habere motum, congruúmque sibi agendi modum permittat.

Quatuor posteriores modi volũtatem inclinandi cum libertate consistunt.

CAP. CVI.

Vtrum efficax gratia non solum respui possit, sed etiam à voluntatis obedientia nonnunquam actu disiuncta sit?

REiecta eorum sententia, qui à libero consensu & cooperatione arbitrij hominis pendere dicunt, quòd gratiæ præuenientis auxilium efficax aut inefficax reddatur, cum B. Augustino dicimus, auxilio gratiæ efficacis ita hominis volũtatem præparari & moueri, vt huiusmodi gratiæ excitanti atque vocanti, siue adiuuanti, homo infallibiliter acquiescat, & per intellectum assentiendo, & per voluntatem cooperando, attamẽ libere, quoniam hæc gratia Dei adiunctam habet infalli-

Aug. lib. de grat. Christi. cap. 47. Molina disput 40.

An à liberi arbr. cooperatione pẽdeat, vt præueniens auxilium efficax vel inefficax sit.

Gratia efficax habet adiunctam infallibilitatem, non autem necessitatem.

bilitatem, non autem necessitatem. Liberè enim homo assentitur, credit, pœnitentiam agit. sic enim illa gratia mouetur, vt eam non credendo, & non cooperãdo abijcere possit, non quòd simul cõsistere queat, vt aliquis inspirationem accipiat, & eandem abijciat, vel quòd Deus moueat hominem, & is similiter nõ moueatur, aut quòd Deus operetur velle in aliquo, & is non velit, sed quia sic homo inspirationem recipit credendo, vt tamen possit si velit non credere. Sic enim liberè mens hominis agit, consentiendo & illuminationem recipiendo, vt per flexibilẽ in oppositum arbitrij libertatem possit per intellectum non assentiri, & assensum abijcere per dissensum, similiter per voluntatem non cooperari, nec acquiescere, quia ad pios actus à Deo suauiter homo mouetur, retento suo naturali operandi modo. Vnde per efficacem gratiam voluntas sic à Deo mouetur, vt libera electione cooperetur, nec vnquam Dei operationem irritam frustraneámque reddat. Proindè fieri nequit, vt efficaci gratia Deus hominem moueat, & simul quòd homo non moueatur: sed hæc necessitas est tantùm consecutionis, & conditionata, seu ex suppositione & in sensu composito, quæ nullam consequentis absolutam necessitatem inducit, nec libertatem, vel ad oppositum possibilitatem tollit, vt expressè Diuus Thomas docet 1. 2. quæstione decima, articulo quarto, & prima parte, quæstione centesima quinta, articulo quarto, & ante ipsum Beatus Augustinus libr. de prædestinat. Sanctorum capite octauo: *Hæc gratia à nullo duro corde respuitur.* & libro de bono perseuerantiæ capite octauo, libro de correptione & gratia capite duodecimo, & libro primo ad Simplicianum quæstione secunda, dicit, effectum misericordiæ Dei non esse in tali hominis potestate, vt frustra ille misereatur, si homo nolit. Nam quomodo verum esset: *Omnia quæcunque voluit fecit*, si volens absolutè facere vt homo credat, id tamen si homo velit efficere, nequeat? Quòd autem nulla creatura ita diuinæ gubernationi obsistere queat, vt ad illum finem non tendat, ad quem illam Deus efficaciter tendere velit, scriptura disertè pronunciat, Genesis quinquagesimo: *Num Dei possumus resistere voluntati?* Hester decimotertio: *Non est, qui eius possit resistere voluntati.* ad Romanos nono: *Voluntati eius quis resistit?* Sapientiæ octauo: *attingit à fine vsque ad finem fortiter.* & capite duodecimo: *subest tibi, cùm volueris, posse.* Psalm. centesimo decimo tertio, *Omnia quæcunque voluit fecit. Ipse mandauit et creata sunt.* Psalm. centesimo quadragesimo octauo. Ad postremò: *Ipse operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*, Ephes. primo. Vnde Boëtius libro tertio de consolatio. Philosophi prosa vndecima: *Non est aliquid, quod summo bono velit aut possit obsistere.* Augustinus libro de corrept. & gratia capite decimoquarto: *Non est dubitandum, voluntati Dei hominis voluntatem resistere non posse. Si enim aliquid voluntatem Dei posset impedire, omnipotens non esset,* ait Enchiridij capite nonagesimo sexto, & nonagesimo tertio. Diuus Thomas prima parte, quæstione centesima tertia, articulo septimo & octauo dicit, tantam esse diuinæ prouidentiæ atque gubernationis certitudinem, efficaciámque, vt nullares eius vim subterfugere, aut ei reniti possit.

Necessitas conditionata nullam consequentis absolutã necessitatem induxit.

1. p. qu. 19. art. 8.

Efficax gratia à nullo respuitur, licet respui possit.

Psal. 113.

Nulla creatura diuinæ prouidẽtiæ obsistit.

Prouidentiæ Dei certitudo.

CAP. CVII.

De diuisione auxilij, seu Gratiæ efficacis.

De gratia operante, & cooperante.

EFficax Gratia in *Operantem* & *Cooperantem* diuiditur. OPERANS est quæ facit, vt consentiamus & velimus: COOPERANS verò, quæ facit, vt quod voluerimus, impleamus. Quam distinctionem Augustinus tradit libro de gratia & libero arbitrio capite decimoseptimo: *Ipse vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* & infra: *sine illo, vel operante vt velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

Gratia operans.

Gratia cooperans.

Hanc partitionem Gratiæ Augustinus ex Apostolo ad Philippenses 2. accepit: *Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere, pro bonâ voluntate.* Vndè constat, istam partitionem Gratiæ non ad habitum gratiæ, qui formaliter sanctificat, sed ad auxilium speciale efficax pertinere? Illud enim auxilium Operans Gratia vocatur, quod primum deliberatæ voluntatis actum in homine efficit: qualis est, Conuersio, siue ab infidelitate ad fidem, siue à peccatis ad pœnitentiam.

Auxilium speciale, gratia operans, vel cooperans dicitur.

Operãs gratia quæ?

Illud autem auxilium, vocatur Gratia Cooperans, quod consequentes actus voluntatis efficit: quales sunt, velle orare, sacramenta velle suscipere, velle bona opera facere, ita vt *Gratia Operans* sit auxilium speciale efficax, respectu primi actus boni voluntatis: *Gratia verò Cooperans*, sit auxilium speciale, respectu actuum bonorum sequentium, siue internorum siue externorum.

Quid gratia cooperans.

Quomodo

Sed hîc non immeritò quærat aliquis: An primum voluntatis deliberatæ bonum actum libera electione faciamus consentiendo, an, vt contendunt Sectarij, non propriè efficiamus, sed immissum à Deo necessariò recipiamus?

Deus primum volũtatis deliberatæ actũ operetur in nobis sine nobis.

Respondendum tam ex Scriptura Sacra, quàm ex B. Augustini doctrina, Concilium Tridentinum, reiecta Lutheri & Caluini erronea sententia, definiuisse, primũ etiam deliberatæ voluntatis bonũ actum effici non solum à Deo per auxilium speciale efficax, sed etiam à voluntate per liberum arbitrium. Ideóque *illud velle, Dei esse, atque nostrum, quia nos in eo cooperamur Deo, nec Deus illud operatur sine nobis, sed facit nos velle*, sicut ait Augustinus libr. 1. ad Simplicianum quæstio. 2. *vt velimus, & suum esse voluit et nostrum, suum vocando, nostrum sequendo.* & libr. 2. contr. 2. epist. Pelag. cap. 8. *homo præparat cor, non tamen sine adiutorio Dei, qui tangit cor.* & postea: *Os aperimus illius adiumento, et opere nostro.* & tractatu septuagesimo secũdo in Ioannem, loquens de opere fidei, seu de credere: *Hoc*, inquit, *operatur in nobis, non tamen sine nobis.* Item ibidem: *operanti in se Christo, cooperatur homo ad salutem æternam ac iustificationem suam.* Ex quibus euidens est, Augustinum docere, quòd homo non tantùm passiuè ad actus pietatis internos cõcurrat, sed quòd verè illos efficiat, Physicè cooperando Deo, volendo, id est, liberè producendo actum volendi.

Sess. 6. can. 4.

Aug lib. de grat. & libr. arb. ca. 5. 14. & 17.

Sed quomodo igitur Augustinus dicit, operari Deum vt velimus sine nobis?

Respondeo, Augustinum in eodem actu duplicem causam obseruasse, scilicet efficientem Physicam, atque moralem. Secundum prius causæ genus, velle, est Dei &

nostrum, quia Deus operatur vt velimus, non sine liberè consentientibus, dum volumus. At si causam eiusdem actus moralem contideres, id est, causam mouentem, suadendo, hortando, consulendo, ea solus est Deus: voluntas enim secundùm hoc genus causæ tantùm est mota, non mouens. Non enim ipsa se voluntas impellit suadendo & conando vt velit, quod non vult, sed Deus per inspirationes intùs animæ loquens ei persuadet, vt velit, quod anteà nolebat.

Consideràdo causam moralem, Deus operatur sine nobis.

Gratiæ operantis, proprius effectus quomodo sine nobis, & simul non sine nobis?

Hæc est igitur Gratia operans, siue præueniens, quæ omnem conatum & industriam hominis præuenit, & operatur vt velimus, quod anteà nolebamus, sine nobis operantibus, aut conatu præuio laborantibus vt velimus, non tamen sine nobis liberè consentientibus, quando volumus.

Ad primũ voluntatis bonũ actũ gratia operante indigemus.

Ex quibus consequitur, ad solum primum voluntatis bonum actum requiri gratiam operantem, ad reliquos autem subsequentes necessarium tantùm esse cooperantem. Nam posteaquam cœpimus velle ad Deum conuerti, iam non tantùm per liberum voluntatis arbitrium producimus Deo adiuuante reliquos actus, sed etiam Deo cooperante nos impellimus atque incitamus ad eos, rogando, pœnitendo, sacramenta petendo. Quam distinctionem Gratiæ operantis & cooperantis indicat Augustinus libro de gratia & libero arbitrio cap. quinto, dicens: *vt Apostolus Paulus de cœlo vocaretur, & tam magnâ & efficacissimâ vocatione conuerteretur, gratia Dei erat sola, quia merita eius erant magna, sed mala:* id est, quia nullum præuium ad conuersionem studium fuerat, nullus conatus, nullum bonum meritum præcesserat. Hinc fidem non petitam concedi, ait; vt ei petenti cetera concedantur: & in Psalmo quinquagesimo octauo: *Nolentem Deus præuenit vt velit, volentẽ subsequitur, ne frustra velit.* Enchir. trigesimo secundo; & Gregorius homilia nona in Ezechielem, libro de gratia & libero arbitrio capite decimoseptimo: *sine illo operante vt velimus, vel cooperante cùm volumus, nihil ad bona pietatis opera valemus.* In eandem sententiam sermonem decimotertio, de verbis Apostoli, scribit, nos agi à Spiritu sancto, & demùm ei cooperari. Nam *viua rationabilisque materies habet ab edificãte donatum, vt etiam labore proprio quærat augmentum,* inquit Leo sermone decimo de passione Domini. Et Bernardus libro de gratia & libero arbitrio: *Quod a solâ gratiâ cœptum est, pariter ab vtroque perficitur, vt mixtim, non sigillatim, simul, non vicissim, per singulos profectus operentur. non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt. totum quidem hoc, et totum illa, sed vt totũ in illo, sic totum ex illa.*

Li. de grat. & lib. arb. c. 14.

Greg. ho. 9. in Ezech.

Leo ser. 10. de pass.

CAP. CVIII.

De Gratiâ præueniente, et subsequente.

SOlet insuper gratiæ partitio fieri in *Præuenientem* & *Subsequentẽ*, ex Psalmo quinquagesimo octauo: *Misericordia eius præueniet me.* & Psal. 22. *Misericordia tua subsequetur me.* Sed hæc partitio superiores tantùm includit, nihil autem noui continet: quia *Gratia* Excitãs potest dici *Præueniens*, & Adiuuans, *Subsequens.* Rursus Gratia *operans* dici potest *Præueniens*, & *Cooperans*, *subsequens. Præuenit vt velimus*, (inquit Greg. ho. 9. in Ezech.) *et subsequitur; ne inaniter velimus.*

Gratia præueniens.

Gratia subsequens.

Deniquè omnis gratia prior dici potest *præueniens*, respectu posterioris: vt Augustinus libr. de natura & gratia cap. trigesimo secundo indicat his verbis: *præuenit vt sanemur, et subsequitur, vt sanati vegetemur, præuenit vt vocemur, et subsequitur vt glorificemur: præuenit vt piè viuamus, et subsequitur, vt cum illo semper viuamus.* Et epistola centesima sexta: *gratia meretur augeri, vt aucta mereatur et perfici, comitante, non ducente, pedissequa, non præuiâ voluntate.*

CAP. CIX.

Vtrùm eueniat, quòd ex duobus hominibus pariter affectis, si eandem omnino speciem gratiam præoperãtem accipiant, alter credat, vel pœnitentiam agat, alter verò non?

QVidam arbitrantur, non solùm fieri posse, sed etiam plerúmque accidere, vt ex duobus similiter affectis, & pari seu eâdem præoperante gratia excitatis & adiutis, vnus libera voluntate gratiam sequendo credat: alter verò libera voluntate gratiæ resistendo non credat: sed Apostolus priori Corinthiorum quarto, hos confutat dicendo: *Quis te discernit? quid habes quod non accepisti? si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Vbi prohibet fideli, ne aduersus infidelem insletur, quasi eum discernat suum liberum arbitrium, cùm discernat Dei donum, quod illi datum est, & alteri non est datum. Et ad Philippenses capite 2. præoperantem gratiam in eo constituit, quòd *Deus operetur velle in nobis, et operari*: & Ezechielis trigesimo sexto: quòd *faciat in præceptis ambulare*: Psalmo octogesimo quarto, in eo, quòd *auersam voluntatem Deus ad se conuertat.* Non enim Deus facit velle in eo, qui non vult, nec facit ambulare eũ, qui non ambulat, nec facit operari eum, qui non operatur, nec conuertit eum, qui auersus remanet. Vnde cùm Ecclesia gratiam præoperantem infidelibus vt credant, orationibus impetrare nititur, non in omnibus, sed in eis, solis qui credunt, exauditur. Nam si quempiam plurimùm excitari nosceret, qui tamen nondum crederet, pro tali orare non cessaret, donec crederet: & duobus æqualiter excitatis, pro eò qui credidisset peculiares Deo gratias ageret, quòd eum Deus suæ gratiæ operatione conuertisset. Vnde ex orationibus Ecclesiæ ipsam credendi voluntatem, atque mentis ad consentiendum obedientiam, non autem solam gratiæ oblationem, seu exercitationem, Dei donum esse colligimus. Quid enim pro nolentibus credere oramus, nisi vt in illis Deus operetur velle? vt sæpe Augustinus inculcat libro de prædestinat. Sanctor. cap. octauo: & Enchirid. cap. trigesimo secundo: epistola nonagesima quinta, & centesima septima: vbi docet, operari Deum in nobis velle, non tantùm efficiendo quantum in ipso est, vt velimus, offerendo scilicet gratiam, cui acquiescamus si velimus, tanquã consentire vel non cõsentire, obedire vel nõ obedire ita nostrũ sit, vt si velimus, fiat, si autem nolimus, nihil in nobis Dei operationem valere faciamus. Nam Vitalem ita sentientem, Augustinus Epistola centesima septima reprehendit, asserens, omnino confitendum esse, quòd *Deus vocatione altâ et secretâ in corde hominum operans sic hominis agat sensum, vt euangelicæ doctrinæ accommodet assensum: sic hominis voluntatem afflatu suo dirigat*

Molina: contra quẽ vide Bellar. li. 1. de grat. & lib. arb. c 13. & li. 6. c. 15.

Ex orationibus Ecclesiæ conuincitur, conuersionem & operationem voluntatis, Dei donum esse.

Deus operatur consensum in bonum.

& moueat, vt ipsa velit et obediat. Nã à Deo poscimus ipsum velle bonum, ipsum credere, ipsum conuerti, ipsum facere Dei præcepta, facere bonum & declinare à malo : quæ à Deo esse data intelligi nequeunt, nisi habeantur. Cùm enim iuxta illam B. Augustini vulgatissimam orationem (quam Pelagius ferre non poterat) *Da quod iubes*, oratur, non rectè Deus intelligeretur dedisse quod iubet, quamdiu quod ille iussit, non impletur. Hinc Augustinus specialem Christi præoperantem gratiam, non in solo pulsu aut suasione quamuis interna constituit, verùm in cordis apertione, & in persuasione, ac in eo quod bonum, & verum est, creditur, & agitur, vt inde perspicuum, sit, neminem omnino quantumuis excitatum foris & intus, habere Christi præoperantem gratiam (de qua potissimum cum Pelagio certamen fuit, vt patet libr. de grat. Christi cap. 47.) nisi credat, consentiat, agat bonum, & persuasus exitat. In eo enim Scriptura Noui Testamenti gratiam constituit, quòd *auferat cor lapideum, et cor tribuat carneum*, ante verò submissionem voluntatis cor quantumcúmque excitetur, attamen durum permanet, donec speciali sua præoperante gratia Deus operetur, vt consentiat & obediat, quod non facit in eo, qui nolit, quantumcúmque etiam intus excitatus fuerit. Nam voluntas & actio, id est, bene velle, & bene agere, non sunt in homine, nisi quando bene vult, & bene agit.

Aug. lib. de grat. Christi c. 7. 10. 13. 47.

Gratia Noui Testamenti in quo consistat.

Ex quibus manifestum est, gratiam Christi præoperantem hominis voluntatem facere consentientem, non autem ab ea consensum expectare. Nam alioqui sequeretur, libetum hominis arbitrium sibi naturæ viribus sufficere ad consentiendum excitanti gratiæ, & quòd Deus inciperet excitando, sed homo perficeret consentiendo, cùm Augustinus dicat: *Sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum: vel perficiendum quodcumque opus bonum, ita nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendum fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est*, satis ostendens, non esse cum Deo diuidendum, vt illi perfectionem, nobis initium, aut è diuerso illi initium, nobis autem perfectionem fidei, vel operis boni, tribuamus. Quarum quidem partitionum hæc posterior tantò priore nocentior est, quòd principalem salutis partem, quæ in consensione atque gratiæ amplexu consistit, naturæ viribus ascribat, contra illud Christi: *Sine me nihil potestis facere.* Neque hanc absurditatem euitare quis potest, dicendo, comitantem gratiam seu supernaturalem concursum, naturali concursui persimilem cooperari libero hominis arbitrio, vt gratiæ excitanti consentire valeat. Nam etiam Angelis & primo homini recto ex prima naturæ constitutione concursus Dei supernaturalis necessarius erat. Proindè nequit esse illa specialis gratia corruptæ humanæ naturæ necessaria : de qua Dominus ait : *Sine me nihil potestis facere.* Neque insuper sufficit dicere, ideo sine Christi gratia consensum non esse, quia sine excitante, & absque præuia suadente gratia nunquam in nobis exurgeret. Nam & simili effugio Pelagius se omnia Dei gratiæ tribuere asserebat, quoniam nisi reuelatione sapientiæ mens humana excitaretur ad bonum, se in propriam salutem nunquam erigeret. Hûc etiam pertinet, quod B. Augustin. libro de nat. & grat. capite 11. & 12. ex professo doceat, auxilium gratiæ

Deus bonum incipit & perficit.

In bono opere non est facienda diuisio. Ioan. 15.

Gratiæ efficax consensum operatur, non solum expectat.

Aug. lib. de nat. & grat. c 11. & 12. auxilij Christi & hominis primi differentia.

Christi in eo à gratia primi hominis differre, quòd Adæ bonam voluntatem Deus cum adiutorio quæ eam seruare posset, si vellet, dederit, non quo fieret vt vellet: per Christum autem detur homini lapso iustitia cum adiutorio tali ac tanto, quo efficiatur, vt bonum velit, ac non solùm bonum possit quod velit, sed etiam velit quod possit, quódque non fit, nisi quando homo bene vult & agit; vt latè prosequitur libro de correptione & gratia capite vndecimo & duodecimo, vbi circa finem ait: *Subuentum est infirmitati voluntatis humanæ, et diuinæ gratia indeclinabiliter et inseparabiliter ageretur, et ideò quamuis infirma non deficeret. Tantum quippe accenditur à Spiritu sancto voluntas, vt ideò possit, quia sic velit, ideò sic velit, quia Deus operatur vt velit, tantam scilicet veritatis & iustitiæ delectationem diffundendo in corde, vt omnem contrariam cupiditatem aliò trahentem superet ac vincat.* Ad hæc, si gratia præoperans, seu ad credendum sufficienter omnino præparans, in eo persæpe sit, qui credere nolit, sequitur, quòd ipsa communis sit credenti, & non credenti, neque discernat credentem à non credente, sed quòd liberum voluntatis arbitrium discernat eum, qui consentit gratiæ, ab altero, qui eidem gratiæ dissentit, cùm tamen Apostolus hanc præoperantem Christi gratiam commendans dicat: *Quis te discernit?* nec aberit materia sese inflandi, & alteri superbè præferendi, si in excitantis Gratiæ paritate, vnus per liberum acceptet arbitrium, alter verò repudiet. Nam interroganti: *Quis te discernit?* respondere poterit, *discernit me liberum meæ voluntatis arbitrium.* & si quæratur: *Quid habes quod non accepisti?* respondere poterit: *habere se gratiæ amplexum et cooperationem atque consensum, quem non magis acceperit, quàm alter, qui non consentit, qui pariter est gratiâ excitatus & suasus.* Ac insuper docet August. lib. de prædestinat. sanct. ca. 5. præoperantem gratiam non solùm inuitando excitare ad assensum, verùm etiã consentientem facere: atque ideò consentientem à dissentiente non solùm discerni libero voluntatis arbitrio, sed etiam gratiæ Dei beneficio, quæ non est cõmunis bonis & malis, sed discernit bonos à malis. Vbi non solùm de gratia iustificante, sed etiam de initio fidei agit, dicens ad fidem etiam pertinere: *Quis te discernit?* &, *præparatur voluntas à Domino*: & hãc præparantem gratiam, qua docet, credentẽ à non credente, & cõsentientem à nõ consentiente discerni, negat cõmunem esse bonis & malis, credenti & non credenti, consentienti & non consentienti. Vndè sequitur, B. Augustinum præter excitantem gratiam, communem credentibus, & non credentibus, consentienti & non consentienti, requirere aliam præparantem gratiam, qua voluntas ita succendatur ac moueatur, vt credat, consentiat & acquiescat, eáque gratia seu dono gratis dato, quod est velle bonum, & credere Deo, fieri discretionem credentis à non credente, & obedientis à non obediente. Nequè verò his aduersatur, quòd Augustinus dicat sæpe accidere, vt ex duobus æqualiter animo & corpore affectis, & eadem vel simili tentatione pulsatis, vnus libero suæ voluntatis arbitrio cedat tentationi & consentiat, alter vincat & superet, ac idem qui fuerat perseueret. Nam ibi August. solùm de mali seu defectus origine disputat, quam veriſſimè ad liberam

Lib. de grat. Christi c. 47.

Lib. de prædest. sanct. c. 5.

Gratia discernẽs credẽtem à nõ credente, non est cõmunis bonis & malis.

Gratia Christianorum in quo differat à gratia Adæ.

Discretio duorum æquali gratia præuentorum in Deum referenda est

Bellarm. lib. 1. de lib. arbitr. c. 12. pag. 619. docet, fidelem non principaliter discerni per cooperationem liberã gratiæ præuenientis, sed per donum gratis datũ, scilicet ipsum velle credere.

Lib. 12. de ciuit. ca. 6. Lib. de prædest. & grat. c. 15. & 16. vltimã resolutionem discretionis in Deũ refert, qui vnum misericorditer audiuit, alterum iustè deseruit.

voluntatem angeli, vel hominis, ex se defectibilem referendam docet. Non autem ibi de origine operis boni, neque de prima & sufficienti perseuerantiæ causa differit, quam certissimum est, non esse propriam hominis voluntatem. *Non enim idonei sumus ex nobis quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et sub anathemate Concilium Tridentinum definiuit: *Si quis dixerit, iustificatum sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse, anathema sit.* Liberum enim voluntatis arbitrium sibi ad malum atque ad deficiendum sufficit, non autē ad bonum, vt infinitis locis tradit Augustinus & verbo tenus de correptione & gratia c.11. vbi ex professo ad bonum agendum speciali Christi auxilio opus esse docet, quo non solùm posse, sed etiam ipsum agere adiuuetur.

Sess. 6. can. 22.

Li. de grat. Christi, ca. 47.

Inquiri autem hic posset, vtrùm auxilium gratiæ causa sit actus supernaturalis, Physica vel moralis? Dicitur autem causa Physica, quæ per se influit, & dat esse effectui: Moralis verò causa, quæ consilio, inductione, præcibus, aut simili aliquo modo causam liberam ad operandum mouet. Cùm ergò pietatis opera actus sint morales (quoniam humani) simúlque res quædam suā propriam naturam habentes, sequitur, auxilia gratiæ vtroq; modo causas esse actuum supernaturalium in nobis. Auxilia quidem excitantia vim causæ moralis potissimùm obtinent, quia Deus efficit, vt velimus, suadendo, exemplis aut periculis incitando, intellectum illuminando, bonisque inspirationibus tangendo, atque affectionibus imbuendo voluntatem.

Prosper. li. 2. de voc. gent. c. 16. Aug. lib. de spir. & lit. cap. 34.

Auxilia verò Gratiæ adiuuantis seu cooperantis immediatè in actus supernaturales influunt, ideóque rationem causæ Physicæ habent, reales: siquidem effectus causam per se efficientem, vim sufficientem ad eum effectum continentem exigūt, quam cùm voluntas humana per se non habeat, per gratiam adiuuantem compleri oportet. Proindè actus, qui habitus præcedunt, & ad illos disponunt, etiam à Gratia excitante, nō solum moraliter, sed etiam Physicè causantur: per illam enim homo moueri incipit, & ad ordinem supernaturalem eleuari. Et in singulis bonis actibus cùm Deus illustratione mentem, inspiratione verò tangat voluntatem, ad bonum agendum dirigat, proximéque ad actum supernaturalem eliciendum moueat, liberóque arbitrio cooperetur, manifestum est, Deum actus supernaturalis non solùm moralem esse causam, sed & Physicam. In actu enim pietatis entitas Physica immediatè à Deo, tanquam prima causa, & simul à libero arbitrio, veluti causa secunda producitur. Quod verò idem actus supernaturalis sit, ad quem sola vis naturæ non sufficiat, à gratia Dei per Iesum Christum veluti primario principio assequitur: iuxta illud Ioannis 15. *Sine me nihil potestis facere.* Et quidem in Gratiæ munere duplex magnitudo considerari potest: Vna secundùm entitatem Physicam: Altera verò secundùm moralem, quæ non respicit rem absolutam in esse, sed insuper rationem beneficij & moralis beneuolentiæ. Ratio autem beneficij moraliter potissimùm spectatur ex occasione, intentione, tempore ac modo, quo fit, magisque ex his circumstantiis, quàm ex absoluta quantitate æstimatur, præsertim quando illæ sunt à benefactore præuisæ, atque peculiari intentione ob eius commodum, cui beneficium confertur, obseruatæ.

Suarez lib. 3. de auxilius, c. 20.

obseruatæ. Quod cùm Deus faciat, impertiendo gratiam ex peculiari dilectione efficacique intentione producendi fidem, pœnitentiam vel aliud bonum opus in eo, qui gratiæ cooperatur: alteri verò det quidem gratiæ præuenientis beneficium, sed non ex tali beneuolentia, neque intentione efficaciter producendi opus, secundùm miserendi propositum; ideò simpliciter confitendũ est, omnem illum qui conuertitur, maiorem gratiam præuenientem recipere, quàm ille, qui non conuertitur; ac proinde nunquam accidere, vt positâ omni ex parte pari gratiâ in similiter dispositis, vnus credat & bene operetur, alius verò minimè: quia si vtrique detur gratia secundùm propositũ miserendi, vterque creder. Si autem alteri solùm ex simplici affectu Dei, in ratione beneficij moraliter loquendo, longè maius est alterius beneficium, & istius minus; atque ita non omnino par gratia ponitur in eo qui credit, & obedit, & in eo qui dissentit, & gratiam Dei respuit.

CAP. CX.

Quòd Deus per Christi gratiam non adiuuet posse tantùm, sed etiam velle, & agere.

Pelagij error in quo propriè cõsistebat.

PRopria fuit cum Pelagio quæstio, *vtrùm Deus per Christum adiuuet posse tantùm, an etiam velle bonum & agere?* id est, vtrùm Deus adiutorio gratiæ Christi nos adiuuet, solùm vt bonum possimus, non etiam, vt bonũ velimus & agamus. Pelagius enim arbitratus est, generalem Dei concursum, seu influentiam & cooperationem Dei necessariam omnibus causis secundis ad ōmnes & singulos earum actus, & ad gratiam creationis pertinentem libero voluntatis arbitrio sufficere, cum adminiculis doctrinæ, timoris, pœnarum, exhortationibus, suasionibus, pulsibus, vocatione, miraculorum aspectu, quibus adiuuatur homo vt possit, si velit. Negabat autem indigere peculiari auxilio gratiæ Christi, diffundentis charitatem in cordibus nostris: similiter negabat, opus esse continuo afflatu atque cooperatione ac directione Spiritus sancti, ad parādum vsum bonũ naturalium potẽtiarum, intelligendo, volendo, operando. Ideóque minimè negabat concursum Dei generalem omni prorsus creaturæ necessarium ad ea quæ faciamus, sed Dei directionem, atque gubernationem per singulos actus bonos, homini necessariam esse, inficiabatur, existimans, huiusmodi gubernationem libertati humanæ contrariam esse. Vnde hominem sibi ipsi ducem constituebat, & à seipso vnumquemque regi volebat, non à Deo: vt ex epistola D. Hieron. ad Ctesiphontem liquidò constat. *Ita*, inquit, *Pelagiani gratiam ponunt, vt non per singula opera eius nitamur, & regamur auxilio.* Et iterum: *Iniuriam tibi fieri putas, & destrui libertatem, arbitrij, si ad Deum authorem semper recurras, si ex illius voluntate pendeas. Vnde & audes lingua proferre temeraria, vnũquemque suo arbitrio regi.* Vndè patet, ipsum Pelagium non concursum Dei generalem concomitantem, omnibus agere volentibus paratum denegasse; sed directionem Dei atque gubernationem in actibus bonis, quã Ecclesia in suis quotidianis precibus impetrare nititur, dum ait: *Dirigere & sanctificare, regere, & gubernare dignare Domine Deus rex cæli, & terræ, hodie corda et corpora nostra, sensus, sermones, & actus nostros in lege tua, et in operibus mandatorum*

Pelagius Dei concursum ad creationis gratiam pertinentem agnouit.

Pelagius Dei gubernationem negabat in bonis hominũ actibus.

suorum. Hanc gratiam iustificati quoque petunt dicentes: *fiat voluntas tua. Et ne nos inducas in tentationem.* Item illa quotidiana precatione: *Deus in adiutorium meum intende. Adiutor meus esto Domine, ne derelinquas me. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne proiicias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Dirige gressus meos, deduc me Domine in semita mand.* &c. Non enim Ecclesia de generali concursu solicita est, quem scit omnibus agere volentibus paratum, & secundùm legem primæ institutionis debitum; cùm nulla causa secunda sine influentia & cooperatione causæ primæ operari possit: *In ipso namque viuimus, mouemur et sumus.* Nam *si desinat bonitas Creatoris etiam malis angelis subministrare vitam, viuacémque potentiam interibunt*, inquit Augustinus Enchir. cap. 27. De quotidiano igitur adiutorio. Deinde singulos humanæ voluntatis bonos motus, necessariò Ecclesia cum Pelagio disputauit.

De quotidiano Dei adiutorio ad singulos actus bonos hominis lapso, necessaria fuit cũ Pelagio cõtroversia.

De necessitate concursus Dei ad omnes actiones non fuit cum Pelagio disputatum.

Celestinus in epist. ad quosdam Galliarum Episcop.

CAP. CXI.

Quòd duplex boni agendi potentia sit.

QVia frequens hîc mentio est potentiæ ad bene agendum, obtemperandum est, potẽtiam se conuertendi, vel credendi aut bene operandi, DVPLICITER æstimari posse: semel quidem ex ipsa liberi arbitrij in vtramque partem flexibili facultate; quo modo & credendi potentia in omni homine viatore, etiam actuali gratia prorsus destituto, vt docet Aug. lib. de spirit. & lit. cap. 33. dicens, liberum arbitrium vim esse naturalem, quæ ad fidem & infidelitatem inclinari potest; & posse credere esse naturæ hominũ: credere verò, gratiæ fidelium. Aliàs æstimatur potentia ex præsentibus viribus, satis efficacibus ad fidem & conuersionem: iuxta quem modum nonnulli dicuntur *non posse credere, non posse sequi Dominum.* Ioan. 13. *Non potes me sequi modò.* Ioan. 5. *quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis?* Matth. 19. *qui potest capere, capiat.* Poterant credere Iudæi per flexibilem liberi arbitrij in bonum facultatem; non poterant autem credere per eas vires, seu affectus, quos in præsentia habebant. Poterant (vt dici consueuit) per remotam potentiam, non autem per propinquam. Illa de natura exurgit; illa de Christi gratia fluit. Vndè apud veteres vtraque loquutio reperitur. apud Augustinum prior. lib. de spir. & lit. cap. 33. Apud Celestinum posterior: in ep. pro Prospero & Hilario, vbi ait: *In præuaricatione Adæ omnes homines possibilitatem naturalem, innocentiámque perdidisse.* Et Augustinus serm. 12. de Verbis Domini: *Homo per malum velle, perdidit bonum posse.* Et lib. de prædest. sanct. cap. 5. *habere fidem & charitatem, est naturæ hominum.* Lib. de Grat. Christi cap. 50. *naturalem possibilitatem peccato vitiatam* dicit. Et Fulgentius de Gratia Christi cap. 22. & 23. dicit, *hominem naturaliter posse credere, quia naturam habeat fidei capacem*: simul tamen addit, gratiæ dono virtutem credendi recipere quam amisit. Est ergo *Posse* quoddam *per naturam*; omni homini durante hac mortali vita commune, quandiu videlicet liberũ voluntatis arbitrium ad bonum, & ad malum flexibile retinet; quale posse non est in damnatis, neque in beatis, quorum voluntas in malo, vel in bono est confirmata; ratione scilicet status, in quo affectio voluntatis, quasi in na-

Potentia subinde dicitur à naturali facultate.

Potentia nonnumquam æstimatur ex præsentib. viribus efficacibus.

Potentia quædam propinqua; alia remota.

Posse naturale.

turalem motum conuersa videatur.

Posse per gratiam. Augu. lib. 1. retract. c. 22.

Et est aliud POSSE *per gratiam*, quoniam jam natura gratuitis quibusdam diuinis adminiculis iuuatur & corroboratur. de quali *Posse*, Ioan. 1. Euangelium loquitur: *dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* & Apostolus: *omnia possum in eo qui me confortat.*

Posse per gratiam duplex est.

Quod Posse per Gratiam iterum est bipartitum. Nam quoddam est Posse, quod nondum agendum sufficiat, quando videlicet quis adiuuatur prædicatione, aut scientiâ veritatis, exhortatione, suasione, pulsibus etiam interioribus, ita tamen,

Aug. lib. de præd. sanct. cap. 8.

vt cor nõdum obediat nec acquiescat. Aliud est POSSE, in quo tam magnæ vires insunt per gratiæ præparationem, vt satis sit ad agendum. Quam gratiam suprà diximus consistere in operatione Dei, qua hominis mentem sic, & in tantum illuminat, & sic voluntatem inspirando succendit, mouet & afficit amore veri & boni, vt veritatem & iustitiam sic diligat, vt omnibus aliò trahentibus superatis, veritatem probet, & bonum cognitum appetat, iustitiámq; suo tẽpore & loco exerceat. Per quam quidem Christi gratiam iàm non solum Posse, sed ipsum etiã Agere adiuuatur. Et prius quidem Posse, gratiâ Christi dari Pelagius facilè cõcedebat, illud adiutoriũ cõstituens in doctrina lege, miraculis, exhortationibus, aliisque huiusmodi adminiculis: sed posterius, quo adiuuamur, vt bonum velimus & operemur per assiduam intellectus illuminationem, & inspirationem, succensionem, conseruationem, bone voluntatis, directionem, protectionem & gubernationem, tanquam humanæ libertati contrarium reiiciebat. Vnde

QVÆRITVR.

CAP. CXII.

Vtrum Iustus speciali Christi auxilio in quouis opere bono indigeat?

QVamuis homo per Dei gratiã iustificatus, alio habitu naturam sanante non indigeat; attamen, in quouis opere bono pietatis & religionis, non solùm auxilio generali, sito in concursu & cooperatione Dei Creatoris, sed etiam speciali auxilio gratiæ Christi eget; puta excitatione, motione, protectione, succensione, conseruatione, illuminatione, inspiratione, cooperatione Spiritus sancti, cuius afflatu ad bonum cogitandum & desiderandum operandúmque mens & voluntas assiduè incitentur, succendantur, dirigantur, protegantur atque conseruentur. Quoniam enim hominis iustificationem Deus operatur (Diuo Thoma teste, 2. 2. q. 4. art. 4. ad 3.) quemadmodum Sol aëris illuminationem ideo iustificatum oportet assiduè in iustitia conseruari, atque in homine interiore corroborari. Siquidem adhuc iustificatus ignorantia & difficultate laborat, iuxta illud Apostoli: *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Rom. 7. Et c. 8. *Quid oremus sicut oportet, nescimus; ipse Spiritus postulat pro nobis*, id est, nos postulare facit. Adde, quòd dæmon semper operibus iustorum insidietur: vnde iusti etiam illud orationis dominicæ quotidie humiliter dicunt: *Fiat voluntas tua.* Et: *ne nos inducas in tentationem.* & Apostolis, (qui iusti erãt) dixit Dominus Ioan. 15. *sine me nihil potestis facere*, vt notat Augustin. lib. de correptio. & grat. c. 1. Illúdque Psal. 26. *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit illam.* Hi-

Aug. lib. de nat. & grat. cap. 26.

Iustus Dei auxilio ad singulos actus eget.

Deus operatur iustificationẽ, sicut sol illuminationem.

Ignorantia & difficultas in iustificato remanent. Rom. 7.

Insidiatur diabolus.

larius in commentario illius Psalmi, & Ambrosius lib. 2. in Lucã, de anima iusti intelligunt, quæ sine diuina protectione tẽtationi resistere nequit; vt Conc. Arausicanum sub Leone celebratum definiuit can. 19. *Non potest natura humana sine gratia salutẽ custodire, quã accepit.* Quod idẽ docet Celestinus epist. ad Gallos c. 6. & Augustinus lib. de grat. & lib. arb. c. 6. lib. de corrept. & grat. cap. 12. & lib. de nat. & grat. cap. 26. ex Scripturis colligit, iustũ in omni opere bono indigere Christi auxilio, sicut oculus quantumuis sanus luce ad videndum indiget, & infirmus fulcro, vt non labatur. Nam si iustus non adiuuetur, confestim cadit: iuxta illud Psalmi, *Auertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus.* Vndè Augustinus epist. 107. inter propositiones ad hdem pertinẽtes hanc 3. loco ponit: *Scimus, gratiam Dei maioribus ad singulos actus dari.* Ibidémque refert, Pelagium sentẽtiam dicentium, gratiam Dei non ad singulos actus dari, palàm condemnasse, tanquam omnium Christianorum sensui contrariam: requiri ergo in omni opere bono & pio gratiam adiuuantem, dirigentem, ac protegẽtem. Nec sufficere gratiam iustificantẽ, docent Scripturæ, Concilia & Patres. Idque eumcum orationes Ecclesiæ. Iubemur enim orare: *Sanctificetur nomen tuum*: vt scilicet in eo, quod esse cœpimus, permaneamus, interprete B. Cypriano in orationem Dominicam: cuius expositionem commendat B. Augustin. lib. de bono perseuer. cap. 2.

Iustus in omni opere bono gratia Christi indiget.

Sicut oculus luce, ita voluntas auxilio Dei eget.

Li. de grat. & lib. arbit. cap. 6.

Gratia ad singulos actus bonos necessaria.

Præter gratiam iustificantẽ ad bene agendum alia opus est Christi gratia.

IDIPSVM tribus rationibus ostendi potest: quarum PRIMA ex infirmitate naturæ humanæ, perpetuisque hostium insidiis desumitur, qua vtitur Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 12. & lib. de spir. & lit. cap. 7. dicens, illum esse superbum, qui se ad bene viuendum sibi caput facit; cùm opera iustitiæ homo non faciat, nisi quantum ex illo fonte vitæ, atque ex incommutabili lumine percipit, cuius solius hausta iustitia, id est, bona vita bibitur; & cuius participatione anima rationalis accenditur, vt sit ipsa factum, creatúmque lumen, sicut de Ioanne Baptista dicitur Ioan. 1: *Erat lucerna ardens.*

Necessitas auxilij diuini ex infirmitate naturæ colligitur.

Secunda ratio sumitur ex orandi necessitate. Oportet enim semper orare: Oratio autem gratiæ testificatio est. Hac ratione vtitur B. Augustin. lib. de bono perseuer. cap. 17. & Celestinus Papa epist. ad Gallos cap. 9. *Quod tempus intercessit, quo Dei non egeamus auxilio?* q. d. nullum. In omnibus enim actibus, causis, cogitationibus, motibus, adiutor & protector orandus est: superbum est enim, vt quicquam sibi humana natura præsumat; clamãte Apostolo: *non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed contra principes et potestates aëris huius.* Et cap. 6. meminem etiam Baptismatis vnda renouatum, idoneum esse scribit ad superandas diaboli insidias, & ad supprimendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianũ adiutorium perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit. *Necesse est enim*, ait, *vt quo auxiliante vicimus, eo iterum non adiuuante vincamur.* & cap. 8. *In singulis humanæ mentis bonis motibus Deimagis valere nos dubitemus auxilium; quàm nostrũ arbitrium; quia Deus in cordibus hominũ atque in ipso libero arbitrio sic operetur, vt sancta cogitatio, pium cõsilium, omnísque motus bonæ voluntatis ex Deo sit.* In eandem sentẽtiam Concil. Arausic. c. 10. *Adiutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, vt ad finem bonum peruenire, vel in bono possint opere perdurare.* Idem Concil. Triden. definit. sess. 6. canon. 22.

Ex orandi necessitate.

Cõc. Arausicanum.

Cõc. Trid.

Celestinus adiutorũ ad singulos actus requirit.

CAP. CXIII.

Vtrùm Iusto ad quodlibet opus pium exercendum, noua gratia opus sit, non solùm cooperante sed etiam excitante?

An gratia excitante opus sit in quolibet opere bono.

QVamuis certa fide credendum sit, nullū reperiri posse actum pium, qui non sit Dei donum, & qui non oriatur ex gratia; attamen non æquè certū est, vtrùm iustus, qui ex accepta in Baptismo gratia potest ad salutem opera necessaria Christo auxiliante & cooperante exercere, indigeat ad singulos actus bonos nō solùm noua gratia adiuuante, sed etiam noua gratia excitante? id est, Vtrùm nō solùm opus sit continua directione, protectione atque conseruatione bonæ voluntatis; sed etiam assidua inspiratione bonæ cogitationis, & desiderij, atque successione, applicatione, vel motione voluntatis, vt in opus siue interniū, siue externū exeat: hoc enim à nonnullis Doctoribus in dubium vocatur.

Cōc. Arausic. secundū cap. 25.

Quidam censent, iustum posse bona opera facere ex semine præuio gratiæ; ita vt ordinariè non indigeat noua gratia excitante ad opus bonum exercendum, sed tantùm adiuuante, id est, protegente, dirigente atque conseruante. Neque in Ecclesiasticæ illi regulæ quam refert Augustinus epist. 106. repugnare dicunt: *Quòd gratia ad singulos actus detur.* Nam illa significari tantùm aiunt, quòd nullum sit pium opus, quòd ex gratia suam originem non habeat. Ceterùm cùm Scriptura dicat, *præparari voluntatem a domino*, quod fit per occultam inspirationem gratiæ Dei, & voluntas ipsa per antecedentem gratiam præparetur non solùm vt credat, & conuertatur, sed etiam vt quodcunque bonum faciat, & à malo declinet, & in bonis quibuscunque operibus proficiat & perseueret: manifestum apparet, quòd iustus non solùm gratia cooperante ad bonum pietatis opus agendum indigeat, sed etiam gratia, excitante seu voluntatē succendente, atque gubernante. Quod cuncere videntur omnes Scripturæ, quæ singula bona opera gratiæ præoperanti, non autem hominis voluntati tribuunt, vt intelligamus, in singulis humanæ voluntatis bonis actibus præuiam Dei gratiam, per quam Deus agat etiam hoc, vt hominis voluntas, bonum velit: vt Psalm. 36. *à Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet. Deduc me in via tua.* Psam. 85. Item, *præparatur voluntas à Domino*: &, *Deus est enim, qui operatur in nobis velle.* Philipp. 2. *Vos non estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri loquitur in vobis.* Matth. 10. *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei.* Rom. 9. Ex qualibus scripturis colligit Augustinus epist. 106. & 107. ad singulos actus gratiā Dei, & adiutorium adultis necessarium esse. *Fateatur* (inquit, loquens de Pelagio, epist. 106. assertione 7.) *gratiam Dei, et adiutorium etiā ad singulos actus dari.* Vbi obseruandum, quod non dicatur, gratia *data esse*, sed, *dari*: vt significetur, quòd ad singulos pietatis actus quædam actualis gratia detur, quā fiat, vt homo velit, aut operetur. Quod repetit ep. 107. assertione 3. vbi se loqui dicit de Gratia præcedente hominis voluntatē, per quam Deus efficit roborando, afficiendo, succendendo & gubernādo voluntatem, etiam hoc, vt velimus. Ad quam doctrinam alludens Celestinus in epistol. ad Gallos cap. 8. ait: *vt boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorū ipse tāgit corda fidelium. Quotquot enim spiritu Dei agun-*

Philipp. 2.

Propositione 7.

Prou. 8. secūdum 70.

tur, hi filij Dei sunt, vt nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitamus auxilium. Et c. 9. subdit: omnem sanctam cogitationē, pium consilium, omnemque motum piæ voluntatis ex Deo esse, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. Cui accedit Cōcil. Trid. sess. 6. can. 22. Si quis dixerit, iustificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit. Quid autem per Auxilium speciale intelligat, cap. 5. doctrinæ patet: vbi adultos per excitantem & adiuuantem Dei gratiam ad se conuertendum disponi tradit; atque ita hominis cor tangi à Deo per Spiritus sancti illuminationem atque inspirationem, vt homo quidem illam recipiendo, Deo cooperetur, sed tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate non possit. Quemadmodum autem ad inchoandum bonum nos gratia Dei præueniri dicit; ita & ad perficiendum, & ad crescendum in iustitia. Nam sicut ex eo, quòd oramus: conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, nos Dei gratia præueniri confitemur: ita & ex eo, quòd iustitiæ incrementū petat Ecclesia, cum orat: Da nobis Domine fidei, spei, & charitatis augmentum; nos quantumuis simus iusti, vt tamen adhuc iustificemur, & bene operemur similiter gratia præueniente indigere confitetur. Vide Concil. Trid. sess. 6. c. 10. Quod & communes illæ preces significant: deduc me domine in via mandatorum tuorū. Psal. 118. & 85. Item: Actiones nostras quæsumus domine aspirando præueni, & adiuuando prosequere, vt cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Et Dominica xvi. post Pentecosten orat Ecclesia: Tua nos quæsumus, Domine, gratia semper præueniat, & sequatur, ac bonis operibus iugiter præstet esse intentos. Vnde manifestissimum est, Ecclesiam intelligere, ad singulos bonos & pios, hoc est, ad veræ iustitiæ actus, requiri Gratiam nō solum Coadiuuantem, sed etiam Excitantem, seu Præuenientē. Nam vt ait Bernardus, conatus nostri sunt nulli, si non excitentur. Quod etiam ex Augustino clarum est, qui in epist. 106. gratiam Christi ait; nō solum peccata delere, verùm etiam ad non peccandum, rectéque viuendum, eos, qui iam vti possunt voluntatis arbitrio, sic adiuuare, vt nisi adiuuet, nihil pietatis atque iustitiæ, siue in opere, siue etiam in voluntate habere possimus. Deus quippe operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Et: in omnibus misericordia eius præueniet me. Et: ipsa, (inquit) gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici, comitante, non ducēte; præcessit enim non præuia voluntate. Iustū enim deduxit Dominus in via recta, iuxta Ps. 85. & 118. Cū ergo ad singulos actus gratia fidelis ac iusti hominis voluntatem ducat, agat & gubernet; cōsequitur, ad singulos veræ iustitiæ actus, requiri gratiam non solùm Cooperantem, sed etiam Excitantem, quæ voluntatem moueat, & suauiter (relicto ei suo naturali motu) agat, illam trahat & ducat. POSTREMÒ Augustinus gratiam Christi in eo distinguit à gratia, homini in statu naturæ integræ necessaria, quòd ita adiuuaret vt posset si vellet, non quâ fieret vt vellet: Christi autem gratia, quæ homini lapso datur, multo potentior sit, quâ etiam hat, vt homo iustitiam velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contrariā concupiscentem voluntate spiritus vincat. Sic enim,

In singulis quibusque humanæ voluntatis bonis motibus, Dei præualet auxilium.

Sess. 6. can. 22.

Prosper cōt. Collat. c. 8. Fulgen l. de grat. Christi cap. 13. Bernard. li. de grat. & lib. arb.

Philip. 2. Psal. 58.

Dominica 15 post Pentecost.

Distinctio gratiæ Christi, & hominis primi.

Ad singulos actus bonos gratia præuenientis adest.

Infirmi hominis gratia.

ait, *subuentum est infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter & inseparabiliter ageretur. Fortissimo quippe permisit facere quod vellet; infirmis seruauit, vt ipso donante inuictissimè quod bonum est vellent, vt hoc deserere inuictissimè nollent; vt etiam iusti non in se, sed in Domino glorientur: qui in eis operatur non solum vt possint bonum, si velint, sed etiam in eis operatur velle & perficere.* Lib. de corrept. & grat. cap. 11. & 12. ex professo id prosequitur: & lib. de gratia & Lib. arbit. cap. 16. & 17: *dat quod iubet, & adiuuat vt faciat cui iubet. Certum est, nos mandata facere, si volumus: sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, vt faciamus quantum velimus quantum sufficit, vt volendo faciamus. Certum est, nos velle cum volumus: sed ille facit vt velimus bonũ, à quo præparatur voluntas.* Et c. 17. *Ipse, vt velimus, operatur incipiẽs, qui volentibus cooperatur perficiens. Vt ergo velimus sine nobis operatur, cum autem volumus & sic volumus vt faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo operante vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. Agit* enim *Omnipotens* (ait cap. 21.) *in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorũ, per affectiones scilicet quas immittit.* Quomodo alios iuuat in bello, dãdo hducium; alios immisso timore vertit in fugam. *Volentes oramus* (inquit Prosper lib. cont. Collat. c. 38.) *& tamen misit Deus spiritum in corda nostra clamantem, Abba pater: volentes loquimur, & tamen, si pium est quod loquimur, non sumus nos loquentes, sed spiritus Patris nostri qui loquitur in nobis.*

Cõcil. trid. sess. 6 can. 3. sine præueniente Spiritus sancti inspiratione

Accedit definitio Conc. Triden. sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Vbi animaduertendum est, non dici: *Si quis dixerit, posse hominem, sæpius aut frequenter aut perseueranter credere; sed* simpliciter, *credere, aut diligere*; quæ singulis actibus perfici queunt. Quare docet Cõcilium, ad singulos actus, præueniente Spiritus sancti inspiratione opus esse: quod etiam definiuit Concil. Arausican. 2. can. 9. & 25.

non possumus credere, sperare, diligere, pœnitere sicut oportet.

Cõc. Arausican. 2. c. 9.

CAP. CXIV.

Quòd auxilium gratiæ non expectet, sed præueniat hominum voluntates.

Gratia Dei non omnibus cum viribus liberi arbitrij acceptare volentibus offertur.

EX prædictis manifestè consequitur, falsam eorum esse sententiam, qui docent, Gratiam Dei omnibus hominibus offerri, modò ipsi eã excipere velint: posse autem vnumquẽque ex solis vribus liberi arbitrij sine alia præueniente gratiâ, gratiam expetere, inuocare, excipere, atque eâ bene vti. Nam hæc fuit Pelagij hæresis, Augustino teste lib. cont. 2. epist. Pelag. cap. vlt. Epist. 106. & 107: atque lib. de prædest. sanct. cap. 1. & 2. & toto lib. de gratia Christi. Et Concil. Arausicanum can. 3. & 4. eandem doctrinam condemnat, ostendens, Christi gratiam facere, vt Deus inuocetur ab iis, qui non quærebant eum, & per Spiritus sancti infusionem & operationem fieri, vt hominis voluntas purgari velit, ac proinde gratiam Dei omnem humanæ voluntatis (quoad opera pietatis) bonum conatum præuenire, vocando, suadendo, inspirando, suggerendo, illuminando, ostium cordis pulsando, atque ipsam voluntatis obedientiam & gratiæ amplexum operando, efficiendóque, vt liberum ho-

Gratia Christi præuenit bonum hominis conatum.

Deus operatur saluo naturali libertate arbitrij operandi modo.

munis arbitrium, sua in agendo naturali conditione salua manente, consentiendo credat, bonum diligat, malum auersetur, in bonitate proficiat, Dei præcepta obseruet. Sic enim *Deus* per gratiam suam quantumuis efficacem *credere & velle operatur in nobis*, vt dissentiendi, seu non credendi libertatem relinquat; quia liberum voluntatis arbitrium Deus secundùm naturæ ipsius modum operandi mouet: vt verissimum sit, quod ait Augustinus: *Hæc gratia à nullo duro corde respuitur. Ideo quippe datur, vt cordis duritia primitus auferatur.*

Deus operando vt velimus, dissentiendi libertatem relinquit. August. lib. de prædest. sanct. cap. 8.

CAP. CXV.

Vtrùm auxilium gratiæ Dei omnibus æqualiter adsit.

QVod omnibus per æqualem gratiam Deus adsit, vt credere & conuerti possint, si velint, Scripturis diuinis manifestè aduersatur, quæ docent, plerúmque secundùm altitudinem inscrutabilis diuini iudicij nobis occulti, maximè indignis dari auxilia super abundantia, quæ aliis æquè, aut minùs indignis negantur: quod fieri tam in adultis, quàm in paruulis experientia testis est. Iudæis enim signa & virtutes dedit Deus, ex quibus non essent credituri; Tyrus autem, & Sidonis, qui ex eis (Christo teste) vitam in melius erant commutaturi, non dedit. Et Ioannes in matris vtero gratia repletur; Ieremias sanctificatur; & B. Paulus Ecclesiam persequens illuminatur. Rapit insuper nonnullos Deus, *ne malitia intellectum mutet. Cuius vult miseretur; quem vult indurat*, Rom. 9. *Vnicuique diuisit mensuram fidei*, Rom. 12. *Non omnium est fides*, 2. Thessal. 3. *Vobis donatum est, vt in eum credatis*, Philipp. 2. Quibusdam Deus dat locum & tempus pœnitentiæ, aliis non. Lucæ 13. *Præteritas generationes permisit ingredi Deus vias suas; nunc autem annunciat vt pœnitentiam agant*, Act. 14. & 17. Et ex paruulis, optimi viri filius sine Baptismo decedit & perit; filius autem adulteri baptizatur & saluatur. Idem sentit & scribit B. Augustinus libr. de prædest. sanctorum; cap. 8. libr. de bono perseuer. cap. 8. 14. Prosper contra Collatorem; Fulgent. de Incarn. & gratia Christi: & Concilium Arausicanum. Cur denique *inscrutabilia esse Dei iudicia* scriberet Apostolus, *& inuestigabiles vias eius* in electione & reprobatione mortalium, si gratia Dei æqualiter omnibus adesset; & solùm ex hominum arbitrio penderet, vt quidam eam acciperent, alij verò abijcerent.

Dei auxilium non æqualiter omnibus adest.

Matth. 11.

Sapien. 4.

Iusto Dei iudicio quidam desecuntur.

CAP. CXVI.

Vtrùm omnibus sufficiens auxilium ad salutem à Deo detur?

GEneralia quædam à Deo hominibus adultis præbentur auxilia, quibus si acquiescere vellent, & Deum suum nosse, & glorificare possent, correctisque vitæ prauæ vitijs ad meliora conuerti: qualia sunt, huius Vniuersi continua prædicatio, quotidianáque Dei beneficia, quibus humanum genus conseruat, fouet, protegit; dans pluuias, fruges, omniáque huic temporali vitæ necessaria. Quæ tamen exteriora auxilia per se sola nemini sufficiunt ad exurgendum à peccatis, salutémque consequendam, nisi Christi Mediatoris gratia specialis accedat. Frustrà enim & surdis creatura omnis Deum esse clamat, nisi altiùs ipse Deus misereatur, & intuitu Mediatoris

Generalia præbentur adultis auxilia.

Externa auxilia per se sola non sufficiunt.

diatoris Christi mentis tenebras illuminet, cordisque duritiam salutiferis inspirationibus, bonisque affectionibus excitet ad inuocandum & orandum Deum; *qui dives est in omnes, qui inuocant illum, et quærentes se non derelinquit, sed suauis est ac mitis, et multæ misericordiæ omnibus eum inuocantibus.* In quem finem etiam data est lex, vt homines eam implere conati, & suâ nihilominus infirmitate deficientes, ad Gratiæ medicinam confugerent, Deique auxiliatoris opem per Christum Mediatorem implorarent, atque ita fieret, quod scriptum est: *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Parata est enim Dei gratia omnibus adultis, ratione vtentibus, sed inuocantibus & orantibus, sicut Cornelium Centurionem orasse, ac eleemosynas fecisse largimur. Vtrũ porrò Deus omnes adultos pro loco & tempore actu excitet salutiferis inspirationibus, & bonis affectionibus, quibus sensim possint ad salutem peruenire si vellent acquiescere, Scriptura sacra non definit, neque vniuersali experientia, neque certa ratione vel authoritate conuinci potest; ideóque absq; periculo affirmantem vel negantem partem eligere fas est. Scripturæ sacræ atque B. Augustino conformius est, gratiam Dei quæ ad salutem sufficiat, non omnibus adultis & paruulis dari, sed iusto Dei iudicio, peccatio originalis, aut etiam actualis merito pleroſque à Deo deseri, quod in paruulis, qui absque baptismo decidunt, apparet: quibus sufficiens remedium ad salutem, prouidẽtiæ Dei beneficio datum esse, non verè affirmari posse videtur. Nam licet Deus sufficiens remedium pro omnibus, nemine excepto, instituerit, (vt docet Cyprianus epist. 59.) attamen ad salutem non sufficit remedij à Deo instituto, sed præterea requiritur eiusdem applicatio. Nam medicinæ poculum non medetur, nisi bibatur. Quòd autem ex Dei prouidentia causæ naturales sic disponantur, vt impossibilis fiat baptismi applicatio, ex eo patet, quòd tam infirmas subindè paruulis conceptis vires Deus tribuat ad viuendum, vt priùs exstinguantur quàm nascantur, nec tamen possint renasci, antequàm nasci. Nec dici potest, quòd longiorẽ quidem vitã dare paruulo Deus voluerit, sed quòd per causas naturales eius tam bona voluntas impedita fuerit: (*omnia* enim *quæcumque voluit fecit:*) neque etiam dici potest, quòd non sit constituta dispositione Dei vnicuique mensura vitæ suæ. Nam Iob 14. *Breues dies hominis sunt: numerus mensium eius apud te est. Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Qui enim singulorum hominum animas dat, etiam eas quando vult, repetit: & quemadmodum in hanc vitam introducit, ita euocat. Ex quibus sequitur, applicationem Baptismi paruulis quibusdam Dei voluntate esse impossibilem, non quòd eorum perditione Deus delectetur, qui crudelis esse non potest: sed quia in aliquos suam iustitiam demonstrare vult, vt ipsius erga ceteros gratia magis eluceſcat: vt constantissimè docet Augusti. & qui cum sequuntur, Prosper, Fulgentius, & alij. Quòd si porrò Deus iustè nonnullos paruulos absque sufficienti ad salutem datâ gratiâ deserat, cur non possit etiam adultis auxilium sufficiens ad salutem non dare? Si enim suos desertores iustissimè deserat Deus, cur non iustè suos contẽptores auersetur? qui dicũt Deo: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens vt*

Rom. 10. Psal. 5.

Deus inuocantes non deserit.

Ioel. 2.

Parata est gratia omnibus inuocantibus Deum.

Vtrùm omnibus adultis pro loco & tempore sufficiẽs excitatio ad salutem detur, problematicũ est.

Non sufficit ad salutẽ remedii institutio, sed præterea requiritur eiusdem applicatio.

Mẽsura vitæ à Deo vnicuique constituta.

Applicatio baptismi quibusdam ex Dei voluntate impossibilis.

Iob. 21. Multis deest vocatio externa, cur non etiam poterit iustè deesse interna?

seruiamus illi? & quid nobis proderit, si orauerimus illum? Et sanè cùm experientiâ constet, multis infidelibus vocationem externam deesse, absque fundamento affirmatur, quòd sufficienter intùs vocentur. Rom. 10. *fides ex auditu.*

CAP. CXVII.

Quòd non possit Deus iniustitiæ accusari etiamsi non omnibus det auxilium sufficiens ad salutem.

CVm primi hominis peccati merito vniuersi Adæ posteri filij iræ nascantur, quibus nihil iure debeatur nisi pœna, manifestè consequitur Deum nulli facturum iniuriam, etiamsi omnibus hominibus auxilium sufficiens ad salutem denegaret. Quis inquit Sapiens ca. 12. stabit contra iudiciũ tuum, aut quis tibi imputabit si perierint nationes quas fecisti? & Apostolus ad Rom. 9. ostendit Deum solâ misericordiâ ex massâ damnata quosdam facere vasa in honorem. & epist. 106. Aug. ideò paucos saluari dicit vt omnes intelligant quid iuste vniuersis debeatur. & lib. de bono perseu. ca. 8. Si à debita perditione neminem Deus liberaret, non esset iniustus. epist. 157. similia repetit, dicens, ideo pauciores saluari quam perdi, vt intelligatur quid omnibus iuste reddi posset. Sciendum tamen nullum in hac vita ex adultis ratione vtentibus sic à Deo deseri, quin absolutè in viam iustitiæ redire possit, sed hoc eo præstante qui potest etiam de lapidibus suscitare filios Abrahæ; cuius nunquam virtus est alligata, vel manus abreuiata vt saluare nequeat. Quòd si hanc singularẽ gratiam qua cordis durities aufertur quibusdam suis contemptoribus iustissimo iudicio negat, non tamen se illi excusare in die iudicij poterunt, vt dicant, non potuimus vitare peccatum, tua præcepta obseruare nequimus: primùm quia potuerunt si voluissent, vt autem vellent admoniti fuerunt saltem generali prædicatione, cuius auxilio poterant ad quærendum & inuocandum Deum excitari. paratus autem Deus est ad exaudiendum omnes inuocantes se. Deinde inexcusabiles sunt, quia libero animi iudicio & electione in peccatis viuere perstiterunt, quorum singula vitare potuissent si voluissent.

Ephes. 2.

Sapient. 12.

Deus misericorditer ex massa vitiata quosdam eligit, iuste verò alios deserit.

Nullus adultus sic deseritur quin saluari possit.

Nullus peccator se coram Deo excusare poterit.

Quia potest vitare peccatum.

Prosper. li. 1. de voc. gent. c. 22. 26. Rom. 10. Ioel. 2.

Prætereà siue Deus auxilium sufficiens omnibus det, siue tantum aliquibus, nos tamen de nullius salute in hac vita desperare, neque ab vllo correptionem, exhortationem, vel alia charitatis officia substrahere debemus, quia nescimus, quis ad prædestinatorum numerum pertineat, quis non pertineat, & sic affici charitatis affectu debemus, vt omnes saluos fieri velimus. vt docet Augu. lib. de correpț. & gratia c. 15. & lib. 1. retract. c. 19. Leo. serm. 4. de Epiph. *Dum in hoc corpore viuitur nullius est desperanda reparatio, sed omnium est optanda correctio, auxiliante Domino, etc.* Iuxta illud Ioëlis 2. *Quis scit si conuertatur, et ignoscat Deus, et post se relinquat benedictionem?* Et Paulus vult mansuetos nos esse ad omnes, & cum patiẽtia & modestia eos corripi qui resistunt veritati, ne quando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendum veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis. ad Timot. 2.

Libera electione peccatur.

De nullius salute desperandum.

Omnium salus optãda & procuranda.

CAP. CXVIII.

De prædestinatione.

QVia prædestinatio species est diuinæ prouidentiæ, quâ Deus

Quid prædestinatio.

homines mere gratis ad æternam salutem dirigit, eis præparando certa & infallibilia media per quæ ad gloriam æternámque vitam perueniunt: ideò tractationi de gratia meritò prædestinationis explicatio subiungitur, de qua primò quæritur: vtrùm diuinæ prædestinationis causa vel ratio ex parte hominum assignari possit? An verò merè gratuita sit? ita vt neque propriè dictum meritum, neque de congruo quidem, imò ne conditio quidem sine qua non prædestinaretur is, qui prædestinatur, ex parte hominis assignari possit?

An ex parte hominis detur aliqua prædestinationis causa.

Respondeo, prædestinationem ex parte hominis mere gratuitam esse, ita vt neque propter hominis merita propriè dicta, neque propter bonum vsum liberi arbitrij, vel gratiæ, aut vtriúsque simul à Deo præuisum, neque propter vllam aliam conditionem, vt sine qua non fiat, sed ex parte Dei causam habet imprimis, vt eius misericordia & iustitia ostendatur. Sed cur circa hunc potiùs quàm illum Deus suam misericordiam demõstret, ad inscrutabilia Dei iudicia pertinet. quæ admiratus Apostolus exclamat: *O altitudo diuitiarum, etc.* Augustin. li. 1. ad Simplicianum qu. 2. ep. 105. *Cur illum potiùs quàm illum liberet, aut non liberet, scrutetur qui potest iudicium eius tam magnum profundum: tamen caueat præcipitium.* Hoc tamen secretum in æterna beatitudine nobis manifestum futurum, scribit idem Augustin. Enchir. cap. 95.

Prædestinatio est gratuita.

Misericordia & iniustitia Dei ostenditur in electione vnius præ alio.

Rom. 11.

Iudicia Dei inscrutabilia.

CAP. CXIX.

Quid sit Prædestinatio?

Aug. lib. de bono perseu. ca. 14.

DIuus Augustinus lib. de bono perseu. cap. 14. prædestinationem ita definit: *Est præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur, &c.* 17. *In sua quæ falli mutarique non potest præscientia, opera sua futura disponere: id omnino nec aliud quidquam est prædestinare.* li. 6. Hypognostici, *prædestinare, et præordinare nihil aliud esse* dicit, *nisi prouidere:* hoc est, prædefinire ac prædecernere sua dona & facta. Vndè colligi hæc definitio potest: *Prædestinatio est prouidentia Dei, qua certos homines ex perditionis massa gratis et misericorditer selectos, per infallibilia media in vitam æternam dirigere ab æterno constituit.* Prouidentia enim ad res vniuersas se extendit, at prædestinatio ad vitam æternam, solùm ad Angelos & homines. Et quidem Angelorum atq; hominum in statu naturæ integræ prædestinatio alterius erat rationis, quàm nũc sit, quoniam ex sententia Scripturarum, & B. Augustin. prædestinatio, qualis nunc est, præuisionem originalis peccati sequuta est, ob quod vniuersum genus humanum instar massæ cuiusdam dãnatæ factum est, iuxta illud Apostoli Rom. 9. *An non habet potestatem figulus ex eadẽ massâ facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* significans, Deum nihil inuenire in eis, quos ex hac massa ad vitam seu gloriam eligit, nisi mortis meritum; ideóque misericorditer eosdem liberare, non reddendo debitam pœnam, sed indebitam donando gratiam.

Deus præordinat. sua dona, & opera.

Prædestinationis definitio.

Aug. lib. 1. retract c. 13. significat futuram fuisse prædest. etiamsi Adam nõ peccasset. Li. de corrept. & grat. c. 11.

Ex quibus intelligimus, nihil aliud esse prædestinare, quàm præscire, quibus mediis infallibiliter certi homines saluari possint, & velle efficaciter ea media præparare. Vbi imprimis obseruandum est, Augustinum non loqui de præscientia conditionata, qua Deus nouit, quibus mediis homines saluari possint, si gratiam

oblatum acceptare, & perseuerare velint, neq; etiã de præscientia, quid hominum quisque facturus sit, si hoc vel tali excitationis, motionis, suasionis genere menti eius cõgruæ vocetur. Nam licet absque præscientia Dei prædestinatio non sit, non tamen illam requirit, quæ Dei præordinationem antecedit. Neq; enim ideò cuiquam vel gratiam, vel gloriam præparat Deus, qui eam se daturum præscierit, sed contrà ideò præscit, quia absolutè dare decreuerit, præscius videlicet eorum, quæ sit ipse facturus. Quare nec illà præscientia conditionata hîc intelligenda est, qua præscit Deus, acceptaturum hunc gratiam atq; saluandum, si hoc vel illo modo sibi cõgruo vocetur, sed absoluta Dei præscientia, qua Deus præscit, quid ipse facturus sit. Nam præscientia, de qua loquitur Augustinus, non ad diuersum aliquod obiectum, sed ad idem prorsus, ad quod præparatio, refertur, ad omnia videlicet Dei beneficia, quibus certissimè liberantur, quicumq; prædestinantur. Atqui conditionata præscientia non hæc Dei beneficia, sed humanæ voluntatis affectum & inclinationem respicit, quid videlicet homo facturus sit, si hoc vel illo modo à Deo vocatus fuerit. Nõ est autem sensus definitionis Augustini: *Prædestinatio est præscientia, quid facturus sit homo, si sic aut sic à Deo vocatus fuerit, et huiusmodi beneficiorum præparatio, sed est præscientia ipsorum, quæ donaturus sit beneficiorũ, ac eorumdem certa et efficax præparatio, quibus certò & infallibiliter Deus facit, vt secundùm propositum gratia vocatus credat, obediat, perseueret, atque saluetur.* Sermo autem ille: *prædestinatio gratiæ conditionatam præsupponit veniendi præscientiam*, ideò iure displicet. I. quia nouus in Ecclesia & Veteribus inauditus est. II. quia sensum præ se fert erroneum: videlicet obedire gratiæ, & vocantẽ sequi præscitum esse tantùm, non etiam prædestinatum. Si autem non solùm vocare, sed etiam vocantem sequi, prædestinationis effectus est, non prædestinatio talem illam præscientiam præsupponit, sed ediuersò potiùs præsciẽtia prædestinationem. Ideò enim videt Deus, quòd sic vel sic vocati venirent, quia sic vocando facturus esset vt venirent. Cùm ergo vtrumque, scilicet vocare atq; vocantem sequi, ad prædestinationis gratiam pertineat, sermo ille ista duo ita diuidit, vt vnum ad prædestinationem pertinere, alterum verò ad præscientiam significetur. III. Cõditionata hæc præscientia nihil ad prædestinãdi causam facit: non enim ideo prædestinat Deus aliquẽ ad prædestinationis gratiam, quia sic vocati præuidet obedientiam, si quidem hoc esset prædestinationẽ gratiæ secundùm meriti præscientiam asserere. Cùm ergo hæc præscientia nihil omnino ad Prædestinationem gratiæ conferat, cur eam prædestinatio præsupponit? an quia præscientia necessaria est? libet autem prædestinationis actus? Cur ergo non etiam dicitur, quòd prædestinatio totam Trinitatem, aut Filij generationem præsupponat?

IV. Prædestinatio nullam in homine dispositionem aut præparationem præsupponit, sed ipsa est, quæ hominem, quando & quomodo vult Deus, præparat, disponit & afficit. Non ergo præsupponit humanarum dispositionem atque affectionum præscientiam, vt sic vocet in tempore, quomodo homines dispositos videt, vt sequantur.

V. Præscit Deus hunc sequuturum, si hoc vel illo modo vocetur, quia facturus est vt sequatur; ideoque

Præsciẽtia cõditionata prædestinationi præsupposita excitur.

Aug. de absoluta Dei præscientia loquitur.

Aug. lib. de bono perseu. c. 10. & 17. atque 19. opus suũ præcinit.

præscit, quia facere constituit, atque ita sequitur, non præsupponitur præscientia.

VI. Dum prædestinandi propositum ex conditionata præscientia dependere dicitur, occultum ibi aliquod prædestinationis meritum significari videtur, quòd in liberi arbitrij obedientia insit, si hoc vel illo modo vocetur. Nam ad huiusmodi vocationem sequi & obedire velle, cũ hoc sit ad Deum venire, non potest non meriti alicuius rationẽ habere, vt si non ex iustitia, saltem ex congruo talis vocatio præbeatur. Neque satisfit dicendo huiusmodi gratiam pluribus similiter affectis, huic, non illi, ex Dei beneplacito dari. Nam etiam pluribus eleemosynam petentibus, aliquibus ex iusta causa negatur, quod tamen alijs propter humilem misericordiæ flagitationem conceditur.

VII. Cùm voluntatis obedientia sit congruentis vocationis effectus, non causa, sequitur, non ex effectus præscientia esse prædestinationem, cùm hæc liberi arbitrij consensum operetur, sed ex causæ præparatione illius esse præscientiam.

Aug. epist. 105. Robert. Bellarm. li. 2. de liber. arb. cap. 12.

Postremò refellitur huius præscientiæ conditionatæ necessitas ex paruulorum exemplo, in quorum prædestinatione nullum huic præscientiæ locum reperire possumus. Cuius enim obedientiæ præscientia regenerationis gratiam diuina prædestinatione illis præparatam dicemus? Neque hic sufficerit asserere, quòd quantum in ipso est, Deus paruulos prædestinarit, baptismóque pro omnibus institutto saluari voluerit. Nam si tantùm omnibus bonum absolutè vouisset, nulla omnino res tam propensam eius voluntatem impediuisset, facilèque ad id naturalium, liberarúmq; causarum concursum attemperasset. DEINDE, cur præscit iustificandos, si baptizentur, paruulos? nisi quia velit ipse per suum sacramentum iustificationis gratiam infundere? Vnde intelligitur hoc quoque loco, nõ voluntatem præscientiam, sed econtrà præscientiam Dei voluntatem præsupponere, ex qua tanquam primaria causa fit, quòd paruulorum vnus baptizetur, alius sine baptismi gratiâ rapiatur. Hinc Augustinus libr. 1. retract. cap. 23. quod in expositione inchoata epistolæ ad Rom. scripserat: prædestinationem gratiæ ex præuiso fidei esse merito, quod non ex Dei dono, sed ex nobis habeamus, retractauit, ac postea varijs locis fidem, omnisque pij operis cogitationem, dispositionem, actionem, voluntatisque consensum in bonum, ex Dei dono haberi scripsit. Quod necin libro 1. ad Simplicianum quæst. 2. liquit, vbi etiam illud habet: *nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus: si enim Deus miseretur, etiam volumus, ad eandem quippè misericordiam pertinet vt velimus.* Ac rursus: *Non potest effectus misericordiæ esse in hominis potestate, vt frustra ille misereatur, si homo nolit.* Quòd autem ibidem ait Augustinus, *Cuius miseretur (Deus) sic eum vocat, quomodo videt congruere illi, vt non respuat vocantem*, ad præscientiam conditionatam toti prædestinationi præsupponendam nihil pertinet. Nam ibi Augustinus prędestinationis naturam non explicat, sed diuinæ vocationis plures modos esse ostendit, vnúmque peculiarem vocationis modũ esse dicit, quo Deus nonnullos sic vocet, vt nouerit secuturos, quia videlicet suæ gratiæ vim non ignoret, quâ occultè sic quosdam interiùs vocat, vt vocando conuertat, obsequentésque faciat, & ideò videat, sic vocatos non

Libro de bono pers. seu. lib. de prædest. sanct. c. 4. Li. 2 retract. cap. 1.

esse repugnaturos, quia vocando facturus sit, vt non repugnent. Neque insuper pro hac præscientia conditionata facit, quòd Augustinus libro de bono perseu. cap. 14. dicat, quosdam fuisse credituros, si apta suis mentibus vel signa vidissent, vel audirent verba. Nam non in eo prædestinationis gratiam constituit B. Aug. quòd talia prædicationis & miraculorum beneficia Deus eis exhibere voluisset, quibus eos ad fidem conuertendos præscisset, si prædestinati fuissent, sed in eo potiùs, quòd eis fidem dare voluisset, ideóque signa etiam verbáque adhibere conuenientia, quibus cooperante interiùs Deo conuerterentur. Proinde cum D. Thoma in Deo scientiam visionis & simplicis intelligentiæ ponimus, neque aliam mediam ab his distinctam, quæ conditionata nominetur, agnoscimus: conditionatè siquidem tantùm, & non absolutè scire, imperfectionem conuoluit, quam à Deo remouemus.

1 p. q. 14. ar. 9.

CAP. CXX.

Vtrùm prædestinatio ad gloriam sit ex præscientiâ meritorum? an contra præscientiam meritorum ex prædestinatione ad gloriam?

An prædestinatio ad gloriam sit ex meritorum præuisione.

QVamuis in Deo vnicus sit voluntatis actus, quo non priùs vel posteriùs, sed simul omnia vult quæcumque vult, in rebus tamen ipsis & effectibus prædestinationis ordo existit aliquis, secundùm quē vnus possit esse causa alterius, & pro nostro intelligendi modo priùs etiam vel posteriùs ad Dei mentem referri.

Electio ad gloriā præcedit meritorum præscientiam.

Primò itaque iuxta B. Augustini Doctrinam, Deus efficaci decreto voluntatis suæ ante absolutam præscientiam meritorum elegit prædestinatos ad gloriam, & ex hoc fine à Deo efficaciter & absolutè intento, fluunt omnia media, per quæ fit, vt infallibiliter finis cōsequatur. Nam in hac efficaci voluntate finis, qua Deus vult gratuita & liberali atque speciali beneuolentia alicui homini dare gloriā, virtute includuntur omnia media, scilicet quibus homo ad eum finē peruenire nequit. Ex hac ergo voluntate Dei, efficax vocatio & gratia iustificationis, omniáque merita, & in eis vsque ad finem perseuerantia, nec non vniuersa necessaria Dei auxilia promanāt, siue prę-uenientia, siue concomitantia, per quæ fit, vt hominis voluntas liberè, tamē infallibiliter perseueret. Vnde sequitur, gratuitam Dei ad gloriam electionem, siue dilectionem & discretionem saluandi, præuenire omnia futura hominis merita, prę-scientiámque eorum, quia non nisi ex illa gratuita & liberali electione, absolutáque saluandi voluntate Dei tanquam prima radice & causa futura sunt, suámque originem ducunt. Vnde totū salutis negotium refert Apostolus ad propositum gratiæ Dei, quod quidem propositum nihil aliud est, quàm efficax Dei volūtas dandi gloriam, cui nullum humanum resistit arbitrium. Ex qua Dei volūtate sequitur Vocatio, iuxta illud Apostoli Rom. 8. *Omnia cooperantur in bonum iis, qui secundū propositum vocati sunt.* Nam *quos præscinit*, ab æterno dilexit, elegit, segregauit, saluare proposuit: *et prædestinauit*, id est, efficaciter per infallibilia media saluare prærordinauit, siue gratiam eis præparauit, daturúmque disposuit, quâ vsque ad consecutionem gloriæ dirigantur, Christóq; conregnent: *quos autem prædestinauit*, secundùm gratiæ pro-

Ex electione ad gloriam merita.

Prima salutis origo ad propositum gratiæ Dei referenda est.

Rom. 8.

positum, *hos et vocauit*, id est, fideles, sibiq; obtemperantes fecit. *Et quos vocauit*, secundùm electionis propositum, *hos et iustificauit*, id est, iustos fecit, *quos autem iustificauit*, nimirum intentione saluandi, *illos & glorificauit*, id est, infallibiliter ad gloriam vitæ beatæ perducere, vltimamque gratiam vitæ æternæ, in qua est plena, securàque fœlicitas, suo tempore dare constituit.

Ex quo Apostoli discursu manifestum est, non ex aliquibus præscitis aut præuisis hominum meritis, sed ex sola Dei æterna dilectione & prælectione gratuita, quosdam ex massa damnata prædestinatos esse ad æternæ vitæ gloriam, quibus infallibiliter à Deo procuratur, vt in fide per dilectionem operante vsque in finem perseuerent, vt Augustinus prosequitur libr. de corrept. & gratia c. 7. vbi ex æterna prælectione gratuita, qua Deus nonnullos elegit ad regnandum cum Christo, docet, sequi vocationem efficacem, perseuerantiæ donum, reliquáque vniuersa Dei auxilia ad salutem comparandam necessaria. Item lib. de grat. & lib. arb. cap. 18. *quia electi sunt, elegerunt.* & libr. de prædest. sanct. cap. 17. *Eliguntur vt credant*, sicut Apostolus ad Ephesios ait: *Elegit nos, non quia futuri eramus sancti, sed vt essemus sancti.* Et lib. de bono perseu. cap. 14. dicit Tyrijs, aliisque permultis, *vnde crederent esse negatum, quia non erant à massa damnata gratiæ prædestinatione discreti.* Ex quibus consequitur, voluntatem efficacem saluandi prædestinatum, esse electionem efficacem ad gloriam, & ex hac voluntate saluandi (quæ gratuita electio nuncupatur) omnem gratiam efficacem deriuari. Etenim ne fortè ante constitutionem mundi ex operibus præcognitis putarentur electi, adiunxit, *si autem gratia iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia*: nullus enim prior dedit illi, vt retribuatur ei, nullũ elegit dignum, sed eligendo effecit dignum. Rom. 11 Aug. lib 1. cont. Iul c. 3.

Ex electione ad gloriam sequitur efficax vocatio, & perseuerantia.

Deus eligendo facit dignum.

CAP. CXXI.

Quòd electio per antonomasiam intelligatur electio ad gloriam.

QVia electio Dei absoluta, est voluntas eius efficax saluandi, meritò ab hac electione ad gloriam in scripturis dicuntur simpliciter electi: quoniam ex hac electione seu fonte Deus efficaciter intendit dare gloriam & beatitudinem, & prouidere omnia media, quibus infallibiliter & insuperabiliter homo finem assequatur. Per hanc enim electionem Deus tam finem, quàm media omnia prædefinit, & absolute vult euenire, ita vt illi voluntati nullus resistat, neque vnquam impediatur: quia licet in effectu & executione, finis à medio pendeat, & non sit aliter intentus, attamen etiam media (scilicet merita) & actiones liberæ cum diuina gratia, remotio omnium salutis impedimentorum, & donatio necessariorũ auxiliorum sunt absolute per eundem actum volita, quia in voluntate finis etiam virtute includuntur media. Ideóque totum illud obiectum finis & omnium mediorum, est absolute & efficaciter à Deo volitum; vt indicant scripturæ, quæ docent, ex vi huius electionis diuinæ fieri, vt electis prouideantur media, quibus certissime liberentur. Matth. 24. *Ita vt in errorem inducãtur, si fieri potest, etiam electi.* Et: *propter electos breuiabũtur dies illi.* Marci 13. *propter electos, quos elegit, breuiabit dies illos.* Ro. 8. *quis accusabit*

Electio Dei voluntas est efficax saluandi.

Electi ad gloriam infallibiliter saluantur.

Prædestinatio habet certitudinẽ non solum præscientiæ sed etiam ordinis seu causalitatis.

aduersus electos Dei? 2. Tim. 2. *Omnia sustineo propter electos.* Mat. 2. *multi vocati, pauci electi.* Rom. 8. *electis omnia cooperantur in bonum.* His & alijs & plerisque locis Scriptura electos simpliciter vocat ex electione gratuita ad gloriam, quæ omnia præuisa merita præuenit, cùm ex illa prædilectione, seu gratuita electione, omnia merita, gratiæque beneficia emanent: iuxta illud Christi Lucæ 12. *Nolite timere pusillus grex, quia cõplacuit Patri vestro dare vobis vitam æternam.* Et Ioan. 10. de omnibus suis loquens Dominus: *oues mea vocem meam audient, et ego cognosco eas, & sequuntur me: et ego vitam æternam dono eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Quibus verbis significat Dominus, se peculiarem curam habere de ouibus illis, quas per æternam electionem singulari modo suas effecit, & ideò ita illas custodit, vt perire non sinat, quas in finem vsque perseuerare facit. Vnde manifestè sequitur, hanc gratuitam electionem ad regnum non esse ex præscientia futuræ perseuerantiæ, sed esse causam perseuerantiæ, quæ non solùm à Deo est præscita, sed etiam decreto Omnipotentis voluntatis eius præordinata; vt Act. 13. illis verbis luculentissimè insinuatur: *Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.*

Deus eligẽdo facit dispares.

Ex quibus scripturis colligit Augustinus, Deum eligendo vel diligendo facere in hominibus disparitatem, nec inuenire eligendos, sed facere. Epist. 105. ad Sixtum, & 106. ad Paulinum, atque 107. ad Vitalem. Lib. de correpț. & grat. cap. 7. vbi insuper Electionem, quæ non ex operibus, sed ex vocante secundùm propositum est, & prædestinationem, quam vbique merè gratuitam prædicat, non solùm ad gratiam esse dicit, sed etiam ad vitam & regnum: *Electi sunt*, ait, *ad regnandum cum Christo.* Et cap. 13. *de his loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei.* lib. 22. de ciuit. cap. 24. *quid dabit eis, quos prædestinauit ad vitam?* De quibus ait Ioan. 13. Dominus: *Ego scio, quos elegerim.* Ioan. 15. *ego elegi vos.* & *: Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* id est (Chrysostomo interprete, ho. 71. in Ioan. & August.) *sicut ego, quatenus homo gratis dilectus et electus sum, vt essem per vnionem hypostaticam Filius Dei naturalis, ita ego vos gratis dilexi & elegi, vt cohæredes regni mei sitis.* Est enim Christus homo illustrissimum nostræ prædestinationis exemplar, ait B. Augustinus libr. de prædest. sanct. cap. 15.

Lib. 5. cont. Iulian. c. 3.

Prædestinatio non solùm ad gratiam est, sed etiã ad vitam æternam ad regnum, ad gloriam.

Christus nostræ prædestinationis exemplar.

CAP. CXXII.

Quòd electio æterna duobus modis considerari possit.

HIc obseruandum est, electionem æternam duobus modis considerari posse: *vno* modo, vt est electio gratiæ, seu intentio, dandi gloriam, ordine intentionis, dilectione efficaci, vitâ æternâ, tãquam primam gratia, ad quam ceteræ ordinantur, intenditur. *Alio* modo, vt est dispositio executionis in mẽte diuina, seu electio iustitiæ. PRIORE modo electio est omnino gratuita, nec aliquam operum præuisionem requirit, vt præcedenti capite ostensum est. POSTERIORE modo præexigit meritorum præuisionem. Non enim vitam æternam sub ratione præmij Deus dare disposuit, nisi ijs, quos bene operaturos esse præuidit. Vnde sequitur, gloriam in genere causæ finalis, priorem esse bonis operibus; ipsa enim

Electio gratiæ prima est ordine executionis.

Electio iustitiæ prior est ordine executionis.

enim finis est, illa verò media ad finem: in genere autem causæ efficientis priora esse bona opera, quã sit ipsa gloria, quoniam illa causæ sunt, ipsa verò effectus. Deus ergo priùs electis gloriam vult dare, quã bona opera, quoad intentionem: ideò enim vult dare illis bona merita, quia vult dare coronam gloriæ. Nam prior est finis in intentione, quàm media, cùm non intendantur media nisi propter finem: & hoc modo Deus non eligit ad gloriam ex præuisione meritorum: sed contrà, eligit ad merita ex præuisione gloriæ. At quoad voluntatem executionis, quæ respicit gloriam, vt effectum meritorũ, priùs vult Deus Electis dare bona merita, quã Gloriæ coronam: & hoc modo eligit Deus ad gloriam ex præuisione meritorum. Atque hac distinctione possunt cõciliari Patrum dicta, præsertim Græcorum in cap. 8. & 9. ad Rom. qui scribunt, Deum prædestinasse ad gloriam eos, quorum bonum propositum antè præuidit. Accipiũt enim prædestinationem pro dispositione executionis: quo modo etiam loqui reperiuntur aliquãdo Latini Scriptores, potissimùm illi, qui ante exortam Pelagij hæresim scripserunt, Hieronymus & Ambrosius. Imò & Augustinus subinde, vt Libr. 1. ad Simplicianum quæstio 2. vbi agnoscit electionem iustitiæ, quæ præscientiam meritorum præsupponit: alibi verò electionem gratiæ commendat, quę omnia hominis merita præuenit. (Lib. 1. de prædest. sanct. c. 19. ser. 7. de verb. Dom.) Prima enim gratia ordine intentionis est vita æterna, quæ homini per alias omnes gratias procuratur: vnde in ordine executionis est gratia pro gratia.

Finis est prior intentione: media verò in executione.

Græci dicentes Deũ prædestinasse propter merita præuisa, loquuntur de executionis dispositione.

Vita æterna est gratia pro gratia.

CAP. CXXIII.

Quòd prædestinatio fiat ad certum gradum Gloriæ et Gratiæ.

QVos Deus ab æterno dilexit, etiam ad certum & definitum gratiæ & gloriæ gradum elegit, ad eundémque finem per certa media in particulari cũ omnibus circumstantijs definita perducere infallibiliter disposuit. Nam qui efficaciter intendit finem, eligit & determinat omnia media, per quæ vult & statuit finem illum comparare, & ita quidem præfinit media, quæ à sua voluntate dependent, vt ex ipsius peculiari cura & prouidentia efficienda sint; & ex absoluta & efficaci intentione finis, etiam illa suam efficaciam & infallibilitatem habitura sint. Dei enim efficax intentio finis, tam est infallibilis, vt implicet contradictionem, non peruenire ad consecutionem finis. Itaquè supposita efficaci intentione Dei, dandi gloriam & coronam prędestinato, necesse est fateri, Deum præparasse certa in particulari media, per quæ infallibiliter sua intentio ad exitum perducatur, ac præordinasse illi sic electo vocationem determinatam, hîc & nũc dandam, quæ penetratura sit eius animam, effecturáque, vt liberè credat, pœniteat, reliquáque necessaria auxilia, vt in finem vsque perseueret, habeat. Cui autẽ talia auxilia Deus non prouidet, signum est, quòd illum ad gloriam non elegerit. Nam efficax vocatio ex proposito Dei efficaci profluit. SED meritò hîc inquiret aliquis, vtrùm actus supernaturales reproborum à Deo prædefiniti sint, non minùs quàm actus omnes supernaturales electorum?

Deus ad certum gloriæ & gratiæ gradum eligit.

Vtrũ actus supernaturales reproborũ à Deo prædestinati sint.

RESPONDENDVM, nullum posse credere, pœnitere, vel aliud quodcúmque pietatis opus exercere, absque efficaci Dei gratia, omnem autem vocationem & gratiam efficacem ex speciali proposito & beneuolentia Dei dari: sed intentionem seu propositum Dei, aliquando solùm extendi ad illud donum, vel illum actum, ad quem vocatio aut gratia efficax datur. Vnde sicut actus supernaturales ex speciali proposito & intẽtione hunc actum dandi dimanant; ita quoque ex speciali prædefinitione diuina. Nã discernitur fidelis præscitus ab infideli, ex vi præordinationis diuinæ voluntatis. Licet enim talis homo non sit prædestinatus ad gloriam, est tamen prædestinatus ad fidem, ad iustitiam temporalem: ergo etiam ad hæc eadem beneficia est prælectus, ac proinde illa ex speciali prædefinitione Dei prouenium. Ex qua etiã in reprobis varietas supernaturaliũ donorum profluit, maioráque vel minora gratiæ Dei beneficia: quæ licet ad finem gloriæ ipsorum efficaciter à Deo intentum non ordinentur; attamen ad finem aliquem diuinæ gloriæ efficaciter præfinitum referuntur, putà ad ostensionem gratiæ, & iustitiæ suæ.

Præscitis ex Dei prædestinatione dantur temporalia iustitiæ dona.

Sed iterum hic emergit quæstio: vtrùm sicut reprobo, ita & prædestinato sic detur primum auxilium efficax, vt nulla sit differentia ex parte voluntatis, seu dilectionis Dei, quantùm ad beneficium efficacis vocationis, seu tantùm ex cooperatione liberi arbitrij?

Vtrum primũ auxiliũ efficax pariformè sit in electo & reprobo?

Respondeo, iuxta B. Augustinum, electo dari auxilium efficax ex speciali dilectione Dei, efficaciter intendentis perseuerantem & finalem eius salutem æternam, ideoque tam esse gratuitam efficacis vocationis gratiam, vt non solùm non fundetur in merito, sed etiam anteuertat omnem rationem ex parte hominis. Præterea circa bonum actum, qui à Deo ex efficaci dilectione datur, concurrunt duo affectus ex parte Dei, qui ratione distinguuntur: VNVS pertinens ad ordinem intentionis, ita vt Deus vnum propter aliud det, sic vt priùs donum causa sit alterius, & Deus ipse posterioris actus, quem ex priore vult sequi, causa rectissimè dicatur; ALIVS verò affectus ex parte Dei, pertinet ad executionem, quo scilicet vult concurrere cum humano libero arbitrio ad actum, qui simplex affectus non sic est operatiuus & efficax, vt Deus causa sequentis actus liberi arbitrij dici possit. Nam hunc affectum concurrendi cum libero hominis arbitrio habet Deus non minùs, quando vult dare cogitationem ex qua vult sequi bonum, quàm quando præuidet, sequuturum opus malum, cuius tamen author dici nequit. Et cur hoc? nisi quia in vno casu antecedit secundùm rationem actus diuinę voluntatis, quo intendit tale opus bonum, quatenus futurum est causa alterius boni operis: in altero verò casu non antecedit talis intentio, sed solùm post volũtatem dandi talem cogitationem, sequitur in Deo voluntas concurrendi cum libero hominis arbitrio, & permittendi actum peccati, quæ est voluntas executiua, non efficax & operatiua.

Duo affectus in voluntate Dei considerantur intentionis, & executionis.

Electo Deus dat operari cũ intentione, quòd illud opus causa sit alterius.

Ex quibus facilè perspicitur, discretionem duorũ in gratiã paritum, quorum vnus peccat, alius stat, oriri non ex solo libero arbitrio, sed ex qualitate beneficij gratiæ, & liberi arbitrij cooperatione electum stare, præscitum verò sola liberi arbitrij voluntate labi & peccare: quoniam electo Deus gratiam dat per-

Voluntas Dei operatiua differt ab executiua.

tinentem ad ordinem intentionis finis, præscito autem dat parem quidem secundùm entitatem, sed pertinentem ad ordinem executionis, non autem efficacis & absolutæ intentionis finis, qui est æterna gloria, propter quam Deus reliqua omnia gratiarum beneficia electis donat, & quidem diuersa, secùndum gloriæ gradum, quem eis ab æterno dare constituit. Vult quidem Deus omnes homines saluos fieri: sed antecedente voluntate, quæ aliquando efficax est & absoluta, interdum verò solùm affectus simplex. Vult ergo Deus omnium hominum salutem antecedente voluntate, sed non omnes eâdem vel æquali, voluntate saluari vult: quia electos vult saluos esse voluntate beneplaciti: præscitos autem, quibus dat sufficientia solùm generalia auxilia, vult saluos esse solùm simplici affectu. Cor enim hominis in manu Dei est, & quocumque voluerit, efficaciter & infallibiliter saluo eius naturali agendi modo, dirigit. Ac proinde omnes omnino homines, quos absoluta voluntate saluari vult, etiam actu saluat: alioqui verum non erit, quòd *omnia quæcumque voluit fecit*: Psal. 113.

Præscito Deus dat gratiã pertinẽtem ad ordinem executionis, non intentionis.

Deus omnes saluos fieri vult antecedente, non efficaci voluntate.

CAP. CXXIV.

Vtrium, sicut prædestinationis nulla in homine causa reperitur, ita neque reprobationis?

QVemadmodum prædestinationem siue electionem omnino gratuitam contra Pelagianos tueri debemus, ita reprobationem iustissimam contra Caluinistas defendere cogimur. Qui cùm homines ante præuisionem peccati ad peccatum, & mortem æternam sola Dei voluntate prærordinatos contendunt, omnia hominum scelera in Deum authorem refundunt. Cõtra quos docent Scripturæ, Deum neminem damnationi addicere, nisi propter peccata, quæ Deus non facit, sed punit & odit. Reprobatio autem duos actus includit: *vnum positiuum*, scilicet voluntatẽ Dei, qua vult hunc damnare, cuius sanè causa est præuisio peccati originalis vel actualis, in quo vitam quis finiturus est, & *alterum negatiuum*, scilicet, quòd non habeat Deus volũtatem absolutam hunc saluãdi. Cuius negatiuæ reprobationis nulla ex parte hominis causa dari potest, cur scilicet Esaiũ potiùs quàm Iacob odio habuerit, cùm vterq; in massa damnata, odio dignus, & amore indignus fuerit? Similiter, cur vni iustificato velit donum perseuerantiæ dare, alteri verũ etiam sanctiori nolit donare? Huius discretionis sola Dei voluntas causa est, quæ vnum liberat, quoniam placet, alterum non liberat, quia non placet. In Iacob vult ostendere misericordiam, in Esaiũ non, quia sic placet. Quod Apostolus ad Rom. 9. apertè docet: *antequam aliquid boni vel mali egissent, non ex operibus sed ex vocãte dictum est ei, quia maior seruiet minori.* Et: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Illud verò: *Antequam aliquid boni vel mali egissent*, non solùm ad bona & mala coram hominibus gesta referendum est, verùm etiam ad bona & mala in Dei præscientiã. Nam alioqui causa ex parte hominum prædestinationis daretur, quod Apostolicæ doctrinæ aduersatur. Neque verò etiam dici potest, Deũ odisse Esaiũ præcisè propter originale peccatum; nam illud vtriq; (Esaiũ scilicet & Iacob) commune erat, & vterque ex sua parte æqualiter odio dignus erat. Cur ergo hũc po-

Electio gratuita.

Reprobatio iusta.

Reprobatio duos actus includit:

Vnum positiuum, cuius causa est peccatum.

Negatiuæ reprobationis nulla ex parte hominis præcisè causa reddi potest.

Aug. lib. de grat. & lib. arb. c. 22. & 23.

tius quàm illum amauerit, vel odio habuerit, ad solam Dei voluntatem referendum est: iuxta illud Apostoli: Ro. 9. *Miserebor cuius misereor*, &c. *An non habet potestatem figulus luti?* &c. Et: *cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Vbi obseruandum est, voces illas, *odio habere, indurare*, & similes, non aliquid positiui sonare, sed pro negatione accipiendas esse. Nam *odio habere*, hîc est, non velle diligere: & *indurare* est, non velle misereri, vt docet Augustin. epist. 105. & tract. 53. in Ioan: & li. 1. ad Simplic. q. 2. Nec hîc vlla est iniquitas, quia non tenetur Deus peccatorem liberare, conuertere, emollire, vel dare illi perseuerantiam. Cur tamen hunc potiùs liberet, quàm illum, ad inscrutabilia Dei iudicia pertinet, vt docet Augustinus epist. 105. & libro de correptione & gratia capite 8. & 13.

Indurare, odio habere, negationes includunt.

Non tenetur Deus hunc liberare.

Cur huic, præ illo detur perseuerãtia ad inscrutabilia Dei pertinet iudicia.

Obseruandum tamen hîc est, Indurationem seu Desertionem, qua Deus alicui negat auxilium & gratiam, duo in se continere, nimirùm, quòd sit pœna præcedentis peccati, ob quod tali desertione quis dignus sit: & simul effectus negatiuæ reprobationis. Quia enim Deus non vult eum saluare, punit tali desertione peccatum eius præcedens, quod non faceret, si eum saluare decerneret. Vnde Apostolus: *cuius vult miseretur, et quem vult indurat*, significans, quòd sicut prædestinatio ex parte hominum causam nõ habeat, similiter quoque negatiua reprobatio nullam ex parte hominis causam habeat, sed ad Dei voluntatem sit referenda.

Induratio duo in se includit: quòd sit pœna peccati prioris, & negatiuæ reprobationis effectus.

Cetera reprobationis positiuæ, hoc est, alterius actus, quo Deus vult reprobũ æternis supplicijs addicere, causa est peccatum, non sola Dei volũtas. Iusto enim Dei iudicio pœna æterna hominum peccatis redditur, iuxta illud Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum. Esurijt enim, et non dedistis manducare*, &c. ad Rom. 2. *Ira et indignatio in omnem animam operantis malum.*

Reprobationis positiuæ causa est peccatũ.

Sed obijciet quispiam: Etiam vita æterna iusto Dei iudicio bonis hominum meritis redditur, attamen potuit Deus prædestinare ad vitam æternam ante omnem præuisionem operum: cur similiter ante præuisionem operum malorum non potuit præordinare ad Gehennam?

Aug lib. de grat. & lib. arb. c. 7. & 8.

Respondeo, Deum posse authorem esse prædestinatis, vt bona opera faciant, sed non posse authorem esse reprobis, vt mala perpetrent.

Deus author est bonorum, non autem malorum.

Deindè potest Deus sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest autem sine malis meritis dãnare, quia iustus est. Augustinus li. 3. contra Iulia. cap. 18. & epist. 106. *Hac massa si ita esset media, vt quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustrà videretur iniquitas, vt ex ea fierent vasa in contumeliam: cũ verò per liberum arbitriũ primi hominis in condẽnationem vniuersa defluxerit, procul dubio quòd ex ea fiunt vasa in honorem non ipsius iustitiæ, quæ gratiã nullã præcessit, sed Dei misericordiæ: quòd verò in contumeliã, non iniquitati Dei, quæ absit vt sit apud Deum, sed iudicio deputandũ est.* Et Li. de grat. & li. arb. *Deus reddit mala pro malis, quia iustus est: bona pro malis, quia bonus est: bona pro bonis, quia bonus & iustus est: solum nõ reddit mala pro nobis, quia iniustus nõ est.* Quare nõ reprobat, nec decernit punire Deus, nisi ob præuisũ peccatum, in quo vitam aliquis finiturus est, siue illud sit Originale solùm, vt in paruulis non baptizatis, siue Actuale tantùm, vt in adultis infidelibus. Ideò autem sæpe Augustinus peccatum originis causam reproba-

Deus indemeritum non damnat.

Ex vitiata massa quidam misericorditer liberantur, alij non, vt iustitia ostendatur.

Aug lib. de grat. & lib. arb. cap. 23.

Aug. lib de corrept. & grat. c. 13.

Prosp. resp. ad 2. c. Gall.

Cur. Aug. ad peccatũ originis sæpe causam reprobationis referat.

tionis refert, quia inde omnium reproborum damnatio incipit, & qui massa perditionis semel per baptismum liberati, iterum per actuale peccatum ad massam eandem redeunt, hoc est, ad impiorum societatem, perindè à Deo habentur, ac si nunquam ab ea separati fuissent: quales ideò Augustinus dicit *non esse à massa damnationis præscientia Dei, et prædestinatione discretos.* lib. de corrept. & grat. c. 7.

CAP. CXXV.

Quid inter hominum & Angelorum electionem et reprobationem intersit?

Angelorum electio.

QVemadmodũ homines Deus ad gloriam ante omnem operum præuisionem prædestinauit: Ita quoque Angelos sanctos, quos Apostolus electos vocat. 1. Timoth. 5. & Augustinus Enchir. cap. 110. libr. 1. retract. cap. 13. Quibusdam enim Angelis talem gratiam dare voluit, per quam infallibiliter saluandos præuidit, aliis verò similem dare noluit: sed absolutè voluit permittere, vt exciderent à salute. Et quoniam peccatum eorum præuidit, ideò malos Angelos damnare constituit, vt etiam in Angelis appareret, quid posset gratiæ beneficiũ, iustitiæque iudicium. Maiores tamen diuitias cùm gratiæ, tum iustitiæ Deus ostendit in hominum electione atque reprobatione, quàm Angelorum: Nam homines ad gloriam prædestinauit, quia non solùm indigni, sed etiam pœna essent digniſſimi, vtpote *naturâ filij iræ*, sicut ceteri. Angeli verò antequam prædestinarentur, neque pœna digni, neque gloria indigni, sed solùm non digni erant. Deinde homines cùm

Aug. li. 22. de ciuit. ca. 2.

Aug. lib. de corrept. & grat. c. 10. Maior gratia elucet in hominum electione quàm Angelorum.

sint natura Angelis inferiores, ad æqualem tamen cum eis gloriam prædestinauit, Christo teste, Matth. 22. Imò ratione Incarnationis VERBI, humanam naturam in altius fastigium quàm Angelorũ euexit; nã caput omniũ Angelorum & hominum in cœlis, non aliquis Angelus est, sed HOMO CHRISTVS IESVS. Deniquè electis Angelis Deus tantùm habitualem gratiam dedit, quâ fieret, vt possent perseuerare si vellent, non autem illis dedit gratiam excitantem, quâ fieret vt vellent, sed vt vellent, in eorum reliquit arbitrio: hominibus autem electis nõ solùm gratiam habitualem Deus confert, quâ bene possint operari, & perseuerare si velint, sed etiam ita illos excitat, afficit, corroborat, succendit, eisque intùs efficaci vocatione persuadet, vt faciat illos velle; vt Augustinus docet libr. de correption. & grat. capite 11. & 12. Quoad iustitiam verò, lõgè maior in hominum reprobatione rigor apparet, quàm Angelorum; siquidem hominum maximã partẽ, Angelorũ verò minimã reprobauit. Deindè nullum Angelorũ pœnædãnationis addicit, nisi propter culpam voluntate propria commissam; hominum autem plurimos ob solum originale peccatum, aliena voluntate commissum. Quare homines præ Angelis misericordiam & iudicium cantare debent.

CAP. CXXVI.

Vtrùm gratuitæ prædestinationis prædicatio exhortationi, priorúmque hominum profectui aduersetur?

Gratiæ prædicationis exhortationibus non aduersatur.

QVia superbus hominis animus sibi dux esse quærit, nec alterius directione gubernari se patitur, ideò quotidiani diuini auxilij

sed hominē in Deo sperare docet.

necessitate audita facilè sibi persuadet, istam gratuitæ prædestinationis doctrinam suæ libertati aduersari, hominúmque studia & conatus retardare. Vndè Augustino viuenti hæc ipsa obiecho facta est, quòd scilicet prædicatio efficacis gratiæ Christi, gratuitæque prædestinationis, exhortationi, præceptis, correptionibúsque repugnaret. Quàm obiectionem sibi factam B. Augustinus operosè diluit, libro de bono perseu. capite 14. & sequentibus, ostendens, Christum, Apostolos, primósque Ecclesiæ doctores Christi gratiam assiduè prædicasse, simul autem exhortationes, præcepta, correptionésque adhibuisse, quoniam vtrúmque faciendum esse Scriptura sacra demonstret. Nam Ioan. 6. Dominus gratiam commendans ait: *nemo potest venire ad me*, (id est, in me credere,) *nisi Pater traxerit eum*: id est, alta secretáque vocatione intùs eum excitauerit, eíque credere persuaserit. Et Ioan 15. *Sine me nihil potestis facere*. Attamen Ioan. 14. *Credite*, ait, *in Deum*. & alibi. *venite ad me omnes qui laboratis*, &c. Similiter Apostolus ad Philip. postquam dixisset, Deum operari in nobis velle & perficere, vt & velimus quæ Deo placeant, & operemur, & hortari nō desitit. Vtrumque sancti fecerunt, vt scilicet hominem admonerēt ad benè volendum, credendum, operandum, & vsque ad finem perseuerandum, opus esse libero arbitrio & auxilio diuino. Propter excitationem liberi arbitrij, exhortatio adhibetur, propter necessitatem diuini auxilij oratio, vt docet Aug. lib. de bono perseu. c. 18. 19. 20. 21. 22. & 23. vbi orationē dominicā eudentem gratiæ prædicationem continere ostēdit. ac tādem lib. de bono perseu. c. 18. concludit, neminem contra istam de gratia Christi, & gratuita prædestinatione doctrinam, nisi errando, disputare posse. Et lib. de correptione & grat. cap. 1. hanc auxilij Christi fidem asserit sine dubio veram, & Propheticam, & Apostolicam esse. Cúmque hæc gratiæ Christi prædicatio hominī suam infirmitatem, quoad opera pietatis, assiduámque orandi necessitatem, in Deóque omnipotente, bonorum omnium authore, potiùs quàm in carne, spem collocandam esse demonstret, consequitur, illam non desperationem, sed fiduciam summam nobis adferre. Omnia enim per eum possumus, sine quo ad pietatis opera nihil valemus. Vnde Apostolus ad Philipp. 4. *Omnia possum in eo qui me confortat*. Et ad Ephes. 6. *Confortamini in Domino, et in potentia virtutis eius*: à quo scilicet, *omne donum perfectum descendit*, quique omnibus, sicut oportet petentibus, affluenter dat. Qui ergo sibi persuadent, gratiæ Christi prædicatione plus desperationis quàm exhortationis adferri, hoc imprudentes dicunt, hominem tunc de sua salute desperare, cùm spem suam non in seipso sed in optimo Patre Deo ponere didicerit: tunc verò in meliorem spem erigi, quando in seipso spem suam collocare iussus fuerit, cùm Spiritus sanctus dicat Hierem. 17. *Maledictus omnis, qui spem ponit in homine*, & Psalm. 17. *Bonum est confidere in Domino. Beati omnes qui confidunt in eum*, vt notat B. Augustinus de bono perseu. cap. 16. 17. & 22. vbi declarat, quomodo de sublimi hoc gratiæ argumento tractare expediat. Cauendúmque ait cap. 16. *ne dum timemus, ne tepescat hortatio, extinguatur oratio, accendatur elatio, et homines non solum veritate fraudentur, sed etiam falsitate capiantur, discantque non in Domino, sed in sei, sgloria-*

Ioan 15.

Iac. 1.

Exhortatio adhibetur propter liberū arbitrium.

Oratio propter Dei auxilium.

Gratiæ Christi prædicatio hominis superbiam donat.

Ignatii societatis Iesu authoris notanda sentẽtia de gratia & lib. arb.

ri. Quare vt ad mores doctrina gratiæ Christi & cooperationis liberi arbitrij vtiliter accommodetur, dictum B. Ignatij, ducis SOCIETATIS IESV obseruandum est, quod refert Antonius Possevinus de ratione Catechismi docendi, cap. vltimo: *Solebat dicere ille Pater, se in difficilibus quibuscunque negotiis starem totis viribus Deo commendare consueuisse, ac si nulla humana industria vel cooperatio ad ea conficienda prater Deum esset necessaria. Cùm verò id faceret tum ita se cooperari solitum ad eadem in exitum perducenda, ac si Deus nihil ad illa conferret, nempe cùm sciret, Deum imprimis authorem omnis boni, ac sine quo nihil effici boni posset, & simul intelligeret, quando Deus cooperationem suarum exigit creaturarum, istam cooperationem toto esse pectore ad rem adhibendam.* Sic quarumque rerum aiebat semper exitum felicem se consecutum.

CAP. CXXVII.

De Prouidentiâ Dei.

Prouidentia Dei.

QVemadmodum summa Creatoris potestate, sapientia & bonitate vniuersa ex nihilo creata sunt, ita eiusdem prouidentia conseruantur, & in fines suos dirigũtur, in nihilum alioqui reditura, si Omnipotens Dei manu ea non sustentaret. Quia enim creatura omnis limitatam bonitatem essentiámque habet à summo Bono participatione acceptam, necessarium est, vt ab eo, qui per se est, ceu omnis existentiæ fonte, suum esse continuò hauriat, non secus quàm aërem oportet assiduè illuminari, ne cõtenebrescat: iuxta illud Sapientiæ 11. *quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur?* & Sapientiæ cap. 8. & 14. *tua prouidentia cuncta gubernat.* Ecclesiastici 5. *ne dicas coram Angelo, non est prouidentia.* Est autem prouidentia ratiò diuina, qua cuncta gubernat. iuxta Boëtium lib. 4. de consolatio. prosa 6. Origen. hom. 3. in gen. Gregorium lib. de prouidentia, Damascen. lib. 2. de fide c. 29. Proindè actus hic diuini intellectus, quo res omnes ordinat ac dirigit in suos fines, adiunctum habet actum voluntatis finis. Et quidem ex decoro rerũ vniuersarum ordine facilè apparet, non casu vel fortuitò hunc ordinem tam variis rerum gradibus accidisse, sed Dei sapientia, quæ *attingit à fine vsq; ad finem fortiter, et disponit omnia suauiter*, Sapientiæ 8. & Rom. 13. *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt.* Ex quo rerum ordine totius vniuersitatis pulchritudo admirabilis consurgit. Augustin. Enchir. cap. 10. *Et singula necnon vniuersa singulari arte atque sapientia constant*, ait Clemens Alexandrinus lib. 5. Strom. & Lactant. lib. 1. capit. 2. Denique cùm omnia etiam quæ ratione atque cognitione carent, propter finem operentur, quem etiam vt plurimùm assequuntur, oportet ea ab aliquâ intelligente causa, quæ totius vniuersi curam habeat, & singulas res suis locis & temporibus disponat, ad certum finem dirigi, vt ex omnibus vna quædam dulcissima harmonia resultet. Quare Scripturæ sacræ illa, quæ nobis fortuita videntur, prouidentiæ ascribunt, Psal. 148. *Ignis, grando, nix, spiritus procellarum faciunt verbum eius.* Psal. 146. *dat iumentis escam ipsorum, et pullis coruorum inuocantibus eum.* Matth. 6. Deus asserit pascere volatilia cæli, vestire lilia agri. 1. Corinth. 15. *Deus vestit vnumquodque seminum.*

Creatura omnis limitatam essentiam, bonitatémque habet.

Quid sit prouidentia.

Prouidẽtia includit actum intellectus ordinantis, & simul actum voluntatis in finem res dirigentis.

CAP. CXXVIII.

Errores de prouidentia Dei?

De prouidentia Dei errores.

QVamuis omnium creaturarum sapientissima dispositio diuinam prouidentiam ob oculos ponat, & Clemens Alexandrinus inter quæstiones notas hanc de prouidentia Dei recenseat, attamen non pauci hac de re grauissimi errores exstitere.

Democritus & Epicurei prouidentiam Dei negarunt.

Primùm enim Democritus, eúmque sequuti Epicurei, omnia fortuitò atomorum concursu fieri putarunt, Cicerone teste li. de nat. Deorum. Lactan. lib. 3. c. 17. Nysseno, & aliis. Aristoteles verò Dei prouidentiam ad res cælestes & incorruptibiles tantùm extendit, Nysseno teste, libro de prouidentia capite 4.

Aristot. ad incorruptibilia prouidentiam arctauit.

Plato autem triplicem prouidentiam statuit.

Plato triplicem prouidentiam ponebat.

Vnam summi Dei, cui rerum incorruptibilium curam attribuit.

Secundam rerum corruptibilium, quam Diis ascribebat.

Tertiam circa humanas actiones versari tradebat, quam dæmonibus tribuebat, Nysseno teste, libro 8. Philosophiæ cap. 3.

Alij Deum solius hominis ex rebus inferioribus curam habere dixerunt, vt apud Hieronymum in ca. 32. Ierem. legimus: nonnulli speciem tantùm, non etiam individuorum corruptibilium prouidentiam esse crediderunt; vt refert Iustinus in dialogo cum Tryphone.

Postremò quidam Deum res maximas tantùm curare, minimas autem naturæ, causarúmque secundarum cursui relinquere opinati sunt: vt Lucanus versibus expressit.

Non vacat exiguis rebus adesse Ioui;

Vt latiùs videre licet apud Ludouicum Viues lib. 1. de veritat. fidei cap. 9. & in lib. 10. Augustini de ciuitate Dei cap. 14. Cyrillus lib. 5. thesauri cap. 3. refert, Arianos sensisse, Patrem omnia per Christum fecisse, quia summa maiestate indignum esset, ad minima se demittere. Quo argumento vsus est quoque Arist. lib. de mundo cap. vltimo: eodémq; pertinere arbitrantur nonnulli illud Apostoli 1. Cor. 9. *Nunquid de bobus cura est Deo?*

Prouidentia Dei se ad omnia extendit.

Cæterùm Scriptura sacra constanter docet, prouidentiam diuinam à summo Cœlorum vsque ad Infernum, à summo Angelorum vsque ad vilissimum vermiculum extendi, necnon ad cursum temporum, ad fertilitatem & sterilitatem terrarum, ad siccitates, pluuias, tonitrua, fulgura, bella, famem, pestem, ad tempestates, ad tempus vitæ, atque mortis, ad regna & imperia, ad paupertatem & diuitias, ad honores, potestates, dignitates, ad status & conditiones hominum, ad coniugia, ad euentus rerum, contractuum, negotiationum, ad mortis & vitæ genus, ad bona & mala, ad præmia & supplicia, denique in vniuersum ad omnia, quæ in mundo fiunt, se porrigit diuina prouidentia, cùm nihil sit, neque fiat, nisi Deo volente, suóque loco illud ordinante, iuxta illud Iob. 5. *Nihil in terra sine causa fit.* Iob. 12. *Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit?* Sapientiæ. 5. *æqualiter est illi cura de omnibus.* Sapient. 8. *attingit à fine vsque ad finem fortiter, et disponit omnia suauiter.* & cap. 14. eiusdem libri: *tua prouidentia Pater omnia gubernat.* Psalm. 118. *Ordinatione tua perseverat dies.* Psalm. 146. *dat iumentis escam.* Iob. 36. *pullis corvorum.* Psalm. 148. *Ignis grando, nix, glacies, spiritus procellarum faciunt verbum*

verbum eius. Matth. 6. & 10. *Deus pascit volatilia, vestit lilia.* Luc. 12. 1. Cor. 3. *incrementum dat Deus.* 1. Cor. 15. *Deus vestit vnumquodque seminũ.* Matth. 11. *vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt.* Et: *In manu illius nos & sermones nostri.* Et: *In ipso viuimus, mouemur & sumus.* Actor. 17. *& pater meus vsque modò operatur & ego operor.* Ex quibus liquet, diuinam prouidentiam sese vsque ad minima extendere, nec hoc Deo indignum esse, sed diuinam potentiam, sapientiam, & bonitatem maximè illustrare, quòd nihil eam subterfugiat, quódque nihil sit à summa creatura vsque ad infimam, ad quod vis diuinæ prouidentiæ sese non extendat; non solùm conseruãdo vt sit; sed ad finem quoq; suum per actiones congruas dirigendo. *In ipso enim viuimus, mouemur & sumus.* &, *Deus est*, ait Apostolus, *qui operatur omnia in omnibus.* Ac proindè quisquis rẽ minimam, eiusque quamlibet operationẽ (peccato semper excepto, quod non operatio, sed operationis defectio est) diuinæ prouidentiæ omnia gubernanti, omnia conseruanti, denique omnia operãti in omnibus subducit, scripturæ contradicit, atque diuinæ Majestati cælum & terram adimplenti non modicam iniuriam facit; siquidem sapiens victor, etiam rei minimæ curam habet, ex qua potissimum eius ars commendatur.

Prouidentia Dei se vsq; ad minima extendit.

Peccatum causam nõ efficiẽtem, sed deficiẽtem habet.

Rerum minimarum curaDei sapientiam & potentiam cõmendat.

Porrò si minima quæque atque horum motus seu operationes diuinæ prouidentiæ subiiciuntur, nemo inficiari potest, ipsos quoque liberi arbitrij motus atque operationes eadem Dei prouidentia regi, tantóque perfectiùs quanto rebus omnibus homo præstantior est, atque ad finem nobilissimum, scilicet ipsum Deum, ordinatur. *Omnia*, inquit Ioannes, *per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* ac proinde inter illa omnia censeri debẽt ipsius quoque liberi arbitrij actiones, non hæ, aut illæ, sed omninò omnes. Nam quidquid est, à Deo est. Ens autem & bonum conuertuntur. solum ergo peccatum (quod vt tale, nihil est) à summo bono Deo non est, quia causam efficientem non habet, sed deficientem. Quamuis ergo Deus mala sicuti bona non efficiat, attamen eius prouidentiæ subiiciuntur, quatenus ab eo fieri ad bonum aliquem finem permittuntur. Malum enim suo loco positum eminentiùs commendat bona: nec Deus malum esse sineret, nisi bene facere de malis etiam posset, vt Augustin. Enchir. cap. 10. & 11. tradit. Sunt ergo peccata non propriè, neque per se, sed tantum permissiue, à Deo. Et licet nonnunquam posterius peccatum prioris pœna sit, non tamen ibi Deus causa est peccati, sed tantùm iusti supplicij, quod iudicio æquissimo infert: vt docet August. li. de prædest. Sanct. c. 10. Prosper ad obiect. Vincent. c. 10, 11. & 12. & lib. de grat. & lib. arbitr. c. 20. vbi docet, Deum in scripturis dici voluntatem inducere intentationem cor suo vitio malum permittit exequi conceptum malum.

Mala Deus non facit, sed prouidentia sua recte ordinat ad bonum finem.

Cõc. trid. sess. 6. can. 6.

Deus non est causa peccati, sed tantùm supplicij.

2. Reg. 16. 17. Deus peccatum non efficit, sed permittit.

CAP. CXXIX.

Vtrùm Deus particularem & immediatam rerum prouidentiam habeat.

QVemadmodum omnibus in vniuersum rebus immediatè ac intimè Deus per suam essentiam & potentiam inest, ita in omnibus illis immediatè atque intimè operatur, non solùm vt sint, ac in esse conseruentur, verùmetiam vt operentur, operandóque suum finem cõsequantur. Facit enim rem vnam-

Deus immediatam rerum prouidentiam habet.

quamque operari suo modo; necessariam scilicet necessario; contingentem, contingenter; denique liberam liberè. Nequè enim naturam regendo destruit, sed perficit. Vndè magis admiranda Dei prouidentia est, quòd cùm infallibiliter in omnibus rebus operetur, nullā tamen illis necessitatem adferat, quam ex causis secundis non habeant. Hanc igitur prouidentiam omnipotentem *attingentem à fine vsque ad finem fortiter, ac disponentem omnia suauiter*, sacra Scriptura commendat, quando disertis verbis asserit, Deum operari omnia in omnibus, 1. Cor. 12. partem vsque modò operari vnà cum Christo. Ioan. 5. *omnia denique opera nostra in nobis operari.* Isaiæ 28. *vt in quo simus & viuimus, ac etiam moueamur.* Act. 17. Quemadmodum igitur, *cor regis est in manu Dei*, ita & res quælibet, & quocúque voluerit, inclinabit eam. Quæcumque enim voluit fecit in cælo & in terra, & in omnibus abyssis. Psalm 113. *Et non est qui resistat voluntati eius.* Gen. 50. Hester. 13. Hanc prouidentiam S. Aug. agnouit, docuit & defendit li. 5. de Gen. ad lit. cap. 20. & 21. lib. 1. & 2. de ordine, li. 5. de ciuit. cap. 8. & sequent. lib. 10. de ciuit. cap. 14. Et quod non solum magna & præcipua, sed etiam ista terrena & extrema Deus operetur dilucidè Apostolus tradit. 1. Corinth. 15. *Stulte*, inquit, *tu quod seminas non vinificatur, nisi prius moriatur*, &c. Deus autem dat illi corpus quomodo voluerit, & vnicuique seminum proprium corpus. Sic ergo credamus, vsque nunc operari Deū, vt, si conditis ab eo rebus operatio eius subtrahatur, intereant. Mouet itaque occulta potentia suæ Deus vniuersam creaturam, cóque motu illa versata Domini iussa explicat & perficit. Et quamuis à nouis rerum speciebus condendis Deus abstineat, nihilominus omnia quæ fecit, administratorio actu gubernans & mouens, sine cessatione operatur. Quem prouidentiæ motum si rebus subtraheret, nulla res quidquam operari posset. Huius subductione factum est, quòd ignis ardens non combusserit, Danielis 3. quòd ferrum aquæ supernatauerit, 4. Regum cap. 6. quòd ficus repētè exaruerit, Matth. 21. vt D. Thomas post Augustinum & alios Veteres obseruauit in commentario ad 12. cap. 1. ad Corinth. Vbi docet, primam causam in omnibus secundariis causis operari, ac ordine naturæ priùs in effectum influere, quàm causam secundam; quia natura prius sit, ac independenter agat, iuxta illud Isaiæ 28. *Omnia opera nostra operatus es in nobis.* Ac ibidem confutat D. Thomas errorem illorum, qui Deo solùm vniuersalem prouidentiam rerum tribuebant, ponentes, quód particularium distinctiones tantùm per causas secundas fierent. Cui sententiæ repugnare notat illud Apostoli: *diuidens singulis, prout vult*: & Ioannis 3. *spiritus vbi vult spirat.*

Ex quibus clarum est, iuxta Beatum Augustinum & S. Thomam errorem esse vniuersalem duntaxat, & mediatam prouidentiam statuere, & distinctiones rerum particularium, earúmque operationes solis causis secundis, non etiam speciali Dei prouidentiæ attribuere; necnon donorum Dei diuersitatem humano merito, non diuinæ voluntati ascribere. Quare S. Thomas in Summa de Prouidentia Dei ex professo tractans, non aliam agnoscit prouidentiam, quàm hanc specialem, immediatam, certam, atque infallibilem, vnicuique rei in particulari cooperantem, causasque se-

Deus naturam regendo non destruit, sed perficit.

Prouidentia nullam rebus adfert necessitatem.

Brou. 21.

Aug. lib. 5. de Gen. ad lit.

Deus occulta sua potentia vniuersam creaturam mouet.

Actu Dei subducto ignis non vrit.

S. Tho. lib. 3. cont. gēt. cap. 90. Item in 12. c. 1. ad Cor.

Prima causa in omnibus secundariis operatur.

Dionys. Areopag. lib. de diui. no.

mia. c. 4. Prouidet omnibus & sing vt omnium & singul. nat. ca. & c. 5. diuinam volũt. omnium quæ sunt definitricẽ effectricémque dicit.

cundas non solùm conseruantem, sed ad suas quoque operationes applicantem, atque in ipsis operationibus dirigentem, iuxta causæ cuiusque modum & naturam; vt per hanc habeant causæ necessarie, non solum quòd tales sint & permaneant; sed etiam quòd necessariò operentur: similiter contingentes & liberæ per illam sunt, & permanent, necnon contingenter & liberè operantur, adeò vt sine illa, nulla causa secunda esse, neque operari possit.

Vndè patet, Deum suâ prouidentiâ perfectiùs atque immediatius cuncta gubernare, quàm ipsas causas secundas: tum quia nunquam deficiat, nec suo fine frustretur; cùm quòd ipsos quoque causas secundas propriùs operationibus, effectibúsque applicet. Ideóque scriptura huiùsmodi naturales rerum operationes in Deum quoque vt proximum authorem refert. Iob. 10. *carne & pellibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me.* & 1. Corint. 15. *Deus dat illi corpus, quemodo voluerit.* Et *fœnum agri vestit*, Matth. 6. *In ipso viuimus, mouemur & sumus*, Actor. 17. Quas quidem rerum naturalium operationes per secundas quoque causas fieri, dubium nulli esse potest: cúmque naturalem earum agendi modum hæc prouidentia non tollat, sed esse faciat manifestum est, nihil liberis actionibus officere, imò eas statuere atque efficere.

Deus causas secundas ad operationem suam applicat.

Naturalem agendi modum prouidentia non tollit sed statuit.

CAP. CXXX.

De gubernatione Dei, vtrùm immediata sit?

Gubernatio Dei immediata.

SIcuti Deus omnes res naturales per se immediatè producit, ita & per ipsum immediatè ad præordinatos fines dirigit: cúmque nihil aliud sit gubernatio rerum, quàm diuinæ prouidentiæ executio, qua Deus res omnes creatas per certa media in suum finem tendere, infallibilitérque assequi facit, consequitur, Deum immediatè vniuersa moderari & regere. Nihil enim in rerum natura existit, quod non accipiat ordinem ac motum ad finem suum, per intellectum & voluntatem Dei, sine cuius nutu nec vnus passer de tecto, nec folium arboris in terram decidit. *Nihil enim* Augustino teste (libro tertio de Trinitate, capite quarto, *fit sensibiliter, quod non de interiori inuisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris aut iubeatur, aut permittatur.* Vndè & illa, quæ casu vel fortuitò spectata particularis agentis intentione accidere videntur, ad Deum relata causas latentes habent, nec nisi eo volente aut permittente fiunt, qui ad totius vniuersi decorem illa ipsa pertinere nouit; vt docet Dionysius Areopagit. libro de Diuin. nomin. capite quinto. Augustinus libro de Ciuitat. capite primo, & nono: & libro primo Retractation. capite primo, vbi seipsum reprehendit, quòd *Fortunæ* vocabulo sæpius esset vsus libro octuagesimo tertio, quæstio. vinginti quatuor: nihil casu fieri mouet. *Attingit enim à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*, Sapientiæ octauo, & capite decimo quarto, *Tua prouidentia pater cuncta gubernat.* Vndè Hester decimo quinto capite *omnium Rectorem Deum* inuocauit. Boëtius libro tertio de Consolat. Metro nono.

Gubernatio est diuinæ prouidentiæ executio.

Omnia à Deo sortiuntur ordinem ac motum ad suum finẽ.

Math. 10.

Nihil fit nisi Deo volente, aut permittente.

Fortunæ vocabulo parcè vtendum.

O qui perpetua mundum ratione gubernas

Terrarum Cœlique sator! qui tempus ab æuo.
Ire iubes, stabilisque manens, das cuncta moueri.

CAP. CXXXI.

Vtrùm gubernatio creaturæ communicetur?

QVemadmodũ acceptâ à Deo virtute, causæ secundæ verè agunt, effectúsque multos producunt; ita communicato sibi lumine Sapiẽtiæ, vna creatura potest aliam in suum finem dirigere ac mouere, Deóque in executione suæ prouidentiæ cooperari gubernãdo: quod dum fit, Deus immediatè per Angelum vel hominem quidẽ gubernat, sic tamen, vt etiam tunc ipse, tanquam vnicus generalis mundi Monarcha immediatè operationem quamcumq; naturalem rei attingat; cùm ratione suppositi, quod est vbique, tum ratione virtutis, sapientiæ, atque potentiæ, quæ infinita est, ac proinde omnia intimè proximéque attingens. Nam nihil in suum finem tendere, nisi Deo per intellectum & volũtatem dirigente ac mouente, potest. *Si* enim *actum* (vt Aug. loquitur) *administratorium subtrahat, res moueri & agere nequit.* Quare gubernatores à Deo constituti, ministri Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. Rom. 13. Et quia Deo in executione suæ prouidentiæ cooperari debent, res ad finem à Deo præstitutum dirigendo; media ad finem conducentia eligere, aduersantia fini repudiare tenentur.

Deus per creaturas gubernat, sic tamen etiam immediatè gubernet.

Lib. 5. de gen. ad lit. cap. 21. Gubernatores Dei ministri per media cõmoda ad finem dirigere tenentur.

CAP. CXXXII.

De effectibus diuinæ gubernationis.

QVidquid rei creatæ obuenit, per quod ad finem suum assequendum promouetur, ad effectum diuinę gubernationis pertinet. Priùs enim res intelligi debet esse, quàm gubernari, seu in finem dirigi. Vndè in Deo varios actus quodam rationis ordine distinguere possumus. Primus est scientia omnium, quæ Deus potest. II. Est dispositio siue cognitio rerum, vt in suo collocandæ sunt ordine: vt, quod cælum sursum, terra deorsum, &c. III. Actus est rerum suo loco positarum creatio, quæ velut dispositionis executio est, actúque diuinæ voluntatis perficitur. Quidquid enim Deus operatur, volens operatur, & *secundùm consilium voluntatis suæ*, id est, intellectu dirigente. IV. Actus est prouidentia, quâ Deus intellectu res certo quodam ordine in suos fines dirigit, & simul ita fines assequi vult. V. Actus est rerum gubernatio, quæ prouidentiæ diuinæ executio est; putà directio rei per certa media ad suum finem.

Actus ratione distincti in Deo poni possunt.
I. Scientia omnium possibiliũ.
II. Dispositio rerum.
III. Creatio rerum.

Aug. Enchir. cap. 102. & 103. lib. 26. cõt. Faust. c. 4.
IV. Prouidentia rerum.
V. Gubernatio rerũ.

Duo autem generatim necessaria sunt, vt vna quæque res ad suum finem tendat, & perueniat: Vnum est, vt res conseruetur; alterum est, vt immutetur. Quod secundùm formam substantialem, aut accidentalem fieri potest: quo fit, vt omnes diuinæ gubernationis effectus in duo genera distribui possint: videlicet in conseruationem, vel immutationem rei. Est autem conseruatio rerum, si passiuè consideretur, res ipsæ permanentes, prout à Deo dependent: conseruatio autem rerum actiuè considerata, est ipsemet Deus, sua efficaci voluntate operãs, vt res in suo esse persistãt, vt rerum conseruatio earumdem sit quædam continua productio, ab illa ratione sola distincta. Per productionem n. res quælibet vt sit, absolutè accipit: per conuersationem verò fit, vt res in eo esse perseueret, quod creatio-

Conseruatio.
Immutatio.

Conseruatio rerum passiuè sumpta.

Conseruatio actiuè sumpta.

tæ accepit, quæ alioqui per seipsam in nihilum diffluerent, nisi impotentis Dei virtute continerentur; juxta illud Iob 6. *soluat manum suam & succidat me.* Sap. 1. *hoc quod continet omnia.* Act. 17. *In ipso viuimus, mouemur & sumus.* ad Rom. 11. *Ex ipso, per ipsũ, & in ipso sunt omnia.* ad Coloss. 1. *In ipso omnia constant.* Hebræor. 1. *portans omnia verbo virtutis suæ.* Ioan. 5. *Pater vsque modò operatur, & ego operor.* In quem locum Augustinus continuationem quandam operis eius, quâ vniuersam creaturam continet & administrat, ostendit. Neque enim Deus, sicut structuram ædium cum fabricauerit quis, abscedit, atque illo abscedente & cessante stat opus eius: ita mundus ne vel vno ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen substraxerit. vt Augustinus notauit lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 12. & Gregorius lib. 16. mor. cap. 18. *cuncta*, inquit, *in illo subsistunt, à quo creata sunt, eorúmque essentia rursum in nihilum tenderet, nisi eam author omnium regiminis manu retineret.* Differenter tamen res incorruptibiles & corruptibiles conseruat Deus: illas enim (cum à nullo contrario, à quo corrumpi possint, oppugnentur) directè tantùm conseruat, impertiendo eisdem iugiter esse: has verò cùm directè, tum indirectè, amouendo scilicet noxia, per quæ corrumpi possent. Vnde sequitur, non esse opus actione aliqua, vt res in nihilum redigatur, sed tantùm non actione, seu desertione. Nam quo iuuante stamus, eodem deserente deficimus. Ex quibus insuper consequitur, quòd nulla res naturalis ab alia creatura secundum totum suum esse conseruari possit, quia conseruatio totius esse rei continua productio est, quæ non nisi ab eo fieri potest, qui totum esse potest de nihilo creare. Vnde Medici naturam corroborando adiuuare possunt, vel noxia remouendo: sed conseruare vitam producendo, solius Dei est. Vnde quoque infertur, quòd sicut nulla creatura suæ productionis causa esse potest; ita neque à seipsa directè cõseruari queat: sed res corruptibiles vti Deus immediatè tanquam causa prima producit, simul etiam per causas vniuersales, quibus cooperandi virtutem indidit, ita quoque illarum esse specificum, in eóque permanentiam cum per seipsum, tum per causas vniuersales conseruat.

Deus conseruat directè impertiendo esse. Indirectè verò amouendo impedimenta.

Secundùm totum esse à quo res conseruetur.

Medici aliter quam Deus vitam producunt.

Quoad verò causas particulares vniuocas, cum earum effectus illis corruptis perderent, nec ab eis in esse, sed tantum in fieri dependeãt, manifestum est, illarum effectus ab eis non conseruari, vt sint.

Causæ particulares effectũ suum non conseruant.

Quoad alterum diuinæ gubernationis effectum, qui in immutatione rei consistit, sciendum est, Deum infinita sua virtute quaslibet creaturas, omni quo mutabiles sunt modo, posse immutare; vt corpus localiter mouendo, animam amore, timore, aliisque affectionibus imbuendo; intellectum verò forma intelligibili, per quam intelligat illuminando; voluntatem quoque immissis affectionibus, in hanc vel illam partem inclinando. Non enim Deus solùm operatur in nobis velle & perficere; dando facultatem qua volumus, illámque conseruando, neque propterea solum, quia obiecto proposito commoueat: sed etiã, quia sua inspiratione præueniẽdo interiùs afficiat, efficaciter dirigat, excitet, illuminet, suadeat, ac denique persuadeat, vt consentiat, velit, obediat, idque constanter ac permanẽter. Quibus modis Deum operari nostras cogitationes & voluntates tradit Augustinus lib. de præd.

Deus res immutare quomodo possit.

Animam quibus modis immutet Deus.

Philipp. 2.

Sanct. cap.20. & sparsim toto lib.

Voluntatē, obedientiam, perseuerantiam, quomodo Deus operetur.

Ac lib.de bono perseu. cap.8. possibile Deo est, ait, auersas & aduersas in fidem suam hominum conuertere voluntates, & in eorum cordibus operari, vt nullis aduersitatibus cedant. cap.17. docet, omnem obedientiam, qua Deo obedimus, à Deo dari; vtque fidem & perseuerantiam habeamus & retineamus, Deum operari qualia, repetit cap. 21.& de grat. & libro cap. 20.21.

Dei potentia omnem operandi modum in se continet.

Porrò Deus sua gubernatione causarum secūdarum viu nō euertit, quia infinita eius potentia omnem in se operandi modum continet: proindè vnamquamque causarum secundarum ad operandum dirigit iuxta cuiusque conditionem, saluóque naturali eius operādi modo; ad actiones quidem naturales per auxilium Dei generale, ad actiones verò pietatis & salutiferas per auxiliū gratiæ Dei, quod per Christum datur. De quo Ioan.15. *Sine me nihil potestis facere.*

CAP. CXXXIII.

De miraculis à creaturarum immutatione.

De miraculis.

CVm Deus infinitæ sit virtutis, potest creaturam immutare non solùm conuenienter naturæ, atque secundùm consuetum naturalium causarum cursum, vtendo scilicet causis seminalibus, seu applicando principia actiua passiuis, (quæ per analogiam ad principium animalis, quod est semen, vocantur semina, vel seminales rerum causæ:) sed etiam supra & præter naturam particularem rerum, & ordinem solitum causarum seminalium. Idque tripliciter.

Triplicia miracula.

1. Ex parte facti.

Primò, secundùm facti alicuius substantiam: vt quòd duo corpora sint in vno similiter loco, vel vnum idémque corpus in diuersis locis: quòd Sol retrocedat: femina virgo permanens concipiat & pariat: quòd corpus mortuum idem resuscitetur, fiatque immortale: quòd substantia rationalis in aliena subsistentia existat, putà humana Christi natura in Verbi personæ.

1. Ex parte subiecti.

Secundò, Ex parte subjecti, in quo aliquid fit: vt quando cæcus illuminatur; sterilis parit.

3. Ex parte modi.

Tertiò, Ex parte modi, vt dum aqua repentè in vinum commutatur, cùm infirmus confestim sanatur.

Quæ talibus modis à Deo fiunt, miracula vocantur, quia superando naturalem efficiendi cognoscendíque facultatem, hominibus admirationem generant; vt docet Augustinus lib. de vtil. credendi cap.16. lib.26. contra Faust. cap.3.

Vnde intelligimus, miracula non semper consuetis Dei operibus esse præstantiora, quæ assiduitate videndi nobis siluerunt. Nam gubernatio mundi longè maius opus est, quàm saturare quinque millia hominum & tamen hoc, non illud admirantur homines, non quia maius, sed quia rarum. vt habet Augustinus tractat.24. in Ioan. lib.18. de ciuit. cap. 12.

Aug. epist. 3.

Vnde miraculi præstantia æstimanda sit.

Præterea sciendum est, quædam miracula posse aliis præstantiora esse, sicut Dominus Ioan.14. indicat dicens: *Opera quæ ego facio, faciet, & maiora horum.* Quanquam enim Deo cuncta sint æquè facilia, cùm in rebus mirabilibus tota ratio facti sit potentia facientis attamen potiora censentur miracula; quæ quoad facti substantiam, præter solitum naturæ cursum eueniunt: deindè quæ ratione subjecti, in quo fiunt; ac postremo loco habentur, quæ ratione modi quo fiunt, legem con-

fuetam naturæ superant ; vt dum anus, vel sterilis femina concipit.

Ex quibus discitur, quòd licet miracula particularem naturam rerum superent, non tamen absolutè rerum naturæ repugnent, cùm omnis creatura naturalem habeat potentiam, obediendi omnipotentiæ creatoris, vt notat August. lib. 26. cont. Faustum, cap. 3. dicens, humano more contra naturam vocari, quod est contra naturæ vsum mortalibus notum, quamquam Deus naturarum conditor nihil contra naturam faciat, cùm ab eo fit omnis modus, numerus, & ordo naturæ. Augustinus lib. de Gen. ad lit. 9. cap. 17.

Potentia obedientialis.

Iustificatio impij miraculosa.

Vndè insuper sequitur, impij iustificationem ratione subiecti esse miraculum, sicut & illuminatio cæci, & viuificatio occisi, aut repentina sanatio læsi. Quamuis enim homini integro iustitiæ, gratiæque donatio non fuerit miraculosa (quia licet ei non esset naturalis, nequè debita, attamen naturæ non esset aduersa;) nihilominùs nunc postquam homo seipsum in mortem animæ & corporis præcipitauit, iræque Dei atque Gehennæ obnoxium fecit; contra naturam iuxta Apostolum debet reparari, bonæque oliuæ inseri: quod à Deo fit per Iesum Christum, Mediatorem Dei & hominum. De quo in sequenti articulo prohtemur.

Rom. 11.

CAP. CXXXIV.

Secundus Articulus.

Et in Iesum Christum Filium eius vnicum, Dominum nostrum.

POst confessionem Dei Patris, qui nos creauit, recta methodo subiungitur professio Dei Filij, qui nos redemit; ac posteà Dei Spiritus sancti, qui nos sanctificauit, vt intelligamus, nos ab vno Deo creatos, redemptos, & sanctitate donatos. Sensus articuli huius est: *Sicut in primam trinitatis personam, Deum scilicet Patrem omnipotentem credo; ita, & in secundam trinitatis personam, in Deum scilicet Filium, vnius eiusdémque cum Patre naturæ; qui homo factus, humanum genus, primorum parentum inobedientiâ damnationi obnoxium, saluauit, mediatórque Dei & hominum factus, Deo reconciliauit; vt non solùm iure creationis, sed etiam gratuitæ redemptionis merito Dominus noster sit, cui ex toto corde seruire debeamus.* Cuius Mediatoris fides à lapsu primi hominis tam fuit necessaria, vt sine illa nemo vnquam ad salutem, seu beatam & immortalem vitam pertingere potuerit. *Iustus* enim *ex fide viuit*; non solùm vnius Dei, sed etiam ex fide vnius mediatoris Iesu Christi, *quem Deus posuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Vnde Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* & Apostolus 1. Timoth. secundo *vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Quia enim vtriusque fides vnius scilicet Dei, vniúsque mediatoris Iesu Christi sic necessaria est, vt horum vnum sine altero ad salutem non prosit, ideò Scriptura sacra post descriptionem creationis hominis ab vno Deo factam, statim lapsum eiusdem liberatorisque promissionem subiungit. Gen. 3.

Ab vno Deo creari, redempti, & sanctificati sumus.

Sine Christi fide nulla salus.

Gen 2 & 3.

CAP. CXXXV.

De lapsu Hominis.

QVomodo primi parentes à iustitia & sanctitate, in qua con-

Lapsus primi hominis.

nis quanti stituti à Deo fuerant, exciderint, scriptura Geneſ. 3. enarrat, commemorans, primùm Euam ſerpentis aſtutia fuiſſe perſuaſam de fructu vetito commedere; Adamum deindè vxoris lenociniis ad eundem fructum degustandum pertractum quoque fuiſſe; idque contra Dei mandatum vicum & leuiſſimum in paradiſo eis datum. Per quam mandati Dei transgreſſionem confeſtim ſanctitatem & iuſtitiam, quam conditoris munere acceperant, vterque perdidit, iramque Dei & indignationem, atque mortem, & ſub diaboli poteſtate captiuitatē incurrit, totúſq; mundū ſecundū corpus & animam in deterius commutatus fuit; nec ſibi ſoli vir præuaricatione nocuit, ſed vniuerſis, qui ex illo atque damnata coniuge, per carnalem concupiſcentiam generantur, ſanctitatem & iuſtitiam amiſit, eóſque in ſe tanquam in radice vitiauit, necnon cōinquinauit, ſic vt non ſolum mortem & pœnas corporis in omne genus humanum transfuderit, ſed etiam peccatum, quod mors eſt animæ: ita vt quotquot ex virtute ſeminis Adæ propagati naſcuntur, dum per ipſum concipiuntur, propriam iniuſtitiam contrahant, à qua non niſi paſſionis Chriſti merito liberari queant.

mali attulerit. Augu. Enchir. 26. vſque ad 34.

Ordo lapſus primorum parentum.

Rom. 5. Epheſ. 2. Hebr. 2.

CAP. CXXXVI.

De neceſſitate Aduentus Chriſti.

Enchir. ca. 33. 34. 35. 36. & 108.

CVm omnes homines per Adæ prævaricationem innocentia perdita immundi facti eſſent, ęque Dei obnoxij, & vſque adeò ſerui peccati, diaboli & mortis, vt nec gentes per vim naturæ, neque Iudæi per ipſam legis Moyſi litteram adiuti, inde liberari, aut ſurgere poſſent; opus fuit liberatore ac medico, qui pro hominibus Deo ſatisfacere, iratum placare, illis gratiam, qua iuſti fierent, tribuere, adoptionémque filiorum reſtituere, ſimúlque à peccati ſeruitute, diaboli ac mortis poteſtate liberare poſſet. Nam quia ſecundùm ordinem à Deo conſtitutum (cuius eum nunquam pœnitet) dedecus culpæ ſini, non debebat abſque decore condignæ vindictæ, neceſſarium erat, aut vniuerſum genus humanum impiæ deſertionis in æternum dignißimas pœnas luere, aut hominem ab aliquo liberari à fato exitio. Non autē conueniebat, humanam naturam, quæ tota perierat, omnino deſerere, ne diabolus contra Deum prævaluiſſe videretur, ſi totum genus humanum à ſe deiectum poſſideret; neque verò genus humanum ex altißimo illo dignitatis gradu collapſum, in priſtinū locum, angelorum vel hominum viribus reſtitui poterat: neceſſarium ergo erat, vt illius miſericordia homo reparationis beneficium acciperet, à quo ſumpſiſſet creationis initium; vt idem ſuæ creaturæ ſaluator eſſet, qui Conditor fuerat. Ad curandum enim tantum humani generis vulnus, opus fuit aliquo, cuius tanta virtus eſſet, vt naturaliter deprauari non poſſet; qui iuſtificare impium, ignarum inſtruere, inualidum, ægrúmque confirmare, captiuúmque redimere valeret. Quæ omnia ſolus Deus immutabilis, & omnipotens homo factus præſtare potuit; ideo VERBVM CARO FACTVM EST, ſibi vniendo humanam naturam in eadē perſona, vt ex duabus naturis diuina & humana vnitis & inconfuſis verus Deus & homo in vna perſona ſubſiſteret; vnúſque Dominus noſter IESVS CHRISTVS heret; *idem Deus & homo, faciens in hominibus*

Aduentus Chriſti neceſſitas.

Augu. Enchir. 29.

Idem Deus reparator, quoniam creator fuerat.

Opus fuit mediatore, qui naturaliter depraui non poſſet.

Ioan. 1.

Chriſtus verus Deus & verus homo.

hominibus virtutes, et sustinens pro hominibus passiones; vt prosequitur Fulgen. libro de Incarnat. capite 10. & 11. Augustinus libro 13. de trinit. capite 10. Leo sermon. 1. de natiuitat. Domini: *Nisi esset verus Deus, non adferret remedium, nisi esset verus homo, non praberet exemplum. Deus nisi homo esset, satisfacere patiendo non poterat, nec debebat: homo autem nisi Deus esset, pro toto humano genere adaequatam satisfactionem dare non valeret.*

CAP. CXXXVII.

Quòd DEVM *Hominem fieri congruebat.*

Ostenditur cōuenientissimum fuisse, vt Deus homo fieret.

QVia infidelibus Deo indignum apparet intrare femnea viscera, hominemque fieri, demonstrabimus, conuenientissimum fuisse, vt DEVS Homo fieret.

Deus se tribus modis cōmunicat, videlicet secundùm esse naturale, esse gratiæ, ac esse personale.

Primò, quia summum bonum decuit, se perfectissimo summóque modo creaturæ communicare: at tribus modis Deus se communicat, videlicet secundùm esse naturale, & secundùm esse gratiæ, necnon secundùm esse suum personale, quæ tertij modi communicatio summa est, atque perfectissima; nam per illam creaturæ attribuitur, non finitum & participatione acceptum bonum, at summum donum & infinitum, puta ipsum esse atque subsistere personæ diuinæ, per quod subleuatur natura humana supra omnem creaturam, ita vt homo verè Deus super omnia benedictus sit & dicatur.

Aug. Enchir. 108.

Secundò, Conuenientissimè Deus opere incarnationis suam ostendit bonitatem, potentiam, sapientiam, & iustitiam, coniungendo perfectam iustitiam cum perfecta misericordia. Non enim potuit euidentiùs Dei gratia commendari, quàm si Deus homo fieret, & illam humanam singulariter assumptam naturam sic exaltaret, vt vna cum Deo persona esset, fieréque ex diuina humanáque natura vnus Christus, verus Deus & Homo.

Incarnatio verbi, bonitatem sapientiam, atq; potentiam Dei commendat

Tertiò, Conueniebat, vt idem qui hominem creauerat, eundem vitiatum repararet, ne alius foret Creator, aliúsque Redemptor.

Quartò, congruebat, vt sicut homo per superbiam ceciderat, ita per summam humilitatem erigeretur, qua maior esse non potuit illâ, quâ Deus factus homo *humiliauit semetipsum, factus obediens usque ad mortem crucis.* Philipp. 2.

Quintò, conuenientissimum fuit, vt Deus hominem non solùm præcepto, sed etiam exemplo erudiret; minùs enim homini idonea fuisset eius doctrina, qui iussa fieri posse suo non comprobasset exemplo. ad Titum 2. *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos,* &c.

Sextò, conuenientissimum erat, vt Diabolus non potentia sola, sed iustitia vinceretur, idque per eandem naturam, quam vicerat: quòd fieri non poterat, nisi Deus homo factus cum humani generis hoste confligeret, in eáque carne ipsum vinceret, quam se priùs decepisse lætabatur.

Septimò, conuenientissimum erat, vt qui peccauerat in Deum, ei satisfaceret, videlicet in carne, quæ de ipsius stirpe assumeretur: quòd fieri non poterat, nisi Deus carni ex posteritate Adæ sumptæ vniretur.

Octauò, aptissimum erat, vt sicut

caro hominem perdiderat; ita caro hominem sanaret; vt sicut per hominem mors, ita & per hominem vita esset: at hoc fieri nequibat, nisi Deus homo factus carnem viuificam redderet.

Fulgen. lib. 2. ad Trasimundum c. 2.

Non ò, inter Deum & hominem mediatore opus erat, qui maiestate diuinitatis ad Deũ penetrare, & hominis imbecillitate satisfactionis prætium iusto Dei iudicio sistere posset. Non mortem solus Deus nec sentire, nec solus homo superare potuisset: oportuit itaque humanam naturam cum diuina sociari, vt ea coniunctione Deus & homo inter se coalescerent, fierétque nobis Dei filius Emanuel, qui condignum vice Adæ satisfactionis prætium Deo persolueret, expiatisque peccatis eidem humanum genus reconciliaret.

Aug. Enchir. c. 108.

CAP. CXXXVIII.

Quantum nobis vtilitas Dei Incarnatis contulerit.

LIcet Deus sola misericordia sine cuiusquam iniuria peccatum homini remittere potuisset, aliósque infinitos humanæ liberationis, iustificationisque modos ad manum habuerit; eum tamen elegit, quem nostræ infirmitati & saluti maximè congruere nouerat, qui per Incarnationem Verbi, Passionémque Christi in susceptâ carne perficeretur. Is enim modus vberrimos nobis fructus attulit. Nam hominis ostendit, in quantam suo peccato miseriam incidert, vt cœlestis medici aduentu opus fuerit humanæ quoque naturæ dignitatem, pro qua liberandâ Deus ipse venit. Prætereà fidem nostram róborauit, quoniam non puro homini, sed Deo credit: spem insuper erexit, quia si pro inimicis Deus è cœlo venit, quid filijs denegabit? Denique hominis in Deum amorem validissimè hoc incarnationis mysterium excitat. Si enim Deus prior tantopere nos dilexit, æquissimum sanè fuerit, vt ipsum ex toto corde redamemus. Humanam insuper domat superbiam, dum homo summi Dei tantam humilitatem conspicit: perfectissimæque obedientiæ homini exemplum proponitur, quando Dei Filius de cœlo descendit, non vt faciat voluntatem suam, sed vt obedientiâ suâ nostram inobedientiam sanet. Ac postremò idoneus iustitiæ doctor affectus est Christus, incipiens facere, suóque exemplo præire, ac postea docere.

Aug. epist. 105.

Aug. lib. 13. de trin. c. 10.

Modus liberationis per Christi incarnationem fuit cõuenientissimus nostræ infirmitati.

Ioan. 6. Philip. 2.

Act. 1.

CAP. CXXXIX.

Quæ Incarnationis causa? quis finis?

INcarnationis Verbi Dei primaria causa est, Dei gloria, hominúmque salus. Nam Deo per inobedientiam Adæ honor subtractus fuerat, & genus humanum in corporis & animæ mortem inciderat: vtrúmq; Christus restaurare venit. Deo enim humili obedientiâ gloriam restituit, & hominem à seruitute diaboli, peccati, & mortis in libertatem asserit, acquirendo ei primùm gratiam, deindè immortalitatis gloriam. Prior finis indicatur Psal. 78. *Propter gloriam nominis tui libera nos.* Isaiæ 43. *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Ioan. 17. *Ego te clarificaui super terram.* Ephes. 1. *Elegit nos in laudẽ gloriæ gratiæ suæ.* Posterior autem Ioan. 3. *misit Deus filium suum, vt saluetur mundus per ipsum.* Ioan. *Ecce agnus Dei, ecce qui*

Incarnationis finis duplex, gloria scilicet Dei, & salus hominum.

tollit peccata mundi. Ioan.10. *veni in hunc mundum vt vitam habeant.* Lucæ 19. *venit filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat.* 1. Timoth. 1. *venit peccatores saluos facere,* Matth.1. *vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Isaiæ 53. *Deus posuit in eo iniquitates omnium.* Vtrúmque finem commendat Apostolus ad Ephesios 1.c. dicens *in Christo instaurari omnia, quæ in cœlis et in terra sunt*: quoniam & Dei honor, & damna ruinæ Angelicæ reparantur in cœlis, & adoptionem filiorum Dei homines in terris recuperant.

Pelagius docuit Christũ dedisse exempla, non dona virtutũ.

Pelagiani scopum Incarnationis Christi fuisse docebant, vt peccata mortum tolleret, non seminum: & vt exempla, non dona virtutum conferret. Per Christum enim præterita peccata solùm remitti, non etiam auxilium ad futura vitanda præstari arbitrabantur: venisse Christum enim putabant, solummodo vt doctorem, qui nos fortis erudiret, verbo & exemplo, miraculis externísque auxiliis ad virtutem incitaret, non autem vt interiùs homines renouaret, nec vt ad piè viuendum, tentationésque superandum, interiùs vires subministrando adiuuaret. Quam hæresem postea Petrus Abaillardus, quem Bernardus, confutauit, resuscitare conatus est.

Bedalib. in cantica c. 3.

Pelagiani Christũ venisse tãtùm vt doceret senserunt.

Aug. lib. de grat. Christi c. 2.

Bernar. epi. 90.

Errant quoque hîc Iudæi, credentes, promissum sibi Messiam fore non animarum, sed corporum redemptorem, neque spiritualium, sed temporalium bonorum authorem. quos Daniel capite 9. apertè redarguit, dicens Messiam venturum, *vt finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna.*

CAP. CXL.

Vtrùm Christi Incarnatio etiam Angelis profuerit?

QVamquam malignorum spirituum voluntas non minùs Deo reparabilis fuerit, quàm lapsorum hominum, non tamen eis saluandis Christus venit, nec Angelos, sed Abrahæ semen apprehendit, *Propter nos homines, nostramque salutem descendit de cœlis.* Neque verò damnatus conqueri potest, non esse sibi impensam gratiam, quia indebita est: nec personarum acceptio in gratuitis locum habet. Pro sanctis autem Angelis licet Christus non sit mortuus, attamen quodammodo etiam ad illos pertinet, quicquid hominum per eius mortem redimitur, & liberatur à malo, quoniam cum humana natura redit in gratiam angelica, post inimicitias quas inter homines & sanctos Angelos peccata fecerant, & ex ipsa hominum redemptione ruinæ illius Angelicæ determinata reparantur. propter quod ait Apostolus, *instaurari omnia in Christo quæ in cœlis sunt, et quæ in terris,* quia quod inde in Angelis lapsum est, ex hominibus per Christum liberatis redditur. Similiter per Christum ideò reconciliari ait omnia, siue quæ in cœlis sunt, siue quæ in terris, quia placato Deo remissionéque peccatorum nobis obtentâ, Christus inter nos & Deum atque Angelos sanctos pacem, concordiam, amicitiámque reparauit, quæ peccato turbata fuerat. *Pacificantur ergo cœlestia in nobis concordando nobiscum.* Augustinus Enchirid. cap. 63.

An pro Angelis Christus incarnatus sit.

Aug. Enchir. ca. 61. 62.

Ephes. 1.

Quomodo per Christũ instaurentur omnia.

Coloss. 1.

CAP. CXLI.

Vtrùm si homo non peccâsset, Deus incarnatus fuisset?

Aug. Enchir. c. 108.

TOta scriptura sancta clamat, Deum carne vestitum esse, vt fieret redemptor, vt humanum genus collapsum erigeret, vt hominibus ægris medicus, vt perditis salus, vt cæcis lux, vt aberrantibus via, vt denique mortuis vita fieret. Hinc ab initio mundi Christus promissus est, futurus Dei & hominum mediator; cuius proposita est imago in sacrificiis, vt sperarent fideles, Deum sibi propitium fore, postquam expiatis Christi morte peccatis reconciliatus esset: nec vllis seculis absque sanguine promissus est mediator, vt intelligeremus, finem assumptæ carnis esse, vt piaculum & victima fieret abolendis peccatis, quia piaculi signum est, sanguinem fundi. Hinc Prophetæ Christum sacerdotem, & Dei atque hominum reconciliatorem fore promittunt; nec Christus ipse vel Apostoli alium Incarnationis finem assignarunt, quàm istum, quem in fidei symbolo Ecclesia declarat: *qui propter nos homines, nostramque salutem descēdit de cœlis.* Nam quoniam factus est homo rectus, mediatore non egebat, nec sanis medico, teste veritate, opus est. Vnde colligimus, æterno Dei decreto purgandis hominum sordibus Christum fuisse destinatum; nec Filium Dei fuisse in carne apparituru, si Adam non cecidisset. Inde *Adam secundus* ab Apostolo vocatur, quia factus est homo, vt ex ruina posteros Adæ primi sublevaret. Nam si creationem ordine Incarnatio præcessisset, Christus dicendus esset primus Adam; Apostolus verò *secundum Adam* nominans, inter primam hominis originem & eius per Christum restitutionem, mediam statuit defectionem: ex qua naturæ reformandæ necessitas consequuta, filióque Dei, vt homo fieret, causa data fuit. Poterat alioqui constare Dei regnum, etiamsi æternus Dei filius humanam carnem non assumpsisset. Nam Angelis & hominibus in societatem gloriæ cœlestis vitæque perpetuæ collectis, ipse primatū tenuisset: ac quemadmodum eo capite, antequam appareret in carne, fruebantur Angeli beati, ita etiam diuina sua virtute præesse hominibus potuit, & arcana spiritus sui virtute ipsos vegetare & fouere, donec in cœlum collecti eadem cum Angelis vita fruerentur. Quare cum Apostolo, teneamus: *Quum venit plenitudo temporis, misssum fuisse Dei filium, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret.* Et cum veteribus dicamus: *Quod si homo in naturæ sua honore mansisset, creator creatura non fieret.*

An verbi incarnatio futisset si homo non peccasset.

Matth. 9.

1 Cor 15.

Galat. 4.

Leo serm. 3 de Pentecos.

CAP. CXLII.

De ingenti desiderio Aduentus Christi.

QVanto desiderio Prophetæ, sanctiq; Veteres Patres Christi ad ventum ex optauerint, scriptura vtriusque Testamenti declarat. Exod. 4. Moyses exclamat: *mitte quē missurus es.* Dauid Ps. 143. *Domine inclina cœlos, et descende.* Isa. 16. cap. *Emitte agnū dominatorem terræ.* & c. 45. *Rorate cœli desuper, et nubes pluāt iustum: aperiatur terra, et germinet Saluatorē.* Et Dominus Matth. 13. & Lucæ 10. suspiria veterum describit: *Amen dico vobis,* ait, *quia multi Pro-*

phetæ, et iusti cupierũt videre quæ videtis, & non viderũt. Et Petrus ep. 1. c. 1. *De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophetæ.*

CAP. CXLIII.

Quòd filius Dei conuenienter sit homo factus, non Pater aut Spiritus sanctus.

Cur Verbũ, non Pater, aut Spiritus sanctus incarnatus sit.

QVamuis quælibet Trinitatis persona incarnari potuerit, conuenientissimè tamen sola filij persona carnem induit, vt singulæ personæ sua retinerent nomina, nec alius in Trinitate filius diceretur secundùm temporalem, alius verò secundùm æternam generationem: sed vnus & idem Dei & hominis esset filius, habens secundùm diuinitatem sine matre patrẽ, & secundum humanitatem sine patre matrem Virginem. Ac insuper decebat eum propter quem omnia, & per quem omnia, quique Dei naturalis est filius, multos adoptionis filios efficere, vt sit primogenitus in multis fratribus, vtpotè naturâ, non gratiâ filius. Congruit enim, vt posterius in eodem genere ad perfectionem reducatur per id, quod prius est. Cùm autem tota Trinitas incarnationem sit operata, cuius indiuisibilia sunt opera, sola tamen filij persona carnem induit, quia vnio humanæ naturæ facta est ad personam verbi, non autem ad naturam: quia in vnitatem personæ accessit verbo anima rationalis & caro, vt quemadmodum est vna persona quilibet homo, anima scilicet rationalis & caro, ita sit Christus vna persona, verbum & homo: vt sit vnus, idemque Hominis Deique filius: non duo filij Dei, Deus & homo, sed vnus Dei filius, Deus

Heb. 2.

Vnio facta est ad personam, non ad naturã.

Aug. Enchir. 35. 36.

sine initio, homo à certo initio, Dominus noster Iesus Christus, qui vna est Trinitatis persona. Nõ enim homine assumpto per verbum facta est quaternitas, sed Trinitas mansit, assumptione illa ineffabiliter faciente personæ vnius in Deo & homine veritatem.

CAP. CXLIV.

De nomine IESV.

Iesu nomen.

COnuenientissimè nomen Iesus impositũ est personæ, quæ simul est Deus & homo, quod Saluatorem significat: nec fortuitò, sed Dei iussu secundùm humanitatem tributum est, iuxta illud Angeli: *vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*, insinuans hoc nomen Christi officiò congruere, cùm is vnus non alicui tantùm populo, sed vniuersis omnium ætatum hominibus, non à fame, vel Ægyptiaco aut Babylonico dominatu oppressis, sed mortis, peccati atque diaboli seruitute obstrictis, lucem, libertatem & salutem attulerit. Cum enim vniuersi homines per peccatum venundati essent, hoc est, à Deo alienati, Christus oblato sui sanguinis pretio, iram Dei placauit, eosque à pœna, cui obnoxij erant, liberos reddidit: impetratoque illis Spiritu Sancto, ex inimicis filios Dei, cohæredes regni cælestis constituit. Quia ergo nos sibi acquisiuit, & ab æterna morte liberauit, redemptor dicitur atque saluator: sed aliter cum patre, quàm cum diabolo ad nos saluandum egit. cum illo tãquam mediator, pacificator, Sacerdos, supplex, offerens pretium: cum isto autem tanquam bellator fortis, qui aduersarium aggressus, captiuos spoliauit,

Matth. 1. Lucæ 1.

Christus quare dicatur hominũ redemptor.

Act. 20.

victóque insultat, cum triumpho traducens; vt apud Lucam & Apostolum extat. Denique à peccati miseriis nos saluat vt medicus viuificans, sanans, expurgans, adiuuans, conseruans, dirigens, protegēs. Suo enim merito hominibus impetrauit gratiam & virtutes, quibus viuificentur, paulatímque sanentur, donec absorpta mortalitate per resurrectionis gloriam plenissimè renouentur. Iure igitur Dei filius homo factus, Iesus, id est, saluator nominari volunt, quia veram sempiternamque salutem attulit. In veteri quidem lege nonnulli typum Christi gerentes hoc nomine appellati sunt, vt Ioseph linguâ Ægyptica Saluator mundi dictus est, quia sua prouidentia famem depulit, atque Christum famem verbi Dei sublaturum è mundo præfigurauit. Similiter Ozeb, qui pro Israëlitico populo dimicauit & in promissionis terram induxit, à Moyse in typum Christi ducis, regis & redemptoris, Iesus dictus est. Denique Iosedech Sacerdos, qui populum de Babylone reduxit, Iesus vocatus est, ac postremò Iesus filius Sirach doctor eminentissimus hoc nomen obtinuit, in typum quòd Christus propheta, rex, sacerdos, & populorum magister futurus esset. iuxta illud Matth. 23. *magister vester vnus est Christus.*

Tanta verò nominis Iesu excellentia est, vt amplitudine sua complectatur quicquid à prophetis Christo tributum legitur. Cùm enim cetera Messiæ nomina salutē, quam daturus erat Christus, attingant, sequitur, eo nomine includi, quod vniuersæ nostræ salutis vim continet. In veteri quidem testamēto diuersa Messiæ attributa fuisse nomina, quibus diuina ipsius maiestas significaretur, reperimus: at in noua lege nomen Iesu sibi voluit imponi, quo immensa eius misericordia, humanæq; liberationis mysterium commendaretur. de quo sub inuolucris nonnumquam scriptura loquens ait: Psal. 8. *quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.* Cantic. 1. *Oleum effusum nomen tuum:* Hoc enim nomen illuminat, vngit gratia; pascit, quia caro eius cibus est, animarum vulneribus medetur, corda succendit, dolores lenit, superbiæ fastum reprimit, superna petere facit, docet esse humiles. de quo Malachiæ 1. *Magnum est nomen meum in gentibus.* Habacuc 3. *gaudebo in Iesu meo.* Apostolus Philip. 2. *In nomine Iesu omne genu flectatur.* Extat insuper Sibyllæ Erythreæ carmen, cuius litteræ capitales hanc reddunt sententiam: *Jesus Christus Dei filius, Saluator.*

Quanta nominis Iesu energia sit, dæmones sentiunt, qui per hoc nomen ejiciuntur. Marci 16. Lucæ 10. Act. 19. Refert Athanasius in vita B. Antonij, dæmonum cohortem, ipso inclamante, Iesus, disparuisse. Etiam nunc quotidiana experientia comprobat, per nomen Iesu malignos spiritus fugari; infirmos sanari. Act. 3. *In nomine Iesu surge & ambula.* Act. 4. *non est aliud nomen datum hominibus quo saluemur.* Per nomen Iesu impij signa faciunt. Mat. 7. *nonne in nomine tuo signa multa fecimus?* Act. 19. *adiuro vos per Iesum.* Nomen Iesu esse inexpugnabile, confiteri Iulianus Apostata coactus fuit. Tripart. histo. lib. 6. cap. 6. Nicephorus lib. 17. cap. 3. refert, excitato terræ motu, Antiochiæ illas domos constitisse, in quarum ianuis scriptum esset nomen Iesu. Augustinus de seipso testatur, nullius authoris scripta sibi grata fuisse, *in quibus Iesu nomen non legeretur.* lib. 3. confess. cap. 4. Bernardus ser. 15. in

Luc. 17. Coloss. 2.

Saluator erat Iesus nominari voluerit.

Gen. 41.

Num. 13.

2. Esdræ. 5. Aggæi cap. 2. & 2. Zachar 3. Eccles. 49. & 50.

Excellentia nominis Iesu.

Isaiæ 7. Hiere. 17.

Bern. ser. 15. in cantica.

Sibyllæ testimonium de nomine Iesu.

Efficacia nominis Iesu per quod dæmones fugātur, infirmi sanantur.

Nomē Iesu præseruauit domos ab incendio, & terræ motu.

Nomē Iesu amabile Augustino.

Apostolus Paulus 210. nomen Iesu repetit in Epistolis.

cantica. Apostolus Paulus nomine Iesu tantopere delectatus est, vt in Epistolis suis *ducentiesvicies illud repetierit*, & capite iam abscisso nomen Iesu ter pronunciasse, ac ad triplicem capitis saltum, tres fontes obortos fuisse, commemorat Baronius tomo 1. Annalium. Ioannes quoque in suo Euangelio nomen Iesu frequentissimè ingerit. Cuius discipulus Ignatius nomen Iesu ita dilexit, vt in eius morientis corde scriptum aut insculptum repertum sit.

Pauli caput abscissum ter nomen Iesu inclamauit.

Inuocatio Iesu.

Hinc exortum, vt ab vniuersis fidelibus quocúmque oborto periculorum reuerentiâ inuocetur nomen Iesu. Cauendum tamen est, ne sacro isto nomine pro signo admirationis abutamur: neue illud profanemus, aut in vanum assumamus. Siquidem *nomen Iesu super omne nomen venerandum, vt in nomine Iesu flecti debeat omne genu, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Vnde fideles audito nomine Iesu, pia consuetudine assurgunt, caput aperiũt, aut genu flectunt. In hoc enim nomine supremum nostræ liberationis beneficium recolunt, recolendo amant, amando venerantur.

Nomen Iesu non profanandum.

Philip. 2. Isa. 46.

Nõ sonum vocis, sed signum & rem significatam, honoramus.

Non enim sonum nominis Iesu, aut syllabas per se veneratione dignas arbitrantur: sed pariter cum signo rem significatam grata quadam animi memoria honorant. Dum enim, Iesus, audiunt, in eius cogitationem, qui humano generi æternam salutem contulit, assurgunt. Quare meritò festum nominis Iesu a fidelibus rara deuotione celebratur. cuius nominis tantam esse dignitatem significat Apostolus, *vt nemo dicere possit Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto*. id est, ea qua par est reuerentia, & amore debito efferre, nisi ex speciali gratia Spiritus sancti, qua destituti animales hæretici, nulla cum reuerentia nomen Iesu audiunt, vel proferunt. Quoties igitur fideles audito nomine Iesu genua flectunt, caput aperiunt, vel assurgunt, toties Christo debitum, ingentique labore promeritum honorem, iustè persoluunt, Deique Patris voluntati ac præcepto parent, qui hoc nomen ideò dedit Filio, vt in hoc nomine omne genu flectatur. Quoties autem hæretici eodem nomine audito nullam reuerentiam exhibent, toties Dei Filio iniuriam inferunt, debitum ei honorem negant, Dei Patris voluntatem violant, necnon Apostolo contradicunt. Sed cur hoc nomen, Iesus, veneramur potiùs, quàm nomen, Christus? Respondendum est, hoc nomen, *Christus non esse proprium, sed potestatis.* Vngi enim solent Sacerdotes, Reges, & Prophetæ, ac vocari Christi, iuxta illud: *nolite tangere Christos meos.* Sed nomen *Iesus, est proprium* „ magno labore ac prætio comparatum. *Humiliauit semetipsũ, Patri obediens factus vsq; ad mortem* vilissimam *crucis: propter quod*, ait Apostolus, *Deus exaltauit illum, et dedit illi nomen supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur.*

Festum nominis Iesu.

1. Cor. 12.

Christus est nomen officij & potestatis.

Psal. 104.

Iesus est nomẽ proprium.

Philip. 2.

CAP. CXLV.

De nomine CHRISTI.

Christus nomen officij.

CHristus nomen, est honoris, officij & potestatis, idem significans, quod *Vnctus*, à *Chrisma* deductum. Nec est nomen vnius alicuius naturæ, sed vnius certæ personæ, duas naturas in vnitate hypostasis vnitas habentis. *Verbum* enim *caro factum est Christus.* Priusquam enim caro fieret, *Verbum* non erat Christus, sed erat tantum-

Aug. Ench. cap. 35. Fulgen. lib. de Incarn. cap. 11. Damas. li. 3. de fide c. 3.

Christus significat vnam personam, quæ Deus & Homo est.

modo Deus : sed postquam *Verbum* serui formam accepit, Deus factus est Christus, vt Christus esset Deus & Homo perfectus. In quo vtriúsque naturæ perfecta vnio sic facta est, vt siue humanitatem, siue diuinitatem ei adimas, Christum dissoluas. 1. Ioan. 4. *Omnis qui soluit Iesum, ex Deo non est, et hic Antichristus.* quoniam caro sine Verbo non fuit, nec extra Verbum personale habet esse, sed in Verbo personale initium sumpsit, quoniam à Verbo in vnitatem personæ assumpta fuit. In nomine igitur Christi diuinitas vngens cum humanitate iuncta intelligitur.

Oleum est signum clementiæ.

Oleum clementiæ atque misericordiæ signum est. Olim eo inungebantur Sacerdotes, Reges atque Prophetæ, qui propterea *Christi*, id est, *uncti* dicebantur, vt intelligerent, se in terris eius maiestatem referre, cuius proprie sit peccata purgare, regere, populumque fidelem docere.

Inungi solent reges, Sacerdotes & Prophetæ.

De *Sacerdotum unctione* legimus Exodi 29. Leuit. 48. & 45. Ecclesiastici : qua significabatur, quòd gratiâ Spiritus sancti efficerentur idonei ad intercedendum pro populo, sacrificia, dona, preces, tanquam Iesu Christi ministri, offerendum.

Cur Sacerdotes inungantur?

Regum vnctio quid significet?

De *unctione Regum*, lib. 1. Regum cap. 10. 16. 24. 26. 3. Reg. 19. Quorum vnctio significabat, Christi gratiâ & spiritu eos ad populum sibi commissum gubernandum, ritè leges ferendum, ad innocentium vitam tuendam, improborúmque audaciam coërcendum, indigere. Chrysost. hom. 4. ad Philip.

Oleum cur in cornu seruatur?

Cur autem Oleum in cornu reseruari soleat, exponit Augustinus in Psalm. 104. & libr. 17. de ciuit. cap. 10.

Vnctio Prophetarum commemoratur 3. Reg. 19. qui sunt Dei interpretes, internuncij, cælestia nobis arcana referantes, ad emendationem morum salutaribus præceptis, futurorúmque prædictione hortantes.

Quarum *trium personarum functiones* Dominus in mundum veniēs suscepit, ad eásque exequendas vnctus est, non oleo visibili, sed plenitudine Spiritus sancti, cuius sacramentum est in vnctione visibili. Et quoniam *de ipsius plenitudine omnes accepimus*, oleóque inuisibili, hoc est gratia Spiritus sancti vncti sumus, *Christiani* dicimur, Actor. 11. *Reges & Sacerdotes*, Apoc. 5. Vnctionis Christi typum gessit, quòd Iacob Gen. 28. lapidem inunxit, super quem obtulit. August. lib. 2. Trinit. cap. 6. & lib. 15. c. 26.

Psal. 44. Isaiæ 61. Ioan. 1. Aug. lib. 15. de Trin. c. 26. Aug. in canonem Ioannis tract. 2. & 3. lib. 20. de ciuit. c. 2. Bern. serm. 15. cãtica & ser. 4. super missus est.

Dignitas nominis Christiani.

Nomen *Christiani* vnumquemque admonet suæ professionis, vt memor sit eius, cuius est discipulus. hinc ab initio Christiani dicti sunt *Discipuli*, Matth. 5. *fratres* 1. Cor. 6. & 7. *fideles* Ephes. 1. *Sancti* Ephes. 1. Tandem vero *Christiani* Act. 11. De quo nomine Petrus 1. Epist. c. 4. *Si patitur quis vt Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.* Quare Apostoli cũ gaudio pro hoc nomine contumeliam passi leguntur. Tunc autem Christus vnctus est, quando in vtero B. Virginis humánam naturam Verbum in vnitatem suppositi assumpsit. Ibi namque sponsi thalamus, in quo sponsus & sponsa, Verbum & caro, Deus & Ecclesia (cuius primitiæ caro Christi est) coniuncti sunt. Aliquando tamen Christus vnctus dicitur, quoniam in eum visibiliter Spiritus sanctus descendit, & ipsum esse Dei Filium innotuit. PORRO hic sciendum est, Christum secundum humanam naturam vnctum, secundum quam

Christiani variis nominibus appellati.

Quando Christus sit vnctus.

Secundùm humanam naturam Christus vnctus est.

Spiritu

Spiritu sancto repletus est, & personam Prophetæ, Regis atque Sacerdotis suscepit. ad quæ munia exercenda Spiritus sancti gratiâ vnctus est. Non enim secundùm vtrãque naturam hæc officia exercuit, sed iuxta humanam tãtùm, vt principio formali. Quamuis enim suppositum, quod operabatur, Deus & homo esset, attamen principium, quo mediatoris opera exercebat, natura humana, non diuina, erat. Nam secũdùm formam Dei cum Patre & Spiritu sancto sacrificium accipiebat, quod secundùm formam serui offerebat; vt Paulus 1. ad Timoth. 2. indicat, distinguens Trinitatem à Mediatore: *vnus Deus*, (scilicet Trinitas) *vnus et mediator Dei et hominum* (infirmorum) *homo Christus Iesus*, id est, secundùm humanam naturam Verbum incarnatum, cui nomen Iesu, id est, Saluatoris, impositum est: sic Augustinus lib. 10. de ciuit. cap. 20. Ambrosius lib. 3. de fide cap. 5. Cyrillus libr. 11. in Ioan. cap. 7. Fulgen. lib. 3. ad Transimundum cap. 14. Verbum enim incarnatum secundùm humanam naturam pro mundi salute laborauit, passum est, docuit, leges tulit, Patris cælestis notitiam tradidit, cuius ômnes Prophetæ atque Doctores, Discipuli atque Ministri fuerunt, ob id potissimùm missi, vt huius summi Prophetæ, Magistri, Regis, Domini & Pontificis aduentum hominibus annunciarent, qui non solùm vt Deus homines scientiam docet illuminando, sed etiam vt homo aures externùs pulsando, atque interiorem mẽtis illuminationem promerendo. Similiter vt homo, Sacerdotis officio perfunctus est orando, preces & supplicationes cum lachrymis offerendo, seipsúmque in nouissima cœna ritu incruento, atque postmodum in Ara crucis cum sanguinis effusione immolando: cuius cruenti sacrificij oblatione Patrem humano generi offensum placauit, & gratiæ gloriæque munera hominibus conferri promeruit, simúlque impetrauit. Deniquè super omnem creaturam Christus homo regiam potestatẽ accepit, quoniam natura humana in Verbi personam assumpta est. Quicquid enim natura humana potestatis, amplitudinis, & dignitatis capere potest, Verbum homini Christo contulit. Vndè Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Psal. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Psal. 2. *Ego cõstitutus sũ rex super Sion*, &c.

Porro hoc Christi *regnum non est de hoc mundo*, (Ioan. 18.) sed spirituale atque æternum. Lucæ 1. *Regni eius non erit finis.* Psal. 144. *Regnum tuum, regnum omnium seculorum.* Hîc in terris inchoatur, in cœlo perficitur, quando inimica destruetur mors, omniáque Christo subiecta fuerint. Quando beatis dicet; *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum.* Matth. 25.

Regis officio Christus functus est, quia pro nobis depugnans fortem armatum debellauit, electos à principis tenebrarum captiuitate liberauit: & adhuc fungitur, quia Ecclesiam ab hostium impetu protegit, leges ei præscribit, sanctitatem largitur, vires perseuerandi præbet, vincentes coronat, sibi rebelles supplicijs addicit, præmia & supplicia pro meritis retribuit.

Principium quo Christus obtulit sacrificium, humana natura fuit.

Christus super omnẽ creaturam potestatem regiam accepit.

Daniel. 2. Philip. 2.

1. Cor. 15.

Aug. lib 1. retract. cap. 12.

Aug. lib. de magistro cap. 11.

CAP. CXLVI.

Filium eius vnicum.

CRedimus in IESVM CHRISTVM, solum, verum, æter-

Christus vnicus Dei est filius naturalis.

num, naturalem, consubstantialem Dei Patris Filium. Reliqui enim, quibus filiorum Dei nomen tribuitur, non sunt filij proprietate naturalis originis; sed nuncupatione, adoptione, creatione vel regeneratione, imitatione, præparatione. Nomen enim filij diuersis ex causis in scriptura tribuitur. Dicũtur enim *filij mortis, filij gehennæ, filij regni, qui præparantur ad regnum*, vt obseruauit Augustinus Enchir. cap. 39. II. *Filij huius seculi, filij diaboli*, imitatione. III. Filij dicuntur propter doctrinam *Discipuli* 1. Cor. 4. IIII. Adoptione. Rom. 8. Galat. 3. & 4 V. Creatione. Isaiæ 1. Deut. 28. VI. Regeneratione, siue in hac vita, siue in futura. VII. Filij dicuntur propter naturalem generationem, quomodo Deus Pater Filium genuit, à quo, iuxta Apostolum, *Omnis paternitas in cœlo, et in terra nominatur.* Cur autem Spiritus sanctus cùm Patri & Filio consubstantialis producatur, tum filius nec sit, nec dici possit; altius est quàm vt plenè à nobis intelligi queat, vt Athanasius in Epist. ad Serapionem admonet, Basilius lib. 3. cont. Eunomium, Damascenus lib. 1. de fide c. 10. Augustinus libr. 15. de Trinitate cap. 27. qui tamen lib. 5. de Trinit. cap. 14. duplicem huius rei causam excogitauit: *Ideo*, inquit, *Spiritus sanctus non est filius, quia non procedit, quomodo natus, sed quomodo datus*; & lib. in de Trinit. c. 16. addit: *propterea non posse vocari filium, quoniam procedat ex duobus, qui nec duo patres dici possunt, nec alter pater, alter verò mater.* Diuus autem Thomas luculentiorem istius rei expressit rationem, dicens, *Spiritum sanctum ideò nõ esse filium Dei, quia licet sit patri et filio similis, non tamen ex vi naturalis ipsius productionis, cùm per actũ amoris procedat: Amor autem ex natura sua non rei amatæ similitudo, sed impulsus quidam in rem amatam existat.* Sed Verbum ideò Filius Dei est, quia per actum intellectus emanat ex ipsius productionis natura, vt similitudo quædam & naturalis imago rei producentis. Nam res aliqua intelligi nequit, nisi quædam eius similitudo gignatur, per quam intelligatur.

Hilar. lib. 3. de Trinit. Aug. tract. 21. in Ioan. Filii. doptione.

Matth. 23. Ioan. 17. 2. Thessa. 2. Ioan. 8. Lucæ 16.

Ambr. li. 2. de Spiritu sancto ca. 5. Aug. lib. 1. retract. cap. 22.

Ephes. 3.

Cur Spiritus sanctus dici filius non possit?

S. Tho. 1. p. q. 27. ar. 4. & q. de potẽtia. q. 10. ad argu. 22. Spiritus sãctus ex vi naturalis productionis non est similis filio.

Filius ex vi naturalis productionis est imago patris.

CAP. CXLVII.

De Filij generatione Diuinâ.

ÆTerna Filij Dei ex Patre natiuitas admiranda potiùs est, quàm scrutanda, cùm eam perfectè assequi ratione nequeamus, iuxta illud Isaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Ex omnibus autem similibus, quæ ad illustrandum diuinæ generationis modum adferuntur, illa proximè accedere videtur, quę ab animi nostri similitudine ducitur. Vt enim mens nostra seipsam intelligendo sui quandam similitudinem effingit, quam Verbum internum seu imaginem vocare possumus: ita Deus (quantùm tamen diuinis humana licet conferre) seipsum intelligens, Verbum æternũ generat, in nullo sibi dissimile aut impar, sed eiusdem prorsus essentiæ, voluntatis, sapientiæ, potestatis, atque coæternitatis. Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quędam est claritatis omnipotentis Dei sincera: candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius: splendor gloriæ, & figura substantiæ Dei, perfectè, plenè, & adæquatè continens atque repræsentans Patris essentiam, vt dicere veraciter potuerit Filius: *Ego & Pater vnum sumus.* Et, *qui videt me, videt et Patrẽ.*

Generatio filij Dei æterna potiùs admirãda quàm scrutanda.

Deus Pater se intelligens. Verbum generat.

Sap. 7.

Hebr. 1.

Ioan. 14. 16.

quia ego in Patre, et Pater in me est. Et, *Omnia quæcũq; habet pater, mea sũt*, vt in Symbolo Niceno & Athanasij explicatiùs cõtinetur, vbi protemur, IESVM CHRISTVM *ex Patre natum ante omnia secula, Deũ de Deo, lumen de lumine, Deum verũ de Deo vero, Genitum non factum, cõsubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.* Ioan.1. *In principio enim erat Verbũ, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: omnia per ipsum facta sunt.* Quibus verbis Euangelista diuinum Filij Dei ortũ Verbi nomine ob supradictas causas insinuauit, & aduersus hæreses Cerinthi, Ebionis, aliorũmque Christi diuinã generationem inficiantium, passim in Euangelij sui decursu, Christum verum, & cõsubstantialem Dei Patris esse Filium inculcat. Quam doctrinam non solùm constanter debemus retinere, sed etiam argumentis inuictissimis stabilire. Quæ quidem nouem classibus continentur.

Consubstãtialitas filij statuitur.

Primò enim duci possunt argumenta ex eo, quòd illa, quæ de vnò vero Deo Israëlitarum in scripturis sacris tempore Veteris Testamenti dicuntur, in Nouo Testamento de Iesu Christo exponantur, vt Israëlitarum murmur contra Dominũ, Num.21. Apostolus 1. Cor.10. contra Christum fuisse interpretatur. Exod. 20. Deus Israëlitas de Ægypto eduxisse scribitur, quod Iudas in sua Epistola de Iesu Saluatore intelligitur. Cuiusmodi loca in Scripturis plurima sunt.

Christi diuinitas argumentis variis statuitur.

Secundò idem confirmant vniuersæ Veteris Testamenti prophetiæ, quæ Messiam, hoc est, Christum, verum ac naturalem Dei Filium esse prædicunt; vt Psal.2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Psal.109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Ex vtero ante luciferum genui te.* Isa.35. *Deus ipse veniet, et saluabit nos.* & 53. *generationem eius quis enarrabit?* Baruch.3. *Hic est Deus noster, et post hac in terris visus est. Verbum* Ioan.1. *enim caro factum est.* & : *parvulus* Isa.9. *natus est nobis, et vocabitur nomine eius, Deus, fortis, pater futuri seculi.*

Christus naturalis Patris Filius.

Tertiò, eodem pertinent omnia scripturarum Noui Testamenti loca, in quibus Christum esse verum Dei Filium asseritur: vt Matth. 16. *Tu es Christus Dei vivi.* Luc.2. *Filius Altissimi vocabitur.* Ioan.1. *Verbum caro factum est, et habitauit in nobis, et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre.* Ioan.5. 8.10.atq; 19. Iudæi Christum blasphemiæ accusant, quia se diceret Deum, æqualem Patri. Quòd si tantùm significare voluisset, se adoptiuum Dei esse Filium, Iudæi sanè nullum omnino eum traducendi prætextum habuissent, cùm seipsos Deum habere patrem gloriarentur. Cùm igitur clamarunt: *Mori debet, quoniam Filium Dei se fecit*; intellexerunt, quòd Christus se verum & naturalem Dei esse Filium affirmaret. Quod etiam palàm confessus est Christus, quando à Pontifice interrogatus: *Dic nobis si tu es Christus, Filius Dei benedicti?* Respondit, *Ego sum*, comprobans, quod antè dixerat: *Ego et Pater vnum sumus.* &: *Omnia quæ habet Pater mea sunt.* Et post resurrectionem Apostoli Thomæ confessionem laudans, qua dixerat: *Dominus meus, et Deus meus*; *beati*, ait, *qui non viderunt et crediderunt.* Ioannes insuper 1. epist. capit. 5. *Hi tres vnum sunt, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus.* Item: *Hic est verus Deus, et vita æterna.* Similiter Apostolus Paulus ad Roman. 8. *Qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Et ad Galat.1. ait, *se accepisse Euangelium non ab homine,*

sed per reuelationem Iesu Christi. Ad Philip. 2. *qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Vndè singulari priuilegio Christus, Vnigenitus Dei Filius, Primogenitus, Proprius, Verus, atque Naturalis Filius Dei nuncupatur.

Quarti generis argumenta deducuntur ex proprijs nominibus veri Dei, quæ Christo tribuuntur: vt Isa. 9. vocatur absolutè DEVS, quod nomen soli Deo vero scriptura vendicat. Ierem. 9. *vocabunt eum, Dominus iustus noster, seu iustitia nostra.* Apoc. 1. 4. & 11. *Qui est, qui erat, qui venturus est.* Ioan. 13. *vt credatis, quia ego sum.* Psal. 86. & Luc. 1. *Altissimus* vocatur. Philip. 2. *dedit illi nomen super omne nomen.* Ad Timot. dicitur *Rex regum, Dominus dominantium.* Ad Tit. 2. *magnus Deus.*

Quinti generis argumenta ex attributis veri Dei depromuntur, veluti ex æternitate, quam Apostolus Rom. 16. Christo attribuit: *secundũ*, ait, *præceptum æterni Dei.* Item ex immortalitate, & immutabilitate, quæ Christo quoque tribuitur. 1. Cor. 6. Baruc. 3. vocatur *Immensus.* Ioan. 3. *filius hominis, qui est in cœlo.* Apoc. 1. 4. & 11. dicitur *Omnipotens.* Matth. 28. *data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* 1. Cor. 1. nuncupatur *Sapientia Dei.* Colos. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ Dei.* ad Hebr. 1. *Et adorent eum omnes angeli.* Quem insuper ab omnibus gentibus adorandum Prophetæ annunciarunt, simulque idololatriam post Messiæ aduentum exterminandam prænunciarunt. Isaiæ 2. *Idola conterentur.* Zacha. 13. *Disperdam nomina idolorum de terra.* Cùm igitur Ecclesia per vniuersum Orbem dilatata, Christum templis, inuocationibus, aris, festis diebus, multisque ritibus semper coluerit, sequitur, ipsum esse verum Deum, latriæ cultu adorandum, vel, quòd omnes Prophetæ falsum vaticinati sint: quod vel suspicari extremæ fuerit dementiæ & impietatis.

Psal. 71.

Christus latriâ colendus.

Sextò Christi Diuinitas ex operibus Deo proprijs euinci potest. Creatio enim, velut Dei veri nota proponitur Isa. 44. Iob. 9. Psalm. 95. Ierem. 10. *Sed omnia per Christum facta sunt.* Ioan. 1. ad Colos. 1. ad Hebr. 1. ad Cor. 8. Rom. 11. Apoc. 1. *Alpha & Omega, principium & finis.* Per ipsum omnia subsistunt, & omnia in ipso constant. De vero Deo Isaiæ 43. dicitur: *non est absque me saluator.* Quod repetitur cap. 45. Oseæ 13. & alibi. At de Christo ait angelus: *vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Deniq; notitia occultorum & futurorum Deo vero ascribitur Isaiæ 45. *annunciate quæ futura sunt, & sciemus quia Dij estis.* 3. Reg. 8. *Tu solus nosti corda omnium.* Ierem. 17. *cor hominis inscrutabile.* At Christus futura omnia prænouit, iuxta illud Ioan. 13. *dixi, priusquam fiat.* & cap. 2. *Sciebat quid esset in homine.* Hinc sæpe hominum cogitationes apefuit, vel redarguit. Præterea solus Deus miracula & prodigia, vires naturæ superantia, proprio nutu & potestate operatur: at Christus authoritate sua mari, ventis, & dæmonibus imperauit, solâque voluntate à quibuscúmque morbis etiam absentes curauit, mortuos suscitauit, cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, leprosis munditiem restituit: atque Apostolis aliisque varijs sanctis potestatem edendi miracula, velut absolutus omnium Dominus concessit. Matth. 10. *In nomine meo, &c.* Act. 3. *In nomine Iesu Christi Nazareni surge.*

Christus omnia creauit.

Omnia occulta nouit.

Propria virtute miracula fecit.

Omnia Cõcilia, & scriptores Christi diuinitatem cõfitentur.

Septimò, Christi Diuinitas statuitur luculentâ omnium fidelium confessione, qui tempore Noui Testamenti sapientiâ, vitæ sanctitate, & miraculis in Ecclesia floruerunt. Quorum omnium fides explicatur in Symbolo Apostolorum, & postea in Niceno Concilio (vt Ruffinus notat lib. 2. histo. cap. 6.) ac deindè in Constantinopolitano primo Concilio capite 1. vbi *Filius consubstantialis Patri* definitur. Quam fidem comprobauit Synodus Ephesinâ 1. & postea Chalcedonensis, ac ex ordine vniuersâ interim celebrata orthodoxa concilia vsque ad Triden. sess. 3. in qua fundamenti loco ponitur fidei Symbolum, quo Romana Ecclesia vtitur. Pro cuius defensione laborauit Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Nissenus, Chrysostomus, Cyrillus, Damascenus, aliique Græci complures. Inter Latinos autem Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, infinitique alij doctrinâ pietate, miraculisque conspicui.

Octauò, eadem Christi diuinitas Sibyllarum testimoniis astruitur, quibus passim veteres Scriptores vtuntur. Erat carmen Sibyllæ Erithreæ, cuius capitales literæ hanc sententiam conficiunt: IESVS CHRISTVS, DEI FILIVS, SALVATOR, CRVX. & concluditur isto districho: *vnus et aeternus Deus hic Saluator, et idem Christus, pro nobis passus, quem carmina signant.* Clemens libro 6. Strom. ad lectionem Sibyllarum de vero Dei Filio vaticinantium, hortatur gentiles ad fidem & Catholicam vnitatem.

Sibyllæ Christi diuinitatem agnoscunt.

Christi diuinitas reuelationibus & miraculis cõfirmatur.

Postremò Christi diuinitas miraculis ac reuelationibus confirmata est. Refert enim Gregor. Nissen. in oratione de laudibus Gregorij Thaumaturgi, B. Mariam cum Ioan. Euange. ei apparuisse, fideique professionem commendasse, in qua Trinitas consubstantialis, Verbúmque Deus verus æternúsque prædicatur. B. Antonio mala per Arianos Ecclesiæ inferenda, reuelata sunt: proindè veluti pestes à suo monte fugauit; Athanasio teste in vita eiusdem. Similiter Petro Alexandrino Martyri Christus scissâ veste apparuit, dicens: *Arius hoc fecit, qui populum meum à me separauit,* teste Beda & Adone in Martyrologijs, 25. Nouem. Deniq; Arianam hæresim Deus ipse subitâ Arij in publicis latrinis extinctione condemnauit, Athanasio teste in oratione 1. contra Arianos, & in epist. ad Serapionem. Epiphanoi hæresi 68. & 69. Ruffino lib. 1. hist. cap. 13. & li. 2. c. 4. vbi scribit, monachos curasse infirmos, inuocando IESVM, quem Lucius Arianus persequebatur. Hilarius pro eadem fide in insulam relegatus, ipsam à serpentibus sua præsentia liberauit, mortuúmque ad vitam reuocauit; Fortunato eius vita teste. S. Martinus ab Arianis patriâ expulsus, virgísque cæsus, miraculis coruscauit, authore Sulpitio in eius vita. Basilij Magni opera refert in eius vita Amphilochius. Dum Beatum Ambrosium Iustina Imperatrix Ariana persequeretur, variis prodigiis per Gerualij & Protasij corpora editis Deus Arianum perfidiam confudit, Augustino teste libro 9. confess. ca. 7. Ambrosius serm. de sanct. Gerualio & Protasio. Victor Vticensis libro 1. histo. Aphricanæ scribit, *Catholicos vsque ad ossium denudationem flagellatos, altera die incolumes apparuisse,* lib. 2. *cæcos illuminatos,* ac libr. 2. *quosdam eunlsâ radicitus linguâ prompte loquutos fuisse* commemorat. Cuius miraculi quoque me-

S. Antonius Arianos, veluti pestes cuitauit.

Arius Christi vestem, id est, Ecclesiam scidit.

Arij mors infamis.

minit D. Gregor.lib.3. dialog.c.32. Gregor. Turonensis lib.2.histo.cap. 3.29. & 30. varia in confutationem Arianorum facta miracula commemorat, & inter cetera refert, Cyrolam Episcopum Arianum subornasse quemdam videntem, cui velut cæco visum restitueret, sed cæcum reddidisse, atque per Episcopum catholicum illum postea curatum fuisse. Accedit summi miraculi loco, quòd Christus suam Diuinitatem toti terrarum Orbi per XII. Apostolos priùs illiteratos & rudes persuadere valuerit, tantáque firmitate stabilire, vt neque Paganorum perfidia, neque persequutio hæreticorum, etiam seculi potestatibus adiuta, contra hanc fidem prævalere potuerit. Inuicti enim pro hac fide certarunt omnis ætatis, sexus, & cõditionis Martyres, Doctores, atque Christiani vulgares: à quibus semper infideles atque sacrilegi habiti sunt, quotquot Christiani diuinitatem impugnauerunt. Istaque fides propriè Christianos à Iudæis & Mahometanis distingit, totiúsque Christianæ religionis fundamentum est, quòd Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus vnus Deus sint: quodque *Verbum caro factum* sit, id est, Dei naturalis Filius homo factus, *nobis per omnia excepto peccato similis, quem vnum Deus proposuerit humano generi propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius*, vt *non sit aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo eos saluari oporteat.*

Cyrola Episcop. Arianus videntem cæcum facit.

Fides Trinitatis & Incarnationis Verbi nos à Iudæis & Mahometanis discernit.

CAP. CXLVIII.

Vtrùm citra Christi fidem aliquis saluari potuerit?

Sine Christi fide nulla salus.

EX quo vitiatum fuit genus humanum, nemo absque Christi fide saluari potuit: *hunc* enim *Deus propitiatorem esse voluit per fidem in sanguine ipsius, nec aliud* esse *nomen, in quo homines salui esse possent. Hic est* enim *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* sine cuius sanguinis effusione non fit remissio. Vnde post hominis lapsum spes redemptionis per Filij Dei Incarnationem statim homini facta est. Gen.3. *Ponam inimicitias inter te & mulierem, &c.* Vbi semen benedictum promittitur, per quod serpentis caput erat conterendum, *in quo benedicenda omnes gentes* erant, & ab immanissima diaboli tyrannide in libertatem asserendæ. Cuius fidei professionem in circumcisione membri genitalis Abrahæ posteri gestarunt: cui etiam Deus apertiorem sui consilij significationem dedit, cum ipsum iussit immolare filium suum Isaac, adiecta promissione, quòd *in eius semine benedicerentur omnes gentes terræ.* Ad cuius fidei conseruationem fœdus cum Isaac & Iacob renouauit, atque postea cum Israëlitico populo, cui Legem dedit Veterē, Noui Testamenti mysteria præfigurantē. Qui velut Propheta quidā magnus vita, moribus, verbis, ritibus, typis atque sacrificiis Christi opera prænunciauit: cuius insuper ortum, miracula, doctrinam, mores, passiones, flagella, opprobria, mortem, resurrectionem, in cœlos ascensionē, Spiritus Sancti missionē, omniúmque gentium ad suam Ecclesiam vocationem Prophetæ, veluti à se visa clarissimè populis annuntiarunt; adeò vt Patriarcharum, Prophetarū, & Apostolorum fides ac prædicatio sola temporis circumstātia differat, in eo videlicet, quòd illi credidere futurū id, quod nos Christiani factū esse credimus, vt Aug. explicat li.10. confess. c. vltimo. Vndè priscos fideles re ipsa Christianos fuisse docet,

Aug epi. 157. Rom. 3. Act. 4. Hebr.10.

Gen. 3.

Gen. 22.

Aug lib.15. cont. Faust. cap.15.

Eadem fides Patriarcharū, Prophetarum & Christianorum.

Antiqui fideles re Christiani fuerunt.

Aug. li. 22. ex vet. test. 3. & qui illud est 104. noli tangere Christos meos.

Ephes. 5. Leo ser. 3. & 10. de nat. Christi.

Ab initio lapsus hominum citius Christus.

Fides Christi ab initio mundi.

Noctestamenti reuelatio facta, vbi, & quando Deo placuit.

Act. 4. & 15. Epi. 49. q. 2.

Cur in vltima mundi ætate Christus aduenerit.

Aug. epist. 49. q. 2 li. 1. de prædest. sanct. ca 9.

Lib. 2. retract. c 31 li. 1. de prædest. sanct c 9. Li. de bon. persev. c. 9.

Ibi Irenæus c. 33. & Euseb. lib. 1. histor. c. 11. Nycephor. lib. 1. hist. c. 5. Ac nulli vnquam fuisse tributum, viuere secundùm Deum, cui non sit diuinitùs reuelatus Christus, constanter asserit Augustin. li. 18. de ciuit. c. 47. Quod exemplo Iob confirmat, libr. 2. de peccat. merit. cap. 11. quem dixisse legimus: *Credo, quod redemptor meus viuit.* Quò etiam pertinet, quòd Sapien. 10. primus patrem à sapientia ex delicto eductus dicatur: & cap. 9. *Per sapientiam sanati sunt, quicumque tibi placuerunt*: siue Christi enim fide nullus vnquam iustificari ex impio potuit: omnes enim super communi Ecclesiæ fundamento, angularique lapide Christo Iesu ædificari oportet, cum extra Christi corpus (quod est Ecclesia) nulla spes salutis existat. Christus enim saluator est corporis sui, estque omnibus communis via causaque salutis: vt adumbratum fuit per vnam à duobus viris ad filios Israël invecte delatam, Num. 13. & per turbas præcedentes & sequentes, quæ filio Dauid acclamarunt, *Osanna in excelsis*! iuxta D. Grego. hom. 17. in Ezechielem.

per Christū annũciari atque præstari, omnésque, qui ab initio mundi piè vixerint, vbicúmque fuerint, spiritu Christi sanctificatos fuisse, in eúmque credidisse: proindè numquam humano generi eidem Christi, aut salutem defuisse, quæ quidem semper, licet aliis & aliis, tamen eiusdem rei & salutis prænunciata fuit sacramentis. *Hic est* enim *agnus ab origine mundi occisus*, (Apocal. 13.) propter immutabilem Dei præordinationem, passionisque virtutem, cuius participes non minùs fuerunt, qui credidere futuram, quàm qui præsentem aut præteritam.

Cur autem Christi Incarnatio, nouique Testamenti reuelatio hoc tempore, atq; loco facta sit potiùs, quàm alio, nouit omnium temporum dispensator Deus, cuius facti ratio voluntas est facientis, qui fecit quando voluit, & quando oportunum sciuit. Cauendum autem, ne Pelagianorum more ad prædictam quæstionem respondeamus, primos homines per solam naturæ legem saluatos fuisse, quâ ex hominum cordibus extincta, Moyses sua lege salutem attulerit: quâ rursus neglectâ, Christus facili plenáque sua doctrina salutem contulerit. Quæ responsio manifestè scripturis sacris aduersatur, quæ docent, numquam aliud nomen datum fuisse hominibus, in quo salui esse possent. Quare cùm D. Aug. epist. 49. dixisset, Christũ voluisse apparere, quãdo, & vbi homines in se credituros esse nouerat, variis locis id explicandùm esse putauit, vidisse credituros, quos ipse facturus esset vt crederent, ne quis arbitraretur, quòd fidem, excluso gratiæ Christi adiutorio, soli arbitrij liberi viribus tribuëret: aut quemquam suis citra Christi gratiam factis meritis saluari

CAP. CXLIX.

Cur tam serò Christus venerit?

CVm absque Christi fide nullus hominum à lapsu Adæ salutem consequi potuerit, non immeritò Philosophi Christianos interrogare solent: Cur is, qui omnium saluator dicitur, sese tot seculis subduxerit? quare tam serò venerit, in vltima scilicet mundi ætate? Quibus respondet Augustinus, [mox post lapsum incepisse salutem

Deus videt creditu-ros, quos fac-turus est credentes.

posse sentiret. *Quod si enim ex lege iustitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Cur verò Deus non statim post lapsum Christum miserit, quamuis præcipua ratio sit voluntas eius, qui medicinam dedit quando voluit, attamen congruum fuisse ita fieri colligimus.

Congruebat nō statim Christum aduenire.

I. quoniam expediebat, vt homo sua elatione lapsus intelligeret, se propriis viribus erigi non posse, at medico egere: sic Chrysosto. hom. 7. ad Rom. in mor. Augu. libr. cont. Faust. c. 7. Leo serm. 3. de Epiphan. II. Deus viam perfectionis traditurus ad incultos, rudes, atque verbi Euangelici incapaces aduenire noluit, sed per legis doctrinam, tanquam per pædagogum præparauit. III. Deus Filium venire in mūdum voluit disciplinis excultum, ne simplicitati fides imposuisse videretur. IV. quia personæ venturæ in mundum dignitas exigebat, vt præcursores multos haberet, quales fuerunt Prophetæ ipsius aduentum prænunciantes. V. Christus diu expectatus venit, vt gratior esset ipsius aduentus, quemadmodum sponso gratior est coniux, quam suspirauit dilatam. VI. ne fidei feruor longo temporum decursu tepesceret.

I. vt homo suam infir. agnoscerer.

II. Vt ad præparatos aduenirret.

Galat. 3.

III. Ad excultos.

IV. Quia præcursores habere decuit.

V. Vt diu expectatus gratior esset.

VI. Ne feruor tepesceret.

VII. Vt diuina seueritas in peccantes agnosceretur, quantúmque malum sit peccatum, quod tali medicina indigeat. Christus enim tanquam peritissimus medicus, acriora remedia vltimo loco contulit.

VII. Vt grauitas peccati appareret.

VIII. Rebus iam desperatis, dum neque lex naturæ, neque lex Moysis peccatorem mortuum resuscitare posset, aduenit tandem Christus, sicut nihil efficiente baculo ad suscitandum defunctum in typo venerat Helizeus. malitia enim ad summum perducta beneficium gratiæ magis elucet; iuxta illud Apostoli: *vbi abundauit delictum, abundauit et gratia.*

VIII. Rebus iam desperatis succurreret.

Postremò, decebat hominem sexta die creatum, etiam sexta mundi ætate restaurari. Quæ licet propter annorum numerum, senectus; attamen propter fidei & charitatis feruorem, qui in sexta ætate potissimùm viguit; meritò iuuentus dici potest Augustinus libro 1. retract. capite 26.

IX Vt sexto die creatum sexta mundi ætate renouaret.

CAP. CL.

Dominum nostrum.

QVia IESVS CHRISTVS Filius Dei vnicus, naturalis, parísque cum Patre potentiæ & gloriæ, factus homo verus, cuius pedibus omnia subiecta sunt, iure secundùm vtramque naturam Dominus noster vocatur: secundùm diuinam quidem, propter naturale super omnem creaturam dominium, secundùm humanam verò, propter vnionem humanæ naturæ cum diuina in eodem supposito, cui *omnis potestas in cœlo et in terra data est*, ac proindè super vniuersa creata dominium. Speciali tamen ratione Dominus est hominum, iure redemptionis, maximéque fidelium, quos regit, fouet, ac sui regni participes facit. qui vicissim ei fidelis prudentisque serui officia exhibere, reuerentiam, cultum, omniáque sua studia in Domini commodum & gloriam referre tenentur. Præsertim, quia cùm potuerit cuiuslibet generis obsequia gratis sibi veluti debita exposcere, noluerit tamen, sed amplissimam æternæ vitæ mercedem proposuerit: iuxta illud Matth. 25. *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis super multa te constituam, intra in gaudium Domini*

Christus secundum vtramque naturā noster Dominus est.

Matth. 28.

1. Petr. 5.

Fideles Christo debent prudentis serui officia.

Domini tui. Inutilem verò seruum proijcit in tenebras exteriores.

Quomodo peccator sub potestate diaboli esse dicatur.

Hîc sciendum est, quòd peccator sub diaboli potestate dicatur esse, non quia dæmon ipsius Dominium habeat, sed quia potestatem accipit illum puniendi, & in infernum deducendi, vel acriter tentandi, à Deo, qui ius habet suas iniurias vindicandi. Et ab hac diaboli potestate Christus nos redemisse dicitur, quia Deo Patri sufficiens prętium obtulit pro peccatis hominum, tam quoad culpam, quàm pro pœnis quibuscumque debitis; scilicet voluntariam mortem suam: qua obedientia, quo opere, cuius vitæ suæ oblatione ad liberandum hominem ab ira Dei, pœnis commeritis, Deo recompensauit iniuriam, primi parentis inobedientia illatam; nósque in Dei amicitiam & libertatem vindicauit: ideóque dicitur *redemisse nos sanguine suo*, 1. Pet. 1. Apoc. 5. 1. Cor. 6. & 7. *pretio empti estis, quia pretio dato acquisiti.*

Isaiæ 50. & 52.

CAP. CLI.

Tertius Articulus.

Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.

Conceptio Christi quomodo facta.

TErtio Articulo profitemur, nos credere vnicum naturâ, non gratiâ, Dei Patris Filium, Hominem esse factum, seu Incarnatum in B. Virginis Mariæ vtero; non cooperatione viri, sed Spiritus sancti virtute; qui superueniendo Virgini conditorio opere humanum corpus omnibus suis partibus & perfectionibus integrum, animâ rationali ac vniuersis suis naturalibus facultatibus præditum, ex purissimis sanguinibus B. Virginis formauit, quod eodem instanti Verbum in suæ personæ vnitatem assumpsit: quæ assumptio, siue naturæ humanæ cum Verbo in eadem subsistentia vnio, Incarnatio Filij Dei vocatur, per quam Deus optimo & perfectissimo modo se creaturæ communicat, tribuendo illi diuinam personam substantiali & personali communicatione, qua maior excogitari non potest, cùm essentialis communicatio diuinitatis extra diuinas personas fieri nequeat. In hoc autem mysterio ita se Verbum humanæ naturæ communicat, vt non accidentaliter, sed verè substantialiter illi copuletur, ac per seipsum eam perficiat, & cum illa vnum suppositum ineffabili modo componat, ipsam in se terminando, atque illius existentiam absque propria subsistentia in suam hypostasim assumendo: vt meritò dicat August. lib. de prædest. sanct. cap. 15. *Tam excelsam hanc naturæ humanæ sublationem esse, vt quo attollatur altius, nõ habeat.* D. Paulus ad Ephes. 3. & Colos. 1. vocat *Mysterium absconditum à seculis.* 1. Cor. 2. *Sapientiam in mysterio.* 1. Timoth. 3. *Magnum pietatis Sacramentum.* Ambros. lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 5. dicit, *Mysterium inenarrabile.* August. epist. 3. *Mysterium inuestigabile & singulare.* Damascenus lib. 3. cap. 1. *Nouum omnium nouorum.* Dionys. lib. de diuinis nomin. cap. 2. vocat *Nouitatum omnium supereminentẽ nouitatẽ.* Leo dicit *maximum omnium operum & miraculorum*, ser. 8. de natiu. Dom. Nam in hac naturæ humanæ cum hypostasi Verbi vnione, modus intrinsecus rei naturaliter connexus ab ea separatur, & creaturæ rationalis existentia absque sua propria subsistẽtia cõseruatur. Quod longè multo admirabilius est, quàm Deũ

Incarnatio est vnio humanæ nat. cum Verbo in eadem substantia.

Exaltatio summa humanæ nat. per incarnationem facta est.

Modus intrinsecus rei naturaliter connexus separatur, & per vnionem suppletur.

per influxum causæ efficientis supplere descendentiam accidentis à subiecto : siquidem in hoc mysterio Deus non solum res omnino distinctas separat : sed etiam modum prorsus intrinsecum, illúmque supplet non per solam efficientiam, sed per intrinsecam vnionem, communicando infinitam & perfectissimam suam subsistentiam, salua vtriúsq; diuinæ scilicet & humanæ, naturæ proprietate. Nam Christus perfectus Deus est, necnon perfectus Homo, vnúsque omnino, non confusione substantiæ, sed vnitate personæ. Cui conueniunt ea, quæ sunt diuinæ potentiæ, simúlque illa, quæ sunt infirmitatis humanæ : id quod coruscat miraculis, & quod succumbit iniurijs, vt Leo epistol. 10. prosequitur. Hæc autem hypostatica duarum naturarum in Christo vnio facilius intelligetur, si tribus modis res coniungi posse consideremus.

Dux nat. in Christo, vnica verò subsistētia.

Triplex vnio.

1. Ex pluribus naturis vna fit essentia res tertia.

Primò, dum ex pluribus naturis vna fit essentia, quomodo vniuntur forma & materia, genus & differentia. Ex cuiusmodi essentiali vnione res quædam tertia resultat, facta ex rebus imperfectis, aut si perfectæ sint corruptione vel conuersione immutatis. Qualis vnio si in Christo esset, vnica in eo reperiretur natura, non diuina, neque humana, sed tertia quædam ex vtráque conflata ; vt opinatus est Eutyches in Concilio Chalcedonensi damnatus in quo act. 5. Patres dicunt : *Salua vtriúsque naturæ proprietate, & in vnam personam, atque subsistentiam concurrente, vnigenitum filium, & Deum Verbum agnoscimus.*

2. Vnio est accidentalis.

Secundò, substantia substantiæ, vel accidentia substantiæ adiunguntur vnione accidentali, vt grana in cumulo, ligna, lapides, ferrum in structura, ex quali vnione non nisi accidentalis forma consurgit. Qua ratione Deus homini iungi non potuit, cùm neque accidens sit Deus, neque accidentis subiectum fieri possit. Vnde Synodus 5. act. vltimo cap. 4. *Si quis dicit, secundùm gratiam, vel secundùm operationem, vel secundùm dignitatem, vel secundùm honoris æqualitatem, aut relationem vel affectum, aut virtutem factam esse vnionem, & non secundùm subsistentiam, anathema sit.* Et in Epistola Agathonis recepta in Synodo 6. act. 4. damnantur, qui cum Eutyche sentiunt, naturarum in Christo vnionem factam per communicationem attributorum Deitatis, omnipotentiæ, omnipræsentiæ &c. vel cum Nestorio factã esse secundum gratiam, operationem, inhabitationémque singulare, vt Christus solùm ab aliis hominibus in eo differat. quòd per alios Deus quædam tantùm operetur, per Christum autem omnia : quòdque cæteros gratia longè antecellat. Quam hæresim Concilium Ephesinum anathematisò 2. & 3. his verbis reiicit : *Si quis non confitetur, carni secundum subsistentiam vnitum Patris Verbum, anathema sit. Si quis dividit in vno Christo subsistentias post vnionem, anathema sit.*

3. Vnio per communicationem subsistētiæ.

Tertiò modo rerum vnio fit per communicationem subsistentiæ, dum vna substantia, quæ per se alioquin subsisteret, ad alterius suppositum ita trahitur, vt ab eo tanquam illius pars dependeat. Hoc modo natura humana Verbi supposito accessit, in quo ita sustentatur, vt subsistentiam propriam non habeat à persona Verbi distinctam. Non enim prius caro quàm Christi anima fuit, nec prius animæ quàm diuinitati iuncta ; sed quo instanti anima fuit carni vnita, eodem vtique diuina persona.

Homo non est Deificatus, sed Deus est homo factus.

Vndè sequitur, non hominem esse Deificatum in hac Incarnatione, sed Deum qui priùs erat, esse hominem factum, absque vlla sui quidem immutatione, per solam accessionem humanæ naturæ, cui facta est communicatio eiusdem subsistentiæ, in qua solum Verbum priùs subsistebat; vt quemadmodum anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus sit Christus. Quæ mystica vnio etiam illustratur exemplo ferri ignitiri (quamquam similitudo non per omnia quadret) item hominis, qui sit Iurisperitus & similiter medicus, secundùm quas artes, varias sortitur appellationes, operationésque exercet. Nam idem homo agit causas, & morbos sanat. Augustin. epist. 99. ostendit hanc propositionem: *Deus est mortuus*, huic esse similem: *Philosophus est mortuus*. Præterea eandem rem exprimit ramus arbori insitus. Nam ab arbore sustentatur, & arescere potest viuente arbore; sicut homo Christus passus & mortuus est, illæsa diuinitate. vide Fulgent. libr. de Incarn. & lib. de fide ad Petrum c. 2.

Athan. in simbolo. Augu. Enchir. c. 36. lib. de bono perseuerantiæ cap. 24.

Damascen. lib. 3 c. 11.

Sicut ramus insitus arbori exarescere potest viuente arbore: sic homo Christus mori, illæsa diuinitate.

CAP. CLII.

Cur solus Filius Incarnatus dicatur?

EX dictis facilè colligitur, solum Filium incarnatum esse, non autem totam Trinitatem, quia vnio facta est per cõmunicationem subsistentiæ Verbi, cui ipsi propria sit. Sola enim illa persona sibi humanam naturam assumpsit, sustentat ac terminat. & quidem conuenientissimè; cùm Patri esse ingenitum, Filio esse genitum, Spiritui sancto non genitum, naturale sit. Porrò quamuis solus Dei Filius Homo factus sit, attamen eius conceptionem siue incarnationem tota Trinitas fecit, quoniam omnia Trinitatis opera ad extra indiuisa sunt; procedunt enim à tribus Personis, vt sint vnum in natura, & voluntate, atque adeò in actione & operatione. Ideóque hominem quem Virgo concepit, Trinitas fecit, Verbo iniuit, cuíque solius subsistentiã ei communicauit. Ideò solus Filius Homo factus est: reliquæ personæ dicuntur incarnationem operatæ, sed non incarnatæ.

Fulgent. li. de fide ad Petr. c. 2.

Solum verbum incarnatum est, quia sola verbi subsistentia homini communicata.

Opera Trinit. ad extra indiuisa.

Distinguitur autem Incarnatio à Conceptione, sola ratione. Nam respectu Matris, quæ sibi specie similem generabat; vocatur conceptio: respectu autem Verbi, quod subsistentiam suam humanæ naturæ communicabat, eámque sibi hypostaticè vniebat, appellatur Incarnatio.

Incarnatio à cõceptione sola ratione distinguitur.

Si quis verò quærat, vtrùm persona Filii propter Incarnationem plus diligenda sit, quàm persona Patris aut Spiritus sancti?

Par amor debetur Patri, & Filio, & Spiritui sãcto, quãquam alia & alia ratione.

Respondedum, quòd cùm communis voluntas saluandi homines per mortem Christi totius Trinitatis fuerit, & Incarnationem tota Tripitas operata sit, parem singulis & omnibus personis (quæ non nisi vnus sunt Deus) amorem deberi, quamquam aliã & aliã ratione.

CAP. CLIII.

DE SPIRITV-SANCTO.

Cur Conceptio Christi Spiritui sancto tribuatur?

CVm Iesu Christi conceptio totius Trinitatis operatione facta sit; non immerito quæritur, cur Spiritui sancto peculiariter tribuatur? Tres illius rei causas adfert B.

Cur Spiritui sancto Christi cõceptio tribuitur. Ench. c. 38.

Augustinus. Prima est, quia dum vna trium personarū in aliquo opere nominatur, vniuersa operari Trinitas intelligatur: altera est, vt euidenter in hac naturæ humanæ susceptione in vnitatem personæ omnipotentis Patris vnici Filij Dei misericordia & gratia cōmendaretur. Nihil enim natura humana in homine Christo meruit, vt in vnitatem personæ Verbi assumeretur. Nam priùs quàm in vnitatem personę accederet Verbo anima rationalis & caro Christi, homo ille non erat, qui ex quo esse homo cœpit, non aliud esse cœpit, quàm Dei Filius, & hoc vnicus, & propter *Verbum*, quod illo suscepto *caro factum est*, vtique Deus: vt quemadmodū est vna persona quilibet homo, anima scilicet rationalis & caro; ita sit Christus vna persona, Verbū & Homo; vnus Dei Filius, idémq; hominis Filius; non duo filij Dei, Deus & Homo, sed vnus Dei & B. Virginis Filius. Proindè idem Iesus Christus, qui de Deo Deus, Homo autem de Spiritu sancto & Maria virgine natus est, vtraque substātia, diuina scilicet atque humana, filius est vnicus Dei Patris Omnipotentis; vt latè prosequitur Augustinus in Enchiridio à ca. 35. vsq; ad 40. lib. de prædest. Sanct. c. 15. li. de bono perseu. cap. 24. Aptissimè igitur in hoc Incarnationis mysterio, Filij nullo attribuitur Patri, carnis autem susceptio soli Filio; corporis verò animati intero Virginis formatio, ipsi Spiritui sancto; vt gratuitum hoc opus esse intelligatur, ex solo Dei amore, singularique gratia nullis præcedentibus meritis profectū. Spiritus sanctus enim sic Deus est, vt dicatur etiam Dei amor & donū. Ideò præclarissimum gratuitæ prædestinationis exemplum ei tribuitur, vt intelligant homines, se per eandem gratiam iustificari à peccatis, per quam factum est, vt homo Christus nullum posset habere peccatum: atque simili gratia in filios Dei adoptari, quâ homo Christus vnicus Dei naturalis filius effectus est.

Ad gratiæ commendationem.

Gratiæ singulare exēplar in incarnatione.

Christus est vnicus filius Dei & B. Virg.

Spiritus sanctus Dei amor & donum.

Prætereà Christi conceptio Spiritui sancto tribuitur, vt in hac conceptione nihil fœdæ libidinis, aut concupiscentiæ carnalis interfuisse putetur: sed B. Virgo absque viri semine & cooperatione, sola Spiritus sancti potētia virtutem actiuam concipiendi accepisse intelligatur; iuxta illud Luc. 2. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, hoc est secreta diuinæ virtutis operatione te fœcūdam reddet, formando ex purissimis tuis sanguinibus corpus organicum, quod eodem instanti Verbum in suæ Personæ vnitatem assumet, ita vt quod in te concipietur, omninò liberum sit futurum ab omni contagio peccati, & non falsò, sed verè *Filius Altissimi* vocetur.

Potentia concipiendi actiua, Spiritus sancti potentia in B. Virg.

CAP. CLIV.

Vtrum Spiritus sanctus pater Christi secundum humanitatem dici possit?

QVamquam Spiritus sanctus virtutem concipiendi B. Mariæ dederit, Christique corpus & animam formauerit; quia tamen non secundum viuentis naturæ similitudinem in eadem specie produxit (quod ad paternitatis rationem exigitur,) ideò pater Christi Spiritus sanctus dici nequit. Non enim quidquid ex alicuius est, continuò filius est: aliter enim filius nascitur, aliter capillus ex homine, vel lumbricus, aut domus. Prætereà filius, nomen est Personæ, non seorsum naturæ: similiter Christus nomen est personæ incarnatæ: at per-

Augu. Enchir. 38. & 39. Cur Spiritus sanctus Christi pater non sit aut dicatur.

Ambrosius 1. de Spiritu sancto c. 5.

Filius est nomen personæ, non tantùm naturæ.

sona incarnata neque creata, neque adoptata est; quare neque creatione, neque adoptione Christus Spiritus sancti filius dici potest, quia ex quo esse ille homo cœpit, non alius quàm æternus Dei filius extitit, cui etiam quodammodo gratia sic fuit naturalis, vt numquam peccare potuerit. vt habet Augustinus Enchir. cap. 36. & 40. libr. de peccat. merit. cap. 11.

Homini Christo gratia fuit quodãmodo naturalis.

CAP. CLV.

De qualitatibus conceptæ prolis.

CHristus ab initio conceptionis verus Deus verúsque Homo fuit, cui nihil quod ad humanæ naturæ integritatem vel perfectionem spectat, defuit. Nam ab initio membris & vsu mentis viguit, secundùm corpus & animam plenè iustus, *plenus gratia & veritate*, habens operationes voluntatis & intellectus. *Fœmina circundabit virum*, inquit, Ieremias cap. 31. *Et ingrediens in mundum*, dicit, *hostiam & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi: tunc dixi, ecce venio, vt faciam voluntatẽ tuam*; insinuans Christum ab ingressu in mundũ Patri obedientiam exhibuisse, ac voluntatem compleuisse, nostram proindè iustificationem promeruisse. Et quoniam ab initio conceptionis, ratione vnionis personalis, gratia fuit plenus, & Christo facta est quodammodo naturalis, ideò iuxta animæ perfectionem, quo in seipso proficeret, non habuit sed quantum ad effectiuam ostensionem tantùm; posteáque sibi & nobis idipsum, quod ab initio conceptionis ei debitum erat, promeruit, efficiendo, vt idipsum pluribus modis & titulis deberetur. Creuit enim non virtus meredi, sed numerus meritorũ: quia Dei Filius naturalis Patri gratior quàm esset, fieri nõ poterat. Itaq; posterioribus actibus & passionibus Dominus sibi gloriam, nobísq; salutem copiosiùs, pluribúsq; causis debitã effecit.

Christus ab initio conceptionis homo perfectus fuit.

Ioan. 1.

Hebr. 10.

Christus ab initio conceptionis meruit.

Christus pluribus meritis & titulis idem sibi debitum effecit.

Dam. sect. l. 3. c. 22.

Ex quibus insuper sequitur, Christũ ab initio suæ Conceptionis fuisse cõprehensorem, beatũ, claráque visione Dei essentiam contẽplatum fuisse, nõ per speculũ & in ænigmate, quod ad imperfectionem pertinet; nam ad perfectũ testimonium oculatus testis requiri solet: qualem fuisse Christum Ioan. insinuat, dum ait: *vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Et, *quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur*, ait Christus. Quare simul homo Christus fuit viator & cõprehensor, necnon in iustitia confirmatus, sicut neque in eius anima neque in corpore vllum esse peccatum potuerit. Et quoniã in eo fuerunt ab initio Conceptionis *omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*; sequitur, eius animam vniuersarum rerum scientiam habuisse, quas Deus in seipso scientia visionis agnouit; non tamen infinitam diuinitatem comprehendisse, nec proinde omnia, quæ Deus se posse scientia simplicis intelligentiæ in seipso cognouit, percepisse. *Diem verò iudicij nescire Filius dicitur, quia non facit scire*, iuxta B. Augustinum lib. 1. de Trinit. ca. 12. Alioquin eum diem illam etiam secundùm humanitatem cognitam habere, vel inde patet, quòd *omne iudicium Pater Filio dederit*: ex ipsis quoque hominũ occultis cogitationibus, quas Christo notas fuisse Ioannes enunciat c. 2. *Ipse enim sciebat quid esset in homine*, Cúmque prouidentiæ atq; gubernationi Christi cuncta subiecta sint, necessarium est, illum omniũ futurorũm & singularũ, imò secũdùm particulares eorum cõditiones, clarã & distinctã notitiã habere.

Christus ab initio concept. fuit comprehensor. 1. Cor. 13.

Ioan. 1. & 3.

Coloss. 2. Isaiæ 11.

Homo Christus scientiam qualẽ habuerit secundũ animam.

Ioan. 2.

CAP. CLVI.

Cur potiùs Scientiæ plenitudo quàm Omnipotentiæ, vel Esse vbique, sit animæ Christi concessa?

Anima Christi naturaliter est scientiæ capax, nō autem omnipotentiæ, nec vbiquitatis.

QVia naturaliter anima Christi scientiæ capax est, ipsi congruè, absque mensura scientia donata est: sed quoniam omnipotentia & vbiquitas infinitatem & independentiam includunt Deo propriam, ideo humanitati Christi (quæ naturales creaturæ proprietates operationesque retinet) communicari nequiuerunt. Implicat enim contradictionem, *Esse finitæ virtutis, certóque loco contineri, simul* autem *Esse*, omnipotentem, ac vbique secundum eandem naturam. Quare contra Eutychianos & Lutheranos, opinantes ex vnione hypostatica sequi diuinorum attributorum communicationem humanæ Christi naturæ, certa fide tenendum, omnia dona ex vnione hypostatica in Christi humanitatem diffusa, esse creata. Nam excellentissimam gratiam, sapientiam, potentiamque singularem, per creatas qualitates adeptus est: in quidem vtraque natura in vna Christi persona suas naturales proprietates & operationes distinctas retinuit. Ex vnione autem hypostatica idiomatum communicatio sequuta efficit, vt proprietates & operationes vtriusque naturæ conuenientes, communi suppositio tribuantur in concreto; quia hujusmodi nomina pro suppositio, licet formali ratione naturas denotent, accipiuntur. Sic dicimus, *Hominem esse Deum, omnipotentem* &c. atque, *Deum esse passum, mortuum, sepultum* &c. Non tamen Humanitas est omnipotens: nec diuinitas mortua; quia saluis proprietatibus vtriusque naturæ consistit vnitas personæ, ita vt ea: quæ Diuinitati propria sunt, non communicentur Humanitati, nec contra in abstracto sed communi tantùm hypostasi in concreto; vt definitum est in Concilio Ephesino anathemat. 4. In Chalcedonensi act. 5. In concilio 6. act. 4. Et docet idem Leo epist. 10. Fulgent. lib. 3. ad Trasimund. cap. 18. Damascen. lib. 3. c. 4. de fide.

Omnia dona in hominē Christum diffusa fuere creata.

Ex vnione hypostatica Idiomatum sequuta est communicatio.

Idiomatū communicatio quid possit.

CAP. CLVII.

De Hæresibus circa vnionem Diuinæ Naturæ cum humana in Christo.

QVidam Hæreticorum circa carnem, alij circa animā, nonnulli circa personam hallucinati sunt. Veram enim carnem Christo detraxerunt Martion, Saturnus, Cerdon, (contra quos Tertulianus libr. de Christi carne scripsit) quos sequutus Manichæus carnem non veram; sed phantasticam Christo tribuebat. (Augustino teste contra epist. Fundamentic. 8.) cui accessit Priscillianus, contra quem Leo epistola 92.

Carnem phantasticā Christo nonnulli hæretici tribuerunt.

Secunda Hæresis Valentini fuit, qui Christi Carnem cælestem esse commentus est, eandémque per B. Virginem veluti per canalem pertransisse. Cuius hodie sequuntur errorem Anabaptistæ, sentientes ex Patris substantia Christi corpus in vterum Virginis delatum esse, Cochlæo teste libro de erroribus Anabaptistarum.

Christo carnem cælestem qui tribuerunt.

Tertia Hæresis Apellis fuit, qui Christi Carnem ex elementis assumptam, sed post resurrectionem fuisse resolutam dixit.

Apelles Christo carnem detraxit post resurr.

Quarta Cerinthi & Carpocratis, (qui Irenæo teste lib. 4. cap. 24. & 25.) Christi Carnem non à Spiritu sancto formatam, sed à Iosepho in

Carnem à Iosepho qui dixerint.

Christi carnem impas-

sib. qui posuerint.

Virginis vtero fuisse generatam docuerunt.

Quinta eorum, qui Christi Carnem impassibilem fuisse opinati, non Christi, sed Simonis Cyrenei carnem affixam cruci docuerunt. Basilides Tertulliano teste libro de de præscript. atque Mahometus in Alcorano cap. 11.

Seleucij hæresis.

Sexta fuit Seleucij, asserentis Christum in cœlum ascendendo, Carnem deposuisse, ac in Sole collocasse; August. teste hæresi 59.

Eutychiani & Vbiquistæ.

Septima eorum est, qui attributa Diuinitatis Carni Christi communicata fuisse sentiunt, vt ab initio Conceptionis vbique fuerit. Sic quidam Lutheranorum post Eutychianos.

Sabellij hæresis.

Circa Christi personam diuersæ non minus hæreses excitatæ fuerunt. Vna per Sabellicum, qui vnicam in Trinitate realiter esse Personam asserens; consequenter totam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum assumpsisse carnem aiebat. SECVNDA Nestorij fuit, qui duas in Christo personas constituit, alteramque in altera, sicut in suo templo habitare asserut; quam Ephesina Synodus ex professo condemnauit. TERTIA

Nestorij error Aug. lib. de hæres. cap. 41. Damascen. lib. 3. cap. 3.

Eutychis hæresis.

Eutychis fuit, qui vnã Christi Personam ex duabus naturis confusis conflatam docuit, ita vt Christi nomen significauerit non personam simplicem, in qua Vnio esset Diuinæ & Humanæ Naturæ; sed personam compositam ex diuersis naturis, quæ neque Deus, neque Homo, sed tantùm Christus dici posset. Quam impietatem Chalcedonensis Synodus explosit.

Apollinaris error. Leo epist. 10.

Circa vnionem autem Naturam, etiam varij errores reperiuntur. Imprimis Apollinaris & Eunomius Animæ loco Verbum substituerũt.

Eunomij hæresis.

Contra quos Scriptura luculenter tradit, Christum Animam habuisse, Spiritum, Mentem atque Voluntatem: necnon corporis sensus, per quos tristitiam, dolores, sitim, famem, cruciatúsque maximos pertulit; integrámque hominis naturam suscepisse, vt hominem totum sanaret. Id enim quod assumpsit, sanauit. SECVNDA Hæresis fuit Eutychis, Dioscori & Seueri, qui duas naturas in vnione cõfusas fuisse somniantes, vnicam in Christo fuisse naturam ex duabus conflatam, sicuti & vnam personam tradiderunt. Quos sequuti sunt Acephali, & Monotelitæ, in Synodo 6. reiecti. Quas omnes hæreses Apostoli breuissimo verborum compendio iugularunt, dicendo: *Christum conceptum esse de Spiritu sancto, natum ex Maria Virgine*: hoc est, Vnigenitum Dei Patris Filium, verum & integrum Hominem assumpsisse in vnitatem Personæ suæ, qui conditorio opere factus sit Spiritus sancti virtute, ex purissimis sanguinibus Beatæ Mariæ Virginis, idémque natus ex eadem, nouem mensium tempore effluxo.

Fulgen. lib. de incarn. & lib. 3. ad Tra. ca. 16. Damascen. lib. 3. cap. 3. Ambr. de incarn. Dominicæ sacramento. Niceph. lib. 18. Histor. cap. 45. Monotelitæ.

CAP. CLVIII.

Natus ex Maria Virgine.

HIs verbis profitemur, Vnigenitum Dei Filium non per Virginem, sicut aquam per canalem, transisse; sed tanquam Verum Filium ex eius substantia, ei secundùm speciem similem editum: non quidem per os, aures, vmbilicum, vel aliud insolitum membrum; sed per claustra pudoris, genitalíque membra, diuina virtute non relerata, sed clausa. Sic enim nasci decebat, quem fides ma-

Christus natus per genit. claustra Virginis non reserata. Augu. Enchir. c. 34.

tris non libido conceperat: vt non minùs saluæ esset B. Virginis integritas in Filij Dei Natiuitate, quàm Aug. ep. 5. fuerat in Conceptione, quam non operatio viri, sed potentia Spiritus sancti effecerat.

Verè itaque Christus natus est, Ex Maria. *Ex Maria*, non solùm in Maria; quia sibi corpus ex eius sanguinibus ædificauit, secundum quod temporaliter conciperetur, & nasceretur. Vndè veraciter *factus ex muliere* dicitur, Galat. 4. *Ex semine Dauid secundùm carnem*, Rom. 1. *Et quod nascetur ex te sanctum*, Luc. 1. Promissum erat Abrahę, *quòd in semine ipsius gentes benedicerentur*, Genes. 24. *Ex femore Iudæ Christus nasciturus* prædicitur Genes. 49. *De fructu ventris* DAVIDIS: Psalm. 131. DE RADISSE IESSE, Isaiæ 11. Quæ omnia impleta fuisse scribit Apostolus, dum *Filius Dei semen Abrahæ apprehendit*, Hebr. 7. Et *ex Iuda & Dauide ortus est* DOMINVS, Hebr. 7. & Apoc. 5.

Christi caro quomodo in Adamo fuerit? Ex quibus manifestum est, Christi Carnem fuisse in Adamo, eiúsque posteris, secundùm originem, & corpulentam substantiam (quia inde materia profluxit) sed non secundùm rationem seminalem: quia

Christi caro secundū rationem seminalem non fuit in Adamo. non per virtutem seminis ab Adamo promanentis coitu viri efformanda erat Caro Christi; sed modo planè nouo, per operationem Spiritus sancti. Vndè sequitur, Christi carnem nunquam peccato in Patribus obnoxiam fuisse, quia non actu, sed potentia solum ibi fuit, per modum originis, non communis vti propagationis, quæ fit cooperatione virilis seminis.

Nec in lūbis Abrahæ decimata fuit. Hebr. 7. Quare *nec in Abrahæ lumbis Christi caro decimata fuit, sicut caro Leui*, quoniam ibi non fuit actiua virtute seminis producenda; vt Apostolus sapienter annotauit, & Augustinus fusè tradit, libr. 10. de Gen. ad lit. cap. 19. & 20.

Eodèm pertinet, quod Apostolus docet, *Verbum non assumpsisse carnem peccati, sed habentem similitudinem carnis peccati*: hoc est non sumpsisse carnem peccato subiectam, sed tantùm mortalitati, miseriis, passionique obnoxiam. Idque voluntate ac dignitate, non necessitate, *vt per omnia fratribus assimilaretur, excepto peccato*, & defectibus mysterio redemptionis non profuturis; imò perfectioni suæ personæ contrarijs: qualis est ignorantia, necnon concupiscentia etiam inuoluntaria. Cùm itaque Verbum assumpserit, secundùm hypostasim immediatè, quidquid ad veritatem & integritatem humanæ naturæ, adeóque quidquid requiritur ad consistentiam, conseruationem, conuenientémque statum corporis humani, & ad exercendas vitæ operationes; consequitur, Verbum assumpsisse secundùm hypostasim non solùm veram animam rationalem, intellectu & voluntate cæterísque potentijs præditam; sed verum insuper corpus humanum, animæ rationali vnitum; ex qua vnione resultat immediatè hæc natura humana existens in diuina persona. Vnio enim animæ & corporis, est de essentia humanitatis & hominis. Quia verò corpus integrum & perfectum assumpsit, sequitur partes omnes assumpsisse, quas in primo homine plantauit, scilicet ossa, carnem, sanguinem, alioſque humores, ac dentes, vngues, capillos, barbam, necnon partes omnes organicas ad constitutionem vel operationem corporis humani concurrentes. Siue enim sanguis & capilli anima rationali informentur, siue non; quia tamen sanguis ad integritatem animati

Similis carni peccati, quia mortalis. Rom. 8. Aug. lib. 5. cont. Iul. cap. 9.

Aug. lib 1. de peccat. merit. cap. 24. & 25.

animati corporis humani pertinet, certum est, à Verbo hypostaticè assumptum, nec vnquam à Verbo dimissum, etiamsi passionis tempore ad tempus à corpore seiunctus fuerit. Crines insuper cùm ad humani corporis complementum ornatúmque pertineant, dubium non est, quin à Verbo secundùm hypostasim assumpti sint. Nam & post resurrectionem corporibus futuros capillos & vngues tradit Augustinus libro 22. de ciuit. capite 19. Enchiri. capite 88. Et in Christi corpore hæc omnia post resurrectionem exstitisse indubitatum est. Quod autem Damascen. libro 3. capite 27. ait: *quod semel* (Verbum) *assumpsit, nunquam dimisit*, intelligendum est de partibus per se assumptis, nec in continua resolutione sitis. Alioqui Verbum de nouo partes quasdam materiales sibi vniuisse, ac dimisisse per nutritionem compertum est.

Similiter in sua hypostasi mediante humanitate Verbum sibi accidentarias formas vniuit. Pertinent equidem illæ quoque ad naturalem hominis statum, perfectionem, conseruationem, necnon operationem. Simul autem tempore Verbum sibi proximè & immediatè omnes hominis partes essentiales vniuit, nec ordine executionis, animam priùs quàm corpus, sed ordine dignitatis ac intentionis, sumpsit corpus propter animam.

Sciendum autem, Verbum ita corpori & animæ inter se vnitis fuisse independenter coniunctum, vt dissoluta eorum inter se vnione permanserit eadem omnino vnio eorum ad Verbum: vndè constat, carnem independenter ab animæ informatione proximè Verbo fuisse vnitam. In triduo itaque mortis corpus mansit Verbo vnitum, non minùs quàm anima. Non tamen rectè diceretur, quòd verbum tunc fuerit corpus vel anima: quia denominatiua, quæ prædicantur, significare debent non partem, sed esse completum. Siquidem Christus non dicitur pes, manus, &c. sed HOMO DEVS.

Leo ser. 11. de pass. Domini.

CAP. CLIX.

Vtrùm B. Virgo, Mater Dei dicenda sit?

CVm B. Virgo Verbum carnem factum in vtero conceperit & pepererit, Verbúmque Deus sit, necessariò efficitur, B. Mariam propriè Dei Genitricem, Deiparam, seu Theotocon esse, atque dici debere. Quod agnoscens Elizabetha, *vndè*, ait, *hoc mihi vt veniat Mater Domini mei ad me?* Et ipsa B. Virgo: *Fili, quid feciſti nobis sic?* Et Angelus, *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Isaias quoque capite 7. *Ecce Virgo concipiet in vtero & pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel, quod interpretatur, nobiscum Deus.* Dum autem B. Mariam Dei Matrem esse pronùnciamus, non denunciamus eam Diuinitatis esse principium, sed *personæ*, (quæ sit *Deus & Homo*) *consubstantialem matri carnem habentis, genetricem*, vt docet Damascen. lib. 3. capite 12. Fulgent. de Incarnat. capite 2. & libr. de fide ad Petrum c. 2. Hinc Matthæus capite 1. volens ostendere promissiones olim Patriarchis factas, in B. Maria completas esse, texens genealogiam *Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham*, concludit: *genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Et vbinam peperit? sanè non alibi quàm in Bethlehem; ex

B. Virgo, Mater Dei ac Deipara rectè dicitur.

Luc. 2. & 3.

Micheæ 5.

quòd esset de domo et familiâ Dauid: vt Micheæ prophetia adimpleta iam esse probaretur.

Vtrùm autem in Christo duæ sint relationes filiationis reales, an vna tantùm, inter Doctores Scholasticos disputatur. Diuus Thomas, Damasceni authoritate nixus, sentit vnicam esse realem in Christo filiationem, ideo, quia non multiplicentur ea, quæ personis propria sunt, inter quæ Filiatio est. Alij tamen sicut duas naturas duasque natiuitates, ita & duas in Christo reales filiationes agnoscunt, quarum altera sit personalis proprietas, altera verò tantùm relatio in natura humana fundata, secundùm quam Christus Matri specie similis genitus est.

3. p. qu. 35. art. 5. Damascen. lib 3. c. 13. Aug. Enchir. 35. & 38.

Ad argumentum itaquè S. Thomæ respondent, multiplicari posse relationes reales, quæ ad Christi suppositum immediatè, ac per se haud pertinent, sed tantùm mediante natura creata à Verbo assumpta: qualis est Filiatio, respectu Matris. Quantum verò excellentiæ nomen Deiparæ B. Virgini adferat, intelliget, qui animaduerterit, nihil maius aut nobilius post hypostaticam vnionem creaturæ communicari posse, quàm omnium rerum conditorem & Regem concipere & parere, Deique verè Matrem esse. In quo vno Deiparæ nomine, quod omnium Prophetarũ oraculis prænunciatum est, continetur, atque totum humanæ liberationis mysterium commendatur. Itaquè huius eminentis conceptionis merito *B. Maria, cœlorum Regina, super omnes angelorum choros exaltata* prædicatur. Quod Ecclesia subindicat, quando in festis B. Mariæ Christi genealogiam proponit, cuius conclusio est: *Iacob autem genuit Ioseph, virũ Mariæ, de qua natus est* IESVS *qui vocatur Christus*: quia nihil de B. Virgine sublimius dici potest, quàm quòd de ea natus sit IESVS, *qui vocatur*, & verè quidem *Christus*, id est, Deus, Homo factus est: vt ipsa veraciter dicere possit, *Fili quid feciſti nobis sic?* Lucæ 3. *Quem Pater introducens in orbem terrarum, ab omnibus angelis adorari iubet*, & de quo loquens asseruit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audite.* Quod agnoscens mulier, typum Ecclesiæ gerens, Christo iurè acclamauit: *beatus venter, qui te portauit, et vbera quæ suxisti.* Lucæ 11. siquidem verè beata est Virgo, quæ Deum mente, necnon vtero concepit, fouit, peperit, eiusdem Mater, cuius æternus Deus Pater.

Scotus, Durandus, & alii in 3. sent. dist. 8.

Deiparæ nomen quantam contineat eminentiã.

Cur in festis B. Mariæ genealogia proponatur.

Hebr. 1.

Matth. 17.

CAP. CLX.

Quòd Christus absque Matris tædio vel dolore conceptus natúsque sit.

QVemadmodum B. Virgo in Filij Conceptione nullam carnalis concupiscentiæ voluptatem sensit, ita nullũ posteà tædium, vel molestiam in vtero gerẽdo pertulit, vt ex Ascensione in montana loca confestim à conceptione, necnon expedita in Bethleem, instante partu, profectione colligi potest. Ac sicuti cum gaudio & lætitia existens grauida leuem sarcinam vtero gestauit, ita expleto nouem mensium termino, sine aliquo dolore, cruciatu, vel pudore Filium in lucem edidit. Iustum siquidem erat, vt in partu dolore careret, quæ in Conceptu voluptatem non perceperat.

Christus absque Matris tædio portatus.

Virgo sine dolore peperit.

Aliarum quidem puerperarum viscera mole fœtus violenter dilatari solent, vnde ingens dolor in partu sequitur: at Christus absque

vllà meatuum apertione, clauſo matris vtero, ipſum penetrando egreſſus eſt, ſaluâ Virginis integritate, ſicut clauſo ſepulchro ianuiſque clauſis, egreſſus & ingreſſus legitur, vt impleretur illud Iſaiæ capite 7. *Ecce virgo concipiet et pariet filium*: & capite 66. *antequam parturiet, peperit maſculum*, qui cùm veniret ad ſanandum infirmitates peccato contractas, imprimis à matre maledictionem Euæ tollere decebat. Quòd autem B. Virgo immunis à communi puerperarum languore fuerit, Lucas apertè ſignificat cap. 2. enarrans, quòd ipſa puerum in lucem editum confeſtim pannis inuoluerit, & in præſepio collocauerit; à ſolita parientium infirmitate, tam in partu aliena, quàm in conceptione ab omni corruptione fuerat. Nulla proindè ibi obſtetrix, nulla mulierculârum ſedulitas interceſſit, eadem mater incorrupta & obſtetrix fuit, non decumbens ægrotantium puerperarum more peperit, nec lecto, culcitris, fomentis, aliiſue ſubſidiis indiguit, ſed flexis poplitibus editum in lucem Filium, ipſum *quem genuit adorauit*, vt latè Hieronymus contra Heluidium. Vndè Pictores atque Sculptores reprehendendi ſunt, qui arcanam & ſalutarem Domini & Saluatoris noſtri generationem per mulierem lecto decumbentem exprimunt, & qui ſimilâ coctâ prætextu honoris ſecundinarum impolluta Beatæ Virginis ſe mutuò donant. Sacra enim Virgo deuotam ſoboli clientelam exhibuit, natum attrectat, amplectitur, iungit oculum, vbera porrigit: negotium toto gaudio plenum eſt: nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio, non locus ibi lauacris, quæ puerperis præparari ſolent, quippè nulla naturæ iniuria matrem læſerat: ſine tormento peperit, quæ in conceptione nullam carnis voluptatem percepit, & tamen legem atque conſuetudinem ſequens, vt legi ſatisfaceret, quaſi cum aliis mulieribus ei in hoc opere ratio ſimilis eſſet, domi ſe diebus conſtitutis diligenter continuit, & depoſiti oneris laſſitudinem profeſſa, oblatæ quieti paruit, & in diebus ſeparationis non ſe à thoro Ioſeph, qui eam nunquam tetigit, ſed ab ingreſſu Templi, & cæteris, quæ prohibebat, ſubſtraxit.

In partu à dolore aliena fuit B. Virgo.

Natiuitas Chriſti facta cum gaudio.

Concil. Conſtantinop. 6. can. 79. & Balſam. in expoſ. cant. 81.

Cyprian. in ſer. de Chriſti nat.

CAP. CLXI.

De loco Natiuitatis Chriſti, tempore, aliiſque circumſtantijs.

BEthleem Chriſtus ſuæ Natiuitati prælegit, vt ſe fructum Dauidi à Deo promiſſum eſſe oſtenderet: Regalem verò ciuitatem Hieruſalem paſſioni deſtinauit, vt hominum vanitatem confunderet, qui ex loco Natiuitatis gloriam aucupari ſolent, infirmitates quoque ſuas quantum poſſunt occultant. Poſteà verò Romam, caput mundi, in ſignum plenæ victoriæ ſubegit, ibique Vicarium ſuum, caput Eccleſiæ militantis viſibile reſidere voluit. Petri enim Apoſtoli, ſui in terris Vicarij, ſedem ibi erigi decreuit, apertóque prodigio hoc ipſum manifeſtauit, quando factus obuiam Petro, Neronis Tyranni minas inſtinctu fidelium declinanti, eidem reditum in vrbem Romam imperauit, dicendo: *Venio Romam crucifigi*. Vt nimirùm cathedra Petri, ſupremáque Eccleſiæ Chriſtianæ authoritas ibi firmaretur, atque Iſaiæ

Natiuitatis Chriſti locus, tẽpus, circumſtantiæ. Micheæ 5. Pſalm. 71. Lucæ 2.

Romam Chriſtus in ſignum plenæ victoriæ ſubegit.

Egeſippus li. 3 cap. 2. Ambr. oratione in Auxentiũ. Chriſtus Romam elegit, vbi ſedem Vicarii ſui poneret.

Isaiæ 26. vaticinium adimpleretur : *ciuitatem sublimem conculcabit pes pauperis.*

Præterea Bethleem, *Domum panis* significat: atqui Christus *panis* est *verus, qui de cœlo descendit.* Conuenienter itaq; in Domo panis nascitur verus animarum fidelium cibus. Iudæi verbo Isaiæ abusi: *Generationem eius quis enarrabit?* dixisse Ioannis 7. leguntur: *Christus cùm venerit, nemo scit vndè sit* : at Legis Doctores interrogati ab Herode, vbi Christus nasceretur, expeditè responderunt : *In Bethleem Iudæ,* iuxta Micheæ vaticinium, capite 5.

Ioan. 6.

Greg hom. 8. in Euag.

Isaiæ. 53.

Cur in diuersorio?

Nasci porrò voluit *in diuersorio*, primùm, vt Virginei partus sacramẽtum occultaretur. Nã si in habitationis suę loco peperisset, B. Virginis cognatæ illam inuisere, obstetrices aduocare, nisi patefactum eis mysterium fuisset, attentassent. In suburbano similiter loco nasci elegit, vt pastoribus commodior accessus, magisque adoraturis præberetur, minúsquè obseruarentur, quæ ibi miranda contingerent. Deniquè in hospitio nasci placuit, vt nos esse peregrinos *nec manentem in terris habere ciuitatem, sed futuram inquirere* admoneret.

Cur tẽpore vnius imperij?

Tempus verò nascendi elegit, quo Princeps vnus Orbi penè vniuerso imperabat, vt se Pacis authorem declararet, qui terrena cœlestibus, Iudæósque Gentibus reconciliaret : ex quibus simul collectis vnum ouile constitueret. Regnante autem Herode alienigenâ Christus venit, vt Prophetiam de Sceptro à Iuda non auferendo, donec promissus Messias veniret, impletam esse constaret.

Lucæ 2.
Gal. 4.
Ephes. 2.
Ioan. 10.
Regnante Herode.
Gen. 49.

In hyeme.

In Hyeme nascitur, vt dominantibus tenebris errorum, peccatorúmque frigore, se aduenire monstraret nullo scilicet in hominum affectibus feruente charitatis ardore.

Crescente luce.

Crescente luce natus est, vt se venire insinuaret *ad illuminandum eos, qui in tenebris, et in vmbra mortis sedent*, vtque algentia hominum corda Dei amore inflammaret.

Lucæ 1.

De muliere.

Porrò, *de muliere* nasci elegit, vt Incarnationis veritas astrueretur, nec phantasticum corpus habere putaretur: tum etiam, vt sexum vtrumque in reparationis spem adduceret: virilem in quo nasceretur, fœmineum, per quem. Congruebat enim, vt sexus vterque, qui corruptionis causa fuerat, instaurationi cooperaretur: *vt neque vir sine muliere, neque mulier sine viro esset in Domino*; Augustin. libr. 6. cont. Iulian. capite 10. Lib. de agone Christiano cap. 22. Equidem decebat, vt quẽadmodum per fœminam mors intrauerat, ita & per fœminam vita rediret, vt vir per fœminam lapsus, per mulierem erigeretur: ac postremò, vt fœmineus sexus viro beneficium acceptum rependeret. Nam Eua ex solo viro adhuc virgine fuit edita sine matre : cuius gratiæ mutuum officium B. Virgo reddidit, quando virum ex seipsa impolluta sine viri cooperatione concepit & peperit Spiritus Sancti virtute, atque ita quadruplicem humanæ generationis modum compleuit. Productus enim Adam fuerat absque viro & fœmina ex Terra virgine, ac Eua ex solo viro: Seth autem, nósque omnes ex viro & fœmina: supererat, vt ex fœmina sine viro aliquis prodiret, quod priuilegium Christo reseruatum fuit, vt nouo, anteáque non viso modo ex fœmina Virgine absque viri seminatione nasceretur.

1. Cor. 11.

Quatuor modis homo productus.

CAP. CLXII.

Ex Maria.

Ex triplicē habitudinē denotat scilicet cōsubstantialitatis, causæ atque ordinis.

EX Maria, tanquam Matre, materiam corpoream in visceribus locisque consuetis suppeditante, conceptus & natus est Dominus. Particula, EX, aliquando habitudinem Consubstantialitatis, qua vnū ex alio, velut ex substantia producitur, denotat, quo modo ex patre filius nasci dicitur, aut matre. Nonnūquam particula, EX, habitudinem Causæ efficientis, formalis vel materialis significat: hac ratione omnes creaturas EX DEO esse dicimus; atque hominem Ex terra, ex corpore & anima, vestem, ex lana vel pellibus. Tertiò, EX, habitudinem Ordinis exprimit, vt cùm omnis creatura ex nihilo esse, & totum constare ex partibus, asseritur.

Ambr. li de Spiritu sancto cap. 5. Aug. Enchir. c. 40.

De nomine B. Virginis Mariæ.

Maria nomen quid significet?

NOmen Deiparæ Virginis est MARIA. Quod nomen authore Hieronymo interpretari possumus, *Dominam eorum.* Qua significatione aptissimè dignitas B. Virginis indicatur. Iure siquidem supremi omnium creaturarum Domini, Regis, atque Saluatoris humani generis Mater, DOMINA MVNDI nuncupatur, REGINAQVE CÆLI salutatur, ex qua videlicet vtriusque conditor & rector nasci dignatus est. Athanasius vocat *Heram, Dominam, Reginam*, aliique Veteres similibus epithetis extollunt. Athanas. sermon. de Deipara. Epiphanius hæresi 78. Damascenus lib. 4. cap. 15. Beda in 1. cap. Lucæ. Bernardus super *Salue regina.* Chrysologus serm. 142. Ambrosius lib. de institut. virgin. cap. 5. II. Significatio nominis Mariæ iuxta Ambrosium est: *Deus ex genere meo.* In quo significato nomen aptissimè illi conuenit, quæ Deum hominem factum concepit & peperit. III. Maria interpretatur *Maris Stella*, & *illuminata*: quæ significatio illi congruit, quæ turbulentum huius mundi salum pariendo solem iustitiæ illuminauit: vt comprobat Ecclesia canendo: *Aue maris stella.* Hęc est enim nobilis illa Stella, Numerorum 24. prænunciata, quæ absque sui corruptione radium emisit, qui suo splendore mundum vniuersum illuminauit, frigida hominum corda igne charitatis inflammauit, peccatorum fæces excoxit. Hæc denique Stella est, quæ super hoc mare procellosum eleuata micat meritis, illustrat exemplis. Bernardus serm. 2. super *Missus est.* IV. Maria significat *Mare amaritudinis*, siue *Myrrham maris.* Quæ significatio illi aptè competit, in quam ex deliciarum loco Dei Filius, velut in amaritudinis mare venit, ex qua carnis mortalitatem, aliásque humani generis miserias assumpsit, vt Ambrosius obseruauit libro de virg. instit. cap. 5. Ac insuper *Mare amaritudinis* rectè vocatur, cuius animam doloris magnitudo passionis Filij tempore compleuit.

Hieronymus interpretatione Hebr. nominum.

Maria I. Domina, Heya.

II. Maria, Deus ex genere meo.

III Maria, Matris Stella.

IV. Maria, id est, mare amaritudinis.

De dignitate, excellētia, gratia & gloria B. Virginis.

CAP. CLXIII.

De Virginitate B. Mariæ.

Virginitas B. Mariæ.

NE quis porrò Dominum aliorum hominum more conceptum aut natum suspicaretur, addimus, nos credere, Christum esse natum *ex Maria virgine*, incorruptâ scilicet mente & corpore, libera & omnino experte delectationis Vene-

Virginitas trifariã sumitur.

ræ in conceptione, necnon corruptione in partu & post partum. Nomen enim virginitatis trifariam accipi solet.

Primo, vt naturalem membrorum integritatem significet: quæ virginitas naturalis nuncupatur, & per violentiam auferri potest, reserato virginalis pudoris signaculo. In hac significatione Rebecca *virgo incognita viro* dicitur, & Sichem vi oppressisse virginem, Gen. 34. Et Moyses Exodi 22. & 29. *Si quis seduxerit virginem.* Et lib. 3. Regum cap. 3. *Et filiæ regis virgines.* Item lib. 3. Regum cap. 1. *Quærimus Domino nostro Regi adolescentulam virginem.* Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet et pariet filium.* 1. Cor. 7. *Si nupserit virgo, non peccauit.*

Aug. li. 1. de ciuit. c. 18. Gen. 24.

Virginitas primò significat integritatem naturæ.

II. statum Virginitatis.

Secundò Virginitas significat statum castitatis; exigens, vt persona voluntariè polluta non sit, atque sine contagio venerearum voluptatum se conseruare proponat, nisi matrimonio iungatur. Qua significatione vocantur *castæ virgines*, de qualibus loquitur Euangelium Mat. 25. & Apostolus 1. Corinth. 7. *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit.* Iuxta hunc acceptionem distinguuntur status Virginalis, Vidualis, & Coniugalis.

III. Virtutem continentiæ.

Tertiò Virginitas pro speciali virtute continentiæ sumitur, qua carnis integritas Deo vouetur, consecratur, & seruatur. Quæ virtus supra castitatis statum hominis proposito addit perpetuitatē voto firmatam. De qua Augustinus in lib. de virginitate cap. 8. differit. & Apostolus 1. Corinth. 7. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, &c. Huiusmodi virgines fuere quatuor Philippi filiæ, de quibus Act. 21. quas Eusebius in Polycrate in perpetua virginitate consenuisse scribit. Tales virgines Ioan. Apoc. 14. commendans ait: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt*, perpetuo scilicet, & electione libera *se castrantes propter regnum Dei*, vt eum locum Veteres interpretantur: Hieronymus contra Heluidium. Augustinus libro de S. Virg. c. 27. Greg. lib. 3. past. c. 29. Primasius, Beda & alij in 14. c. Apoc. Et Philo, libr. de vita contemplat. testatur, initio Ecclesiæ plurimos cælibem vitam delegisse, nec vllam gentem, sicut Christianos, virginitatis atque cælibatus cultores extitisse, Iustinus & Tertullianus scriptum reliquerunt. Iustinus Apol. 2. Tertullian. Apolog. cap. 9.

Secundùm autem hos omnes modos B. Mariam semper Virginem fuisse, ac remansisse credimus. Iuxtà illud Isà. *Ecce virgo concipiet & pariet filium.* Nihil autem noui Dominus fecisset, si ea, quæ priùs Virgo extiterat, per suæ integritatis corruptionem posteà concepisset, atque peperisset. Nam id quotidianũ est. quò & pertinet illud B. Virginis Lucæ 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quia statui non cognoscere, imò virginitatem meam iam pridem Deo consecraui? Bernard. sermo. 2. super *Missus est.* 3. & 4. Aug. li. de virgin. cap. 4. Lib. 4. contra Iulianum ca. 9.

Quando B. Virgo vouerit?

Quo autē tempore B. Virgo suam virginitatem Deo vouerit, non æquè certum est. D. Thom. & Petr. Lombard. existimāt, ab initio puellaris ætatis votum continentiæ in desiderio quidem habuisse, sed non nisi post desponsationem consensu Ioseph vouisse. Idque persuasi ex eo, quòd non solùm nubere, sed etiam velle nubere virgini sacræ dānabile sit, cùm enim carnalem copulam consentire non liceat, quod ad matrimonij essentiam pertinere vi-

1. Tim. 5.

Lib. 4. Sent. dist. 30.

3.p.q.28. ar.8. detur, cùm sibi mutuò coniuges potestatem corporum tradant.

Ioseph Virgo remansit. Alijs tamen doctoribus scripturis conformius apparet, quòd B. Virgo peculiari Dei directione, angelicoque consilio, ante desponsationem, cum Ioseph virginitatis emiserit votum, credens, Dei ope futurum, vt desponsaretur viro, qui non esset ipsius virginitatem violenter ablaturus, sed protecturus, imò voti quoque virginitatis ipse consors futurus. Nam B. Cæciliam de Valeriano idem sperasse atque obtinuisse legimus. Nequè verò nubendo B. Maria contra votum priùs emissum quidquam admisit, siquidem desponsando Ioseph, non in carnalem copulam, sed in eius coniugalem societatem consensit, vt notat Augustinus lib. 1. de nupt. & concupis. cap. 11. & lib. 5. cont. Iulian. cap. 9.

6. Cæcilia.

Puritas B. Virginis figuris adumbrata. Exodi 3. Cuius B. Virginis absolutissimam puritatem ac munditiem variæ Testamenti Veteris figuræ adûbrarunt. Imprimis Rubus, qui non comburitur, iuxta Bernardum serm. 2. super *Missus est*. II. Vrna aurea, in qua manna recondita est. Exodi 16. ad Hebr. 9. Ambrosius serm. 3. III. Arca de lignis Sethim composita, Exodi 25. IV. Virga Aaronis, flores germinans, de qua Num. 17. Isaiæ 11. V. Vellus Gedeonis, rore plenum, de quo Iudicum 6. Caro enim Christi sumpta est de carne virginis absque detrimento virginitatis, cui distillantibus cœlis sese plenitudo diuinitatis infudit. Et vellus cùm sit de corpore, nescit corporis passiones, sicut virginitas cùm sit in carne, vitia carnis ignorat. Bernardus serm. 2. super *Missus est*. & sermon. 2. de annunciat. Chrysologus sermon. 143. VI. Figura est *terra, quæ dat fructum suum*. Psalm. 66. & 84. *Veritas enim de terra orta, Christus est de Virgine natus*, Augustinus tractat. 41. in Ioannem. VII. B. Virginis integritatem Porta clausa significauit, per quam solus Dominus Deus Israël ingreditur & egreditur, Ezech. 44. VIII. Lapis de monte abscissus absque manibus, designauit Christum, de vtero B. Virginis absque virili semine proditurum: Danielis 2. & Hieronymus ibidem. IX. Candelabrum aureum, de quo Zachariæ 4. X. Vermis de ligno sine coitu nascens. Psalm. 21. *Ego sum vermis*. Augustinus in eum locum, & epistol. 120. capit. 8. XI. Nubes leuis, de qua Isaiæ 19. iuxtà Hieronymum in illum locum. Ambros. libr. de instit. Virg. capit. 13.

B. Virgo Dei suâque præparatione idonea facta est, vt mater Dei fieret. Præterea quoniam virginitatis puritas Dei Matrem decebat, Deus Mariam elegit in matrem, eique virginitatis perpetuæ affectum inspirauit, vt eo modo præparata digna fieret atque idonea Dei munere; suâque dispositione mater Dei, vt Ambrosius epist. 82. his verbis expressit: *Quanta virginitatis gloria, quæ meruit à Christo eligi, vt esset etiam corporale Dei templum?* Quibus verbis non significat Ambrosius, B. Virginem electam esse in matrem Dei propter opera ipsius præuisa, quoniam prædestinatio ad hanc tantam gloriam prorsus gratuita fuit: sed indicare voluit, quòd B. Virgo gratis electa, vt mater Dei esset, ad tantam dignitatem capessendam adiutâ diuina gratia se præparauerit, idoneámque & capacem ad executionem tanti mysterij reddiderit. In quâ sententiam Aug. lib. de nat. & grat. c. 36. dicit: *cõcipere meruit et parere Saluatorem.* Et Hier. epi. 22. de custodia Virg. *Propone tibi Mariã, quæ tãta exitit puritate, vt mater Domini esse mereretur.* Am-

Quomodo B. Virgo meruit Dei mater fieri?

brof. lib. 2. de virg. *digna fuit, ex qua Filius Dei nasceretur.* Basilius hom. de Christi generatione: *digna Vnigeniti diuinitati coniungi fuit.* Chrysostomus homil. 49. in gen. *habita digna, vt huic ministerio deseruires.* Epiphanius hæresi 78. *digna facta est habitaculum fieri Filij Dei.* Damascen. lib. 4. c. 15. *Mariam summo Deo dignum Templum* appellat. Bernardus sermone 1. de Assumptione, & cap. 4. *Quæ vel angelica puritas virginitatis illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus sancti sacrarium fieri, & habitaculum filij Dei?* Vnde canit Ecclesia: *Quæ sola digna fuit portare Regem cœlorum & Dominum.* Similia habet Fulgentius lib. de Incarn. & Gratia cap. 7. Gregor. lib. 1. Reg. cap. 1. *Incomparabilibus illustrata meritis, Dei Vnigenito, in quo recumberet, sacrum præparauit vterum.* Anselmus de laudibus virginis cap. 8. *Sanctissima puritas omnis creatura puritatem transcendens incomparabili sublimitate hoc promeruit, vt reparatrix perditi orbis plenissimè fieret.* Quibus veterum sententijs insinuatur, diuinam sapientiam & bonitatem conuenientibus medijs personam illam adornasse, cui tantam collaturus esset dignitatem, vt seipsum in verum ac proprium filium præberet.

CAP. CLXIV.

Cur ex Virgine Dei Filius nasci voluerit?

QVamus ex vidua, vel etiam coniugio vtente fœminâ Verbum Dei carnem assumere potuerit, ex Virgine tamen nasci voluit. I. Quia decebat vnigenitum Dei naturalem filium secundùm diuinitatem, non alium habere naturalem patrem, quàm Deum, ne quidem secundùm humanitatem. II. Conueniebat, vt qui secundùm diuinitatem solum Patrem absque matre habebat, secundùm humanitatem quoque absque Patre Matrem haberet. III. Omninò congruebat, vt sicut mētis Verbum absque corruptione concipitur, ita Verbum Dei carnem sine Matris corruptione conceptam assumeret. IV. Dignitati personæ Christi aduersaretur, concipi per carnis concupiscentiam, peccato infectam, cùm ipse ad peccatum abolendum veniret. Augustinus Enchiridij c. 34. & 40. V. Oportebat insigni miraculo Ecclesiæ caput nasci de Virgine, vt sua corporali Natiuitate adumbraret spiritualem suorum membrorum de virgine Ecclesia regenerationē. Quemadmodum enim Filius Dei factus est Homo in vtero Virginis, ita homines renascuntur filij Dei per vndam Baptismatis. Augustinus lib. de S. Virginit. cap. 6. VI. Congruebat, vt secundus Adam ex Virgine, sola Dei concurrente virtute nasceretur, sicut primus Adam à Deo ex terra virgine plasmatus fuerat.

Cur ex Virgine Verbum nasci voluerit?

Postremò conueniebat, vt sicut per virginem serpens lætiferum virus, ita per Virginem Deus salutis antidotum propinaret: vt quemadmodum per Virginem mors, ita & per Virginem vita rediret, virginisque Euæ, Maria Virgo fieret aduocata. Irenæus libr. 3. cont. hæreses cap. 31. 33.

CAP. CLXV.

Vtrùm Virgo naturaliter concipere possit?

DIuus Augustinus lib. 14. de ciuit. cap. 26. sentire videtur, hommes

homines in statu naturæ integræ salua virginitate fuisse generaturos, quia potuisset vtero coniugis salua integritate fœminei genitalis virile semen immitti, sicut nũc potest eadem integritate salua ex vtero Virginis fluxus mẽstrui cruoris emitti. Nec ad pariẽdum doloris gemitus, sed maturitatis impulsus fœminea viscera laxasset. Similiter ad fœtandum & concipiendum non libidinis æstus, sed voluntarius vsus naturam vtramque coniunxisset. Quia tamẽ per reserationem & dilatationem membrorum, necnon commixtionem sexuum & seminum generatio facta etiam in statu innocentiæ fuisset, opposita sententia tenenda est, videlicet mulierem absque miraculo non posse salua integritate virginitatis concipere vel parere. Non enim ad retinendam virginitatem sufficit, quòd genitalia membra nutu voluntatis absque turbido motu libidinis suo fungantur officio: sed præterea necessarium est, claustra pudoris non aperiri. Vndè passim Veteres asserunt, Christum ex clauso B. Virginis vtero exijsse quemadmodum ex occluso lapide sepulchro postea rediuiuus prodijt.

Virgo naturaliter cõcipere ac parere nequit.

CAP. CLXVI.

De Hæresibus Virginitati B. Mariæ contrarijs.

TRiplex hostium Virginitatis Deiparæ acies profligãda est.

Prima eorum, qui Christum ex Ioseph & B. Maria hominum aliorum more genitum contendunt, ac proinde Virginitatem in Conceptione saluam fuisse negant. In qua acie sunt Iudæi, omnésque illi, qui Christum purum fuisse hominem arbitrantur, vt Ebion, Cerinthus, Photiniani, Carpocratiani: quibus omnibus ex professo Ioannis Euangelium oppositum est, in quo legimus, *Verbum in principio fuisse, omniáque per ipsum facta esse, ac tandem factum esse carnem, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis aut viri*, vt Hieron. libr. de viris illust. in Ioanne monet, atque Irenæus, Tertullian. Epiphan. Augustin. & alij cont. hæreses differentes. Aduersus quam hæresim vnicum Isaiæ testimonium sufficiat, c. 7. *Ecce virgo concipiet et pariet filium.* Quam prophetiam Matthæus c. 1. & Lucas c. 1. in B. Maria completam fuisse ostendunt. & Hieron. (in 7. c. Isaiæ, lib. 1. cont. Iouinian. li. cont. Heluid. & in lib. Hebraic. tradit. in 24. c. Gen.) declarat vocem Hebream, *Alma*, significare puellam abscõditam, quæ virorum aspectibus non patuerit, sed parentum diligenti cura obseruata sit, quales sunt virgines: ideóq; *Virginem* aptissimè vox illa denotat.

Vox Alma, quid significet Hebræis?

Secunda hostium acies B. Mariã in partu Virginem remansisse negat; cuius antesignanus fuit Iouinianus, idque, ne fateri cogeretur, Christi corpus phantasticum esse. Ambrosiũ enim Manichæum esse calumniabatur, quia permanentem B. Mariæ Virginitatem defenderet, Augustin. teste lib. de nupt. & concupisc. c. 5. Contra hanc hæresim scripsit Ambr. epist. 81. & Hieron. libr. cont. Iouinianum. Quam hæresim apertè confutat illud Isaiæ 7. *Ecce virgo concipiet & pariet filiũ.* Et Ezechiel. illud cap. 44. *Porta hæc clausa erit; non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam.* Quę autem est hæc porta, nisi B. Virgo, *per quã in hunc mundum Christus intrauit, quoniã Virginali partu pudoris claustra non resoluit?* vt tradit Ambros. lib. de instit. Virgin. cap. 7. & 8. &

Iouiniani error.

lib. 10. epist. 81. Bernardus serm. 2. super *Missus est*.

Cauenda tamen est superstitiosa quorundam imaginatio, sententium, quòd Christus per vmbilicum B. Virginis sit egressus: vel quòd non magis per vteri claustra, quàm per genu aut oculos prodierit. Quæ si vera essent, B. Virgo nō posset dici peperisse filium, quod tamen Isaias, Matthæus, & Lucas asserunt. Quare indubitāter tenendum est, Christum infantem in quantitate ætati congruente ex B. Virgine Maria (quæ pti officia vterina exhibuit) per vteri ostium, sine apertione, aut dilatatione claustri virginalis egressum esse, diuinaque virtute partes illas penetrasse, sicut postea & clauso sepulchro prodijt, & ianuis clausis ad discipulos intrauit: vt Hieronymus contra Iouinianum, Augustinus epist. 3. Gregorius homil. 26. in Euang. & Damascenus lib. 4. cap. 15. notarunt.

Quod autem Lucæ 2. de Christo scriptum allegatur: *Omne masculinum adaperiens vulvam*, &c. non significat, ipsū genitalia matris claustra reserasse, sed primò ex ea natum esse. Namin scripturis *aperire vulvam*, periphrasis est primogeniti & fœcūditatis. Gen. enim 30. Dominus Rachelis vulvam aperuisse dicitur, quando eam fœcundauit, & vulvā Annæ clausisse, quoniam sterilis esset, 1. Reg. 2. vt latè cont. Heluidium Hieronymus deducit.

Heluidius. Tertia hæreticorum acies B. Mariam post partum virginem remansisse negat: quorum dux est Heluidius, quem libro contra eundem scripto confutat Hieronymus, adducens ex capit. 44. Ezechielis portam, per quam Dominus Deus Israël, prænunciatur transiturus, clausam permansuram. Et sanè congruū fuit, vt Dei Patris Vnigenitus secūdùm Diuinitatē, etiam Matris vnigenitus esset secundùm humanitatem. Nec decuisset, aulam Regis æterni, Templūque, in quo Spiritus sanctus Christi carnem formauerat, commixtione humani seminis profanari. Adde, quòd ingratissima videretur B. Virgo, si non contenta tāto Filio, virginitatem singulari priuilegio conseruatam vltrò proijceret: quod nefas est de Christi Matre suspicari, cuius tam immobile propositum conseruandæ Virginitatis fuit, vt ne quidem Angelo filiū promittente titubauerit. Lucæ primo, Bernardus sermone de assumptione B. Mariæ.

Deindè Scriptura testatur, Ioseph eam non cognouisse, donec Filium suum primogenitū pareret. An tam impudēs Ioseph fuisse putabitur, vt quam concepisse de Spiritu sancto audierat, atq; Deū & Messiam promissum enixam Angelorum magisterio didicerat, quem à pastoribus, atque Magis adorari viderat, intemperanter polluere attentaret? Incredibile id est, quin potiùs certū, Ioseph iustum sicut prolem, ita & Matrem postea semper in summa veneratione habuisse, nec de illa cognoscenda vel cogitasse. Imò cum Veteribus asserimus, Ioseph quoque virginem permansisse. Nā si Ioseph Patriarcha florens ætate Domini sui vxorem violare non præsumpsit, hic Ioseph Domini sui matrem coinquinare non erubuisset? Et cur Dominus moriens Ioanni Virgini Matrem curandam sollicitè commendasset, si alios ex Ioseph filios genuisset? Ioan. 19.

Argumenta verò Heluidij quadruplicia fuere. I. desumpta ex vocula, e *Antequam*, quæ non semper consequentiā, sed ea quæ præcogitantur insinuat: veluti si dicatur, *antequam pœniteret, mortuus est*, non se- Antequam.

quitur, postea pœnituisse. II. Ex voce *Donec*, quæ aliquando tempus determinatum, nonnumquam infinitum designat: vt, *oportet illum regnare, donec ponat inimicos scabellum pedum.* Qua phrasi nobis ea significantur, de quibus ambigi posset, si non fuissent scripta. Cętera verò intelligentiæ nostræ committuntur. Eandem vim habet *Vsque*, vt: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* III. Ex voce, *Primogenitus*, qua significari videtur, alios postea natos. Sed in scriptura Primogenitus vocaturis, ante quē nullus alius natus est, siue alij sequantur siue non; vt ex c. 18. Numerorum patet, vbi primogenita infra mensem redimi iubentur, non expectato sequenti partu. Neque repugnat, quòd Christus *Primogenitus in multis fratribus* dicatur, quoniam ibi eius præ alijs excellentia notatur: quòd scilicet Filius sit natura, reliqui autem sola adoptionis gratia. Nec plus vrget, quòd fratres habuisse dicatur. Nam FRATRES in scriptura ex quatuor causis nuncupantur: scilicet natura, vt vterini, cognatione, vt Loth & Abraham, gente, vt Iudæi; religione atque affectu, vt Monachi, & omnes Christiani. Christi ergo *fratres* vocantur consobrini & affines ex propinquis B. Mariæ, aut Ioseph oriūdi, vt Hieronymus in 12. c. Matth. & lib. contra Heluidium obseruat. Vbi etiam improbabilem esse opinionem admonet illorum, qui tradunt, Ioseph fuisse octogenarium senem, ac ex alia priùs vxore genuisse filios, qui fratres Domini vocentur, cùm Isa. c. 62. significet, virginem fuisse atque iuuenem: *Habitabit Iuuenis cū Virgine*, qui scilicet expeditus sit ad fugiendum in Ægyptum, & luctandum tam Matri, quàm Ioh victum. IV. generis argumenta ducuntur ex eo, quòd B. Virgo dicatur *coniux*, *vxor*, *mulier*, & *Ioseph vir eius.* Respondetur his vocibus non semper corruptam, sed grandem natu fœminam significari. Nā Gen. 2. & 3. Eua virgo, *mulier* appellatur. Et phrasi scripturæ (Deut. 20. & 22.) virgines desponsatæ *cōiuges*, *vxores*, *mulieres* nuncupantur.

Donec. 1. Cor. 15.

Vsque. Matth. 28.

Primogenitus.

Fratres Christi.

Hieron. in prologo epist. Iacobi. Epiph. hæresi 51. & 78.

Ioseph fuit iuuenis.

Coniux, vxor, mulier.

CAP. CLXVII.

Cur de Virgine desponsata Christus nasci voluerit?

De Virgine desponsata Verbū nasci, cur voluerit?

PLures huius diuinæ dispositionis causæ à Doctoribus reddūtur. I. Est, ne Dominus à Iudæis, velut spurius contemneretur. Honestius enim fuit, ad tempus existimari Christum ex coniugio natum, quàm ex fornicatione: Ambros. lib. 2. in Lucam. II. vt consueto scripturarum more Christi genealogia texeretur, non per fœmunam, sed per virum. Augustinus lib. 23. cont. Faust. c. 8. III. vt facilius & commodius Dominus educaretur, & contra persequutionem furentium protegeretur. Epiph. hæresi 87. Hieron. in 1. c. Matth. IV. vt diuinus partus diabolo celaretur; dum putat, ex viro grauidam, quam sciebat non esse adulteram. sic Ignatius in epist. ad Philip. & ex eo Ambros. & Hieron.

Ex parte verò B. Virginis etiam conuenientissimum fuit, vt desponsata viro esset. I. Ne à Iudæis veluti adultera vel meretrix haberetur. Facilè enim in admissi stupri suspicionem incidisset. Hieron. in 1. ca. Matth. Ambros. in Lucam. Bernardus sermo. secun. super *Missus est.* II. Ne virgines suspicione vel infamia laborantes excusationis velamen obtenderent, prætexendo,

quòd neq; B. Virgo stupri commissi labem effugisset. III. Vt honestiùs sponsæ ministerium exhiberi à sponso posset. Indigebat enim in fuga solatio, coadiutore, protectore. IV. Vt B. Virgo testem custodémque Virginitatis, castissimæque fœcunditatis haberet. V. Vt quemadmodum in Christo duæ naturæ nouo miraculo copulantur: ita in eius Matre duplex prærogatiua resplenderet, matrimonialis fœcunditatis, virginalisque integritatis. POSTRIMO, vt B. Virgo typum Ecclesiæ exprimeret, quæ virgo permanens, per vndam baptismatis Christo filios generat. Iuxta illud Apostoli 2. Cor. 11. *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* August. Enchir. cap. 34. Denique fidelibus perutile fuit, B. Virginem desponsari, vt Ioseph testimonio fides nostra comprobaretur, qua credimus, Christum de Virgine natum: quia maritus certior testis est pudoris, qui posset dolere iniuriam, & vindicare opprobrium, si non agnouisset mysterium. Virginis enim testimonium de seipsa datum, iactantiæ, aut suspicioni mendacij poterat esse obnoxium. Præterea Christus matrimonium ab initio mundi à Deo institutum commendare voluit, ne quis nuptias tamquam à dæmone inuectas Manichæorum errore infectus, abominaretur. Postremò, vt fideles voluntariæ continentiæ (quam Deus non præcipit, sed consulit) exemplum insigne in desponsatis haberent. 1. Cor. 7.

CAP. CLXVIII.

Cur de Virgine fabro desponsata Christus nasci elegerit?

Fabri filius cur dici Christus voluerit?

SIngulari diuinæ prouidentiæ consilio ex Virgine fabro desponsata Christus nasci voluit. Quia enim secundùm diuinitatem filius erat conditoris machinæ mundi, etiam secundùm humanitatem fabri filius dici elegit. Cùm autem nomen fabri genericum sit, complectens fabros aurarios, argentarios, ferrarios, lignarios & lapidarios, non immeritò ambigitur, qualis faber Ioseph extiterit. Communis quidem opinio artem lignariam exercuisse obtinuit, quam in Matthæum S. Thomas sequitur in 13. cap. Sed Hilarius Can. 14. in Matth. Beda lib. 2. in Marcum, & alij nonnulli fabrum ferrarium fuisse sentiunt, typum inter Iosephum fabrum vtētem igne, spiritu, & aqua, ad ferrum edomandum, & Deum Patrem commutantem vasa iræ (aqua, spiritu & igne) in vasa misericordiæ, collocantes. Matth. 13. Marci 6.

CAP. CLXIX.

Vtrùm inter B. Virginem & Ioseph verum extiterit coniugium?

Inter B. Virginem & Ioseph verum fuit coniugium.

CVm vera pactio nuptiarū, seu coniugalis consensus, omnéque coniugij bonum inter Beatam Mariam & Ioseph reperiatur, dubitandum nequaquam est, verum quoque inter illos extitisse matrimonium, ad cuius substantiam non pertinet sexuum commixtio, mutuúsue corporum vsus, sed tantùm matrimonialis coniunctio, quę consensu peragitur. Vndè Euangelium Ioseph vocat *Mariæ virum*, & *Mariam coniugem ipsius*, idque propter coniugij veritatem, desponsationisque fidem, vt Augustinus docet lib. 5. cont. Iulian. cap. 9. Matth. 1. Luc. 1. & 2.

Obseruandum tamen est, carnalem coniugum copulam subinde honestiore Nuptiarum vocabulo

significari, aut viri, coniugis, vel mariti: quo respectu Veteres aliquando dicunt, Ioseph potiùs B. Virginis custodem fuisse, quàm virum aut maritum.

Vtrùm autem ex legis præcepto desponsata fuerit B. Virgo, ambigere quis posset, eò quòd populi Iudaici moribus virginitas minùs cõmendata fuerit, ac Deut. 7. legatur: *non erit in te sterilis*. Sentiendum tamen est, non legis præcepto, sed reuelatione Dei B. Virginem desponsatam fuisse viro, certam nimirum, quòd coniugium suæ virginitati nullum detrimentum adferret. Illud verò Deuteron. *Non erit in te sterilis*, promissionem fœcunditatis, non præceptum coniugalis societatis continet. Nam & pecoribus cõuenit. Quamquam verò in veteri Lege obseruatio virginitatis minùs frequentata fuerit, sua tamen commendatione non caruit: vt Heliæ, Elizei, filiorum Prophetarum, Ieremiæ, Ioannis Baptistæ, aliorúmque exempla conuincunt: Idque luculenter Isaiæ capt. 56. Iosephus libro 2. de bello Iudaico c. 7. Philo in lib. de statu Essæorum attestantur.

CAP. CLXX.

De Genealogia B. Mariæ.

CVm venturi Messiæ promissiones luculentissimè Tribui Iudæ, signantérque Dauidi factæ sint, & non per fœminas, sed per viros Tribus distingui, genealogiæque texi soleant, necessariò consequitur, B. Mariam per lineam masculinam de Tribu Iuda & Dauidis posteritate descẽdere: alioqui enim Christus secundùm carnem de Tribu Iuda & semine Dauidis ortus dici non posset, neque sacerdotium à Tribu Leui ad Tribum Iudæ translatum esset. Quare Matthæus & Lucas Genealogiam Christi texendo vsque ad Ioseph virum Mariæ, supponunt vtrumque coniugem ex eadem Tribu & familia Dauidis prouenisse. Vndè Augustinus Fausto obijcienti, quòd B. Maria filia Ioachim sacerdotis esset, de Tribu Leui, respõdet, Patrem B. Virginis (siue Ioachim, siue alius fuerit) de Tribu Iuda, & quidem ex Dauidis stirpe propagatum: accepisse verò ex filiabus Aaron vxorem, cuius ratione B. Virgo Elizabeth cognata fuerit. Quòd autem regium genus sacerdotali prosapiæ iungeretur, diuino consilio factum est, vt Christus Rex & Sacerdos, ex vtrisque secundùm carnem nasceretur. Hinc Aaron de Tribu Iuda vxorem duxisse legitur Exodi 6. & Ioiada Pontifex 2. Paralip. 22. Quare Matthæus Genealogiam Christi per Ioseph, qui eius pater vulgò putabatur, descripsit, sciens Iudæis notum, B. Mariam paternæ hæreditatis successionem consecutam, ipsi Ioseph propinquitatis iure desponsatam esse, iuxta legem Deuter. 25. per Moysen Deo iubente latam.

Aug. li. 23. cont. Faust. cap. 8. Li. 1. de nupt. & cont. cap. 11. Lib. 5. cõt. Iul. cap 9.

Hieron. in 1. c. Matth. Aug. lib. 2. de consensu Euang. cap. 3.

B. Virgo de Tribu Iuda ex patre.

De genealogia verò per Lucam texta duplex est opinio: VNA Aphricani, quam à consanguineis Christi accepisse fertur, quòd videlicet Lucas Christi Genealogiam per legalem patrem Ioseph descripserit. Nam duos ille patres habuit, vnum naturalem Iacob, cuius genealogiam Matthæus prosequitur; & alterum legalem, videlicet Eli, cui defuncto, ex eius vidua Iacob filium Ioseph secundùm legem genuit. Aphricanus enim tradit, Iacob & Eli ex communi matre Iescha vterinos fuisse, diuersis tamen ex patribus

Genealogia Christi per Matthæum & Lucam descripta quomodo concordet.

Gen. 39. Rom. 1.

Hebr. 7.

tribus natos. Et Iacob quidem filium Mathan, ex Salomone descendentis: Eli verò filium Melchi, ex Nathan filio Dauidis fuisse, qui Iescham viduam Mathan in vxorem accepit, quæ filium Iacob ex Mathan prius genitum habebat, ex qua tamen posteà Melchi genuit Eli, fratrem vterinum Iacob. Quorum fratrum cùm Eli posterior vxorem sine liberis reliquisset, Iacob eandem accepit, ex qua Ioseph genuit, qui proindè filius naturalis fuit Iacob, sed iuxta quoddam genus adoptionis legalis filius extitit Eli, sine liberis defuncti. Quam Aphricani sententiam comprobat Euseb. libro 1. hist. cap. 6. Hieron. in 1. cap. Matth. & lib. de viris illustribus. Ambrosius lib. 3. in Lucam. Augustinus libro 2. de consensu Euangel. capite 3. Epiphanius hæresi 78. Damascenus libro 4. capite 15. Nicephor. libro 1. histor. capite 11.

An Lucas B. Virginis genealogiã texat.

Nonnulli sentiunt, Lucam naturalem Christi genealogiam per B. Mariam texere: sed quia scripturarum mos non obtinet, vt per mulieres genealogiæ deducantur, & Christus patrem, ex cuius semine procreatus esset, non haberet, ideò Euangelistam coactum fuisse à nepote ad auum transire, dum ait: *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum XXX. vt putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, &c.* Qui non Ioseph, sed Iesus fuit Heli, siue Heliachim aut Ioachim. Nam hæc nomina coincidere, patet ex lib. 4. Reg. cap. 23. & 2. Paralip. cap. 36. Secundum hanc sententiam Lucas à Iesu ad auum maternum transiit. Cuius sententiæ Augustinus meminit lib. 2. quæst. Euang. qu. 5. Damascenus lib. 4. cap. 15. Simeon Metaphrastes in vita B. Mariæ Nicephorus lib. 1. c. 7. Iansenius in Concordia Euang. cap. 14.

Canus li. 8. loc. com. c. 5.

Soto. in 4. dist. 30. qu. 2. ar. 1.

Porrò de sororibus B. Mariæ Veterum sententia est, B. Mariam vnigenitam filiam Ioachim & Annæ fuisse: Mariam verò Cleophæ seu Alphæi vxorem, dictam esse sororem Matris Domini, quia esset soror Ioseph, aut vxor fratris eiusdem, cuius filij Iacobus, Ioseph, Iudas, & Simon *Domini fratres* appellantur, quia consobrini erant. Quemadmodum etiam Deiparæ consobrina fuit Maria Salome. vide Eusebium lib. 3. c. 11. histo. & Nicepho. li. 3. c. 2.

Matth. 10. & 13.

Matth. 6. Ioan. 19.

CAP. CLXXI.

Quartus Articulus.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.

In passionis dominicæ mysterio Christianæ religionis consistit fundamentum.

HOc Fidei articulo profitemur, Christum Dominum, cùm Pontius Pilatus Cæsaris Tiberij iussu Iudæam prouinciam administraret, varij cruciatuum generibus affectum fuisse, demum in crucem subiatum, crucique affixum emisisse spiritum, posteaque sepulturæ corpus eius traditum. In quo Passionis Dominicæ mysterio Christianæ religionis fundamentum cõsistit, nempè, quòd humanæ Redemptionis opus, Christi veri Dei & Hominis morte consummatum sit, qui tanquam Mediator, Aduocatus & Pontifex voluntaria suipsius oblatione ad mortem in Ara crucis, genus humanum, iræ Dei propter inobedientiam primorum parentum obnoxium, Patri suo cœlesti reconciliauit, necnon ab æternæ damnationis debito redemit, persoluto pro eodem præcioso san-

guinis sui prætio conagno. Cuius redemptionis iure nos tibi in seruos vendicauit, cui propterea, veluti emptitij serui suo Domino seruire obstringamur. Cuius beneficij memoriam fideles animo sæpissimè reuoluere debent, vt illius commemoratione excitati, totos se ad Dei erga nos amorem & bonitatem suscipiendam conuertant, séque gratos tam benigno Domino exhibere studeant, exemplo Apostoli, qui *nihil se scire* gloriabatur *nisi Iesum Christum, & hunc quidem crucifixum.* 1. Cor. 2. Quod magnum pietatis sacramentum ab huius mundi sapientibus prorsus fuit ignoratum. *Nos*, inquit Apostolus, *prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem, & sapientiam: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. *Verbum* enim *crucis pereuntibus quidem stultitia est, iis autem qui salui fiunt*, id est, nobis, *Dei virtus est. Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam, prædicationis saluos facere credentes:* id est, proponi hominibus salutem per fidem in Iesum Christum crucifixum, quod in speciem hominibus stultum videtur. Sed conuenientissimum fuisse, vt sicut vnius hominis inobedientia omnes perierant, ita vnius hominis Christi obedientia omnes immortalitatem recuperarent, Apostolus Rom. 5. declarat, opponens vnum primum hominem, authorem peccati, mortis & damnationis, vni Christo, secundo Adæ, qui author est omnibus iustitiæ, immortalitatis, salutis, & gloriæ. In eo siquidem Christi passio & mors ab aliorum quorumcumque hominum passione & morte differt, quòd nullius alterius insontis occisio fuerit propitiatio mundi singulares quippe in singulis mortes: fuere, nec alterius quisquã debitum suo fine persoluit, cùm vnicus Christus sit, in quo omnes simul crucifixi, passi, mortui, sepulti, suscitati, necnon iustificati fuerunt. Cuius effusio sanguinis iusti tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad prætium, vt si vniuersitas captiuorum in Redemptorem suum crederet, nullum diabolica vincula retineret. Acceperunt reliqui iusti, non dederunt coronas, & de fortitudine fidelium nata sunt exempla patientiæ, non dona iustitiæ. Quare meritò solus Christus pro nobis passus, crucifixus & sepultus agnoscitur, solúsque profuit nobis non solùm virtutum exemplo, sed etiam redemptionis sacramento: contulit diuina, necnon erexit humana. De cuius vitæ decursu nulla in Symbolo fit mentio, sed confestim à Natiuitate ad eiusdem Passionem transitus fit, vt intelligeremus illud singulare Christo, quòd nos omnes ab æternæ damnationis exitio sua Passione ac Morte liberauerit. Quòd enim vitæ exemplo, doctrina & miraculis homines eruditerit, doctorisque admirandi officio perfunctus sit, cum aliis nonnullis ei commune fuit: cæterùm soluere humanæ redemptionis prætium, Deúmque propriæ vitæ oblatione placare, soli Christo compert. Quod proindè summum beneficium Apostoli nos omni studio assiduè animo recolere voluerunt: ad cuius illustrationem priusquam accedamus, de vitæ Christi decursu nonnulla præmittemus.

Serui Christi cur dicamur.

Mysterium passionis Christi stultitia est infidelibus.

1. Cor. 1.

Cõueniens fuit, vt sicut vnius inobedientia omnes perierant, ita vnius obedientia omnes saluarentur.

Mortis Christi efficacia.

Leo ser. 15. & 16. de pass. & epistol. 83.

Vita Christi in Euãg. sed non in Symbolo contenta.

CAP. CLXXII.

Quænam potissimùm in Christo considerandæ sint?

In Christo considerandæ.

TRia in Christo potissimùm cõsideranda occurrunt. I. est decursus piæ innocentisque vitę quem eius conuersatio in Euangelio descripta proponit & commendat. II. Sapientia doctrinæ, quam Noui Testamenti libri demonstrãt. III. Dignitas personæ, quæ ex duobus præcedentibus articulis intelligi potest.

Vitæ Christi decursus.

Quoad Christi vitam, in Euangelio legimus admirandam eius ex Virgine conceptionem & natiuitatem; Circumcisionem & in Templo Præsentationem, cúmque annorum XII. esset, in medio doctorum sessionem, quódq; Patri & Matri subditus fuerit. Cætera eius vsque ad Ioannis Baptistæ gesta miro silentio Euangelistæ præterierunt. Ideò non immeritò quæritur, à XII. anno quidnam vsq; ad XXX. egerit? Valentiniani teste Irenæo lib. 1. capite 17. dixerunt, illo toto tempore Christum studiis doctrinæque Legis acquirendæ vocasse. Celsus Origene teste, lib. 6. contrà eundem Platonicæ Philosophiæ operam dedisse, suaquè dogmata ex ea hausisse commentus est. At certum est, Christum, æternam Patris Sapientiam, nec Literis, nec scientiis addiscendis incubuisse, vt apertè Iudæi ipsius æmuli testantur, cum admiratione clamantes: *Quomodo hic scit Literas, cùm eas non didicerit? vnde huic sapientia tanta?*

Sapientia doctrinæ. Dignitas personæ.

An Christus studuerit?

Matth. 13. Marci. 6. Ioan. 4.

Christus fabrilé artem cum Ioseph exercuit.

Sed vrgebit aliquis: Si Literarum studiis non vacauit, quid igitur vsque ad XXX. ætatis annum egit? Respondendum est, Dominum fabrilem cum patre putatitio artem exercuisse, laboréque manuum sibi atque Matri victum comparasse, non vagum nequè otiosum deambulasse, vt conciues obstupefacti nis verbis Marci 6. indicant: *Nonne hic est faber, filius Mariæ? vndè huic sapientia tanta?* Quoad doctrinam verò, circa XXX. ætatis annum Euangelicam annunciationem exorsus est, præmisso Ioannis Baptistæ testimonio, susceptóque illius Baptismo, necnon præuio XL. dierum ieiunio in deserto. In tradenda verò Euangelica doctrina Legislatoris authoritate vsus ab auditoribus suis fidem & obedientiam exegit: *Erat enim docens sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ & Pharisæi.* Cuius insuper verba sicut authoritatis, ita & admirandæ suauitatis fuêre plena: *omnes* enim *testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius*, ait Lucas capite 4. Vnde Sponsa Psalm. 44. de sui Sponsi verbis canit: *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Nequè verò in Christi verbis tantùm singularis extitit suauitas, verumetiam incredibilis quædam vis & energia, quæ auditorum mentes illustraret, atque cor & voluntatem percelleret, pro suóque arbitrio efficeret, necnon attraheret. Non enim aliorum doctorum more foris tãtùm pulsabat, plantabat, rigabat, sed etiam quos volebat illuminabat, ac bonam inspirando voluntatem ad se pertrahebat, sibique credulos & obedientes efficiendo, suæ doctrinæ incrementum præstabat, vt sæpe docet Augu. lib. de magist. c. 14. lib. de gratia Christi cap. 13. & 47. libro de prædest. sanct. cap. 8.

Christus anno 30. prædicare orsus.

Lucæ 3.

Christus fidem & obedientiam exegit.

Matth. 7. Lucæ 4. Marci 1.

In Christi verbis fuit suauitas, vis & energia.

Christus illuminabat, ac voluntatem afficiẽdo mouebat.

Summa verò doctrinæ Christi est, quòd Deum Vnum in natura, & in personis

personis Trinum super omnia, & proximum diligere oporteat sicut seipsum. *In his enim duobus mandatis Lex pendet, & Prophetæ.* Et *qui diligit, legem implevit. Plenitudo enim legis est dilectio.* Vndè patet, Christum non solum fidem & Sacramentorum susceptionem præcepisse, sed etiam Decalogi obseruationem à Christianis requirere; vt Matth. 19. quærenti: *Quid boni faciam; vt habeam vitam æternam?* Respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et Matth. 26. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* Vndè liquet, Euangelium non esse nudam & absolutam promissionem vitæ æternæ, sine conditione obseruationis mandatorum: neque Christum à Deo hominibus datum fuisse solùm vt Redemptorem, cui fidant; sed etiam vt Legislatorem, cui obediant, vt Conc. Trid. sub anathemate definiuit.

Matth. 22. Rom. 13. Aug. lib. 1. de doct. Christi. ca. 35. lib. 2. ca. 7. lib. 3. cap. 10.

Cõc. Trid. sess. 6. can. 19. 20. 21.

Vtrùm autem Christus præter Fidei & Sacramentorum præcepta, vltra naturalia & decalogi, alia superaddiderit, à nonnulis ambigitur. Cæterum auctor B. Augustinus pronunciat, nec verè, nec rectè dici, quòd nulla præcepta moralia in Noua Lege reperiantur, quæ in Veteri non contineantur; siquidem Christum amplius præcepisse Christianis ex cap. 5. Matthæi patet. Vbi Dominus moralia quædam præcepta, quæ in Veteri Lege non inueniuntur, tradit: vt, *Ego dico vobis, non iurare omnino:* vbi Iuramentum in quotidiano loquendi vsu absolutè prohibetur, non tamquam per se malum, sed veluti periculosum; ideóq; non nisi ex necessitate vsurpandum. Voluit enim Dominus non solum peccata, sed etiam peccatorum occasiones caueri: nec solum salutem præcepta necessaria distinctiùs exposuit, sed etiam consilia ad perfectionis apicem conducentia, nonnullaque præcepta maioris feruentioris que charitatis adiecit; vt: *date mutuum, nihil inde sperantes.* Vbi cum sortis iacturâ nonnumquam mutuò dandum esse iubet.

Christus moralia præcepta dedit.

Excellentiam verò doctrinæ Apostolus ad Hebr. 1. exponit, dicens: *multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio:* qui non solùm Prophetas, sed & Angelos omnes in tantum dignitate excedit, quantum Creator, verúsque Deus omnia sua opera excellit; iuxta B. Petri testimonium: *Tu es Christus, filius Dei viui,* Matth. 16.

Doctrinæ Christi excellentia.

Quod autem ex omnibus, quæ sub cœlo traduntur, sola Christi doctrina & religio (pridem abolitâ veteri Lege) vera Deóque accepta sit, variis rationibus euinci potest, quibus suam doctrinam Christus ipse comprobauit. I. Dei Patris testimonio, qui dixit: *Ipsum audite.* Matth. 3. & 17. & 2. Petr. 1. II. Miraculis, quæ certissima diuinæ missionis testimonia, velutique sigilla sunt. *Si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit.* Ioan. 15. & Ioan. 5. III. Spiritus sancti testimonio: *Ille testimonium perhibebit de me.* Ioan. 15. IV. Testimonio sacrarum scripturarum, oraculisque Prophetarum, qui ab Orbe condito fuerunt. Ioan. 5. Dominus de Moyse loquens: *De me ille scripsit.* & de scripturis alibi: *Illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* & 2. Petr. 1. *habemus firmiorem Propheticum sermonem.* V. testimonio Apostolorum, iuxta illud Act. 1. *vos eritis mihi testes.* VI. Attestatione Martyrum, qui pro veritate

Christiana religio sola Deo accepta ostenditur.

Dei testimonio. Miraculis.

Spiritus sancti attestatione.

Scripturarũ suffragio.

Apostolorum testimonio.

Martyrum

confirmatione. Sanctitate vitæ.

religionis Christi sanguinem atque vitam profuderunt. VII. Sanctitate vitæ Confessorum & Virginum ex omni conditione, sexu, ac ætate.

Omnium populorum consensione.

Atque postremò ex consensione omnium populorum, Ecclesiæque firmitate, *aduersus quam inferi portæ numquam prænalere potuerunt, nec* in futurum *poterunt*.

CAP. CLXXIII.

Vtrum corporis defectus Christus assumpserit?

Quos defectus corporis Christus assumpserit.

SIcut veram hominis naturam, ita & humanæ naturæ infirmitates & miserias Dei Filius assumpsit: puta mortalitatem, sitim, famem, fatigationem. Quas quidem ex peccato nos contrahimus necessitate; ille verò miserandi voluntate suscepit, *vt per pœnam sine culpa in similitudine carnis peccati pœnam solueret, & culpam in carne peccati. Voluit* enim *per omnia similis esse fratribus, excepto peccato*, & iis, quæ plenitudinem iustitiæ dedecent; qualia sunt, Ignorantia & Concupiscentia mala: quæ licet pœnæ sint hominis miseri; simul tamen argumenta sunt imperfectæ iustitiæ, omnium que malorum fontes.

Aug. lib. 5. cont. Iul. c. 9. Lib. 1. de peccat. merit. cap. 32.

Illa denique in se non admisit, quæ ad Redemptionis mysterium nihil conducebant, sed potiùs oberant; nec totius naturæ, sed particularium vitia sunt; qualia sunt cæcitas, morborúmque varia genera. Quòd autem Christus non fictè, sed verè esurierit, sitierit, dormiuerit, fatigatus fuerit, Euangelica historia tradit. Et si opinione, non veritate ista gesta essent; non veritate, sed opinione saluati essemus. Hos tamen defectus, secundùm quod Homo fuit, non secundum quod Deus, passus est Christus, vt contra Ariamos notat Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 78. Cur autem Dominus istos defectus susceperit, Petrus 1. epist. cap. 2. exponit: *Passus est*, inquit, *pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Et Apostolus ad Hebr. 12. *Recogitate enim, qui talem à peccatoribus sustinuit contradictionem, vt non fatigemini.* II. Naturam miseriis obnoxiam accepit, vt Incarnationis veritas appareret. Nam alioqui phantasticum corpus habuisse diceretur, vt Manichæi voluerunt quos redarguit Augustinus lib. 26. cont. Faust. cap. 8. III. Miserias assumpsit, vt nostras miserias curaret: mortē enim nostram moriendo destruxit. Hebr. 2. *Per mortem &c.* 1. Petr. 2. *Christus passus est pro nobis.* Isaiæ 55. *Verè languores nostros ipse portauit.* Totius enim mundi debitum sua morte persoluit. Leo epist. 83. serm. 3. de passione. IV. ne nos illi parum debere arbitrarentur, si absque doloris sensu redemptionis mysterium compleuisset. V. humanæ naturæ infirmitates suscepit, vt diabolum ad tentandum alliceret, qui eum aggredi non fuisset ausus, si nihil in eo humanæ infirmitatis apparuisset.

Infirmitates humanas cur Christus assumpserit?

Matth. 4. Marc. 11. Ioan. 4. & 19.

Damasc. li. 3. de fide c. 28.

Neque solùm corporis mortalitatem Christus assumpsit, sed etiam moriendi patiendique necessitatem: corruptionem enim qualitatem in carnem suam diffundi permisit, qua senescendo ad mortem peruenire, nisi fuisset iuuenis occisus. Certum enim tempus durationis temperaturæ corporis hominis constituit Deus, vltra quod peruenire nequit: sed vbi terminum illum attingit, per se dissoluitur ex qua dissolutione mors necessariò consequitur. Augustin. lib. 5. cont. Iulia. cap. 9. lib. 2. de peccat. merit. cap. 39. & Damasce. lib. 3. de fide cap. 28. docent, Christi corpus an-

Certum tempus durationis temperaturæ corporis à Deo constitutum est.

te Passionem fuisse passibile, mortale, dissolutioni obnoxium; cuius executionem Christus homo sustinuit, quando diuinæ voluntati placuit. Infirmitatem enim mortalitatis, retinuit in assumpta carne Christus potestate, & sustinuit voluntate.

CAP. CLXXIV.

Vtrùm Anima Christi passionibus obnoxia fuerit?

Aug. lib. 8. de ciuit. ca. 26. lib. 9. c. 3. Lactan. l. 6. inst cap. 14.

PAssionis nomine Stoici inordinatum appetitus sensitiui, aut voluntatis contra rationem motum intelligebant. Ideóque animorum passiones, morbos vitiosasque affectiones, Viro sapiente indignas tradebant. In qua significatione accepto passionis vocabulo, certum est, in Christo nullam fuisse passionem, quia nullus in eo inordinatus motus fuit, qui rationis iudicium præueniret, vel ad illicita pertraheret, aut rationi obluctaretur, vel iudicium rationis perturbaret; id que propter scientiæ plenitudinem, & dominij in omnes potentias perfectionem. Ex quo promanabat omnis motus, imperium rationis sequens, non præueniens. Non enim affectus Christum inuitum, vel resistere impotentem inuadebant, aut aliquo modò commouebant: sed eo tranquillè imperante atque volente, quando, & quandiu volebat exurgebat; vt confirmat Ioan. cap. 11. *Turbauit seipsum, infremuitque spiritu.*

Passio an in Christo fuerit?

Affectus animæ Christi propassiones fuere.

Quare monet Hieronymus in cap. 26. Matt. affectus animæ Christi *propassiones* rectiùs appellari, quàm passiones: quia *passio* perfecta animo rationique dominetur; *propassio* autem motus sit in appetitu sensitiuo conquiescens, & naturalis, non vitiosus. Sed omissa de vocabulo contentione, firma fide tenendum est, Christum appetitus sensitiui motus & affectus, ordinatos quidem, sed tamē veros habuisse, quos adhibuit, vbi & quando voluit; non ex humanæ infirmitatis conditione, sed ex voluntaria dignatione; vt contra Valentinum, Manichæum & Apollinarem Ecclesia semper tenuit, credens, dolorem, gaudium, amorem, timorem, iram, tristitiam & admirationem in Christo cum naturæ humanæ veritate fuisse: non quòd ibi motus hi animi perturbati signa extiterint, aut violentæ vel morbidæ affectiones; sed naturales humanæ naturæ affectiones, quibus in bonum tendimus aut malum refugimus; & quibus in hac vita carere neque possumus, neque debemus. Nam Apostolus eos, qui sine affectione sunt, vituperat. Rom. 1. Siquidem in hoc miseriæ loco numquam dolere, neque contristari, est in animo immanitatis, in corpore verò stuporis. Qui enim nullo excitatur aut flectitur affectu, humanitatem exuit. Sicut ergo Christus cum anima & corpore totius naturæ humanæ perfectiones assumpsit; ita & naturales hominum affectiones habuit, quibus mortem, aliáque corporis incommoda naturaliter, tanquam mala, sensuúmque afflictiua horremus & fugimus; necnon proprij corporis conseruationem appetimus. Vtdè Isaiæ 53. *Verè dolores nostros ipse tulit.* Matth. 26. *Cœpit contristari & mœstus esse.* Marc. 14. *Cœpit pauere & tedere, ac dixit: tristis est anima mea vsque ad mortem.* Luc. 19. *Fleuit super Ierusalē.* Matc. 3. contristatus est cum ira. Ioan. 2. zelum indignationis, iræque suscepit. Ioan. 11. *Turbauit seipsum, infremuitque spiritu.* Non in inuitum

Affectus in Christo ordinatissimi.

Aug. li. 14. de ciuit. ca. 9. Damasc. lib. 3. c. 20. Naturales affectus Christus habuit.

passio irruit, sed imperio rationis exorta est, quando, & quandiu voluit. Quod Hilarius exprimere volens, scribit in Christo fuisse passionem doloris & timoris, sed nō exercuisse vim passionis, quia videlicet animo Christi non dominabatur, sed nutui eius subseruiebat. Hilar. lib. 10. de Trin. super Psal. 53. & 68. & can. 31. in Matth.

CAP. CLXXV.

Vtrum in Christo affectus contrarij fuerint.

Duas voluntates Christus habuit.

QVemadmodum duas perfectas naturas, diuinam scilicet & humanam, Christus habuit, ita & duas voluntates cum operationibus sibi congruis, nequaquam inter se contrarias. Complectitur autem humana voluntas affectum triplicem. I. Naturalem, quo esse atque viuere optamus. II. Sensualitatis, quo naturaliter corporis bonum appetimus, eiusdémque malum fugimus, de pœna & dolore contristamur: qui appetitus ab authore naturæ insitus, bonus est, nec viris sanctis deest; vt Dominus Petro significauit Ioan. vlt. *ducent te quo tu non vis*. Augustin. tract. 123. in Ioan. III. Appetitum animæ rationalem, quo diuinæ voluntati nostram per omnia conformamus. Qui omnes appetitus in Christo fuerunt, illáque Matth. 26. sententiâ expressi sunt: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Nam voluntate naturali vitam optabat, mortem horrebat; voluntate sensuali dolores & afflictiones refugiebat: voluntate autem rationali se Patris voluntati conformabat, quæ Christū pro humani generis salute mori debere constituerat. Nec vlla hîc voluntatum contrarietas fuit, quia vna alteram non impediuit nec retardauit, sed proprium suum motum & impulsum obtinuit; idque volente diuina & rationali simul Christi voluntate, vt suscipientis susceptæque naturæ manifesta distinctio pateret; vt notat Leo serm. 5. de pass. Domini, & 7. Cyril. in Ioan. lib. 4. cap. 1. *Verbum caro factum permittit carni suæ, vt propria patiatur: & ideo tanquam verus homo, mortem in ianuis existentem pertimescit.*

Christus dispensatiuè beatus & miser fuit.

Si quis autem quærat, quomodo Christus ab initio Conceptionis beatus, passibilis, & diuina contemplatione fruens, tristis, dolens, timens, admirans esse potuerit? RESPONDEO, virtute diuinitatis sic dispēsatiuè beatitudinem in anima fuisse retentam, vt ad corpus non deriuaretur, ne eius passibilitas & mortalitas tolleretur: similiter delectationem contemplationis sic in mente retentam, vt ad vires sensibiles non deriuaretur. Appetitus itaque sensitiuus in statu passibili relictus est, carens beatifico: ideoque capax fuit doloris, tristitiæ, timoris, aliarúmque passionum. Quomodo autem Christus admirari potuerit, cùm nihil ignorauerit, & admiratio ex desiderio sciēdi causam ignotam procedat, explicat Augustinus epist. 121. ostendens, non omnem admirationem oriri ex ignorantia causæ viso effectu; sed interdum ex apprehensione rei magnę & singularis, etiamsi aliàs cognita sit; quæ admiratio requirit iudicium intellectus de rei magnitudine, vel simpliciter, vel in ordine ad aliquem: vt cùm admiramur expertam pueri scientiam, in tali ætate insolitam. Sic ergo Christus admiratus est Centurionis fidem. Quia verò appetitus vindictæ secundum

Matth. 8.

Admiratio quæ & qualis in Christo.

Voluntas humana triplicem affectum complectitur.

ordinem iustitiæ, in se bonus & honestus est; ideò iræ iustæ affectus in Christo esse potuit; vt ex c. 2. Ioannis docet Augustinus tract. 10. in Ioan. super illud: *zelus domus tuæ comedit me.*

CAP. CLXXVI.

Vtrùm Christi Anima peccare potuerit?

Dutandus & Scotus in dist. 12. lib. 3. sent. Anima Christi peccare non potuit.

QVamuis nonnulli Doctores Scholastici Animam Christi peccare potuisse admittant, attamen cum Veteribus Ecclesiæ Scriptoribus tenendum est, Humanam Christi Naturam nullum prorsus admittere potuisse peccatum, idque, quia ex quo Christi Humana Natura esse cœpit, in vnitatem personæ Verbi copulata est, per quam hypostaticam vnionem gratia sic facta illi humanæ naturæ, quodammodò naturalis, vt nullum potuerit admittere peccatum. Nam si visio beatifica, necnon confirmationis gratia peccandi facultatem adimant; quantò magis ista vnio Naturarum in vno supposito diuino, cui peccare sit impossibile? vt tradit August. Enchir. cap. 40. & 41. lib. de prædest. sanct. cap. 15. lib. de corrept. & grat. cap. 11. *Natura hominis ita à Deo suscepta fuit, vt nullum in se motum mala voluntatis admitteret.* Damascenus lib. 2. de fide cap. 12. Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 10.

CAP. CLXXVII.

De Passione Filij Dei Iesu Christi.

Passio Christi à lapsu variis sacrificiis & ora-

FIde Passionis Christi, ceu fundamento, Religio Christiana nititur: ex huius enim mysterij fide vniuersi cultores Dei vixerunt, & Deo placuerunt. Hoc siquidem illud est sacramentum, cui ab initio lapsus humani omnia famulata sunt mysteria: quod adumbrarunt Legis naturæ atque Mosaycæ sacrificia, siue in cæde pecorum, siue in accensione frugum, siue oblatione aliarum rerum: necnon varij ritus, cerimoniæ, Figuræ, Prophetarúmque oracula prænunciarunt. In quo Dei sapientiam, admirabilémque prouidentiam admirari licet, qua ei *placuit per stultitiam prædicationis saluos facere credentes*; hoc est, per id quod stultum & infirmum humano sensui apparet, sapientissimè, ac potenter homines saluare constituit, vtpote per mortem Filij sui ex B. Virgine Maria nati. Vix enim ab humana ratione concipi potest, quòd omnis vitæ spes ex vnius Hominis crucifixi morte dependeat. Ideóque *Iudæis scandalum, Gentibus stultitia erat.* Hinc Deus ab initio istam Christi Passionem variis typis expressit: veluti per SOPOREM Adæ immissum, dum ex eius latere formaretur Eua, in typum, quòd ex Christi dormientis latere fluerent Sacramenta, quibus ædificaretur Ecclesia. ABEL fratris inuidia occisus in campo, Christi mortem inuidia Iudæorum extortam à Pilato: & Gen. 4. ARCA Noë salutem in ligno expressit. Gen. 6. Isaac ligna in vsum sacrificij suis humeris deferens, Christum baiulantem Crucem in montem Caluariæ figurabat. Gen. 22. IOSEPH à fratribus venditus, & in cisternam proiectus, clarissimè Dei Filium à Iuda venditum, & mortuum atque sepultum prænunciauit. Gen. 37. & 39. AGNVS in Ægypto immolatus, cuius sanguis contra percutientem angelum muniebat, (Exod. 12.) liberationem à potestate diaboli, & do-

cuius prænunciata.

Leo ser. 7. 8. & 9. de pass. Dom.

Figuræ Passionis Christi.

Sopor Adæ Gen. 2.

Abelis occisio.

Arca Noë.

Isaac ligna ferens.

Ioseph venditio.

Agni immolatio.

minio peccati, Christi sanguine futuram ostendebat. SERPENS æneus, cuius aspectus morsus à serpentibus curabat, (Num. 21.) Christum exaltatum in Cruce à peccatorum vulneribus sanantem monstrabat. SACRIFICIORVM omnium veterum oblatio, vnam Christi oblationem denunciabat. Leo serm. 7. 8. & 9. de pass. Domini.

Serpentis ænei exaltatio.

Sacrificiorum oblatio.

Quoad Prophetas autem, quàm multa de Christi Passione vaticinati sint, quámque luculenter præcipua omnia nostræ per Christum factæ redemptionis mysteria complexi sint, notius est quàm vt hîc explicari oporteat. Dauidis, Isaiæ, Ieremiæ, atque Danielis tam clara sunt oracula, vt potiùs rem gestam proposuisse, quàm futuram prædixisse videantur. SED hîc scitu digna quæstio emergit.

Oracula.

CAP. CLXXVIII.

Vtrùm pati Christum oportuerit?

An pati Christum absolutè necessariũ fuerit?

CVm Deo nihil sit impossibile, neque ad operandum aliqua possit induci vel astringi absoluta necessitate; confitendum est, non fuisse absolutè necessariũ, vt Christus pateretur. 1. quia totum genus humanum sua voluntate à iustitia lapsum, damnationique obnoxium sua culpa factum, in perditionis massa relinquere poterat, digníque afficere suppliciis. Iuxta illud Sapientiæ 12. *Quis tibi imputabit, si perierint omnes nationes terræ?* & Rom. 9. *Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Promeruit enim homo peccando, vt id totum perderet, quod erat, & ad quod conditus erat; iuxta August. lib. de corrept. & gratia cap. 10. Enchir. cap. 27.

Deus peccatum sine satisfactione condonare potuit.

Secundò, Potuisset Deus totum genus humanum liberare sola miseratione ac condonatione, aut solo verbo, vel sola Incarnatione, vel vna denique guttula sudoris, aut sanguinis, aliísque infinitis multis modis; non perferendo atrocia crucis tormenta, neque mortis cuiuscúmque supplicium. Est enim Deus vitæ, mortísque Dominus; nulli alteri debitor aut obstrictus: ideóque salua iustitia, sola voluntate, citra cuiuscúmque iniuriam, hominem liberare absolutè poterat, remittendo ei culpam, iniuriámque suo Conditori irrogatam. Non enim diabolo ius in hominem competebat, qui non Dominus, sed carceris custos, iustitiæque Dei executor nudus erat, cuius iusto iudicio sub sua potestate derelictum torquebat & affligebat.

Non igitur absolutè necessarium fuit, Christum pati; neque ex parte Dei, qui liberrima voluntate, non aliqua coactione, decreuit Christum pati; neque ex parte Christi vlla coactio fuit, qui voluntariè se ad patiendum obtulit: sed necessarium fuit, Christum pati, necessitate finis, (qui conuenienter sine tali medio haberi non poterat) & necessitate ex suppositione præscientiæ atque præordinationis diuinæ; qualis necessitas non est absoluta, sed conditionata. De hac necessitate loquuntur scripturæ. Ioan. 3. *Exaltari oportet filium hominis.* Marci 8. *Oportet filium hominis pati.* Lucæ 24. *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me*; quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati. Et Lucæ vigesimo secundo: *Filius hominis secundum quod definitum est, vadit.* Quam necessitatem insinuabat Dominus Matth. 26. orans: *Pater, si possibile est, &c.*

Passio Christi quatenus necessaria fuerit.

Mandati necessitas.

Eodèm pertinebat necessitas patiendi, quæ ex mandato Patris homini Christo facto exoriebatur: de qua Ioan. 14. *Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

Necessitas ex fine triplex.

Porrò necessitas ex parte finis intenti trifariam intelligi potest. I. Ex parte hominum, qui liberandi erant, pro quorum delictis nulla pura creatura Deo plenè satisfacere poterat, & sine sanguinis effusione nulla peccati remissio sperari poterat. Vndè Ioan. 3. *Oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* II. Ex parte Christi, qui per humilitatem Passionis ad Gloriam exaltationis peruenire debebat. Iuxta illud Lucæ vltimo: *Nonne oportebat Christum pati, & sic intrare in gloriam suam?* III. Ex parte Dei, qui hominem liberare definiebat, sed non nisi opere, in quo summa Dei Iustitia, & simul abundantissima Misericordia reluceret: quale opus Christi Passio fuit, per quam Deo pro hominibus sufficientissimè satisfecit, atque ita homo per Christi iustitiam liberatus est. Misericordia verò in eo apparuit, quòd cùm homo per se redemptionis prætium dare non posset, Deus ei satisfactorem dedit Filium suum, eiúsque passionem medium esse voluit, quo fieret humani generis redemptio; cuius præordinationem circa Christi Passionem in Scripturis prænunciatam, & in obseruantia Veteris Testamenti præfiguratam, impleri oportebat.

de Trin. c. 10. Lib. de agone Christ. cap. 11.

CAP. CLXXIX.

Vtrum fuerit decens, Christum pati?

Christum pati decuit. Aug. lib. 13.

QVamuis aliis variis modis Deus humanum genus liberare potuerit; sanandæ tamen miseriæ nostræ conuenientior modus non fuit, quàm per Christi Passionem. Hic enim modus non solùm contulit remedium, sed & humilitatis, patientiæ, atque dilectionis exemplum. Nam hoc opere Deus homini manifestauit, quantum ipsum diligeret, vt ad redamandum vicissim prouocaret, iuxta illud: *Sic Deus dilexit Mundum, vt Vnigenito Filio suo non pepercerit; sed pro nobis tradidit illum.* Rom. 5. *Commendat suam charitatem Deus in nobis, quoniam cùm inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Ioan. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, quàm, animã suam ponat pro amicis.* At Christus pro inimicis passus est. ad Timoth. 3. *Apparuit humanitas & benignitas, &c.* II. Christi passio exemplum præbet obedientiæ, humilitatis, constantiæ, misericordiæ, iustitiæ, aliarúmque virtutum in Christi passione ostensarum. Purior enim obedientia, dilectionisque affectus Filij erga Patrem esse nequit, quàm vt ei vsque ad mortem obediat, quod Apostolo teste Christus fecit. Philippens. 2.

In Christi Passione virtutum exemplum.

Constantia verò in eo apparuit, quòd Christus vsque ad mortem veritati testimonium perhibuit, iustitiamque conseruauit. Misericordia in eo, quòd Innocens sua morte alios vitam acquisierit: quales solent etiam ab infidelibus statua ad immortalitatis monumentum digni censeri; vt ex Romanorum historia patet, qui eos, qui se pro Patriæ liberatione vltrò morti obtulerunt, in cœlum euehunt. Iustitia similiter in eo refulsit, quòd Christus patiendo plenissimè Deo pro hominis debito (cui soluendo impar erat homo) satisfecerit. Vndè Petrus primus epist. cap. secundo, *Christus passus*

est pro nobis, vobis relinquens exemplum. Lactantius lib. 4. cap. 23. III. quoniam Christus sua passione non solùm à peccato liberauit, sed etiam nobis iustificantem gratiam, & beatitudinis gloriam promeruit. IV. Quoniam redimendos nos tanto prætio, maiorem à peccato nos conseruandi necessitatem induxit: secundum illud 1. Corinth. 6. *Empti estis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore vestro.* V. Quoniam ad maiorem hominis gloriam cessit, quòd victus homo per diabolum, vicissim in eadem natura ipsum vinceret. *Congruebat* (ait Leo serm. 14. de pass. Domini) *vt hostilis aduersitas de eo vinceretur, quod vicerat: vt sicut homo peccando mortem inciderat, ita homo misericorditer absque propria sua culpa pro aliis moriendo, mortem ipsam superaret, immortalémque vitam eis tribueret,* iuxta illud 1. Corinth. 15. *Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum.* VI. quia in hoc Redemptionis per Christi passionem opere, Dei admirabilis sapientia, iustitia & misericordia relucent. *Nam quia in Dei sapientia mundus Deum non cognouit, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes,* 1. Corinth. 1. Leo serm. 5. de natiui. Damasc. lib. 3. Orth. fidei cap. 1. Lactantius lib. 4. cap. 16. 23. eorum argumenta confutat, qui sentiunt Deo indignum, vt se passioni, dolori, atque morti subjiceret.

CAP. CLXXX.

Vtrùm Christi passio aterna Dei voluntate prædestinata, an præuisa solum fuerit.

Christi passio non solùm præuisa, sed etiã præordinata est.

QVemadmodum ab æterno Deus hominem sua bonitate condere absolutè decreuit: ita eiusdem prævidens lapsum, immutabili diuinæ prouidentiæ consilio eundem liberare per seipsum constituit, offerendo ac persoluendo iustum redemptionis prætium: vt idem qui hominis fuerat Conditor, eiusdem fieret quoque Redemptor, ne homo amorem suum diuideret, vnique gratias ageret quoniam creasset, alteri vero, quia collapsum liberasset. Et quoniam per VERBVM facta erant omnia, decuit per VERBVM etiam instaurari omnia, siue in terra, siue in cœlo, vt Apostolus ad Hebræos 2. & 4. concludit. Quare Filius Sanctissimæ Trinitatis decretum exequendum suscepit, *factus Patri obediens vsque ad mortem*: quam Filij mortem Pater non solùm permisit, sed etiam voluit, suóque absoluto decreto præordinauit. Ideóque multis Prophetarum oraculis hæc omnia se facturum prædixit. Isaiæ 53. *propter scelus populi mei percussi eum.* Vndè Apostolus Rom. 8. *proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradit illum;* non tantùm sui altitudine consilij permittendo, sicuti Iudæis occidere Christum permisit; (cùm tamen vt occiderent, nullo modo voluerit,) sed etiam absoluta voluntate disponendo Christi mortem. Philip 2. Iuxta illud Actor. 3. *Deus qui pranunciauit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, impleuit sic.* Et Lucæ 22. *Filius hominis secundum quod definitum est vadit.* Et vltimo cap. *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.* Matt. 28. *sic oportet fieri* Act. 2. *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditũ, interemistis* Act 4. *conuenerunt facere, quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri.* Ioan. 13. *Sciens autem Iesus,*

Iesus, quia omnia consummata sunt. Quibus omnibus locis significatur, Christum omnia iuxta Dei præordinationem passum esse, non quia Deus voluerit, vt Iudæi vel alij per malitiam Christum occiderent, ita vt author sit pecati, (vt fingit Caluinus) sed quia Christum absolutè pati voluit, quem poterat Deus per manus innoxias occidere, quemadmodum Abrahæ præcepit, vt filium suum immolaret. Cùm enim vitæ & mortis sit Dominus, absque cuiusquam iniuria potest mortificare & viuificare, & quod per seipsum pater erga filium agere potuit, id vt ad hominum salutem fieret, absolutè disposuit. Quod propositum suum vt adimpleret, Iudæorum malitia, quam ad hoc paratam fore prævidebat, vti constituit. Quocirca, vt Iudæi Christum occiderent, in eúmque odio malignitatis sæuirent, permisit tantùm, non etiam decreuit Deus. Cæterùm vt pateretur Christus, eóque supplicij genere, idque eo tempore & loco, diuinæ fuit non tantùm permissionis, sed etiam dispositionis, vt docet Augustinus Psalm. 104. & tractat. 119. in Ioan. *Quis*, ait, *potest quæ facit ita disponere, quomodo disposuit homo iste, qui passus est? Homo namque apparebat, qui Deus latebat, patiebatur hac omnia qui apparebat: et idem ipse disponebat hac omnia qui latebat.* Vndè mortuus est Christus, quia voluit, quando voluit, & quomodo voluit: iuxta August. lib. de Trinit. cap. 13. Leonem serm. 1. de pass. Domini serm. 4. 9. & 16. Cùm ergo omnia, quæ in Christum Iudaica admisit impietas, tantò antè prædicta sint, vt non tam de futuris, quàm de præsentibus sermo propheticus contextus sit, quid aliud nobis, quàm sempiternarum dispositionum Dei immutabilis ordo referatur, apud quem & discernenda iam iudicata, & futura iam facta sunt?

Christi passio non solũ permissa, sed à Deo fuit decreta.

Iudaica malitia fuit permissa, non immissa à Deo.

Sed nunquid iniquitas persequentium Christum ex Dei certa est consilio? Nequaquam, quoniam multùm est diuersum id, quod in malignitate Iudæorum est præcognitum, & quod in Christi passione est dispositum. Non indè processit voluntas interficiendi, vndè moriendi: nec de vno spiritu existit attrocitas sceleris, & tolerantia Redemptoris. Non enim has impias manus in se Dominus immisit, sed admisit: nec præsciendo, quod faciendum esset, coëgit, vt fieret, cùm tamen ad hoc carnem suscepisset vt fieret. Voluntatem enim patiendi Christo inspirauit Deus, non autem occidendi affectum Iudæis. Lactantius libro 4. capite 26. omnia quæ in Christi Passione gesta sunt, à Deo fuisse disposita tradit. Et Sedulius in opere Paschali lib. 4.

Nec sine diuino constat moderamine gestum,
Quòd vinum cum felle datum.

Quomodo Pater Filiũ tradiderit.

D. Thom. 3. p. quæst. 7. artic. 3. dicit Patrem tradidisse Filium. I. quia non protexit, sed aduersãriorum furori exposuit, iuxta illud Matthæi 27. *Vt quid dereliquisti me?* Augustinus epistol. 120. II. Quia Filio voluntatem patiendi inspirauit. III. quia æterna voluntate Christi passionem ad humani generis redemptionem præordinauit. Pater ergo Filium, & Christus seipsum tradidit, miserendi voluntate: Iudas tradidit ex Cupiditatis radice; Iudæi verò Inuidiæ & Odij malignitate; Pilatus autem mundano timore victus.

Traditio Christi diuersimodè facta.

CAP. CLXXXI.

Vtrùm Christus patiendi præceptum habuerit?

Dion. Areop. Epist. 8. ad Demophilum ait, Christũ S. Carpo apparuisse, ac dixisse: paratus sum pro saluandis hominibus iterum pati.

CHristus mori, & non mori poterat, eiúsque mors absolutè ad humani generis redemptionem necessaria non erat, secundùm humanam insuper naturam Pater eo maior erat: proinde ipsi iure mandatum dare licuit, partim vt indifferentem secundùm se ad moriendum & non moriendum voluntatem determinaret, partim, vt sicuti per vnius inobedientiam perieramus, ita & per vnius obedientiam erigeremur: ac deniquè, quoniam glorioſior est militis victoria, quãdo Duci parendo certat & vincit, quia nullum est obedientiæ meritum, vbi nullũ superioris est imperium: sicuti nulla est transgressio, vbi nulla lex. Mandatum itaque patiendi Christus à Patre accepit. *Et sicut mandatum dedit mihi Pater*, ait Ioan. 14. *sic facio*. Et cap. 18. *Calicem quem dedit Pater, non vis vt bibam illum?* Et Matth. 26. *Si non potest transire calix iste, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Si nullum patiendi mandatum accepisset, poterat vltrò se passioni non offerre: at *Patri factus est obediens vsque ad mortẽ*. Patris enim decretum promptissimo animo exequendum suscepit: vndè *oblatus* etiam esse dicitur, *quia ipse voluit*. Nullus enim ab inuito animam tollere poterat, vt patuit ex eo, quòd irritos hostium conatus reddiderit, quamdiu ipsi placuit: dum videlicet eum puerum tollere, (Matth. 2.) vel adultum præcipitare, (Lucæ 4.) sæpiúsque apprehendere vel lapidare conati sunt. Idipsum comprobauit, Iudæos sola voce posternendo, Malchi auriculam sanando, potestatem in se manus immittendi concedendo, clamore valido spiritum emittendo, sanguinem & aquam post mortem effundendo. Item dum Solem obscurauit, elementa concussit, hominum pectora commouit, & quæ impij ad ignominiam præparauerant, in suam gloriam cõuertit. Nam latro non solùm innocentem, sed etiam verum cœli Regem crucifixum esse confitetur. *Oblatus* ergo *est*, *quia voluit* sponte mori, simul *quia voluit* Patri obediens esse, vt suam charitatem nobis commendaret, necnon obedientiæ exemplum præberet. Dignius enim est opus, maioriſque perfectionis & meriti, quanto ex pluribus virtutibus fluit.

Christus patiendi mandatum à Patre accepit.

Philipp. 2.

Isaiæ 53. Psal. 39. Christus voluntariè passus est.

Ioan. 10. 19.

Luc. 22.

Opus eo dignius est, quo ex pluribus fluit virtutibus.

CAP. CLXXXII.

De magnitudine Passionis Christi.

QVæ, quanta, qualia, & quàm varia dolorum tormentorúmque genera Christus nostræ salutis causa pertulerit, Prophetarum, Psalmorúmque vaticinia, necnon Euangelici Scriptores luculentissimè exprimunt. Ex quibus constat, Dominum gloriæ omni passionum genere, quæ hominum actionibus & iniurijs inferri possunt, excruciatum fuisse. Passus est enim ab omni hominum genere, gradu, sexu & conditione: scilicet, à Iudæis & Gentibus, à Regibus, Principibus, Præfectis, Popularibus, à ciuibus, & externis, à togatis & militibus: deniquè à Pontificibus, Scribis, Sacerdotibus & Phariſæis, à viris & mulieribus, à seruis & ancillis, à propriis discipulis, à familiaribus & ignotis, ac postremò à vilis-

Passionis Christi acerbitas.

Passus est ab omni hominum genere, gradu, sexu, conditione.

simis latronibus simul crucifixis.

Passus est in omni rerum genere.

Secundò passus est in omni rerum genere, in quibus homo pati potest. In seipso videlicet, & in amicis: in fama per blasphemias, in honore, per contumelias: in rebus externis, dum vestibus spoliatus fuit: in anima, eiúsque potentiis, per tristitiam, tædium, pauorem, zelum: in corpore, per vulnera, flagella, crucifixionem.

Passus est in omnibus corporis membris.

Tertiò, passus est in omnibus corporis membris: in capite per spineam coronam: in [illegible]e & genis per alapas & purulenta sputa, euulsionémque barbæ. In oculis velatus fuit: in lingua felle & aceto potatus: in ceruice arundine percussus: in brachiis & manibus expansionem, clauorúmque perfossionem sustinuit: in dorso flagella, in ventre liuorem, in pedibus perforationem, affixionémque ligno pertulit.

In omnibus sensibus.

Deniquè passus est in omnibus Sensibus: in Tactu, acerbissimos totius corporis dolores, in Gustu, fellis amaritudinem: in Olfactu, grauem, cadauerum in monte Caluariæ fœtentium odorem: in auditu, irrisionibus, blasphemiis & contumeliis lacessitus fuit: Visu suam nuditatem, Matrem lacrymantem, opprobria, insultationésque Iudæorum, & Gentium crucifigentium spectabat.

Per omnẽ ætatem.

Passus est insuper Christus per omnem suæ vitæ ætatem. Vix enim natus in Ægyptum exulat, & ab incunabulis vsque ad mortem insidias, persequutiones, & dolores, quin & post mortem, lateris apertionem sustinet.

Omne genus miseriæ tolerauit.

Prætereà Christus omne genus passionum, quas Adam peccando meruit, tolerauit. Natus est in paupertate, educatus in miseriis, esuriit, sitiuit, alsit, fatigatus fuit, persequutiones, assiduósque labores sustinuit: tandem se capi, ligari, flagellari mortique probrosissimæ, nec minùs acerbæ Crucis seipsum addici permisit.

In his autem tantis cruciatibus, passionis tempore, consolationis remedium spontè à se abdicauit: cuius rei causam nobis inquirendam proponens, *Deus*, ait, *Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Psal. 21.

Caluin. lib. 2. Instit. c. 16. nu. 10.

Cauenda tamen hîc est Caluini hæresis, sentientis Christum pertulisse Inferni cruciatus & dolores, non solùm in anima post mortem, sed etiam tempore huius vitæ, in horto & cruce. Quas quidem inferni pœnas in eo constituit, quòd Christus diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulerit, diuinæ vltionis seueritatem sustinens, quum sentiret se à Deo derelictum & alienatum, nec exaudiri, quum inuocaret, ideóque maledictionem & iram Dei timuerit. Cui anxietati animæ Christi non modicam nostræ liberationis partem assignat. Quam blasphemiam refutat Bellarminus libro quarto de Christo capite 8.

Christus dãnatorum pœnas non sustinuit.

Passiones naturali modo tolerabiles Christus suscepit.

Tenendum itaquè est, Dominum eas tantùm suscepisse humanas passiones, quas naturali modo ab hominibus tolerare poterat, & quas Euangelium refert. Hæ siquidem ad satisfaciendum pro nobis sufficerunt. Nec perfectioni & excellentiæ Christi conueniisset, pati anxietatem desperationis, (vt fingit Caluinus) cùm huiusmodi pœnæ genus coniunctum esse soleat culpæ vel ignorantiæ, neque quicquam conducat ad præbendum hominibus exemplum, quòd huiusmodi actiones non sint imitandæ, neque ad satisfactionem conferre possint, cùm desperationis anxietas Deo

minimè grata sit, *qui saluat omnes sperantes in se.* Nequè insuper fingendum est, Deum per seipsum exagitauisse Christum, vel nouo modo fuisse operatum passiones, quas Christus sustineret: sed ideò Christus à Deo percussus esse dicitur, Isaiæ 53. & traditus à Patre pro nobis Rom. 8. quia Deus cùm posset non protexit, nec persecutores impediuit, sed malam suam voluntatem eos implere permisit, & denique, quia Christo patiendi voluntatem inspiranit. Rursus, non est arbitrandum, Deum permisisse dæmoni, vt Christum suo arbitrio & voluntate torqueret, quoniam id necessarium non fuit, nec Scriptura, nequè Veteres hoc tradunt, sed tantùm quòd permissum dæmoni fuerit, vt Dominum per malos homines affligeret, ac quantum posset & vellet, contristaret, iuxta illud Lucæ 22. *Hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum*: id est, malignorum spirituum, qui cùm hactenus semper per vos me perdere conati sint, nunc tandem permittuntur id, quod diu concupiuerunt, perficere vestro ministerio, qui eorum estis instrumenta. Ex quibus liquet, Dominum ea tantùm passionum genera sustinuisse, quæ vi, & malitiâ humanâ effici potuerunt. Tot autem passionum genera pati Christus voluit, vt hominem doceret omnia temporalia commoda contemnere, & nihil eorum malorum timere, quæ ab hominibus inferri possunt, secundùm illud Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.*

Deus per seipsum nō exagitauit Christum.

Dæmon per homines Christū afflixit.

Christus passus est omnia quæ ab hominibus inferri possunt.

Porrò quantus dolor ex prædictis omnibus Christo inflictus fuerit, declarant illa eius apud Prophetam verba: *Videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Item à planta pedis vsque ad verticem, capitis non est in eo sanitas. *Verè dolores nostros ipse tulit.* Cuius doloris magnitudo intelligi poterit, si multitudo rerum passionis tempore affligentium perpendatur, ac ipsum genus mortis per se iguominiosissimum & acerbissimum, necnon repetita clauorum confixio in manibus & pedibus, maximè neruosis & sensibilibus membris: potissimúmque in corpore nobilissimæ tenerrimæque complexionis, ex purissimis B. Virginis sanguinibus, sola Spiritus Sancti operatione composito: quod viuacitate tam interiorum quàm exteriorum sensuum plurimùm viguisse, haud est ambigendum. Hunc verò dolorem non parum adauxit spontanea omnis interioris solatij subtractio: quâ factū est, vt singulæ vires animæ, nulla consolatione sensum doloris mitigante, eumdem perfectissimè sentirent: siquidem maior in Christo dolor, minoris sensum (vt in nobis accidit) nō diminuebat. Accedebat insuper ad cumulū doloris, quòd ab eis pateretur, à quibus honorari debuerat, & quibus maxima, imò innumera beneficia contulerat, quorum saluandorum gratiâ de cœlo descenderat, quorum Patres aduentum ipsius tantopere exoptauerant: & quorum ingratitudinem, cæcitatem, obstinationem, voluntariam perditionem, æternámque damnationem nō minùs quàm vulnerum suorum cruciatum percipiebat, atque dolebat. Et quidem hæc omnia Innocentissimus à scelerâtis, citra inuentam in eo culpam sustinebat, iuxta Pilati iudicis professionem: *Nullam in eo inuenio culpam.* Quin & apertè idipsum pius Latro confessus est, dicens: *Hic autem nihil mali fecit.* Quare dolorem augebat quòd ex Pontificum inuidia sola nec traderetur, ferente

Isa. 1. & 53.

Damasc. li. 3. de fide ca. 15.

Doloris Christi magnitudo vndè colligatur. Thren. 1.

mortis sententiam Iudice, qui palàm eum Iustum confiteretur. Præterea summum dolorem exprimebat amissio vitæ temporalis tantæ personæ, quæ DEVS erat & HOMO, atque tam nobilis Animæ separatio à tam excellenti puróque Corpore. Deniquè, quia onus voluntariæ satisfactionis pro totius Mundi peccatis assumpserat, tunc simul pro vniuersis & singulis totius Mundi peccatis doluit. Postremò summum in Christo dolorem excitabant omnis generis cruciatus, in omnibus membris & animæ viribus, quos singulos nō minùs quàm si fuissent soli, attendebat, cùm in eo doloris vehementia nullam prorsus rationis turbationem induceret: & perfectissimè cognoscebat, ac perpendebat omnium & singulorum peccatorum Malitiam, Ingratitudinem, & quantùm Deo Peccatum displiceret, quantùm eum offenderet, quantam homini perniciem afferret, quantùm proindè esset detestandum. Cúmque Deum, ciúsque honorem intensissimè diligeret, hominúmque salutem optaret, consequitur, quòd de offensione Dei & hominum damnatione vehementissimè doluerit.

CAP. CLXXXIII.

Vtrùm Christi passio lugenda sit?

Eraſmus notatur.

EX Christi dicto Lucæ 23. *Filiæ Ierusalem nolite flere super me*, contra perpetuum Ecclesiæ vsum ausus est Eraſmus asserere, Passionem non esse lachrymis nec luctu prosequendam, quia Christus, mortem suam noluerit deplorari, sed adorari. Cuius sententiam Theologi Parisienses iurè damnarunt, eamque confutat Hosius de Fide cap. 5. Vniuersus deniquè Christianus Orbis eandem reiecit, dum singulis annis lugubri pompâ, flebilibúsque ceremonijs, Passionis Christi memoriam celebrat, iuxta Zachariæ vaticinium: *plangent eum omnes Tribus terræ*, non quidem vt mulieres à Christo reprehensæ, quia Christi Passionem deplangerent, velut puri quidem hominis innocentis, sed infirmi, & ab impijs oppressi, qui inuitus pateretur, nec se liberare ex illórum manibus posset. Huiusmodi fletum, tanquam se indignum, Dominus compescuit, mulieres admonens, vt se filiósque suos potiùs deplorarent, quibus ineuitabile Vrbis Hierosolymæ instaret excidium; idque ob Filij Dei occasionem, qui non inuitus, sed voluntariè, pro Humani generis salute furentium in se manus admittebat, & tanquam Agnus in Cruce immolandus ad Mortem ducebatur, vt sua Morte nos immortales redderet. Qua fide imbutus fidelis, quia credit, Dominum, verū Deum & Hominem seipsum voluntariè in Mortem pro hominum salute obtulisse, diem Passionis annua solemnitate pio affectu recolit, vt eius amore inardescat, à quo priùs tantopere dilectus fuit, vt mori pro alijs non recusauerit, & pro tanto beneficio gratias ei agat. Cum luctu autem & flebilibus ceremonijs diei illius recordatio celebratur in testimonium fidei nostræ, qua credimus, nos peccatis nostris illius tam acerbæ passionis authores extitisse, pro quorum salute ista omnia eum pati oportuerit. *Verè* enim *languores nostros ipse portauit.* Cuius piæ consuetudinis meminit Cyrillus Catech. 14. Gregor. Nazianzenus in Tragœdia: *Christus patiens.* Lactan. lib. 4. cap. 18. *Quis tam facinorosus*, ait, *vt illam crucem meritò de-*

Passio Christi rectè cū lugubri pompa recolitur.

Isaiæ 53.

Christi mortem omnia elementa luxerunt.

ploret, quam Mundus & vniuersa elementa luxerunt?

CAP. CLXXXIV.

De Tempore, quo passus est Christus.

De tempore Passionis Christi.

TEmpus humanæ redemptionis, quæ Christi morte cōsummata fuit, illis Symboli verbis exprimitur: *Sub Pontio Pilato.* Ab hoc enim Iudeæ Præside Dominus mortiadiudicatus est, Anno præfidentiæ ipsius, circiter VI. Nam exactis decem in ea prouincia annis, Romam versus iter suscepit, quò priusquam peruenisset, Tyberius vita excessit, Anno Imperij sui XXII. expleto, sex mēsibus, & tribus diebus. Cuius imperij Anno XVIII. Christus passus est, quem B. Lucas capit. 3. eiusdem Tyberij Anno XV. baptizatum fuisse scribit, dum Annorum esset quasi triginta, à quo tempore Ioannes quatuor Paschata enumerat: scilicet anni XXX. inchoati tribus mensibus: Anni XXXI. XXXII. & XXXIII. inchoati tribus quoq; mensibus. Post Baptismum enim Euangelicam doctrinam prædicauit Annis tribus, & mensibus totidem, quibus expletis passus est in flore ætatis, Anno scilicet vitæ suæ XXXIII. inchoato. Vixit enim in terris Christus Annos XXXII. menses III. Mortus autem est iuxta B. Augustinum Bedam, & alios, VIII. Calendas Aprilis, eadem die qua conceptus ipse, & qua primus humani generis Parens lapsus, mortuúsque fuerat. Sexta enim Feria circa meridiem de fructu vetito VIII. Calendas Aprilis Adam gustauerat: eadem die peracto vitæ decursu ex hac vita emigrauit, ac postmodum Christus eadem Feria, & hora crucifigi voluit. Beda in Martyrologio, & libro de temporibus capit. 45. Cyrillus. Cateches. 14. Augustinus libro 4. de Trinit. capit. 5. libro 83. quæstio. 56. & Dialogo 65. quæst. 26.

Ioseph. l. 4. de bello Iudaic. c. 8. Euseb. li. 1. hist. cap. 11. & 12.

Epiph. hæresi 78. Eusebius in Chronico. Beda lib. de ratione tēpor. cap. 7. Niceph. li. 1. hist. c. 40. Christus quādiu vixerit, prædicauerit, & quo Anno ætatis passus.

Ex quibus palàm est, Irenæum errasse, dum opinatus est, Christum Anno vitæ suæ XLVI. passum esse, quia Iudæi ei dixerunt: *quinquaginta annos nondum habes*, &c. Ioan. 8. Necnon Tertullianum, qui Dominum putauit Anno ætatis XXX. crucifixum. Nam constat cum Anno imperij Augusti XLII. natum, qui imperauit LVI. annis, & XVIII. Tyberij mortuum, Pontio Pilato Iudeæ præside. Quem ex Lugdunensi prouincia originem duxisse nonnulli tradunt, alij verò ex Ponto Insula fuisse dicunt. Hunc tandem sub Caio Imperatore seipsum interfecisse, tradit Euseb. libro 2. histor. capit. 7. Epistolæ verò Pilati, qua Tyberio Principi significat Christi Resurrectionem, meminit Tertullianus in Apologetico, & Euseb. lib. 2. histo. cap. 2. Orosius lib. 7. c. 4.

Iren. lib 2. cont. hæreses. cap. 49.

Pilati origo, & mors.

Nomen autem iniqui Iudicis Pilati, in Symbolo positum est, non dignitatis aut honoris causa, sed ad historiæ certitudinem, temporúmque cognitionem, vt notat Augustinus lib. de Fide & Symbolo cap. 5. serm. 131. & 181. de temp.

Pilati nomē in symbolo ad historiæ certitudinem insertum.

CAP. CLXXXV.

De Loco Passionis Christi.

De loco passionis Christi.

QVemadmodum tempus conueniens, ita & locum Passioni accommodatissimum Christus delegit: videlicet ciuitatem regiam IERVSALEM, ad offenda sacrificia delectam, vt nimirum. I. ibi

se Dominus in hostiam Deo offerret, vbi sacrificia typica (eiusdem suæ Passionis figuræ) offerri consueuerant; ac proinde veritas priorũ vmbraticorum sacrificiorum prænuntiationes adimpleret. Hinc Lucæ 13. Dominus: *non capit Prophetam perire extra Hierusalem.* II. Hierusalem pene in vmbilico terræ sita est, ex qua Euangelij prædicatio, vtriúsque Passionis Christi cõmodissimè per vniuersum Orbem diffundi posset; iuxta illud Psalm. 73. *Deus autem rex noster operatus est salutem in medio terræ.* III. Conueniebat humilitati Christi, vt sicut Bethleem Natiuitati, ita regiam ciuitatem Hierusalem præeligeret Passioni, vt non solùm nascendo, sed etiam patiendo Crucis confusionem in tam celebri loco, mundi contemptum doceret. Leo serm. 1. de Epiphan. IV. Vt conitaret, mortis Christi authores potissimùm fuisse Principes, Sacerdotes, Scribas & Pharisæos, capita scilicet Iudaici populi. Iuxta illud Actor. 4. *Conuenerunt in ista ciuitate Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis.* Denique passus est Dominus extra portam Hierusalem, non in Templo, neque in ciuitate, ne pro solis Iudæis pati crederetur, sed pro toto humano genere mori se demonstraret. Nam animalia, quorum sanguis ad expiationem peccatorum totius populi offerebantur, extra castra cremabantur, & Abel à fratre Cano foras in agrum eductus occisus est. Propter quod ait Apostolus: *Et Iesus vt sanctificaret populum per suum sanguinem, extra portam passus est.* Præterea egressu extra vrbem, Dominus exemplum præbuit, vt deserta mundi gloria, & populari tumultu, Crucem sequamur, *exeamúsque extra castra, improperium eius portantes.* sicut Moysen fecisse admonet Apostolus Hebræorum 11.

Hebr. 13.

Postremò extra portam Dominus pati voluit, vt se commune sacrificium offerre significaret, cuius tamen participes illi non forent, qui vetera sacrificia in Templo Hierosolymitano offerri solita deferere nollent, vt Paulus significat dicendo: *Si circumcidamini, Christus vobis non prodierit.* Et: *Habemus altare, de quo non habent edere potestatem, qui tabernaculo deseruiunt,* id est, sacrificij Christi participes esse nequeũt, qui legalibus sacrificijs adhærent, per eáque se iustificari posse confidunt. In quo autẽ extra portam loco Dominus passus sit, Euangelistæ accuratè describunt: *Baiulans sibi crucẽ exiuit in Caluariæ locum*, id est, ad locum maleficorum, in quo rei ac nocentes capite truncari solent: vt intelligeremus, hanc etiam nostri causa ignominiam Dominum pati voluisse, vt ad locum iniquis deputatum duceretur, ibique cum iniquis reputaretur. Præterea in *Golgotha*, seu Caluariæ loco mori Dominus voluit, vt se pro nocẽtibus & reis pati ostenderet, quibus vitam & gloriam sua probrosa morte acquireret. VOCABATVR autem is locus, *Golgotha*, id est, *Caluaria*, ob eius volubilem rotunditatem, siue ob multitudinem cranorum ibi collectorum, vt Hieron. sentit, vel quia primi parẽtis Adæ Caluaria ibi condita fuerit, quam Secundi Adæ Sanguis de cruce stillãs aperiit, vt eius, totiúsque posteritatis ipsius peccata diluere. Quod licet Hieronym. confutare nitatur ex eo, quod Iosuæ 14. scriptũ legatur: *Adam maximus ibi inter Enacim situs est*; nihil tamen inde concludi potest, cùm *Adam* ibi commune nomen sit, idem significans quod *Homo.* Sensus enim est, aliquem hominem proceræ staturæ

Gal. 5.

Hebr. 13.

De Caluariæ loco. Ioan. 19.

Adæ Caluaria in loco Caluariæ.

Hier. in c. 27. Matt. & ad Ephes. 5.

ibi sepultum esse, qui putatur Enac filius Arbæ, cuius sit mentio Iosuæ 15. Gigantum parens. Qua de causa Gigantes passim in scriptura vocantur *filij Enacim*: Numer. 13. Deut. 1. & 2. Iosuæ 11. Iosephus lib. 3. Antiquit. cap. 2. refert, ibidem reperiri Gigantum ossa. Quare nō reijcienda est communis Veterum opinio, asserentium, primi hominis caput ibi reconditum fuisse, quod tradit Origenes tract. 35. in Matth. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem c. 4. Athanas. sermon. de pass. & cruce Domini. Epiphan. hæresi 46. Chrysost. homil. 84. in Ioan. Amb. lib. 5. epist. 19. & Lucæ 23. Augustinus serm. 71. de tempo. Basilius in ca. 5. Isaiæ. Cyprian. in serm. de Resurrect. Domini. ac Hieronym. ipse epist. 17. ad Marcellam nomine Paulæ & Eustochij. Obseruat insuper Augustinus serm. 71. hunc montem, in quo Christus passus est, illum eundem esse, in quo Abraham filium immolare voluit: quod ex Iudæorum traditione confirmat cōmentarius Hieronymi in 15. c. Marci, & Beda de locis sanctis cap. 2. Theophylactus in 27. ca. Matth. & 15. Marci, 23. Lucæ, & 19. Ioan. Eutym. in 27. cap. Matth.

Christus ibi passus, vbi Isaac immolandus.

Ciuis Romani crucifixionem exaggerans: quem imitatus Lactant. *Non*, inquit, *Gauianam crucem describimus, quam Marcus Tullius vniuersæ eloquentiæ suæ neruis, velut effusis totius ingenij fontibus prosecutus est, facinus indignum exclamans, Ciuem Romanum contra omnes leges in crucem esse sublatum. Qui licet innocens fuerit, eóque supplicio indignus; mortalis tamen, et ab homine sceleste, qui iustitiam ignorabat, affectus est.* Quid de huius Crucis indignitate dicemus, in qua Deus verus à cultoribus suspensus est, atque affixus? *Quis tam facundus*, & tantâ rerum verborúmque copia instructus, *vt illam Crucem meritò deploret, quam Mundus ipse, necnon elementa luxerunt?*

Lactant. li. 4. instit. cap. 25 & 26.

Sed quare Christus, qui Deus erat, certóque consilio mori elegerat, non saltem honesto mortis genere affici voluit, sed potiùs infame supplicij genus Crucis elegit, quod etiam libero homine quamuis nocente indignum videatur? Respōd. Id non fortuitò accidisse putandum est, sed admirabili diuinæ sapientiæ consilio, vt Christi mors nō solùm contineret redemptionis mysteriū, sed valeret simul ad exemplum, ad virtutum documentum atque incitamentum. *Lignum* enim, *in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit Magistri docentis.* Nam in Cruce contemplari licet propensissimum immortalis Dei in homines affectum, Christi obedientiam, mansuetudinem, patientiam, longanimitatem, inimicorum, dilectionem, humilitatem, & omne virtutum genus. Variæ itaque sunt rationes, Cur Dominus ignominiosissimum Crucis supplicium elegerit, I. est, vt quemadmodum primus Adam de fructu ligni vetiti manducando, per inobedientiam, superbiam,

Lignū crucis fuit cathedra docentis.

Cur Dominus crucis supplicium elegerit? I. Ratio.

CAP. CLXXXVI.

De genere mortis Christi in cruce; et cur Dominus crucifigi elegerit?

Crucem cur Dominus elegerit?

MOrtis Christi genus exprimitur verbo, *Crucifixus*: quo docemur, nostri causa Christū ignominiosissimum, acerbissimúmque supplicij genus sustinuisse, quod Cicero crudelissimum teterrimúmq; vocat. De cuius indignitate & ignominia Act. 7. in Verrem dissert,

biam, & præcepti contemptum, iniuriam Deo intulerat, cúmque grauissimè offenderat, necnon innocentiam sibi ac toti posteritati perdens, corporis & animæ morti seipsum cũ omnibus ex ipso, & damnata simul cõiuge nascituris, obnoxium fecerat; ita quoque secundus Adam ex obedientia, humilitate, Deique Patris reuerentiâ & amore Ligno affixus, honorem ei in Arbore sublatum, in Ligno restitueret, iniuriam illatam voluntaria ista humilitate compensaret, eóque modo Iustitiæ diuinæ satisfaciens, iratum Deum humano generi propitium redderet, donáque gratiæ & gloriæ omnibus, qui crederẽt, renascerentur, & in iustitia perseuerarent, impetraret. Hoc enim ordo nostræ salutis deposcebat, vt ars proditoris artem falleret, & medelam ferret inde, hostis vnde læserat, vt qui per lignum vicerat, per lignum quoque vinceretur, & *Chirographum*, id est, mortis debitum, quod per lignum contra nos scriptum erat, in ligno deleretur, vt Apostolus ad Colosſ. 2. subindicat, & Sponsus sponsæ Cantic. 8. *sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua.* Sicut enim fructu decerpto ex arbore perijt Adam; ita fructu, quem ex arbore crucis per fidem & sacramenta decerpimus, vitam haurimus. Aug. serm. 101. de tempo. arborem Adami comparat arbori Christi. Iren. lib. 5. ca. 31. Hieron. in 3. c. ad Galat.

II. Ratio. II. Vt Christus Dei charitatem erga homines commendaret, eorúmque fiduciam incitaret, dum conspicerent, Dei Filium ex patris voluntate ignominiosissimum simul & acerbissimum mortis genus pro sua

III Ratio. redemptione pertulisse. III. Vt fideles pro iustitiæ & veritatis conseruatione nullum mortis genus subire detrectarent, cùm atrocissimo mortis genere superato, Christus ostendisset sibi potestatem in omne mortis genus competere. *Ex Crucis* itaque *supplicio à Christo superato, fluxit Martyrum fortitudo.* Augustinus de fide & symbolo; & in Psalm. 63. IV. Vt crucem portando se humani generis peccata portare designaret, quæ initium ex comestione fructus Ligni vetiti traxerunt. V. Vt intelligeremus, peccatum rem adeò esse abominabilem, vt nos sub maledictio constituat, à quo liberari nõ poteramus, nisi Dei Filius pro nobis maledictum fieret, & hostia pro peccato. Gal. 3. & 2. Cor. 5. Enchir. c. 41. Auguſt. VI. Vt molesta in cruce manuum expansione, sanaret elatam cupidámque manuum Adæ extensionem ad fructum ligni vetiti. VII. In Cruce exaltari voluit, vt demonstraret, se homines in profundo peccatorum demersos in altum ad se attracturum, virtutúmque alis in cœlum subuecturum. Iuxta illud Ioan. 12. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Est* enim *Crux Christi scala, per quam in cœlum scandimus.* Leo serm. 8. de pass. Iustinus in dialogo cum Triphone. VIII. Vt suam mortem verum esse sacrificium, hostiámque illi odorem suauitatis oblatam edoceret. Nam eleuari hostiæ coram Domino solẽt. Leuitici 7. 23. & 24. IX. In Cruce palàm mori voluit, vt quàmplurimi oculati testes Passionis & Mortis, de ipsius Resurrectione post triduum sequuta, indubitati testes forent. Athan. in oratione *De Humanitate Verbi.* X. Vt quisquis ab antiqui serpentis veneno sanari desideraret, in hunc vnum cruci affixum oculos fidei erigendos intelligeret. Iuxta illud Ioan. 3. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filiũ hominis, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed*

IV. Ratio.

V. Ratio.

VI. Ratio.

VII. Ratio.

Crux Christi est scala cœli.

VIII. Ratio.

IX. Ratio.

X. Ratio.

XI. Ratio. *habeat vitam æternam.* XI. Christus exaltari in ligno voluit, vt Aërem ipsum sanctificaret, quemadmodum Terram in ea deambulando mundauerat. Chrysostomus in 3. c. Ioan. Augustinus sermon. 130. de tempo.

XII. Ratio. XII. Crucem Dominus elegit, vt ipso genere supplicij designaret, se pro quatuor mundi partibus mori. Quatuor enim Crucis partes adumbrant crucifixi potentiam, per vniuersum Orbē esse diffusam.

XIII. Ratio. XIII. In Cruce tanquam in Tribunali mori voluit, vt se iustorum & impiorum iudicem ostenderet. Nam in medio Latronum constitutus, credentem liberat, insultantem damnat. Leo serm. 4. de pass. Augustinus tract. 32. Ioan.

XIV. Ratio. XIV. Crucis supplicium elegit, vt lignum in quo fixa essent membra patientis, fieret cathedra magistri docētis varia virtutū genera, quæ per quatuor Crucis dimensiones Apostolo teste ad Ephesios 3. significantur. *Longitudo* se ad bona opera extendit: *Latitudo* longanimitatem perseuerantiamq; adumbrat: *Altitudo* supernorum præmiorum spem expectationémque denotat: & denique *Profunditas*, occulta Dei iudicia, prædestinationémque gratuitæ Dei gratiæ innuit. Augustinus tract. 119. in Ioan. & epist. 120. cap. 26. lib. 2. de Trinitat. c. 42.

XV. Ratio. XV. Crucifigi voluit, ad erudiendum nos, quòd *crucifigere* seu *mortificare* carnales concupiscentias debeamus. Roma. 6. quodque singulos Crucem suam tollere oporteat. In cuius rei typum Dominus quando ad supplicij locum ducebatur, Crucem suam tanquam verus Isaac portauit, simúlque à Simone Cyrenensi portari disposuit.

XVI. Ratio. XVI. Crucifigi elegit, vt figuris veritas adumbrata responderet, prophetarúmque oracula compleret. Deut. 28. *Erit vita tua pendens ante te.* Psal. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Psal. 95. *Regnauit à ligno Deus.* Sap. 14. *Benedictum est lignum, per quod fit iustitia.* Iere. 11. *Mittamus lignum in panem eius.* Zach. 12. *Aspicient ad me, quem confixerunt.* Isai. 65. *Expandi manus meas.*

XVII. Ratio. XVII. Crucifigi expansis brachijs voluit, vt omnibus ad ipsum confugientibus paratam esse Misericordiam demonstraret, quasi dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis.*

XVIII. Ratio. XVIII. Crucifigi voluit, non capite truncari, aut alio leti genere mori, in signum vnitatis mystici Corporis; vt sicuti corpus eius integrum manſit, ita & Ecclesia schismate careret. Postremò Crucifigi voluit, vt superbia seculi per Crucis prædicationem humiliata, corrueret. 1. Cor. 1. *Placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.* Et *quod infirmū est Dei, potentius est hominibus.*

XIX. Ratio. Nam crucem antea probrosam & abominabilem Christus in eum honoris gradum euexit, vt nunc signo crucis contra diabolum suos armet discipulos, (Aug. serm. 181. de temp.) crucémque velut signum triumphi contra diabolum in frontibus suis fideles, & in vexillis ac insignibus gestent Reges. Vndè Leo ser. 8. de passion. *O admirabilis potentia Crucis!*

CAP. CLXXXVII.

Quibus typis Crux præfigurata fuerit?

Crux variis typis præfigurata. CRux Saluatoris ab initio Mūdi varijs adumbrata est figuris. I. quidem Gen. 2. per Lignum Vitę. II. Per Lignum Arcæ (Genes. 7.) per quod ab interitu genus humanum liberatum est. Augustinus lib. 15. de ciuitat. c. 28. & per Lignum, quo amaræ aquæ, dulces redditæ

sunt. III. Lignum holocausti, quod Isaac gessit. Gen. 22. IV. Typum Crucis habuit Scala, per quam in cœlum ascendentes angelos Iacob vidit. Gen. 28. V. Baculus Iacob, peregrinationis solatium. Gen. 32. VI. Gen. 48. Iacob benedicendo cancellatis manibus filijs Ioseph, figuram Crucis expressit. VII. Virga Moysi, qua miracula edidit, mare diuisit, Pharaonem prostrauit, Dei populum redemit, ex Petra vndas aquarum eduxit, Amalechitas expansis circa virgam brachijs debellauit. VIII. Veru, in quo Agnus assatus est, Exodi 12. adumbrauit Carnem Christi in veru Crucis excoquendam igne tribulationis & charitatis. IX. Exod. 17. Expansio manuum Moysi, pugnante Iosue. X. Numer. 13. Vectis, in quo vua portata est. XI. Numer. 17. Virga Aaronis germinans. XII. Num. 21. Serpens æneus suspensus, Ioan. 3. XIII. Iudic. 4. Clauis, quo Sisara dux hostium populi Dei interfectus est. XIV. Lignum quod in amaras aquas missum, dulces eas effecit. 4. Regum 6. XV. Signum Thau. Ezechiel. 9. Apocal. 7. & 9. quo signati, immunes sunt ab Angelo percutiēte. XVI. Abacuc 3. Cornua in manibus eius. Per Crucem dæmones ventilauit Dominus, vniuersumque Mundum subegit.

Exodi 4. & 17.

CAP. CLXXXVIII.

De Ligno Crucis.

Lignum crucis à veteribus *Lignum beatum*, *Lignum salutare*, *Lignum vitæ*, appellatur. Greg. Niss. serm. de sancto baptismate. Cyril. catech. 4. 10. & 13. particulas Ligni crucis per vniuersum Orbem terrarum dispersas esse scribit.

Ligni Crucis encomia. Macarius Episcopus Hierosol. Ruffin. li. 1. hist. c. 8.

Chrysost. oratione, *Quòd Christus sit Deus*, totum Orbem contendere dicit, vt particulam Ligni crucis habeat, quam auro includat, ceruicibus aptet, existimans, se illo valdè muniri, protegi & honestari. Gregor. Nyssenus in vita S. Macrinæ, ipsam ferreum crucis signum gestasse refert, in quo particula Ligni vitæ inclusa esset.

Crucis particulæ per vniuersum orbem dispersæ.

Quomodo per Helenam, Constantini Matrem, Lignum Crucis inuentum sit, describit Ruffinus li. 1. histo. c. 7. Nicephorus lib. 8. cap. 29. *Ligni salutaris miraculo reperti partem filio detulit: partem verò thecis argenteis conditā in loco dereliquit, quæ ibidē sollicita veneratione seruatur, Reginaq; voti cōpos effecta, Templum in loco, in quo Crucē Domini repererat, ambitione regia construxit.*

Crucis Inuentio.

De Crucis exaltatione per Heraclium Imperatorem, postquam à Persis eandem recuperasset, vide Zonaram lib. 3. Annalium. Niceph. lib. 8. c. 29. Vbi Sibyllæ carnem adfert:

O Lignum fœlix, in quo Deus ipse pependit!

Crucis exaltatio.

CAP. CLXXXIX.

Quot clauis Dominus Cruci affixus fuerit?

GRegorius Turonēsis *de gloria Martyrum* ca. 6. & Cyprian. ser. *de pass. Domini*. ex Psal. 21. *Foderunt manus meas et pedes meos*, colligunt, Dominum cruci affixum quatuor clauis. Quod etiam sensit Innocentius III. ser. *de vno Martyre*, quatuor clauī sūt quatuor principales Virtutes. Idipsum S. Brigittæ & S. Francisco reuelatum fuisse Bonauentura tradit. Ioannes Molanus lib. de picturis ca. 24. & 75. notat, incertum esse, vtrùm duobus clauis

Quot clauis Dominus cruci affixus fuerit?

an vno tantùm Christi pedes terebrati fuerint.

Incertum, an pedes vno, an duobus clauis affixi.

*De Latronibus autem certum est, ipsos non funibus, sed clauis instar Christi affixos fuisse, vt palàm Euangelium continet. Augustin. tract. 37. in Ioan. Ruffinus libr. 10. cap. 8. scribit, Helenam clauos, quibus Christi corpus affixũ cruci fuerat, cum Cruce reperisse, atque ad filium retulisse, ex quibus ille frænum equi, & galeam belli vsibus aptam fabricari iusserit.

CAP. CXC.

De Situ Christi in Cruce.

Christus facie ad Occidentem cruci affixus.

DOminus in Cruce fixus Occidentem respiciebat, dorso versus Ierusalem, & Orientem, dextera ad aquilonem, læua ad Meridiem. Quo situ adumbratum est, quòd relicta Iudæa & Orientalibus populis, potissimùm Occidentales oculis suæ misericordiæ respiceret, apud quos etiam suum Vicarium, Ecclesiæ Christianæ Pastorem collocaret, quod Romæ factum esse videmus. Sedulius libr. 4. hoc carmine dicta expressit:

Splendidus authoris de vertice fulget Eous:
Occiduo sacra lambuntur sidere planta:
Arcton dextra tenet, medium læua erigit axem:
Et cruce complexum Christus regit vndique mundum.

Beda in Lucam c. 93. Damas. lib. 4. de Fide ca. 13. Basil. libr. de Spiritu sancto c. 27. Athan. lib. quæst. q. 14. nos ad Orientem orare tradunt, veluti respicientes in faciem Christi, ad eumque suspirantes.

An Christus in cruce omnino nudus pependerit?

An porrò Christus omnino nudus in Cruce pependerit, (vt plures opinantur) an præcinctus linteo, & velatis saltem fæmoribus, incertum est; vt rectè monet Ioannes Molan. lib. de picturis capit. 74.

CAP. CXCI.

De Forma Crucis Christi.

Forma crucis Christi.

QVia variæ cruciũ species reperiuntur (de quibus copiosè ac facũdissimè IVSTVS LIPSIVS nobis olim amicissimus, libris trib⁹ disserit) meritò QVÆRITVR, In qua earum Dominus mortuus fuerit?

An crux triangula? an potius quadrangula?

Quidam ex B. Hieronymo in c. 9. Ezechielis opinantur, Domini crucem triangulam fuisse instar Græci T: alij verò quaternos fines habuisse probabiliùs asserũt, non sine mysterio, quòd toti Orbi, quatuor finibus comprehenso, mortuus Saluator pependerit: vt Sedulius libro IV. *de Opere Paschali* obseruauit:

Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis,
Et Cruce complexum Christus regit vndique mundum.

Cui sententiæ Paulus ad Ephes. 3. fauere videtur, dum ait: *vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, & profundum. Erat latitudo* (inquit Augustin. in Psal. 103. conc. 1. ser. 19. de sanctis, li. 2. de Trinitat. c. 42.) *in qua porrecta sunt manus: longitudo à terra surgẽs, in qua erat corpus infixum: altitudo, ab illo innexo ligno, sursum quod eminet: profundum, vbi fixa erat crux, et vbi omnis spes vitæ nostræ.* Eadem Pauli verba ad quatuor Crucis fines adaptat Damasc. li. 4. de fide c. 12. Irenæus lib. 2. contra hæreses cap. 42. quinque Crucis fines enumerat; duos in longitudine, & duos in latitudine, & quintum in medio, vbi requieuit, qui

Ephes. 3.

clauis affigitur. Gregor. Nyssen. oratione I. de Resurrect. tradit, quatuor crucis angulis significari, Christi virtutem & potentiam per omnes mundi partes diffundi, ac omnia, quæ supra cœlos, sub terrâ, vel in terminis per medium porrectis sunt, eius virtute contineri. Iustinus aduersus Triphonem crucem quadrangulam etiam asserit: cui sententiæ vetustissimus quoque efformandæ pingendæque Crucis vsus astipulatur. Et apud Ægyptios ante Christi Natiuitatem, quadrangulam fuisse crucem attestatur Ficinus libr. *De vita calitus comparanda*, quem citat Ioannes Molanus libro de pict. cap. 64. Improbabilis igitur est Ruffini in Symbolum opinio, quòd Christi Crux triangula fuerit.

CAP. CXCII.

In Crucis mysterio Christianis gloriandum.

In cruce gloriandum.

CRucis mysterium *Iudæis scandalum, gentibus autem stultitiam* fuisse, Apostolus enunciat: 1. Cor. 1. Vndè Christianis in Ecclesiæ ortu obijci solet, quòd hominem ab hominibus insigni supplicio excruciatum colerent, Lactant. teste libr. 4. cap. 16. Sed fidelibus idipsum Crucis mysterium semper veneratione fuit, quòd scirent, vitam & salutem nostram à Crucifixo pendere, Crucísque passionem magna diuináque ratione à Domino sponte electam toleratámque esse, in eáque virtutem, & sapientiam, & veritatem contineri. Vndè Apostolus ad Galat. 6. *Absit mihi gloriari nisi in Cruce Domini.* Et Cyril. catechesi. 13. *Crucem*, ait, *esse gloriam Christianorum.* Chrysost. Crucis encomia integra homilia *in Laudem sanctæ Crucis* habita prosequitur. Ruffinus libr. 1. histo. cap. 29. refert, Ægyptios inter litteras sacerdotales signum Crucis habuisse, cuius interpretatio fuerit, *Vita ventura.* Leo serm. 5. de Pass. Domini: *Crux Christi potentissimum* (inquit) *est diuinæ misericordiæ sacramentum, & Christianæ spei vera & principalis causa.* Sermon. 8. eiusdem laudes describit. & Damascen. libr. 4. de Fide cap. 12. Elegantèr verò idipsum exequitur Venantius Fortunatus lib. 1. De beneficiis Christi; vbi hymnos illos, quibus tempore Dominicæ Passionis vtitur Ecclesia, habet: *Vexilla Regis prodeunt*, &c. Item,

Pangelingua gloriosi prælium certaminis,
Et super Crucis trophæo dic triumphum nobilem.

Qui hymni continent dominicæ crucis encomia, fructus, mysteria, & commoda homini per crucem præstita, quæ variis modis Ecclesia fidelibus inculcare studet. Primùm quidem certorum dierum institutione, quibus Passionis Christi memoria solemni ritu recoleretur cui: rei Hebdomadam Sanctam deputauit, de qua Rupertus lib. 5. de diuin. offic. capite 9. Chrysost. homi. 30. in Gen. & 88. in Matth.

Memoria Passionis Christi recolitur.

Instituit præterea cujusque hebdomadis *Feriam sextam*, in qua specialis memoria crucis fieret. Accessit postea *Inuentionis sanctæ Crucis* festum: de quo Russin. lib. 10. histo. c. 7. & 8. Et Tripart. histo. lib. 2. cap. 18. Niceph. lib. 8. cap. 29. Ambros. oratione de obitu Theodosij. Cyril. Hierosolym. in epist. ad Constantium. Sequutum est Heraclij tempore Festum *Exaltationis sanctæ Crucis*, de quo Zonaras tom. 3. An-

Feria sexta.

Inuentionis sanctæ Crucis festum.

Exaltationis S. Crucis festum.

nalium. Deindè in assiduam mysterij Crucis, beneficiorúmque per crucem nobis impensorum memoriam, Ecclesia signum crucis, Christique in ea pendentis, in mediis templis erexit, vt rudes & idiotæ visibili signo, pictura, vel imagine fusa aut sculpta, ingiter admonerentur recolere Crucifixi amplissima dona. Iuxta illud carmen Lactant. de Pass. Domin:

Crux in medio Templi.

Greg. lib. 9. epist. 9. Leo serm. 8 de Pass. Domini.

Quisquis ades, mediique subis in limina Templi,
Siste parum, insontémque tuo pro crimine passum
Respice me, mecum conde animo, me in pectore serua.
Cerne manus clauis fixas, tractósq; lacertos,
Atque ingens lateri vulnus: cerne inde cruorem
Sanguineum, fossosque pedes, artúsque cruentos.
Flecte genu, lignúmque crucis venerabile adora;
Flebilis innocuo terrámque cruore madentem
Ore petens humili, lacrymis suffunde & obortis.

Ex quo Crucis singulari honore Gentiles arbitrati sunt, Christianos Crucem per Deo habere, vt in Apologetico Tertullianus memoriæ tradidit. *Solet Crux in altari quolibet depingi*, Sozom. libro 2. histor. capite 2. & tripart. histor. libro 1. capite 2.

Crux in altari.

In die parasceues in qualibet Ecclesia Crux ante altare præparata deosculari cõsueuit, primùm à Pontifice sit adsit, deindè à Presbyteris, diaconis, & cæteris per ordinem, ac demum à populo, Alcuino teste lib. de diuinis officiis.

Crux in die parasceues deosculari consueuit.

Crux in Processionibus gloriosè præfertur, tanquam militiæ Christi vexillum. Nicephor. libro 13. histo. cap. 8. Beda lib. 1. hist. Anglic. c. 25. scribit, Augustinum cum sociis Angliam ingressis, prætulisse Crucem argenteam, cum imagine Saluatoris in tabula depicta, Litaniásque cecinisse pro sua eorúmque ad quos venerant salute.

Crux in processione præfertur.

Ad Crucis deindè honorem pertinet, quòd in viis passim collocari soleat. Clemens Alexandrinus oratione parenetica ad gentes. Chrysostom. oratione *Quòd Christus sit Deus*, & homil. 55. in Matth. Ruffinus lib. 11. cap. 29. hist. refert, vnumquemque in postibus, in ingressu, in fenestris, in parietibus, in columnis, Dominicæ crucis signum depingere solitum. Sozom. libro 1. capit. 8. Constantini mandato Crucis figuram nummis impressam esse scribit, Tripart. histor. libro 1. capite 5. & 10.

Crux in viis collocatur.

Crux in foribus.

Crux in nummis.

Huc insuper pertinet crucis erectio in templorum turribus, ac in medio ciuitatum. Niceph. lib. 7. ca. 47. refert, Constantinum in foro Constantinopolitano statuam suam ex ære factam erexisse, quæ manu dextera malum aureum contineret, in quo crux infixa cum hac Inscriptione esset: TIBI CHRISTE DEVS VRBEM HANC COMMENDO: eidémque Statuæ Ligni Crucis partem imposuit. Nicephor. libro 8. capite 29.

Crux in turribus.

In honorem quoque Crucis lex instituta, ne fontes cruce plecterentur. Libr. 1. Tripart. histo. cap. 10. Nicephor. lib. 7. c. 46. Sedulius in opere Paschali lib. 4.

Crucis supplicium prohibitum.

-- -Pœnam vestiuit honore,
Supplicium que dedit signum magis esse salutis,
Ipsáque sanctificans in se tormenta beauit.

In honorem similiter Crucifixi à Patribus sexti Concilij, vetitum

fuit, ne Crux humi pingeretur. cant. 73.

Crux in Regum coronis.

In honorem Crucis Reges sua diademata cruce adornant, Hier. in epist. ad Lætam: *Vexilla militum crucis insignia sunt. Regum purpuras atque ardentes diadematum coronas, patibuli Saluatoris figura condecorat. Militum quoque arma signo crucis exornantur.* Nicephor. lib. 7. ca. 46.

Crux in militum armis.

Minutius Felix li. 8. contr. Gentes: *Vexilla castrorum, quid aliud quàm inaurate cruces sunt?*

In honorem Christi Crucifixi, ex auro, argento, gemmis & lapidibus prætiosis Crux efformari consueuit, eámque loco labari, quod Imperatori præferebatur, Constantinus sibi præferri constituit. Tripart. histor. libr. 1. cap. 5.

Crux in vexillis.

Crux in nubibus.

In honorem Crucifixi, etiam Crux in nubibus fulgore formata Principibus apparuit, vt Constantino cum Maxentio conflicturo. Euseb. lib. 7. hist. cap. 29. & lib. 1. de vita Constantini, cum hac inscriptione: ΕΝ ΤΟΥΤΩΙ ΝΙΚΑΙ: IN HOC SIGNO VINCES.

Ejdem cum Byzantinis prœlium commissuro iterum apparuit, Nicepho. libro 7. cap. 47. Tertiò, signum Crucis vidit cum Scythis vltra Danubium pugnaturus. Nicepho. libr. 8. cap. 32. in triplicis huius visionis memoriam Constantinum refert, tres maximas æreas cruces Constantinopoli statuisse cum hac inscriptione: IESVS CHRISTVS VINCIT. Cyrillus Hierosolym. in epist. ad Constantium, suo tempore Crucem in cœlo coruscantem pluribus horis visam scribit, quæ Ethnicos etiam ad perhibendum Christo testimonium commouerit.

Crux ter Cõstantino apparuit.

Crux in cœlo apparitura.

Huc etiam pertinet, quod Venturo ad Iudicium Christo signum crucis in cœlo apparebit. Matth. 24. Chrysostom. homil. 1. de Cruce & Latrone. Cyrill. catechesi 13. & 15. Damascen. libro 4. cap. 12.

In honorem Crucis, Lignum ipsum crucis, in qua Dominus pati dignatus est, per vniuersum orbem per partes dispersum est, teste Cyril. catechesi 4. 10. & 13. Quantus autem honor particulis Ligni Crucis, in qua Dominus pependit, à veteribus Christianis deferri soleat, ex Constantini facto constat, qui suæ statuæ particulam eius includit, ex Greg. Nyss. in vita Macrinæ, ex Paulino epistol. 11. ad Seuerum, Gregorio libro septimo epistol. 126.

Crucis Lignum per orbem dispersum.

Postremò, ad Crucis honorem pertinet, quòd nos in omni negotio, veluti armis tutissimis, eo signo communiamus: quódque ipsum Christum in eo signo repræsentatum ibi veneremur; quódque nulla sacramentorum dispensatio, siue consecrationis aut benedictionis species absq; crucis signo peragatur: vt obseruat Augustin. tract. 118. in Ioan. & serm. 181. de tempore. Leo serm. 8. de Pass. Domini: *Crux omnium fons est benedictionum, omnium causa gratiarum.* Cyprianus de Pass. Christi: *Figura crucis omnibus sacramentis largitur effectum. Id signum* (ait Augustin.) *nisi adhibeatur, siue frontibus credentium, siue aquæ, qua regenerantur, siue oleo, quo Chrismate vnguntur, siue sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.*

Crucé signamur, & omnia sacramenta cruce peraguntur.

Crux omnium fons benedictionum.

Aug. tract. 118. in Ioa.

CAP. CXCIII.

De effectibus signi Crucis.

SIgnum Crucis ad plurima valere, tradũt vno cõsensu Veteres. 1. Ad expulsionem dæmonum, vt in

Signi crucis effectus.

Exodo c.12. figuratum est, dum Angelus eas domos præterut, in quibus postem Agni sanguine oblitum reperit. Ezech. 9. similiter liberi sunt, in quibus signum Thau. Et Apoc. 7. *Signati in frontibus.* Vndè Hieron. ad Fabiolam de vestim. sacerdotalibus: *signaculo Crucis frontem tuam crebro munias, ne exterminator Aegypti in te locum reperiat.* Aug. lib. 12. contr. Faust. cap. 30. & tract. 50. in Ioan. Nazianzen. oratione 1. in Iuhanum refert, ipsum subito terrore correptum, ex consuetudine facto Crucis signo dæmones fugasse. Lactant. libr. 4. cap. 27.

Expulsio dæmonum.

II. Crucis signum homini præsidio est aduersus tentationum insultus. Nam *quod in naui malum, hoc in Ecclesia Crux est.*

Repressio tentationum.

III. Crucis signum incarnationibus medetur. *Crux Domini* (ait Martialis epist. 8.) *armatura nostra inuicta est cõtra Sathanam.* Athan. de humanat. Verbi: *signo crucis omnia cõpescuntur.*

Incarnationum.

IV. Crucis signum pellit morbos, & quasuis infirmitates humanas. Nicephorus lib. 18. hist. c. 20 scribit, crucis signum atramento in frontibus Turcorum depictum, à pestis contagio eos liberasse.

Sanat morbos.

V. Crucis signaculum aduersus feras, venenatosq; morsus adiuuat: de quo exemplum vide Tripar. histor. libro 9. cap. 46.

Munit cõtra feras & venena.

VI. Crucis signum vim ignis, impetúmque aquarum repressit, Hieron. teste in Vita Beati Hilarionis.

Reprimit vim ignis.

VII. Crucis signum aduersus pericula imminentia valet. Vndè Tertullianus lib. De corona militis: *In omni negotio frontem signaculo crucis tere.* Prudentius hymno 6. Cyrillus lib. 6. in Iulianum.

Liberat ab imminente periculo.

VIII. Crucis signum Consolationis, bonæ Spei ac fiduciæ plurimum confert morituris. Vndè graui morbo pressis, necnon sontibus, dum ad supplicij locum deducuntur, Crucis signum oculis obijci consueuit, vt in Crucifixi meritis, amore ac misericordiâ spem suam collocare admoneantur.

Confert fiduciam.

IX. Crucis signum Crucifixi beneficia proponit, continuóque inculcat. Hinc vbiquè Cruces figi solent, in vijs, cæmiterijs, turribus, & Episcopi de collo Crucem pendentem gestant.

Christi beneficia oculis obiicit.

Cur verò passim non omnes prædictos crucis effectus experiantur, Rupertus in Leuiticum lib. 1. capi. 33. docet. *Ideò* (inquit) *non omnes signaculo Crucis vtentes vim eius sentiunt, quoniam licet Crucis signum in fronte gerant, non tamen in corde Crucifixum habent. Etenim Crucem non simpliciter digito in corpore, sed magna fide in corde formare oportet.* nam *si hoc modo impresseris* (ait Chrisostomus homil. 55. in Matth.) *nullus dæmonum, cùm hastam videat, qua letale vulnus accepit, congredi tecum audebit.*

Cur non omnes effectus crucis sentiãt?

CAP. CXCIV.

De modo efformandæ Crucis.

FIdeles signaculo Crucis se consignantes, manum dexteram iunctis simul digitis extensam ducunt à capitis vertice ad vmbilicum vsque; vt eo ritu profiteantur, Dei Filium de summo cœlorum in Beatæ Virginis vterum descendisse. Deindè à sinistro brachio vsque ad dexterum, vt cautam Incarnationis VERBI fuisse significent, vt à sinistra ad dexteram, à maledictione ad benedictionem transferret, atque ex hædis oues efficeret.

Crucis efformandæ modus.

Missale Romanum in traditione rituum Missæ. Matth. 25.

Potest addi ex Innocentio III. lib. 2. de Myster. Myssæ. c. 44. alia non minus pia consideratio.

Græci,

Græci ex quo ab Ecclesia Romana, secessérunt, signum Crucis à dextera ad lævam ducentes, finiunt: eo ritu volentes confirmare suam hæresim, qua Spiritum sanctum ad Patris sinistram, veluti minorem assidere contendunt. Contra quos Catholici tribus digitis signum Crucis efformare solent, ad significandũ Trinitatis mysterium, quod indicatum fuisse videtur Isaiæ. 40. *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* Inchoant verò Patrem nominantes Crucem à capite, vt Patrem omnium bonorum etiam aliarum diuinarum personarum fontem esse denotent. Deindè tres primos dexteræ manus digitos Filij nomen pronunciantes, demittunt, grata memoria Incarnationem Verbi pro nobis factam recolẽtes: Nomen autem Spiritus sancti assciscentes, manum ducunt ad lævam & ad dexteram pectoris partem, vt eum à Patre & Filio personam distinctam, attamen vtrique consubstantialem procedere designent. Finiunt autem eam consignationem ad dexteram, quia in scripturis dextera perfectionem notat, ad quam nobis semper tendendum sit. Vndè intelligitur, totius fidei nostræ cõpendium, in hac vna Cruce signandi ratione contineri. Hîc enim Verbi Incarnatio, hîc Christi Passio, hîc Passionis causa, hîc simul Spes nostræ vocationis, Extremum Iudicium, hîc mysterium Trinitatis, hîc Pater, qui nos creauit, Filius qui nos redemit, Spiritus sanctus, qui nos sanctificauit.

Crucis signaculum fidei compendium continet.

CAP. CXCV.

Contemptus Crucis, ad Christi contemptum ducit.

QVantum venerationis ab initio Christianæ fidei omnes pij detulerunt cruci, tantum studij ad euacuandam Crucis gloriam impẽderunt Iudæi, Pagani & hæretici. Quod fore prædixerat Simeon Lucæ 2. *Et erit hic in signum, cui contradicetur;* quoniam *crux Christi Iudæis est scandalum, Gentibus stultitia.* Hæreticis autem Crux scopus est contradictionis, vt in sæculi nostri hæreticis adimpleri perspicimus, qui viuificum Dominicæ Passionis vexillum ita oderunt, vt illud è templis omnibus exturbauerint, è viis publicis & domibus priuatis eiecerint, atque prorsus ex hominum memoria tollere moliantur; non alios per hos suos ministros agẽte diabolo, quàm vt Christum Crucifixum, totúmque redemptionis mysterium obscuret, penitúsque tandem aboleat. Crucis equidem contemptus ad Crucifixum spernendum manu ducit. Sublato enim Crucis signaculo, nulla Crucifixi mentio, nulla beneficiorum per Crucem partorum grata recordatio remanebit. Extincta verò Passionis, & per eam factæ redemptionis memoria, & obscurato vel euacuato nostræ liberationis prætio, quæ salutis, beatæque vitæ consequendæ spes in nobis supererit? qua sublata quid restat, nisi vt homines desperantes se in omnia vitiorum genera Dei timore abiecto præcipitent? sicut in Polonia & Transiluania nouis Arianis accidit, qui Crucifixum esse verum Deum negantes, ad Mahometicas nænias amplectendas facilè delabuntur. Quare nostri Sectarij verè inter inimicos Crucis Christi (de quibus ad Philipp. 3. Apostolus) reponendi sunt, quorum nonnulli Iulianum Apostatam impietate superantes, affirmare non verentur, Magiam exerceri, dum fideles se Cruce signant. Ille tanquam probrum Chri-

crucis signum oderunt.

1. Cor. 1.

Crucis cõtemptus ad Christi cõtemptum ducit.

Stapleton. in prompt. Cathol. dom. infra octauã nat. Dom. Hosius lib. 1. de fide. c. 10.

stianis obiiciebat, quòd crucis Lignum adorarent, illúsque in fronte, atque ante domos imaginem depingerent: cuius impias nænias refellit Cyrillus Alexandrinus lib. 6. in Iulianum, ostendens, fideles Crucis signo ad omnes dæmonum insultus perfringẽdos semper fuisse vsos: necnon in Cruce gloriationem consistere, salutem adferentem. Quàm agnoscens Apostolus dicebat: *Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini.* In qua ipsi quoque Angeli leguntur gloriari, Marci 16. *Iesum quæritis Nazarenum Crucifixum; surrexit.* non aiunt: Iesum quæritis Dominum nostrum, sed *Iesum Crucifixum*; non erubescentes, sed confitentes crucem, & Crucifixi virtutem. Quinimò Christus ipse suam Crucem adeò non erubescit, vt tanquam sui triumphi insignia cunctis gentibus ad iudicium congregatis eam sit ostensurus, vt Matth. 24. dicitur: *tunc apparebit signum Filij hominis in cœlo.* Vndè liquet eos, qui Crucem oderũt, inimicos esse Crucifixi: quales sunt, qui Crucem non venerandam, sed confringendam contemnendámque docent; idipsum strenuè, quando impunè possunt, exequentes. Quos perstringit August. in Psal. 141. vsque adeò non insultandum Crucifixo, neque de Cruce erubescendum, vt Crux nunc videatur in frõtibus Regnum. Et in Psalm. 46. irridentes Christi crucem, similes esse ostendit insultantibus Elizeo, his verbis: *Ascende Calue*; ideóque à dæmonibus, sicut puer à bestijs, deuorari. Idipsum in irrisione Noë per maledictũ Cham facta, Gen. 9. adumbratum fuit. *Absit* itaque *nobis gloriari, nisi in Cruce Domini*; in quo solo fiducia spésque salutis collocanda. Nec pudeat vexillum Christi triumphantis, insigniaque de cœlo descendentis, cùm in Processionibus præferuntur, subsequi, nósque Crucifixi Domini seruos militésque profiteri.

Angeli crucifixũ confitentur, eiusq; virtutem.

Christus crucisignũ non erubescit.

Irrisio Helizei, & Noë, adumbrauit irrisionẽ Christi.

Galat. 6. Qui vexillum Crucis in Processione sequuntur, se Christi seruos profitentur.

CAP. CXCVI.

Mortuus.

FIdes Catholica docet, Christum pro nobis non solum passum, crucique affixum fuisse, verùm insuper verè mortuum; id est, Animam à corpore separatam, vnionémque partium essentialium, Animæ scilicet & corporis dissolutam extitisse: in cuius vnionis dissolutione corporalis mortis ratio consistit. Quod apertè attestantur Euangelistæ. Ioan. c. 19. *Inclinato capite emisit spiritum.* Matth. 27. *Clamans voce magna, emisit spiritum.*

Mortuus fuit Christus.

Mors in dissolutione vnionis corporis & animæ consistit.

Non defuerunt hæretici, qui Christum verè mortuum negauerũt, vt refert Damascenus lib. 3. de Fide cap. 28. idque vel, quia in Christo veritatem humanæ naturæ, aut corporis passibilis non agnouerunt; vel quòd indecens putarint, Deum mori aut certè, quòd Christi corpus ex vi vnionis factum esse impassibile arbitrati sint. At verò Fidei Articulus est, Christum verè mortuum fuisse, vt nos à peccati, & ab æterna corporis & animæ morte redimeret. Iuxta illud Rom. 4. *Mortuus est propter delicta nostra.* Quod quidem conuenientissimum fuisse ad manifestationem diuinæ virtutis & sapientiæ, subiectis rationibus ostendi potest. I. Quia decentissimus pro alio satisfaciendi modus est, si quis pœnam et debitam pro eo luat; iuxta illud Petri epist. cap. 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est.* Et 2. Corinth. 5. *Eum qui non nouerat peccatum, prò nobis peccatum fecit*; id est, hostiam pro peccato. II. Mors vi-

Christum mori decuisse variis rationibus ostendit.

Mors pro alio suscepta charitatem commendat.

trò suscepta pro alio, charitatem immensam Christi commendat. *Maiorem enim nemo charitatem habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ioan. 15. & Rom. 5. *Charitatem suam Deus in nobis commendat, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Ambros. lib. 3. offic. cap. 12.

Pythagorici fides in amicum.

refert, Pythagoreum quendam capitis damnatum pro se vadem mortis obtulisse, nisi præscripto die rediret: cúmque fidem ille seruasset, factum istud tam admirabile visum Tyranno Dionysio, vt sibi vtrumq; in amicitiam asciscere. Et Philosophorum gymnasia ob idipsum Damonem & Pythiam, quibus charior fuit amicitia, quàm vita, in cœlum laudibus efferunt. At horũ Philosophorum factum longè Christus superauit, qui pro inimicis ad mortem vltrò se obtulit, vt à iusta mortis sententia eos liberaret, vitámque perpetuam eis acquireret. Vidè August. concione 2. in Psal. 36. & cap. 7. Medit. vbi Christi charitatẽ exaggerat. III. Christum mori conueniebat, ad humanæ naturæ veritatem demonstrandam. Si enim absque intermedia morte in cœlum ascendisset, phantasticum corpus habuisse crederetur. IV. Christum mori decuit, vt nos mortem contemnere doceret; iuxta illud Hebr. 2. *Vt liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti.* V. Vt sua morte mortem destrueret, & simul eum, qui mortis habebat imperium; id est, diabolũ. Iuxta illud Oseæ 13. *Ero mors tua, ô mors. Ero morsus tuus inferne.* Et 1 Cor. 15. *Vbi est mors victoria tua? Absorpta est mors.* Quemadmodũ enim draco sumpta massa ei à Daniele parata diruptus est: ita mors Christum absumendo absorpta est; quia stimulus mortis, scilicet peccatum, abolitus fuit. VI. Vt corporaliter moriendo, nobis exẽplum præberet spiritualiter moriendi peccato, & postea semper iustè viuendi; vt ad Rom. 6. Apost. latè prosequitur: *Si enim complãtati, &c.* VII. Vt à mortuis resurgendo suam in mortẽ potentiam ostenderet, nobisq; certam resurgẽdi spem tribueret; vt Apost. 1. Cor. 15. deducit: *Si Christus resurrexit à mortuis, quomodo quidam in vobis dicũt, quòd Resurrectio mortuorum non est?* VIII. Christum mori decuit, vt non sola potentia, sed iustitia nos à peccatis & morte liberaret, illud pœnæ genus luendo, cuius homo reus erat; iuxta illud Apostoli Galat. 3. *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum.* IX. Mori decuit, vt Deum oblatione præstantissimi sacrificij placaret. Cùm enim Christus nihil seipso acceptius Deo posset offerre; *tradidit seipsum pro nobis hostiam Deo in odorem suauitatis.* Ephes. 5.

Amicitia charior vita.

Valer. Max. lib. 4 c. 7.

Christus amicitiam Philosophorum longè superauit, moriendo pro inimicis.

Hebr. 2.

Daniel. 15.

Postremò Christum mori decuit, vt nouum Testamentum confirmaret. Testamentum enim morte confirmatur. Galat. 3. & vbi testamentum est, mors necesse est interedat testatoris, Hebr. 9.

Christus morte sua nouum Testamentum confirmauit.

CAP. CXCVII.

De beneficiis Morte Christi exhibitis.

CHristi mors ab omnibus incommodis liberat, quæ genus humanum peccati merito incurrerat. Sunt autem octo præcipuè mala, in quæ homo per peccatum inciderat. I. est, quòd à Dei gratia & amicitia excidens, eiusdem iram & inimicitiam incurrerat. *Odio enim est Deo impius & impietas eius.* Sapien. decimo quarto. Isa. 59. *Peccata vestra diuiserunt inter vos et Deum*

In octo mala homo per peccatũ incidit.

Christi mors liberat à malis, quæ peccatũ inuexit.

veſtrum, & prohibuerunt bonum à vobis. Pſalm. 6. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem.* Eccleſ. 12. *Altiſſimus odio habet peccatores.* II. eſt, quòd homo per peccatum à regno cœlorum excludatur: dicente Domino: *Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.* III. eſt, quòd peccatum non ſolùm à regno Dei excludat, ſed etiam ad æterna Gehennæ ſupplicia deducat. *Stipendium* enim *peccati mors,* (Rom. 6.) ſed etiam animæ: non tantum temporaria, ſed etiam ſempiterna. Quam Ioannes (Apoc. 21.) *ſecundam mortem* vocat Matth. 25. *Diſcedite in ignem æternum.* IV. eſt, quòd per peccatum homo poteſtati diaboli tradatur, à quo veluti iuſtitiæ executore & tortore captiuus tenetur. 2. Timoth. 2. *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Ioan. 8. 1. Petr. 2. Vincula porrò diaboli, quibus captiuos detinet, Cupiditates variæ ſunt honorum, opum & voluptatum, per quas Serpens peccatores ad illicita vehementer pertrahit, non cogendo voluntatem, ſed inuitando, ſuadendo, ſuggerendo, decipiendo, & perſuadendo. Præcipuum autem diaboli vinculum eſt, peccandi conſuetudo. Hæc enim hominem potentiſſimè à rebus diuinis abducit, & ad illicita rapit ac impellit, ſecundùm illud Prouer. 5. *Iniquitates ſua capiant impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* V. Peccati nocumentum eſt, quòd hominem maculet, impurum atque deformem reddat. iuxta illud Hiere. 2. *Maculata es in iniquitate tua coram me.* Ezech. 16. *Abominabilem feciſti decorem tuum.* Oseæ 9. *Abominabiles facti ſunt, ſicut ea quæ dilexerunt,* Pſalm. 118. *Beati immaculati in via.* Pſalm. 14. *Qui ingreditur ſine macula.* Cantic. 4. *Macula non eſt in te.* Epheſ. 5. *Sine macula & ruga.* 1. Corinth. 6. *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis.* Hebr. 2. *Purgationem faciens veterum delictorum.* Apoc. 14. *Sine macula enim ſunt.* VI. eſt, quod homo cæcus peccato efficiatur, vt *in tenebris ambulare* dicatur. Prouer. 4. *Via impiorum tenebroſa.* Pſalm. 81. *In tenebris ambulant.* Epheſ. 4. *Tenebris obſcuratum habentes intellectum.* VII. eſt, quòd peccatum hominem ad pietatis officia infirmum reddat. Vndè *ſaucia-re* dicitur, Lucæ 10. Iſaiæ 1. *Omne caput languidum.* Hinc tanta naturæ humanæ peccato vitiatæ infirmitas, vt ſine cæleſtis gratiæ præſidio integritatem ſuam tueri nequeat. Iuxta illud Ioann. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* Sicut enim ſi à cadauere myrrham ſemoueris, continuò putreſcet: ita ſi diuinæ gratiæ auxilium ab hominis anima detraxeris, mox ſuo pondere deficiet. VIII. peccati incommodum eſt, quòd ſpiritualem inducat mortem; iuxta illud Iacobi 1. *Peccatum cùm conſummatum fuerit, generat mortem.* & 1. Corinth. 15. *Stimulus mortis peccatum*; quoniam dum per conſenſum ad interiora cordis tranſit, Dei charitatem, quæ animam viuificabat expellit, atque hominẽ à Deo, à quo vitalem ſpiritum ſanctitatis hauriebat, diuidit, ac proinde animam occidit; nõ ſecus, quàm corpus interficit, qui animam ab eo ſeparat.

Conſuetudo peccandi maximũ vinculum.

Peccati incommoda.

Peccatum hominem ad bona operanda infirmũ reddit.

Peccatum animã occidit, tollendo charitatẽ quæ viuificat.

A quibus omnibus malis Chriſti morte liberati ſumus. Nam *reconciliati Deo ſumus per mortem Filij.* (Rom. 5.) quæ peccati remiſſionem operata eſt, odiique cauſam ſuſtulit; qua ſublata Deus nos diligit, nobiſque gratiam & gloriam, cęteráque munera, quæ ſuis electis conferre ſolet, liberaliter impertit. Siquidem Dei diligere, eſt bona dare: ſicut odio habere, nihil aliud eſt,

Mors Chriſti nos à malis peccato inuectis liberat.

quàm supplicia velle irrogare. Huius reconciliationis per Christum factæ inter Deum & hominem frequenter Apostolus meminit, ad Rom. 5. 2. Corint. 5. Ephes. 2. Coloss. 1. Fuit autem Christi mors reconciliatio mundi, quatenus sacrificium Deo acceptissimum extitit, cuius effectus est placare Deum, propitiúmque reddere.

Præterea Christi mors nobis cœlum aperuit, quemadmodum homicida summo Pontifice defuncto ex ciuitate refugij in suam domum redire poterat. Num. 35. Hebræorum decimo, *Habemus fiduciam in introitu Sanctorum.* & capite 9. *Aperuit sanctorum viam.*

Mors Christi quatenus satisfactoria, directè à morte perpetua liberat; quatenus verò meritoria, indirectè.

Deindè mors Christi nos ab æterna damnatione liberauit, directè quidem inquantum satisfactoria, indirectè verò, quatenus remissionis peccatorum causa meritoria fuit. De qua satisfactione Psalm. 68. *Quæ non rapui, tunc exoluebam.* Isa. 53. *Verè languores nostros ipse portauit.* 1. Petr. 2. *Ipse peccata nostra in corpore suo super lignum portauit*, quia pœnas nobis debitas luit.

A Diaboli verò potestate nos Christi mors liberauit, dum remissionem peccatorum nobis obtinuit, quorum merito illi velut tortori eramus traditi; ac insuper nos suæ gratiæ donis roborans & muniens, vt diabolo resistamus, imò eum vincamus. Nam Principem huius mundi Dominus vicit, & alligauit, impediendo, ne tantum noceat quantum posset, vi, dolo, fraudibus. Iustè siquidem captiuos suos diabolus amisit, quia Christum innocentem, nullum mortis meritum habentem, per suos ministros occidit; vt prosequitur August. lib. 13. de Trinit. cap. 14. De qua Christi contra diabolum Victoria differit Apostolus Coloss. 2. *Spolians principatus & potestates traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso*, id est, Christus virtute Sanguinis sui malignos spiritus deuictos imperio exuit. Nam eos, qui illis seruiebant eripuit, sibique subiecit, vt non amplùs diabolo tanquam principi, sed Crucifixo cultum exhiberent; dæmonésque ità denudatos potestate, more victoris triumphantis spectandos omnibus proposuit. Nam fideles in nomine IESV Nazareni Crucifixi demonia fugant, & mugire faciunt, eorúmque infirmitatem & vilitatem rident.

Ioan. 12. Ioan. 14. Ephes. 6. Apoc. 20.

Coloss. 2.

Deniquè Christus sua morte labes peccatorum nostrorum detersit, lauans nos à peccatis nostris in sanguine suo. Apoc. 1. Similiter fidei dono tenebras infidelitatis mentis illuminat, & languores nostros sanat, diffundendo ardentem in cordibus nostris boni amorem, quo fiat, vt non solùm velimus bonum, sed etiam vt magno studio perficiamus.

Apoc. 1.

Act. 15.

Ac postremò Christus non sua morte viuificat, illius merito hic vitam gratiæ, & postea illam æternam gloriæ conferendo. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ità in Christo omnes viuificabuntur.* 1. Corinth. 15. Et si mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ & iustitiæ accipientes in vita, regnabunt per vnum Iesum Christum, Roman. 5. Quod explanans August. libro 1. de peccat. merit. cap. 9. *Ille*, ait, *in quo omnes viuificabuntur, præterquam quòd se ad iustitiam imitantibus præbuit exemplum, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & parvulis.*

CAP. CXCVIII.

Quomodo Christi Passio supradictos effectus operata sit?

Cõc. Trid. sess. 6, c. 7.

CVm Ecclesię caput simul cum suis membris vna quædam mystica persona fiat, consequitur, Christi opera membris omnibus quodammodo esse communia, in eisque non Physica, sed morali actione operari, pro ipsis satisfaciendo, merendo, impetrando prænumerata beneficia. Quemadmodum enim in vnius Adæ voluntate (in quo totum genus humanum, tanquam in radice, subsistebat) totius humani generis voluntas quodammodo latebat, ita vt ea bene aut malè vtendo, non soli sibi prodesset aut noceret, sed toti etiam propagini, omnibúsque & singulis ex ipso seminali ratione generandis: ita Christi Capitis Ecclesiæ actiones non sibi tantùm, sed etiam membris, hoc est, omnibus per fidem & Sacramenta ei incorporandis profuerunt, vt Apostolus ex professo docet ad Roman. 5. *Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi; ita & per vnius* (Christi) *obedientiam iusti cõstituentur multi:* ostendens, quòd sicuti per vnius Adæ peccatũ in deterius omnes secundùm corpus & animã immutati sumus; ita & per vnius Christi obedientiam totus homo secundùm corpus & animam reparetur. Quare sicut Adam Dei ordinatione veluti hominum caput, pro se, totaque posteritate Legem acceperat, cui eodem modo promissio iustitiæ, comminatióque mortis facta erat, per transgressionem diuini pacti de condigno meruit non solum sibi, sed etiam posteris suis odium & inimicitiam Dei: ita Christus Ecclesiæ Caput ex Dei ordinatione suis operibus, non solùm sibi, sed etiam omnibus suis membris de condigno meritus est. Ad quale meritum tex requiruntur. I. Vt actus meritorius honestus sit, Deóque placens. II. Vt sit actus liber: nam per naturalia vel necessaria neque meremur, neque demeremur. III. In opere meritorio condignitas, seu proportio ad præmium necessaria est. IV. Ex parte personæ merentis necessarium est, vt Deo grata sit. V. Vt persona viator sit, hoc est, tendens ad beatitudinem in corpore passibili. Vndè Christus tandiu mereri potuit, quamdiu in corpore passibili vixit: eatenùs enim aliquo modo in beatitudinem tendebat, & scientia infusa Deum amabat. nam quatenus ex visione beneficia Deum amabat, non merebatur. VI. conditio ex parte Dei necessaria est, vt scilicet pactum seu promissio mercedis sub conditione operis intercedat. Cùm enim Deus omnium absolutus sit Dominus & Supremus, nullus seclusa ipsius promissione illum ex iustitia obligare potest. Sed posita promissione, si simplex sit, absque conditione operis, inducit obligationem, non iustitiæ, sed fidelitatis: si autem promissio sit onerosa sub operis conditione, inducit obligationem iustitiæ. Deus enim tunc acceptat meritum, & retribui; præmium. Vndè in scriptura merces sanctorum vocatur *Corona iustitia, Stipendium, Retributio.* Hebræor. 6. *Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri.* Matth. 20. *Nonne ex denario conueniisti mecum? Tolle quod tuũ est.* Fuisse autem huiusmodi ordinationẽ diuinam etiam respectu operum Christi à Deo cõstitutam, euincunt scripturæ, in quibus Christo merces sub operis con-

Meriti atque peccati nulla Physica, sed moralis tãtùm est causa.

Actiones Christi quodãmodo sunt totius corporis mystici.

Christi passio nobis per modũ meriti profuit.

Sed ad meritum necessaria.

Christus scientia infusa Deum amãdo merebatur.

Ad meritũ de cõdigno requisita.

Promissio Dei quæ fidelitatis, quæ iustitiæ obligationem inducat.

2. Tim. 4. Rom. 4.

ditione proponitur. vt Isa. 35. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*, &c. Psalm. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam.* Et Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. docet, Christum esse causam meritoriam nostræ iustificationis, ac proinde gratiæ atque gloriæ.

Christus mereri ab initio conceptionis incepit.

Incepit porrò meriti Christus ab initio suæ conceptionis, & absque vlla intermissione continuauit mereri vsque ad instans mortis. Non tamen in statu virtutis aut meriti profecit, vt scilicet fecerit per subsequens vnum opus debitum esse aliquid priùs indebitum; sed emit numero meritorum, atque pluribus operibus; variis titulis & modis idem sibi deberi fecit. Quodlibet enim Christi Viatoris opus, per se sufficiens fuit ad omne præmium obtinendum; sed ex diuino pacto & ordinatione factum est, vt toto Christi vita ad integrum ius obtinendum, quasi per modum vnius merici in Christi morte consummandi, ordinaretur. Vndè in ipsa morte plenum & perfectum ius ad omnia præmia, quæ sub meritum cadunt, acquisiuit. Vndè in morte cum vita terminatum est Christi meritum, consummatáque est incarnationis Oeconomia, redemptióque nostra perfecta fuit. Postea verò non redimit, sed redemptionis factæ præmium nobis applicat; sicut docet Apostolus ad Hebræor. 9. & 10. Christum vna sui oblatione consummasse in sempiternum sanctificatos; de cætero autem expectare executionem seu effectum suæ hostiæ, donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius; id est, omnes impij plenissimè Christo subiiciantur. Quod fiet in die nouissimi iudicij. Quare Christus nunc orando non efficit sibi rem deberi quam postulat, sed potiùs exigit, quod titulo iustitiæ præcedentibus suis meritis debitum est: sicut mercenarius exigit mercedem sibi ex pacto propter labores factos debitam. Christi ergo in cœlis interpellatio, non submissa est merentis postulatio, sed mercedis sibi debitæ perpetua quædam exactio. Hinc sequitur, Christum per vulnus lateri illati post mortem, per descensum ad inferos, per reditum ad corpus, per confirmationem discipulorum post resurrectionem, per interpellationem in cœlis non mereri, id est, non acquirere ius iustitiæ, nec satisfacere, quia status merendi transiit: attamen, quatenus viuēs Christus præuidit, & liberè acceptauit, obtulitque pro nobis vulnera, sanguinémque qui ex eo post mortem defluxit; eatenùs meruit, illáque in nostræ redemptionis prætium cesserunt. Quæ quidem redemptio Christi morte facta dicitur, vt erat in fieri, non in facto esse. In instanti siquidem mortis, cum vita eius finitum est meritum. Sibi porrò Christus meruit corporis immortalitatem, nominis glorificationem, & gentium donationem, quia licet hæc ei debita essent ratione hypostaticæ vnionis, attamen nouo titulo iustitiæ, sibi hęc debita tanquam mercedem effecit, vt scriptura indicat ad Philippens. 2. *humiliauit semetipsum; propter quod exaltauit*, &c. Apoc. 5. *Dignus est agnus accipere virtutem et dignitatem*, Isaiæ 53. *Pro eo quod laborauit, videbit & saturabitur.* Psal. 109. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Trifariam enim acquiri meritum potest. I. si ex indebito fiat debitū: vt gratis iustificato per bona opera vita æterna fit debita. II. si quod debetur, amplius debi-

Christus idem sibi debitū pluribus titulis efficit.

Omnia Christi merita per modum vnius morte consummandi, Deo oblata.

Christus in mortis instanti meren desiit.

Christus in morte nostram redēptionem cōsummauit quoad meritum, sed postea applicauit prætium.

Quomodo lateris apertio meritoria fuerit.

Mors Christi vt erat in fieri, nos redemit.

Quæ Christus sibi meruerit.

Triplicitez fit aliquid debitum.

tum efficiatur: vt iusto proficienti augmentum gratiæ. III. dum id, quod vno titulo debetur, alia ex causa, pluribúsque titulis debitum redditur: vt paruulo baptizato, hæreditas vitæ æternæ filiationis, seu adoptionis titulo est debita; cæterùm si iusta postmodùm opera exerceat, vita æterna etiam titulo mercedis acquiretur. Sic ergo Christus moriendo, quod sibi vno modo debebatur, pluribus titulis sibi debitum effecit. Quemadmodum verò Christi mors per modum meriti salutem nostram operata est, ita quoque per modum satisfactionis, quæ nihil aliud est quàm æquiualentis pro commissa iniuria redditio: dum videlicet quis offenso id exhibet, quod æquè vel magis diligit, quàm offensam oderit; siue id per voluntariæ humilitatis passionem aut disciplinam, siue per iusti prætij solutionem fiat.

Christi mors etiam per modum satisfactionis operatur.

Satisfactio est iniuria compensatio.

Differt autem Satisfactio in eo à Merito, quòd Satisfactio præsupponat debitum in eo, qui satisfacit, aut saltem in eo, pro quo satisfit: Meritum autem nullum præsupponit debitum, quinimò alium sibi debitorem efficit.

Satisfactionis & meriti distinctio.

Porrò quemadmodum varia debitorum sunt genera, ita & varij satisfaciendi modi. I. debitum ex superioris præcepto nascitur, quod soluitur per obedientiæ exhibitionem. II. debitum ex accepto beneficio natum, per gratiarum actionem soluitur. III. debitum oritur ex quantitate meritorum, cui per iustam distributionem honoris aut præmij satisfit. IV. nascitur debitum ex mutuo contrahentium consensu; vt venditione, locatione, mutuo: huic satisfit, dum id, de quo conuentum est, præstatur. V. debitum nascitur ex alieni oblatione; vt in homicidio, furto, stupro: quod debitum æquiualentis restitutione persoluitur. VI. debitum ex iniuriæ illatione, superioritque iusta offensione promanat; cuiusmodi debitum persoluitur condignas luendo pœnas. Huius generis debitum humanum genus in Deum peccando contraxerat, dum inobediens ac rebellis primus parens extitit. Proindè satisfieri Deo per humilem subiectionem, ademptique honoris, iniuriæque factæ reparationem oportebat: quod quidem duobus modis fieri poterat, scilicet tantum præstando, quantum offensi beneuolentiæ, misericordiæque satis est; aut tantum faciendo, quantum iustitiæ exacta ratio postulat, vt sit æqualitas rei ad rem, & adæquatio rei quæ soluitur ad id, quod debetur: veluti dum tanta subiectio rependitur, quanta elatio præcessit; aut tantus honor, quantus fuit contemptus. Priore modo creatura pura pro genere humano satisfacere potuisset. Nam eius mortem pro sufficienti prætio misericorditer Deus acceptare poterat, illiúsque intuitu commissam in se iniuriam condonare. Sed posteriore modo secundum rigorem diuinæ iustitiæ, prætium æquiualens offerendo satisfacere Christus solus potuit, qui cùm verus esset DEVS & HOMO, prætium ratione dignitatis personæ Deo infinitum obtulit; puta seipsum, suam vitam, humilitatem, obedientiam, charitatem, patientiam, flagella, sanguinem, voluntariam denique mortis passionem. Quam certè Patri exhibendo plus diuinæ iustitiæ satisfecit, quàm si vniuersum genus humanum sempiternas lueret pœnas. Ideóque iustitiæ Dei vindicatiuæ plenissimè satisfecit: Quod Scripturæ indicant, quæ *ipsum* dicunt *exoluisse*

Debitorũ varia sunt genera.

Debitum ex iniuriæ illatione quomodo soluatur.

Duplex iniuriæ compensatio: vna gratiosa, altera vero rigorosa.

Rigorosum prętium solus Christus dare potuit.

Christus iustitię vindicatiuæ plenissimè satisfecit.

exoluisse, quæ non rapuit, Psalm 68. *Deum in eo posuisse omnium nostrum iniquitates.* Isa.53. *Peccata nostra pertulisse in corpore suo super lignum.* 1. Petr. 2. Quare meritò Regius Vates Psalm. 129. hortatur: *Speret Israël in Domino. Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Suppositâ enim Dei Lege, qua vnum pro alio posse satisfacere constituit, secundùm rigorem iustitiæ Christus satisfecit, infinitum offerendo prætium, quo maius exigi, vel reperiri nequit.

Suppositâ Dei constitutione, quòd vnus pro alio satisfacere queat, Christus rigorosè satisfecit.

CAP. CXCIX.

Quòd Christi mors per modum Sacrificy nostram salutem quoque operata sit.

QVia Deus bonorum nostrorum non eget, nec ei quidquam offerre possumus, in quod nouum acquirat dominium, cùm eius omnia sint, *et omne datum bonum descendat à Patre luminum*, qui hominem rerum plurimarum indigum, beneficentissima volunte bonis replet, dirigit, adiuuat, nihil ab eo, præter honorem & voluntariam subiectionem requirens: ideò in signum debitæ subiectionis, reuerentiæ, honoris, summæque Maiestatis suæ agnitionis, sacrificium sibi offerri constituit, quo profiteretur homo, se omniáque sua à Deo esse, illúmque solum Creatorem, vitæque beatæ authorem agnoscere, ac Iudicem, qui benefacientibus, sibique obtemperantibus præmia, impiis autem, sibique obtemperantibus præmia, impiis autem, sibique rebellibus mortem, æternáque supplicia redditurus sit: proindè illi soli fidat, soli credat, soli adhæreat, soli obediat, solum prædicet, laudet, confiteatur, inuocet, adoret, glorificet, solo denique frui quærat, quippe in cuius visione omnis beatitudo consistat.

Christi mors per modum sacrificij Deũ placauit.

Deus ab homine honorem, & voluntariam subiectionem requirit.

Sacrificium cur Deus exigat, & cuius rei signum sit.

Cùm ergo istius professionis signum externum sit, sacrificiũ, quòd scilicet homo seipsum inuisibiliter, seu intimo animi affectu Deo tanquam principio suæ creationis, & fini suæ beatitudinis offerat, cõsecret atq; subijciat, Deo acceptissimus est cultus, quo ei sacrificatur: valétque ex ipsius Dei ordinatione ad peccata quoq; expianda, nec non ad impetranda quæcumque à Deo beneficia, simúlque ad gratias Deo pro acceptis donis agendas. Nam ad hos fines in Veteri Lege Deus instituit holocausta, sacrificium pro peccato, & hostias pacificas. Quia igitur vsitatissimus reconciliationis, veniæq; ab irato Numine consequendæ modus erat per oblationem sacrificij, voluit & Christus in reparationis nostræ mysterio vti sacrificio ad iratum nobis Deum placandum. Vnde *tradidit seipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suauitatis*, Ephes. 5. Et, *vnam pro peccatis obtulit hostiam*: de qua ex professo Apostolus Hebr. 10. Cuius quidem oblationis Christi variæ in Lege Naturæ atque Mosaica figuræ præcesserunt: imò ad hanc referendum est, quidquid in Lege Veteri Deus de Sacrificiis præcepit, vt docet Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 4. 5. 6. 19. & 20. & lib. 4. de Trinit. cap. 13. & 14. & libro contr. Aduersarium legis capite 18.

Aug. li. 10. de ciuit. ca. 4. 5.

Sacrificium est externũ signum Latriæ.

Sacrificium placat Deũ, valet etiam ad impetrãdum, & gratias agendum.

Sacrificij Christi figuræ præcesserunt.

Sed quæret aliquis, Quomodo Christi mors veri propriique sacrificij rationem obtineat, cùm non sit visibile signum, publica authoritate ad significandum aliquid sacrum permanenti lege constitutum, neque videatur esse oblatio exterior sacra, ad colendum vel pla-

Mors Christi quomodo sacrificij rationem habeat.

candum Deum solemni ritu ordinata?

Respondendum est, Christi passionem verum ac proprium fuisse Sacrificium, quoniam Christus tanquam Summus Sacerdos & Mediator seipsum per mortem obtulit hostiam Deo, ad placandum eum generi humano. Quæ quidem oblatio à Deo instituta fuit, tanquam supremus cultus, illi pro toto humano genere in satisfactionem offerēdus, ad eúmque cultum offerendum Christus Summus Sacerdos ordinatus fuit, quādo *Verbum caro factū est*, vt hac vna oblatione Deum propitium redderet, humaniq; generis redemptionem consummaret. Reliqua Christi opera generalis quidē rationis sacrificia fuere: at quod in Cruce Christus passus est, ad rationē propriè dicti sacrificij pertinuit. Ibi siquidem vulnera letalia ad mortem proximè ordinata voluntariè sustinuit, ibi victimà in Dei honorē cōfecta immutatáque fuit, & diuina ordinatione veluti ritu mystico extra portam in Altari Crucis, manibus extensis, solēm Paschæ die, Deo Patri semetipsum obtulit. Ibi denique verus latriæ cultus, inuisibilisq; sacrificij significatio reperitur. Mors enim Christi externa, passionésque voluntarię internum eius adumbrabant sacrificium, quòvitam suam ad placandum Deum reuerenter offerebat. Significabant insuper destructionem peccati, & ipsius mortis interitum, quem sacrificium illud operabatur.

Leo epist. 84. Hebr. 13. Gen. 22.

Hoc insuper sacrificium vnum, verum, & singulare, absolutum & independens ab omni alio, multis antea sacrificiorum figuris significatum, causa vniuersalis, & exemplar sacrificiorū omnium, finis Veteris Legis, ac principium fundamentúmque nouæ fuit.

Vnicum sacrificiū absolutum, & ab omni alio independens.

CAP. CC.

An Christi Passio nostram salutem per modum Redemptionis sit operata?

QVia Christi Passio superabundans pro humani generis liberatione ab ira Dei (quem offenderat) & à debito mortis æternæ, & à captiuitate & seruitute diaboli (cui tanquam tortori à Iudice permissus erat) satisfactio fuit, ideò per metaphoram Christi merita & satisfactiones in scriptura *Pretij* nomine, atque *Emptionis* seu *Redemptionis* exprimuntur. Liberauit enim nos Christus à culpa, & reatu pœnæ, non dādo pecuniam, sed seipsum offerēdo Deo, suáque obedientia & humilitate, spontanéaque morte compensando iniuriam, quam primus humani generis Parens sua inobedientia Deo intulerat. Cùm enim per offēsam homo ad pœnam Deo, veluti Supremo Iudici, obligatus esset, oportebat eum secundùm iustitiam luere pœnam, vel ab illa obligatione per aliquam satisfactionem liberari. Quæ satisfactio *Pretium* quoddam dicitur, quo homo à culpa, & à pœna liberatur, secundùm illud Danielis 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Quia verò solus Dei Filius incarnatus est, passus & mortuus, vitámque suam & sanguinem in prætium pro hominibus immediatè obtulit, ideò Christus solus propriè Redēptor in scriptura Noui Testamenti vocatur. Tota quidem Trinitas Christo humanam vitam, sanguinem & prætium, quo nos redimere posset cōtulit, voluntatémque pro nobis moriendi inspirauit, illique, vt seipsum pro nobis offerret, cooperata est: sed Chri-

1. Petri 1.

Christi merita & satisfactiones quomodo prætij rationem habeant.

Redēptio cur soli Christo tribuatur.

Vnicus mediator & redemptor.

stus solus actione personali prætium soluit. Vndè *redemisse* dicitur. Apoc. 5. *Occisus es, & redemisti nos.* ad Tit. 2. *Dedit semetipsum pro nobis, vt redimeret nos.* 1. Cor. 1. vocatur Christus, *nostra redemptio*, quia fuit lytrum datum pro liberatione nostra ex captiuitate peccati. Sicut autem solus Christus animam suam dedit pro multis, in condignam, plenam, sufficientissimámque redemptionem ab omni culpa & pœna, ita propriè solus est Redemptor & Mediator. Possunt quidem iustorum opera prodesse aliis per modum exempli, hortationis, & satisfactionis, non tamen per modum propriæ redemptionis, quia nemo purus homo potest pro seipso vel alio ex perfecta iustitia satisfacere, condignóque prætio seipsum vel alium ab omni reatu culpæ & pœnæ liberare: quod propriè ad Redemptoris munus pertinet, cuius videlicet sit à captiuitate iusto persoluto lytro educere, àc in libertatem asserere. Lytrum autem Deo Christus persoluit, non diabolo, quia Deus hominis Dominus, Iudex, & Vindex erat, qui diabolo veluti iustitiæ ministro puniendum eum tradiderat.

Iustorum hominum opera licet aliis prosint, nō tamen propriè redimunt.

Christus redimendo hominem Deo vindici & iudici lytrum persoluit.

CAP. CCI.

Vtrùm Christi Passio instrumentaliter nostram salutem effecerit?

CONcilium Triden. sess. 6. ca. 7. docet, Iustificationis nostræ causam efficientem DEVM esse, instrumentalem verò, Sacramenta, meritorum autem, Christi Passionem. Quia tamen Christi humanitas, Diuinitatis instrumentum est: ideò ex consequēti D. Thomas tradit, Christi Passionem instrumentaliter in Cruce operatam esse salutem humanam. Cùm enim causa physica instrumentalis supponat causam principalem actu existere, quamdiu Passio in esse actu fuit, tamdiu physicè operari potuit. Cæterùm dum actu esse destitit, moraliter, non physicè iustificationem nostram operatur, hoc est, per modum meriti, non autem instrumenti. Proindè Christi Passio in Cruce comparata eius Diuinitati, operabatur per modum instrumenti: cōparata verò animæ Christi voluntati, agebat per modum meriti: considerata autem in ipsa Christi carne, agebat per modum satisfactionis, quatenus per eam liberabamur à reatu pœnæ: per modum autem redemptionis, quatenus per eam liberabamur à seruitute culpæ: per modum verò Sacrificij, quatenus per eam Deo reconciliabamur.

Passi. Christi, quomodo nostram salutem instrumentaliter operata sit.

3. p. qu. 48. ar. 6.

Principalis causa actu existens instrumētaliter operatur, alioqui moraliter.

Christi passio nostram salutem operata est per modū instrumēti, meriti, satisfactionis, redemptionis, & sacrificij.

CAP. CCII.

Vtrùm Christus pretium redemptionis suæ pro vniuersis hominibus obtulerit?

SCriptura dilucidè testatur. 1. Timoth. 2. *vnum esse Mediatorem Dei et hominum, qui semetipsum dedit redemptionem pro omnibus: qui pro omnibus gustauit mortem*, Hebr. 2. *Qui propitiatio est totius mundi*, 1. Ioan. 3. *Qui reconciliauit omnia*, Coloss. 1. *Qui omnia instauravit*, Ephes. 1. Vnde statuendum est Christum quodam modo Redemptorem omnium esse hominum, quantum scilicet ad magnitudinem sufficientiam, & potentiam prætij per eum oblati, quod à dignitate personæ offerentis, quæ Deus & homo erat, & ab immensa eius charitate, infinitatem quandam

Christus omnium quodāmodo Redemptor hominum est.

Magnitudo, sufficiẽtia & potẽtia prætij Christi ad omnium salu. évalet.

moralem obtinebat. Vnde Leo epistol. 83. *Christi sanguinis effusio tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad prætium, vt si vniuersitas captiuorum in suam Redemptorem crederet, nullũ tyrannica vincula retinerẽt.* Addit: *quod, licet multorum Sanctorũ in cõspectu Domini mors pretiosa fuerit: nullius tamen insontis occisio fuerit propitiatio mundi. Accepere Justi, non dedere coronas: et de fortitudine fidelium nata sunt exẽpla patientiæ, nõ dona iustitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuêre, nec alterius quisquã debitum suo fine persoluit, cùm inter filios hominum vnus solus Dominus noster* IESVS CHRISTVS *extiterit, in quo omnes Crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sunt suscitati:* iuxta illud Apostoli 2. Cor. 5. *Vnus pro omnibus mortuus est.* Et 1. Cor. 1. *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis?* Similia repetit Serm. 12. De Pass. Domini, confirmans ex illo dicto Apostoli. 1. Timoth. 2. *Vnus mediator Dei et hominũ, homo* CHRISTVS IESVS, *quem* scilicet *Deus solũ posuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius:* Rom. 8. *Imitari* enim *quis potuit morientem, nemo autem mundum redimentem,* inquit August. tract. 84. in Ioan. Et lib. cont. Iulianum 6. ca. 5. ostẽdit, per vnius Christi virtutem potuisse Mundum saluari, sicut vnius Adæ peccato potuit mortalis ubique subijci. Quoad igitur prætij sufficiẽtiam, Christus pro omnibus hominibus mortuus est, omniúmque Redẽptor dici potest: at secundùm efficientiam & prætij applicationem, certũ est, Christum nõ omnium hominum esse Saluatorẽ, sed multorum, putà fidelium, quibus per Fidem & Sacramenta à Christo instituta prætium redẽptionis communicatur & applicatur. *Tunc* enim *Christus pro vnoquoq; moritur, quando in eius morte baptizatur,* ait Augustin. lib. 6. cont. Iulia. cap. 5. Ergo penes illos, quibus Christus sua merita efficaciter applicat, proprietas redemptionis est, ac potissimùm penes electos ad gloriam, quibus infallibiliter media cõsequendæ Gloriæ necessaria Deus propter Christum prouidet. Suum enim meritum, Christus voluntate humanâ efficaciter pro eorum salute obtulit, quos ab æterno Pater dilexit, infallibilitérq, præ aliis non electis ad gloriam prædestinauit. Suam namque voluntatem diuinæ conformauit. Prosper respon. prima ad Obiect. Vincentianas. & Resp. 9. ad capit. Gal. & Sententia 9. D. Thom. de verit. qu. 29. art. 7. & parte 3. qu. 49. art. 1. ad tertiam dicit, Passionem Christi liberasse causaliter, quia instituit causam nostræ liberationis, ex qua possent quæcunque peccata remitti: *sicut si Medicus conficiat medicinã, ex qua possint quicunq; morbi sanari, quæ tamen nihil proderit, nisi ab egrotãte sumatur: ita Passio Christi* (ait idem respon. ad 4.) *causa quedam vniuersalis est remissionis peccatorum, quam necesse sit singulis adhiberi ad deletionem propriorum peccatorum, per Baptismum, Pœnitentiam, et alia Sacramenta, vim Passionis Christi nobis applicantia.* Aug. lib. 10. de ciuit. cap. 24. disputans contra Porphyrium, ostendit, naturam humanam purgari per Christum.

Efficaciter Christus obtulit pro electis.

Leo serm. 3. de Quadrag. Diu. Thom. 3. p. q. 48. ad 3.

Passio saluat causaliter, tãquam potens medicina, quæ applicari, sumique debet.

Chrysost. hom. 17. ad Hebr.

Quoad sufficientiam, non efficiẽtiam, omnium saluator est.

CAP. CCIII.

Vtrùm propter Christi merita, omnibus hominibus detur sufficiens auxilium ad inchoandam salutem?

QVamuis Christus omnium SALVATOR hominum dicatur, & velle omnes homines saluos fieri, certum nobis tamen est, non

1. Timo. 4.

1. Timoth. 2 & 4.

omnes homines saluos fieri, sed ex omni hominum genere nonnullos, vt August. exponit Enchir. ca. 103. Lib. *De Nat. et Grat.* ca. 15. & 18. vel omnes homines, ad gloriam electos, vt alibi August. exponit. Similiter, licet Christus pro omnibus mortuus sit, quantum ad prætij sufficientiam, certum tamen est, parvulis in vtero materno extinctis, nõ fuisse datum sufficiens auxilium ad suam salutem inchoandam: siquidem remedij sufficientis institutio letaliter saucio nisi applicetur, quid prodest? Neque hîc nihil agere superna iudicia, dicendum est. Si namque sine Patris cælestis voluntate folium de arbore, vel passer de tecto non decidat: an sine Dei voluntate, non solùm permittente, sed etiam prouidente, accidere fortuitò putabitur, quòd ex duobus paruulis vnus in flumen, vt submergeretur, proiectus, et inde extractus ad Baptisinum perueniat, & saluetur: alter verò ex iustis parentibus editus, studiosè ad Templum pro Baptismo consequendo deferatur, nihilominus à tegula de tecto lapsa in via repentè vita priuetur, nec Baptismum consequi possit? vnde fit, vt originalis peccati merito iustè damnetur? Hic sanè non ideo non baptizatur, quia nolit baptizari, vel quia parentes nolint, cùm ad baptismum festinent: sed quia Deus iusto iudicio nolit huius misereri, qui voluit gratuitò alterum saluare, & quod ideo fecit, quia voluit, cuius voluntas inusta esse non potest. SVFFICIENS itaque Christi prætium dicitur, non quia omnibus & singulis propter illud sufficiens auxilium actu detur, sed quoniam pro huius vitæ statu omnes possint obtinere per Christum sufficiens auxilium; & simul, quia Deus omnes per Christum inuocantes, ad propriam ipsorum salutem exaudire paratus est, iuxta illud Apostoli, Rom. 10. *Omnis qui inuocauerit nomen Domini; saluus erit.* An verò adultis omnibus Gratia Excitans, & Adiuuans sufficiens ad inuocandum detur, ad Dei inscrutabilia iudicia pertinet. Nam generalis Cœli, Terræ, omnium que creaturarum Dei prædicatio, ad salutem (nisi Deus altiùs misereatur) non sufficit. Neque igitur ex scriptura, neque certa experientia euinci potest, omnibus adultis in peccato natis, sufficiens auxilium à Deo ad salutem præstari, & certum est, Deum ad omnibus dandum non teneri: proinde misericorditer quibus vult dat, & iustè quibus vult, negare potest.

An adultis omnibus sufficiens auxilium detur?

Paruulis quibusdam non datur sufficiens auxilium.

CAP. CCIV.

Vtrũ in Christi morte facta sit VERBI *à Carne vel anima separatio?*

IN morte Christi facta est Animæ separatio à Corpore, proindè destructa fuit ista Humanitas, quæ ex partium dictarum coniunctione resultabat, & Christum hominem constituebat. Quare Christus vt Homo, rectè mortuus dicitur: non tamen anima vel corpus desijt vniri VERBO Dei, quia non est destructa hypostasis, in qua corporis & animæ immediatè vnio facta est, sed vna VERBI, & animæ, atque corporis etiam in triduo mortis permansit hypostasis, de qua prædicantur ea, quæ corpori ab anima separato conueniunt, scilicet esse sepultum: nec minùs illa, quæ animæ separatæ propria fuerũt, vt descendere ad inferos. Non autẽ Christus, vel Deus, rectè sepultus diceretur, si persona VERBI tempore mortis ab hypostasi Carnis alia fuis-

In triduo mortis Christi, humanitas eius, resultãs ex coniunctione animæ & corporis, destructa fuit.

Ioan. 19. vt tolleret corpus Iesu: Psal. 19 caro mea requiescet in spe. Leo serm. 1. de ascen.

Verbum in triduo mor-

tis vnirum remansit animæ & corpori Christi, non tamen corpus aut anima dici potuit.

set, vt Damascen. lib. 3. de fide ca. 27. tradit, & Augustinus tractatu 47. in Ioan. ex illis verbis Ioan. 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam*: id est, excitãdi meipsum à mortuis. Quod proculdubio non potuisset, si Diuinitas à corpore separata fuisset: quia ponere animam, hoc est; vitam, & post mortem arbitrio suo eandem resumere, solius Dei est. Neque his obstant illa Domini verba Matth. 27. *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Nam illa desertio quoad protectionem, non quoad hypostaticam vnionem, intelligenda est, quæ lõgè sublimius permanentiúsque donum est, gratia iustificationis seu adoptionis; quæ tamen nunquam ab homine sine culpa eius tolli cõsueuit. Proindè gratia Vnionis semel Christi corpori concessa, etiam in morte remansit. Quamuis autem Corpori & Animæ Diuinitas vnita post Christi mortem remanserit, non tamen Christus tunc propriè homo, animal, vel sensibile dici potuit, quoniam istæ appellationes cõiunctionem partium et sentialium consequuntur: neque insuper corpus, aut anima VERBVM dici poterat; sed habens corpus & animam, idque propterea, quia partes hominis idiomata non communicant VERBO, nisi mediante cõposito, ex quo resultat homo. Non enim Christus pes, aut manus est, sed Homo, qui pedes & manus habet. Vtrum autem concedendum sit, Christum in Triduo fuisse, ambigi potest, quia denotet hypostasim subsistentem in duplici natura integra, Humana scilicet & Diuina: quo modo Christus in triduo mortis non subsistit, quia IESVS tunc mortuus erat. Contrà verò in Symbolo profitemur, CHRISTVM sepultum fuisse, atque descendisse ad inferos. Et Apostolus ad Hebr. c. 13. IESVS CHRISTVS *heri & hodie, ipse et in secula.*

Christus vt homo derelictus est, quoad protectionem, non quoad vnionem.

Partes hominis idiomata non communicant Verbo.

An Christus in triduo mortis fuerit?

Dicendum ergo est propriè loquendo, Christum, prout significat suppositum in duabus naturis subsistens, in triduo non fuisse: attamen per Synechdochem fuisse, sicut Petrus in cœlo nunc esse dicitur ratione animæ: proindè sepultum dici, ratione Corporis, & descendisse ad inferos, ratione Animæ.

CAP. CCV.

Vtrum Christi Mors, naturalis fuerit?

DIuina virtute factum est, vt licet Christi Anima esset gloriosa, Corpus tamen passibile permitteretur, quo suppositio ex vi actionis naturalium cessarum, mors naturali ordine consequuta est: siquidem ad conseruationẽ vitæ, certus temperaturæ, compositionis, & dispositionis corporis, partium & humorum eius gradus requiritur, qui si dissoluatur aut remittatur, vitam perdi necesse sit, ac naturaliter interire. At Christi Corpus per vulnera in Passione inflicta, sentit alterationem, & debitæ compositionis tantam dissolutionem per Sanguinis & vitalis, animalium que spirituum effluxum, vt ad eum temperaturæ compositionisque terminum peruenerit, in quo naturaliter vita conseruari nequiret: quia talis esset dispositio, cum qua naturaliter anima corpus informare non posset. Ideoque Christus à Iudæis & Gentibus occisus dicitur, quia ex vi vulnerum ab eis inflictorum mortuus est. Proindè mors Christi violenta fuit: quia licet posità tali dispositione corporis MORI naturale fuerit,

Ad conseruationẽ vitæ certus temperaturæ gradus requiritur.

Christus ex vi vulnerũ sibi inflictorũ mortuus est.

attamen ea dispositio ex causa extrinseca & violenta exorta est, non autem intrinseca.

Mors Christi violenta fuit, non tamē coacta, sed libera & spontanea.

Quamuis autem Christi mors violenta fuerit (quia contra naturalem appetitum illata,) non tamen coacta, sed spontanea fuit, quia Christus voluntate absolutā ei non restitit. Si enim resistere voluisset, nulla vis humana cōtra eum valuisset. Vndè non absolutè mors Christi necessaria, sed potiùs libera & voluntaria extitit, quatenus illam supernaturali virtute impedire potuit, & noluit. Quod ipsum quidem satis declarauit valido emisso clamore, dum corpus esset sanguine, vitalibus spiritibus, & viribus exhaustum. Sicut enim potuit corporis debilitatem superare ad sic exclamādum: ita morti resistere potuisset si voluisset. Itaque illo emisso clamore, se Vitæ Mortisque Dominum esse comprobauit, nec absoluta necessitate, sed sponte mortem suscipere, cum facilè resistere posset, si vellet. Non tamen Christus mortem admittendo seipsum occidit, quoniam nullâ vel naturali vel diuinâ lege tenebatur ad miraculosè causis extrinsecis resistendum, ne nocerēt, vel ad informandum corpus dispositione necessaria carens: quin potiùs lex obedientiæ & charitatis exigebat, vt consummandæ Redemptionis humanæ causa mortis legibus se subijceret.

Clamore valido Christus se mortis & vitę Dominū ostendit.

Christus mortem admittendo, non se occidit.

CAP. CCVI.

Vtrùm Christi Corpus mortuum, idem cum viuo fuerit?

SCriptura sacra Ioan. 19. Corpus IESV post mortem appellat, Corpus: & Dominus per Regium Vatem: *Caro mea*, inquit, *requiescet in spe.* Vnde Athanas. Aug. & Leo asserunt, idem Corpus, eandē Carnem, eandem Naturam in Patris sedere throno, quæ iacuit in sepulchro. Vndè sequitur, idem manisse Corpus Christi mortuum cum viuo, & idem numero, quoad materiam, quantitatem, Organisationē, aliáque sensibilia accidentia, ex quibus corporis ratio præcipuè sumitur. Retinuit insuper illud Corpus habitudinem ad priorem formam, eandémque numero essentialem in supposito VERBI subsistentiam: quia corpus vnitum est VERBO independenter à tota Humanitate, ita vt post mortem substātia Corporis Christi nullum aliud habuerit suppositum, quàm VERBI. Et licet in materiam corporis Christi noua cadaueris forma per mortem introducta sit, quemadmodum in aliorum hominum morte accidit: attamen ex vnione priore materiæ in subsistentia VERBI, positum est impedimentum, ne adueniente forma cadaueris nouum resultaret suppositum, quod in se & per se subsisteret: quia tota natura substantialis mortui Christi corporis, speciali vnionis modo sibi adæquato, immediatè vnita erat VERBO, aduenięque postea forma mediante materia in VERBO subsistente, solùm per inexistentiam & quasi inhærentiā, absque propria subsistentia existebat, redeunteque priore substantiali forma confestim esse desijt.

Corpus idē Christi fuit, Viuum & Mortuum.

Corpus Christi mortui non accepit nouam subsistentiam.

CAP. CCVII.

De Prodigijs, quæ in Christi morte acciderunt.

VT Christi morientis dignitas Mūdo innotesceret, plura circa Christi mortem prodigia virtute diuinâ effecta fuēre. Christo

Prodigia in morte Christi dignitatem patientis ostenderunt.

enim in Cruce iam pendente, antequam spiritum emitteret, *per vniuersam terram tenebræ factæ sunt, ab hora sexta vsque ad horam nonam*, vt Matth. c. 27. Marc. 16. Luc. c. 23. describunt. Quæ quidem tenebræ acciderunt per Solis defectionem, Deo suspendente cõcursum suum, sine quo illuminare Sol terram non magis potuit, quàm ignis Babylonicus adurere. A Deo enim omnis creatura dependet, tam in esse quàm agere: vnde sicut illo non conseruante creatura in nihilum rediret, ita non cooperante suo concursu, nullam actionem producit. Ex Dionysio Areopagita epist. 7. ad Polycarpum, & 10. ad Apolophanem colligimus, eas tenebras etiam accidisse per interpositionem Lunæ inter Solem & terram, præter totum naturæ ordinem, vt probat Augustinus epist. 80. & lib. 3. de ciuit. c. 15. Quia tamẽ sola interpositio Lunæ non potest impedire illuminationem Solis in toto Orbe, neque sola nubium interpositarum densitas, causa prædicta firmior est. Quòd autem tenebræ non solùm in Iudæa, sed per totum orbem fuerint, patet ex claris Euangelij verbis: *super vniuersam terram*. & Hieron. Chrysost. & alij in c. 27. Matt. Tertullianus in Apolog. c. 2. *visam Romæ Solis defectionem testatur*. Eusebius in Chronico, sub Tyberio. Orosius lib. 7. hist. c. 4. Lactant. lib. 4. c. 19. Conueniens autem fuit, has tenebras per vniuersam terram dispergi, vt eius, qui pro vniuersis hominibus moriebatur, Humanitas & Diuinitas omnibus manifestarentur. Decebat insuper, duo luminaria magna cœli, sui Cõditoris mortem lugere, atque nuditatem contegere: ideo suos radios continuerunt tribus illis horis, quibus ipsorum Conditor in Cruce pependit, vt Chrysost. hom. 89. in Ioan. obseruauit.

Tenebræ factæ sunt per solis defectionem, Deo suspendente concursum.

Duo luminaria magna cœli, sui conditoris nuditatem texerunt.

Post verò Christi mortem varia prodigia insequuta sunt. I. est *Scissio veli*, post emissum spiritum. Matth. 27. Veli inquam, quod Sancta Sanctorum occultabat, vt ex cap. 9. ad Hebr. colligitur. Et ita tradit Cyril. in Ioan. lib. 12. c. 37. Leo serm. 10. de pass. Domini. Hæc autem veli scissio significauit, iam antiquatam esse Legem Iudaicam, Templum fore prophanandum, & sacrificia vetera esse abolendâ. Rursus, Sacramenta, quæ sub litteræ velamine occulta fuerant, per Christi mortem esse patefacta, & propalatam esse sanctorum viam, ianuámque cœli antea clausam, nunc esse apertam, vt Apostolus ad Hebr. 9. docet. Daniel c. 9. Leo serm. 17. Et 18. de pass. Domini. Addit Theophylactus in 17. c. Matthæi, Deum accommodato signo Iudæis ostendisse, quantopere scelus eorum detestaretur. Mos enim Iudæis erat, audita in Deũ blasphemia vestes scindere: ita nunc templum, quasi ægre ferens Domini mortem, disrupit vestem suam, Velum scilicet, quòd Sancta Sanctorum occultabat. II. Post Christi mortem prodigium fuit, *Terræ motus*, quo Dei ira significata est, iuxta illud Psal. 17. *Commota est, et contremuit terra, & fundamenta eius conturbata sunt, quoniam iratus est eis*. Præterea hic Terræ motus maximam rerum mutationem insinuabat, Legisque veteris in nouam translationem, vt Apostol. ad Hebr. 12. docet: ac insuper supplicium indicabat, quod propter Christi mortem Iudæis imminebat: denique, vt cœli & terræ Dominus esse intelligeretur is, qui patiebatur, cuius mortem tanquam sui Conditoris cœlum & terra deflerent. Vtrũ verò huc terræ motus generalis fuerit

Prodigia post Christi mortem.

Veli scissio quid significauerit.

Terræ motus.

rit totius globi terræ; An verò tantùm terræ Iudææ? vt putat Origc. hom. 35. in Matt. ex Historia Euangelica certò colligi nequit. At ex alijs Histor. constat, non solùm in Iudæa, sed in alijs etiam locis terræ motum in die Passionis Domini accidisse. Euseb. in XVIII. Tyberij Anno scribit, Bithyniam terræ motu concussam, & in vrbe Nyssæna ædes plurimas corruisse. Cornel. Tacitus lib. 2. Annal. Plin. lib. 2. hist. c. 84. Paulus Orosius lib. 7. hist. c. 4. tempore Tyberij plures in Asia ciuitates terræ motu corruisse referunt. III. In Christi morte prodigium fuit, *Petrarum discissio*: quæ facta est ad conuincendam Iudæorum perfidiam, eorúmque lapidea corda significanda, quæ tot prodigijs commota non sint, cùm tamen dura saxa conscissa fuerint. Cyrillus Hierosol. catechesi 13. refert, in mõte Caluariæ apertè monstrari, vbinam petræ scissæ fuerint propter Christum. Baron. in Annal. anno 34. refert, non solùm Hierosolymis, sed in alijs quoque Regionibus montes tunc diruptos fuisse, imò & in Italia. IIII. Prodigiũ fuit, *Sepulchrorũ patefactio*, facta singulari Dei prouidẽtia, ad efficaciam Christi mortis ostendendam, per quam mors tunc mortua victáque erat, Sanctíque ad immortalem vitam reuocandi. Aperta ergo monumenta ostenderunt, per Christi mortem, vitam mortuis dandam, vt obseruat Cyrillus catechesi 13.

An terræ motus generalis fuerit?

Petrarum scissio.

Sepulchrorum apertio statim post terræ motum.

Sciendum verò hîc est, monumenta patefacta statim post terræ motum, (vt satis indicat Matth. c. 27.) attamen corpora Sanctorum exiuisse de monumentis, non ante, sed post Christi Resurrectionem, vt Matth. expressè habet: *Exeunt es de monumentis post resurrectionem eius.*

Postremò Christi iam mortui corpus lanceâ militis perforatum fuit, verisimiliter, vt exploraret, an Christus verè mortuus esset, & si non, vt omnino interficeret. At hoc permisit Dominus, vt magis de sua morte constaret, resurrectionísque miraculum posteà vulneris aspectu confirmaretur: tum etiam, vt sanguis & aqua ex latere fluerent impermixta, ita vt distinctè cognosci & videri possent. Quo mysterio significatum fuit, Ecclesiam Christi sponsam prætio sanguinis fundandam, & abluendam esse, non in aqua tantùm significatiua, qualis fuit in lauacris Iudæorum & Ioannis Baptistæ: sed in aqua vim habẽte ex Christi sanguine iam effuso.

Perforatio lateris.

Prætereà in Sanguine & Aqua duplex fidelium Baptismus adumbratus fuit: vtpotè Sanguinis, seu Martyrij, & sacramenti Baptismi. Tertullian. lib. de Bap. c. 9. Cypria. serm. de pass. Hieron. epist. 83. ad Oceanum. Quamuis itaque vulnus lanceæ post mortem non fuerit necessarium ad meritum vel satisfactionem, fuit tamen vtilissimum ad mysterium, & veritatis confirmationem; vt Ioan. 1. epist. c. 5. tradit *Tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua et sanguis.*

Sed quæstio hîc superest, vtrùm vera aqua ex Christi latere fluxerit? Respondeo, verum sanguinem, vorámque aquam de aperto Christi latere defluxisse, atque vtrúmque miraculosè accidisse, ad varia significanda mysteria, simul in testimonium, quòd Christi corpus esset verum humanum corpus, ex quatuor humoribus (quorum sanguis est præcipuus,) & ex quatuor Elementis compositum, quorum vnũ est Aqua, ad solutionis ministerium accommodata.

Sed forsitan quis interrogabit, Quo in latere, dextro, an sinistro Christus fuerit percussus? Respondeo, scripturam id expresè nō tradere, antiquos tamen Patres magno consensu dicere, hîc esse impletum, quod in Adamo & Eua fuerat præfiguratū, quando de latere Adæ dormientis formata est, Eua, in figuram Christi, de cuius latere dormientis in Cruce formanda erat Ecclesia. Quod etiam Paulus ad Ephesios 5. significat dicens: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.* iuxta Hieron. in eum locum. Aug. tract. 9. in Gen. ad lit. c. 19. Leo epi. 22. Tertullia. lib. de anima c. 43. Ambr. lib. 5. de Sacram. c. 1. sentit. in eo latere Christum fuisse vulneratum, ex quo Eua formata fuit (*vnde culpa, inde gratia.*) Et Ruffin. in expositione symbo. *Vnde fons peccati, inde fons redemptionis*: atqui Euam de sinistro viri latere fuisse formatum, communis opinio est, quoniam in illud latus vergit cor humanum, propter summum amorem, qui inter virum & vxorem esse debet: & creata est viri socia, sub viro. Vndè non leuis coniectura est, Christum in sinistro latere vulneratum fuisse: tum vt res figurę responderet, cùm vt summus amor Christi erga speciem indicaretur, cuius amore vulneratum est cor eius, & apertum ostium ad ingrediendum Arcam, Gen. 6. Accedit, quòd Miles, volens perficere Mortem Domini, verisimiliter cor transfigere voluerit: nec obstat pictura in contrarium, cùm nec vniuersalis sit, nec antiqua.

Cant. 4.

CAP. CCVIII.

Et Sepultus.

Sepulturæ Christi mysteria.

CHristum nō solùm mortuum, sed etiam sepultum fuisse, profitemur, vt intelligamus, I. Dei Filium omnia, quæ ad hominis conditionem pertinent, nostri causa subiuisse, diuináque sua virtute tam gloriosam sepulturam contra Iudæorum intentionem sibi prouidisse. Ideò Euangelistæ sedulo Domini sepulturam describunt. Matth. cap. 27. Marcus cap. 15. Lucas cap. 23. Ioan. c. 19. II. Voluit Christus insuper sepeliri, vt certò mortuum fuisse constaret. Nam refert Marcus capit. 15. Pilatum diligenter de Christi morte inquisiuisse, antequam eius corpus sepeliendum traderet, forsitan non posse, aut nolle mori Christum, suspicatus. III. Vt Resurrectionis fides magis eluceret, dum ex sepulchro Dominus rediuiuus apparet. IV. vt certa Resurgendi spes, omnibus in monumentis iacentibus præberetur, vt Ioannis 5. habetur. V. ad significandum eos, qui in baptismo peccatis moriuntur, debere veterem hominem sepelire, ne ampliùs vigeat & fructificet, ad hoc enitendo, vt concupiscentia non solùm non regnet, sed ne quidem impugnet. Vt ad Rō. 6. tradit Apostolus: *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, &c.* Aug. Enchir. c. 53. *Sepultura mysticè gesta configuranda est vita Christiana.* VI. Vt suo exemplo indicaret, curam sepeliendi mortuos ad officium pietatis, & misericordiæ pertinere. VII. Vt Sanctorum corpora & reliquias, in Veteri Testamento pro immundis habitas, sua sepultura sanctificaret, ac honore atque veneratione dignas redderet, vt obseruauit Basil. in Psa. 117. Aug. serm. 181. de temp. VIII. Vt doceret fideles mūdo mortuos, instar sepultorum terrenas voluptates, secularia quę cuncta despicere, iuxta illud Coloss. 3. *Mortui estis, et vita vestra abscondita est.*

Postremò sepeliri voluit Dominus, vt Prophetarum oracula typósque suæ quietis in sepulchro adimpleret. Sicut enim Deus sex diebus mundum creauit, & septimo quieuit: ita Christus sex diebus laborauit, sextóque die opus humanæ redemptionis consummauit, septimo autem in sepulchro quieuit, adumbrans futuram requiem fidelium septima mundi ætate illius vitæ, huiúsque mundi exitum, vt Aug. notat lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 11. in Ioan. tract. 17. Greg. lib. 6. mor. c. 18. Prophetam Ionam in ventre Ceti sepulturæ Domini figuram gessisse, his verbis Matth. 12. traditur: *Sicut fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus, et tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus.* Eodem pertinet illud Isaiæ ca. 11. *Et erit sepulchrum eius gloriosum.*

Gen. 2.

Eiusdem Dominicæ sepulturæ typum gessit Ioseph à fratribus in cisternam missus. Gen. 37. Et Ieremias in lacum, c. 38. Nonnulli etiam accommodant huic fei Daniel. in lacum demissum c. 6. & 14.

CAP. CCIX.

De modo Sepulturæ Christi.

Modus sepulturæ Christi.

MODŪ sepulturę Christi Matthæus refert c. 27. dicens, Iosephum ab Arimathia nobilem Senatorem, postposito metu & pudore, accessisse Pilatum, ac petijsse sibi donari corpus IESV: quo impetrato, illud de Cruce deposuit, ac depositum in syndone munda inuolut, illúdque sic inuolutum in monumento ex petra recenter sibi in horto vicino excíso condidit. Cui in hoc pietatis officiò adiunctus fuit Nicodemus, Iudæorum Princeps, de quo Ioan. 3. & 7. Hic attulit vnguentum prætij magni ex myrrha & aloë confectum, ad libras ferme centum, in quo Christi corpus non leuiter perunctum, sed planè fuit immersum. Quomodo autē Ioseph corpus deposuerit de Cruce, vtrùm ipsa Cruce in terram prostratâ, an verò immota remanente, suóque loco erectâ, incertum est. Communis opinio habet, Iosephum instrumenta necessaria ad euuendos clauos contulisse, atque per se, aliósque secum adductos corpus Christi de Cruce deposuisse, illâ relictâ immota, quòd relinquendum esset patibulum ad aliorum terrorem: coactum quoque publica lege fuisse ad relinquendum Cruci infixos clauos, tanquam supplicij potissima insignia: vnde posteà factum sit, vt claui apud Crucem, aut in Cruce adhuc infixi reperirentur, teste Ambrosio in oratione de Theodosio. Verisimile insuper est, Christi corpus de Cruce depositum mox à mulieribus ibi præsentibus, B. Maria Virgine, Magdalena, & S. Ioanne, aliisque discipulis iuxta morem Iudæorum ad decentiam, & in summi signum amoris honorificè ablutū, posteà vnctum, ac syndone munda inuolutum, & ligatum, sepulturæ tandem fuisse traditum. Act. 9.

Depositio corporis Christi de Cruce circa Occasum facta.

Quando autem depositio Corporis accideret, ex Marco c. 15. & Ioan. cap. 19. colligitur. Nam postquam lācea vulneratum latus extitit, cùm iam serò esset, Ioseph à Pilato impetrauit Corpus IESV: posteà venit, & à Cruce deposuit, vna circiter hora ante Solis occasum, post quem Sabbatum Iudæorum incipiebat, quo talibus operibus illis vacare nō licebat. Ideo studiosè hi Christi cultores totū sepulturæ negotium, ante Solis occasum absoluere conatu sunt, ac deindè Sabbato quieuerūt. Et quibus tandē constat, Christi

Corpus in Cruce duabus circiter horis pependisse; ante Solis occasum verò in monumento conditum esse, ad cuius ostium magnus lapis positus est, ad impediendum egressum vel ingressum sepulchri: & ne fraus aliqua fieret, ad Iudæorũ petitionem is lapis Pilati iussu obsignatus fuit, monumentúmque adhibitis militibus communitum.

Modus sepulturæ fuit conuenientissimus.

Hic autem sepulturæ modus conuenientissimus fuit. I. ad confirmationem mortis & Resurrectionis Domini. Dum enim Iudæi resurrecturo exitum conantur occludere, miraculum augent. II. ad commendãdum pietatis affectum, amorem, & venerationem Christi, quem honorifica sepultura dignum, non autẽ vt maleficum habendum testabantur, suóque exemplo nos ad impendenda defunctis similia pietatis officia erudiebant, iuxta illud Eccles. 4. *A mortuo ne prohibeas gratiam.* III. Ex Christi sepultura discimus, non esse improbandum, quidquid iuxta regionis cuiúsq; morem in fidelium defunctorum exequijs ex fide Resurrectionis impenditur. Cum laude siquidem in Euangelio factum commemoratur eorum, qui non ex fastu aut vanitate, sed ex resurrectionis fide Corpus Domini de Cruce acceptum, diligenter atque honorificè texerunt, sepulturæque mandarũt, vt monet Aug. tract. 20. in Ioan. & lib. 1. de ciuit. c. 12. & 13. lib. 3. de doct. Christ. c. 12. IIII. Vt per honorificam defuncti Christi sepulturam, deuotio fidelium, qui Christo mortuo seruituri erant, præfiguraretur. V. Vt Crucifixi virtus eluceret, qui contra occidentium intentionẽ à personis celebribus non minùs honorificè quàm intrepidè sepeliretur. VI. Vt fideles, qui Christo consepeliuntur, discerẽt Christi corpus inuoluere syndoni mundæ, id est, pura mente susci pere. vt Hieron. in 27. cap. Matth. notat. Vndè consuetudo Ecclesiæ manauit, vt Christi Corpus in altari, non in serico, aut tincto panno, sed in lineo candidissimo reponatur, vt Beda in Marc. c. 44. admonet. VII. In Horto sepeliri voluit, vt significaret, sua morte & sepultura homines liberari à morte atque miseria, peccato Adæ in Horto paradisi contracta. VIII. In alieno sepulchro condi voluit, vt se pro aliorum peccatis mortuum esse doceret. Aug. ser. 133. de tempore. IX. In nouo sepulchro ponitur, ne alius ibi priùs sepultus resurrexisse fingeretur. Hieron. in 27. c. Matth. Origen. hom. 35. in Matth. & Beda c. 94. in Lucam. X. In monumento in petra excisso cõditur, cùm ad certitudinem suæ Resurrectionis, tum ad mysticè designandum, quòd Christus Apostolorum, Discipulorúmque doctrina & ministerio lapidea hominum corda penetraret, ibique per suam gratiam requiesceret. XI. Myrrha & Aloë corpus sepeliendum perungi disposuit, in typum, quòd per amaritudinem pœnitentiæ Christum vnusquisque in seipso absque peccati corruptione conseruet. XII. Odorifero inungi aromate voluit, vt bonam significaret famam Christianorum. XIII. Magnum lapidem ostio monumenti aduolui disposuit, in typum, quòd nihil præter Christum corda nostra penetrare oporteat.

Sepelire mortuos pium & religiosum.

Nemo autem hic suspicetur, ex imperfectione fidei inunctionem corporis Christi processisse: quin potiùs credendum est, Ioseph & Nicodemum hoc magnifico facto fidẽ suam profiteri voluisse, vt omnes intelligerent, quanti Christum ab impijs crucifixum facerent, quódque non vt maleficum, sed vt

Vnctio Corporis Christi fidei protestatio fuit.

Dei Filium ſponte pro humani generis ſalute mortuum honorificè tractandum eſſe oſtenderent, tum etiam, vt corpus verum ex quatuor elementis compoſitum aſſumpſiſſe declararent, quòd aliorum corporum more in elementa tandem reſolueretur, niſi diuina virtute à corruptione præſeruaretur.

Decuit autem, VERBVM Corpus (cui etiam in triduo mortis vnitum remanſit) ab omni corruptione (quæ per reſolutionem in elementa fit) liberum conſeruare, iuxta illud Pſalm. 15. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Et Pſalm. 29. *Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?* Nam completo humanæ redemptionis munere, non decebat, Chriſtum defectus mortem ex infirmitate naturæ conſequentes aſſumere; ne mors eius naturæ infirmitati, non autem ſpontaneæ ſui ipſius oblationi aſcriberetur. Ideò noluit Dominus ſuum Corpus internâ ægritudine frangi, aut qualitercumque in elementa reſolui: ſed poſt ſeparationem animæ idem ſuum corpus ab omni putrefactione liberum conſeruauit, donec propria poteſtate illud iterum animæ coniunxit, immortalitatiſque dote adornauit.

Corpus Chriſti ab omni corruptione liberum.

CAP. CCX.

De tempore, quo Chriſti corpus in ſepulchro remanſit.

EX Euangelica Hiſtoria conſtat, Domini Corpus in ſepulchro remanſiſſe à veſpera feriæ ſextæ, vſque ad auroram diei Dominicæ. Illucеſcente enim prima Sabbati, hoc eſt, manè diei Dominicæ, Chriſtus à mortuis reſurrexit. Proindè à veſpera ſepulturæ vſque ad diluculum reſurrectionis inequatæ triginta horæ intercedunt: nox videlicet tota, cum die ſubſequente tota & nocte, vt obſeruat B. Auguſti. lib. 4. de Trinit. cap. 6. Porrò vna integra die, & duabus noctibus in Sepulchro Dominus noſter manere voluit, in typum, quòd vna ſua morte à duplici nos corporis & animæ morte liberaret. Neque his obſtat, quòd Matth. 12. dicatur *Filius hominis in corde terræ futurus tribus diebus et tribus noctibus*, & Marci 8. quòd *poſt dies tres reſurget*, nam hoc eo loquendi modo dicitur, quo à parte totum intelligitur. Primus enim dies computatur ab extremâ ſui parte, qua ſepultus eſt Dominus: ſecundus dies integer cum XXIV. horis, nocturnis & diurnis: nox autem ſequens pertinet ad tertium diem. *Sicut* enim *primi dies in creatione propter futurum hominis lapſum à luce in noctem: ita hi dies propter hominis reparationem à tenebris computantur in lucem.* Auguſt. libr. 3. de conſ. Euangelift. cap. 24.

Chriſtus in ſepulchro fuit circiter. 30. horas.

Cur vna die & duabus noctibus?

Primi dies computantur à luce in noctem, noſtri verò à tenebris in lucem.

CAP. CCXI.

De ritu ſepulchrorum et ſepulturarum.

MAximam ſepulturæ curam priſcos fideles habuiſſe, Abrahæ, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Dauidis, Tobiæ, aliorúmque in ſcripturis ſacris propoſita exempla cõmonſtrant. Quin & Romanos, multáſque Barbaras nationes plurima de ſepulchrorum religione conſtituiſſe, necnon pœnæ loco ſuis legibus ſanxiſſe, vt in ſepultus quis abijceretur, ex Hiſtoris & legibus gentium notiſſimum eſt. Sed longè diſpar fidelium & infidelium intentio fuit. Hi enim funeris pompam

Sepulchrorum ritus.

magnificáque ad propagandam sui nominis gloriam sepulchra ex fastu & vanitate quærebant: illi verò iustorum funera ex fide Resurrectionis officiosa pietate curabant, exequias & sepulchra prouidebant, & viui etiamnum de sepeliendis, vel etiam transferendis suis corporibus, propinquis vel amicis demandabãt, recto iudicio honorãdã esse corpora credentes, quibus tanquam organis & instrumentis ad bona opera exercenda Spiritus sanctus vsus esset, vti monet B. Augustin. lib. 1. de ciuit. cap. 12. & 13. vbi similiter addit, Christianis non multùm de corporum sepultura esse curandum, quoniam etiamsi denegata fuerit, nihil eis adimet, quorum nec capillus vnus peribit: nec vitæ futuræ obest, quidquid inimici de occisorum corporibus facere voluerunt, iuxtà illud Lucæ 12. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Vndè solemnitatem funeris & sepulturæ Augustin. ad solatium potiùs viuorum, quàm ad refrigerium animæ defunctorum pertinere tradit, Lib. *De cura pro mortuis.* c. vlt. lib. 1. de ciuit. c. 12. 13. lib. 9. confess. cap. 11. Prosper sententia 89. *Sepultura nec prodest impijs, nec omissa iustis obest.*

Solemnitas funeris ad quid prosit

Quales autem ritus in sepulturis adhiberi solerent, ex scripturis colligimus.

De Luctu.

Primò, fuit luctus siue planctus præmissus: vt Gen. 23. in funere Saræ. Gen. 50. in sepultura Iacob. 2. Reg. 2. in morte Saulis & Ionathæ. Vndè lamentationes Ieremiæ super morte Iosiæ. Et Sapientiæ 4. moderatus luctus commendatur. Apostolus quoquè 1. Thess. 4. inordinatum abesse vult luctum, qualem Gentiles, nullam Resurrectionis spem habẽtes, suis defunctis adhibent. Hunc etiam reijcit Chrysost. homil. 4. in epist. ad Hebr. Porrò modum sepeliendi primitiuæ Ecclesiæ describit lib. de Eccles. hierarchia c. 7. Dionysius Areopagita. Ambrosius libr. 1. de Abraham capite 9.

Sepeliendi ritus.

I. Lauari solent corpora. Actus 9.

II. Cùm honore & comitantium multitudine ad sepulchra deferri solent. Ita olim Gen. 50. Lucæ 7.

III. Fidelium defunctorum corpora in locis sacris sepeliri consueuerunt. Ita Iacob & Ioseph ex Ægypto in terram sanctam ad sepulturã deportari voluerunt. Gen. 49. & 50. Ambros. lib. de Abraham. c. 9. Hieron. in vita Paulæ & Fabiolæ. Aug. li. *de cura pro mort.* cap. 1. Gregor. lib. 3. dialog. cap. 13.

IIII. Cùm Hymnis & Psalmorum cantu sepeliri solent, vt testatur Dionys. Areopagi. loco prælegato de Eccl. Hier. c. 7. Nazianzenus oratione secunda in Iulianum Chrys. hom. 4. in epist. ad Hebr. Hieronym. in vita Pauli Eremitæ. Sulpitius in vita S. Martini. V. In funere defunctorum fidelium cerei accendi solent, in testimonium, quòd fideles sint filij lucis, non tenebrarum, quódque anima viuat, sitque immortalis, & quòd fidelis quiescat in spe resurrectionis.

Cerei accensi in funere quid significent.

VI. Funduntur præces pro defuncto, sacrificium altaris offertur Deo, Eleemosynæ & ieiunia fiunt. Augu. lib. 9. confess. ca. 12. matris extrema hæc vota fuisse cõmemorat. Enchir. c. 110. Neq; negãdum est, defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel Eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Cuius quidem ritus etiam Tobiæ 4. fit mentio: *Panem super sepulturam iusti constitue.* Chrysost. homil. 32. & 33. in Matth. Ambr. de obitu Valentiniani. Cyprian. lib. 1. epist. 9. Tertullian. de corona militis.

Præces pro defunctis.

Et quidem offertur Deo pro defunctis die I. VII. & XXX. iste

Offertur Deo pro defunctis die 1. 7. & 30.

Ambrosio de obitu Theodotij: atque in die anniuersaria. Tertullian. l. de Monogamia, Nazianzen. oratione in Cæsarium fratrem.

Titulorum erectio.

VII. Eriguntur tituli. Gen. 37. Act. 2. 1. Machab. 13.

De vtilitate Sepulturæ.

Porrò, defunctorum corporum sepultura vtilis est. I. viuis, quibus fœtor & horror cadauerum nocere posset. II. Quia testimonium est fidei resurrectionis, & immortalitatis animarum. III. Quoniam viui propriæ mortis admonentur. Vndè in mediis ciuitatibus apud fideles cæmiteria ferè collocari solent.

IV. Quoniam hoc officio viui aliquoulque satisfaciunt officio, quo defunctum prosequebantur: vndè pertinet ad solatium viuorum, iuxta August. libr. de cura pro mort. capite vlt.

Vtilis quoque sepultura est defunctis. I. Quoniam consulitur honori eorum. Non enim ignominia caret, quòd nostri corporis fœditas aliorum conspectibus pateat.

II. Satisfit mortui desiderio, qui post obitum suam carnem honestè tractari voluit. *Nam carnem suam nemo odio habet*, Ephes 5.

III. Dum multi sepulturæ intersunt, à multis pro defuncto præces funduntur, vt anima, vel statim, aut citiùs à cruciatu liberetur.

IV. Dum quis in Templo aut loco sacro sepelitur, patrocinio Sancti eius loci adiuuatur. Vndè magni honoris loco Imperatores duxerunt, sepeliri extra vestibula Piscatoris, vt de Constantio scribit Chrysost. in hom. *Quòd Christus sit Deus*, & Hom. 26. in 2. ad Cor.

Peregrinatio ad Christi sepulchrum. Isaiæ 11. erit sepulchrum eius gloriosum.

Quanto autem affectu & deuotione Christi sepulchrum à fidelibus adiri soleat; testatur Hieronym. in epistola 17. Paulæ & Eustochij ad Marcellam. Item epist. 27. & 154. Chrysost. in oratione, *Quòd Christus sit Deus*. eum locum dicit inter omnia sacra loca obtinere principatum, ad eúmque ex omni parte Orbis fieri concursum. Eusebius 6. Histor. c. 11. refert, Alexandrum Cæsareæ Episcopum ad Christi sepulchrum peregrinationem instituisse. Bernardus sermo. Ad milites Templi, capite 11. Ambros. in Oratione de Obitu Theodosij, laudat Helenam, quòd Religionis causa Hierosolymam iuerit. Chrysosto. homil. 66. ad pop. Antioch. confert sepulchra Martyrum cum sepulchris Regum, ostendens, multos Reges ad martyrum spectanda sepulchra peregrinatos, non autem ad videndas Regum tumbas. Prudentius in hymno de S. Laurentio.

Romam beatam prædicat, Sacris sepulchris plenam.

Sanctorum sepulchra & reliquias hæretici contemnunt.

Quemadmodum verò Fideles Sanctorum sepulchra in summo honore, ita Ethnici cum Hæreticis ludibrio habuêre. Solent enim Martyrum ossa & Reliquias igne absumere, atque cineres ipsos in flumina conijcere, aut in auras dispergere, Eusebio teste li. 5. hist. cap. 5. Quibus non dissimiles Hæretici Sanctorum sepulchra violant, corpora effodiũt, ossa & reliquias concremant, necnon in sterquilinium aut flumina proijciunt: vt à Caluinistis in Francia, Irenæi, Hilarij, & S. Martini corpora effossa, cremata, & in fluentem abiecta fuisse Anno 1562. refert Surius.

Caluinistæ hostes reliquiarũ Sãctorum, post Eunomium, Vigilantiũ, & Vigilantium.

Primus Reliquiarum sanctarum cultum reprehendere cœpit Eunomius: quem insequutus est Vigilantius, contra quem B. Hieronym. scripsit. Post eum verò Constantinus Copronymus Imperator, (vt in eius vita Suidas commemorat) omnes Sanctorum Reliquias vbiquè abolere iussit. Cuius insaniam Ioannes

VVicleff renouauit: contra quem Thomas VValdensis scripsit, Tom. 3. tit. 14. Ac tandem nostra ætate Lutherus, Caluinus, eorúmque sectatores ad vnum omnes ferro, flammis, omníque studio Sanctorum Reliquias & monumenta persequuntur.

CAP. CCXII.

Quintus Articulus.

Descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis.

De Christi descensu ad inferos.

HVius Articuli priori parte nobis credendum proponitur, Christo iam mortuo, & corpore in sepulchro iacente, animam eiusdem ad inferos descendisse, ibique tandiu mansisse, donec ad Corpus rediret. Vndè sequitur, eandem Christi personam eo tempore secundùm Animam apud inferos fuisse, & in sepulchro iacuisse: quia licet Anima à corpore discessisset, nunquam tamen Diuinitas vel ab Anima, vel à Corpore separata fuit. Conuenientissimè autem locus animæ Christi, loco corporis subiungitur, vt Fidelibus constaret, quò in mortis Triduo Christi anima deuenisset, quidque egisset, intelligerentque Animas à corpore separatas non resolui in nihilum, sed certis receptaculis excipi: Cœlo scilicet aut Inferno: in quo rursus variæ mansiones sint, pro diuerso statu & meritis hominum. Cæterùm quoniam circa huius Articuli expositionem grauissimè Sectarij hallucinantur, priúsquam descensionis modum tradamus, quidnam INFERNI nomine accipiendum sit, indagemus.

Iuxtà scripturas sacras *Infernus significat locum subterraneum, in inferioribus terræ partibus constitutum, qui circa terræ centrum esse censetur.* Nam Lucæ 16. Diues sepultus est in Inferno, & in altum oculos sustulisse dicitur. Matth. 11. *In infernum descendes.* Philippens. 2. *Cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Ad Ephesios 4. *Inferiores partes terræ.* Numero 16. *Descenderunt viui in infernum.* Isaiæ 7. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra.* Et 24. *precipitabit mortem.* Gen. 42. & 44. *Deducetis canos meos cum mœrore ad inferos.* Gen. 37. *Descendam ad filium meum lugens ad infernum*: quo loco Inferni nomine sepulchrum intelligi nequit, quia nequè vox Latina, nequè Græca, nequè Hebræa eadem significat: sepulchrum & infernum. Nam ἅιδης *Gehennam*, τάφος *Sepulchrum* significat. Accedit, quòd Iacob dicens, se ad filium in infernum descensurum, non de corpore, sed de sola anima loqueretur, siquidem filij corpus à ferâ pessimâ deuoratum esse opinabatur, animam verò filij in loco subterraneo, cùm alijs animabus Sanctorum esse confidebat, ad quem locum se in anima quoquè descensurum credebat. Quin si interdum in Scriptura Veteri nomine *Inferni*, Mors aut Sepulchrũ denotetur, id fiebat, quia tunc animæ per mortem in aliquem inferni locum descendebant. Vndè non tam *Sepulchrum* vocatur *Infernus*, quàm *mors* ipsa *Descensus ad inferos.* Infernus quid?

Porrò Inferni sinus, mansiones siue recessus varij sunt, accommodati conditionibus & meritis animarum ibi locatarum.

Primus inferni locus est infimus, circa terræ centrum situs, qui per antonomasiam *Infernus* dicitur. In hoc sunt animæ, propter culpam mortalem Quatuor inferni sinus.

mortalem propriam, æternis cruciatibus adiudicatæ. De quo Lucæ 16. *Sepultus in inferno.* Matth. 11. *Vsque ad infernum descendes.*

Secundus Inferni locus est, in quo sunt animæ, propter solum Originale peccatum damnatæ: quas in Inferno Conc. Florent. in litteris vnionis collocat. Quia tamen earum est mitissima pœna, & fortassis Damni tantùm, non etiam Sensus; diuersum ab enumeratis locum requirunt.

Tertius Inferni locus est, in quo sunt animæ quidem iustæ, sed aliqua ignis pœna expurgandæ. Cùm enim istæ animæ sanctitate & iustitia extremè à dānatis distent, etiam locum alium postulant, & quidem superiorem, quem vulgò PVRGATORIVM nuncupamus.

Quartus locus Inferni est supremus, qui in scriptura *Sinus Abrahæ* vocatur, in quo fuerunt animæ iustæ, nulla purgatione indigentes, sed tamen propter naturæ impedimentum vsque ad Christi mortem veluti in carcere detentæ, ac beatitudine priuatæ; quia nondum aperta esset cœli ianua. Est autem Sinus Abrahæ, remota quædam atque secreta quietis sedes; quæ dicta est *Abrahæ*, non quia ibi solus sit, sed quoniam ipse *Pater multarum gentium* sit positus, quibus ad imitandum fidei exemplum est propositus. Constat enim, Lazarum in eodem loco cum Abraham fuisse ex c. 16. Lucæ. Vnde colligit Augustinus etiam alios iustos ibidem extitisse, illúmque locum quietis, & consolationis, & cuiusdam beatitudinis fuisse. Et quoniam chaos magnum est inter hunc locum & Infernum damnatorum, sequitur, in eminentiori parte inferni constitutū esse; vt fuerit carcer honorabilium personarum, aduētum Messiæ expectantium: ideóque verè dixerit Augustinus infernū in Scriptura in malam partem sumi, pro loco pœnæ atque tormentorū; quia significat Carcerem, in quo luuntur pœnæ, sed pro meritorū qualitate diuersæ: & quoniam etiam animæ sanctæ mærorē & pœnam patiebantur ex dilatione gloriæ, à D. Petro in carcere fuisse dicūtur, qui carcer iustè atque sapienter sub terra cōsignatus fuit. Non enim cōueniebat, animas extra viam constitutas, post separationem à corporibus, super terræ superficiem, in loco hominibus viatoribus deputato, remanere: neque Cœlum Empyreum (vbi proprius Beatorum locus est) ante persolutum redemptionis humanæ lytrum ascendere. Ordo itaque diuinæ Sapientiæ atque Iustitiæ postulabat, vt sub terra in loco inferno ponerentur: cuius frequētissimè Scriptura meminit; & in symbolo nos profitemur, Christum sepulto corpore ad Inferos descendisse secundùm animam, id est, ad *sinum* Abrahæ, Limbum, siue Inferni locum, vbi erant sanctorum defunctorum animæ. Qui locus non habuit corpus, pœnam animabus illis inferēs; sed aëre fuit plenus. Vndè *lacus in quo non erat aqua*, vocatur. Nec etiam fuisse lucidum, sed tenebrosum, significat illud Iob c. 17. *Si sustinuero, infernus domus mea est, et in tenebris stravi lectulū meum.* Et Isaiæ 49. *Vt diceres his, qui vincti sunt,* EXITE: *& his, qui in tenebris sunt,* REVELAMINI.

Aug. epist. 57. & 99.

1. Pet. 3.

Gen. 37. 42. 44. Iob. 14 17. Psal. 15.

Zachar. 9.

Aug. lib de Anima & eius Origine cap. 15.

Aug. ep. 99.

Aug. lib. 33. cont. Faustum. c. 5. lib. 20. de ciuit. c. 15. Lucæ 16.

CAP. CCXIII.

Quòd non sit Fabula, esse Limbum, siue locum subterraneum, in quo animæ defunctorum concludantur.

QVia separatæ à corporibus humanis animæ non sunt cor-

Quid & vbi Limbus:

poreæ, ideo loco corporeo nec indigere, nec eo concludi, veluti carcere, posse videntur, vt ratiocinatur Augustin. lib. 12. de Gen. ad lit. c. 32. Isto que argumento nixus Caluinus fabulam esse pronuntiat, *locum subterraneum*, nuncupatum *Limbum*, in quo animæ concludantur, inueniri: nullum equidem esse Infernum animarum locum, sustinet, contra manifestissima sacrarum Scripturarũ, veterúmque Patrum testimonia. Psal. 15. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quæ verba Dauid in persona Christi, Apost. Petro teste, Actor. 2. dixit: *Prophetæ cum esset, loquutus est de resurrectione Christi, quoniam neque derelicta est eius anima in inferno, neque caro eius vidit corruptionem.* Vbi B. Petrus vtriusque substantialis partis Christi meminit; Carnis scilicet & Animæ, suúmque proprium locum cuique assignat: Carni quidem Sepulchrum, Animæ verò Infernum. Qui enim prædixit, Deum non relicturum animã suam in inferno, vtique certum habuit, eam in inferno futuram: quia nemo relinquit, aut non relinquit quippiam in loco, in quo nunquam fuit. Psal. insup. 29. Christus ait: *Domine eduxisti ab inferno animam meam.* Oseæ 13. *Ero morsus tuus, inferne.* Eccles. 24. *penetrabo* (ait Sapientia) *omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Sic Matth. 12. *Filius hominis* dicitur *in corde terræ futurus tribus diebus*, quia in subterraneo loco anima triduo erat commoratura. Rom. 10. *Ne dicas in corde tuo, Quis descendet in abyssum? id est, Christum à mortuis reuocare.* Vbi Apostolus supponit, Christum in abyssum, seu Infernum, in profundissimis terræ partibus situm, descensurum. Vnde ad Ephes. 4. *Qui ascendit, ipse est & qui descendit in inferiores partes terræ*, longissimè scilicet à cœlo distitas. Et 1. Petri 3. *In quo his, qui in carcere erant, spiritu veniens prædicauit*, id est, secundum animam ad Infernum descendens, liberationem iustis captiuis annuntiauit: infidelibus autem, qui in eum non sperauerant incredulitatem exprobrauit. Actor. 2. *Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni*, id est, liberatis animabus iustis ab exilio, carcere, vinculis, tenebris, ac mœrore, tædióque Limbi. Eodèm pertinet illud Christi Matth. 11. *Vsque ad infernum descendes.* Lucæ 16. *Sepultus est in inferno.* Vndè aspexit sursum, vt Lazarum videre posset. Numero 16. *Descenderunt viui in infernum.* Psalm. 138. *si descendero in infernum, ades.* Vbi Dauid cœlum & infernum à superficie terræ, in qua erat, longissimè distare significat. Isaiæ. 14. diabolo comminatur Deus. *Vsque ad infernum detraberis, vsque ad profundum laci.* Et Luc. 8. dæmones Christum rogabant, ne ipsos in abyssum mitteret, id est, in profundam voraginem, sub terræ superficie consistentem. Apocal. 5. Omnes creaturæ laudem Deo deferunt in cœlo, in terra & sub terra: & Christo genuflectunt cælestia, terrestria, & infera.

Caluinus instit. lib. 2. c. 16. nu. 9. Limbum negat Caluinus.

Christus descendit ad locum subterraneum.

Loca subterranea, in quibus animæ detineantur, scriptura esse tradit. Philip. 2.

Ex quibus manifestum est, loca quædam esse subterranea, in eísque spiritus contineri, qui vel puniantur, vel Deo reuerentiam deferant. Non enim puerile est (vt nugatur Caluinus,) carcere, aut loco animas defunctorum concludere, cùm animæ vel spiritus in mundo existere nequeant, quin in aliquo certo & determinato loco realiter præsentes sint, non quidem corporeo modo, vt scilicet locum mole quantitatis

Quomodo animæ certo loco cõcludantur.

repleant : sed quia ibi sint realiter præsentes, & ab illo spatio indistantes, definitáque illorum essentia, quæ distat à corporibus aliis, quæ in locis distantibus existunt : quomodo spiritus in loco esse dicuntur, quòd limitata eorum sit essentia, præsentia, & potentia ; nec vbique sint vt Deus, sed certo spatio contineantur. Cùm itaque animæ à corporibus separatæ, Christo nondum passo, regnum cœlorum intrare, Deumque clare videre non potuerint, neque tamen esse desierint; alicubi eas esse oportuit : cumque hîc in terra cum viatoribus esse non decuerit, aptissimè Deus in locis subterraneis (quæ *inferna* vocamus) illas concluſit. Proindè non est fabula (vt garrit Caluinus) sed communis Scriptorũ omnium Ecclesiasticorum doctrina, *Inferni* nomine significari *locum subterraneum animarum, ad quem Christi anima descendit :* Irenæus lib. 5. circa finem, & Lib. 4. cap. 45. & 66. Tertullian. in Apolog. c. 45. Infernum vocat, *arcanum ignis subterraneum locum.* Lib. de anima cap. 31. & 32. *regionem inferorum subterraneam.* Iustinus in dialogo cum Triphone. Cyrillus *De recta fide ad Reginas*, vocat *subterraneum specum.* Chrysost. hom. 4. in Marcum: *Antequam Christus aperiret ianuam regni, omnes animæ iusta detinebantur in inferno.* Hieronymus in 14. c. Isa. docet, *Infernum esse sub terra.* Augustin. l. 20. De ciuit. cap. 15. Et lib. 2. Retrac. cap. 24. *De inferis magis mihi videor dicere debuisse, quòd sub terris sint, quàm rationem reddere, cur sub terris esse credantur.* Gregorius lib. 12. Moral. cap. 6. 7. Lib. 13. cap. 16. 17. Et lib. 4. dialog. cap. 42. Beda in Iob, lib. 3. cap. 7. Damascen. lib. 3. De fide cap. vltimo, *Infernum sub terra esse definit.*

Spiritus sũt in loco, nõ mole, sed definitiuè.

Inferni nomine locus subterraneus significatur.

Consentaneum insuper est naturali rationi, quòd locus damnatorum, exulum, & nondum beatorum longissimè distet à Cœlo Empyreo, Beatis ad inhabitãdum præparato. Vndè Gentiles communi sensũ ex Patrum antiqua traditione inferos esse, sedésque piorum ab impiis discretas, teste Lactantio lib. 7. cap. 7. crediderunt: vbi Zenonem Stoicum docuisse refert, *impios luere pœnas in tenebrosis locis, cænique voraginibus horrẽdis:* Epicurum verò putasse, id Poëtarum figmentum esse, illásque inferorum pœnas in hac vita tantùm perferri : in quo Caluinus Epicuro subscripsit. Non enim agnoscit proprium infernum, qui sit locus corporeus & subterraneus, in quo spiritus afficiantur pœna sensus, proueniente ab extrinseco aliquo agente, videlicet Igne: sed Infernum ponit in interna & spirituali afflictione, proueniente ex interna cogitatione, qua Deum quis apprehendit, vt sibi iratum & infestum ; ideóque de sua timet salute, & anxietatem animi, diróque cruciatus patitur ex mortis æternæ horrore, sentiens, se à Deo derelictum & alienatum, neque salutis spem habere. Quam pœnam Christum sustinuisse, blasphemat homo impiissimus, atque ex huius diuinæ seueritatis vltione, quam in anima sentiebat, exclamasse, derelictum se à Deo : cui quidem animæ Christi pauori, ac de sua salute anxietati, præcipuam nostræ redẽptionis partem attribuit. *Alioqui*n, inquit, *nihil actum erat, si corporea tantùm morte defunctus fuisset Christus. Nisi enim huiusmodi pœnæ anima particeps fuisset, corporum Dominus redemptor esset, non animarum.* Vndè concludit, Christum diros in anima cruciatus damnati atque perditi hominis pertulisse, nobisque similem in dolore,

Locus dãnatorũ longissimè à cœlo Empyreo distat. Iustinus sermone exhort. ad gentes. Arnobius lib. 5. cont. gentes.

Caluinus infernũ esse non agnoscit.

Caluinus ait Christũ inferni pœnas sustinuisse, ac desperasse. Psalm. 22. Matth. 27.

Lib. 2. instit. cap. 16. Num. 10. 11. 12.

metu & formidine mortis, maledictionis, & iræ Dei fuisse: quin eò Christum fuisse delectum scribit, vt ex intimi animi angustia exclamare coactus fuerit: *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?* Quem animi angorem, iratique Dei apprehensionem, *formidabilem abyssum* esse dicit, atque *infernũ ad quem nostræ salutis causa Christus descenderit.* Ideóque interroganti, An tunc Christus descenderit ad inferos, quum in horto mortem deprecatus est: respondet, hoc fuisse exordium; sed tunc plenè in infernum descendisse, quum horribiles cruciatus sentiret ex eo, quòd se ad Dei tribunal reum stare cognosceret. Vndè *Christum descendere ad inferos*, nihil aliud esse vult, quàm *humiliatũ esse ad patiendas inferni pœnas*; scilicet, *tristitiam summam animi, quia Deum sibi iratum nostri cognosceret.* Cuius blasphemiæ veluti respondens Hilar. lib. 10. de Trinit. *An tibi infernũ metuere credẽdus est, qui Latroni dicit: Hodie mecum eris in paradiso? Dominus ei communionem Paradisi mox pollicetur; an Christum sub pœnali terrore constituit?* Eodèm pertinent verba Luc. 23. *Nolite flere super me* &c. q. d. se pœnam solùm temporalem perpeti, grauiorem verò peccatoribus reponi. Quare indubita fide credendum est, Animam Christi neque in corpore, neque extra corpus passam esse afflictiones internas, quas damnati sentiunt, ex eo, quòd Deum sibi iratum apprehendunt, & quia de sua salute desperant. Nam alioqui sequetur, Animam Christi non vidisse Deum in hac mortali vita, & ignorantem, ac erroribus, & inordinatis, nec non indeliberatis motibus fuisse subiectã; quin & peccatis, vel immoderato timori, qui desperationis voces extorquere posset. quæ omnia extremæ sunt blasphemiæ. Præterea certum est, Animam Christi à corpore separatam, non esse passam aliquam ignis inferni aut Purgatorij pœna. Nam Latroni dixit: *Hodie mecum eris in Paradiso*: non ait, in Gehẽna. Frustra insuper Anima Christi separata, dolores passa fuisset, quia mors est terminus viæ præfixæ à Deo ad merendum, & ad benè aut ad malè operandum. Post mortem enim Anima statim in malo fit obstinata, vel in bono confirmatur. Vndè nec sãctorum animæ in Limbo constitutæ mereri aut demereri poterant, quin gaudio & consolatione abundabant propter certissimam salutis aliquando obtinendæ spem. Retinebant equidem vsque ad Christi aduentum fidem & spem, non minùs quàm charitatem. Accedit, quòd sicut tempus huius vitæ sit à Deo constitutum ad merendum sibi & alteri; ita quoque ad satisfaciendum pro aliis. Nam Inferni & Purgatorij pœna instituta est, ad luendũ pro reatibus & debitis propriis in hac vita contractis, & nulla satisfactione intercedente remissis. Deindè Christus nostram redemptionem prætio in Cruce persoluto cõsummauit. Vndè Scripturę Morti & Sanguini, non autem pœnæ inferni nostram redemptionem tribuunt. Ad Hebr. 9. & 10. Rom. 5. Colos. 1. 1. epi. Pet. 1. 1. Ioa. 1. Apoc. 5. Nonrigitur post mortem Domini restabat debitum pœnæ, quod sui causa, velut fideiussor ac redemptor noster pœnâ purgatorij aut inferni anima eius persolueret. Adde, quòd anima rationalis à corpore separata natura sua impassibilis sit, passione extrinsecus illata, & ad corruptionem tendente. Non enim à corporibus, cùm sit spiritualis, pati naturaliter potest, neque ab vlla creatura corrumpi, vel alterari: solùm vo-

Caluinus Christo tribuit defectus scientiæ gratiæ & gloriæ repugnantes.

Luc. 23.

Mors est terminus merendi aut demerendi.

Christus non desperauit, nec damnati hominis pœnas pertulit.

Anima separata à corpore, nat. pati nequit à corpore.

tò ex natura rei posset à spiritibus naturæ superioris per vim alicubi detineri; quod animam Christi ratione vnionis hypostaticæ certũ est pati non potuisse, cùm etiam in corpore mortali existens omnes spiritus suo nutu moueret. Rursus ex rei natura potest anima pati, dum separata est à corpore per receptionem aliquam intentionalem, quæ fiat speciei alicuius immissione à Deo, vel loquutione aut illuminatione ab alio spiritu. Quæ impressio pœnalis esse potest, si contra voluntatem recipiatur, aut de re sit, quæ tædium vel tristitiam pariat; quali genere passionis affliguntur animæ in inferno & Purgatorio: sed in anima Christi locum habere non potuit, quia ratione vnionis omni creatura superior, nihil inuoluntariè pati valuit. Cúmque plenè beata fuerit, diuináque fruitio nullam secum tristitiam admittat, consequitur, illam animam separatam ex rei natura, fuisse impassibilẽ. Quod autem eadẽ anima corpori coniuncta, etiamsi beata esset, capax simul tristitiæ fuerit, miraculosè factum est, vt patiendo in corpore naturaliter passibili, nostrã salutem operaretur. At nulla causa est fingẽdi miraculum, quo anima separata, Deo vnita, & beata, supernaturaliter passa cruciatus fuerit. Neque verò ipse descensus ad inferos, aut existentia in eo loco Christum affligere potuit, quoniam hæc illi non fuere inuoluntaria; neque ibi vt reus, sed vt Victor & Dominus existebat sponte & dignatione; sicut si Rex aliquis carceres benignitate suâ visitaret: neque peccata hominum vel pœnæ damnatorum afflictionem parere, aut ex charitate, ac zelo diuini honoris, vel compassione proximorum potuerunt, quoniam status beatitudinis tristitiæ capacitatem expellit. Beati enim omnia dicta mala sub ordine diuinæ prouidentiæ iustitiæque considerant, quam omnibus creaturæ commodis præferunt, illáque omnia in maiorem Dei honorem & gloriam cedere gaudent.

Anima Christi beata, per miraculum tristitiæ capax fuit.

Status beatitudinis omnem tristitiam excludit.

Porrò licet in triduo mortis Anima Christi nullam pœnam sustinuerit; attamen secundùm rationes diuinæ prouidentiæ aliquibus perfectionibus caruit Gloriæ accidentalis; putà corpore, & operationibus, quæ in corpore & per corpus nunc operatur, simúlque cælesti loco. Sed ista non magis pœnæ fuerunt, quàm nunc sit Christo in cœlis regnanti carere adhuc nonnullo accidentali præmio; scilicet honore, fama, perfecta exaltatione nominis, & adoratione sibi ab omnibus debita, necnon societate multorum prædestinatorum. Adhuc enim nomen eius à multis blasphematur.

Exaggerat verò Animæ Christi separatæ cruciatus non alio fine Calumus, quàm vt per Christi Redemptionem factum esse persuadeat, vt nostræ dispositiones & Satisfactiones minimè sint necessariæ: deinde, Christum nos redimere debuisse per eadem pœnas, quibus peccatum in hac vita non remissum in futura vita punitur: ac postremò, vt euertat proprium Inferni locum. Quæ omnia per se tam absurda sunt, vt commemorasse, ad execrandum illa sufficiat.

CAP. CCXIV.

De Christi ad inferos descensu.

DE Christi ad Inferos descensu varij errores comperiuntur. Quidam Erasmum imitati, censent hanc articuli partem: *Descendit ad inferos*, non esse ab Apostolis tradi-

Eras. Catec. 2. & 4. in Symb.

tam, sed ab aliquo postea insertam, eo nixi fundamento, quòd hæc particula Symboli non fuerit in vsu apud omnes Ecclesias, quod ex veteribus patere dicunt, qui regulam Fidei ab Apostolis traditam explicantes, huius particulæ nullam mentionem faciunt, sed à Sepultura ad Resurrectionem transeunt, vt Iren. lib. 1. cap. 2. Origen. initio lib. *De principiis*. Tertullianus initio lib. contra Praxeam; & lib. *De velandis virg.* Augustin. in lib. *De Fide & Symbolo*. & in lib. *De Symbolo ad Catechumenos*. Ruffinus in explicatione Symboli quidem legit, sed admonet, non haberi in Symbolo Ecclesiæ Romanæ, nec apud Orientales in Symbolo Nicæno. His argumentis quidam sectariorum permoti, dum suæ fidei nouam professionem cudunt & recudunt, nullam descensus ad inferos mentionem faciunt. Lutherus, Caluinus, & alij, quia scriptura sacra expressis verbis contineat, Animam Christi ad inferos descendisse hanc particulam non minùs quàm alias tribuunt Apostolis, sed in sensu plurimùm à Catholicis dissentiunt. Anabaptistæ sentiunt, idem esse *ad inferos descendere*, quod, *interire*, siue *extingui*; fatentes, Christi Animam quoque interisse, veruntamen postea iterum excitatam fuisse. Quæ sententia Atheismo viam aperit, & Scripturis, Conciliis, Patrúmque traditioni apertè contradicit. Ex Platonis etiam disputatione reuinci potest, qui Animas immortales esse statuit; quas Democritus cum corpore dissolui ac perire asseruit, Lactantio teste lib. 7. diu. institut. cap. 7.

Anabaptistis descendere ad infernum, est interire.

Alij *Descendere ad inferos*, nihil aliud esse autumant, quàm *Sepeliri*: sed apertè istud Scripturæ repugnat Act. 2. vbi B. Petrus ex Psalm. 15. (*Quoniam non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*) concludit, quia neque derelictus est in Inferno (videlicet secùdùm animam) neque Caro eius (scilicet iacens in sepulchro) vidit corruptionem; vt interpretantur Basil. Theod. Hieron. & alij in Psal. 15. & Beda cum aliis in cap. 4. August. epist. 57. & 99. Ambros. ser. 72.

Alijs descendere ad infernum, est sepeliri.

1. Act. 4.

Caluinus cum suis, *Descendere ad inferos*, nihil aliud esse interpretatur, quàm *Inferni pœnas pati*, hoc est, animi anxietates ex consideratione iræ ac seueritatis Dei. Christum enim Deum sibi tamquam vadi & sponsori iratum apprehēdisse dicit, indéque in formidinem propriæ salutis amittendæ prouolutum, vnde incredibilis animi sequuta sit anxietas, quæ desperationis verba extorserit. Ex qua Caluini doctrina quidam eius discipulus asserere non erubuit, Christum desperasse, damnatúmque esse; vt refert Surius in historia anni M. D. XXVII.

Caluino descendere ad Infernū, est Inferni pœnas pati.

Sed hanc blasphemiam superiore capite satis confutauimus ex scripturis, quæ totam salutem nostram tribuunt prætio Sanguinis, & Mortis in Cruce toleratæ, non pœnis Inferni aut Purgatorij.

Ad Argumenta verò eorum, qui arbitrantur, hanc partem (*descendit ad inferos*) non esse ab Apostolis traditam, quia Symbolum Nicænum & Constantinopolitanum, multique Veterum explicantes fidei regulam, ab Apostolis traditam, eius non meminerint; RESPONDEO ex Taddæo, Ignatio, Iustino, Eusebio, Chrysostomo, Leone, & aliis Veteribus constare, huius particulæ vsum fuisse in formula fidei Apostolorum temporibus. Nam inter Fidei articulos ponit Cyrillus Hierosolym. Catech.

Hæc Symboli pars ab Apostolis tradita est.

14. Epiphanius in Ancorato Athan. in Symbolo. Chrysost. hom. 2. in Symb. Leo epist. 93. cap. 17. Vndè manifestum est, Ecclesiam Romanam in vniuersalis Ecclesiæ Symbolo semper hanc particulam habuisse, Ruffinúmque solùm velle, hanc particulam non haberi in Symbolo, quo in publico Ecclesiæ sacrificio Ecclesia Romana vtitur; scilicet Constantinopolitano. In quo Symbolo nulla quidem expressa huius partis fit mentio, prout nec in Nicæno; quia Synodorum scopus fuit, eà potissimùm commemorare in suis Symbolis, quæ ad euertendum sui temporis hæreses deseruirent. Vndè Concilium Nicænum contra Arrianos intentum, ea quæ fidem in Spiritum Sanctum sequuntur, omisit: Constantinopolitanum autem contra Macedonianos intentum, Crucifixionis non meminit; nec enim eis curæ fuit, omnia, quæ in Apostolico Symbolo continebantur, tradere. Illa enim veluti omnibus nota supponebant: quod & in Ecclesiasticis Scriptoribus veritatem habet, qui non omnia vno loco tradunt, quemadmodum de seipso atteſtatur lib. 1. Retract. cap. 17. Augustinus scribens, se illam verborum Symboli contextionem, quæ memoriter tenenda competentibus traditur, in libro expositionis Symboli non obseruasse; sed aliàs vbi eam obseruat, hanc partem commemorat, & insuper explicat. Et sanè si ab aliquo Apostolorum esset Symbolo addita, explicandum foret, à quo? quo tempore? Non enim probabile est, vnum aliquem potuisse hoc efficere, vt omnes totius Orientis, Africæ, ac Europæ Ecclesiæ illam additionem susciperent. Quod autem vniuersa suscipit ac retinet Ecclesia, nec in Concilio aliquo generali institutum legitur, ab Apostolis esse traditum, ambigi nequit. Proindè credendum est, Christum verè ac propriè secundum animam ad inferos descendisse.

Aug. serm. 115. de tẽp. serm. 137. 181.

CAP. CCXV.

Quomodo Christi Anima ad inferos descenderit?

QVia res vna alicubi dupliciter esse dicitur, videlicet secundùm suum effectum tantum, aut secundùm suam essentiam: ideo similiter distingui potest duplex descensus: *Vnus* secundùm vim seu effectum, *Alter* verò per realem præsentiam. Propriè siquidem loquendo, Descensus significat *Localem mutationem*, quæ ad realem præsentiam, seu existentiam in inferiori loco terminatur. Per metaphoram verò, descendere dicitur, per efficaciam, virtutem, siue effectum.

Christus non solùm per effectũ, sed etiam per realem præsentiam ad infernũ descendit.

Durandus agnoscens locum subterraneum, qui Infernus propriè dicatur, in quo Sanctorum animæ ante Christi Resurrectionem fuerunt, existimat, Christi animam ad illas per realem præsentiam nõ descendisse, sed solùm per effectum, quia eos illuminauit, suæque gloriæ participes effecit. Qua in parte Caluinus eum sequutus, ait: *Christi animam illuc descendere, vt mortuorum animas manumitteret, quid opus fuit? Libenter equidem fateor, Christum ipsis illuxisse virtute sui spiritus: vt gratiam, quam sæpe gustauerant dumtaxat, mundo fuisse tunc exhibitam agnoscerent.* Et infrà: *Vim mortis inde* Petrum *amplificare dicit, quòd ad mortuos vsque penetrauerit, dum piæ animæ eius visitationis præsenti aspectu sunt potitæ, contrà reprobis clarius patuit, se excludi ab*

In 3. dist. 22. quæst. 3.

Inst. lib. 2. c. 16. nu. 9.

omni salute: subditque, *Petrum docere velle, communem vtrisque* (pus scilicet & impus) *fuisse mortis Christi sensum.* Ex quo sequitur, Christum non aliter descendisse in Infernum, quàm per suum effectum, quomodo in quemlibet inferni sinum descenderit, aliter tamen & aliter operando. Nam reprobis, in gehenna seu profundissimo inferno constitutis, incredulitatem & malitiam exprobrauit: detentis autem in Purgatorio spem consequendæ gloriæ dedit: Sanctis autem animabus, quę pro generali naturæ humanæ impedimento in Limbo, tamquam Honoratorum carcere, aduentum liberatoris expectabant, lumen æternæ gloriæ contulit. Quam sententiam Picus etiam Mirādulanus amplexus est, cuius prima conclusio in sua apologia fuit: *Christus non veraciter, neque quantum ad realem præsentiam, sed quoad effectum solum, descendit ad inferos.* Quæ sententia luculentis Scripturis, Symbolo Apostolico, definitioni Ecclesiæ, Patrúmque communi traditioni repugnat. Docent enim omnes, Christū in Triduo mortis verè ac propriè secundùm animam, in inferno fuisse, sicuti secundùm corpus in sepulchro iacuit. Act. 2. & Psal. 15. *Non derelinques animam meam in inferno.* Matth. 12. *Filius hominis erit in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*; vt interpretatur Tertullianus lib. de Anima, cap. 5. Irenæus lib. 5. cap. 31. Hieronymus in cap. 2. Ionæ. Ad Ephesios 4. *Descendit in inferiores partes terræ.* 1. Petr. 3. *Vnificatus autem spiritu, in quo & his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit.* Accedit definitio Concilij Lateranēsis in cap. *Firmiter de summa Trinitate*; vbi hic articulus sic exponitur: *Descendit in anima, resurrexit in Corpore, ascenditque pariter in vtroque.* Vbi disertè non tantùm secundùm effectum, sed secundum animæ realem præsentiam descensus agnoscitur. Nam secundùm effectum non minùs Corpus, quàm anima in inferno fuisset, cùm emundatio, & salus atque redemptio sit per corporis, & animæ passionem comparata. Deindè in plurimis, maximéque distantibus locis simul Christi anima extitisset. Nam effectus varios habuit in cœlo, lætificando Angelos: in terra compunctionem operādo in hominum animis: sub Terra, illuminando sanctos constitutos in tenebris, spem aliis dando; horrorem damnatis inculiendo. Præterea cùm effectus illi momentanei fuerint, cur triduo in inferno anima Christi fuisse dicetur? Ac denique cùm etiam nuda Christi Anima in inferno operetur, cur adhuc in Inferno per effectum esse non dicetur? Atque postremò, vndè tertio die ad Corpus rediit, si non ex inferno? vt omnes veteres docent. Imprimis Taddæus, Christi discipulus, apud Euseb. lib. 1. histor. capite vltimo dicit, Christum ad inferos solum descendisse, at secum animarum sanctarum multitudinem reduxisse. Ignatius epist. 2. ad Trall. idem repetit. Irenæus lib. 5. in fine. Iustinus in dialogo cum Triphone conqueritur, à Iudæis abrasum Ieremiæ testimonium, quo prænuntiauit Christum ad inferos descensurum. Origen. ho. 15. in Gen. Protoplasti, aliorúmq; Sanctorum animas à Christo eductas ex inferno scribit. Tertul. lib. de anima cap. 31. 32. August. ex professo lib. 20. de ciuit. cap. 15. & in Psalm. 85. epist. 57. & 99. Leo serm. 1. de Resurr. & epist. 91. cap. 17. Greg. lib. 13. mor. cap. 15. Fulgen. lib. 3. ad Tralim. cap. 23. Beda lib. 3. in Iob cap. 37. Damas. lib. 3. cap. vlt.

Vidè plures apud Bellar. lib. de anima Christi. Apud Suarem in 3. p. q. 52. sect. 2. & alios.

Ex

Ex quibus manifestum est, Christi animam ad inferos descendisse secundùm suam subitantiam & realem præsentiam : non autem tantùm quoad operationem. Quem sensum verba B. Petri Act. 2. nulla ratione patiuntur : *Non derelinques animam meam in inferno.* Deindè fingi posset, ascendisse secundùm operationem, sicuti descēdisse : imò nunc quoque indies in Terram descendere diceretur, in qua iugiter operatur, atque in Infernum, quia circa salutem animarum Purgatorij aliquid efficit. Quare fatendum est, Christi animam fecisse seipsam realiter præsentem in loco Inferni, atque ibidem verè, sicut in loco, modo tamen spirituali extitisse, sicuti animas impiorum, & dæmones in loco inferni secundùm existentiam veram esse credimus, & animas beatorum in cœlo. Etenim eas alicubi esse oportet, aut nusquam : anima enim res finita est, in mundo contenta, & proinde alicubi necessariò est præsens, & in distans à loco corporeo, in quo licet non sit, mole illum replendo, est tamen ibi, vbi est corpus per præsentiam sibi intrinsecam.

S. Thom. 1. qu. 64.

CAP. CCXVI.

Cur Anima Christi ad inferos descenderit?

Prudentius hymno 9. Tartarum benignus intrat.

SIcuti Dominus suo in carnem Aduentu hominibus in terra charitatem summam declarauit, ita suo in anima descensu ad inferos I. benignitatem suam iustorum Spiritibus, qui aduentum eius præstolabantur, commendare voluit. Euseb. lib. 4. demonst. Euang. dicit, legem Charitatis Christum vsque ad infernum vocasse.

II. Vt animabus sanctis, quæ in quiete, sed nondum in luce erant, essentialem beatitudinem, ac cætera animæ dona, quæ illam consequuntur, impertiret. Damascen. libr. 3. capite vlt. Cur Dominus ad inferos descenderit?

III. Vt se Victorem diaboli ostenderet, suámque potestatem, sicut in Cœlo & Terra, ita & in Inferno manifestaret, omnésque ad sui adorationem compelleret. Damas. li. 3. cap. 29. Ambro. lib. 3. de fide cap. 3. *Inter mortuos liber, qui non captus ab inferis, nec egens adiutorio, per seipsum saluum fecit populum suum.*

IV. Vtà descensu ad inferos deinceps iustos eximeret. Hilar. in Psal. 138. V. Vt captiuos in Limbi carcere detentos, secum liberos educeret, annunciando eis tempus iam aduenisse salutis, iuxta illud Isai. 49. *Vt diceret ijs, qui vincti sunt, Exite : et ijs, qui in tenebris sunt, Reuelamini;* séque fortem illum esse comprobaret, qui deleto Chirographo, debiti nostri captiuam duceret captiuitatem : & *exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter palàm, triumphans illos in semetipso*, Angelis bonis eo descendente præeuntibus, atque cum imperio clamantibus: *Attollite portas principes, eleuamini portæ aeternales*, vt in Psal. 23. Hieron. & Aug. notant, & August. serm. 3. de Resur. Cyril. Hierosolym. Catech. 4. & 14. scribit, iustas animas ad Christum accurrisse, cum gaudio interrogantes: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Atque verisimile est, ordine Dominū adorasse, Primósq, Parentes exclamasse: *Tu es benedictum semen nobis promissum, quod Serpentis caput erat cōtriturum iam completa videmus omnia, quæ nobis misericors Deus reuelauerat.* Patriarchæ deindè, Moyses, Dauid, vniuersi Prophetæ sua oracula iam completa esse confitentur.

Zachariæ 9. eduxisti vinctos de lacu.

Ad Ephes. 4. Coloss. 2.

2. Petr. 3.

Psal. 85. *Deus redimet animam meam de manu inferi.* Vtergo solueret inferni dolores, id est, animas iustas à tædio dilatæ beatitudinis liberaret, per seipsum eas visitare dignatus est, illisque mox Dei visionem fruitionémque contulit, tertióque die secum victor abduxit. Iuxta illud Eccles. 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino.*

Origenes hom. 15. in Gen omnibus iustis dictum ait. Hodie mecum eris in Paradiso. Luc. 23.

VI. Ad inferos descendit, vt impiis malitiam & incredulitatē, atq; pertinaciam exprobraret, iustissimèque supplicijs æternis adiudicatos esse, conuinceret, quia noluissent in eum credere ac sperare, quem inferni victorem, ac sibi & dæmonibus tremendum iudicem esse vel inuiti agnoscerent. Ex qua Christi manifestatione, prædicatione, siue malitiæ reprehensione, damnatæ animæ nihil commodi, sed augmentum potius accidentalis supplicij perceperunt: nam ex superbia nouam quandam afflictionem inuidiámque sentiunt.

Sed quæri hîc posset, An omnes animas Purgatorij Christus in suo descensu à pœnis liberauerit, sicut in die Triumphi solet omnibus vinctis remissio veniáque dari?

An omnes animæ Purgatorij sint eductæ.

Respondendum est, Animam Christi suo descensu ad Inferos effectum in omnibus Purgatorij animabus nonnullum habuisse, illuminationis, gaudij, consolationis. Per suæ enim victoriæ triumphique ostentionem omnibus iustis noua gaudia contulit, & beatitudinem iuxta cuiusque dispositionem, aliis scilicet in re, aliis in proxima spe. Illas ergo animas ex Purgatorio eduxit, quę iam perfectè debitum soluerant, reliquis certam spem liberationis reliquit. An verò speculi gratia & liberalitate quasdam animas nondum plenè purgatas, remissa pœna restante liberauerit, sicut viuens quibusdam omnia peccata condonauit, & moriens Latroni paradisum addixit, incertum est. Attamē probabilius apparet, sua pia voluntate quasdam ad hoc magis dispositas secum eduxisse. Gregor. Nazia. oratio. 42. & lib. 2. de Paschate. Augu. epist. 99.

An animarum damnatarum aliqua sit liberata?

De animabus ad æterna supplicia dānatis, certum est, Animam Christi descendendo ad inferos, nullam eduxisse, licet Grego. Nazian. orat. 42. & August. Epist. 99. dubitent. *Ex inferno* enim *nulla est redemptio.* Et Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum.* Léxque Dei est, *vt vbi ceciderit lignum, ibi maneat.* Idipsum indicat illud Oseæ 13. *Ero morsus tuus inferne*: significat enim mortem extinctam in electis, sed infernum tantùm esse morsum, id est, ex parte euacuatum, qua scilicet iustas animas detinebat. Iren. lib. 1. cont. hæreses cap. 29. & Epiphan. hæresi 24. referunt, Martionem asseruisse, Christum descēdendo ad infernum omnes animas damnatas liberasse. Clemens Alexandrinus li. 6. Strom. ante medium, existimat, ex animabus damnatis quasdam potuisse credere atque saluari. At certum est, Christum non prædicasse damnatis, vt illis spem aliquam salutis præberet: erant enim extra statum merendi, in quo per fidem & amorem Christi redemptio applicatur. Origen. tract. 35. in Matth. & libro 2. contr. Celsum docet, omnes aliquando saluos fore: cuius hæresim confutat August. hæresi 59.

Ioan. 9. venient nox &c. 2. Corinth. 5. vnusquisque, &c. Gal. 6. quæ seminauerit homo, &c. Apoc. Post hoc tempus.

Septimò, ad Inferos Christi Anima descendit, quia separatam à corpore alicubi esse oportebat: at nullus erat pro illo statu locus ei aptior, in quo existeret; erat enim diuina prouidentia is locus Sanctis animabus, vsquè ad Christi Resurrectio-

nem, deputatus. Congruentissimè itaque Anima Christi in eodem loco esse voluit, donec corpus resumeret, sine quo supra Terram aut in Cœlo esse noluit. Terra enim locus est viatorum, Cœlum autem plenè beatorum.

CAP. CCXVII.

Vtrùm Anima Christi, quemadmodum ad Sinum Abrahæ reali præsentiâ, ita ad Purgatorium, & locum damnatarum animarum descenderit?

Bellarm. li. 4. de Anima Christi c. 16.

NOn desunt, qui opinentur, Christum ad omnia inferni loca (non vt reum, sed vt Triumphatorem) reali præsentiâ descendisse, quia Eccles. 24. dicatur: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ*, & quoniam anima Christi in omnibus inferni partibus aliquid operata sit, & viuorum, mortuorum, atque dæmonum adepta sit dominium: proindè oportuisse, vt sua præsentia veluti possessionem sui regni caperet, omniáque sibi esse subiecta de omnibus triumphando manifestaret. Cæterùm probabilius est, Christi Animam tantùm ad iustorum in sinu Abrahæ existentium locum præsentiâ reali descendisse: ad reliqua verò loca iussu, imperio, & manifestatione, ad quam loci propinquitas non est necessaria, siquidem neque locus damnatorum, qui *Gehenna* vocatur, neque locus Purgatorij fuit animæ Christi accommodatus, neque contentæ ibi animæ conuersationi animæ Christi: neque insuper accipiens quis alicuius regni possessionem, omnia & singula eius loca, etiam vilia & abiecta perambulare, sed regni caput adire solet, in eaque ciuitate regni gubernacula capere, in qua eum residere decet. Ad eundem mũdum vt Christus se viuis & mortuis atque dæmonibus imperare demonstraret, sibique genua flectere compelleret, sufficit, vt ad locum inferni superiorem, in quo erant animæ iustorum, reali præsentia descenderet, ad alia verò loca, quorum conditio & qualitas non erat animæ Christi conueniens, per effectum manifestationis suæ victoriæ ac Triumphi. Cyril. in Ioan. libro 12. capit. 36. docet, totius regni possessionem accepisse. Gregor. Nyssen. oratio. 1. de Resur. ad sedem diaboli descendisse, tradit. Fulgen. libr. 3. ad Transim. capite 30. *Vbi animæ torquentur.* Similiter Augustin. epist. 57. 99. soluisse inferni dolores in captiuis, ait. Libro 12. de Gen. ad lit. capite 33. animas luentes purgatorias pœnas, liberatas fuisse à pœnis tradit. Gregor. libro 13. Mar. capite 20. omnes electorum animas per Christum eductas fuisse sentit. Certum enim est, Christum non esse alligatum sacramentis, satisfactioni, pœnis aut meritis nostris, quin si velit, absque cuiusquam iniuria, ex speciali gratia possit liberare non solùm ex Purgatorio, sed etiam ex Inferno. Cæterùm æquè certum est, Christum ordinaria lege id non facere. Quare temerarium foret asserere, Dominum liberasse Platonem, Poëtas, Philosophos, vel alios incredulos, pœnis æternis semel adiudicatos: sed interdum sententiam in morte quorumdam (qui postea resuscitati & baptizati fuerunt) suspensam fuisse, conuincunt diuersa miracula, variis temporibus & locis edita, quæ nemo sine peruicacia inficiari potent.

D. Thom qu. 52. art. 3. p. 3.

Christus damnatas animas non liberauit.

Animarum quarũdam post huius vitæ exitum sententia suspenditur.

CAP. CCXVIII.

De Purgatorio.

NOn alia de causa Sectarij germanum Inferni significatum pernegant, Christique ad inferos descensum oppugnant, & in adulterinos sensus scripturas de hoc descensu loquentes contorquent, nisi vt Purgatorium locum (cõtra quem immane odium gerunt) è medio tollant. Ex hoc enim Christi ad Inferos descensu, ad liberandas Patriarcharum, aliorúmque sanctorum animas, clarè consequi vident, Sanctorum animas culpâ remissâ posse adhuc ad aliquam futuri seculi pœnam obligari, quam in loco à cœlis remotissimo luere debeant. Si enim Christus ad inferos descendit, vt à cruciatu tædij mortæ animas ibi existentes liberaret, ergo loca subterranea in quibus animæ detineantur, agnoscenda sunt. Proinde Cahinus hoc veluti fontem Purgatorij, emendatoriarúmque pœnarum denegandum putauit, impudẽter asserens, fabulam esse, quòd locis quibusdam subterraneis animæ cõcludantur: quæ ponere, nihil aliud sit, quàm cum Poëtis Orcum Erebúmque fingere. Si autem quæras, Vbi igitur iustorum animæ ante Christi mortem fuerint? in cœlo fuisse contendit, licet Deum non viderint, neque ante iudicij diem visuræ sint. Contra quem errorẽ docet Ecclesia Catholica, animas iustorum, in quibus nihil purgandum restat, confestim post separationem à corpore, ante Christi Resurrectionem in limbum, hoc est, locum subterraneum descendisse: post Christi autem Resurrectionem in cœlum Empyreum ascendere, Deíque visione frui. Si verò emundandum vel satisfaciendum in eis aliquid supersit, in locum subterraneum detrudi, in quo velut carcere detineantur, donec pœnam debitis suis condignam luerint: quâ persolutâ in cœlum euolent. Locum autem, in quo animæ post mortem temporalia supplicia patiuntur, vocamus PVRGATORIVM. Qualem pœnalem locum Sectarij nullum esse sustinent. Contra quos, esse talem comprobabimus.

Animæ Sanctæ statim post exitũ corporis datæ sunt.

Purgatorius locus, est veluti carcer temporarius.

Purgatoriũ esse.

Primùm itaque 2. Machabæorum 12. Scriptura luculentèr asserit, defunctos à peccatis solui, viuorum sacrificiis & orationibus posse adiuuari. Vndè consequitur, quòd remissâ æternæ mortis culpâ, subindè remaneat pœna in altero seculo luenda, siue pro venialibus peccatis in hac vita non remissis, siue quia satisfactio pro letalibus hîc remissis completa non fuerit. *Sancta*, inquit, *et salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Non rectè autem Scriptura huiusmodi orationem laudaret, si Purgatorius animarum locus non esset. Nequè verò nouum Iudæ Machabæi fuit inuentum, *orare pro mortuis*, sed consuetudo, per manus à Patribus ab initio mundi accepta. Siquidem Abraham Saræ vxori exequias celebrauit, Iacobo filius Ioseph. Pro Saule occiso Galaadite ieiunauerunt, pro Abner Dauid. Quæ ieiunia non doloris signa, sed pro defunctis suffragia fuerunt. Nam ad impetrandum instituta fuisse ieiunia, patet ex Dauidis facto, libro 2. Reg. capit. 12. vbi pro defuncto paruulo non ieiunauit. Tobi 4. *Panem tuum super iusti sepulturam constitue*, id est, pauperibus eleemosynam pro defuncto tribue, vt scilicet pro illo Deum exorẽt. Sic Chrysost.

Remissa culpa, sæpe remanet pœna temporalis luenda.

Gen. 23. Gen. 50.

1. Reg vlt. & in comment. Boda. 2. Reg. 3.

hom. 32. in Matth. Hinc tracta consuetudo mittendi panes vocatis ad exequias; item eleemosynas pauperibus distribuendi.

Huc etiam pertinet, quòd Matt. 12. Christus aliquod esse peccatum dicat, quod neque in hoc seculo, neque in futuro remittatur. Vnde colligunt Ecclesiastici scriptores, aliquod peccatum in futuro seculo dimitti. August. lib. 21. de ciuit. c. 24. Lib. 6. contra Iulianum cap. 5. Gregor. libr. 4. dialog. c. 39. Beda in 3. c. Marci. Bernard. serm. 66. in Cant. Rabanus lib. 2. de Instit. Cleric. c. 44. Apostolus quoque 1. Corinth. 3. *Ipse saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Vbi nomine *Ignis* Veteres pœnam aliquam purgatoriam intelligunt, ad quam post mortem adiudicantur, qui in iudicio particulari ædificasse reperiuntur lignum, fœnum, & stipulam. Cypr. lib. 4. epist. 2. Ambros. in comment. 1. Cor. 3. & serm. 20. in Psalm. 118. Hieron. vlt. ca. Isaiæ & c. 4. Amos. August. in Psal. 37. emendatorium istum ignem esse grauiorem ait, quã quidquid homo in hac vita possit. Gregor. lib. 4. dialog. c. 39. pro leuibus culpis purgatorium ignem esse credendum esse. Alcuinus lib. 3. de Trinit. Haymo, Anselmus, B. Thomas, & omnes recentiores interpretes in 1. Cotinth. 3.

Ignis purgatorij grauitas.

Ex Græcis purgatorium ignem agnoscunt, Origenes hom. 6. in Exodum. homil. 14. in Leuiticum. hom. 12. in Ierem. Basilius libr. de Spiritu sancto c. 15. & in ca. 9. Isaiæ. Nazianzenus in fine orationis pro Epiphan. Emissenus hom. 3. de Epiphania. Chrysost. hom. 3. in epist. ad Philip. homil. 69. ad Antioch. In tertium caput autem 1. ad Cor. contra Origenem disputans, qui omnes quandóque saluos fore putauit, locum illum de salute, quæ in æterno igne remanet, intelligit: sed vt dura est illa salus, ita & commentarius, cùm in scriptura salutis nomen in bonam partem accipi soleat.

Concil. Carthaginens. III. can. 29. agnoscit purgatorium. Item Conc. Carthag. IV. c. 79. Conc. Bracaren. I. cap. 34. & 39. Concil. Cabilonens. vult, in omnibus Missis pro defunctorum spiritibus offerri. Concil. Wormacien. can. 10. etiam pro suspensis in patibulo vult orari. Concil. Lateranens. can. 66. Florentinum session. vltim. Tridentinum, sessione 25.

Concilia purgatorij agnoscentia.

Accedit, quòd Ecclesia semper orauerit pro defunctis, vt constat ex omnibus Liturgijs Iacobi, Basilij, Chrysost. Ambrosij. Augustinus etiam librum *De cura pro mort. agenda* scripsit, in quo preces viuorum defunctis prodesse confirmat. Enchir. c. 110. tract. 84. in Ioan. lib. 9. confess. c. 13. lib. 21. de ciuit. 24. Lib. de hæres. cap. 53. Aërium ideo hæreticum pronunciat, quia orationes pro defunctis fieri debere negaret. Epiphan. hæresi 75. similiter.

Orandum pro defunctis.

Aërius hæreticus habitus, quia pro defunctis orandũ negaret.

Equidem semper in Christi Ecclesia pro defunctis oratum fuisse, testatur Clemens Constitut. Apostolic. c. 47. Dionysius Areop. lib. de Eccles. Hierar. c. 7. p. 3. Athan. q. 34. ad Antiochum. Nazianzenus in oratione in Cæsarium. Chrysost. hom. 41. in 1. Cor. Cyril. catech. 5. Theodoretũ lib. 5. hist. c. 26. Theodosium Iuniorem pro animabus parentum orasse scribit. Damasc. lib. *De ijs, qui in fide migrauit.*

Ex Latinis, Tertullianus libr. *De corona militis*, inter Apostolicas traditiones recenset, orandum esse pro defunctis. Cyprianus lib. 1. epist. 9. Ambrosius lib. 2. epist. 8. ait, non tam deplorandam sororem, quàm eius animam Deo commendãdam. Hieronymus in epist. ad Pamma-

chium, De obitu Paulinæ vxoris, *sanctam fauillã Eleemosynæ balsamis rigat.* Paulinus epist.1.ad Amãdum, & 5.ad Delphinum preces pro defunctis commendat. Augustinus serm.34. *De verbis Apostoli*, rem istam tam certam habuit, vt dicat: *orationibus sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, et eleemosynis, quæ pro spiritibus eroganturnon est dubitãdum, mortuos adiuuari.* Greg.li.4. dialog. c.55. scribit, animas defunctorum salutaris hostiæ oblatione multùm adiuuari. Isid. lib.1. offic.c.18. dicit, Ecclesiam credere, fidelibus defunctis remitti peccata. Bern.ser. 66.in cant. Petrus Cluniacensis lib. contra Petrobrusianos. Malachias apud Bernardũ: *Non parum spei mihi repositum in illa die, qua defunctis tanta à viuis beneficia impenduntur.*

Augustinus ait, non esse dubitandũ, defunctos adiuuari orationib⁹, eleemosynis, oblatione sacrificij.

Ex quibus manifestum est, Veteres Christianos pro defunctis orasse, non solùm vt se consolarentur, aut pium in eos affectum declararent, sed vt eos suis precibus à pœnis eriperent. Distinguit enim Augustinus solatia viuorum ab auxilio defunctorum, Enchir.c.110.& Lib. *de cura pro mort.* c.1. & 4. Gregor. Nyssenus in oratione *Pro mortuis* disertè tradit, animarum maculas ignè purgatorio abstergi. Ambrosius in Psalm.36.& serm.20.in Psal. 118. Augustin. lib.21. de ciuit.c.16. ait, infantes baptizatos nulla post mortem purgatoria tormenta perpeti. Cap.24. addit, fidelium animas, quæ cum leuibus peccatis ex hac vita decedunt, pœnis temporalibus expurgari. Idem repetit Hom. 16. inter 50. Lib.2. de Gen. contra Manichæum c.20. Et in Psal.37. vbi grauitatem pœnæ Ignis Purgatorij exaggerat. Proindè nunquam de Igne Purgatorio Augustinus dubitauit; sed de modo & qualitate purgationis, & verùm animæ ibi nonnullos retineant affectus similes ijs, quos in ista vita habuerunt, vt crucientur, amissione rerum dilectarum, & an Ignis Purgatorij substantia cum igne Inferni conueniat, dubitari posse significat Enchiridij c.69.& lib.21 de ciuit.c.26.

Porrò esse Purgatorium, etiam Ratione demonstrari potest. Etenim cùm *septies in die iustus cadat*, multòsque iustos repentè mori cõtingat, necesse est, leuiora peccata, quibus solum debetur temporalis pœna, in alia vita posse purgari, alioquin à Regno Dei (in quod nihil coinquinatum intrat) oporteret iustum excludi. Plerúmque insuper contingit, remissã culpa tẽporalem pœnam remanere luendam; pro qua si hîc non satisfiat, in Purgatorio satisfieri patiendo conueniat. Accedit commune iudicium omnium gentium, ex naturali lumine fluens, quo sicut aliquem esse Deũ sentiunt, qui rerum humanarũ prouidentiam habeat; ita post hanc vitam præmia & supplicia esse confitentur. Et cùm ex ijs, qui ex hac vita emigrant, quosdam valdè bonos, alios valdè malos, nonnullos mediocriter vel bonos vel malos esse perspiciant, naturali quodã lumine censent, pro valdè malis post hanc vitam repositas esse pœnas quasdã externas, & præmia similiter æterna pro valdè bonis, pro mediocriter verò bonis aut malis, temporarias quasdam pœnas, per quas ad beatam vitam transitus fiat. Vndè sicut diuinæ Prouidẽtiæ agnitio cœlum pro bonis, atque infernum pro pessimis esse suadet: ita quoq; Purgatorium pro mediocriter bonis aut malis. Quod ideò non solũ Hebræi diuinitus edocti, sed etiam Gentiles tam Poëtæ quàm Philosophi agnouerunt, vt ex Platone constat in Gorgia & Phedone, ac Cicerone

Prou 24.

Apoc vlt.

1. Mach.12. Iosephus lib.de bello Iudaico.

in Somnio Scipionis. Ex Virgilio quoque lib. 6. Æneidos:

Ergo exercentur pœnis, veterúmque malorum
Supplicia expendunt.

Item Claudino lib. 2. in Ruffinum:

Quos vbi per varios amnes, per mille figuras,
Egit letheo purgatos flumine, &c.

Imò Platonici (teste Augustin. libr. 21. de ciuit. cap. 13.) omnes futuræ vitæ pœnas esse purgatorias arbitrati sunt, quos in hoc errore sequutus est Origenes, omnibus tam hominibus quàm dæmonibus tandem pollicens liberationem à pœnis; teste Epiphanio in epist. ad Ioannem Hierosolym. & Augustino lib. 21. de Ciuit. cap. 17.

Purgatorium esse, cõuincitur ex animarũ apparitionibus.

Præterea esse Purgatorium, conuincunt animarum apparitiones, quæ se in Purgatorio torqueri viuis renunciarunt, ab eisque opem efflagitarunt: quales permultæ à Sanctissimis grauissimisque Viris commemorantur: vt à Diuo Gregorio lib. 4. dialog. cap. 40. & 55. à Greg. Turonensi *de gloria Martyrum* c. 5. à Beda lib. 3. de hist. Angelorum, cap. 10. lib. 5. cap. 13. Bernardus in Vita Malachiæ refert, sororem ipsius in Purgatorij pœnis existentem pòst apparuisse. Lib. 1. Vitæ Bernardi capit. 10. Guilielmus Abbas quendam defunctum monachum scribit D. Bernardo apparuisse, qui Purgatorij pœnis affligebatur. Lib. 1. Vitæ B. Anselmi refertur, eum Anno integro prò amico defuncto sacrificium obtulisse, quo tandem euoluto ille apparuit, seque à Purgatorij pœnis liberatum edocuit.

Purgatorij fides pietatem fouet.

Quod insuper Purgatorij fides ædificationi fidelium plurimùm conducat, inde patet, quòd sicut fide suppliciorum & præmiorum, in futura vita cuique pro meritis reddendorum, nihil ad peccati fugam, & virtutem amplectendam potentius; ita fide, qua creditur, præter ignem Gehennæ, esse quendam Purgatorium existentem, quo quicquid in hac vita non fuerit per debitæ pœnitentiæ opera deletum, emundari oporteat; nihil validius esse potest ad reddendum cautos & diligẽtes ad euitanda quæcúmque peccata, etiam leuissima, quæ neglecta, acerbissimis Purgatorij deinde pœnis sint expianda. Cohibet itaque peccandi audaciam non mediocriter harum pœnarum metus & fides, fraternæ dilectionis studium accendit, excitátque ad charitatis opera proximis impendenda, dum afflictis subuenire curant viui: confert quoque ad spem firmandam, si nos inopinata mors repentè inuadat.

Epiphan. hæresi 75. Aug. lib. 13. de verbis Apostoli.

Purgatorij sublatio impios ad mala impellit.

Econtra verò doctrina, quæ Purgatorium è medio tollit, non solùm falsa, verùm etiam perniciosa est, quoniam homines ad peccata cauenda, & bona opera peragenda segniores reddit, ad preces fundendum, ad Templa frequentandum, ad misericordiæ opera proximis exhibenda frigidiores. Qui enim sibi persuadet, omnia peccata morte aboleri in eo, qui cum fide hinc emigrat, facilè contemnet Ieiunia, preces, eleemosynas, & voluptates atque delicias consectabitur, nihil interesse ratus, an plura siue pauciora in morte peccata habuerit, quæ indifferenter sint morte abolenda: sed qui credit illud, quod hìc pœnitentiæ operibus deletum non fuerit, emendatorij Ignis cruciatu posteà emundandum, is sanè maiore diligentia sibi prospiciet, neque in amicos spem suæ salutis conjiciet, quin potiùs viaticum Bonorum Operum præmittere studebit. Vide Petrum Cluniacensem lib. 4. epistol. 17.

Fides purgatorij excitat ad satisfactionẽ & bona opera.

Purgatorij hostes.

Quod verò Purgatorij sublatio pietatem armet, ac ad malum incitet, ex conditione hostium Purgatorij manifestissimè conuincitur. Primus enim Aërius pro defunctis non esse orandum docuit, ac proinde misericordiam illis impendi noluit. Quem sequuti Apostolici, viuis ac defunctis bellum intulerunt. Quibus hac in re suffragatores Hëricus & Petrus Bruys impurissimis moribus fuëre: nec sanctiores successere Vvaldenses, teste Paulo Æmilio, & Abbate Vrspergensi in Chronico Anni M CC XII. Quorum dogma fæx Albigensium suscepit, Antonino teste, 4. p. tit. 11. c. 7. §. 5. Quibus tandem successere Lutherus, Caluinus, vniuersique hæreseon nostri temporis portenta, qui nullis suorum Antecessorum ducibus morum improbitate cedunt, sed quantò posteriores, tantò honestæ vitæ acriores hostes, omniúmque malorum faces; vt non nisi ad humani generis perniciem & perditionem corporum & animarum fidelium, euersionémq; Regni Christi conspirasse videantur. Quorum omnium commune fundamentum est, quòd satisfactionem nostram pro peccatis, quoad culpam, remissis, & peccati venialis à mortali discrimen tollunt: illis enim sublatis, nullum esse Purgatorium sequitur, in quo fidelis temporali pœna in altero seculo puniatur.

Aug. hæresi 53. Epiph. hæresi 75. Bern. serm. 66. in cant. & epist. 240.

expurgatus fuisse scribit. Alij opinati sunt, animarum pœnalia loca non esse corporalia: quod Augustinus aliquando sensisse videtur lib. 2. de Gen. ad lit. c. 33. Sed lib. 2. Retract. c. 24. retractauit.

Tertia sententia Origenis fuit, sentientis, animæ Purgatorium nihil esse, præter conscientiam accusantem, & anxiam pro peccatis, teste B. Hieronymo in epist. ad Augustum. Philos. lib. De congressu eruditionis quærendæ gratia, idem cum Origene sensit: quorum errorem amplexus est nostro seculo quoad infernum, Caluinus. Quæ sententia si vera esset, non minùs in purgatorio essent viui, quàm defuncti.

Quarta sententia est, purgatorium esse animæ statum, in quo nihil videat: cuius opinationis Theophylactus in 16. c. Lucæ meminit.

Quinta sententia est, pœnalem animarum locum, non esse terram, sed caliginosum aërem, in quo dæmones versentur. Ita Greg. Nyssen. libr. de Anima & Resurrectione. Author operis imperfecti. Chrysost. homil. 53. in Matth. Beda lib. 3. histor. Angelorum ca. 19. refert, cuidam Sancto, dum ab Angelis in cœlum deduceretur, maximum ignem supra Aërem ostensum fuisse, qui ad mundi conflagrationem reseruaretur, interim tamen hominum morientium opera examinaret.

Sexta est communis Scholasticorum doctrina, Purgatorium esse intra terræ viscera, loco vicino damnatorum Inferno, iuxta illud Act. 2. *Solutis doloribus inferni*, id est, August. interprete epist. 99. *liberatis à pœna purgatorij*: vt canit Ecclesia: *Libera eas de pœnis inferni, & de profundo lacu.* Refert insuper Beda lib. 5. hist. Angl. c. 13. cuidam apparuisse Purgatorium, Inferno damnatorum

Purgatorij locus est intra terræ viscera.

CAP. CCXIX.

Vbi Purgatorium sit?

Vbi Purgatorium sit?

QVidam existimant, defunctorum animas varijs locis expurgari: quod indicare videtur Diuus Gregorius lib. 4. dialog. c. 40. & 55. Vbi quorundam animas in balneis

natorum contiguum, vt animæ purgandæ situ & mansione distent à reprobis, eodémque igne affligantur, pro suis vnaquæque meritis, sed illæ temporali, hæ verò perpetuo cruciatu. Tantò autem quisque ibi pœnam tolerabiliorem sentiet, quantò hic minorem habuerit iniquitatem, vt docet Augustinus Enchir. cap. 93. Imò B. Gregorius lib. 4. dialog. c. 36. & Beda lib. 5. hist. c. 13. & Dionysius Carthus. in dial. de partic. iudicio. artic. 31. insinuant, quorundam animas esse veluti in senatorio carcere, in quo patiantur tantùm pœnam damni, non sensus.

CAP. CCXX.

Vtrùm in Purgatorio veri ignis pœna defunctorum animæ excrucientur?

In Purgatorio & inferno verus est ignis.

QVia Sectarij non alias Inferni vel Purgatorij pœnas agnoscunt, quàm desperationem, anxietatem, & Gehennæ metum, veri autem ignis cruciatum reijciunt, interpretantes verba Christi Matt. 25. *Ite in ignem*: & Apostoli 1. Cor. *Saluus erit quasi per ignem*, de igne metaphorico; sciendum est, communem Theologorum sententiam esse, Purgatorij atque Inferni verum propriúmque ignem, eiusdem cum nostro elementari speciei existere, vt etiam testatur Gregorius libr. 4. dialog. cap. 29. dicens, esse *corporeum ignem*. Lib. verò 15. moral. capit. 17. *incorporeum* esse hoc sensu dicit, quia fomentis corporeis ad sui conseruationem non indigeat, sicut ignus corporeus, quo hìc vtimur, disertè alioquin asserens, tam animas quàm corpora, igne elementari, ab initio mundi conditi, torqueri. In eandem propendet sententiam Augustinus lib. 21. de ciuit. cap. 10. Et sanè scriptura *Ignem ardentem* vocat. Eodémque igne affligi spiritus & corpora, Christi verba euincunt: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* Vbi de pœna sensus agi, manifestum est.

Ignis Purgatorij eiusdé cum nostro est speciei.

Apoc. 19. Eodem igne spiritus & corpora puniuntur. Matth. 25.

Quomodo autem ab igne corporeo anima torqueri possit, *miris, sed tamen veris fit modis*, (ait Augustinus libr. 21. de ciuit. capit. 10.) id exemplo commonstrãs animæ corpori vnitæ, quæ propter illam vnionem cum corpore gaudet & dolet. Gregor. lib. 4. dialog. cap. 29. dicit, animas ex visibili igne, inuisibilem pœnam contrahere.

Anima ab igne corporeo torquetur.

Concilium Trident. sess. 25. subtiliores has quæstiones, quæ plus habent curiositatis, quàm ædificationis, à popularibus concionibus secludi constituit.

Curiosæ quæstiones à popularibus concionibus secludendæ.

Prætereà in Purgatorio animæ damni pœna torquentur, quia se ob proprium culpam à summi boni fruitione impediri conspiciunt. Vtrùm autem à dæmonibus, vel Angelis, iræ Dei ministris etiam affligantur, incertum est. Scholastici quidem ab angelis malis animas in Purgatorio minimè affligi dicunt, quoniam omnes illæ animæ diabolum in vltimo conflictu vicerunt: ideò non congruere, vt Deus eas sinat ab hoste deuicto torqueri, cui animas in gratia confirmatas, in peccata deinceps, pertrahendi spes nulla supersit. In contrariam tamen partem militant reuelationes variæ, à grauibus authoribus memoriæ posteritati relictæ. Apud Bedam lib. 5. cap. 19. hist. Anglic. Lib. de vita S. Bernardi c. 10. Dionys. Carthus. lib. 4. De nouissimis.

In 4. sent. distinct. 20. An anima in purgatorio affligantur ab Angelis bonis, aut malis?

CAP. CCXXI.

De Grauitate pœnarum Purgatorij.

Grauitas pœnæ purgatorij.

PVrgatorij pœnas tantæ acerbitatis esse, vt nullæ huius seculi pœnæ illis comparari valeant, constanter vno consensu Veteres tradunt. Augustinus in Psal. 37. Lib. de vera & falsa pœnitentia, cap. 17. Enchir. c. 112. Gregor. in Psalm. 3. pœnitentialem: *Illum*, inquit, *transitorium ignem omni tribulatione præsenti existimo intolerabiliorem*. Beda in Ps. 37. *Nulla Martyrum aut latronum cum purgatorij pœnis conferenda supplicia*, dicit. Idem confirmant hist. ab eodem relatæ lib. 3. cap. 5. & 13. Bernardus serm. de obitu Humberti. & in vita Malach. Anselmus in 1. Corinth. 3. Ambrosius in Psal. 36. Chrysostomus hom. 24. in Matth. explicat grauitatem pœnæ damni, seu amissionis diuini conspectus. Idipsum Regius Vates, Purgatorij pœnas deprecans, satis indicat Psal. 6. & 37. *Domine*, inquit, *ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. Priorem quidem partem de Inferno, posteriorem de Purgatorio interpretes exponunt.

Grauitas pœnæ damni.

CAP. CCXXII.

Quamdiu Purgatorij pœnæ durent?

Duratio pœnarum Purgatorij. Orig. hom. 14. in Luc.

PVrgatorias pœnas vltra tempus Extremi Iudicij Origenes extendit, quem Augustinus confutat lib. 21. de ciuit. c. 16. ex c. 25. Matthæi ostendens, post extremum iudicium non nisi duos hominum ordines futuros; Beatorum scilicet, atque Damnatorum.

Lutherus omnes peccatorum reliquias dolore mortis in eis, qui in fide moriuntur, expurgari contendit, ideóque post mortem nullas Purgatorij pœnas supereſſe. Sed certa est Ecclesiæ Catholicæ doctrina, quæ tradit, nonnúquam omnes peccati reliquias in morte tolli, vt in Martyribus accidere credimus, teste Cypr. lib. 4. epist. 2. & Augustino ser. 17. *De verbis Apostoli*, vbi ait, *Iniuriam esse, orare pro Martyre, cuius orationibus nos potius oporteat cõmendari*: nonnunquam verò in morte partim tolli, partim manere, vt in eis accidit, qui æquo animo & piè moriuntur: aliquando autem cõtingere, vt nullæ peccati reliquiæ morte tollantur, sed in altera vita purgandæ remaneant, vt in eis, qui repentino casu nullo voluntatis actu comitante opprimuntur; vel qui in affectu peccati venialis, aut satisfactione imposita nondum completa moriuntur.

Martyrium omnẽ pœnam peccato debitam tollit. Pœna sæpè remanet post culpæ remissam.

Quidam opinantur, Purgatorij pœnas spatium X. annorum nunquam excedere, quia possit Deus extensionem pœnæ grauitate ac intensione compensare. Quæ opinio communi Christi. morum sensui repugnat, atque receptissimæ consuetudini Ecclesiæ, quæ Anniuersaria pro defunctis ad centũ & plures annos celebrat. *Nulla dies* (inquit Ambros. oratione in Valentinianũ) *vos silentio præteribit, nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret*. Aug. lib. *De cura pro mort.* cap. vlt. *melius esse* docet *suffragia non egenti supereſſe, quam indigenti deesse*. Origenes lib. 8. in epist. ad Rom. *Pro defunctis semper offerendum*, ait, *quia nescimus, quãdiu cruciatus perduret*. Damascenus serm. de defunctis, Anniuersaria ex Apostolica traditione obseruari affirmat. Nicephorus lib. 17. cap. 31. hist. re-

Improbabilis opinio, quòd Purgatorij pœna nonnunquã X. Annos excedat.

Dominicus Soto in 4. distinct. 19. q. 3. art. 2.

fert, Iustiniani Imperatoris Anniuersarium post secula plura celebratum fuisse. Ambrosius libr. 1. de Abraham c. 9. ad illa verba: *Surrexit Abraham ab officio funeris: Docemur*, inquit, *vt non diutiùs inhæreamus mortuis, sed quantum officij satis est, deferamus.* Quo loco abutitur Caluinus præfatione Institutionum suarum ad Franciscum Galliarum Regem, dicens: *Hos limites perrumpunt, qui perpetuam mortuorum sollicitudinem incutiunt, quasi diffidentiæ sit, orationem toties iterare.* Sed ei respondendum, orationis iterationem non esse insufficientiæ aut diffidentiæ signum, quin potiùs feruoris, magnique desiderij: quemadmodum in Christo apparuit, dum tertiò eundem sermonem repetijt, Matth. 26. & Apostolus pro eodem ter orauit. 2. Cor. 12.

Iteratio orationis non est diffidentiæ, sed feruoris signum.

CAP. CCXXIII.

Vtrùm animæ Purgatorio emundatæ mox Dei visione perfruantur?

POst varias disputationes de animarum receptaculis post hanc vitam, (quibusdam asserentibus, omnium hominum quantumlibet sanctorum animas vsque ad iudicij diem in abditis quibusdam locis conseruari, vbi Deum non viderent: cuius quidem opinationis author videtur fuisse Tertullianus lib. 4. in Martionem, & lib. de Anima, postremis duobus capitibus: quem sequuti sunt Lactant. Victorinus, & Vigilantius, quem B. Hieronym. confutauit, posteà Græci, ac postremò, Lutherus & Caluinus:) tandem per generalia Concilia, Pontificúmque decreta definitum est, animas, quæ nihil purgandum habent, mox in cœlum recipi, Deique conspectu frui, iuxta Christi verbum Lucæ 23. *Hodie mecum eris in Paradiso*, id est, beatorum gloria frueris, cuius typum gessit paradisus terrestris, corporalium deliciarum locus. In scripturis equidem Noui Testamenti paradisus pro cælesti paradiso, non autem pro terrestri sumitur: non enim ad terrestrem Paradisum Christus emigrabat, neque Apostolus 2. Corinth. 12. ad illum raptus est, sed ad tertium cœlum. Et 2. Cor. 5. desiderabat *peregrinari à corpore, & præsens esse ad Dominum.* Et ad Philippens. 1. cupiebat *dissolui & esse cum Christo.* Ad Ephes. 4. *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem*, id est, animarum sanctarum multitudinem secum in cœlum euexit, vbi per sui manifestationem Deus se videndum exhibet. Cœlum enim Deitatis est velum, per quod nobis in terra positis Deus occultatur, vt Apostolus ad Hebr. 9. & Cyril. cateches. 9. tradunt. Et quidem spiritus iustorum esse in cœlo, ad Hebr. 12. planis verbis asserit Apostolus dicens: *conscriptos esse in cœlis*, id est, adscriptos, & cooptatos in ordinem ciuium in cœlis commemoratium. Vndè *Stephanus* moriturus, *vidit cœlos apertos, & gloriam Dei*, ad quam à Domino cōfestim recipiendus erat: quod intelligens exclamabat: *Domine Iesu suscipe spiritū meū.* Idipsum B. Ioan. Apoc. 7. tradit: *Hi sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius*, id est, Hi Deum in suo conspectu habentes, nutibus eius promptissima voluntate famulantur. Ignatius in epistola ad Romanos dicit, *se post mortem puram Diuinitatis lucem aspecturum.* Dionysius Areopagita libro de Ecclesiastica Hier. cap. 7. p. 1. & 3. dicit, *animas statim à morte regionem*

Animæ omnino iustæ mox Dei visione perfruūtur.

Trident. sess. 25. Benedictus in Extrauaganti: Benedictus Deus.

Cœlum Deitatis velum est.

Act. 7.

Cōcil. Florent. sess. vlt. Concil.

vinorum consequi. Iustinus q.75. *bonos statim post excessum è corpore, Angelorum societate, Deóque perfrui* ait. Hieronym. lib.1.c.2. *Iustis post mortem æternæ lucis claritatem cõferri* asserit. Athanasius in vita B. Antonij refert, *eum vidisse animã Ammonis, stipatã angelis in cœlum deferri.* Basilius hom. in 40. Martyres. Nazian. oratione in 5. Basilium. Chrysost. hom.10.in 2.ad Cor.hom.3.ad Philippens. ait, *iustorum animas videre Deum Regem facie ad faciem.* Epiphan. hæresi 87. Cyril. catech. 13. Cyril. in Ioan. lib. 11.cap.36. *Animas in Dei Patris manus evolare* dicit. Theodoretus lib. 8. ad Græcos docet, *Martyres iam esse in cœlo æternis coronis insignitos.*

Animæ puræ statim à morte Deũ vident.

Ex quibus manifestum est, Græcos scriptores olim de beatarum animarum gloria minimè dubitasse: qui aliquando scribentes, *abditis receptaculis eas recipi*, significare volunt, in cœlo excipi, vbi lux nobis est inaccessibilis: & subinde *nõdum assecutos esse repromissionem, vel coronam gloriæ* dicentes, loquuntur de repromissione Resurrectionis, & de plena corona gloriæ, tam corporis quàm spiritus. Similiter *Deum à creatura videri non posse*, asserentes, Visionis nomine Comprehensionem intelligunt.

Plena corona gloriæ in resurrectione datur.

Quoad Latinos Patres, luculenta eorum est sententia, quòd iustorum animæ post huius vitæ exitum, mox perueniant ad perennia, intrent cœlum, aspiciant Christum, atque ipsum contemplentur Deum. Cypr. lib. *De exhort. Martyrij* ca. vltim. Lib. 4.epist.2. Hilar. in Psal.60.64. & 124. Ambros. lib.7.epist.59. Hieron. contra Vigilantium, & De obitu Lex ad Marcellam. Augustinus aliquando dubitauit, vbinam iustorum animæ essent vsq; ad iudicium, vt patet lib.9. Confess. c. 3. & Lib. 2. q. Euang. c.38. In Psalm.36. Enchir. c.109. Libr. 12. de ciuit. c. 9. non quòd opinaretur, animas iustorum post Christi mortem in Limbum descendere, sed quia secretum in cœlo Patris receptaculum sit, in quo animæ cum Deo viuant, prout ipsum explicat libr 20. de ciuit. c. 15. Lib. 12. de Genesi ad lit. c. 34. in Psalm. 116. dicens, *sanctos post effusum Christi pretium inferos omnino nescire, quinimo Dilectione sine litteris frui in tertio cœlo.* Attamen nõ ita perfectè animas Deo frui, sicut post Resurrectionem, opinatur B. Aug. *quòd insit eis naturalis quidam appetitus vnionis ad suũ corpus, quo retardentur, ne tota intentione ferantur in Deum, quamdiu non subest eis corpus, in cuius administratione quiescant.* Li. 1. retract c. 14. Libr. 12. de Gen. ad lit. c. 35. Epist. III. ad Fortunatianũ. Fulgentius serm. de S. Stephano: *Triumphator migrauit in cœlum.* Leo serm. de S. Laurentio in cœlum abeunte: *tu deficis flammis tuis.* Greg. in Psalm. 4. pœnit. Lib. 4. dial. c. 25. Beda in 6. c. Apoc. Anselmus in 2. Cor. 5. Bernard in epist. ad fratres in Hybernia, dicit, Malachiam ex ipso charitatis fonte haurire. Epist. 266. & ser. 5. *De festo omnium sanctorum* dicit, *Sanctos Dei conspectu frui.* Quãdo itaque ait, non visuros Deum ante Resurrectionem (vt ser. 3. de eodem Festo) B. Augustinum imitatus, de perfectissima illa Dei visione loquitur, quando anima nihil vltrà desideratura, tota intentione in Deum feretur.

Abdita loca sunt secreta in cœlo receptacula.

Aug. sententia est, Animas desiderio corporis retardari, ne tota intentione, sicut post resurrectionem, in Deum ferantur.

CAP. CCXXIV.

Vtrùm omnes Animarum apparitiones, dæmonum sint illusiones?

NOstri temporis Sectarij omniũ spirituũ apparitiones esse

Vtrũm omnes anima-

rum apparitiones dæmonum sint illusiones?

dæmonum illusiones arbitrantur: alij sentiunt, vt plurimùm omnes spirituum apparitiones, qui fingunt, se animas esse, ex Purgatorio ad viuorum imploranda suffragia emissas, non nisi dæmonum esse præstigias. Certum verò est, animas defunctorum pro suo nutu egredi sua receptacula non posse, neque inter nos dæmonum more versari, aut in dæmones verti, vt Tertullianus lib. *De anima* circa finem docet. Athanasius quæst. ad Antiochum 13. & 11. Chrysostomus homil. 29. in Matth. & homil. 2. & 4. de Lazaro. Theophylactus in cap. 8. Matth. Quamuis autem passim animæ defunctorum non redeant, subindè tamen Deo iubente aut permittente ad nos redire certum est. Nam in Veteri Testamento lib. 1. Regum capite 28. Samuelis anima Sauli apparuit, & nouissima ei prædixit, vt habetur Ecclesiastici 46. Nam si diabolus in Samuelis specie apparuisset, in Prophetam nulla indè laus redundare poterat, vt obseruat Augustinus libr. *De cura pro mort.* cap. decimoquinto: Iosephus libro sexto Antiquitatum, cap. decimoquinto, Iustinus in dialog. cum Triphone, Basilius epistola octogesima, Ambrosius in ca. 1. Lucæ Hieronymus in 7. Isaiæ.

Anima Samuelis apparuit.

Admonet insuper Lyranus Abulensis, Dionysius Carthusian. Caietanus, & alij recentiores, Samuelem non iussu Pythonicæ, sed Dei venisse, ad increpandum Regem, irámque Dei annuntiandum. Præuenit enim Samuel effectum incarnationis, nec instar vmbrarum capite deorsum verso ascendit, sed rectâ figurâ prodit: vndè Pythonissam conturbauit. Contrarium nonnulli sentiunt, vt Tertullianus Lib. *De anima* circa finem. Iustinus quæst. 32. Author. quæst. Veteris & Noui Testamenti, quæst. 27. Libr. de mirabilibus sacræ Script. Lib. 2. ca. vndecimo. Isidorus lib. octauo Etymolog. capit. nono. Procopius & Eucherius, in lib. Regum capit. vigesimo octauo. Dubitauit nonnunquam Augustinus, vt libro 2. ad Simplician. quæst. 3. sed re plenius discussa, in Libro *De cura pro mort.* verum Samuelem apparuisse tradit.

Samuel iussu Dei venit, non Pythonissæ.

Hieremias & Onias apparuerunt.

Aliud exemplum commemoratur lib. 2. Machab. cap. 15. vbi Hieremias & Onias apparuisse dicuntur. Constat etiam Matth. 17. apparuisse Moysem, qui defunctus erat, Deuteron. vltimo, Iosue 1. Et Lucæ 16. Christus idipsum confirmat, referendo epulonis petitionem: *misit Lazarum.* Huc denique accedit, quòd animæ defunctorum ab Helia, Helizeo, Christo, Apostolis, & plurimis Sanctis ad corpora sua reuocata sint, quas in Purgatorio aut Limbo fuisse certum est, cùm ex Paradiso vel inferno nullam ad corpus reduisse credatur, quia exilium vel carcerem immutare, nullum inconueniens secum adducit: at ex beatitudine ad miseriam, vel ex inferno damnatorum ad viatoris statum, non est regressus, vt docet Augustinus lib. *De correptione et gratia*, capit. decimo: Lib. vigesimo quarto, Enchirid cap. 112. Gregor. lib. trigesimo quarto Moral. c. decimotertio.

Moyses apparuit.

Lazar mitti potuit. Ioan. 11. Act. 9. & 20.

Christus, Prophetæ, & Apostoli animas ad corpora reuocarunt.

Vndè facilè apparet, quidnam censendum sit de viris pessimis, aut infidelibus, qui à morte dicuntur excitati à Damascen. in Oratione *De mortuis*; Gregorio lib. 1. cap. 12. Egesippo lib. 3. cap. 2. à Maximo sermon. 2. *De S. Agnete*: Eudocio libr. 1. *De miraculis* B. Stephani, & de variis pueris absque baptismo mortuis, postea suscitatis. Qui enim in originali peccato vel actuali letifero

Animæ impiorum ad corpus reuocatæ, extra infernũ reseruatæ erant.

Si qui impij suscitati fuerunt, eorum sententiã po-

mortui fuerunt, & postmodum suscitati, eorum sententiam postremam fuisse suspensam, credendum est, luisséque interea temporales pœnas, suis demeritis congruas.

ſtremam ſuſpenſam fuiſſe, credēdum eſt.

CAP. CCXXV.

An viuorum suffragiis anima post mortem adiuuari possint?

VIrorum suffragiis defunctos iuuari posse, omnes illæ scripturæ commemorant, quæ viuos pro defunctis orasse, ieiunasse, vel sacrificium obtulisse testantur. Ex quibus illa luculentissima est: *Sancta ac salubris cogitatio est, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Item Apostolus Paulus pro defuncto his verbis orauit: *Det illi Dominus inuenire misericordiam in illa die.* Et 1. Corinthior. 12. docet Apostolus, eiusdem corporis membra pro inuicem sollicita esse debere. Et Iacobus capit. 5. inquit: *Orate pro inuicem*, id est, pro omnibus vnius corporis Ecclesiæ membris, re aliqua sibi necessaria indigentibus. Nam & Christus tam mortuis quàm viuis profuit, & non minùs pro illorum redemptione quàm viuorum orauit, & seipsum obtulit. Mortuus est enim pro totius mundi peccatis, vt mortuorum dominaretur & viuorum. Hinc mortuos etiam corporaliter resuscitauit, vt exemplo comprobaret, viuos prodesse mortuis: Puellam Matth. 9. Adolescentem Lucæ 9. Lazarum Ioannis 11. & nunc adhuc interpellat pro nobis. Quòd etiam defuncti aliis mortuis prodesse queant, argumento est Helizeus, qui corporis sui contactu alium suscitauit (4. Reg. 13.) & Abraham Lazarum in suum Sinum recepit. Orant insuper Sancti pro animabus in Purgatorij pœnis existentibus, iuxtà Ecclesiæ orationem: *Vt B. Mariâ intercedente et omnibus sanctis, anima defunctorum ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire mereantur.* Aug. *De cura pro mort.* cap. 4.

Quòd verò etiam defuncti Sancti viuis prosint, & pro illis orent, 2. Machab. 15. de Hieremia & Onia legimus. Si ergo viui viuis, & mortuis mortui, necnon defuncti viuis prosint, cur viui etiam defunctis prodesse non poterunt? Quare certa fide tenendum ex scripturis & Patrum continua traditione haberi, quòd viui vtiliter pro defunctis orent. Apostolus enim pro defunctis orasse, scribit Clemens libro 8. Constit. capite 47. Dionysius Areopagita, *De Eccles. hierar.* capite 7. part. 3. Et in omnibus Liturgiis expressa defunctorum mentio fieri solet. Quare pro hæretico à veteri Ecclesia habitus est Aërius, quòd pro defunctis orandum esse negaret, Epiphanio teste hæresi 75. Augustin. hæresi 53. Damasceno lib. *De centum hæres.* capit. 75. Qui plura veterum loca desiderat, legat Bellarminum Libr. *De Purgatorio.*

Viuorum ſuffragijs defuncti adiuuari poſſunt. Gen 23. & 50. 1. Reg vlt. 1. Mach 12. 2 Tim. 1. Viui proſunt defunctis. Heb. 7. 1. Ioan 2. Hebr. 7. 1. Ioan 2. Defuncti proſunt viuis & mortuis. Lucæ 16.

Aërius ideò hæreticus, quia pro defunctis orandū negauit.

CAP. CCXXVI.

Quibus modis viui defunctis subuenire possint?

VIui defunctis succurrere possunt orationibus, sacrificio Altaris, & operibus satisfactoriis, qualia sunt, Eleemosinæ, Ieiunia, Peregrinationes, & huiusmodi: ad quæ reducuntur Indulgentiæ, per

Quibus operibus iuuentur defuncti.

modum suffragij eis applicatæ à summo Thesauri Ecclesiæ dispensatore. De Sacrificio loquitur Cyprian. lib. 1. epist. 9. Chrysostomus homil. 69. *Ad Antioch.* 41. in 1. ad Corinth. homil. 3. ad Philippens. Augustinus sermon. 32. *De verbis Apostoli.* Libro 9. Confess. capite 11. 12. 13. Damascen. sermo. *Pro defunctis.*

Quæri autem solet, An rei alienæ restitutio defunctis prosit? Respondendum est, salutem non pendere ab aliena voluntate, Deúmque præmia vel supplicia in altera vita reddere, secundùm anteactæ vitæ merita, ideóque restitutionem eorum, quæ defuncti reddere nequiuerunt, aut restituere obliti sunt, per se defunctis non prodesse, quatenus scilicet restitutio est, sed prodesse, quatenus eleemosyna est, quæ opus pœnale satisfactoriumque sit, quia pœnale non est, alienum restituere, sed suum dare.

CAP. CCXXVII.

Quòd Ecclesia suffragia neque Beatis, neque damnatis prosint.

ECclesiæ suffragia *pro valdè bonis gratiarum actiones sunt, pro non valdè malis propitiationes, pro valdè malis, licet nulla sint adiumenta mortuorum, qualescumque tamen consolationes sunt viuorum*, inquit, Augustinus Enchir. cap. 110. & lib. *De cura pro mort.* capite 1. Nam infideles, aut parvulos non baptizatos, non liberari à damnatione per sacrificia, per eisdem oblata, probat Augustinus libro 1. *De origine animæ*, capite 9. & libr. 3. capite 12. Et Enchir. cap. 112. Lib. 21. *De ciuit.* capite 24.

Ecclesiæ suffragia damnatis non prosũt. Greg. lib. 4. dial. c. 44.

CAP CCXXVIII.

Vtrùm particularia suffragia solis animabus prosint, pro quibus offeruntur?

COmmunia Ecclesiæ suffragia omnibus in Purgatorio detentis prodesse indubitatum est: sed an particularia solis illis prosint, pro quibus funduntur, ambigi potest. Nam fundamentum communicationis suffragiorum est, Gratiæ status, & Orantis applicatio, quæ fit intentione satisfaciendi pro hoc vel illo. Quare dicendum est, particularia viuorum suffragia, omnibus in Purgatorio existentibus hactenus prodesse, quia nouum singulis gaudium adferant de bono opere: sed per modum satisfactionis illis solis prodesse, pro quibus fiunt. Vndè admonet B. Augustinus libro *De cura pro mort.* capite 4. *Ecclesiam interdum orare pro defunctis omnibus in genere, vt quibus desunt parentes aut amici, qui pro ipsis orent, habeant saltem auxilium à communi Matre.*

Communia suffragia omnibus in Purgatorio detentis prosunt.

Particularia suffragia per modũ satisfactionis illi prosunt, pro quo fiunt.

CAP. CCXXIX.

Tertia die resurrexit à mortuis.

ALtera quinti Articuli pars docet, quòd idem IESVS CHRISTVS, qui die sexta, hora quasi nonâ in Cruce spiritũ emisit, & eadem vespera in monumẽto secũdùm corpus sepultus fuit, secundùm animã verò ad Inferos descendit, tertia à morte die, propria vi ac virtute (anima iterato corpori coniuncta) reuixerit, vt iam idem CHRISTVS HOMO viueret, qui triduo

Christi resurrectio fundamentũ est Christianæ religionis.

mortuus fuerat. Quare hoc bimembri articulo edocemur, Christum sua passione plenam nobis liberationem animæ & corporis promeruisse, eandémque comprobasse liberatione animarum à doloribus inferni, & resumptione sui corporis, non amplius mortalis, sed glorioli semper futuri. Proindè in huius Articuli fide Christianæ religionis fundamentum est. Fides enim resurrectionis Christi, Christianos à Iudæis & Paganis discernit. *Christum* namquè *fuisse mortuum, facilè credunt: sed resurrexisse nègant*, vt habet Augustinus in Psalm. 120. & alibi. Cuius sanè mysterij difficultatem Apostolorum credendi tarditas ostendit, quam Dominus ipse increpauit, Ioan. 20. Marci 16. *Exprobrauit incredulitatem & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Vndè huic Articulo Euangelicæ prædicationis initio contradictum fuit à Iudæis Matth. 28. à Gentibus. Act. 17. & 1. Cor. 15. *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides vestra.* Quare mysterium istud à fidelibus assiduè recolendum docet. *Memor esto*, inquit, *Dominum* IESVM CHRISTVM *resurrexisse à mortuis*, in vno Timotheo fideles omnes erudiens. Hinc Petrus Apostolos ait à Deo electos esse, ad testimonium perhibendum Resurrectionis Christi: & Matthiã, vt testis Resurrectionis Christi fieret, ascitum ad Apostolatum asserit. Hinc Paulus Act. 23. *De Spe & Resurrectione mortuorum ego iudicor.* Et 17. 24. & 26. Item Rom. 10. Resurrectionem mortuorũ, velut præcipuum doctrinæ Christianæ caput, in medium producit: *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, salvus eris.* Vndè Christus se resurrecturum tertio die frequenter ante Passionem Apostolis inculcauit, & posteà variis testimoniis, apparitionibus, vulnerum contactu, cibi sumptione comprobauit. Ac ne resurrectionis Christi dogma, velut commentum Orbi ab Apostolis fallaciter obtrusum, credi posset, ex Scripturis & Prophetarum oraculis idipsum confirmarunt Apostoli. 1. Cor. 15. *tradidi*, &c. *quòd Christus sepultus est, et resurrexit secundùm scripturas.* Et Concilium Nicænum, atque I. Constantinopolitanum: *Resurrexit à mortuis secundùm scripturas.*

Christus plenam liberationẽ animæ & corporis nobis promeruit.

Fides resurrectionis est fundamentum Christianæ religionis.

2. Timoth. 2. Act. 23.

Permultæ autem sunt de Resurrectione scripturæ. Psalm. 3. *Ego dormiui et soporatus sum, et exurrexi*, Psalm. 2. *Ego hodie genui te*: quem locum Apostolus Act. 13. de Resurrectione intelligit. Psalm. 15. *Non derelinques animam meam in inferno*: quem Psalmum non de Dauide, sed Christo intelligendum esse Petrus Act. 2. demonstrat. Psalm. 70. *Vinificasti me, et de abyssis terræ reuocasti me.* Oseæ 6. *Vinificabit nos post duos dies, et die tertiâ suscitabit nos.* Et Prophetarum caput, Dominus, suam Resurrectionem crebrò prædixit. Matth. 12. *Sicut Ionas*, &c. Matth. 16. *Oportet filium hominis pati, et tertia die resurgere.* Matth. 20. *Filius hominis tradetur ad crucifigendum, et tertiâ die resurget*, Ioan. 20. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.*

Scripturæ Christi resurrectionẽ annuntiãt.

Extant quoque illustres Dominicæ Resurrectionis figuræ. Genes. 2. Adam è sõno euigilans, ex cuius latere formata erat Eua, typum gessit Christi in Cruce dormientis, de cuius latere fluxit Sanguis redemptionis, & Aquâ baptismatis, ex quibus Ecclesia renascitur. Item Genesis 9. Noë dormiens & euigilans typum adũbrauit Christi dormiẽtis in

Figuræ dominicæ resurrectionis.

Aug. serm. 150. de tẽp.

in Cruce, nudi & illusi, qui resurrexit, & illusores Iudæos reprobauit. Genes. 22. Isaac à loco sacrificij viuus rediens, Christi post mortem reditum ad suos expressit. Genes. 42. Ioseph è carcere ad regnum euectus, gloriam Christi resurgentis adumbrauit. Gen. 49. *Catulus leonis dormiens.* Exod. 4. virga Moysi in draconem conuersa, & mox in priorem formam rediens. Iudicum 16. Samson media nocte portas ciuitatis auferens, typum gessit Christi, cum gloria ex sepulchro egressi. Ieremias (cap. 38.) in lacum missus, & inde extractus, Christi sepulti & resurgentis typum gessit. Ionas (ca. 2.) tribus diebus & noctibus in ventre Ceti, sepulturam, tempus quoque Resurrectionis expressit; sicut Dominus ipse dignatus est exponere Matth. 12. 16. & Luc. 11. Ne quis verò ignoratione significationis vocis fallatur, RESVRRECTIO *est substantialis mutatio, qua homo mortuus idem reproducitur, seu reuiuiscit.* In quo à simplici efficientia seu creatione differt, quòd subiectum præsupponat.

Ambr. lib. de Ioseph. c. 2.

Ambr. de benedict. Patriarch. cap. 4.

Resurrectionis definitio.

CAP. CCXXX.

Cur Christus resurrexerit.

Cur Dominus corpus resumpserit.

QVamuis libera Christi voluntate Resurrectio facta sit, ita vt in sola beatitudine animæ regnare potuerit; attamen conuenientissimum fuit:

Primò, Vt corpus Deo vnitum, viuum & glorioſum resurgeret; vt sicut particeps fuerat passionis & miseriæ, ita consors fieret æternæ gloriæ: Iuxta illud Lucæ 23. *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Vbi significatur, necessarium fuisse hæc ita fieri, ad implendum oracula Prophetarum, prædictionémque Christi ipsius, qui sæpius resurrecturum se asseuerat. Non poterat autem non esse fidelis & verax.

Secundò, oportuit Christum resurgere, ad commendandam Dei in promissis veritatem. Nam promissa erat Christo, si moreretur, resurrectio: eam itaque mercedem sibi promissam, recipere debuit. profligata enim morte quid reliquum erat, nisi vt in trophæum deiectæ mortis resurgeret?

Tertiò, id exposcebat ordo diuinæ iustitiæ, cuius est exaltare humiles. Quam rationem vrget Apostolus ad Philipp. 2. *Humiliauit*, &c. *propter quod exaltauit eum*, &c. & August. tract. 140. in Ioan. *Humilitas passionis, meritum est resurrectionis.*

Quartò, necessaria erat Christi Resurrectio, ad confirmationem fidei Diuinitatis eius. Nam crucifixus erat ex infirmitate: itaque oportebat eum ex virtute viuere, testimonióque resurrectionis se Dei Filium esse comprobare; vt Græci in 1. cap. ad Rom. illud interpretantur: *Qui prædestinatus est filius Dei, in virtute & resurrectione mortuorum*: seipsum enim, vti prædixerat, suscitauit, eóque facto se Dei Filium esse attestatus est. 2. Cor. 13. Rom. 1.

Quintò, Resurgere oportuit, ad fidem nostram fundandam, vt eò nobis faciliùs fides vera & viua persuaderetur, per quam iustificaremur. Non enim sufficiebat, Christum esse pro hominibus mortuum: oportebat insuper passioni meritum per fidem & sacramenta credentibus applicari: quod factum non fuisset, si Christus non resurrexisset: iuxta illud Psal. 29. *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem?* & illud Apostoli: *resur-* Rom. 4.

rexit propter iustificationem nostram, efficaciter scilicet præstandam.

Sexto, Ad spei nostræ corroborationem, vt scilicet ærumnas sæculi, persecutiones, & omnia incommoda beatæ immortalitatis spe superemus. Nam in hoc mundo tantùm sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. 1. Cor. 15. Vnde Apostolus 1. Thessal. 4. *Consolamini invicem in verbis istis.* Et Iob 19. *Credo quòd Redemptor meus vivit*, &c. *Reposita est spes hæc in sinu meo.* Nam sui capitis gloriam membra sequuntur. Ideò Apostolus nos *consurrexisse cum Christo*, dicit, & *conresuscitatos: quia reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Coloss. 3. Ephes. 2. Philipp. 3. Nec dubitandum est de consortio gloriæ, sicut dubitandum non est de communione naturæ.

Septimò, Ad vitæ, morúmque fidelium institutionem, vt quemadmodum Christus semel mortuus est & resurrexit, nunquam amplius morituras; ita credentes moriantur veteri vitæ, & in nouitate perseueranter ambulent; vt ad Rom. 6. hortatur Apostolus. Leo ser. 1. & 2. de Resurrect. Greg. lib. 14. mor. ca. 27.

Postremò Christum resurgere oportuit, ad complementum humanæ salutis, & redemptionis, tam ex parte corporis, quàm animæ: vt sicuti moriendo mortem destruxerat, ita resurgendo vitam repararet, immortalis vitæ bona humanæ naturæ conferens, dum illa resurgendo in se ipso inchoauit, reliquis autem in spe dedit.

CAP. CCXXXI.

De Tempore Resurrectionis Christi.

Tertia die cur Dominus resurrexerit?

TErtia die Christum à mortuis resurrexisse profitemur, non quia per integros tres dies in sepulchro conditus remanserit, sed per Synechdochen; quia videlicet vno integro naturali die, partéque cum antecedentis, tum subsequẽtis diei, atq; iam inchoata die tertia à mortuis surrexerit; vt Hieronymus in 2. cap. Ionæ, Aug. & alij monent: & clarè id Euangelica Scriptura continet, dicens, Christum feria VI. hora quasi nona mortuum, initio primę diei post Sabbatum resurrexisse. Quod verum non esset, si tribus completis diebus in sepulchro mansisset. Aug. lib. 4. de Trin. c. 5 & 6. Lib. 1. quæ. Euang. c. 7. ep. 49. qu. vlt.

Distulit autem Dominus resurrectionẽ suam vsque in diem tertiam, vt se verè mortuum, ac verè resurrexisse comprobaret: vsque ad sæculi finem differre suam Resurrectionem noluit, vt suæ Diuinitatis fidem confirmaret: idémque, non aliud corpus reuixisse constaret; séque non inuitum, sed volentem à morte detentum fuisse ostenderet.

Conuenientissimum verò fuisse, vt tertia potiùs quàm alia die resurgeret, subiunctis rationibus suadetur. I. Vt Prophetarũ oracula complerentur, Oseæ 6. Ionæ 2. Matth. 12. Ioan. 2. *Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud.* II. Christus integra die, noctibus autem duabus in morte permansit, vt significaret, quòd vna sua morte corporali duplicem in nobis, Animæ scilicet & Corporis mortem destruxerit. III. Vt figuraretur, quòd peccata triplicis temporis, ante Legem, sub Lege, & sub gratia, Christi morte abolita essent. IV. Vt adumbraretur, quòd per Christi Resurrectionem tertium tempus, gratiæ videlicet, & tertius sanctorum status inciperet. Primus sub Legis figuris extitit: Secundus sub veritate Fidei: Tertius in æternitate gloriæ corporis & animæ, quam Dominus re- Athanas. de incar. Verbi. Aug. lib. 4. de Trin. c. 5. ser. 181. de temp. Rupertus de diu. offi. lib. 7. c. 14.

surgendo inchoauit. V. Ad commendationem perfectionis ternarij numeri, qui continet principium, medium & finem: simúlque ad significandum, Christi mortem à sacrosancta Trinitate dispositam fuisse, ad reconciliandum humano generi Deum, peccati merito iustissimè infensum. VI. Vt Christus declararet, se inter mortuos liberum esse, ibique quamdiu vellet, remanere. VII. Vt resurgendo prima Sabbati, se verum esse Solem iustitiæ declararet, qui nouam lucem adferret mundo. VIII. Vt malum à tribus ortum, Diabolo, Mulier ac Viro, tribus diebus curaretur. Gregorius Nyssenus oratione 1. *De Resurr.*

Hieron in epi ad Hedibiam. q. 6.

Porrò etiamsi certum sit, Christum tertia die resurrexisse, non proinde tamen constat, qua tertiæ diei parte resurrexerit? an videlicet statim post mediam noctem, an verò die iam illucescente? quod opinatur Augustinus lib. 4. de Trinitat. cap. 5. & 6. lib. 3. *De consensu Euangel.* cap. 24. Beda in 16. capite Marci: *Sole iam incipiente aërem illustrare.* Sic quoque sentit Diuus Thomas 3. part. quæst. 53. artic. 2. ad 3. Cui opinioni fauere videtur Marcus cap. 16. *Surgens autem Iesus manè prima Sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ.* Nihil tamen ea verba euincunt, quia, *Manè prima Sabbati*, à præcedentibus separari possunt, & iungi sequentibus; vt non dicatur *manè surrexisse*, sed *manè apparuisse*, prout intelligit B. Hieronymus quæst. 4. ad Hedibiam, Gregorius Nyss. oratione 1. *De Resurrect.* Theophylactus, Euthym. alique Christum arbitrantur resurrexisse circa medium noctis, seu primum galli cantum: quam sententiam confirmat typus Samsonis Iudicum 16. qui portas Gazæ, media nocte surgens, in montis verticem abstulit; in typum, quòd Redemptor noster ante lucem surgēs, Inferni claustra destrueret, sepulchríque ianuas reseraret. Greg. homil. 21. in Euangel. Rupertus lib. 1. de diu. offic. cap. 8. & lib. 5. cap. 24. lib. 17. cap. 16.

Qua tertia diei parte surrexerit Christus.

Cui sententiæ fauet, quòd in cōsecratione Paschalis Cerei, & in Missæ Canone vocetur *Sacratissima nox, in qua Dominus resurrexit.* Hieronymus in 25. cap. Matth. ad verba: *Media nocte clamor factus est.* & Rupertus lib. 14. in Ioan. & lib. 7. *de Diuinis officiis* cap. 16. tradunt, *Christum media nocte resurrexisse, & ad Iudicium illa quoque hora venturum.* Cui sententiæ suffragari videtur Lucas, cap. 24. scribens, *valdè diluculo mulieres inuenisse lapidem reuolutum ab ostio monumenti.* Et Ioannes Euangelista 20. cap. addit. *Magdalenam venisse manè, cùm adhuc tenebræ essent, ad monumentum, & lapidem vidisse sublatum à monumento.*

Christus in aurora resurrexit.

Ex his certò colligimus, Dominum surrexisse post mediā noctem, & ante lucem, circa diluculū. Quod tempus Christi Resurrectioni congruentissimum videtur, I. Ad ostendendum, quòd per suam Resurrectionem nos ad lucem gloriæ perduceret; sicut mortuus est die ad tenebras inclinante, vt intelligeremus, quòd sua morte culpæ, ac pœnæ tenebras destrueret. Prudēt. hymno 1.

--- Omnes credimus
Illo quietis tempore,
Quo Gallus exultans canit,
Christum rediisse ab inferis.

In aurora Christum surrexisse tradunt. Ignatius epist. ad Trallianos illucescente Dominico die. Eusebius lib. 10. demonst. cap. vlt. Cyril. catech. 14. Hilarius in Matth. can. 33.

II. Vt quemadmodum nocte prodiit ex Virginis vtero; ita & ante Solis Ortum procederet ex sepulchro; secundùm illud Psalm. 109. *Ex vtero ante Luciferum genuite.* Quod generationi æternæ

Aug. lib. 4. de Trin. c. 6. In Psal. 29. 56. epi. 49. qu. vlt. Leo serm. 1. de Resurrect. Emiss. hom 8. de Pasch.

ex Patre, atque temporali ex Virgine, necnon Resurrectioni accommodari posse, Apostolus Actor. 13. satis insinuat illud Psalm. 2. *Hodie genui te*, in Christi Resurrectione adimpletum docens. Est enim Resurrectio quædã regeneratio, Matth. 19. III. Vt Christus ortum solis præueniendo, se declararet, Solem esse vulgari multò præstantiorem, qui nouam mundo diem luceímque adferret. IV. Vt fideles intelligerent, se per Christi Resurrectionem ex tenebris in lucem iustitiæ quoque surrecturos: iuxta illud Apostoli 2. Cor. 4. *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris.* Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Hinc noui Testamenti tẽpore dies à nocte sumit initium: & à tenebris ad lucem progreditur, ad hominis reparationem significandam. In Creatione verò mundi prima dies computabat à luce in noctem, propter futurum hominis lapsum; vt notat August. lib. 4. de Trinit. cap. 6.

Dies nunc à nocte tẽdit in lucẽ.

Initio cõputatur dies à luce in noctem.

CAP. CCXXXII.

De die Dominica.

Dies dominica cur obseruetur? Aug. in titulum Ps. 21 in prima Sabbati.

IN primam diem Sabbati, siue octauam, in qua Resurrectionis Christi mysterium perfectum est, religio Sabbati ab Apostolis translata est; istamque diem vocarunt DOMINICAM. Cuius meminit Ioannes Apocal. 1. Lucas Act. 20. *Vna Sabbati conuenimus ad frangendum panem.* 1. Corint. 16. *Per vnam Sabbati quisque reponat.* Aug. epist. 119. diem Dominicam celebrari docet in memoriam Dominicæ Resurrectionis, quoniam reuelata est iam gloria resurrectionis in capite, quam totum corpus suo tempore firmiter expectat. Ideóque dies Dominica præter Resurrectionis factæ in Christo memoriam, beatam quoque vitam, statúmque post Resurrectionem futurum præfigurat. Septenarius enim numerus præsentis fluxæ vitæ tempus adumbrat; nam omnia tempora labẽtia ex septem dierum recursu fiunt, in quibus laborandum est: at dies Octaua statum vitæ perennis denotat, quando humana natura stabili corporis & animæ beatitudine perfruetur. Ideóque Dauid, de Octaua psallens, de futuræ vitæ statu vaticinatur, vt obseruat Damascenus lib. 4. de Fide c. 24. Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. 30. in Psal. 110. serm. 151. de temp. & 154. Ambr. ser. 62. Iustinus Apoc. 2. & Leo epist. 81. diem Dominicam nobis venerabilem tradunt, cùm propter Christi Resurrectionẽ, tum propter mundi Creationem. Eo enim die creatus est mundus; natus, & resuscitatus Christus: atque eodem die in primos Christi discipulos Spiritus sanctus aduenit. Quare in signum lætitiæ illa die neque ieiunare, neque genibus flexis orare consueuit Ecclesia, vt Cano. 20. Concilium Nicæni traditur. Tertullianus lib. *De corona milit.* Ambros. ser. 62. August. epist. 119. cap. 15. Ob quæ tam multiplicia in hac die humano generi à Deo collata beneficia, frequenter Ecclesia recurrente. Paschali tempore vsurpat: *Hæc dies, quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea.* Inter Dominicas enim dies illa, in qua annua solemnitate peculiari Resurrectionem Christi recolimus, PASCHA vocatur: quæ vox Hebraica est, idem significans, quod *Transcensio, transitus, transilitio*: vt ex cap. 12. Exodi constat: vbi Moyses cum diceret, *Est enim Phase*; rationem subiungit: *Tran-*

Septenarius numerus vitæ mortalis tempus adumbrat.

Octaua dies tẽpus immortalitatis figurat.

Die Dominica neque ieiunandũ, neq; genu flectẽdum.

De die Paschæ.

sibo enim per terram Ægypti nocte illa. id est, transiliam, vt notat Iosephus lib. 2. Antiquitatum cap. 13. Hieronymus in 26. cap. Matth. Theodoretus q. 24. in Exod. A quo primario significato transfertur ad significandum Agnum Paschalem, qui per immolationem transibat de vita in mortem. Lucæ 22. *Necesse erat occidi Pascha.* Transfertur quoque ad notandum populi à Pharaonis tyrannide liberati transitum per mare rubrum, versus terram promissionis: vt obseruat Greg. Nyss. orat. 2. de Pasch. Aug. tract. 55. in Ioan. Transfertur insuper ad significandum primum diem Azymorũ, qui festinus erat, in quo recolebatur memoria repentini exitus, & comestio azymi panis cum agno. Lucæ 22. *Appropinquabat dies festus azymorum, qui dicitur Pascha.* Sic apud Christianos Paschæ nomen tribuitur diei Festo, in quo memoria transitus Christi à miseriâ ad plenam immortalitatem recolitur, ipsique Agno immolato, Christo, iuxta illud Apostoli: *Pascha nostrum Christus est.*

Pascha quid significet.

CAP. CCXXXIII.

De Tempore celebrationis Paschæ.

Quando Pascha celebrãdum?

VArij olim circa obseruationem Paschæ aberrarunt. Aërius Pascha celebrari noluit, quia Iudaismum id saperet. Quem Epiphanius hæresi 75. refellit, ostendens non Pascha Iudæorum, sed quod illo figurabatur, nos agere. Blastus latẽter Iudaismum inducere tentans, volebat Pascha semper decimaquarta Luna celebrari, siue in Dominicam, siue aliam incideret: quem sequuti sunt multi Asiæ Episcopi, à quibus tandem exorti sunt Hæretici *Quartodecimani* dicti; de quibus Tertullianus lib. *De præscript.* Eusebius lib. 5. hist. 15. 24. & 25. Epiphanius hæresi 50. Augustinus hæresi 29. Eundem postea sequuti sunt errorem Britones, de quibus Beda lib. 3. hist. cap. 25. & lib. 5. cap. 22.

Huic errori sese opposuerunt Romani Pontifices, Pius I. & Victor I. Eusebio teste, lib. 5. cap. 24. ac tandem à Concilio Nicæno I. condemnatus est, totiúsque Ecclesiæ decreto sancitum est, vt Paschæ dies celebraretur Dominica proxima Lunæ Quartædecimæ post Æquinoctium vernum; teste Eusebio lib. 5. hist. cap. 24. & 25. Epiphanio, hæresi 50. & 70. Ambrosio epist. 85. Theophyl. lib. 1. Paschali.

Tertius Error fuit quorumdam, volentium Pascha semper celebrari xxv. Martij, sicut festum Natiuitatis xxv. Decemb. obseruamus. Cuius meminit Epiphanius hæresi 50. Beda lib. *De ratione temporum* c. 45. Aug. epist. 119. hoc interesse admonet, quòd dies Natiuitatis Christi solùm propter memoriam celebretur; dies autem Paschæ ob memoriam & Sacramentum.

Quartus error fuit Nouatianorum, qui liberum cuique voluerunt esse, vt quando liberet, Pascha celebraret. Qui error confutatur Can. 8. Apost. Socrate lib. 5. hist. c. 20. & à tota Ecclesia, quæ pro Hæreticis semper habuit eos, qui die Dominica pertinaciter celebrare Pascha recusarunt; vt ex Concilio Nicæno, & Antiocheno Can. 1. Ambros. epist. 83. Athan. in epist. *De synodis*; Innocen. epist. 11. Leone epist. 63. & sequentibus patet, vbi miraculo fontis per se aqua repleti, Deum comprobasse refertur, quo die Pascha celebrandum esset. Sigebertus in Chronico anni D. LXXXII.

CAP. CCXXXIV.

De Priuilegiis Christi resurgentis.

Priuilegia Christi resurgentis. 2. Cor. 13.

CHristo singulare fuit, propria virtute ac merito resurgere. *Viuit enim ex virtute Dei*, ait Apostolus. Vndè Ioan. 10. *Ego pono animam meam, & iterum sumo eam.* Ioan. 2. *Soluite templum hoc, & in tribus excitabo illud.* Psalm. 97. *Saluauit sibi dextera eius.* Genes. 49. comparatur Leoni, quem nemo excitat, sed ipse seipsum. Deindè ex virtute diuinitatis corpori vnitę potuit animam resumere, & similiter anima iterum coniungi corpori; nec non eadem virtute clauso egredi sepulchro, ianuisque occlusis ad Discipulos intrare, Ioan. 20. August. Tract. 120. in Ioan. Cyrill. lib. 12. in Ioan. cap. 89. Gregor. hom. 26. in Euang.

Leo serm. 1. de Resur.

Aliud Christi resurgentis priuilegium est, quòd primus omnium hominum ad perfectam immortalitatem, sublata omni deinceps moriendi necessitate, resurrexerit. *Christus* enim *resurgens iam non moritur: mors illi vltrà non dominabitur.* Hinc *primogenitus mortuorum, & primitiæ dormientium* dicitur, quia in perfectæ Resurrectionis genere primum tempore ac dignitate locum obtinet. Qui enim ab Helia, Helizæo, vel ante Passionem à Domino ad vitam reuocati fuisse leguntur, iterum postea mortui sunt: vt in 27. cap. Matth. notat. Hieronymus, & epist. 99. August.

Rom. 6. Coloss. 1. Apoc. 1. 1. Cor. 15.

Hebr. 11.

Vtrùm autem illi, qui post Christi resurrectionem corpora sua resumpserunt, iterum postea eadem deposuerint, vt resurrexerint iterum morituri, à nonnullis ambigitur. August. epist. 99. & Hieronymus in 27. cap. Matth. probabilius esse, opinantur, quòd exierint ex monumentis multa corpora iustorum, vt Resurrectioni Christi iam factæ perhiberēt testimonium, quo munere expleto, in sua monumenta redierint. Quod ex Petri dictis probat, asserentis, carnem Dauidis fuisse in monumento post Christi Ascensionem; & ex Apostolo ad Hebr. 11. de Iustis antiquis attestātē, quòd sine nobis non consummabuntur. Item si quis ad immortalitatem resurrexisset, maximè Ioannes Baptista, Moyses, & similes; quos constat nondum immortalitate frui. Quibus tamē non obstantibus, plerique veterum & recentiorum opinantur, illos, qui cum Christo resurrexerunt, vt consummatę iam redemptionis, ac liberationis animarum & corporum testes in Ierusalem essent, plenam immortalitatem ex singulari priuilegio cōsequutos fuisse, atque cum Domino in cœlos ascendisse, postquam testimonium sufficiens Christo reddiderunt, apparentes in Ierusalem non omnibus, sed multis, qui scilicet cernere merebantur, *Testibus præordinatis à Deo*, ait Lucas. Sicut enim Christus non omnibus, sed quibus voluit, apparuit: ita & Sancti, habentes glorioſa corpora, in quorum potestate est, se vel manifestare vel occultare. Origenes in cap. ad Rom. ad illa verba: *De resurrectione Iesu Christi, &c.* dicit, *cum Christo Sanctos ad immortalitatem resurrexisse, de quibus sit Ecclesia primitiuorum ascripta in cœlis.* Epiphanius hæresi 75. Iustinus qu. 85. Athanas. in hom. *De semente.* Ambros. lib. 4. *De fide.* cap. 1. & in Psalm. 1. dicit *eos, qui cum Christo surrexerunt, intrasse in sanctam ciuitatem*, id est, *supernam Ierusalem.* Sophronius in serm. *De Assumpt.* inter opera Hieronymi. Idem in vi-

An resurgentes cum Christo

iterū mortui fuerint?

Actor. 1. Hier. epist. ad Hedibiā quæst. 8. Chrys. ho. 89. in Matth.

Actor. 2.

Synodo Act. 11. Euseb. lib. 4. Demonst. cap. 12. Nyssen. *De cognitione Dei.* cap. *De Christi Resurrectione.* Ruffinus in expositione Symboli. Remigius allegatus à B. Thoma in 27. cap. Matth. Beda in 27. cap. Matth. Anselmus, Caietanus, Iansenius cap. 143. Concordiæ.

CAP. CCXXXV.

De Causa Resurrectionis Christi.

Causa resurrectionis Christi efficiens.

CHristus suam Resurrectionem vt HOMO meruit, vt DEVS autem eam cum Patre atque Spiritu Sancto effecit; & secundùm vnitæ Diuinitatis virtutem, & Corpus Animam, & Anima Corpus resumpsit, iuxta illud Ioan. 10. *Nemo tollit animam meam à me; sed ego pono eam, & iterum sumo eam.*

Augu lib. 3. de Consen. Euang. ca. 10.

Duplex enim actio in Resurrectione interuenit: *Prior* est, corporis organizatio, siue ad vnionem animæ dispositio; *Posterior* autem est, substantialis animæ ad corpus vnio, quam Deus speciali actione efficit. Quoad priorem, Anima Christi, vt instrumentum VERBI, effectiuè corpus suum aptauit, vt ei vniretur, simúlque condignum suo corpori præmium redderet, veluti suarum passionum socio, meritorúmque instrumẽto. Quoad posteriorem verò, qua vnio mutua est corporis & animæ, inter eásdem partes mutua quædam fuit efficientia, qua vna ad se alteram veluti attraxit, sibique coniunxit. Præterea

Causa finalis Resurrectionis Christi.

finalis Christi Resurrectionis causa fuit, Dei gloria, Christique Exaltatio, hominúmque vtilitas & salus æterna.

Primò igitur Christus propter se resurrexit, quòd corpori debita esset vita perpetua & glorioſa, cùm propter Maiestatem VERBI in illo habitantis, tum ex gloria Animæ secundùm ordinem diuinæ prædestinationis. SECVNDÒ resurrexit propter nos, vt Passionis suæ fructum nobis plenissimè applicaret. VTRVM verò Angeli ministerium aliquod exhibuerint, ad præparandam materiam resurrectioni Christi, ambigi potest, quia Deus (Augustino teste) inferiora per media administrat, & in communi Resurrectione materia corporum in loco accommodato Angelorum ministerio colligetur. Sed propter sublimitatem Carnis, quæ vnita erat VERBO, dicẽdum est, nullum Angelorum ministerium aut cooperationem in Resurrectionis Christi mysterio interceſſisse; sed totum Resurrectionis Christi negotium peractum esse ipsius Christi efficientia, præsertim Anima mediante, quæ propria virtute & operatione Corpus disponere, dispersásque sanguinis, capillorum, aliaque quascumque corporis partes Resurrectioni necessarias colligere, atque in sepulchro collocare poterat. Hæc enim virtus, animæ Christi, ratione vnionis, connaturalis erat.

Lib 1. de Trin. ca 4.

Deniquè decebat, vt solus Christus suæ Resurrectionis author esset, ne alterius ope ad suum Corpus excitandum indiguisse videretur.

CAP. CCXXXVI.

De Qualitate Corporis Christi post Resurrectionem.

Quale Christi corpus post Resurrectionem fuerit?

IDem Christi Corpus, quod ante Passionem ex certa dispensatione propter nostram salutẽ mortale

fuerat, consummato Redemptionis humanæ mysterio, ab Anima Christi reunitum fuit, ita vt idem prorsus numero HOMO IESVS CHRISTVS iterum viueret, qui ante Passionem vixerat, eiusdem omnino naturæ, sed alterius gloriæ; immortalis, incorruptibilis, nec passioni vlli obnoxius. Quòd idem verum humanũ corpus haberet, post resurrectionem Christus Lucæ vlt. comprobat, dicens: *Palpate & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis me habere.* Quòd autem glorioſum fuerit, ad Philip. 3. asserit Apostolus: *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Et in 1. Cor. 15. *Corpus seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Nam ex animę plenissima beatitudine in corpus fluit sanitas; incorruptionis vigor, naturalis coloris fulgor; vt August. docet epist. 56 & lib. 3. *De consen. Euang.* cap. 26. Gregor. hom. 26. in Euang. & lib. 18. Moral. cap. 31. Ex eo insuper, quòd idem prorsus corpus in Resurrectione Dominus resumpserit, quod ceciderat, sequitur, quidquid ad naturam humani corporis pertinet, ossa videlicet, carnes, sanguinem, aliáque huiusmodi, adeóque omnia, quæ ad integritatem, perfectionem & ornamentum corporis spectant, per Resurrectionem absque vlla diminutione redintegrata fuisse, ita vt nec vngues, dẽtes, aut capilli barbæ siue capitis, defuerint, quorũ ne quidem vnum periturum Dominus promisit, Lucæ 12. Quare dubitandum non est, Dominum etiam alios resumpsisse humores, ex quibus carnis natura temperatur, à qua Deus sua potentia quibusdam remanentibus, quas voluerit, auferre potest qualitates, vt natura corporum vera subsistat, absque vlla corruptionis labe; vt epistol. 146. docet Augustinus, Enchir. cap. 87. lib. 20. De Ciuit. cap. 19. Gregor. libr. 14. Moral. cap. 31.

Idem planè corpus resurget.

Ratio addi potest, cùm Beatorum corpora restaurentur ad vltimam perfectionem consequẽdam; oportet eadem in sua integra substantia, completaque perfectione restitui; ac proinde cum omnibus partibus ad integritatem vel ornatum pertinentibus.

Vtrũ Christus præputiũ resumpserit?

SED hìc emergit QVÆSTIO de Præputio Christi, quod Romæ asseruari dicitur, vtrùm Christus illa parte in cœlo careat? RESPONDENDVM est, certum esse, Christi Corpus omnem illam naturalem perfectionem, & substantialem integritatem habere, quam in prima creatione, & in statu innocentiæ hominis corpus habuit; at tunc præputium habuisse indubitatum est: proindè, quia Præputium est particula humani corporis, ad eius integritatem suo modo pertinens, corporis Christi in cœlo non deest. Cæterùm an præputium Corporis Christi resurgentis formatum sit ex eadem materia, quæ in Circumcisione abscissa fuerat, an ex aliqua parte materiæ illius, quæ aliquando in Christi corpore fuit, & per continuam nutritionem resoluta fuerat, incertum est. Si tamen Romæ particula in Circumcisione à Christi corpore abscissa veraciter habeatur, certum est, eam VERBO hypostaticè iam non vnitam, quia nullum ad Christi Animam vel humanitatem ordinem retinet. *Christus enim iam non moritur.* Nam adeò partes materiæ, quæ per continuam nutritionem resoluebantur ex corpore Christi, & nunquam iterum erant corpori comungendæ, à VERBO dimittebantur, quia nullum

An præputiũ in Christo resurgente fuerit

nullum retinebant ordinem ad Humanitatem. Vnio siquidem hypostatica integra & perfecta tantùm vna est, terminata ad humanitatem & partes eius, quæ perfecta est in humanitate Christi, & consequenter in anima, corpore, sanguine, aliisque partibus, ad veritatem & integritatem illius hominis pertinentibus.

Niceph. li. 2. hist. c. 30.

Ex quibus facilè ad illam quæstionem respondebitur: vtrùm verus aliquis Christi sanguis in Passione fusus, in terris ad venerationem remanserit? D. Thomas opinatur, totum Sanguinem, qui de Christi corpore fluxit, ad eius integritatem pertinuisse, ideoque totum in Christi corpore resurrexisse. Illum autem sanguinem, qui locis nonnullis asseruatur, dicit de Christi corpore non effluxisse, sed ex aliqua Christi percussa imagine, vel ex sacramenti Eucharistiæ specie, miraculosè: ideóque liquorem illum, sanguinis colorem & apparentiam habere, non tamen quoad substantiam, sanguinem esse. Si tamen aliquæ Christi sanguinis guttæ à corpore separatæ, in terris supersint, certum est, illas nunc VERBO hypostaticè non vniri, ob causam paulo antè de præputio explicatam: quia scilicet nullum habeant ordinem ad Christi Humanitatem seu Animam, ratione cuius in triduo corpus VERBO vnitum remansit. Quare si aliquid sanguinis non resumpti à Christo in resurrectione, remanserit adhærens spinis, clauis, lanceæ, sudario, vel Cruci, cùm iam ille sanguis non sit VERBO, mediante humanitate Christi, vnitus: piâ veneratione, sed non latriâ, coli debet: quamquam fortè color ille apparens non sit sanguis, quoad substantiam, sed color tantùm ex sanguine relictus.

3. q. 54. ar. 2. An aliquis verus Christi sanguis à corpore separatus in terris remanserit?

Quoad ætatem & molem Christi resurgentis, docet Augustinus, Christum in iuuenili ætate, in qua mortuus est, resurrexisse, ac in ea Corporis & singulorum membrorum quantitate seu mensura, in qua mortuus est: quia status Gloriæ, status vltimæ perfectionis est. Atqui corpus magnitudinem perfectam habet in iuuenili ætate, quando ad terminum augmenti peruenit, quem naturali virtute suæ animæ, facultatísque auctricis, toto suæ vitæ tempore acquirere potest. Nam ea est perfecta & maxima cuiusque viuentis corporis quantitas, quam anima commodè informare ac gubernare potest, & ad omnem actionem eius organis ac partibus vti. Propter quod Adam pefectæ magnitudinis, & in ætate iuuenili creatus esse creditur, iuxta B. Augustinum libr. 6. De Gen. ad lit. cap. 13. Et vnusquisque beatorum eam quantitatis mensuram habiturus est, quam in iuuentute habuit, vel si viueret, habiturus esset, vt ex illo dicto Apostoli ad Ephesios 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, colligit Augustinus lib. 22. De Ciuit. cap. 15.

In qua ætate resurrexerit Christus.

Aug. li. 22. de ciuit. ca. 15.

Petr. Chrysologus serm. 81.

Porrò, quemadmodum corporis glorioſi Christi statura perfecta fuit, ita & corporis crassities, prout ad optimam corporis dispositionem, maximámq, pulchritudinem conferre potest. Et quoniam ex figura & compositione singulorum membrorum, decentiáque coloris nascitur pulchritudo, sequitur Christi corpus glorioſum esse pulcherrimum.

Statura resurgentis.

Sed occurrit hîc Quæstio, quomodo Christus post Resurrectionem apparuerit in alia effigie? aliquando Hortulani, iam in forma Peregrini, & aliâ? Augustin. libro 3. *De consensu Euang.* cap. 25. respon-

det, nullam figuræ aut delineamentorum in Christo mutationem fuisse, sed directâ intentione sese occultasse, non imprimendo species, quibus eum possent agnoscere. In Christi enim potestate situm erat, aliorum sensus impressione specierum immutare, aut specierum influxum suspendere: ac proindè apparere, vel se occultare, aut hoc vel illo modo species visui alterius imprimendo, in hac vel illa effigie videri. Beatorum enim actiones subduntur eorum voluntati, ita vt in suo habeant arbitrio omnem efficientiam & actionem suam, possintque imprimere speciem in altero suorum actuum, retinendo in sua libertate modum influxus: vndè fit, vt se alicui manifestent vel occultent; videantur, palpentur, in eáque effigie, quam libertate sua eligunt: sicut Angelus loquitur cum altero, suum conceptum manifestando per impressionem speciei eiusdem. Hoc igitur modo Christus in aliâ effigie apparuit, non quam in se susceperit, sed quæ in aliorum oculis formata est, vt Lucas 24. capite insinuat dicens: *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.* Similiter corpus glorioſum cùm non agat ex necessitate, sed ex animæ voluntate sequitur, vt si velit, ab alijs conspici possit aut palpari, visibile fiat ac palpabile, si autem noluerit, non possit palpari aut videri.

Glorioſum corpus quomodo in alia ſpecie appareat.

Beati apparent ſicut volunt.

integrum resurrexerit, meritò quæri potest, quomodo in Christi Corpore post Resurrectionem non solùm cicatrices, verumetiam patentia manuum & lateris vulnera remansisse legantur, Ioann. 20. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: et affer manum tuam, et mitte in latus meum.* Vbi asseri videtur, quòd in Christi corpore hiatus post Resurrectionem permanserit, in quem posset manus immitti. Quomodo autem saluâ corporis integritate, ad quam partium continuitas exigitur, hæc fieri potuerint, obscuritatem habet. Vndè Porphyrius (apud Augustin. epist. 49.) existimabat, Christi Vulnera vel non fuisse vera, sed ficta, vel si vera fuerint, ex necessitate materiæ in Corpore permansisse. Cui respondendum est, in Christi resurgentis corpore, non necessitate, sed voluntate, ac dignatione, relicta fuisse impressa quinque Vulnerum stigmata, siue cicatrices, notas, insignia. Sicut enim, quando, & quomodo voluit, ita etiam quale voluit, corpus suum excitauit. Non ergo fictas vel apparentes, ad tempus in suo corpore glorioſo cicatrices Dominus reliquit, sed veras, quas non pro illo solùm tempore, quo se Discipulis ostendebat, effinxit, sed ab instanti resurrectionis perpetuò duraturas habuit, non quia curare non potuerit, sed quia retinere voluerit, idque ob varias causas: Quarum PRIMA est, vt eiusdem corporis resurrectionem futuram confirmaret. Sicut Cyrillus libro 12. in Ioan. capite 18. Augustin. epistol. 49. Leo sermo. 1. *De Resurr.* & alij Doctores obseruarunt. Illa enim stigmata luculenter ostendebant, illud corpus, quod viuum aspiciebatur, fuisse idem numero, quod in cruce pependerat.

Surgentis quomodo cum integritate conſtant.

Cur Dominus cicatrices retinuerit.

CAP. CCXXXVII.

De Corporis glorioſi integritate.

Cicatrices in corpore Chriſti re-

CVm Domini Corpus perfectum, sanum, pulchrum, &

Secunda, vt Christi Corpus glorioſum ſuæ victoriæ triumphíque perpetuum inſigne circumferret; ac, vt per quæ ſibi gloriam peperiſſet, omnibus conſtaret. Sic Auguſtin. epiſtol. 49. Libro 22. *De Ciuit.* capite 20. vbi addit, in Martyrum corporibus ſigna eorum, quæ pro Chriſti nomine pertulerint, conſpicienda, vulnerúmque cicatrices non habituras deformitatem, ſed dignitatem, quia non ad corruptionem vel defectum, ſed in virtutis teſtimonium ibi erunt. Ideóque credendum eſt, Chriſti cicatrices eſſe veluti gemmas, ſingulari modo perlucidas, & perfectiſſimo colore imbutas, glorioſo Chriſti corpori gloriam quandam accidentalem conferentes, vt notat Beda in Lucam ca. 97. Damaſcenus lib. 4. cap. 18.

Chriſti cicatrices inſtar gemmarum.

Tertia, vt intelligeremus, *Chriſtum eſſe in cœlum ingreſſum, vt appareat vultui Dei pro nobis, interpellans, ac exhibens humanæ ſalutis pretium, ſuaque obedientiæ donatiuum requirens*, vt habet Cyprianus ſermo. *De Baptiſmo*, & Beda loco ſupradicto. Miro enim ordine eum, qui nihil poteſt obliuiſci, qui ſemper miſereri paratus eſt, abſque intermiſſione Dominus IESVS admonet, quàm congruè hominibus miſereri debeat, pro quibus ipſe confligens, mortis imperium moriendo proſtrauit.

Rom. 8.

Quarta, vt in ſpem fiduciámque homines excitaret, & ad gratias ſibi agendas pro tam ineffabili redemptionis beneficio. Ambroſius in capite 24. Lucæ. Bernardus ſerm. 61. in Cantica, & Gregor. in 2. cap. Cantic. explicans foramina Petræ.

Quinta, vt ſuos cultores in ſui amorem, & ad perferenda ſimilia pro fide mala, exemplo ſui capitis, vulnera non ſentientis, inflammaret.

Sexta: Stigmata retinuit, ad confuſionem impiorum, per quos, & pro quibus tam atrocia vulnera ſuſtinuit, qui tamen ingrati medicamenta ſpreuerunt, Hoſtíque ſuo diabolo potiùs, quàm Saluatori adhæſerunt. Quos proindè cùm ingratitudinis, tum iuſtiſſimæ damnationis reos ex eo conuincet, quòd tantam ſalutis occaſionem neglexerint, vt Auguſtinus proſequitur ſermo. 180. *De tempore*, & Cyprian. libro *De opere & eleemoſynis*, vbi diabolum in iudicio gloriantem inducit, quòd licet pro hominibus flagellatus, paſſus, vulneratus, mortuúſque tandem viliſſima morte Chriſtus fuerit, non tamen habeat tot ſectatores, ac is, qui pro eis nihil ſit paſſus, nihílque illis poſt mortem, niſi cruciatus & miſeriam, propoſuerit.

Cyprianus lib. de opere & eleemoſyn.

Poſtremò, vulnerum inſignia Dominus conſeruauit, vt omnes agnoſcant, quid Chriſtus pro hominum ſalute paſſus ſit, vt Boni in laudem atque gratiarum actionem excitentur; Mali autem terrore concutiantur. Iuxta illud Zachariæ 12. *Aſpicient ad me, quem confixerunt.* & capite 13. *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? etc.* & Iſaiæ 63. *Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra?* & infra: *Quare ergo rubrum eſt veſtimentum tuum?* vide Auguſtinum libro 20. *De Ciuit.* capite 30. Libro 1. *De Trinitat.* capite 13. Leonem epiſtol. 97. Ignat. epiſtol. 10. ad Smyrnenſ. Ambroſ. & Bedam in 24. capite Luc. Gregorium homil. 26. in Euangelia.

Ioan. 19.

Aug. li. 22. de ciui. cap. 20 epi. 49. n. 1. li. 2. de Symb. ad Catech. cap. 8. Cyril. in Ioan. li. 12. cap. 58.

CAP. CCXXXVIII.

Vtrùm in glorioso Christi Corpore fuerint partes organicæ, ad actiones vitæ vegetantis à natura destinatæ, cum omnibus animæ vegetatiuæ facultatibus?

Christus cum omnibus organicis partibus resurrexit.

CVm omnes partes organicæ, etiam ad inferiores quasdam actiones institutæ, ad integritatem, perfectionem, ac debitam humani corporis compositionem pertineant, consequitur, Christum in sexu virili resurrexisse, ac eas in suo corpore partes, quæ ignobiliores censentur, habuisse, atque singulas istarum partium ita fuisse dispositas, necnon temperatas, prout ex natura requirunt. Vndè Christus discipulis ostēdit latus, pedes, & manus, carnem, & ossa, confirmans, se figuram & organizationem corporis humani post Resurrectionem, quam priùs habuerat, retinuisse: sicut contra Originem, Eutychen, eorúmque assecias definiuit Synodus V. vt Nicephorus refert libr. 17. Histo. cap. 28. & Augustinus li. 22. *De Ciuit.* cap. 23. docet: & lib. 1. *Retract.* cap. 1. & 2. Enchir. cap. 84. & Hieronym. epistol. 27. & 61. Gregor. libro 14. Moral. capite 29. 30. & 31.

Ioan. 20. Luc. 24.

Facultates vegetatiuæ in corpore post resurrectionem erunt.

Vndè insuper efficitur, etiam omnes facultates animæ vegetantis in Christi glorioso corpore fuisse: cùm ex naturali necessitate consequantur animam informantem organum debitè dispositum. Quarum facultatum & instrumentorum licet post Resurrectionem cessent actiones, non tamen ideò superfluæ censeri debent, quia potentia non solùm ad operationem exequendam deseruit, verum etiam ad rei complementum, ad integritatem & perfectionē, necnō ad virtutis ipsius ostēsionem, diuinæq; sapientiæ in cōdendo, seu reparando suo opere perfecto. Quāuis ergo liberentur membra ab officiis, non tamen ideò non erunt necessaria, sicut prosequitur Tertullianus li. *De Resur. carnis*, cap. 60. & Hieronym. epi. 61. Accedit, quòd Christus in vita mortali facultates animæ vegetantis, putà generādi & alias habuerit, etiamsi non omnibus vsus fuerit, quia ad naturæ perfectionem pertineant, cui priuatio earum facultatum aduersatur.

An Christus post resurrectionem verè comederit.

De comestione verò superest quæstio, *Vtrùm Christus in glorioso corpore comederit?* Nam corpus animale, id est, cibis indigens, non habuisse, sed spirituale, id est, solo spiritu viuificante consistens, tradit Apostolus. Quòd autem verè comederit, in signum vitæ recuperatæ, Ioannes & Lucas attestantur.

1. Cor. 15.

Ioan. 21. Luc. 24. Act. 1.

Dicendum itaquè, Christum post Resurrectionem verè comedisse, qua per vitalem actionem, & organa vitæ cibum ore sumptum in stomachum traiecit, quod absque digestione, vel alimenti in substantiam comedentis conuersione, imò sine omni alteratione, per solam motionem localem fieri potest.

Si quis autem quærat, Quomodo Christus illum cibum ejecerit, si in suam substantiam non conuerterit?

Quomodo Christus cibum sumptum post resurrectionem ejecerit?

Respondeo, Christum potuisse cibum sumptum vel consumere, vel in præiacentem materiam conuertere, aut denique per subtilitatis dotem efficere, vt stomacho non retineretur, sed absque vlla resistentia corporis glorioſi in alium locum pro Christi voluntate, pertransiret. Vndè patet, differentiam esse inter comestionem corporis glorioſi, &

Angelorum in corpore assumpto. Nam licet conueniant in exteriori motione locali, quoniam Angelus per corpus assumptum cibum atterit, diuidit, illúmque ad interiora transmittit: attamen illa comestio Angeli, vt est à corpore, nō est actio vitalis, quia non fit virtute propriæ formæ talis corporis. Ideóque huiusmodi comestio non est vera, veritate speciei seu naturæ; sed vera est, veritate significationis, qua intendebant Angeli se hominibus familiares exhibere.

Gen. 18. Tob. 12.

Angeli an verè comederint.

Sciendum prætereà est, comestionem propriè non esse actionem animæ vegetatiuæ, sed potiùs sensitiuæ & loco motiuæ; ideóque in corpore glorioso fieri posse, *non ex indigentia, sed potestate*, vt docet Augustinus lib. 13. *De Ciuit.* cap. 22. vbi *Christum sumpsisse cibum & potum, atq; consumpsisse potētiâ dicit, quemadmodum radius Solis aquam absorbet, vel ignis.* Quod repetit epist. 49. quæst. 1. libr. 3. *De Mirab. Sacræ script.* c. 14. Ambrosius & Beda in 24. cap. Lucæ, Cyrillus libr. 12. in Ioan. 50. Damascenus lib 4. c. 1. D. Thomas quod lib. 3. art. 5.

Comestio est actio animæ sensitiuæ.

CAP. CCXXXIX.

Vtrùm Christus post Resurrectionem vestibus sit vsus?

IN corporibus Beatorum nulla inest corruptio, nulla ignobilitas, nulla pudenda conditio, quæ vestimentorum tegumento indigeat: veste siquidem innocentiæ ac plenissimæ beatitudinis gloria conteguntur. Accedit, quòd Beati in ea corporis forma intuentium oculis apparent, in qua volunt, ac proinde certum est, eos vestibus corporalibus non indigere, vt constat ex Angelorum apparitionibus, quas in corporibus assumptis faciunt. Nam vestes apparentes, non veras habēt, nec quidem corpora sunt, qualia hominibus apparent. Potuit itaquè Christus sine veste corporali apparere in habitu Peregrini, Hortulani, aut quolibet alio, pro arbitrio. Simul tamen confitendum est, Christum Omnipotentia sua vestes sibi conficere potuisse, aut aliundè sumere, sicut asellum ad equitandum, fecisse ipsum opinatur Iustinus quæst. 116. *ad Orthodoxos*, & Suares in 3. part. D. Thom. q. 54. art. 1. in fine.

Christus post resurrectionem vestibus non eguit.

CAP. CCXL.

Vtrùm in glorioso Christi corpore omnes animæ sentientis facultates, cum earum actionibus reperiantur?

QVemadmodum organorum varietas ad corporis glorioſi integritatem perfectionémque requiritur, ita & potentiarum omniū (quæ naturalem cum forma humana, informante organa dispositā, connexionem habent) præsentia necessaria est. Ac proindè sicut vegetantis, ita quoque sentientis animæ facultates in glorioso Christi corpore fuerunt, cum illarum actibus, qui consentanei gloriæ atque statui Beatorum sunt. Id quod exemplo Corporis Christi, quod primum exemplar & mensura omnium Beatorum est, confirmatur. Nam actus sensuum tam exteriorū, quàm interiorum in eo fuerunt: hi enim actus cùm sint immanentes, perfectionem afferunt, neque materialem semper alterationem, vel indecentiam illi statui repugnantem exigunt. Quare Beatorum statui nō aduersantur, quin potiùs maximè

De naturali corporis glorioſi perfectione.

Animæ sensitiuæ facultates in Christo fuere.

Actus sensuū in corpore glorioso remanent.

congruunt, cùm ille ſtatus ad conſequendam omnium facultatum vltimam perfectionem ordinetur, quæ in actus exercitio conſiſtit. Facultas enim abſque actu, otioſa & imperfecta eſt, dummodò vltimæ ſuæ perfectionis in eo ſtatu capax exiſtat. vnde actiones vegetatiuæ partis, quia non ſunt immanentes, ſed tranſeuntes; nec ad intrinſecam ſuarum potentiarum perfectionem per ſe pertinent, ſed ex accidenti, vt conſeruari viuens poſſit, & ſine materiali alteratione nequeant exerceri; ideò in glorioſo corpore non erunt. Ibi enim *non nubent neque nubentur: ſed* actus interioris ſenſus nulla indigebunt alteratione, vel actuali immutatione ab obiecto, quia ſpecies conſeruare poterunt, ad quas ſe cõuertendo etiam in obiecti abſentia operari poterunt. Similiter actus ſenſitiui appetitus (vt amor & voluptas) circa obiecta honeſta perfecti ſunt, nec alteratione propria, ſed motione tantùm locali ſpirituũ vitalium vel ſanguinis, aut alterius humoris indigent. Actus autem malum aliquod, vel boni carentiam includentes, vt ſunt triſtitia, dolor, turpis voluptas, & ſimiles, quia ſtatui glorioſo Beatorum conſentanei minimè ſunt, ibi non erunt. Motus autẽ progreſſiuus Beatis cõueniet. Nam Chriſtum poſt Reſurrectionem ambulaſſe, ingreſſum eſſe, acceſſiſſe legimus. Qui licet alio ſupernaturali modo potuerit moueri, putà dote agilitatis, tranſeundo ab extremo ad extremum ſine medio, vel per medium tranſeundo, nõ motu progreſſiuo, ſed impetu ſimplici, attamen naturalem etiam retinuit mouendi facultatem, qua ſuo arbitrio vti potuit. Eius ſiquidem vſus non eſt neceſſarius, ſed voluntarius. Actus inſuper loquendi, qui ex parte animæ procedit ex apprehenſione & appetitu; ex parte verò corporis, vitalia organa ad vſum loquendi accommodata requirit, in Beatorum corporibus erit; non enim ſolùm mente, ſed etiam voce Deum laudabunt: iuxta illud Pſalm. 149. *Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis: exaltationes Dei in faucibus eorum.* Quod in hac vita inchoatur, in beatitudine autem complebitur, quando cor ita in Deo exultabit, vt fauces ac linguam in Dei laudem, ac ad prædicanda eius beneficia moueat. *Erit* enim *in Beatis vox, & diuina laus etiam ſenſibilis*, vt Auguſtinus docet lib. 22. de ciuit. c. 30.

Actiones vegetatiuæ partis, non ſunt immanentes.

Amor & voluptas in corporibus Beatorum.

Actus carẽtiam boni includentes ibi non erunt.

Motus progreſſiuus in Chriſto fuit.

Loquutio erit in Beatis.

Sed quomodò in cœlo, vbi nullus aër, corporea vox & ſonus efformari poterit? RESPONDEO, Ad vocis formationem non eſſe neceſſarium aërem externum, qui attrahatur vel expellatur; ſed internum, qui eſt in humano corpore, ſufficere. Poterit enim Beatus vocem formare per motum localem aëris incluſi, qui expelletur vſque ad os, ibique linguâ & labijs, alijſque organis in palato reperçutietur, ſic vt foràs non egrediatur: quod in corpore glorioſo facilè poterit effici, tum propter ſubtilitatem eius, cùm propter animę perfectum in corpus dominium.

Actus ſenſuum in Chriſto poſt reſurrectionem fuerunt.

Porrò fuiſſe in Chriſti corpore glorioſo actus omnium exteriorum ſenſuum, ex Euangelio conſtat. Sicut enim locutus eſt, ita vidit, audiuit, tetigit, guſtauit, & olfecit. Neque ſolùm ante in cœlum Aſcenſionem, ſed poſteà quoque ſenſuum exteriorum actus habuiſſe indubitatum eſt, cùm ad humanæ naturæ perfectionem pertineant. Nam & Beatos ſe inuicem viſuros, non ſolùm quoad vul-

Beati ſe inuicem videbunt.

tum, sed etiam integram corporis harmoniam vsque ad cor, docet Gregorius Lib. 18. Moralium capit. 27. Augustinus libro 22. de ciuitat. capit. 30. Diuus Chrysostomus epistola 5. ad Theodorum, in qua exemplo transfigurationis Domini hoc explicat: vbi Apostoli diuina virtute confortati, Christi corpus in gloriæ splendore viderunt. Quem splendorem solus immortalis & incorruptibilis oculus intueri potest, qualis in Beatis erit, quorum præcipua corporis beatitudo in glorioſi Christi corporis visione consistet, iuxta Cyprianum sermone. *De Natiuitate Christi.* Augustinum *in Manuali* capit. 26. & libro *De Spirit. & Anima* capit. 4.

Si quis autem dubitet, quomodò in oculis Beatorum species sensibiles ab obiectis distantibus, sine medio producantur? dici potest, obiectum in sensum distantem, immediatè agere, producendo in eo species, siue naturali, siue diuina virtute. Is enim modus corpori glorioso (quod spirituale vocatur) consentaneus est, vt agat sine dependentia à medio, vel propinquitate, aut distantia, quemadmodum vnus Angelus alteri loquitur, manifestando sui conceptus speciem, absque impedimento distantiæ. Quæ de Visu dicta sunt, etiam Auditui, tantùm intentionalem immutationem requirenti, accommodari possunt. Nam potest Beatus suæ vocis speciem immediatè in auditum quantumlibet distantem imprimere, nihil circa medium operando. Actum quoque Olfactus in Christi glorioso corpore fuisse, ac in beatis fore, indubitatum est: siquidem eius actus sine alteratione materiali corporis sentientis exerceri potest: nec ibi Odoratus obiectum deerit. Ipsa enim Beatorum corpora suauissimum odorem emittent. Plena enim intestina erunt humoribus, & aëre, optimis qualitatibus & odoriferis affectis, sicut econtrà damnatorum corpora erunt fœtida. Et quamuis Odoratus in hac mortali vita potissimùm ad vitæ conseruationem seruiat; attamen etiam ad recreationem, & ad excitandum animum in Dei laudem, internámque deuotionem conducit. Quos effectus etiam in Beatis corporibus habere poterit, in quibus ad naturæ perfectionem insuper, sicuti & alij sensus, pertinebit. Augustinus libr. de spir. & anima ca. 58. Anselmus lib. *De Similit.* cap. 57. Laurentius Iustin. lib. *De disciplina & perfectione Monastic. conuersation.* capit. 23. singulis sensibus in corporibus Beatorum suas delectationes assignat. Prosper lib. 1. *De vita contempl.* capite 4. *Omnia bona, quæ in humana natura peccatum corruperat, in melius* esse *reparanda* ostendit. Quare neque Tactus aut Gustus in Beatis deerit. Christus enim Lucæ 24. dixit: *Palpate et videte*, significans, quòd sicut tactu percipiebatur, ita quoque tangeret. Et post Resurrectionem verè comedit, atque cibi saporem gustauit, absque materiali alteratione per solam intentionalem immutationem. Delectationes autem horum sensuum, non repugnantes gloriæ Beatorum ibi erunt, non quasi per se appetibiles, sed vt in omnibus glorificetur Deus: vtque omnes sensus in Beatis honesta, iucundáque voluptate perfundantur, sicut in damnatis omnes sensus pœna sua torquebuntur. Consentaneum equidem est, vt in Beatis sint perfecta corporis & animæ bona, vt Augustinus deducit libro. *De Spir. &*

Auditus.

Odoratus in beatis erit.

Beatorum corpora benè olebunt.

Damnatorum corpora erunt fœtida.

Tactus & Gustus in Beatis.

Omnes sensus in Beatis voluptate perfundentur.

Omnes sẽ-sus in damnatis torquebuntur.

Voluptas repugnans statui Beatorũ nulla erit, sed honesta.

Spiritus vitales animalésque in Beatis.

anima. cap. 64. & Anselmus Lib. *De Simil.* cap. 48. 55. & 57. vbi pulchritudinem & voluptatem corporis talem, ex qua nulla Dei offensio contrahi possit, inter beatitudinis partes collocat. Quare materiales ciborum aut venereorum delectationes, statui Beatorum repugnantes, ibi non erunt, vt D. Thomas li. 4. *Cont. Gent.* c. 83. demonstrat.

Postremò ex dictis consequitur, in Christi glorioso corpore, ac in Beatis, ponendos esse spiritus vitales & animales, qui ad operationes sensuum, & vitales motus exercendos necessarij sunt. Quia verò in Beatorum corporibus nulla est alteratio, incorruptibiles erunt hi spiritus, perque diuersas corporis partes animæ virtute permanenter vltrò citróque discurrent.

CAP. CCXLI.

De supernaturali Corporis Christi post Resurrectionem perfectione.

Perfectiones supernaturales Christi.

EXposita naturali perfectione, quam Christi Corpus post Resurrectionem obtinet, superest, vt de perfectionibus supernaturalibus, quæ sunt in Christi corpore, per modum aptitudinis ad motum aliquem, vel modum existendi, aut agendi supernaturalem, nonnihil subijciamus. Ac primùm qualis & quotuplex sit, explicabimus. Quòd enim resurgentium corpora multò perfectiore modo sint dispositа, quã hæc mortalia, clarè docet Apostolus 1. Cor. 15. fore scilicet ea incorruptibilia, spiritualia, lucida, subtilia, agilia. vndè Origenes, cúmque sequutus Eutychius, putarunt, corpora resurgentium non carnea, sed cœlestia futura, teste Greg. li. 24. Moralium cap. 29. Epiphan. hæresi 64. Hieron. epist. 60. & 61. Isidor. lib. *De Doctrina & fide* c. 6. Theophylactus in 1. Cor. 15. Contra quorum errorem tradit Ecclesia, glorioſa corpora cum nostris eiusdem fore naturæ, sed alterius gloriæ. Quod ex corpore Domini resurgentis, in quo omnium supernaturalium perfectionum exemplar fuit, ostendi potest. Nam Domini Corpus in sua resurrectione varijs qualitatib⁹, & donis supernaturalibus ornatum fuit: ac præsertim illis quatuor, quæ ab omnibus Catholicis agnoscuntur, Claritate, Impassibilitate, Agilitate, & Subtilitate: à quibus Spirituale, Incorruptibile, Perspicuum & Penetrabile dicitur. Hinc glorioſa corpora nullam voluptatem, quæ ex corruptibilibus rebus, earúmque vsu & alteratione oritur, concipiẽt, vt Dominus significauit Matth. 22. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* & Apostolus: *Seminatur corpus animale, surget spirituale.* Et ad Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Quòd autem pro diuersitate operum & meritorum, varia quoque futura sit gloria siue claritas corporum resurgentium, Apostolus similitudine Stellarum demonstrat: *Stella differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorũ. Fulgebunt iusti, sicut sol*, ait Dominus Matth. 13. & Danielis 12. *Fulgebunt tamquam splendor firmamenti, & tamquam stellæ in perpetuas æternitates.* Cuius claritatis exemplum in Christi transfiguratione apparuit, vt quid sperare per eius gratiam deberemus, ostenderet. De hac corporum claritate differit Augustinus epist. 146. item Ser. 143. *De Tempo.* Anselmus in 1. Cor. 15.

1. Cor. 15. Quãta glorioſi corporis claritas futura sit. Sapien. 3.

Corpora Beatorum eiusdẽ naturæ, sed alterius gloriæ.

De impassibilitate, immortalitate siue incorruptione Corporis Christi,

De immortalitate seu incorruptione.

Christi, loquitur Apostolus ad Ro. 6. *Christus iam non moritur: mors illi vltrà non dominabitur.* Et vniuersaliter 1. Corinth. 15. pronunciat: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.* Et iterum: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Apoc. 7. *Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque vllus æstus.* Et cap. 22. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, et mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà.* Quæ omnia Dominus per Isaiam promisit c. 25. & 49.

Agilitas corporum gloriosorũ.

Aug. Enchir. c. 90.

De Agilitatis glorioſi corporis dote loquitur Apostolus 1. Cor. 15. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget spirituale:* quia instar spiritus absque difficultate aut defatigatione possit, quò voluerit, se mouere. Vndè Sap. 3. *Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Vbi summa velocitas indicatur. Præterea cùm spirituale corpus futurum dicitur post resurrectionem, significatur, quòd subtilitatem seu vim se mouendi, & quocúmque ingrediendi vel egrediendi, absque corporis alterius impedimento habiturum sit, quemadmodum Christi Corpus clauso sepulchro egressum, ianuisque clausis ingressum ad Discipulos legitur. Ioan. 20. Ad plenũ enim animæ in corpus dominium, perfectámque libertatem pertinet, vt illud per omnia corpora absque impedimento aut resistentia mouere possit. Quæ perfectiones corporum beatorum supernaturales, naturam corporis non destruent, sed perficient. Erit enim corpus post resurrectionem eiusdem naturæ, sed alterius gloriæ: erit spirituale, non natura, sed potestate, vt explicat Augustinus Enchir. c. 91. & libr. 1. *Retract.* ca. 17. Tertullianus lib. *De Resurrect. Carnis* c. 51. vbi ex verbis Apostoli: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*, concludit: *Illa ergo eadem caro, quæ patitur corruptionem, incorruptionem induet, siquidem Apostolus addens pronomen* Hoc, *propriam suam carnẽ designat.* Hoc, *enim rem præsentem demonstrat.* Quod Christi corporis exemplum quoque conuincit, siquidem vnum idémque corpus in hac vita mortali Christus & post resurrectionem habuit, sed alterius gloriæ: quæ licet ei ratione vnionis ab initio Conceptionis esset debita, certa nihilominus dispẽsatione fuit vsq; ad beatitudinis statum dilata. Nonnumquam tamen in hac mortali vita placuit Christo, vestigia gloriæ suo corpori debitæ exhibere. Subtilitatem enim accepit, cùm natus est de Virgine: Claritatem, cum transfiguratus est in monte: Agilitatem, cùm deambulauit super mare: Impassibilitatem verò, quando se manducandum præbuit in Sacramento nouissimæ Cœnæ.

De subtilitate glorioſi corporis. Iustinus q. 117. ad gentes. Nazian. in tragœdia: Christus patiẽs. Hier. epist. ad Hedib. q. 6. Hilar. lib. 3. de Trinit. Chryso. ho. 90. in Mat. Epiph. hær. 20. Aug. serm. 138 de tẽp. Beda ho. in vigilia Paschæ. Bern. serm. 1. de resur. Greg. hom. 26. in Euãg. Aug. ep. 3. lib 22. de ciuit. c. 8. li. de Agone Christi. cap. 14. Atha. orat. 4. contra Arian. Leo epist. 10. cap. 5. Hier. epist. 61.

Quidnam verò subtilitatis proprietas in corpore glorioso ponat, ambigi posset. Vtrùm scilicet qualitas sit, intrinsecè afficiens corpus, illúdque aptum reddens, vt ab alio corpore penetrari queat? an virtus quædam extrinseca actiua, qua corpus glorioſum alia corpora penetrare valeat? Nos hanc virtutem penetrandi alia corpora, consistere dicimus in virtute quadam intrinseca & instrumentali animæ, vel corporis beati, cui ratione beatitudinis datum est, vt se hoc modo, tanquam Dei instrumentum, mouere possit. Equidem Deus statuit pro beati voluntate, vti facultate motiua ad hunc effectum. Vnde patet, Subtilitatem, vim quandam esse beati corporis internam, sed instrumen-

Christus supernaturales corporis glorioſi dotes quandóque in vita mortali assumpsit.

Quid sit corporis glorioſi subtilitas.

talem vndè Veteres penetrationem corporum, diuinæ Omnipotentiæ effectum esse tradunt. Sic Gregor. hom. 26. in Euang. *corpus beatum, subtile* dixit, *per effectum spiritualis potentiæ*. & Ambrosius Lucæ 24. *Per resurgentis corporis qualitatem, Christum ianuas penetrasse:* & alij soli diuinæ virtuti hoc tribuentes, non de instrumentali virtute actiua, sed de principali exponendi sunt. Cùm enim penetratio corporum, effectus supernaturalis sit, supernaturali etiam efficientia indiget: qualis operatio soli Deo, ratione suæ Omnipotentiæ, propria est, in qua tamen, creatura velut instrumento ad hunc effectum operandum vti potest. Ac proindè Deo, velut principali, creaturæ verò, tanquam instrumento, idem effectus rectissimè tribuitur.

CAP. CCXLII.

De Apparitionibus Christi post Resurrectionem.

CHristus post Resurrectionem suam non omni populo, sed *testibus præordinatis à Deo* apparere voluit, Act. 10. Idque decentissimum fuit, vt quæ ad futuram hominum gloriam pertinent, omnémque humanam cognitionem superarent, ab ipso Deo primùm superioribus patefierent, quorum deindè ministerio ad inferiores deuenirent, quemadmodum inter cælestium spirituum ordines obseruari Dionysius tradit, vt inferiores à superioribus illuminentur.

Dionys. lib. de cœlesti hier. c. 4.

Cui verò Dominus rediuiuus primò apparuerit, vtrùm Beatæ Virgini, an Mariæ Magdalenæ, de qua Marc. 16. legitur: *Surgens autem Iesus manè prima sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ*; incertum est. Pietas quidem suadere videtur, vt credamus, Dominum primò apparuisse Matri, ad eam consolandam, licet de futura Filij Resurrectione numquam vacillauerit: Quam quidem apparitionem ideò prætermiserint Euangelistæ, tanquam parum idoneam ad confirmationem Resurrectionis Christi, quia suspectum facilè Matris testimonium haberetur. Ita sentit Ambros. lib. 3. *De Virg.* Sedulius lib. 5. carminum. Anselmus *De excellentia B. Virg.* cap. 6. *ideò hãc apparitionem ab Euangelistis omissam esse* dicit, *quia nihil superfluum scribere, consueuerint, & quoniam filium apparuisse Matri potius supponendum, quàm litteris consignandum videatur.* vide Iansenium libro Concord. capit. 145.

An B. Virgini?

Illud verò hîc obseruatione dignum est, quòd Christus rediuiuus nulli apparuisse impio hîc in terris ante suam Ascensionem legatur, sed tantùm amicis: vt significaret, impios glorioſæ Resurrectionis nequaquam participes futuros, vt notat Augustin. in Ioan. tract. 76. in Psalm. 65.

Christus rediuiuus nulli impio apparuit ante Ascensionem.

Mulieribus autem priùs, quàm viris apparuit, vt sicut fœmina viro primũ detulerat mortis nunciũ, ita quoque glorioſæ Resurrectionis, vitæque immortalis, vt habet Cyrillus lib. 12. in Ioan. c. 51.

Christus cur primò mulieribus visus.

Quoniam insuper Apostolis instructio necessaria erat, cùm de veritate Resurrectionis, tum de gloria resurgentis; ideò post suam Resurrectionem. Dominus assiduè cum Discipulis conuersari noluit, ne ad vitæ mortalis vsum iterum redijsse putaretur: attamen vt glorioſæ Resurrectionis suæ fidem confirmaret, mœstósque discipulorum animos, & Iudæorum metu anxios, recrearet, sæpiùs eisdem ap-

Cur Dominus assiduè post resurrectionem cũ Apostolis conuersari noluerit.

Christus decies apparuit discipulis.

parere voluit. Prima quidem Resurrectionis die, quinquies apparuit, sciens tunc opus esse maiore fidei confirmatione, atque consolatione; ac postmodum adhuc quinquies, vt D. August. lib. 3. *De Consen. Euang.* cap. vlt. ex Euangelistis colligit. Ipso enim primo die primùm Beatæ Mariæ Magdalenæ, stanti ad monumentum & ploranti, apparuit in habitu Hortulani, Marc. 16. & Ioan. 20. II. Apparuit mulieribus, à sepulchro redeuntibus, quæ pedes eius osculatæ sunt, Mat. 28. III. Apparuit Petro, Lucæ 24. August. lib. 3. *De Consens. Euang.* cap. vlt. IV. Apparuit duobus discipulis, euntibus in Emaus, Cleophæ scilicet, & Nathanaëli, iuxta Epiphan. hæres. 23. Origen. libr. 2. cont. Celsum vocat Simonem, Ambros. serm. 1. & 71. Amaum. Eusebius Emissenus hom. 2. feriæ Paschæ putat Lucam fuisse. Ista apparitio circa Vesperam accidit. V. Apparitio eadem die facta est, pluribus discipulis in Hierusalem simul congregatis, absente Thoma. Lucæ 24. Ioan. 20. VI. Apparitio contigit octaua die Paschæ, omnibus Apostolis simul congregatis, quando se palpandum Thomæ exhibuit, Ioan. 20. Diebus autem octo tunc apparere distulit, vt Discipulorum amorem desideriúmque accenderet, ac exerceret. VII. Apparuit in captura piscium, ad mare Tyberiadis. Ioan. 21. vbi dicitur *Tertiò* apparuisse, *non quoad numerum apparitionum, sed dierum*, vt obseruat Augustinus tract. 12. in Ioan. & Libro 3. *De Consensu Euang.* capite vlt. VIII. Apparuit in monte Galilææ vndecim Apostolis, & alijs discipulis, fortè quingentis illis fratribus, de quibus Apostolus 1. Cor. 15. qui ab Apostolis aliisque Christi cultoribus, vndecúmque, vt Dominum in monte Thabor viderent, conuocati erant, Matth. 28. IX. Apparuit in die Ascensionis, recumbentibus cum eo Apostolis, Marci vlt. X. Apparuit eis in Bethania, quæ sita erat in pede mõtis Oliueti, vbi eleuatus in cœlum ascendit, (Lucæ 24. Act. 1.) extensisque manibus, Discipulis omnibus ibi congregatis circa montem benedixit, benedicendóque recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.

Apostolus 1. Corinthios 15. addit, Christum à Iacobo visum, atque à seipso tandem: sed de his apparitionibus Euangelistæ nihil tradunt. Lucas Acto. 9. Apparitionem in via Damasci D. Paulo factam describit.

CAP. CCXLIII.

Quibus argumentis Christus suam Resurrectionem confirmauerit?

Christus suam resurrectionem testimonio scripturarũ & angelorum probauit.

ACtorum primò legimus, Christum Apostolis præbuisse seipsum viuum, post Passionem suam, in multis argumentis, per dies quadraginta eis apparendo, & de regno Dei loquendo. Quæ autem hæc argumenta fuerint, quibus se resurrexisse comprobauit, meritò quis inquirat. SCIENDVM itaquè, duplici argumento Christum suam Resurrectionem euidenter astruxisse: nimirum testimonio, & visibili signo. Testimonio autem vsus est duplici: scilicet, Scripturarum, & Angelorum, vt Euangelistæ commemorant. Signo insuper triplici vsus est: *Vno*, ex parte corporis, ostendendo, se verum corpus, solidum, ac idem numero habere. Lucæ vltimo: *Palpate, & videte quia ego ipse sum.* Se-

Item signo ex parte corporis, & animæ.

Lucæ vlt.

cundò, ex parte animæ iterato corpori vnitæ. quod quidem per opera triplicis vitæ ostendit: *Nutritiuæ*, comedendo & bibendo: *Sensitiuæ*, audiendo, loquendo & respondendo: atque demùm per opera vitæ *Intellectiuæ*, de Scripturis, & Regni Dei mysterijs differendo. *Tertiò*, se Deum & hominem esse manifestè declarauit per Miracula, quæ fecit, in captura piscium, intrando ad Discipulos ianuis clausis, in cœlum illis videntibus ascendendo. Proprietates verò sui glorioſi corporis manifestauit, Discipulis apparendo, in qua vellet effigie, quo placeret tempore, atque confestim euanescendo. Luæ 24.

Hæc autem omnia Christus argumenta ideò adhibuit, vt discipuli ad credendum tardi faciliùs Resurrectionem crederent, & vt oculatis testibus carnis Resurrectionem affirmantibus, Orbis proniùs eorum testimonio acquiesceret: vti credidisse iam videmus. *Nos* enim *illorum instruxit aspectus, nos erudiuit auditus, nos confirmauit attactus, dubitatum est ab illis, ne dubitaretur à nobis*, vt prosequitur Leo serm. 1. *De Ascensione*, & Gregor. hom. 8. Paschæ. Aug. li. 22. de ciuit. c. 5.

CAP. CCXLIV.

Quidnam Christus post Resurrectionem Apostolis loquutus fuerit?

DIes, qui inter Resurrectionem & Ascensionem fluxerunt, nō otioso transiere decursu, sed magna in eis confirmata Sacramenta, magna sunt reuelata mysteria. Locutus enim Dominus est Apostolis de regno Dei, de mysterijs & ædificatione Ecclesiæ, de regimine, potestate, Hierarchia Ecclesiastica, de materia & forma Sacramentorum, de immortalitate animarum & corporum: Apostolis quoque Spiritum sanctum per insufflationem infudit, sensum eis, vt scripturas intelligerent, aperuit, potestatem remittendi peccata tribuit, amplissimúmque munus Apostolatus imposuit, mittens eos in suo Nomine ad docēdum omnes Gentes, ad baptizandum, cum amplissima potestate ferendi Leges, corrigendi, puniendi transgressores diuinarum Apostolicarumque Legum; ac in vniuersum, vt pro Christo legatione fungerentur. Et Beato Petro, supra cęteros Apostolos constituto, claues Regni Cœlorum, curámque totius ouilis Domini demandauit. Inter hæc autem ad omnem nostræ ambiguitatis caliginem detergendam, pauentium trepidantiúmque tarditatem ad credendum increpauit, discordes à veritate cogitationes redarguit, manentiáque in manibus & pedibus Crucis signa dubitantium oculis ingessit, & vt curiosiùs pertractaretur, inuitauit indulsitque: quoniam ad sananda infidelium cordium vulnera, clauorum & lanceæ vestigia seruauerat, vt non dubia fide, sed constantissima scientia teneretur, eam naturam in Dei Patris consessuram Throno, quæ iacuerat in sepulchro: de qua re sequenti Articulo copiosiùs disseremus.

Christus post resurrectionem quidnam docuerit?

Apostolis Petri primatus.

CAP. CCXLV.

Articulus Sextus.

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

HOc Articulo profitemur, nos credere, IESVM CHRI- Ascensio Christi.

STVM rediuiuum, absoluto Redemptionis humanæ mysterio, corpore & anima in cœlum ascendisse, ipsúmque cum Deo Patre gloriam, iudicij potestatem æqualem, imperium in omnem creaturam, summam denique maiestatem obtinere. Dicimus autem, in cœlum ascendisse secundùm corpus & animam, id est, humanam naturam in cœlum euexisse, quia secundùm quod Deus omnia loca suâ præsentiâ compleat, nec ab vllo absit, vel abesse possit, cùm sit infinitus & immensus, vox, *ascendit*, significat Christum non aliena, sed propria virtute in cœlum euectum, virtute scilicet Diuinitatis, hypostaticè vnitæ humanitati Christi, atquè insuper virtute animæ glorificatæ, quæ sui corporis plenissimum habens dominium, illud prout vult mouere potest. Non enim Christus externo cuiusquam ministerio indiguit, (sicut Henoch ab Angelis translatum, Heliam igneo curru subuectum, Abacuc & Philippum Diaconum ab Angelis, quin & Simonem Magum à dæmonibus per aëra delatos fuisse legimus) quia sua Diuinitate, & beatitudinis humanæ naturæ dote, poterat se mouere vti placebat. Et vtraque virtus, tam principalis, quàm proxima effectiua motus, Christo intrinseca erat, quia DEVS & HOMO erat, cuius corpori & animæ, ratione suppositi, dos agilitatis quodammodo intrinseca & debita fuit. Vndè Isaiæ 63. *Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ.* Et ad Ephesios 4. *Idem ascendisse* dicitur, *qui et descendit.* Augustinus quoque epist. 56. & lib. 22. *De ciuit.* cap. vlt. docet, tantam corporis glorioſi ad beatam animam fore obedientiam, vt vbi volet spiritus, protinus futurum sit corpus. Decet autem corpus glorioſum & immortale in loco esse cœlesti: quare propria virtute animæ beatæ ibi erit, si anima ibi esse velit. Et serm. 176. *de temp. De suo fuit, quòd ascendit.* Cùm autem Ioannes. 3. dicitur: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo*, non de motu locali VERBI Dei, cuius capax nõ est: sed de forma Serui per Incarnationem accepta, intelligendum est, atquè *Filius hominis cum suo corpore, quod est Ecclesia, in cœlum ascendit*, iuxtà Augustin. tract. 12. in Ioan. In Psalm. 122. Libr. *De Agone Christiano* capite 25. *Ascendere est personæ.*

Christus propria virtute ascendit.

S. Thom. 3. p. q. 57. ar. 3.

Gen. c. 5. Eccles. 44. 4. Reg. 2. Daniel. 14. Act. 8.

Ascendere est personæ.

Porrò, quòd Christus verè atquè propriè post suam Resurrectionem, humanam suam naturam in cœlum euexerit, Lucas Act. 1. dilucidè tradit, modum & initium huius Ascensionis enarrans. Et cap. 24. sui Euangelij, progressum & terminum eiusdem describit, dicens: *Ferebatur in cœlum.* Marcus, cap. 16. *Assumptus est in cœlum.* Eiusdem historiæ Ascensionis Paulus meminit ad Ephes. 1. 2. & 4. ad Colos. 3. ad Hebr. 4. & 9. Eandem ascensionem prædixit Regius Vates Psalm. 17. *Ascendit super Cherubim, volauit supra pennas ventorum.* Psalm. 46. *Ascendit in iubilo.* Psalm 67. *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, dedisti dona hominibus*: quem locum allegat Apostolus Ephes. 4. Eodem pertinent verba Michææ 2. *Ascendit, pandens iter ante eos.* Triumphum autem Christi ascendentis in cœlum, cum redemptis Sanctorum animabus, describit Psaltes Psalm. 25. *Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ*, vt latè discurrit Nyss. oratione *De Ascensione.* Augustin. sermo. 5. de Resurrect. *Viderunt cælites Christum, spolia è castris tyrannicis reportantem, et admirantes diui-*

Triumphũ Christi ascendentis describit Psaltes.

næ virtutis fulgentia vexilla, talibus concrepant hymnis, deducúntque latantes: Quis est iste Rex gloriæ? Eodèm pertinent Isaiæ verba c. 63. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* quæ interpretans Cyrillus in exegesi ad Achat. *Vnigenitus Dei Filius*, inquit, *vnà cum Carne sibi vnita rediit, erátque hoc nouum in cœlis spectaculum. Obstupuit enim sanctorum Angelorum multitudo, cùm Regem gloriæ, exercituúmque Dominum in forma humana cerneret.* Dionys. c. 7. *Cœlestis hierarchiæ.* Cyprian. serm. *De Ascens.* tractat. *De Angelorum occurrentium gaudio.* Chrysost. serm. *De Ascensione.* Anselm. *De excellentia Virginis*, cap. 6. *De gaudio B. Mariæ* agit. Bernardus tractat. *De Passione* cap. 46. *De gaudio Apostolorum.*

CAP. CCXLVI.

Vndè & quousque Christus ascenderit?

Ex quo loco Christus ascenderit.

VNdè verò Christus ascenderit in cœlum, ex cap. 24. Lucæ constat: *Eduxit autem eos foras in Bethaniam.* Et Act. 1. *Tunc reuersi sunt Ierosolymam à monte, qui vocatur Oliueti, qui est iuxtà Ierusalem. Sabbati habens iter.* Vbi clarè traditur, quòd non ex monte Thabor sito in Galilæa, sed ex monte Oliueti (in cuius pede vallis est Iosaphat, versus Bethaniam) in cœlum ascenderit, vt vndè processerat ad Passionem, indè ad Patrem & gloriam pergeret, & locum propter Magdalenam, Martham, & Lazarum, tibi placentem, sua honoraret Ascensione, similúlque designaret, se ad iudicandũ viuos & mortuos ad eundem locum descensurum, iuxtà Ioëlis vaticiniũ cap. 3. ac præterea moneret, nos per

Per opera misericordiæ in cœlum ascendimus.

opera Misericordiæ, oleo figurata, in cœlum ascendere debere.

Mons Oliueti.

De situ Oliueti montis disserit Hieronymus in c. 11. Danielis, & de locis Hebraicis. *De vestigiis* Christi ascendentis Beda li. 5. hist. c. 16. & de locis sanctis c. 7. Euseb. lib. 3. de vita Constantini refert, Helenam in hoc monte templum erexisse. Terminus Ascensionis Christi exprimitur illis verbis: *Ad cœlos*: iuxtà Lucam Act. 1. *ferebatur in cœlum*: Marcum verò c. 6. *Assumptus est in cœlum. Videntibus illis* (ait Lucas) *eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorũ.* Apostolus Ephes. 4. *Ascendit supra omnes cœlos*: ad Hebr. 4. *Habentes Pontificẽ, qui penetrauit cœlos*: id est, pertrãsiit omnes cœlos. Ideò cap. 7. Christus dicitur *excelsior cœlis factus*, quoniam *ascendit super omnes cœlos in altum.* Psalm. 67. id est, in fastigium, seu locum sublimiorem, quia supremum illud cœlum est Beatorum sedes, & ipsius Dei Thronus, (Isaiæ 66.) quatenus ibi sese, gloriámque suam peculiari modo Beatis manifestat. Hinc Actor. 7. *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* In summum verò cœli locum Christum ascendere oportuit, quia in aliqua cœlesti sphæra earum, quæ continuo agitantur motu, quiescere non decuit, sed in aliquo quieto, & immobili cœlo, quale supremum est, quòd vocatur *Empyreum*. Vbi duobus modis *quiescere* intelligi potest: *Primò*, vt totũ eius corpus intra cœlum mãserit, sicut nos modò in aëre sumus. *Secundò*, vt totum Christi corpus supra conuexam cœli superficiem cõsistat, ita vt supremã Cœli Empyrei partẽ suis pedibus conculcet: qui posterior modus scripturæ magis cõsonat. Nam *penetrare cœlos*, & *ascẽdere super omnes cœlos*, hoc propriè significat, vt D. Chrysost. hom. 11. in epist. ad Ephes. notat: *Ascendit*,

Quousque Christus ascenderit?

Cœlum Thronus Dei.

Quomodo Christus in cœlo quiescat.

inquit, *super omnes cœlos, vltra quos nihil aliud est: hoc videlicet est potentia & dominationis ipsius.* Idē Theophylactus ibidem, & Oecumenius. Hieronym. verò in eundem locum, *super omnes cœlos*, interpretatur, *super omnia inuisibilia*: qui sensus mysticus litteralē excludere nequit. sicut ibi significat Anselmus: *Ascēdit non solùm super omnes cœlos materiales, sed et super omnes cœlestium virtutum ordines, superans loco & dignitate omnem creaturam.* Augu. lib. *De fide & symbolo* cap. 6. *Credimus*, ait, *Christum in cœlum ascendisse, sed vbi, et quomodo sit in cœlo Corpus Dominicum, curiosissimum & supernacaneum est quærere. Tantummodo in cœlo esse credendum est. Non enim fragilitatis est nostræ, cœlorum secreta discutere: sed est nostræ fidei, de Dominici corporis dignitate sublimia et honesta sapere.*

Ascendit supra omnes cœlos.

CAP. CCXLVII.

Quali motu Christus in cœlum ascenderit?

EX verbis Lucæ Act. 1. *Videntibus illis elevatus est*, certum est, Dominum in principio, quando attolli cœpit ex monte Oliueti, paulatim & visibiliter successiuo motu ascēdisse, & huiusmodi motum perduasse, donec eum nubes subduxit discipulorum oculis: ab eo verò spatio, quo nubes eum occultauit, an motu cōtinuo, an vna mutatione subita & instantanea, vsq; ad vltimū terminum, in quo sessurus erat, trāsierit, ambigi potest. Nos probabilius arbitramur, Christū eodem genere motus ascēdisse, per transeundo cuncta intermedia corpora, quo suā Ascensionem inchoauerat, vt velut supremus omnium Dominus possessionem omnium acciperet, suáq; præsentia quodāmodo sanctificaret.

Christus in sua Ascensione possessionem omnium locorum accepit.

Sed cur Apostoli hanc omnium cœlorum penetrationem videre non sunt permissi, vt eius oculati esse testes possent?

Respondeo, virtute naturali oculum humanum eò pertingere non posse: non autem fuisse opus nouo inusitatóq; miraculo, vt fides locum haberet, ad quam Christi prædictio, Angelorumq; testimonium sufficiebat, dicentium: *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlū, sic veniet.*

Inquiri prætereà solet, qualis hîc motus fuerit, quo corpus terrenum sursum tēdit? violentus, an naturalis?

Respondeo, corpori in statu gloriæ constituto, connaturalem esse huiusmodi motum: respectu autem naturæ corporis, non esse violentum, sed supernaturalem.

CAP CCXLVIII.

Cur Christus in cœlum ascenderit?

QVamuis Christus per Ascensionem suam neque essentialem gloriam, neque gaudium suum adauxerit, conuenientissimum tamen fuit.

Christum in cœlum ascendere opportuisse, XIV. rationibus ostenditur.

I. Vt corpori ad immortalem vitam suscitato, cœlestis locus tribueretur. Vndè 2. Petri 3. *Nouam terram, nouósque cœlos expectamus.*

II. Summæ Christi humilitati, summa exaltatio debebatur. Philippenses 2. *Humiliauit seipsum*, &c.

III. Quoniam victorem Sathanæ decebat, supra locum & sedem, quam in cœlo hostis deiectus occupauerat, exaltari: at ille de cœlo ceciderat: hunc ergo in cœlum ascendere oportebat. Lucæ 10. *Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem.*

IV. Quia eum, qui à Patre in mundum fuerat missus, legationis munere adimpleto, in cœlum ad Patrem reuerti decebat, iuxtà illud Ioannis 16. *Vado ad eum qui misit me.*

V. Quoniam nobis expediebat, Christum ascendere, vt cœlum antea clausum aperiret. Ioannis 16. *Expedit vobis vt vadam,* Micheæ 2. *Ascendit, pandens iter*, amouendo impedimenta moram iniicientia, fugando *principes & potestates aëris huius.*

VI. Vt pro cuiusque meritis locum ibidem præpararet, reddendo vnumquemque idoneum cœlesti mansioni: vt quod præparauerat, ab æterno prædestinando, (Matth. 25.) nunc præpararet gratiam & salutem operando. Ioann. 14.

VII. Vt ibi apparens vultui Dei pro nobis interpellaret. Hebr. 7. & 9. *Non in manufacta*, &c. 1. Ioan. 2. *Si peccauerimus, aduocatũ habemus*, &c.

VIII. Vt de cœlis dona sua hominibus diffunderet, eósque protegeret, Ephes. 4. *Ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia*, scilicet, donis suis.

IX. Vt qui Terræ atque inferni possessionem acceperat; Aëris quoque ac cœlorum se dominium esse comprobaret. Ambulauerat super terram, ambulauerat super aquas: nunc verò quando ascendit, *super ventorum pennas ambulauit*, Psalm. 17. Leo serm. 2. *De Ascensione*: *Triumphum victoriæ quem reportarat à mortuis, inferre debebat & cœlis.*

X. Ascendere in cœlum decuit, vt regnum suum non esse de hoc mundo, sed cœleste monstraret. Ioan. 18.

XI. Ascendere debuit, vt fides nostra exerceretur. *Fides* enim *est rerum non apparentium*, Hebr. 11. Leo sermo. 2. De Ascensione: *Post veritatem Resurrectionis, sufficienter confirmatam, oportuit Christum in cœlum prouehi, vt mirabilior fieret gratia Dei, cùm remotis à cõspectu hominum, quæ meritò reuerentiam sui sentiebantur indicere, fides non fluctuaret, charitas non teperet*

XII. Ascendere oportuit, vt Spiritum sanctum hominibus demitteret. Ioannis 16. *Nisi abiero, Spiritus sanctus non veniet ad vos.* Ioan. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.*

XIII. Ascendit Christus, vt spes nostra firmaretur, discereműsque, præsentibus spretis perpetuò mentis oculos in cœlestia bona dirigere, iuxtà illud ad Colos. 3. *Quæ sursum sunt, quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Quidquid* enim *gestum est in carne Christi, in Resurrectione, Morte, Ascensione, et in Sepultura, figuranit, quod agendum est in vita Christiana*, inquit, Augustin. Enchir. cap. 53. lib. 1. *De doct. Christ.* cap. 15. lib. 4. *De Trinit.* cap. 4. *Ascendit vt superna sapere-mus, illuc spem nostram erigeremus.* Leo serm. 2. *De Ascensione.* Bernard. serm. 4. *De Ascensione.*

Quomodo autem in hac vita proficiendo ascendere debeamus, exponit Augustinus in Psalm. 85. 122. 126. docens, *affectus pietatis, esse gradus Ascensionis.* Sermo. 175. 181. *De Tempore.*

XIV. Ascendit Christus, ne illum, vt hominem tantùm spectaremus, & terrenâ quadam beneuolentiâ imperfectóque amore prosequeremur. Quemadmodum de præsente, humano ferè sensu iudicabant Apostoli, quem post Ascensionem spirituali diuinóque sunt amore cõplexi, æqualem Patri credentes, qui posset omnia efficere atque dare, sicut Pater: quem promdè oporteret, non secus quàm Patrem venerari, diligere,

diligere, colere. Ioan. 20. *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum*: quia Patri æqualē non credebat, quem extinctum fœminea pietate plangebat. Fulgentius lib. ad Trasimon.

CAP. CCXLIX.

De Tempore Ascensionis Christi.

Christus ascēdit XL. die, à facta resurrectione.

CHristum die quadragesimo post Resurrectionem suam in cœlum ascendisse, indicant illa Lucæ verba act. 1. *Per dies XL. apparens eis.* Vndè constat, hos dies ita esse numerandos, vt & resurrectionis dies, & Ascensionis illis comprehendantur. Nam ex Euangelio patet, Dominum Apostolis vtróque illo die apparuisse. Cùm ergo tantùm XL. diebus apparuerit, necesse est, vt quadragesimo die à facta resurrectione ascenderit, vtrumque diem extremum concludendo. Vndè sequitur vlteriùs, hunc quadragesimum diem fuisse quintam feriam hebdomadæ, in cuius rei memoriam festiuitas illius mysterij eo die semper fuit in Ecclesia celebrata, vt constat ex Clemente Papa lib. 5. Constitutionum.

Christus ascendit feria 5.

De hora verò Ascensionis nihil certi scriptura tradit: attamen ex c. 1. Act. & Marci cap. 16. colligi potest, Ascensionem contigisse pomeridiano tempore. Nam Dominus cum Apostolis recubuit atque comedit, postea eos in Bethaniam eduxit, & reuersus inde ad mōtem Olineti, assumptus est in cœlum. Sed in illo itinere, atque in congregandis aliis discipulis, tempore nonnullo fuit opus. Quare circa horam nonam, id est, nostra computatione circa tertiam horam pomeridianam ascendisse videtur. Nam post eius Ascensionem discipuli Hierosolymam regressi sunt.

Hora pomeridiana circa tertiā.

Cur autem Christus quadraginta diebus in terra post Resurrectionem manserit, exponit August. ep. 119. cap. 15. & serm. 7. *in Louany impressis*; atque Beda in 1. capite Actor.

CAP. CCL.

De modo, quo ascendens Christus discipulis valedixerit.

Christus vale dicendo benedixit.

LVcas cap. 24. Euang. & Act. 1. narrat, Christum, antequam discederet, eleuatis manibus B. Mariæ, Apostolis, aliisque discipulis (quos significat numero fuisse circiter CXX.) benedixisse; hoc est, bona multa verbis imprecatū fuisse. I. in amoris ac beneuolentiæ signum. II. Vt reipsa discipulis bona conferret. Non enim poterat eius benedictio non esse efficax, cuius dicere, facere est. III. Vt se summum Ecclesiæ Pontificem, Pastorem, ac Superiorem ostenderet. Nam Apostolo teste: *Qui minor est, à maiore benedicitur.* Manuum autem eleuatio vetus signum fuit, quo Patriarchæ atque Pontifices bona aliis imprecando, vti solebant. Gen. 48. Leuitici 9. fortassis ad indicandum, non tam terrestria quàm cælestia bona imprecari, Deúmque esse, *à quo bonum omne descendat* (Iacob 1.) benedictionisque fructus sperari debeat, ideóque ad eum cor esse subleuandum, vt benedictio sit efficax. Et non improbabile est, Christum non quomodocúmque manus eleuasse, sed in crucis signum, cancellatis manibus: sicuti Iacob nepotibus benedixit, Gen. 48. benedictionem in Christo futuram, per signum Crucis præfigurans: vel in Crucis formam manus in cœlum attollendo, quemadmo-

Manuum eleuatio.

dum de Moyse leginus Exod. 17. vel signum Crucis in aëre efformando, sicut nunc in vsu Ecclesiæ ex Apostolica traditione esse, Basilius attestatur lib. *De Spiritu sancto.* cap. 27.

Deindè facta benedictione Lucas in cœlum fuisse eleuatum, *omnibus videntibus* asserit, *donec nubes suscepit eum*, hoc est, oculis discipulorū subduxit. Quod mysterium Daniel. 7. prædictum fuerat, quando *vidit filium hominis venientem in nubibus cœli, vsque ad antiquum dierum, cui datum fuit regnum, potestas, & imperiū.* Et Psal. 103. *Qui ponis nubem ascensum tuum.* Fuisse autem veram nubem, quæ Christum oculis intuentium subtraxit, Chrysost. & Beda in Acta docent. Nubis natura, & officium. Postquam enim Dominus longiùs à terra distare cœpit, nubis interiectu sese intuentiū oculis subduxit, quæ neque cum illo ascendit, neque aliud ministerium exhibuit quàm vt Christi corpus à discipulorum aspectu amoueret, splendoréque suo maiestatem ascendentis indicaret. Angelorū apparitio quò pertinuerit. Quò & Angelorum admonitio pertinuit, ne Discipuli vlteriùs putarent, oculis corporeis videre Christum, de cœlo descēdentem, quò ascenderat, vsque ad iudicij nouissimi diem; quando idem ipse, qui ascenderat, rediturus esset. Quæ angelorum apparitio facta est, I. Vt quod Apostoli oculis corporeis videre non poterāt, scilicet Christum in cœlos peruenientem, verbis suis docerent, ac confirmarent. II. Vt Apostolos consolarētur, eósque instruerent, vt fide potiùs, quàm visu corporeo Christū intuerentur & expectarent. III. Vt significarent, Christum ad stabilē, & immutabilem statū ascendisse, qui nulla temporis duratione mutari posset. Hoc enim verba illa insinuāt: *Sic veniet*; in eadem scilicet gloria, & maiestate, cum eadem anima, & corpore glorioso, in æternū sic permansuro. Act. 1.

De Christi ascendentis comitatu licet nihil ab Euangelistis, neque à Luca in Actis sit expressum; attamē ex Apostolo ad Ephes. 4. colligitur, omnes iustos, quos è sinu Abrahæ eduxerat, secum in cœlū deduxisse. *Captiuam* enim *duxit captiuitatem*: decebat enim in signum Triumphi spolia secum transportare. An verò aliqui Sanctorum cum corporibus glorioſis cum Domino cœlū ascenderint, Euangelistæ non referunt: attamen scribēdo, multa corpora Sanctorum cum Christo surrexisse, videntur innuere, eadem corpora in cœlum quoque cum Domino ascendisse. Neque discipulos ea videre oportuit in ascēsu, quoniam corpora glorioſa nec videntur necessariò, neque manifestatio illa sensibilis ordinabatur ad confirmationem ascensus alteriùs, quàm Christi. De angelico autem comitatu sentiendum est, omnes Angelorū ordines occurrisse Christo, vt ascendentem comitarentur, eique gloriam & honorem exhiberent, vt magno consensu doctores tradunt, accommodantes huic mysterio verba Psal. 23. *attollite portas principes vestras*, &c. Et Ps. 46. *Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ.* Idipsum indicant duo Angeli, dum ajunt: *Sic veniet*, &c. Descēdet autem in summa gloria & maiestate, & omnes angeli cum eo. Igitur & sic ascēdit. Christi ascendentis comitatus. Matth. 27. Angelicus comitatus.

CAP. CCLI.

De Sessione Christi ad Patris dexteram.

POsteriore huius Articuli sexti parte confitemur, Christum post Ascensionem suam sedere ad dexteram Dei Patris omnipotentis: Sessio Christi ad Patris dexteram.

id est, quòd quietè possideat cum Patre regnum in eiusdem diuinæ Maiestatis æqualitate, seu præsit omnibus tanquam supremus Rex, Dominus, Imperator, & Iudex, tanta dignitate præcellens, vt in eodem solio cum Deo sit, eademque adoratione colatur: siquidem verbo *sedendi* per metaphoram designatur eminentia dignitatis. Nam iudicantis, præcipientis, ac dominantis est *sedere*, & aliis imperare. Vndè quando Deus in maiestate sua visus dicitur, tanquam supremus Dominus sedens apparuit. Iuxta illud Isaiæ cap. 6. *Vidi Dominum sedẽtem supra solium excelsum.* Et 3. Reg. ca. 22. ait Micheas: *Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitũ cæli assistentem ei à dextris & à sinistris.* Iuxta eãdem metaphoram dicitur *sedere* Deus super Cherubin. Non ergo *sedere* hîc situm positionémque corporis significat: sed eam regiæ summęq; potestatis, ac glorię formã, stabilemque possessionem, quã à Patre accepit, declarat; Apostolo teste ad Ephes. 1. *Suscitans illũ à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus supra omnem principatum, & potestatem, et virtutem, & dominationem, & omne nomẽ quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed & in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius.* Ex quibus verbis manifestum est, hanc gloriam Christo ita propriam esse, vt nulli puræ creaturæ conuenire possit. Quod ad Hebr. 1. attestatur Apostolus: *Ad quem Angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis.* & Apoc. 5. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & diuinitatẽ*, &c. Hanc quidem in ipsa Incarnatione Homo Christus accepit, quãdo hæc humanitas in vnitatem personæ diuinæ assumpta fuit: sed in Ascensione illam eandem affectus dicitur, quoad manifestationem. Tunc enim omnibus innotuit, quòd hic homo Christus existat & permaneat verus Deus, omnia cum Patre gubernans: Iuxta illud Apoc. 5: *Omnes audiui dicentes; sedenti in Throno, & Agno benedictio, & honor, & potestas in secula seculorum.* Per Ascẽsionem enim singulari modo cœpit Agni maiestas clarescere, in cœlo, & in terra. Tunc enim possessionẽ accepit regni sui, ac totius Orbis per ingressũ in cœlum, tanquã in proprium locũ suæ regiæ curiæ, à Deo destinatũ ad regendũ & imperandum. Locus enim terræ potiùs fuit ad seruiendũ, laborandum, patiendum, certaminis, & cursus. Vndè non incongruè post Ascensionẽ in cœlũ, *sedisse* dicitur, quia tunc quasi absoluto cursu certaminis, quieuit, & cessauit ab operibus viæ, incepitque vti tãtùm potestate regia, & dominatiua. *Sedere* igitur hîc per metaphoram significat, *esse*. Rom. 8. *Qui est in dextera Dei.* & 1. Petr. 3. Item *sedere* significat *habitare, quiescere, requiescere, permanere.* Luc. vlt. Act. 2. *sedete in ciuitate. Sedítque super singulos eorũ.* Sedere insuper significat *regnare, iudicare.* Prou. 20. *Rex qui sedet.* *Dextera* verò Dei etiam per metaphoram significat diuinitatis gloriã, & æqualitatẽ honoris. Vndè Apost. ad Philipp. 2. idem esse dexterã, & gloriam Patris insinuans, dicit, Christũ in gloria Dei Patris esse. Damasc. li. 4. de Fide. c. 2. *Dexterã Patrũ dicimus gloriã & honorẽ diuinitatis.* II. Dextera Patris significat beatitudinẽ Patris. Matt. 25 *electi erũt à dextris*, id est, beati erunt, Ps. 15. *delectationes in dextera tua.* III. Dextera Patris significat iudiciariã atque regalem potestatẽ. Quare nihil aliud est, *sedere ad dexterã Patris*, quàm *simul cum patre habere gloriã diuinitatis, et beatitudinis statũ, atque iudiciariam*

Sedere quid?

Sedere significat eminentiã potestatis ac dignitatis.

Sedere quid significet.

Dextera Dei significat æqualitatem honoris.

regalémque potestatem, & hoc immutabiliter. Sic August. lib. 2. *De symbol.* cap. 7.

Ad, quid denotet.

Præpositio, *Ad*, solam distinctionem personalem, & originis ordinem: non autem naturæ aut dignitatis gradum, qui nullus in diuinis personis est, denotat.

Præterea cùm *Dextera* propriè dicta, locum dignissimum, cum relatione ad sinistram significet, cum tamen Christus per metaphoram *ad Patris dexteram sedere* dicitur, ibi non consideratur respectus ad sinistram, sed tantùm notatur excellentia & maiestas, in qua Christus existit. Quo modo dicitur non solùm *ad dexteram Patris*, sed etiam *dextera & brachium patris*; nō quia Spiritus sanctus, vel Pater ad sinistram sit, sed quia absolutè significetur esse VERBVM, per quod Pater omnia operatur, in se habens excellentiam, & perfectionem, & omnipotentiam, quæ per dexteram Dei metaphoricè significatur. Et simili proportione Christus & Homo *in dextera Dei esse* dicitur, quia est in potissimis bonis, quæ Deus creaturæ communicat. Ex quibus

Vtrùm sedere ad dexterā communicetur beatis?

facilè definitur, An *sedere ad dexteram Patris*, ita proprium sit Christo, vt Beatis non conueniat. Siquidem si cōsideretur vt persona VERBI, cui maiestas, diuinitas, & cum Patre conuenit æqualitas, sic nulli creaturæ competit *sedere ad dexteram Patris*: si autem consideretur vt homo, sic etiam esse hominem, æterno Patri maiestate & potentia æqualem, proprium est Christo: item habere excellentiam, & singularem beatitudinem, non solùm in gradu intentionis & perfectionis, sed etiam in modo illam obtinendi, vt connaturalem ex vi propriæ dignitatis, & maiestatis debitam, atque singulare dominium, & potestatem tam ad operandum, quàm ad omnibus creaturis imperandum, & de omnibus prorsus hominibus iudicandum. Attamen iuxta scripturas per quandam participationem communicatur Christi membris hæc sessio; alijs magis, alijs verò minùs, pro dignitatum varietate, quatenus omnes Sancti Christo cōregnant, & in cælesti beatitudine cum Christo habitant, quieti ac secuti, fruentes potissimis Dei bonis, gloria scilicet immortalitatis corporum & animorum, regno & iudicandi potestate suo modo; iuxta illud Apoc. 3. *Qui viceris, dabo ei sedere mecum in Throno, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.* Luc. 22. *Vt sedeatis super thronos, iudicantes* XII. *tribus Israël.* Apocal. 20. *Regnauerunt cum Christo.* Rom. 5. *In vita regnabunt.* Matth. 19. *Sedebitis super sedes*, &c.

Beati sunt ad dexterā participatione gloriæ, regni, bonorumque cælestium.

Vtrùm Christus stet in cœlo.

Supereſt vt explicetur, Vtrùm Christus in cœlo secundùm corporis situm stet aut sedeat? RESPONDEO, naturalem hominis situm esse *stare*: nam *sedere* est imbecillitatis, vt corpus quiescat & non defatigetur; qualem necessitatem immortalia, & glorioſa corpora sentire nequeunt: vnde magis corpori humano est cōnaturale *stare*, quàm *sedere*. Ideóque S. Steph. Actor. 7. Christum distinctè vidit in cœlo stare. Et cùm Apostolus dicit, *nos Christo in cælestibus concessures*, non de corporali sessione, sed de regni cælestis participatione loquitur; quia ibi simul iusti regnāt iudicātes, in gloria & beatitudine Patris stabiliter permanent. Quia ergo *sedere* iudicantis est, *stare* verò adiuuantis & protegentis; ideo B. Stephanus Christum stantem vidisse scribitur, vt notat Aug. lib. q. noui Testamenti, quæ. 88. Greg. hom. 29. in Euang. Chryſost. hom. 18. in Acta.

Ad Eph. 2.

Ambr. lib. 5. de fide. *Christus stat, vt eius benignitas ostendatur: sedet autem, vt eius authoritas commendetur.*

CAP. CCLII.

Vtrùm Christus post Ascensionem suam quandoque ad terram descenderit?

QVia sequenti Articulo dicimus, Christum è cœlis aduenturum in die iudicij, meritò QVÆRITVR, an toto intermedio tempore ab Ascensione vsque ad diem iudicij in cœlo ita permaneat, vt nunquam corporaliter ad terras descendat? Id scripturæ significare videntur. Act. 1. *Sic veniet*; nempe in die iudicij. & Act. 3. *Necesse est vsque ad tempus restitutionis omnium in cœlo permanere*, ait Chrysost. hom. 9. & Beda ibidem allegans illud Psal. 109. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*: quod non fiet ante diem iudicij. Nam, vt Augu. in 30. tract. in Ioan. ait: *Donec seculum finiatur, sursum est Dominus.* Eodèm pertinet illud Apostoli ad Colost. 3. *Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens.* Non ergo videtur vnquam in terra quærēdus. Nihilominus dicendum est, Christum post Ascensionem in cœlum, subinde in terris visum, secundùm veram, corporalē, ac sensibilem præsentiam; vt Apostolus testatur. 1. Cor. 15. *Nouissimè omnium visus est & mihi*, scilicet præsentia, ac visione corporali, non minùs vera & reali, quàm aliis Apostolis. Nam non minùs constituebatur testis Resurrectionis, quàm alij Apostoli; vt notat Chrysost. hom. 38. in Acta: & Orīgenes lib. 2. *contra Celsum.* & Act. 9. ponitur differētia inter Paulum & comites, quòd illi vocem audierint, sed nihil viderint: Paulus autem Dominum audierit & viderit. Quod c. 22. repetitur. & Ananias dixisse narratur: *Deus Patrum nostrorum præordinauit te, vt videres iustū, & audires vocem ex ore eius, &c.* Vndè 1. Cor. 9. *Nonnè*, inquit, *Iesum Dominum nostrum vidi?* Act. 22. iterū Christus apparuit Paulo in Templo Hierosolymitano. & ca. 23. nocte assistens ei Dominus ait: *constans esto.* Apparuit etiam Petrò Romæ discedenti, dum eum rogauit, *Domine quò vadis?* quam Historiam recitat Ambrosius epist. 32. & alij. Dionysius Areopag. epist. 8. refert, Christum de cœlo in terram descēdisse, Carpòque apparuisse ac dixisse: *Paratus sum iterum pro hominibus saluandis pati.* Denique in sanctorum historiis legimus, Christum apparuisse S. Antonio; item Petro Alexandrino, Victori, apud Paulinum epist. 34. Tarsillæ apud Greg. lib. 4. dialog. cap. 16. & S. Martino apud Sulpitium.

terra visus est a Paulo, Petro, & aliis.

Sciendum hìc tamen est, Christum sæpius apparuisse, non in propria & visibili specie in terris existente; sed aut per imaginariam visionem, vel per representationem extrinsecam & visibilem in aliquo aëreo corpore, ad eum modum, quo ante Incarnationem sæpius apparuit: aut per visionem externam & corporalem, qua Christus in cœlo existens se in terra conspiciendum exhibuit, quo modo Stephano stans in cœlo apparuit: vel denique interdum apparuit per corporalem & realem præsentiam in propria specie, non cœlum deserendo, sed duobus locis corpus idem collocando. Quod in Eucharistiæ mysterio quotidie fieri credimus, vt scilicet idem Corpus multis in locis existat: in cœlo quidem secundùm proprium, & naturalem exi-

Christus post Ascensionem nem aliquando se in terra præsentem exhibuit.

Christus post Ascensionem in

Idem corpus in pluribus locis esse potest.

stendi corporis modum; in Eucharistiæ verò Sacramẽto per modum substantiæ, ita vt ratione propriæ quantitatis positionem, seu habitudinem ad locum non obtineat.

CAP. CCLIII.

Septimus articulus.

Inde venturus est iudicare vivos & mortuos.

HOc articulo septimo profitemur, nos credere, hunc eundem Iesum Christum, qui ad cœlum propria virtute ascendit, iterum è cœlo in terram verè ac realiter venturum, ad iudicium vniuersale de omnibus hominibus peragendũ: Iuxta quod Apost. dictum est, Act. 1. *Hic* IESVS, *qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Apostolus ad Philippenses 3. exponens, vnde Christus venturus sit: *Nostra*, inquit, *conuersatio in cælis est, vnde etiam Saluatorẽ expectamus.* & 1. Thessal. 4. *Hoc autem vobis dicimus in Verbo Domini, quoniam ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cælo.* INDE igitur, id est, de cælo.

Adventus Christi ad Iudicium.

Venturus autem est Christus, Deus Homo: eadem scilicet Persona, quæ semel venit in vterum purissimæ, Virginis dum VERBVM *Caro factum est*, quæ venit ad nos redimendum, docendum, ad intercedendum, quæ venit pati, & iudicari pro nobis, quæ absoluto mortalis vitæ decursu ascẽdit in cœlum, & ibi cum Deo Patre regnat, in nouissimo die in terram descendet, vt ab omnium hominum actionibus, dictis, cogitationibus, factis rationem exposcat, & vnicuique secundum opera, meritaque sua retribuat, præmia vel supplicia. Et quidem Christus veniet in forma humana visibilis. 1. Vt intelligamus, maxima æquitate & sapientia hoc iudicium peragendum, quod à Deo cõmittetur sapientiæ Patris. Filius enim sapientia est genita, & veritas à Patre procedens; ideo *Pater omne iudicium dedit Filio* (Ioan. 5.) non solùm secundùm diuinitatem per æternam generationem; sed etiam secundùm humanitatem, iuxta illud Ioan. 5. *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*, id est, secundùm quod homo est, vt scilicet in ea carne iudicet, in qua iudicatus est.

Christus per naturã humanam iudicabit.

Secundò, Congruebat iudicium vniuersale de hominibus ei committi, qui cum eis affinitatem habens compãti posset, ne alioqui Dei iudicium durius, audéxque implacabilis aut suspectus videri posset, si homo is non esset. Quam rationem indicat Apostolus Hebr. 4. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati.*

Cur pater filio iudicium commiserit?

Tertiò, Decebat iudicium de hominibus committi Regi, Domino, Capiti, & Redemptori hominum: at Christus est Rex, & caput Ecclesiæ, omniúmque hominum redemptionis iure Dominus. *In hoc enim mortuus est, & resurrexit, vt mortuorum et viuorum dominetur.* Rom. 14. Psal. 2.

Quartò, Quoniam æquissimum est, vt qui ab hominibus iniquè iudicatus est, & pro eorum salute passus, de iis vicissim iudicet. Iuxta illud Iob 36. *Causa tua quasi impij iudicata est: iudicium, causamque recipies.* Apoc. 3. *Ego vici, & sedi in regno Patris mei.* Augustin. serm. vlt. *de Verbis Domini.*

Quintò, Conueniebat, vt iudicandi iudicem viderent; iudicandi autem erant boni & mali: restabat ergo, vt in iudicio forma serui bo-

nis & malis ostenderetur; forma verò Dei solis iustis reseruaretur, Aug. ser. 64. *De Verb. Domini.*

Sextò, Veniet Christus, vt hominum corpora resuscitet, ac cum animabus transferat in cœlum, aut mittat in ignem æternũ: Congruit ergo, vt tunc Christus in visibili humana forma se omnibus exhibeat, sententiáque eius voce sensibili prolata exaudiri queat. Aug. tract. 23. in Ioan. Fulgentius *De fide ad Petrum* cap. 28.

Septimò. Id conuenit ad bonorum solatium, quorum Patronus futurus est Iudex. Rom. 8. *Quis est qui condamnet? Christus Iesus qui mortuus est, qui & resurrexit, & est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.*

Octauò. Conueniens erit, Hominem Christum venire cùm maiestate magna, & potestate, ad confusionem impiorum, qui videbunt in nubibus cœli eum, quem priùs contempserunt, cuius doctrinam & præcepta spreuerunt. Ioan. 19. *Videbunt, in quem transfixerunt.* Zachariæ 12. Matth. 24. *Amodo videbitis filium hominis, sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* Marc. 4. Daniel. 7. *Ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat.*

CAP. CCLIV.

De Christi duplici Aduentu.

Aduentus Christi duplex: vnus humilis, alter glorioſus.

IN scripturis sacris duo Christi aduentus celebrantur: PRIOR humilis & mansuetus, quo *Verbum caro factum* apparuit, quem Patriarchæ, Prophetæ, vniuersique Iudæi sæpe à Deo repromissum exoptarunt, quia in hoc mysterio suæ liberationis spem defixerant. Isaiæ 64. *Vtinam diſrumperes cælos, & descenderes;* Habac. 2. *Expecta eum: quia veniens veniet, & non tardabit.* Psal. 71. *Descendet sicut pluuia in vellus.* Ioan. 8. *Abraham Pater vester exultauit, vt videret diem meum.* Matt. 13. *Multi Prophetæ, et iusti cupierunt videre, quæ vos videtis.*

Posterior Christi aduentus, visibilis & manifestus in mundi consummatione futurus est, cum multa gloria & maiestate, ad iudicandum omnes homines. De quo Act. 1. *Hic* IESVS, *qui assumptus est à Deo, iudex viuorum & mortuorum.* 2. Timoth. 4. *Testificor coram Deo, & Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos, &c.* Ad Titum 2. *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, &c.* Apoc. 22. *Venio citò. Veni Domine Iesu.* Apoc. 21. *Ecce venio citò, &c.* Matth. 25. & 26. atque Marci 13. *Videbunt filium hominis, venientem in nubibus cæli, &c.* Vocatur autem hic Christi aduentus *Dei Domini*, 1. Thess. 5. *Dies illa.* Marci 13. *Dies reuelationis iusti iudicij Dei*, Rom. 2.

Psal. 49. Marci 13. Lucæ 21. Zachariæ 14. Aug. serm. 220. de tẽpore.

Aduentus Christi visibiles duo.

Hos Christi duos aduentus Iudæi non valentes discernere, Christum humilem & abiectum, in sua venientem non receperunt, (Ioan. 1.) sed reprobarunt atque crucifixerunt: in quem verò Gentes crediderunt, & secundò ad Iudicium exercendum cum maiestate venturum credunt: Iuxta illud Gen. 49. *Et ipse erit expectatio gentium*; scilicet ad iudicium, sicut antea Iudæorum fuerat expectatio, quantum ad priorem aduentũ in carnem. Matt. 11. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?*

At prænunciato duplici eius aduentu; *vno*, qui exercitio & exemplo hominis fungeretur; *altero*, qui Deum fateretur, non intelligendo primum, qui in Passione occultus præcessit, vnum tantùm

Christi aduentum Iudæi credunt, *qui erit in potestate manifestus*; vt habet Cyprianus lib. *De vanitate idolorum*; & Lactantius lib. 4. cap. 16.

Primus Christi aduentus à 2. distinguendus.

Verùm scriptura tam veteris quàm noui Testamenti, hos Christi duos aduentus, diuersos esse tradit: ***vnum*** vocans, Primum; ***alterum***, Secundum: vnum in humilitate, alterũ in maiestate. Ac vtrumque Christi aduentum nouissimo tempore futurum ait Scriptura, quia totum gratiæ tempus (quod à primo Christi aduentu protenditur vsque ad secundum) respectu æternitatis sit veluti dies vnus. 2. Petri 3. vel quia est vltimus status viatorum, in quo data est lex Dei, cui non succedet altera, sed tantum status æternitatis. Vndè à Ioan. 1. epist. c. 2. vocatur ***hora nouissima***. In cuius scilicet initio fuit primus Christi aduentus, & in eius fine secundus erit. Prior aduentus factus est per substantialem mutationem, scilicet per VERBI Incarnationem, & humanam Christi conceptionem, & generationem: secundus verò fiet per localem motionem. Veniet enim sicuti abiuit, Actorum. 1.

CAP. CCLV.

Quò Christus venturus sit?

CVm fide teneamus, Christum ad certum terræ locum venturum, in quo congregabuntur omnes iudicandi: superest explicemus, in qua terræ parte hoc iudicium futurum sit?

Christus veniet ad vallem Iosaphat.

Ex cap. 3. Ioëlis communi Patrum opinione locus Iudicij futurus putatur in valle Iosaphat, quæ sita est inter mõtem Oliueti & Calvariæ, per quam transit torrens Cedron supra quam vallem Christus in aëre velut in Throno conspicuus, omnibus apparebit; tam iustis, qui ad eum in aëra rapientur, quàm impiis, qui in terra relinquentur. Vndè satis colligimus, Christum non vsque ad terram descensurum, sed in nubibus cœli corporaliter & sensibiliter apparicturum; vt Matth. 24. Lucæ 21. Marci 13. Act. 1. prioris ad Thess. 4. & Danielis 7. continetur. & Hilar. in 25. cap Matth. notat. Conuenientissimum autem est, vt vbi Dominus ignominia fuit affectus, ibi quoque gloriosus appareat, suámque maiestatem ostendat. Ne quis verò loci angustiam corporibus impiorum non sufficere dicat, sciendum, supra vallem Iosaphat iudicem in aëre sessurum; impios verò in ipsa valle ac circumuicinis locis fore, & quidem situ etiam à sinistris Christi, iustos autem à dextris: quãquam rectè per sinistrã & dextram etiam intelligatur locus fœlicitatis & infelicitatis, honoris & abiectionis beatitudinis, & miseriæ.

Christus in nubibus cœli corporaliter apparebit.

Impijin iudicio etiam situ à sinistris Christi iudicis erunt.

CAP. CCLVI.

Quando Christus venturus sit?

EX scripturis certum est, secundum Christi aduentum ad Iudicium exercendum, in extremo tempore durationis mundi futurũ. Vndè quæstio de tempore Iudicij, & Aduentus Christi, coniuncta est cum quæstio de consummatione & occasu mundi: qui non, quoad substantiam elementorum & corporum cælestium finietur, sed quoad officium generationis & corruptionis hominum, rerúmque illi viui subseruientium. Quando autem, quoad ista mortali vitæ necessaria officia

De tempore iudicij & aduentus Christi. Matth. 25.

Mundus cõsummabitur, quoad officia generationis & corruptionis.

officia periturus sit mundus, naturali ratione inuestigari nequit: quia sicut creatio, ita & mundi conseruatio, ex libera Dei voluntate dependet. Durationis autem mundi primaria causa est, vt impleatur prædestinatorum numerus, qui quoad primam prædefinitionem & electionem, similiter quoque à sola Dei libera voluntate pendet, quæ proindè inuestigari ratione nequit: vndè non potest numerus ille prædestinatorum sciri, nisi Deus reuelet. Ac facta illius numeri reuelatione, nondum constabit, quando numerus ille sit complendus, nisi etiam hoc ipsum Deus manifestet. At ex scripturis clarum est, Deum noluisse hominibus, imò ne quidem Angelis diem illam notam facere. Mar. 13. *Dic nobis quando ista fient? Respondit Apostolis Dominus: De die illo vel hora nemo scit.* & Matth. 24. addit. *neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater*, Act. 1. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* 1. Thessalon. 5. *De temporibus autem & momentis non indigetis, vt scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.* 2. Thess. 2. *Non citò moueamini, etc.* Eodèm pertinent verba Christi apud Lucam cap. 17. & 21. Et Zachariæ 14. vocatur *Dies nota Deo*, quia soli ei cognita est. Ex quibus sequitur, tam incertum esse tempus consummationis mundi, aduentúsque Christi ad Iudicium, quàm vnicuique incertus est mortis suæ dies: ac proindè non esse curiosè de nouissimo iudicij die perquirendum.

Sicut creatio ita & cõseruatio mundi ex sola Dei libera voluntate pẽdet.

Numerus prædestinatorum sola Dei reuelatione sciri potest.

Tam incerta est dies Iudicij, quam mortis cuiusque.

Aug. li. 10. de ciuit.

Vtrùm autem Christi & Animæ iustum diem nouerit, ambigi posset. Nos undubitatum esse dicimus, Animam Christi diem illam cognoscere, non quidem naturali scientia, sed beata & infusa.

Anima Christi scientia infusa diem Iudicij nouit.

Ab Angelis verò, aliísque Beatis, probabilius est non cognosci, quia Deus eis non reuelet, cùm sit liberum speculum exhibens in Verbo, quæ sibi placent. Quare non solùm latet nos dies, hora, vel annus, sed etiam, post quem annorum numerum futurum sit Iudicium. Vndè incertam illorum opinionem esse consequitur, qui Mundum sex millibus annorum duraturum, & in fine illorum Iudicium, & Christi Aduentum futurum asseruerunt. Cuius opinionis fuit Lactantius lib. 7. *De Instit.* cap. 14. & 25. & Iustinus quæst. 71. *ad gentes.* Iren. lib. 5. *Cont. hæreses* capit. 28. Hilar. cant. 17. in Matth. Hieronymus epist. 139, *ad Cyprianum Presbyterum.* & in cap. 4. Micheæ. Augustin. lib. 20. *De ciuit.* cap. 7. eandem opinionem recensens, non iudicat improbabilem. Galatinus lib. 4. cap. 20. Hebræos Rabinos idem sensisse refert. Coniectura verò, qua isti vtuntur, est, quia sex diebus creatus est Mundus, & in sabbato requies fuit. *Sed apud Deũ mille anni, sicut dies vna:* ergo durabit Mundus sex millibus annorum. & posteà quies stabilis æternitatis erit. Addúntque Hebræi, teste Gal. lib. 1. & Genebrardo, initio Chronograph. duo millia annorum ante Legem, duo millia Legis, & duo millia temporis Messiæ futura. Christus enim natus est secundùm Hebraicam veritatem, circa quater millesimum annũ à creatione Mundi: nũc ergo agitur annus quinquies millesimus sexcentesimus creationis mundi, supersunt ergo quadringenti anni, in quibus facilè compleri possunt vniuersa, quæ in scripturis prædicta sunt fore ante diem iudicij, vt finito sexto millesimo annorum numero, mundi finis aduenìat. Quamquam verò hæc opinio incertis tantùm coniecturis nitatur,

Angeli diẽ Iudicij nescìunt.

Tempus iudicij incertum.

Lib. 4. Esdræ. c. 5. 11. & 14.

An post sex millia annorũ venturus sit Christus, incertũ est.

Aug. li. 20. de ciuit. ca. 7.

Probabilis opinio est, quòd expleto sexto annorum millesimo, sit futura mũdi consummatio.

ideóque prorsus incerta sit attamen falsitatis conuinci nequit, sed ipse rerum euentus demõstrabit, vtrùm verè in falsò istud fuerit assertum. Opinio autem eorum, qui sequuti LXX. Interpretes, arbitrati sunt, Christum natum fuisse, currente iam sexto millenario à Creatione Mundi, ex ipso rerum euentu falsa fuisse deprehenditur. Nam Lactantius sua ætate tantùm superesse ducentos vsque ad secundùm Christi aduentum annos dixit. Cyprianus in præfat. lib. *De exhort. Mart. Sex mille anni iam plenè complentur, ex quo hominem Diabolus impugnat.* Ambrosius libro 7. in Lucam, *sex millia annorum completa* scribit.

Ferè omnes Veteres aduentum Christi instare putauerunt.

Alij verò ex signis in Euangelio prædictis, coniecturam instantis Aduentus secundi Christi posse sumi arbitrati sunt. Vndè propter huiusmodi signa ferè ab initio nascentis Ecclesiæ orta est suspicio, quòd dies Domini instaret. Quam opinionem licet Apost. 2. Thessal. 2. euellere conatus fuerit, attamen semper fuêre, qui propinquum affirmarent Domini aduentum quãuis non tam proximum, quàm Thessalonicenses putabant. Hieron. libr. *Descript. Eccles.* refert, quendam Iudam nomine, circa sua tempora futurum iudicium asseruisse, quia magnitudo persecutionum præsentem occasum mũdi cõminaretur: quem licet ibi reprehendat, in epist. tamen 11. ad Agerunchiam in eandem penè descendit sententiam. Tertullianus lib. *De fuga in persecut.* capit. 11. *Antichristo*, inquit, *iam instante*. Cyprianus *pro certo tenere* vult, *occasum seculi, & Antichristi tempora appropinquasse*, epist. 63. Basil. epist. 71. *An nouissima hora est, an hoc pacto initium sumit defectio?* Chrysost. hom. 33. in Ioan. illa Pauli ad Philip. 4. verba *Dominus propè est*, de secundi Aduentus propinquitate exponit. Ambrosius Oratione de Satyro: *Raptus est, ne totius orbis excidium, ne mundi finem videret.* Gregor. lib. 4. epist. 72. & 38. & homil. 1. in Euang. Bernard. serm. 6. in Psal. 90. sic loquuntur, quasi proximè Aduentus Christi secundus instet.

Sed longo rerum experimento constat, nulla hactenus notari potuisse propria & specialia signa appropinquantis iudicij. Nam eadem, quæ nunc sunt, ante mille annos fuerunt: ex quo colligimus, signa hæc non esse illa, de quibus Christus dixit: *cùm videritis hæc omnia, scitote, quia propè est in ianuis.* Augustinus libro 18. *De Ciuit.* capite 53. & libro 20. capite 7.

Nulla hactenus propria signa Christi aduentus notari potuerunt.

CAP. CCLVII.

Vtrùm diem Judicij ignorari vtile sit?

EX eo, quòd Christus de tempore nouissimo interrogatus illud reuelare noluerit, colligimus expedire fidelibus, vt tempus secundi Aduentus Christi ignorent. Nam licet omnibus statutum sit, mori, attamen diem, tempus & horam Dominus nos ignorare quoque voluit: primùm, ne homines pernicioſa securitate in vitia proruerẽt, pœnitentiam aspernarentur, rectèque viuere, ac instituta à Domino salutifera Sacramenta in finem vsque vitæ suscipere differrent. Secundò, vt quilibet quasi mox ex hac vita migraturus, suam vitam institueret, & humanæ societatis officia quasi semper victurus exequeretur. Similiter autem Deus secundùm Christi Aduentum certum quidem, sed illius tempus, diem & horam incertum

Diem mortis & iudicij expedit ignorare.

Ne concipiatur pernicioſa securitas.

Vt semper vigilemus.

esse voluit, vt fideles semper vigilarent, suique Domini aduentum præstolarentur. Quam rationem Dominus ipse Marci 13. & Matth. 24. expressit: & ideò diem aduentus sui comparat cum tempore diluuij, & Sodomæ perditionis, Lucæ 17. Matth. 24. Apostolus 2. Thessalon. 5. pari ratione ad vigilandum hortatur. Hinc Dominus variis propositis exemplis incertitudinem hanc Aduentus sui inculcat similitudine *serui, expectantis Dominum suum*: item *patris familias, vigilantis contra furem*: necnon *hominis peregre profecti*, ac *virginum expectantium sponsum*. Matth. 24. insinuat Dominus, propterea diem illum ignorari, vt ministeriis huic mortali vitæ necessariis homines incumbant. *Quis* enim *plantaret, sereret, ædificaret, aut propagationi Ecclesiasticæ intenderet, si certum suæ mortis, seculique consummationis diem præsciret?* vt monet Augustinus in Psalm. 36. contra. 1. & in Psalm. 144.

Vt ministeriis huic vitæ necessariis incumbamus.

Dies & hora Christi aduentus incerta.

Porrò, quemadmodum tempus Aduentus Domini est incertum, ita etiam, qua die hebdomadis, & qua diei hora, nocturna, vel diurna venturus sit. Lactan. libro 7. capite 19. existimat, Christum venturum Dominica die, ac eadem hora, qua resurrexit, circa diluculum scilicet, hora matutina. Alij arbitrantur, Christum circa medium noctis venturum, ex cap. 17. Lucæ: *In illa nocte duo erunt in lecto, &c.* Et Matth. 25. *Media nocte clamor factus est.* In quem locum Hieronymus traditionem Iudæorum esse dicit, quòd Christus media nocte veniet, sicuti venit Angelus, qui Ægyptiorum primogenita percussit. Et Cassiodorus in illud Psalm. 118. *Media nocte surgebam: Hoc*, inquit, *tempore primogenita Ægypti percussa sunt, & Sponsus venit.* Sed hæc omnino incerta esse, conuincit illud Marci 13. *Vigilate, quia nescitis, quando Dominus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an malè. Quod autem vobis dico, omnibus dico:* Vigilate, *ne cùm repentè venerit, inueniat vos dormientes.*

An diluculo? An media nocte?

Sed quomodo ad omnes hoc pertinere potest, cùm Aduentus Christi secundus in fine seculi tantùm futurus sit?

Respondeo, vnumquemque de nouissimo huius vitæ die sollicitum esse debere, ne imparatum Dominus inueniat: quoniam talis in nouissimo die iudicabitur, qualis in morte fuerit. Tunc ergo vnicuique aduenit dies Domini, quando aduenit dies illa, qua hinc talis exit, qualis in nouissimo die iudicabitur. Quare meritò Dominus omnes *vigilare* iussit, & Apostoli nouissimam horam instare dixerunt: quia *nouissimus vnicuique dies est, mortis dies*, vt monet Augustinus sermo. 49. *De tempore*. & 16. *De verbis Domini*. & Epist. 80. Et Hieronymus atque Basilius de cuiusque mortis die interpretantur illud Isaiæ 13. *Vlulate, quia propè est dies Domini*. & illud Amos 5. *Væ desiderantibus diem Domini*, & Ioëlis 2. *Venit dies Domini*, Abacuc 2. *Veniens veniet, et non tardabit*. Similiter Dominus, ne quis ea, quæ de suo aduentu prædixerat, inania putaret (Matth. 24.) addit: *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea nõ præteribunt*, confirmans, vniuersa citò & certò euentura. Non enim ignorabat, futuros illusores, qui dicerent: *Vbi est promissio, aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierũt, omnia sic perseuerãt ab initio creaturæ.* Quibus respõdet Petrus 2. epi. cap. 3. *Dominum non tardare promissionem suam, quoniam dies vna sit*

Talis quisque iudicabitur, qualis moritur.

Nouissima dies cuique est mors.

Deus non tardat promissionem suam.

apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus: ideóque ad illum diem vnumquemque se præparare debere, quia (vt ait Dominus Lucæ 12.) *qua hora non putatis, Filius hominis veniet.*

CAP. CCLVIII.

De Signis aduentus Christi.

Signa Christi aduentus.

QVamuis definitum Aduentus sui tempus Apostolis reuelare Dominus noluerit, attamen non nulla eiusdem aduentus signa expressit, eáque triplicis generis. Quædam communia, significantia futurum quandoque Domini aduentum ad iudicium: qualia fuêre Diluuium, Sodomæ vicinarúmque ciuitatum subuersio, Ægyptiorum in mari rubro interfectio, Iudæorum transmigratio, Templi Hierosolymitani euersio, Iudæorum inter Gentes dispersio, Euangelij per totum Orbem prædicatio, Gentium ad Christi fidem conuersio, Hæresεon ortus, bellorum multiplicatio, fames, pestilentiæ, terræ motus, schismata in Ecclesia, fratrum odium, defectio à fide, veritate, bonis operibus, Sacramentorum contemptus, potissimúmque sacrificij externi abolitio.

Signa quæ communia futuri Iudicij. Matth. 24. Marci 13. Lucæ 21. & 29.

Cyril. catech. 15.

Secundi generis signa non tantùm fore, sed etiam immínere Christi aduentum denunciant: cuiusmodi sunt: Prædicatio Euangelij per omnes omnino gentes. Matth. 24. *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gẽtibus: et tunc veniet consummatio.* In quem locum Hilarius, Cyrillus, catech. 15. Theodoretus in Comment. 2. Thessal. 2. Damascenus lib. 4. cap. 27. Euangelium non fuisse vbique annunciatum, tempore Origenis asserit ipse homil. 28. in Matthæum, nec tempore Constantini, affirmat Ruffinus lib. 10. Histor. c. 9. neq; tempore August. scribit idem epistol. 80. Nec tempore Bernardi, fatetur ipse lib. 3. *De consideratione ad Eugenium*: imò nondum Anno MD. ex Noui Orbis conuersione constat, in quo nulla extinctæ fidei Christianæ vestigia reperiuntur.

Signa imminentis Iudicij.

Euangelij per omnes gentes prædicatio.

Eiusdem generis signum est, Romani imperij abolitio: vt Apostolus significat 2. Thessalon. 2. *Nisi venerit discessio*: quod de Romani imperij subuersione intelligit Tertullianus lib. *De Resurrect. carnis*, & in Apolog. cap. 32. Ambrosius & Chrysostomus in commentario, Lactantius libro 7. capite 15. Hieronym. qu. 11. ad Algasiam. Cyril. catechesi 15.

Imperij Romani abolitio.

Antichristi reuelatio.

Ad hoc signorum genus quoque pertinet, Antichristi reuelatio, vt Apostolus 2. ad Thessalon. 2. indicat. Daniel. c. 7. & 12. August. lib. 20. *De ciuit.* c. 19. Similiter Henoch. & Heliæ prædicatio. Malachiæ 4. *Ecce ego vobis mittam Heliam.* Ecclesiast. 44. *Translatus est*, &c. Matt. 17. *Helias venturus est.* Apoc. 11. *dabo duobus testibus*, &c. Augustinus libro 20. *De ciuit.* capite 29. ait, communem esse fidelium sensum, quòd per Heliæ prædicationem futura sit Iudæorum ad Christi fidem conuersio, ante Christi Aduentum ad iudicium.

Henoch, & Heliæ prædicatio.

Iudæorũ conuersio.

CAP. CCLIX.

De Antichristo.

ANtichristi nomen idem sonat, aduersarius Christo: qua generali significatione non solùm ad hæreticos, qui sub

Antichristi nomẽ quid significet.

Christi nomine ipsius doctrinę contradicunt, & ad malos homines, qui moribus, & vita Christo aduersantur, sed etiam ad malignos spiritus extenditur, iuxta illud Ioan. *Antichristi multi facti sunt*, Ambrosio teste in 21. cap. Lucæ. Gregor. lib. 29. Moral. capit. 6. Rabano in libr. *De Antichristo*. Quanquam verò in hac generali significatione *Antichristi* nomen plurimis communicetur; attamẽ certum aliquem particularem hominem futurum credimus, qui per antonomasiam, & nominis proprietatem, *Antichristus* sit vocandus, qui cum Christo de sede, atque dignitate cõcertaturus sit, volens Deus ipse haberi: in quo omnes Prophetiæ de Antichristi regno, & de perditionis filio sint adimplendæ. Daniel 7. 8. 9 & 12. Ioan. 5. *Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*. Apostolus 2. Thessalon. 2. *Homo peccati* (Apoc. 11. 13. 17. 18. & 20.) Item, *Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus* IESVS *interficiet spiritu oris sui*. Vbi voces illæ, *alius, illum, quem interficiet*, euidenter insinuant, Antichristum fore verum & singularem hominem, non incarnatum dæmonem, neque hominem, à dæmone absque humano semine formatum, vt docet lib. 4. *De fide* cap. 27. Damasc. Itaquè sicut Christus in veteri Lege promissus, singularis homo fuit, quanquàm secundùm quandã participationem gratiæ, aut sacerdotalis vel regiæ vnctionis, alij sint Christi appellati: ita quidam est singularis homo, Christi hostis omnium acerrimus, quem *Antichristum* appellamus: qui secundum Christi aduentum proximè antecedet, quamuis propter participationem vel similitudinem cum illo, alij etiam nomen Antichristi sortiantur. Quod expressè tradit Apostolus 2. Thessal. 2. *Nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis*: & infra: *Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus* IESVS *interficiet spiritu oris sui, cuius est aduentus secundùm operationem Sathanæ in omni virtute*. Vbi euidenter sermo est de singulari persona. Et Apoc. 13. describuntur actiones, mores, imò & propriũ nomen Antichristi, quod continebit numerum sexcentorum sexaginta sex. Ac deniquè Apostolus veluti signum imminentis aduentus Domini ad iudicium, proponit Antichristum, eiúsquè persecutionem 2. Thessalon. 2. At si Antichristus non esset certa quædam singularis persona, nullum esset signum.

Damascenus li. 4. de fide c 27. Fhier q. 11. ad Algasiã. Aug. tract. 3. in 1. can. Ioan.

Antichristus erit quidam singularis homo.

Sicut Christi nomen, ita & Antichristi, nõnullis propter similitudinem, ac malitię participationẽ tribuitur.

Nomen Antichristi continet. 666.

Quisnam autem futurus sit Antichristus, vbi, & ex quibus nasciturus, quo nomine appellandus, vbi regni sedem collocaturus, & quo mortis genere interficiendus, nobis incertum est quia de his nõ nisi obscurissimè loquutus est Spiritus sanctus. Quidam opinantur, ex Iudaïco populo, de Tribu Dan nasciturum, ex cap. 49. Gen. Et Ierem. 8. *Fiat Dan coluber in via*, &c. *Ex Dan audiuimus fremitum equorum*. D. Hieronymus in 11. cap. Danielis, & Rabanus in 8. cap. Apoc. & lib. *de Antichristo*, opinantur, in Babylonia ex Iudæorum populo nasciturum. Ambros. *De benedict. Patriarcharum*, in 2. c. 2 ad Thessal. asserit, fore circumcisum. Addunt alij, quòd se Messiam & promissum Iudæis Christum esse affirmabit, & pro tali à Iudæis recipiętur. Iuxta illud Ioan. 5. *Si alius venerit in nomine suo, illum recipietis*. Cyrillus catechesi 15. scribit, studiosum fore Templi Hierosolymitani, vt de semine Dauidis descendere putetur. Sulpitius lib. 2. dialogi scribit, imperaturum omnibus, vt circum-

De ortu & natiuitate Antichristi.

Beda & alij in 7. c. Apo. dicũt, omitti tribum Dan, quando signantur electi, propter Antichristum ex ea nasciturum.

Iren. lib. 5. Hippolytus in oratione de consummatione mundi.

cidantur. Gregor. lib. 31. mor. cap. 10. & lib. 11. epist. 3. dicit, etiam Sabbati, aliarúmque Iudaicarum cerimoniarum cultorem fore. Sedulius in c. 2. ad Thessalon. tradit, eum omnes Iudaicas cerimonias instauraturum, vt Christi Euangelium soluat. Damascenus lib. 4. cap. 27. ex virgine corrupta per fornicationem nasciturum affirmat. Quidam opinantur, ex virili semine, à dæmone incubo, mulieris vtero injiciendo concipiendum esse: quod fieri posse docet Augustinus lib. 5. *De ciuitat.* cap. 23. Ideóque fore Magum, veneficijs, incantationibus, malisque artibus instructissimum asserit Cyril. catechesi 15. Refert Augustinus libr. 20. *De ciuit.* cap. 19. quosdam sensisse, Antichristum fore Neronem suscitandum: sed id tanquam vanum commentum refellit. Sulpitius lib. 2. Sacræ Historiæ illum errorem de Nerone insinuat, qui tamen libr. 2. dialogi Neronem non fore Antichristum, cum eo tamen venturum, scribit. Sectarij nostri temporis magno consensu docent, Antichristum propriè dictum, non esse hominem quempiam singularem, sed Thronum aliquem, siue regnum tyrannicum, vel sedem apostaticam eorum, qui Ecclesiæ præsident: qualem ore maledico sedem Apostolicam, Papæque regimen esse affirmant. Sed hoc putidum esse mendacium ex eo constat, quod scriptura luculenter doceat, Antichristum fore tyrannum aliquem, qui instante nouissimo Christi aduentu, regnaturus sit annis tribus cum medio tantùm, vt Nicolaus Sanderus *De Monarchia Ecclesiæ*, & Bellarminus lib. 3. *De Romano Pontifice* luculenter demõstrant. Vndè vanam quoque suspicionem esse colligimus eorum, qui Mahometem fuisse Antichristum arbitrati sunt, vt refert Chetoneus in comment. Damascen. lib. 4. capit. 27. Nam ex cap. 2. & 7. Danielis euidenter colligitur, Antichristi regnũ fore postremum inter Monarchias huius mundi, nec oriturum, nisi euerso prorsus Romano Imperio, & inter X. reges diuiso. Tunc demùm Rex quispiam emerget, qui decem regna, in quæ Romanum Imperium diuisum fuerat, inuadet, sibique subijciet: partim potentia, diuitijs ac muneribus; partim vi & fraude. Cuius suprema potestas, & secura monarchia, non nisi tribus annis cum dimidio perdurabit, vt Apoc. 11. 12. & 13. traditur.

Antichristus.

Antichristi Monarchia cui postrema.

Dan. 7. & 12.

Antichristi mores.

Sectariorũ opinio puridũ est cõmentum.

Quantum verò temporis in augenda stabiliendáque monarchia sua impensurus sit, incertum est. Atqui hactenus durat nomen, & dignitas Romani imperij: neque vllum hactenus extitit imperium vniuersale, quod alia regna subiugauerit, & tantùm tres annos cum dimidio duraverit, vt de Regno Antichristi expressis verbis dicitur Apoc. 13, *Data est ei potestas facere menses quadraginta duos* & Apoc. 11. *Conculcabunt sanctam ciuitatem mensibus quadraginta duobus*. Dan. 12. *Dies mille ducenti nonaginta*. De Helia & Enoch verò Apoc. 11. dicitur: *Prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta*, quia videlicet vno mense tempus prædicationis eorum breuius erit Antichristi regno. Accedit, quòd statim post Antichristi interitum, Christi secundus aduentus futurus sit, vt Apostolus 2. ad Thessal. 2. docet, & Dominus Matth. 24. & Daniel c. 7. Apoc. 11. Quidam ex c. 12. Danielis colligunt, inter mortem Antichristi, & aduentum Christi ad iudicium interceßuros dies XLV. tantùm, quod improbabile est: sic enim certò iudicij dies præsciri posset, quod Christus negat. Verisimi-

Apoc. 11.

Henoch & Helias vno mense ante Antichristum occidentur.

Mahometus non fuit Antichristus.

lius est, post XLV. dies ab occiso Antichristo pacatiora fore omnia, receptáq; securitate homines officijs præsenti vitæ necessarijs operam daturos: & dum iam tuta esse omnia dixerint, tandem repentè ac ex inopinato venturum Iudicem, consummationémque seculi. quod insinuare Christus videtur Matth. 24. & Lucæ 17. *Sicut in diebus Noë*, &c.

Alij ex ca. 39. Ezechielis opinantur, post destructionem Gog & Magog, septem menses vel etiam septem annos futuros. Sed responderi potest, Ezechielem non agere ibi de Antichristi morte, sed de alijs eius ministris, qui ante ipsum interficiendi sint. Præterea veteres patres docent, Antichristum origine & professione Iudæum futurum, circumcisum, in Syria siue Babylonia nasciturum, Templique Hierosolymitani studiosissimum, à Iudæis pro Messia recipiendum. Quæ omnia in nullo hactenus Monarcha locum obtinuisse certum est.

Antichristus origine & professione Iudæus.

CAP. CCLX.

De moribus & Antichristi doctrina.

Antichristi qualitates.

SIngularis Christi, Sanctorúmque hostis, ab initio suæ conceptionis ita permittetur à Deo licentiæ dæmonis, vt habiturus sit temperamentum ad omne genus vitiorum propensissimum: vnde nuncupatur *homo peccati*, & per illum dæmon omnem suam malitiam & potentiam exequetur. Hinc, *aduentus eius futurus est secundum operationem Sathanæ:* quia ab infantia tradetur potestati dæmonis, vt omnibus modis eum ad malum inducat, eius motus & actus in pessima semper dirigat. vt Damasc. libro 4. capite 27. docet.

Hier. in 16. c Isa. 2. Thess. 2.

Vbi autem educandus sit, incertum est: inter tamen incredulos & obstinatos ab initio pueritiæ iniquis moribus imbuendum, ac prauis artibus à maleficis & ariolis instruendum, & præsertim astutiâ dæmonis, scribit Cyrillus Catech. 15. vbi ait, habiturum mêtem homicidiariam, immisericordem, præfractam, superbam: quæ omnia satis ex Apostolo patent, qui varijs epithetis hæc insinuat, vocans *Hominem peccati, filium perditionis, illum iniquum, cuius est aduentus secundum operationem Sathanæ, in omni seductione iniquitatis.* Danielis 8. *Consurget rex impudens facie.* Danielis 7. *sermones contra excelsum loquetur.* capite 8. *Cor suum magnificabit.* capite 11. *Eleuabitur aduersus omnem Deum:* quod repetit Apostolus 2. Thessal. 2. *Extolletur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus.* Ideò Gregor. (libro 4. epistola 38.) *regem superbiæ* vocat. Augustin. tract. 29. in Ioan. ait, per antonomasiam describi ex eo, quòd proprij nominis gloriam quærat. Danielis 11. *quòd erit in concupiscentia fœminarum.* Denique quòd *omnia faciet iuxta voluntatem suam*, crudelissimè persequens & occidens sanctos. Initio quidem simulatione, & hypocrisi ad Iudæos decipiendum, & regnum tyrannicè occupandum vtetur, vt persuadeat eis, Christum & Messiam promissum se esse; ideò se benignum & humanum illis exhibebit, speciem bonitatis præ se ferens: & quia temporalia sperant, in eis elargiendis se liberalem ostendet; adiunget simul nonnulla signa, per quæ suadebit, vt pro Messia recipiatur à Iudæis. Cùm autem rerum potitus fuerit, omnem suam per-

Educatio Antichristi.

Antichristus à Iudæis suscipietur.

uersitatem depromet, eóque tanquam organo proprio ad omnem deceptionem, & iniquitatem dæmon vtetur. vt Irenæus lib. 5. c. 29. prosequitur.

Doctrina Antichristi.

Primus autem eius conatus erit, Christum eiúsq; religionem prorsus è medio tollere, suadendo, se verum Messiam Iudæis promissum esse: ideò Christi Diuinitatem & religionem negabit, bellum Ecclesiæ Christi inferet, sanctos omnes ad negandum Christum compellet, vniuersa Sacramenta, potissimúmque *Iuge sacrificium* abolere contendet: Christum odio habebit, eiúsque nomen & religionem euertere conabitur: quo fine Mosaicas ceremonias in principio instaurabit, (vt habet Gregor. lib. 11. epist. 3.) magicáque impostura editis quibusdam portentis Iudæos decipiet: à quibus susceptus persuadebit, nullum alium esse Deum, præter seipsum. Vndè homines inducet, vt se tantùm venerentur, ac pro Deo recognoscant, excellentiore, ac potẽtiore omni illo, qui hactenus nominatus sit Deus. vndè omnia etiam idola auferet, (vt habet Iren. lib. 5. c. 25. Cyril. catech. 15.) vt Iudæis faciliùs imponat. Occultè nihilominus atheus erit, nullúmque præmium aut pœnam in vita futura sperabit, ac propterea solum dæmonem clanculum venerabitur, à quo fallendi artem addiscet, diuitias accipiet, eiúsque ope imperium consequetur: ideóque Maozim (quod præsidium vel auxilium significat) vocabit, quia in eo spem suam omnem constituet. Publicè verò sibi soli templa dicari, cultúmque offerri præcipiet, eáque sola curabit, quæ sibi ad gloriam, vel voluptatem, aut imperium augendum vel conseruandum conducere existimabit. Id autem persuasione atque eloquentia, diuitiarum elargitione, signis prodigiisque falsis, specie quidem admirabilibus, præstare tentabit: quibus posteà terrores, minas, cruciatúsque adiunget. Et signa quidem per seipsum, aliósque sibi cohærentes effecturum, Apoc 19. traditur. Quod Christus Matth. 24. indicauit, plurali numero dicens: *Dabunt signa, & prodigia magna.* Ideóque omnium persequutionum illa erit grauissima, quia vis & dolus, violentia & fraudulentia, locum habebunt. Vis quidem in imperio, dolus autem in miraculis. Et hæc omnia Deus permittet in vindictam peccatorum tunc inundantium, præsertim ob fraternum odium, quod efficit schismata populorum, & ad probationem suorum electorum, qui nec violentia persequutionum, nec fraudulentia blandientium vincentur.

Dan. 7. 11. & 12.

Aug. in Ps. 5. Greg. lib. 32. mor. c. 11. & lib. 33. c. 20. & 21.

Antichristus Metropolim imperij Hierosolymæ constituet. Apoc. 11.

Postquam verò Antichristus dolo & fraudibus regnum, quod nullo hæreditario iure habet, occupauerit, regnum Ægypti, Lybiæ, Æthiopiæque sibi subijciet, ac Metropolim imperij sui Hierosolymis collocabit, vt in Hierosolymitano Templo à se instaurato sedeat, & tãquam Deus adoretur, vbi Helias, & Enoch ei sua prædicatione resistentes ab eo occidentur: qui tandem in Iudæa in Olueti monte, propè Hierosolymam Christi virtute occumbet.

Dan. c. 11. Hieron. in Danielem & q. 11. ad Algasiam.

CAP. CCLXI.

De crudelissima persequutione Antichristi, filij perditionis.

Persequutio Antichristi.

PErsecutionem Antichristi futuram omnium, quas passa est Ecclesia, acerbissimam, Dominus noster Matth. 24. prædixit. Et colligitur ex Daniele capit. 7. 8. 11. & 12. & Apoc.

Apoc. 20. vbi dicitur, quòd soluetur Satanas, qui anteà ligatus fuerat; vt significetur, tantò sæuiorem fore persecutionem, quantò magis potest aliquis nocere solutus, quàm ligatus. De quo vide Augustinum libro 20. *De ciuit.* cap. 8. & 9. Præterea subditur, quòd persequentium infinitus sit futurus numerus, quodque *circumdabunt castra sanctorum, & ciuitatem dilectam*, id est, vniuersam Ecclesiam, vt exponit Augustinus libro 20. *De ciuit.* cap. 11. Qui verò per Gog & Magog intelligendi sint, inquirit ibidem Augustinus & Hieronymus in 38. & 39. cap. Ezech. Insuper atrocitas huius persecutionis in eo elucet, quòd bellum inferetur fidelibus, non præcipuè ob temporalia bona, sed vt homines à fide orthodoxa, veróque Dei cultu auertantur, *vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Cògent enim Antichristi satellites, negare IESVM esse Christum, aut Dei filium, omnésque ritus, ac ceremonias Christianas deserere, cultúmque omnem diuinum, qui à Christianis Deo exhiberi solet (cuius suprema pars est Eucharistiæ sacrificium) interdicent, ac, Deo vero abnegato, soli Antichristo, vel eius Imagini cultum deferri præcipient. Eóque modo Antichristus per se vel per suam imaginem in omnium Christianorum templis sedebit, vt adoretur, 2. Thessalon. 2. Ac deniquè in professionem huius superstitiosi cultus, omnes cogentur in manibus aut frontibus publicè deferre characterem Antichristi: hoc est, certum signum, quod ad signillandum suos cultores instituet; quemadmodum Christi signum est, † CRVX. Ita Lactantius libro 7. capite 17.

Gog & Magog.

Apoc. 13. Antichristus sacrificium Missæ abolere nitetur.

Apoc. 13.

Character Antichristi.

Postremò ad suam doctrinam persuadendam, vtetur verborum eloquentia, amplissimis largitionibus, signis ac portentis, necnon exquisitissimis tormentis: nec vno loco, sed per totum Orbem grassabitur atrox persecutio, vt Apoc. 13. & 20. indicatur, & notat Aug. lib. 20. *De ciuit.* cap. 9. Tunc enim conspirabunt omnes praui homines, hæretici, infideles, & schismatici, vt Antichristo duce fideles persequantur: non tamen militans Ecclesia tunc extinguetur, quoniã plures erunt illustres Martyres, qui cũ soluto dæmone pugnabunt, & vincent, constanter vsque ad mortem retinentes fidem ac propugnantes. Multi quoque in montibus, siluis, locisque abditis confessores persecuerabunt, qui post Antichristi mortem superstites erunt, apud quos non deficiet vsus Sacramentorum, nec oblatio Eucharistici Sacrificij vt notat Augustinus libro 20 *De Ciuit.* cap. 11. & Dominus Matth. 16. *porta inferi non præualebunt aduersus eam.* & Matth. 24. *Propter electos breuiabuntur dies illi.* Apoc. 13. *Adorauerunt bestiam omnes, qui inhabitant terram, quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ.* Admodum verò multos à fide illo tempore recessuros, significat Daniel 7. *Ecce cornu illud faciebat bellum aduersus sanctos, & præualebat eis.* Apo. 13. *Est datum illi facere bellum cum sanctis, & vincere eos.* Matth. 24. *vt in errorem inducantur, si fieri potest, electi.* Et Lucæ 18. *Cum venerit Filius hominis, putasne, inueniet fidem in terra?* & 2. Thessal. 2. *Nisi venerit discessio primùm*, siue Apostasia, id est, defectio à Christo; vt Græci & August. libro 20. *De ciuitat.* capite 19. intelligunt. Lactantius lib. 7. capite 16. Plerique Latini quidem de defectione Romani Imperij interpretantur, sed Apostolus

Dan. 7. Apoc. 13.

Omnes mali Antichristo se iungent ad persequendum Ecclesiam.

Ecclesia eo pore Antichristi non deficiet.

Lactan. lib. 7. c. 16.

Matth. 24.

per antonomasiam, Gentium vniuersalem à Christi fide quasi defectionem insinuare videtur: de qua etiam loquitur ad Rom. cap. 11. *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret.*

Postquam verò Antichristus tribus annis cum medio fideles pro arbitrio persecutus fuerit, tunc Christi virtute ac imperio interficietur, cum suis coadiutoribus fautoribúsque præcipuis, iuxta illud Apoc. 20. *Descendit ignis à Deo de cælo, & deuorauit eos.* Et Ezechielis 38. *Gladius vniuscuiusque in fratrem suum dirigetur, & iudicabo super eum peste, & sanguine, & igne vehementi, et lapidibus immensis.* Et 2. Thessal. 2. *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui*, id est mandato suo, splendore aduentum ipsius præsagiente, aut fortè iussu Christi Michaël Antichristum cum præcipuis tyrannis perimet, vt sentit Beatus Thomas in 2. Thessalon. 2.

CAP. CCLXII.

De Antichristi nomine.

De nomine Antichristi.

EX capit. 13 Apoc. certum est, in proprio Antichristi nomine reperiendum numerum 666. Sed quoniam plurima sunt huiusmodi nomina, prorsus incertum est, quodnam nomen ænigmaticè ibi prænunciatum sit. Ea siquidem vaticiniorum natura est, vt tantequam impleantur, obscura, postea verò quàm impleta fuerint, clarissima fiant: vt notat Irenæus lib. 4. capite 45. id quod experientia etiam constat. Nam Sibylla libro 1. *Carminum* nomen Saluatoris complexum dixerat 888. attamen, nemo IESVM vocandum sciuit, donec Angelus nomen annuncians dixit: *Vocabis nomen eius*, IESVM.

Nomen Antichristi nunc incertum.

Sedem Imperij seu Monarchiæ suæ, Antichristus in Asia, Ierosolymæ constituet, vbi tanquam Rex Iudæorum regnabit: quæ spiritualiter vocatur *Sodoma & Ægyptus*, Isa. 1. Apoc. 11. vbi Henoch & Heliam sibi aduersantes interficiet, ac in Templo Hierosolymitano vtcúnque refecto sedebit, vt ibi tamquam solus fortis & potens Deus adoretur. Quod Dan. 11. significatur, dum glorificaturum Maozim Deum scribitur, id est, seipsum vesuti Deum fortem adorari volet, iubendo sibi exstrui templa, auro, argento, lapidibúsque preciosis exornata. Sic Theodoretus. quod idipsum etiã Apostolus indicat. 2. Thessal. 2. *Ita vt in tẽplo Dei sedeat, ostẽdens se tanquam verum Deum*, cui soli adoratio latriæ tribuenda sit. Iren. lib. 5. Cyril. catech. 15. Chrysost. Ambr. & alij interpretes Apostoli 2. Thessal. 2. Hippolytus. *De consum. mundi: Deum verum Vnum & Trinum contemnet, omniaque idola gentium reiciet, se verò solum esse adorandum, suámque imaginem, affirmabit: quam & in Templo Ierosolymitano, atque Christianorum Ecclesiis erigi curabit.*

De imperij Antichristi sede.

Apoc. 11.

CAP. CCLXIII.

De Henoch & Helia, & de Conuersione Iudæorum.

TEmpore Antichristi redituros Henoch & Heliam, vt se illi opponant, electosque in atrocissima illius persecutione roborent, ac Iudæos ad pœnitentiam & conuersionem ad Christum ante horribile Dei iudicium inuitent, *in sermonibus*

Henoch & Helias venturi.

& cordibus fidelium semper fuit celeberrimum, ait Augustinus lib. 20. *De ciuit.* ca. 29. Cuius rei clarum extat testimonium Eccl. 24. *Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam.* De Helia verò Malac. 4. *Ecce ego mittam vobis Heliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & conuertet corda patrum ad filios, & corda filiorum ad patres eorum.* Eccl. 48. *Qui receptus es in turbine ignis, in turbine equorum igneorum, qui inscriptus es in iudicijs temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filios, et restituere tribus Iacob.* Mat. 17. *Helias veniet, & restituet omnia.* Apoc. 11. *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta.* Occidētur quippè XXX. diebus ante mortem Antichristi, vt est Danielis 12. Apocalypsis 11. & 13.

Occidendi 30. diebus ante mortem Antichristi.

Quòd autem scriptura de proprijs illorum personis, nec solùm de alijs per eos præfiguratis loquatur, ex Malachia & Ecclesiastico palàm est, vbi circumstantiæ adduntur his Personis propriæ; & ad laudem harum determinatarum personarum dicitur, quòd *Henoch fit translatus, Helias* vero *in curru equorum igneorum raptus.* Quod idem communi sensu omnes Veteres tradunt. Hilarius & Hieronymus in 17. c. Matth., Augustinus lib. 20. De ciuit. c. 29. tract. 4. in Ioannem & alibi sæpe. Chrysost. in 2. Thessalon. 2. & Mat. 17. Beda in cap 11. Apoc. Damascenus lib. 4. cap 20. Et Apoc. 11. occidendi ab Antichristo dicuntur, ac insepulti aliquamdiu futuri, tandem verò resurrecturi, atque in cœlum ascensuri.

De conuersione Iudæorum.

Quòd autem per Henoch & Heliæ prædicationem Iudæi ad Christi fidem sint tandem reducendi, Malachias cap. 4. Ecclesiasticus ca. 48. & Dominus Matth. 17. affirmat, de Helia dicens, *Restituet omnia*: quia Iudæos adducet ad credendum in Iesum Christum, in quem Prophetæ & Patriarchæ olim crediderunt. Quod mysteriū vaticinatus est Isa. cap. 59. iuxta Augustinum libr. 20. *De ciuit.* c. 29. & Apostolus Rom. 11. *Ex parte cæcitas contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret*, iuxta illud Isaiæ: *Veniet ex Sion, qui eripiat & auertat captiuitatem à Iacob.* Et 2. Paralipom. 15. *Transibunt multi dies, &c.* Et Oseæ 3. *Dies multos sedebunt filij Israël sine rege*, &c. *Et post hæc reuertentur filij Israël ad Deum suum, et requirent Dauid regem suum.* Hanc persuasionem esse celeberrimam in cordibus fidelium, testatur Augustinus libro 20. *De ciuitat.* capite 29. Bernardus epist. 321. 323. & lib. 2. de Consideratione.

Quando autem futura sit publica hæc Iudæorum conuersio, Num priusquam interficiantur Henoch & Helias ab Antichristo, an postquam illos resuscitatos videntes, se ab Antichristo deceptos fuisse animaduertent incertum est. Posteà tamen conuertendos, probabilius arbitror, & fideles recepta securitate officijs vitæ præsentis operam daturos, donec ex inopinato dies iudicij superueniat, quemadmodum in diebus Noë aqua, vt docere videtur Christus Matth. 24. Lucæ 17.

CAP. CCLXIV.

De tertij generis signis.

TErtij generis signa Christi Aduentum proximè indicantia Matth. 24. & Lucæ 21. describun-

Signa Christi aduentū immediatè præcedēt.

tur: *Erunt signa in Sole, Luna, & Stellis. Sol enim obtenebrabitur, Luna et sidera obscurabuntur.* Ioëlis 2. Apoc. 8. Si enim Sol Christo patiente defecit; quantò magis Gloriæ aduenientis cedet? Mare insuper tunc insolitis fluctibus resonabit, vniuersique elementa, & virtutes cœlorum commouebuntur. Quæ quidem insolita prodigia iram Iudicis aduentantis portendent. Quemadmodum enim Legem daturus in monte Sina cum tempestate illum præcedente descendit: ita manifestè venturus ad iudicium, non silebit. Psal. 49. *Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* Equidem S. Petro teste, 2. Petr. 3. *aduenies dies Domini sicut fur, in quo cœli magno impetu transibunt, elemẽta verò calore soluentur, terra autẽ, & quæ in ea sunt opera, exurentur.* Quã cœli, terræ, & maris commotionem prædixit Aggæus capite 2. *Adhuc vnum modicum, & ego commouebo cœlum & terram, & mare, et aridam.* Quem locum Apostolus Hebr. 12. de secundo Christi aduentu interpretatur. Eodèm pertinet illud Psal. 74. *Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea.* Ioëlis 3. *Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum, & mouebuntur cœli & terra.* Et apud eundem Prophetam cap. 2. *Sol conuertetur in tenebras, et Luna in sanguinem.* Cui Ioannes in Apocalypsi consonat cap. 6. Apoc. 6. *Ecce terræ motus magnus factus est, & Sol factus est niger tamquam saccus cilicinus, & Luna tota facta est sicut liber involutus, & omnis mons, & insulæ de locis suis motæ sunt, & Reges terræ et Principes, & tribuni & diuites, & fortes, & omnis seruus, & liber abscondérunt se in speluncis, et petris mõtium. Et dicunt montibus, & petris: cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni, quoniam venit dies magnus ira ipsorum. Et quis poterit stare?* Tunc enim formidabiles quondam Tyranni nudo pectore palpitabunt, & ob potentissimi iudicis præsentiam miserè trepidabunt.

Tunc quoque apparebit signum Filij hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa & maiestate. Matth. 24. Zachariæ 12. Apoc. 1. Danielis 7. Matth. 24. Cyril. Catech. 14. & 15.

Crucis apparitio.

Apparebit verò signum Filij hominis, id est, figura, seu Imago Crucis in nubibus cœli, ad confusionem impiorum, & ad consolationem iustorum, sicut olim sæpius apparuit Constantino & alijs, teste Cyrillo Hierosolymitano. Nubes autem Christi aduenientis claritatem & splendorem vt cerni possit, obtegent, eique loco sedis, aut vehiculi seruiẽt. Vndè in scripturis frequentes in nube Dei apparitiones exhibitas fuisse legimus. Exod. 20. 3. Reg. 4. Matth. 17.

Descendet autem *Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tuba & voce magna.* (1. Thessalon. 4.) Quæ vox Archangeli, iussu Christi corporaliter formata, tam erit efficax, vt eius potentia omnes mortui in ictu oculi resurgant, de qua Ioan. 5. & Matth. 25. *Ecce sponsus veniet, exite obuiam ei.* Hieronymi tomo 4. in *Regula Monacherum* capite 30. *Semper tuba terribilis vestris perstrepet auribus: Surgite mortui, et venite ad iudicium.* Aug. epist. 120. cap. 34. per tubam intelligit euidens aliquod signum. Ioan. 5. Vox Christi aduentẽtis erit, Surgite mortui. Exod. 20.

Huius tubæ figura præcessit in sonitu tubarũ in mõte Sinai, dum Legẽ Moysi daturus Deus in specie ignis descendit: & clangore buccinæ tubarúmque Israëliticus populus conuocari solet. Numer. 10. Tuba quid?

Quòd autem in terribili illo Dei descensu in montem Sinai, typus præcesserit nouissimi aduentus Christi ad iudicium exercendum, insinuatur, Psalm. 49. *Deus noster manifestè veniet, et non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* Et Psalm. 96. *Ignis ante ipsum præcedet.* Ioëlis 2. *Ante faciem eius ignis vorans.*

Ignis conflagrationis præcedet iudicium.

Vbi disertè Propheta docet, ignem postremæ conflagrationis mundi, præcessurum esse iudicium extremum, licet Augustinus opinatus sit, subsequuturum, libro 20. *De ciuit.* cap. 16. Et in Psalm. 96. Quo igne, D. Petrus (2. Epistol. cap. 2.) tradit, inferiora hæc elementa, hominum generationi, ac nutritioni accommodata reuocanda, non quidem substantia; sed qualitate, vt prosequitur Augustinus libr. 20. *De ciuit.* cap. 16. Et in Psalm. 96. Hieronymus in 5. cap. Matth. tractans illud: *Cœlum et terra transibunt.*

Igne purgabuntur elementa.

De Igne illo loquitur Isaias capite 66. *Ecce Dominus in igne veniet.* Malach. 4. *Ecce dies veniet succensa,* Deut. 32. *Ignis incensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima.* De quibus aduentantis Christi signis Dominus Matth. 24. loquens: *Cùm videritis,* ait, *hæc omnia, scitote, quia propè est in ianuis.* Et Lucæ 21. *His autem fieri incipientibus, suspicite, & leuate capita vestra; quoniam appropinquat redemptio vestra,* id est, plena liberatio ab omni malo culpæ & miseriæ.

CAP. CCLXV.

Iudicare viuos et mortuos.

Cur sit aduenturus Dominus?

CAusa nouissimi Aduentus Christi his verbis exprimitur: *venturus est,* vt iudicium in omnes omnino homines exerceat, siue nunc viuant, siue mortui sint, siue adhuc futuri. Quæ doctrina iudicij extremi ad Christianæ fidei pertinet fundamentum; vt ad Hebræorum 6. Apostolus asserit. Ideóque in scripturis fræquenter inculcatur. Actorum 10. *Hic constitutus est a Deo iudex viuorum & mortuorum.* 2. Timoth. 4. *Iudicaturus est viuos & mortuos.* 2. Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit.* Psalm. 97. *Iudicabit orbem terrarum in iustitia, et populos in æquitate.* Psalm. 49. *Deus manifestè veniet.*

Duplex est Dei iudicium: occultum, & manifestum.

Quibus verbis Vates Regius insinuat, duplex esse Dei iudicium: *vnum,* occultum: *alterum,* manifestum. Tempus occulti iudicij nunc agitur. Nihil enim in terris absque Dei iudicio geritur. Nam ad occulta Dei iudicia pertinet, tam misericordia, quæ impenditur indigno, quàm pœna, qua vnusquisque hominum nunc exercetur ad purgationem, aut admonetur ad conuersionem, aut, si contempserit vocationem, & disciplinam Dei, excæcatur ad damnationem. Iudicium autem manifestum est, quod nouissimo die in viuos & mortuos fiet: Augustin. libro 20. de Ciuitat. cap. 1. & 2. In Psalm. 9. initio. Enchir. capite 55.

Quid indicare?

Iudicare communi quadam acceptione significat *æstimare, decernere, statuere.* vndè *Iudicium est discretio boni & mali, veri et falsi*: vt Roman. 14. *Hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri*: id est, decernite, statuite. Act. 4. Petrus: *Si iustum est, vos potius audire, quàm Deum, iudicate*: id est, decernite. Qua significatione ad Dei iudicia pertinere dicuntur, quæcumque à

Deo sunt decreta, statuta, vel ordinata, tanquam iusta: siue martyria, siue flagella, siue punitionis, siue modi, quibus electos saluat, siue rationes eorum, quæ operatur, quæ nobis maxima ex parte inscrutabiles sunt, ac proindè & iudicia Dei.

Iudicare significat etiam condemnare.

Iudicare non rarò, & in scripturis pro *condēnare* ponitur. Ioan. 3. *Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum*, id est, condemnēt. 1. Cor. 11. *Iudicium sibi manducat & bibit. Vt non ad iudicium conueniatis*: Et: *Si nos ipsos adiudicaremus, non vtique iudicaremur.* Matth. 7. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.*

Iudicare, ius dicere, sententiam ferre.

Posttemò, iudicare significat ius dicere, sententiam ex authoritate ferre, seu decernere quid iustum & æquum, an reus sit absoluendus, vel condemnandus, præmio aut supplicio dignus. Hoc modo *iudicandi* vocabulo sumpto, credimus Christum authoritate sibi à Deo data, omnes homines iudicaturum. Iuxtà illud Apocal. 21. *Ecce venio, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera eius.* In illo enim generali iudicio Christus per sententiam definiet, quid iustū sit vnicuiq; secundùm anteactæ vitæ gesta retribui, siue præmium siue supplicium. Ideò dies illa, *retributionis dies* vocatur: non quia Deus alio tempore nō retribuat & iudicet, sed quoniam illa dies constituta sit, vt in ea palàm & manifestè omnibus fiat retributio secundum opera cuiusque. Hinc Apostolus ad Rom. 2. *die reuelationis iusti iudicij Dei*, vocat. Et 1. Cor. 4. *Nolite ante tēpus iudicare, quoadusq; veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarū, & manifestabit occulta cordium.* Tunc enim omniū Dei iudiciorum æquitas, (quę huius vitæ tempore latet) manifestabitur.

Psalm. 49.

Reuelatio iusti iudicij.

Sed hic quæri potest, vtrùm post cuiusq; mortem particulare iudicium detur, an verò vsque ad nouissimum diem iudicium differatur?

Aug. li. 10. de ciuit. ca. 1. & 2.

Respondeò, certa fide credendum esse, statim post vniuscuiusque mortem particulari iudicio definiri de statu animæ, illiusque præmio aut supplicio, iuxtà illud Apostoli ad Hebr. 9. *Statutum semel est hominibus mori, &c.* Eccles. 11. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundum vias suas.* Lucæ 16. Epulo mox *sepultus fuit in inferno, Lazarus autem delatus est in sinum Abrahæ.* Similiter Lucæ 23. dictum fuit Latroni: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Cyprianus serm. de moral. Chryso. hom. 17. in Matth. Aug. li. 2. *De origine animæ*, cap. 4. dicit, *Salubriter credi, animas iudicari, cum de corpore exierint.* Exempla particularis iudicij refert Gregorius lib. 4. dialog. ca. 36. Augu. lib. 1. *De cura pro mort.* c. 12. Beda lib. 5. hist. c. 14. & 15. Ioan. Climacus gradu 7. Item in vita S. Brunon. extat memorabile exemplum de Parisienti quodam doctore. Nec ratio est, cur ordinariè iudicium tunc retardetur, cùm tempus iam expirauerit frugiferæ pœnitentiæ. Leo epist 90.

Particulare iudicium in cuiusque morte.

Animæ de corpore egressu mox iudicantur.

Cum in morte tempus frugiferæ pœnitentiæ expirauerit, iudicium non differtur.

Vtrùm autem in hoc particulari iudicio animæ ad iudicem deferantur, an ibi, vbi corpus est, iudicētur, & vtrùm à Christo in forma humana immediatè sententiam proferente, an potiùs per Angelos eis sententia manifestetur, incertum est, cùm etiam ante Incarnationē Deus particulare iudicium exercuerit. Vndè improbabile est, quòd lib. 3. *De contemptu mundi* c. vlt. Innocētius scribit, Christū in forma Crucifixi omnibus morientibus, siue bonis, siue malis, apparere. Nam in continuo motu esse deberet, plurimísque locis simul esse, aut miracula quotidie operari.

CAP. CCLXVI.

Cur iudicium generale, post particulare futurum sit?

Iudicium generale post particulare.

IVdicium vniuersale omnium hominum esse aliquando futurum, passim scriptura inculcat. Ioan. 5. *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei*, &c. Atque idem late describitur Matth. 24. 25. Lucæ 21. 2. Cor. 1. Thessal. 4. Apoc. 20. & alibi sæpe. Rationes autem congruentiæ huius vniuersalis iudicij post particulare, plures à doctoribus adferuntur, quæ omnes in manifestatione atque commendatione diuinæ iustitiæ fundantur.

Cur post Iudicium particulare sequatur vniuersale.

Iudicium equidem actus est iustitiæ, tam commutatiuæ, quatenus cum vnoquoque seruatur æqualitas, quàm distributiuæ, quatenus inter omnes seruatur proportio meritorum & retributionis. Quod vt commodè fieri queat, rerum suarum dispositio exigit, vt de re mutabili nō nisi completa, perfecta & consummata, feratur iudicium. At opera bona & mala ante seculi finē non sunt absolutè finita: ergo decuit ante mundi consummationem illis cōpletum præmium aut suppliciū non decerni. Sic Diuus Thomas 3. p. qu. 59. art. 5. Basil. li. *De Virg.* Origen. li. 2. in epist. ad Rom. & Apostolus. 1. Tim. 5. *Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium, quosdam verò subsequuntur.* Ex quibus Apostoli verbis colligunt nonnulli impios, atque iustos suo exēplo, litteris, libris, operibúsq; bonis aut malis, vsque ad iudicij diem nocituros aut profuturos, ac proinde opera illorum nō ante illud tempus consummanda, quoad fructus, & nocumenta, vel effectus, qui cum iis connexionem habent, & ex illis velut ex semine profluunt. Conuenientissimum autem est, vt de opere cum omnibus subsequutis effectibus iudicetur, vt impij omnes suarum actionum fructus intuentes magis confundantur, & boni econtra de bonis fructibus magis gaudeant.

De opere completo fertur generale iudicium.

Secundò, Quia ex effectibus operum, malitia & bonitas eorum maximè elucet, ad æquitatem diuini iudicij manifestandam decuit, post hanc omnes actiones humanas istius vitæ, omnésq; illarum effectus, vniuersale iudicium fieri, in quo singula exactissimè perpendantur.

Ex effectibus operi. illorum bonitas, aut malitia manifestatur.

Tertiò, ad manifestationem diuinæ iustitiæ singula hominum opera consideranda sunt, non solùm in se, verùm etiam in ordine ad alios, & ad gubernationem totius vniuersi. Ideoque Deus voluit non tantùm singulos homines priuatim iudicare, sed etiam publicè totum genus humanum, per modum integri corporis politici, cuius omnia bona, & mala, secundùm omnes habitudines in examen deducantur.

Opera singulorum in ordine quoque ad bonū vniuersi considerantur.

Quartò, ad publicam diuinæ iustitiæ manifestationem, oportet omnibus congregatis palàm vnicuique retribui præmia vel supplicia.

Iudiciū generale Dei iustitiā manifestat.

Quintò, in hac vita tanquam in stadio publico decertantibus, proposita est corona gloriæ, aut confusio. 1. Cor. 9. Iustitiæ autem distributiuæ ratio postulat, vt in publico cōfessu omnium congredientium merita conferantur, vt debitus honor, ac præmium singulis cum publica laude, vel confusione tribuatur. Quam rationem insinuat Apostolus 2. Cor. 4. 2. Cor. 5. & ad Rom. 14. *Omnes nos manifestari oportet ante*

Rom. 2. Gloria & honor & pax omni operanti bonum. Nahum 1. Reuelabo pudenda tua in facie tua.

tribunal Christi, vt vnusquisque referat propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Ob eandem causam præmium beatorum vocatur in scripturis, *Corona iustitiæ, vitæ, ac gloriæ*, 1. Cor. 9. 2. Timoth. 4. Apoc. 2. Iac. 1. Corona verò propriè vocatur, quæ victoribus palàm cum celebritate donatur.

Corona victoribus datur.

Sextò, multi, latentes prouidentiæ diuinæ causas ignorantes, Deum iniustitiæ accusant, videntes iniquos in hac vita prosperitatem consequi, iustos autem affligi: oportet ergo, vt occulta ratio diuinæ prouidentiæ & iudiciorum eius in vniuersali iudicio coram omnibus pandatur, vt omnes agnoscant, Deum esse iustum, bonum, fidelem, nec personarum acceptorem, sed pium, & misericordem. 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoad vsq; veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum.*

Rationes latentes iudiciorum Dei reuelabuntur.

Septimò, decuit, vt Christus in primo aduentu tanquam reus publicè iudicatur, in secundò aduentu coram omnibus Gentibus gloriosus iudex appareat: vt impleatur illud Isaiæ 45. *Viuo ego, quia mihi curuabitur omne genu.* Quod de Christo iudicaturo Apostolus exponit. Roman. 14. & Philippens. 2. 1. Corinth. 15. *Oportet Christo subijci omnia*, & Psalm. 109. *Donec ponam inimicos scabellum pedum tuorum.*

Christus Iudex gloriosus.

Octauò, Congruentissimum est, vt qui in hac vita *spectaculũ facti sunt mũdo, Angelis, et hominibus*, etiã coram mũdo, Angelis, & hominibus honorentur, vt impij, qui eos hîc contempserunt; cum ignominia & dolore ibi cogantur dicere, *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum.* Sapien. 5. Iustum enim est vtrorumque sortem commutari, ac impios à iustis confundi, ibique recipere bona eos, qui hîc mala patienter tolerauerunt, Lucæ 16.

Chrysost. hom. 44. ad pop. Antioch.

Nonò, Diuinæ iustitiæ consentaneum est, vt facta generali hominum resurrectione, (completa scilicet omnium rerum generatione) fiat vniuersale iudicium, in quo integer homo, qui operatus est in anima & corpore, iudicetur, vt conuenientem pœnam, aut æquum præmium in anima, & corpore debita proportione recipiat.

Integer homo iudicabitur.

Decimò, vtile fuit, vniuersale iudicium futurum constitui, vt illius expectatione, ac timore, homines in officio continerentur. Vndè Sapiens: *Memorare nouissima tua, et in æternum non peccabis.* Et: *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium*, Ecclesiast. 12. Et Dominus: *De omni verbo otioso reddent homines rationem in die iudicij.* Matth. 12.

Clemẽs ep. 1. ad Iacob. Chrysosto. hom. 35. ad Antioch. Timore Iudicij peccata declinantur.

Postremò, tempus currentis seculi, est tempus sementis, quo grana cum paleis, & zizania cum tritico permiscentur: tempus autem consummationis mundi, erit tempus messis: congruit itaque, vt in nouissimo die *Dominus messis ventilabro suo*, hoc est, discretionis iudicio, *permundet aream suam, triticumque in suum horreum congreget, paleas autem igni tradat*, ouesque ab hædis sequestret, vt Matth. 3. 13. & 25. dicitur.

Tempus sementis & messis.

Cur autem tempore huius mortalis vitæ conducat permisceri malos & bonos, electos & reprobos, Augustinus in Psalm. 54. & alibi sæpe tradit, vt noxia securitas tollatur, piorumque patientia exerceatur.

Cur boni admixti sint mali.

CAP.

CAP. CCLXVII.

An Christus secundùm humanam naturam in vniuersali iudicio sit iudex futurus?

Christus, secundum quod homo, iudicabit.

CErta fide tenendum est, Christum non solùm secundùm diuinam naturam, sed etiam proximè per humanitatem suam, iudicem in vniuersali hominum congregatione futurum. *Sicut* enim *Pater habet vitam in semetipso; sic dedit & Filio vitam habere in semetipso, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Ioannes 5. hoc est, potestatem dedit Christo iudicandi, quatenus homo est. Quod Matth. 13. exprimitur: *Tunc mittet filius hominis angelos suos.* Et cap. 15. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundùm opera sua.* cap. 24. & 25. idem latè traditur. Et 1. Thessalon. 4. 2. ad Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Danielis 7. dicitur, quòd *antiquus dierum Filio hominis dederit potestatem, honorem, & regnum.* Et cap. 13. *Ecce in nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, &c.* Vbi Hieronymus, Theodoretus, & alij Interpretes, Christo vt homini iudiciariam potestatem datam notant: quod in vniuersali Iudicio admodum congruet, vt iudicandi suum iudicem audire ac videre possint; cuius etiam victoriam, & iustitiam in illo celebri conflictu manifestari decuit. Accedit, quòd Christus, secundùm quod Homo, sit caput, Rex, & Dominus Ecclesiæ, omniúmque hominum: decuit autem, vt secùndùm eam naturam iudicium in homines exerceret, secundùm quam ipse illos redemit, auxilia mediáque ad salutem necessaria eis promeruit.

Christus vt Homo, caput est Ecclesiæ.

CAP. CCLXVIII.

Errores de futuro Iudicio.

De iudicio futuro errores. Plato in Gorgia & Phædone. l. 10. de Repubblica. li. 4. 9 & 12. de Legibus Cicero in somnio Scip. Virgilius lib. 6. Æneid. Plutarch. lib. de sera numinis vindicta.

QVanquam cõmuni gentium omnium opinione de futuris post hanc vitam præmiis & pœnis multi rectè senserunt, déque iudicio Dei futuro non solùm Prophetæ, Christus, & Apostoli, sed etiam Poëtæ, & Philosophi, Iudæi quoque, ac Gentiles atque Mahumetani, non pauca dixerint (vt Iustinus lib. *Demonarchia* ex Philemone & Euripide citat; Lactant. lib. 7. cap. 20. Sibyllarum testimonio probat. Chrysostomus ho. 8. in 1. ad Thessalon. Philosophos & Poëtas de futuro Dei iudicio rectè sensisse affirmat; & hom. 2. ad Coloss. atque hom. 4. de Lazaro, idem repetit:) attamen non defuerunt, qui omnia futuri seculi supplicia sustulerunt, dicentes: *Non faciet bene Dominus, nec malè*, Sophoniæ 1. Et, *Omnia perdurant sicut ab initio*, 2. Petri 3. Ita Plinius sensisse videtur, libr. 2. nat. hist. c. 63. Porphyrius Christianos stultitiæ arguebat, quia iudicium futurum crederent. Lucret. lib. 3. de natura. Lucianus in dialogis. Epiphanius hæresi 26. eundem errorem Gnosticis impingit, & Philast. Florianis & Manichæis. Origenes opinatus est, impiorum supplicia non fore perpetua: cui Priscillianistæ contenserunt, addentes, ignem esse timorem conscientiæ; teste Orosio, in commonitorio *De erroribus Priscillianistarum* Ad August. Hieron. epist. ad Auitum.

Aug. li. 20. de ciuit. ca. 24. cont. Porphyrium disserit.

Horum erroribus adhærent hodierni Anabaptistæ, negantes futura supplicia, & post mortem animas

Anabaptistæ negant futura supplicia.

interire aut dormire vsque ad resurrectionem corporum docēt. Erant insuper Lutherani, Caluuinistæ, non agnoscentes veros & locales inferos, pœnasque inferni nihil aliud esse dicentes, quàm conscientiæ anxietatem, cogitantis Deum sibi esse iratum. Huc etiam illorum error reducitur, qui ea, quæ in scripturis de perpetuo damnatorū cruciatu dicuntur, pro suo motu emolliunt, & in leniorem flectunt sententiam, putantes ea terribiliùs esse scripta, quàm veriùs. Contra quos agit Augustin. Enchir. cap. 112.

Brentius in 2. cap. Act. Caluinus l. 2. instit. ca. 16. parag. 9.

Infernum localem negat Caluin.

Præterea circa iudicium Dei hallucinantur imperfectæ fidei Christiani, qui iudicium Dei non reformidant, quia non plenè & ardenter credunt. Quibus enim certa est feruēntq; fides, etiā iudicij Dei certus est metus. Sic Clemens lib. 9. recognit. Cyprianus lib. *De simplic. præfat.* in fine. Basilius in Reg. Bre. quæst. 209. Augustinus tractat. 9. in can. Ioan. Chrysostomus lib. 1. *De compunctione cordis.* & hom. 25. in epistol. ad Roman.

Iudicij metus.

Tales fuerunt, de quibus Eccles. 8. *Quia non citò profertur contra malos iudicium, absque vllo terrore filij hominum perpetrant mala.* Et Sapientiæ 2. *Dixerunt impij apud se: post hæc erimus, quasi nati non fuerimus.* Et 2. Petri 3. *Venient in nouissimis temporibus in deceptione illusores, dicētes: vbi est promissio? aut aduētus? Ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ.* tera vita restare iudicium, quo iustis præmia, impiis autem supplicia decernantur. Cùm enim in hac vita omnia similiter eueniant iusto & impio, imò plerumque deterior sit iustorum quàm prauorum conditio; planè sequitur, vel nullam esse in Deo prouidentiam, iustitiam, æquitatem, vel in altero seculo restare operū remunerationem. Quo argumento vtitur Augustinus in Psal. 66. & Serm. 31. *De verbis Domini.*

dentia conuincitur.

Chrysost. hom. 50. ad Antioch. & 46. ideo plurima hîc impunita relinqui ostendit, vt restare iudicium cogitetur: nonnulla tamen vindicari, ne prouidentia Dei nulla esse videatur. Exempla vindictæ nobis exhibent Diluuium, Incendium Sodomiticum, Ægyptiorum occisio, Israëlitarum in captiuitatem abductio, Hierosolymæ euersio: ex quibus argumentum SECVNDVM desumi potest.

Ex vitione peccatorū.

Sicut inultas Deus primorum hominum iniquitates non dimisit, sed aquis diluuij abluit, Pharaonis exercitum submersit, Sodomam, Gomorrham, finitimásque ciuitates incendio consumpsit, Israëlitas captiuitate, ac tandem per omnes gentes dispersione puniuit, ceteraque gentes variis cladibus bellorum, famis, pestis, inundationum, terræ motus, seditionum, sterilitatis, aliarúmque miseriarum, singulis decurrentibus seculis afflixit: ita suo tempore nihil inultum relinquet. Hæc enim acciderunt in exemplum iusti iudicij Dei, & ignis æterni, ait Iudas in sua epist. Canonica.

Tertium Argumentum deducitur ex vaticinijs Prophetarum, dictis Christi, & Apostolorum: quorum omnium, vt in aliis plurimis verba impleta conspicimus, ita & in hac re veraces esse ambigi non-

Ex vaticiniis prophetarum.

CAP. CCLXIX.

Quibus argumentis probari queat, impios post hanc vitam æternis pœnis afficiendos.

Iudicium futurum ex Dei prouid.

EX Dei prouidentia, iustitia, & æquitate ostendi potest, in al-

debet, vt obseruat Chrysostomus hom. 11. & 13. in Matth. Augustinus lib. *De ciuit.*

Ex conditione bonorum & malorum

Quartum Argumentum. Multi impij bonis in hac vita fruuntur, nec vlla flagella sentiunt; econtrà pij afflictionibus innumeris atteruntur: ergo in altera vita iudicium restat, in quo impijs supplicia, iustis autem consolatio reddatur. Ita Chrysostomus hom. 77. in Matth.

Ex remuneratione.

Quintum. Multi iusti ex hac vita sine mercede recedunt: ergo post hanc vitam recipient. Ita Chrysostomus homil. 4. de Lazaro. Hom. octaua, in 1. ad Thessalonic. Homil. 2. ad Colossens.

Ex cõscientia cuique innata.

Sextum argumentum desumitur ex communi sensu omnium mortalium, qui cùm malum patrarunt, timent, atque à propria conscientia redarguuntur. Vnde legimus, quosdam immanes Tyrannos ad sonitum tonitrui præ nimio metu in locis abditis sese occultasse.

Ex cõmuni omnium hominum sensu.

Septimum Ex communi opinione omnium Gẽtium sumitur. Nam Philosophi, Poëtæ, Sibyllæ, Christus, Apostoli, quin & Mahumetus in suo Alcorano, de futuri seculi pœnis loquuti sunt:

CAP. CCLXX.

Vtrùm extremum iudicium pertimescendum sit?

QVam horrenda dies extremi iudicij futura sit, Isaias cap. 13. describit. *Ecce dies Domini veniet crudelis & indignationis plenus, & iræ furorisque: calum turbabitur, & mouebitur terra propter indignationem Domini exercituum.* Et Sophoniæ 1. *Iuxtà est dies Domini magnus, iuxtà est & velox nimis, vox diei Domini amara: tribulabitur ibi fortis: dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarũ & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris,* &c. Malach. 4. *Ecce veniet dies Domini succensa.* & cap. 3. *Ecce veniet, & quis stabit ad videndum eum? & quis poterit cogitare diẽ aduẽtus eius?*

In nouo Testamento de illa die similia leguntur. Marci 13. *Ecce veniet dies* (ait Dominus Lucæ 23.) *in quibus dicent montibus: cadite super nos, & collibus, operite nos.* Quod repetitur Apoc. 9. *Abscondent se in speluncis, & in petris montium, & dicent montibus & petris: cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni, quoniam venit dies magnus ira ipsorum; & quis poterit stare?* Et Apostolus ad Hebr. 10: *Horrendum est*, ait, *incidere in manus Dei viuentis.* Nam si Dominus vna mitissima voce armatos in terram prostrauit, si adhuc mortalis & iudicandus ita hostes perculit: quis irati iudicis vocem tolerabit? Si Assueri trucem vultum Aman ferre non potuit, peccator homuncio indignantis Dei omnipotentis præsentiã sustinebit? Populus quondam Israëliticus ad præsentiam Dei legem in monte Sinai angelico ministerio dantus contremuit: Daniel & Ioannes ad conspectum angeli velut mortui corruerunt: quis ergo irati Dei vocem perferet? Cùm deinde reddenda in iudicio sit cogitationum, dictorum, omniúmque operum, adeóque donorum, gratiarum, functionum, imò status vitæque totius exactissima ratio iudici incorruptibili, iustissimo, qui personam non accipit, nec veretur faciem cuiusquam, sed cuique iuxta merita locum, præmia vel supplicia in æternum perduratura decernet: quis non intelligat, quantopere in stadio currentibus dies illa districtissimi iudicij formidanda

Hester 7.
Exodi 20.
Deut. 4.
Daniel 10.
Apoc. 1.

Extremum iudicium perimescendum.

sit? & potissimùm impius ac sceleratis, quibus ignis æterni præparata est adustio. *Si autem iustus vix saluabitur; impius & peccator vbi parebunt? Voluntariè peccantibus nobis*

1. Petr. 4. *post acceptam veritatis notitiam, iam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem expectatio iudicij, & ignis æmulatio.* Quare meritò hor-

Hebr. 10. tatur Dominus, vt semper vigilemus, & orationi instemus, vt digni habeamur *fugere à ventura ira, & stare ante filium hominis.* Et Apostolus: *vt cum timore, & tremore salutem*

Philipp. 2. *nostram operemur.* quia *nemo sciat, vtrum amore an odio dignus sit.* Vndè pios quosque sanctissimosque viros Dei expauisse iudicium legimus: Iob 14. *Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me, donec pertranseat furor tuus?* & cap. 21. *Quid faciam,*

Dies iudicij etiam iustis pertimescenda. *cùm venerit ad iudicandum Deus? A iudiciis tuis timui*, aiebat Vates Re-

Psalm. 118. gius. *Confige timore tuo carnes meas. Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. Si iniquitates obseruaueris*

Psalm. 142. *Domine, Domine quis sustinebit?* Et

Psalm. 129. Prophetæ, dieiillius quasi præsentis formidine commoti, exclamant: *Magnus dies Domini, & terribilis*

Sophon. 1. Ioel. 2. Naum 1. *valdè, & quis sustinebit eum?* Ecclesiastici 7. *Memorare nouissima tua.* Vt enim diei nouissimæ iram sancti euaderent, mundo spreto, cauernas terræ, loca sterilia, deserta & solitaria incoluerunt, contempti, ludibriis affecti, lapidati, secti, truncati capite, subuersi, vsti, tosti, crucifixi, telis confossi, variisque acerbissimorum tormentorum generibus necati sunt. Quid enim tam innu-

Timor iudicij tot martyres peperit. merabiles peperit Martyres, nisi extremi iudicij pauor? Vndè tot virginum myriades, tot religiosorum societates, tot caducarum rerum contemptores, tot virorum, & mulierum Deo famulantium ordines? Certè vniuersa hæc ex iudicij extremi meditatione promanarunt. Nec aliundè prodiere tam eximia pœnitentiæ exemplà, quàm multi Euangelicæ perfectionis sectatores, qui admirabili victus cultúsque asperitate corpus castigauerunt, verberibus, cilicio, & vigilijs carnem domuerunt, multáque obstupescenda prodigia ediderunt; & quidem omnia lubenti animo præstiterunt, vt in die iudicij placatum sibi iudicem reperirent. Nam *initium sapientiæ timor Domini.* Eum enim timere oportet, *qui corpus, & animam potest in gehennam mittere.* Vndè Paulus nullius criminis sibi conscius, suum corpus castigabat, ne cùm aliis prædicasset, ipse reprobus fieret. Hinc sæpe Veteres hortantur, vt illud iudicium perpetuò recolamus: *Semper*, ait Hieronymus, *tuba terribilis vestris instrepet auribus: Surgite mortui, venite ad iudicium.* Vide Dionysium Areopag. in epist. ad Demophil. Cyprian. lib. 4. epist. 6. Hilar. in Psalm. 118. ad illud: *Memor fui iudiciorum tuorum.* Basil. in Psal. 33. & ad virginem lapsam. Chrys. hom. 22. & 47. ad Antioch. *Væ mihi die esto terribili.* Augustin. in Psal. 66. Greg. hom. 39. in Euang. Bernard. ser. *De primis, mediis, & nouissimis.*

Matth. 10.

1. Cor. 9.

Hieronym. in reg. Monach. cap. 30.

Porrò licet Aduentus Christi ad iudicium ab omnibus iure timeatur, à sanctis tamen cum bona fiducia expectandus est, vt Dominus Matth. 24. & Lucæ 21. insinuat dicens: *Cùm videritis hæc fieri, suspicite & leuate capita, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Sapient. 5. *Tunc stabunt iusti in magna constantia.* 2. Timoth. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi iustus iudex, non solùm autem mihi, sed & iis; qui diligunt aduentum eius.* Sicut Apoc. 22. sponsa clamat: *veni Domine Iesu*: & in Oratione Do-

Dies iudicij à iustis cum fiducia expectanda.

minica iubemur orare : *Adueniat regnum tuum.* Gen. 49. *Ipse erit expectatio gentium.* August. tract. 9 in cano. Ioannis, ostendit præsentiam iudicis timeri à malis, exoptari à iustis : Idem prosequitur in Psal. 97. epist. 80. 1. Ioan. 4. *In hoc est perfecta charitas Dei nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicij.* Quemadmodum enim dilectoribus mundi amara est mortis memoria, ita rerum post hanc vitam promissarum seria meditatio pios animos erigit & consolatur, vt cum Apostolo dicere possint : *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Imò nihil efficacius hominem ad bona complectenda, & mala declinanda impellit, quàm intenta extremi iudicij consideratio. Vndè Ecclesiastici 7. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*, quia timor iudiciorũ Dei pædagogus est bonorum, quæ facimus. Basilius in 1. caput Isaiæ. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 26. *Nihil est, quod magis ad honestam vitam proficiat.* Chrysost. hom. 5. in Acta contra illos disserit, quibus molesta est iudicij memoria, per quam facilè mundi vanitas, & quidquid in mundo est, vilescit: siquidem disputante Paulo de iudicio futuro tremefactus Felix : Festus autẽ eum insanire opinatus est, & Agrippa, *Inmodico*, ait, *suades me Christianum fieri.* Actor. 26.

Philipp. 1.

Iudicij memoria à peccatis retrahit.

Iudicij memoria efficax.

Paulo disputante de Iudicio tremefactus Felix. Act 24.

CAP. CCLXXI.

Qualis futura sit extremi iudicij forma?

Iudicij forma.

FOrma extremi iudicij describitur Matth. 25. *Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis ; & statuet oues à dextris, hædos autem à sinistris. Tunc dicet rex his, qui à dextris erunt : venite benedicti patris mei, possidete regnum vobis præparatum à constitutione mundi : esuriui enim, & dedistis mihi manducare, etc. Et his qui à sinistris erunt, dicet : discedite à me maledicti in ignem æternum. Esuriui enim, etc.* In quibus verbis luculenter exprimitur, Christum in forma humana iudicem futurum, vt Ioan. 5. illis verbis continetur: *Dedit ei potestatem iudicium facere, quia filius hominis est*, Interprete Augustino tract. 19. in Ioan. eatenùs enim Christus est caput Ecclesiæ, omnâque Deus subiecit pedibus eius. Quin verò Deus primariam iudicandi authoritatem obtineat, ab eóque in omnes, quidquid iudiciariæ potestatis habent, dimanet, nemo ambigere potest. *Non est*, ait Apostolus, *potestas nisi à Deo. Per me Reges regnant*, Prouerb. 8. *Dei est iudicium.* Deut. 8. *Constitutus est iudex viuorum & mortuorum.* Actor. 10. Hanc porrò iudiciariam regiámq; potestatem obuenisse Christo, non solùm ratione hypostaticæ vnionis, sed etiam merito redemptionis, postulationis, atque toleratæ passionis, indicat illud Ps. 2. *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. In hoc enim Christus mortuus est et resurrexit, vt & viuorum & mortuorũ dominetur.* Rom. 14. Iustissimũ enim est, vt qui redemit, auxiliáque ad salutem necessaria hominibus promeruit, eorum quoque sit iudex: vt, qui talibus beneficiis bene vsi fuerint, authorem suæ salutis adorent: contemptores autem & ingrati, qui huiusmodi beneficia neglexerint, confundantur, & inexcusabiles sint.

Christus quatenus homo iudicabit

Primaria iudicandi authoritas Dei est.

Ioan 8. est qui quærat & iudicet.

1. Timoth. 4. Iustus iudex.

Rom. 13.

Dominium Christo cõpetit iure hypostaticæ vnionis, & merito redemptionis.

Homines ab homine innocentiss. & sapientissimóque iudicantur.

Suauitas itaque diuinæ prouidentiæ postulabat, vt homines ab homine sapientissimo innocentissimóque iudicarentur, qui cùm humanæ fragilitatis particeps fuisset, haberi non posset nimis seuerus, aut implacabilis; vt in Cantica serm. 73. obseruat Bernardus.

Iudex nec seuerus nec implacabilis.

Præterea eius est morum & vitæ actionem exigere, cuius leges præscribere. Vnus enim est legislator & Iudex, Iacobi 4. Augustinus tract. 23. in Ioan. Docet, Christum secundum Humanitatis dispensationem iudicaturum, quia in eadem forma causam & meritum nostræ Resurrectionis suscepit. Iuxta illud Apoc. 3. *Ego vici, & sedi in throno Patris mei.* Iob. 36. *Causa tua quasi impij iudicata est, iudicium causámque recipies.* Et serm. vlt. de Verbis Domini: *Sedebit iudex, qui steterit sub iudice: damnabit reos, qui falso reus factus est.*

Sapientia & iudicium filio attribuuntur.

Postremò quamuis etiam Patri, & Spiritui Sancto iudicare conueniat, attamen, quia sapientia filio tribuitur, à qua iudicij ratio sumenda est, ideo aptissimè iudicium Christo attribuitur.

CAP. CCLXXII.

An cum Christo aliqui hominum iudicaturi sint?

Sancti cum Christo iudicaturi sunt.

QVod aliqui Sanctorum Christo iudici sint assessuri, & cum eo iudicaturi, frequenter scriptura inculcat. Matth. 19. *Vos qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Quod repetitur Lucæ 22. Et Apostolus 1. Corinth. 6. *An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt?* Sapien. 3. de iustis dicitur: *Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis.* Daniel. 7. *Aspiciebam, donec throni positi sunt.* Isai. 3. *Venit ad iudicium Dominus cum senibus populi sui.* Apoc. 4. Ioannes vidit *In circuitu sedis sedilia 24. & super thronos 24. seniores sedentes.*

In 12. sedibus vniuersitas iudicantium intelligitur.

Ex quibus scripturis euidenter sequitur, eos qui Dominum in hac vita perfectè secuti fuerunt, sublimiter cum eodē iudicaturos. Nam licet Dominus solis XII. Apostolis dixerit: *Vos sedebitis super 12. sedes*, non tamen illis solis hoc promisit, sed in illis omnes intellexit, qui Apostolorum exemplo Christum imitarentur. *Duodenario* enim *sedium numero, vniuersa iudicantium significata est multitudo*, teste Augustino libro 20. *De Ciuit.* cap. 5. Epist. 89. In Psalm. 86. & 49. Quod Apocal. 3. tradit Ioannes dicens: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno*, id est, regni mei fruetur consortio.

Magister lib. 4. dist. 47.

Quomodo autem sancti iudicaturi sint, ambigi potest, quia non satis constat, quanta sanctorum in iudicio futura sit potestas & authoritas, & certum sit, Christum solum iudicij sententiam esse prolaturum: *Venite benedicti, &c. Ite maledicti, &c.* Vnde nonnulli sentiunt, perfectiores sanctos iudicio assessoriæ dignitatis cum Christo Iudicaturos, vt scilicet Christus solus propria potestate & authoritate sententiam proferat, quam per suos assessores iudices aliis denunciet, qui sententiæ rationem oculis cunctorum ingerant, vt omnibus pateat, quàm iustè quilibet saluetur, aut damnetur. Iudicare enim, propriè actum iurisdictionis & superioris potestatis denotat, quæ iurisdictio, quoad vltimum animarum iudicium, soli Christo competit. Sanctis verò eminentioribus attribuitur, per quandam specialem hono-

Iudicium assessoriæ dignitatis. Matth. 19.

Sancti sententiæ Christi denunciatores.

Iudicare actum iurisdictionis notat.

ris, & iudiciariæ actionis participationem, vt iam explicauimus. Est autem & alius improprius iudicandi modus, comparatione quadam, quia iusti suis factis & vita ostendunt, peccatores pœna dignos, qui similia opera facere potuerunt, & neglexerunt: quo modo etiam sancti vniuersi iudicabunt; quin & mali respectu iniquiorum; vt de Niniuitis, & Regina Austri Dominus asseruit: *Ideo ipsi iudices vestri erunt*, vt latè prosequitur Chrysost. hom. 65. in Matth. & in opere imperfecto, hom. 33. nec dissentit Augustinus lib. 20. *De Ciuit.* cap. 5.

Iudicium comparatione.

Matth. 12.

Alio insuper modo *iudicare* dicuntur, qui iudici assistunt, eius sententiæ consentiunt, ac palam approbant & laudant. Hoc etiam modo vniuersi sancti erunt iudices cum Christo (1. Cor. 6. Sapient. 3.) non solum homines, sed etiam Angeli: quos ideo Daniel iudici assistere vidit, cap. 7. Quin & diabolus æquissimum esse proclamabit, vt impij secum pœnas luant, cuius elegerunt facere voluntatem, teste Cypriano.

Iudicium consensu & approbatione.

Cypr. serm. de eleemosyna. Leo serm. 4. de collectis.

De sessione verò similiter dicendum est, quòd interdum cum Christo sedere censeantur omnes, qui cum eo pacificè regnant, bonisque æternæ beatitudinis fruuntur: & hoc modo est sanctis omnibus commune cum Christo sedere: alio verò modo per *sessionem* intelligitur peculiaris eminentia & dignitas inter alios, in eo consistens, quòd in loco propinquiori Christo, & honoratiori existant; ac in exteriori corporis habitu similes Christo futuri sint, in sedilibus aëreis splendidissimis, quisque iuxta suum meritum & dignitatem confidentes: Nam inter signa eminentiæ, numerat Tertullianus *sedere in thronis* 12. lib. *De Resur. carnis* cap. 35.

Sedere cum Christo quid sit.

CAP. CCLXXIII.

Quòd omnes homines sint iudicandi?.

QVAMVIS aliqui hominum cum Christo alios iudicaturi sint, attamen etiam impii, ac in vniuersum omnes homines, quantumuis sancti, vel iniqui, cuiuscumque sexus, conditionis, vel ætatis à Christo iudicabuntur. *Congregabuntur* enim *ante eum omnes gentes.* Matth. 25. *& omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.* 2. Corinth. 5. & : *Omnes stabimus ante tribunal Christi.* Roman. 14. *Mihi curuabitur omne genu.* Isaiæ 45. Apoc. 20. *Vidi magnos & pusillos stantes ante thronum.* Neque his aduersatur, quòd *impij non resurgent in iudicio*, Psalm. 1. vel illud: *Qui non credit, iam iudicatus est.* Nam hìc de iudicio discussionis agitur, non autem condemnationis vel remunerationis: de quo Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.* & Marc. vlt. *Qui non crediderit, condemnabitur.* & : *Eos qui foris sunt, iudicabit Deus.* 1. Corinth. 5. vt latè Diuus Gregorius libro vigesimo sexto, Moral. capite vigesimo, Augustinus serm. 38. *De Sanctis.* Libro *De Agone Christiano* capite 27. vbi insinuat, infideles, quoad exclusionem à regno Dei, euidentèm habere damnationis causam, quia non solùm iustitia & meritis, sed etiam fundamento iustitiæ & meritorum penitùs careant. Quia tamen infidelium quoque diuersa sunt merita, varijsque inter se afficientur supplicijs, ideo iudicium.

Omnes à Christo iudicabuntur iudicio remunerationis aut condemnationis.

Iudicium discussionis.

Infidelium diuersa demerita, ideo iudicabuntur.

Domini cum gentibus futurum prædixit Ierc. cap. 25. & Ioël cap. 3. *Congregabo omnes gentes, et disceptabo cum eis.* Vnde sequitur, etiam paruulos in die iudicij esse iudicandos (vt docet August. lib. 3. *de Lib. Arbit.* cap. 23. & Greg. lib. 9. Moral. cap. 12.) iudicio salutis aut condemnationis, non autem iudicio discussionis: prout neque sublimiores sancti huiusmodi iudicio diiudicabuntur; sed illi tantùm, qui imperfectum sanctitatis gradum attigerint, grauioraque peccata bonis admixta habuerint, vt bonitatis, & malitiæ facta collatione apud Deum bona merita prævaluisse constet. Sic Gregorius libro 26. Moral. cap. 20. Cunctorum equidem Sanctorum in iudicio fiet distincta omnium actionum, meritorúmque, siue bonorum, siue malorum publicatio. Si qui verò nullum actuale peccatum neque originale habuerint, sed gloriosa duntaxat merita, vel sibi per Sacramentum baptismi applicata, (vt infantes post baptismum defuncti,) aut etiam propria actione superaddita, (vt B. Virgo) in his nulla fiet discussio, sed absoluta collaudatio. Nam licet hi quoque iudicabuntur, id potius per modum approbationis, & laudis, quàm discussionis fiet. In alijs verò Sanctis, qui cum bonis meritis peccata coniuncta habuerint, fiet discussio, quia omnia eorum præterita peccata deleta esse declarabuntur; & bona eorumdem merita, præmio digna, in eis remansisse ostendentur, pro quibus condigna retributio certo gradus gloriæ vnicuique reddetur.

Apoc. 20.

Paruuli quoque iudicandi.

In iudicio publicabuntur merita & demerita.

Eccles. vlt. Matth. 12. de omni verbo otioso, &c. August. li. medit. c. 4.

Iudicium cum laude.

Certus gloriæ gradus cuique tribuetur.

Porrò iudicij discursum, non voce sensibili, sed mentali peragendum, ex eo verisimile est, quòd si hominum singulorum dicta factaque voce discuta, & accusatio, vel excusatio cuiusque audiri deberet, longissimum tempus requireretur; vt notat August. lib. 20. *De Ciuit.* cap. 14. vbi docet, vi quadam diuina futurum, vt cuique sua omnia opera, bona vel mala in memoriam reuocentur, mentisque intuitu mira celeritate perspiciantur, vt accusset, vel excusset scientia conscientiam; atque ita simul, & omnes, & singuli iudicentur. Quæ vis *Libri* nomen accepit, quoniam in ea quodammodo legitur, quidquid à faciẽte recolitur; de quo Ioan. Apoc. 20. *Et alius liber apertus est, qui est vitæ*: qui liber nõ vnus est omnium, sed proprius singulorum, qua vnicuique totum suæ vitæ decursum repræsentabit. Alij verò erunt libri veteris & noui Testamenti, in quibus Dei præcepta cõtinentur, secundùm quos libros etiam vniuersi iudicabuntur: quia proferetur de vnoquoq; sentẽtia salutis aut damnationis, iuxta Dei decreta in scripturis sacris nobis reuelata. Quod etiam Apostolus insinuat Rom. 2. *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendẽtibus, in die, cum iudicabit Deus occulta hominum, secundum Euangelium meum per Iesum Christum.* Et 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscõdita tenebrarum, & manifestabit occulta cordium: et tunc laus erit vnicuique à Deo.* Sap. 4. & 5. *Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex aduerso iniquitates eorum.* Non itaque longa opus erit mora in discutiendis cuiusque meritis: non enim ibi locum habebunt fraudes, technæ, dilationes, aut friuolæ excusationes, quæ hominum iudicijs imponere solent. Iudex enim sapientissimus erit, quem nihil latere

Vi diuina vnicuiq; sua facta in memoriam reuocabuntur.

Liber conscientiæ.

Libri vet. & Noui Testamenti continẽt præcepta, secundum quæ iudicabimur.

Nullus in extremo iudicio fraudi locus erit.

latere poterit. *Omnia* siquidem *nuda et aperta sunt oculis eius.* Hebr. 4. Et, *Omnes gressus hominis dinumerat.* Iob. 13. *Cogitationes scrutatur.* Sapientiæ 6. Idem erit potentissimus, cui nullus resistere, vel eius iram effugere possit. *Non respiciet faciem potentis.* Iob. 6. *Tuam manum effugere est impossibile.* Sapientiæ 16. Iudex erit summus, à quo nulla appellatio, vel prouocatio fieri queat. Denique Iustissimus erit iudex, omnem odio habens iniquitatem, nullam quantumlibet exiguam offensam indiscussam vel impunitã dimissurus, imò ipsam etiam iustitiã examinaturus. Psam. 74. *Ego iustitias examinabo.* Iob. 9. *Si innocentem ostendero, prauum me comprobabit.* Vndè Lucæ 17. *Dicite, serui inutiles sumus.* Hinc Iusti quoque orare iubentur: *Ab occultis meis munda me Domine.* Psalm. 18. *Et non intres in iudicium cum seruo tuo.* Psalm. 142. Singulorum enim facta in statera appendentur, teste Ambrosio libr. 7. epistol. 47. & in Apol. Dauidis c. 6. in Psalm. 118. serm. 20. Idem præterea iudex nullis donis tunc corrumpetur, non gratiâ præuenietur, non flectetur misericordia, non mitigabitur precibus aut pœnitentia: inutiles tunc erunt impiorum eiulatus: nullus tunc emendationis locus erit, nullum operandi tempus. Iustam peccatis iudex pœnam decernet, & bonis operibus iustorum cõdignam similiter gloriam rependet. Ideò propriè dies illa, *Dies iudicij et retributionis* dicitur, vt obseruat Augustin. Enchir. cap. 66.

Sapientissimus.

Potentissimus.

Supremus.

Iustissimus.

Daniel. c. 5. Inuentus es minùs habens.

Incorruptibilis.

Postremò, hic iudex sanctissimus, & ab omni impuritate alienissimus est, ideóque cum incredibili confusione ac ignominia tantæ maiestatis tribunali peccator sistetur, nudus, carens virtutum stolâ, morum splendore, conuersationis venustate: plenus vitiis, peccatorum fœditate, vilis, deformis, timidus, erubescens. Si enim ex nuptiali conuiuio eiicitur (Matth. 22.) non habens vestem nuptialem: & si verecundum est, in conspectu magnatum apparere in lacero vilique habitu: quantæ ignominiæ erit, sine vllo virtutum amictu coram Rege regum, Deo omnipotente, omnibus Angelis sanctis, cunctisque hominibus Beatis seipsum exhibere? Hinc Apocal. 5. peccatori Deus ait: *Induaris vestimentis albis, vt non appareat confusio nuditatis tuæ.* Et Apostolus Roman. 6. *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est.* Ambros. libro *De Paradiso* capite 13. docet, vnũquemq; peccato fieri deformem, ideoque conari se operire inani excusatione. Chrysostom. in 5. cap. ad Ephes. & hom. 15. in 2. ad Corinth.

Sanctissimus.

Confusio peccatoris in iudicio.

CAP. CCLXXIV.

De accusatoribus et Testibus in die iudicij.

QVemadmodum in huius seculi iudiciis nulla reo spes euadendi supereſt, dum accusatus, veraciúmque testium multitudine cõuictus est: ita in extremo iudicio, dum impij cernent, se testium irrefragabilium varietate vndequaque obrui, nullam declinandi supplicij spem concipient. Eos siquidem omnium iudex accusabit, & aduersus eosdem testimoniũ proferet. Iuxtà illud Ierem. 29. *Ego sum iudex & testis.* Et Malach. 3. *Accedam ad vos in iudicio, et ero testis velox, maleficis, adulteris, & periuris.* Et Psal. 49. *Existimasti iniquè, quòd ero tui similis: arguam te, et statuam te contra faciem*

Accusatos in Iudicio, Christus ipse iudex.

tuam. Et Naum 3. *Reuelabo pudenda tua in facie tua.* Et Matth. 25. *Esurini, et non dedisti mihi manducare.*

Cyprian. ser. de Eleemosyna.

Prætereà Dominus improperabit se in mundum veniſſe, docuiſſe, multa pertuliſſe, ac tandem crucis mortem ſubiiſſe: Sacramenta, variaſque gratiarum dona contuliſſe, ac in vniuerſum omnia, quæ debuit feciſſe, vt eos ad beatæ vitæ hæreditatem perduceret, ipſos autem his omnibus beneficijs ingratiſſimè abuſos fuiſſe, imò & contempſiſſe.

Angeli accuſabunt.

Secundò, impij accuſabuntur ab Angelis Sanctis, quorum monitis, & directioni acquieſcere noluerunt.

Sathan accuſabit.

Tertiò, accuſabuntur à dæmonibus, qui deſiderant eos ſecum habere pœnæ communionem, quorum ſtudioſè hic perfecerunt voluntatē, & aſſociari in pœnis, conformes in culpis. Cyprianus ſerm. *De Eleemoſyna.* Leo ſerm. 4. *De Collectis.* Augu. lib. *De Salut. docum.* ca. 26. oratione cont. Iudæos & Pagan. cap. 4. Baſilius in cap. 3. Iſaiæ ad verbum: *Illuſores.*

Scriptura ſacra accuſabit.

Quartò accuſabuntur peccatores à veteris & noui Teſtamenti libris, ex quibus patebit, quid Deus fieri iuſſerit, quid promiſerit, quid comminatus ſit. Iuxta illud Apoc. 20. *Iudicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris.* Daniel. 7. *Iudicium ſedit, et libri aperti ſunt*, Augu. lib. 20. *De Ciuit.* c. 14. *De libris veteris et noui Teſtamenti* intelligit. Et Domini Ioan. 5. *Eſt qui accuſat vos, Moyſes in quo ſperatis*, & Ioan. 12. *Sermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die.*

Daniel 7. 2. Cor. 4. Baſil lib. de Virg.

Conſcientia accuſabit.

Quintò accuſabuntur iniqui à propria conſcientia, in qua tanquam in libro deſcripta erit vniuſcuiuſq; vita. Apoc. 20 *Apertus eſt liber vitæ cuiuſque.* Rom. 2. *Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum.* Item. 2. *Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te.* Sapien. 5. *O nos inſenſati, etc.* & cap. 17. *Præoccupant peſſima, redarguente conſcientia.* Cùm enim timida ſit nequitia, dat teſtimonium condemnationis.

Accuſatio à ſcandalizatis.

Sextò, accuſabuntur impij ab his, quorum damnationis cauſa fuerunt, ſcandalizando, negligenter regendo, aut non corripiendo. Hi enim contra ſuæ perditionis authores vltionem expetent, vt Dominus inſinuat Matth. 18. *Væ homini per quem ſcandalum venit.* Et Hebr. 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris.*

Accuſabit omnis creatura.

Poſtremò, accuſabuntur iniqui ab omnibus creaturis, quæ ſuo factori deſeruientes, exardeſcent in tormentum aduerſus iniuſtos. Sapien. 16. *Vindex eſt orbis iuſtorum.* Singulari verò ratione accuſabuntur ab his, quos in vita perſecuti fuerint, oppreſſerint, aut necauerint: iuxta illud Apocal. 6. *Vſquequò non iudicas, et non vindicas ſanguinem noſtrum?* Gen. 4. *Sanguis Abelis ad Deum clamabat.* Iacobi. 5. *Ecce merces operariorum, etc. clamat.*

Nulla in die iudicij excuſatio iuuabit.

Accedit prædictis, quòd impius accuſatus obmutеſcet, quia inexcuſabilis erit agnoſcens iuſtiſſimā iraſi iudicis ſententiā, vt Matt. 22. Dominus parabola expulſi, quia veſte nuptiali deſtitueretur, confirmat: vbi non habens, quod prætexeret, obmutuit. Vide Chryſoſt. *ad Theodorum lapſum*: Proſperum lib. 3. *De vita contempl.* capite 12. vbi non poſſe infirmitatem prætendi oſtendit.

CAP. CCLXXV.

De quibus ratio in die iudicij exigenda sit?

Ratio donorum omnium exigetur.

EX Scriptura sacra liquet, in die iudicij exactissimam Deo de vsu & fructu omnium & singulorum talentorum, hoc est, donorum collatorum rationem fore reddendam. Quia verò ex anima & corpore constamus, de his, veluti primis à se concessis donis, rationem exiget. De Anima quidem, vtrùm ea ad creatoris agnitionem & amorem, vt eo tandem perfruatur, de corpore vero, an eo velut animæ instrumento, ac Spiritus Sancti templo, singulisque membris ad consequendam immortalem vitam studiosè vsi fuerimus? atque de singulis animæ viribus, putà intellectu, voluntate, memoria, sensibúsque vniuersis, quomodo vsi fuerimus. De omnibus in supernaturalibus donis, de possessionibus, de functionibus & officiis, de cunctis gratiarum donis, vt facundia, scientia, ac denique de cogitationibus, verbis, factis, & operibus, cuiuscunque status, cõditionis aut sexus aliquis fuerit. Non enim iudex ille faciem cuiusquam reuerebitur, nec vlla personarum acceptio apud eum: sed *potentes potenter tormenta patientur.* Reddet quippe vnicuique secundum opera sua, siue prout in hac vita promeritus fuerit. *De omni* enim *verbo otioso, quod locuti fuerint homines, in die iudicij rationem reddent.* Matth. 12. Nec de verbis & operibus dumtaxat, sed etiam de omissionibus actuum bonorum, atque de expenso totius vitæ tempore, ratio districta exposcetur. Tunc potentissimi quondam Reges nudo latere palpitabunt. Tunc sophisinata Philosophorum non proderunt, cùm filius quæstuariæ iudicare orbem terræ venerit. Tunc de operibus charitatis & misericordiæ factis aut neglectis examen fiet, vt Matth. 25. traditur, vbi variis parabolis, vt & capit. 24. Dominus nos admonet, vt semper vigiles, fideles, prudentes, Domino frugiferi ac vtiles esse conemur, si aduentum Domini cum nostro commodo excipere velimus.

De operibus misericordiæ factis, aut neglectis.

Quòd autem non solius fidei aut infidelitatis, sed etiam operum, bonorum & malorum examen in vltimo iudicio futurum sit, dilucidè scriptura sacra docet Matth. 16. *Tunc reddet vnicuique secundum opera sua.* Quod repetit Apostolus Ro. 2. 2. Cor. 5. Ioan. Apoc. 22. *Ecce venio citò, & merces mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua.* Quare meritò cæcitas nostri temporis Sectariorum admiranda est, qui sentiunt, Christum ad extremum iudicium, vt Redemptorem ad saluandum, non vt iudicem ad condemnandum, venturum, idque vt soli fidei salutem tribui persuadeant, gratiæ certitudinem statuant, extremíque iudicij metum conscientijs hominum eximant. Neque Caluino patrocinatur Ambros. lib. 1. *De Iacob. et vita beata*, dicens, non esse metuendum, ne seuerior sit iudex, qui à patre datus est Redemptor, & aduocatus. Nam ibi loquitur de iustis, quibus aduenier non iudex damnaturus, sed retributor exoptatus: vt idem Ambrosius docet libr. *De bono mortis* cap. 11. Augustinus Psal. 110. Gregorius homil. 7. in Ezechielem, & homil. 22. in Euangel. & 34.

Non discernitur sola fides, sed etiam opera.

Caluinus 2. Instit. ca. 16. nu. 18.

Christus veniet non solum vt saluet, sed etiam vt condemnet.

Hanc vanam hæreticorum fiduciam reijciunt omnes scripturæ, quæ Deum vnicuique secundum

Fiduciã vanam hæreticorũ scriptura reijcit.

De verbis, cogitationibus & operibus.

De omissionibus, de vsu temporis.

De animæ viribus.

De officiis & possessionibus.

Matth. 12.

In primis de vsu animæ & corporis.

opera sua retributurum dicunt, præmia vel supplicia, vt August. lib. *De fide et operibus* etiam demonstrat, ex professo hæresim nostri temporis veluti confutans.

Cur sola misericordiæ opera Matthæi 25 cõmemorentur.

Cur autem Matth. 25. tantùm operum misericordiæ mentio fiat, non etiam aliorum operum, quæ tamen sunt causa regnandi, vel damnationis, causæ plures reddi possunt: quarũ prima sit, quia Dominus sub opere dilectionis proximi, & misericordiæ omnibus fidelibus necessariæ, reliqua dilectionis officia magis spiritualia, nec omnibus tam communia subintelligenda reliquit. Nã *fornicatores, et adulteros iudicabit Deus.* Hebr. 13.

II. Vt homines intelligerent, quo ferendi supplicio sint, qui mala incessanter committunt, aliena rapiũt, qui afflicto afflictionem addunt, qui viduam, & pupillum opprimunt, si iustè damnantur, qui sua indigentibus non dederunt, bonáque facere omiserunt.

III. Vt ad misericordiæ opera Dominus prouocet, quibus peccata redimuntur, & misericordia Dei conciliatur. *Iudicium* enim *sine misericordia illi, qui non facit misericordiam: superexaltat autem misericordia iudicium*, Iac. 2.

IV. Vt doceat, nullam esse spem salutis ei, *Qui creber est in morbis, & tardus in remediis*, vt habet Aug. ser. 14. & 33. in Louanij impressis.

V. Opera misericordiæ commemorando, exemplum quoddam proposuit iudicij, de omnibus operibus futuri.

CAP. CCLXXVI.

De sententia Iudicis.

Sententiæ extremi iudicij prolatio.

POstremus iudicij actus, erit sententiæ prolatio: *Venite benedicti, percipite regnum, & Ite maledicti etc.* Matth. 25. Quæ sententia vtrùm sensibili voce, an in singulorum cordibus vi quadã diuina proferenda sit, ambigi potest. Cæterùm quia Christus inuisibili formã apparebit, & re ipsa hædos ab ouibus loco separabit, cur non etiam audibili voce condemnationis aut salutis sententiam proferet? quæ sanctis gaudium & gloriam, iniquis autem terrorem & confusionem ingerat? Gregorius 26. Moral. capit. 24. Christum sensibili voce vsurum agnoscit.

Fiet à Christo voce sensibili.

Sententia deindè illa verbis aptissimis exprimetur, quæ scilicet dilucidè testentur, cœlestis regni possessionem gratiâ Dei præueniente, bonísque operibus acquiri: sicut econtrà damnationem ex recessu à Deo prouenire, ac propter opera mala, quæ diaboli instinctu homo sua libertate perpetrat.

Sententia aptissimis verbis expressa.

Præterea sententiæ Christi verba conuenientissimè beatorum præmia exprimunt. Nam in regni Dei possessione vniuersa bona concluduntur: vt potè Dei beata visio, plena iustitia, pax & gaudium, adeóque plenissima omnium desideriorum satietas. Similiter in verbis sententiæ reproborum aptissimè duplex peccati pœna notatur: Damni quidem in carentia beatæ Dei visionis, consistentis in verbo: *Ite*: Pœnæ verò sensus, indicatur in verbis: *In ignem æternum.* Denique verba: *Venite, Ite*, significant, nullam in exequutione Christi sententiæ moram fore, quia sẽtentiam proferre, erit illam executioni mãdare. Sicut enim in creatione mundi *dixit et facta sunt*, ita & in illo iudicio, quod iusserit, confestim fiet. Neque enim iudex ille secundùm intellectum decipi potent, aut secundùm voluntatem

Duplicem pœnam Damni & sensus continet.

flecti, vel eius omnipotentia superari. Vndè, prolata iudicij sententia, Ignis inferni protinus damnatos cōuolutos deorsum abripiet. Iuxta illud Psalm. 49. *In conspectu eius ignis exardescet, et in circuitu eius tempestas validissima.* Et Daniels 7. *Igneus fluuius rapidus egrediebatur à facie eius*; vt scilicet peccatores in gehennam traheret. Et 2. Thessalon. 1. *In flamma ignis dantis vindictam his, qui non nouerunt Deum, et qui non obediunt Euangelio*; significans, hiantem fore inferni voraginem, flammas exspirantem, quæ dæmones & impios homines abripiet, & in tartara concludet.

Æterna supplicia erunt.

Verba denique subiuncta: *In ignem æternum*, significant, impiorum supplicia æterna fore; vt Augustinus monet Enchir. c. 112.

Peccatum vnde pœnā æternam mereatur.

Quomodo autem peccato durationē momentaneo æterna pœna iustissime retribuatur, docet Augustinus lib. 21. *De Ciuit.* cap. 11. & 12. *quia licet actio breuis sit opere, longa tamen est pertinaci voluntate, qua ab æterno summóq; bono receditur.* Chrysost. hom. 25. in epist. ad Rom. in Morali. Gregor. lib. 4. dialog. cap. 44. Bernardus epist. 25. S. Thom. 1. 2. q. 87. art. 3.

Ignis idem disparitet cruciabit.

Quamuis autem omnibus reprobis dicatur: *Ite in ignem æternum*, non tamen omnes eandem luent pœnam. Quemadmodum enim sub vno & eodem Sole, vnus plùs calet, alius minùs: ita in eodem igne, vnus plùs, alius minùs aduretur & cruciabitur, vt Dominus Matth. 11. significat, dicens, *Tyro, & Sidoni remissius erit in die iudicij.* Vndè liquet, disparem fore damnatorum pœnam. Quod illud Lucæ quoque confirmat c. 12. *Seruus qui voluntatem Domini scit, et non facit, vapulabit multis: qui autem non cognouerit voluntatem Domini, et digna plagis egerit, vapulabit paucis.* Et Apoc. 18. *Quantum se glorificauit, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.* Augustinus Enchir. c. 111. & 113. & cap. 93. *Mitissima omnium*, inquit, *erit pœna eorū, qui præter peccatum quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt: tantò quisque tolerabiliorem sibi habebit damnationem, quantò hic minorem habuit iniquitatem.*

Mitissima pœna peccati originalis.

CAP. CCLXXVII.

De Iudicandis.

QVinam à Christo iudicandi sint, illa verba continent: *Viuos & mortuos.* Profitemur enim, quòd omnes homines, qui nunc viuunt, aut aliquādo victuri sunt, item omnes, qui nunc mortui, aut quandóque morituri sunt, à Christo in vniuersali iudicio esse iudicandos, iudicio approbationis vel condemnationis. Vndè Act. 10. *Constitutus est à Deo iudex viuorum, et mortuorū.* 2. Timoth. 4. *Iudicaturus est viuos et mortuos*: id est, omnes homines. Matth. 25. *Congregabuntur ante eum omnes gentes.* Rom. 14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi.* Isa. 45. *Mihi flectetur omne genu.* 2. Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet, etc.* Vbi obseruandum, propria corporis intelligi ea omnia, quæ ad vnumquēque in seipso viuentem pertinent, vt docet Augustinus ser. 14. *De verbis Apostoli.* Epist. 107. lib. 3. *Cont. Iulianum.* cap. 6. Lib. 6. c. 2. & 4. Fulgentius lib. *De fide ad Petrum* c. 3. dicit, animas in suis corporibus retributionem siue regni, siue supplicij accepturas, in quibus siue bonam, siue malam qualitatem vitæ præsentis habuerint.

Propria corporis.

An Christus sit futurus angelorum iudex.

Vtrum verò Angelorum Christus, vt homo, etiam iudex futurus

sit, ambigi potest D. Thomæ, ac communis sententia est, Angelos quoad præmium aut pœnam essentialem non esse à Christo vt homine iudicandos, sed tantum quoad ministeria, & accidentalia eorum præmia vel supplicia, quæ inde resultant, idque, quoniam Christus non sit Angelorum redemptor, neque eius beneficio vt mediatoris, sed vt Dei Creatoris gratiam, qua perseuerare possent, acceperint. Assistent tamen Christo omnes angeli in vniuersali iudicio, quibus pro ministeriis hominibus exhibitis accidentaria quædam præmia vel supplicia decernet, non quidem pro meritis eorum propriis, cùm extra merendi statum constituti sint; at inquantum alienorum causâ meritorum aut demeritorum fuerint, boni quidem angeli protegendo, & ad bona opera animando: mali autem è contra, malum suggerendo, & pro viribus à Dei obedientia homines retrahendo. Quare boni Angeli vberius gaudium percipient de salute iustorum, quibus opitulati fuerint, & de sanctorum hominum consortio, suique ministerij fructu. Similiter malis accrescet confusio, & accidentaria tristitia ex societate impiorum hominum, & noua quædam ignominia, publicaque infamia ex operibus prauis hominum, quorum ipsi causa fuerint: ac insuper noua quædam pœna torquebuntur, dum cum damnatis hominibus arctissimè in carcere Inferni concludentur, spoliati libertate, ac emergendi, tentandique potestate, quam ante Iudicium habuerunt. Quod Marc. 1. dæmon agnouit, exclamans: *Vt quid venisti ante tempus perdere nos?* & 2. Pet. 2. dicuntur *Angeli peccatores in iudicium reseruari*: quia in extremo iudicio sint à Christo cum omnibus reprobis in Gehennam cum summa ignominia detrudendi, nunquam inde egressuri. Sic August. lib. 11. *De Ciuit.* c. 33. & lib. 21. cap. 23. lib. *de Natura boni cont. Manich.* capit. 33. Quod Apoc. 12. & 20. insinuatur illis verbis: *Diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, vbi & bestia, & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.* Huc quoque pertinet illud Apostoli 1. Cor. 6. *An nescitis, quoniam angelos iudicabimus?* quoniam comparatione hominum, qui Deo paruerint, dignissimi pœnis æternis, propter suam inobedientiam Angeli pronunciabuntur.

Angelorũ gaudiũ vel tristitia vnde oriatur.

Lucæ 15.

Accidentaria præmia dabuntur Angelis.

Ex quibus consequitur, Iudicium vniuersale tam ex parte iudicantium, quàm iudicandorum, ad homines solos directè pertinere, ad Angelos verò tam bonos quam malos non nisi consecutiuè. Suares tamen in 3. p. S. Thom. q. 59. disp. 57. sect. 8. cum S. Bonauentura opinatur, omnes Angelos etiam quoad præmium vel supplicium essentiale à Christo Homine, iudicio saltem approbationis vel condemnationis, esse iudicandos, quia conueniens sit, vt publicum iudicium cum retributione fiat non solùm de hominibus, sed etiam de Angelis, idque à Christo Rege regum, & Domino dominantium, vt omnia ei subiecta ostendantur, & omne ei curuetur cœlestium, terrestrium & infernorum.

Iudiciũ extremũ propriè hominum erit.

Suaris opinio de angelorum iudicio.

CAP. CCLXXVIII.

De tempore durationis Iudicij.

An tempus iudicij sit diuturnum futurum.

QVia ad iudicium causæ cognitio ac manifestatio, & posteà sententiæ prolatio necessaria est, meritò QVÆRITVR, An longa

disceptatione in iudicio erit opus? Si enim opera singulorum discuti, & propriam vnicuique sententiam dari oporteat, longa mora opus fore apparet. Quare vi quadam diuina, omnium hominum & angelorum conscientiæ ac memoriæ recolent vniuersa tam iusta, quàm facta sua, bona, vel mala: eademque iudicandorum opera cunctis in iudicio manifestabuntur, siue per mentalem, siue per vocalem manifestationem. Verisimile enim est, nonnulla hominum peccata esse voce sensibili redarguenda, & similiter aliqua bona opera laudanda, idque in commun respectu eorum, qui ad dexteram, vel ad sinistram erunt: aut secundum aliqua virtutum aut vitiorum genera, commendando scilicet misericordes, deinde Virgines, Martyres, &c. Deque vitijs simili proportione, ad quam sequutura sit in iustis mentalis exultatio, humilis submissio, & gratitudo; atque in peccatoribus conscientiæ accusatio, reprehensio, iustaque damnatio. Illa enim quæ Matth. 25. dicturos iustos & peccatores aut Christus, videntur mente potiùs quàm sensibili voce in singulorum cordibus dicenda; vt significat Apostolus ad Rom. 2. *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum. &c.*

An discepratio sit futura in iudicio?

Aug li. 20. de ciuit. c. 14. & 16.

Ab vocalis, aut mentalis manifestatio causæ cuiusque.

Post manifestationem verò causæ vniuscuiusque, de singulis propriæ sententiæ, cuiusque meritis accommodatæ, proferentur: quia non omnes afficiendi sunt eadem pœna, vel præmio, sed quisque pro suorum qualitate meritorum, vt Gregorius Nyssenus oratione in illud docet: *Quod vni ex iis mininis feciſtis, mihi feciſtis.* Postquam verò de singulis prorsus sententia lata fuerit, ad consummandum iudicium proferentur duæ illæ generales sententiæ: quarum vna reprobis, altera electis communis erit. Nam qui in vno, vel altero ordine continentur, in statu & perpetua viuendi ratione conueniunt. Electi enim vniuersi Deo perfruentur. reprobi verò inferni carcere in tenebris & miserijs concludentur. Et priuatæ quidem sententiæ de singulis mentaliter ferentur, ita tamen, vt non tantùm ab eis, ad quos pertinebunt, sed etiam ab omnibus, qui iudicio aderunt, cognoscantur: vt nimirum sententiæ æquitas & iustitia omnibus pateat. At verò sententiæ illæ duæ generales, voce sensibili proferentur, vt communiter sentiunt Doctores Scholastici, dist. 47. 4. sentent. quia cùm iudicium sensibile sit, & à Iudice homine visibili, decet, vt etiam sententia generalis, quoad ordines saluandorum, & condemnandorum, sensibili modo pronuncietur. per modum efficacis imperij: *Ite maledicti*: &, *Venite benedicti.* Qua sententia prolata, confestim aperietur terra, & repentino hiatu absorpti omnes impij, ac damnati incipient ire in ignem æternum. Beati verò cum Christo & omni Angelorum multitudine, in cœlum ascendent. Quanto autem tempore duraturum sit iudicium, incertum esse docet Augustinus libro 20. *De Ciuitat.* capite 1. Est autem verisimile, nonnulla, haud tamen magna temporis mora duraturum, quia non erit necessaria ad conuincendas singulorum conscientias, neque ad sententiam proferendum, vt significatur illis verbis: *Sicut exit fulgur ab Oriente, & paret vsque in Occidentem: sic erit aduentus filij hominis.* Et Malachiæ 3. *Ero testis velox maledicis, adulteris, &c.* Augustinus libro 20. *De Ciuit.*

Priuata de vnoquoque sententia mentaliter feretur.

Sententia generalis voce sensibili proferetur.

1. Thes. 4.

Matth. 24.

Ratio consuetudinis orandi versus Orientem.

cap. 26. Damascenus lib. 4. *de fide*, cap. 13. ex cap. Matth. 24. colligit, Christum ab Oriente venturum ad iudicium, rediturum verò versus Occidentem. vndè preces quoque versus Orientem fundi putat. Cuius consuetudinis meminit Augustinus lib. 2. *De serm. Domini in monte.* cap. 9. Basilius de Spiritu Sancto c. 27. Epiphanius hæresi 19.

Christus ab Oriente venturus.

CAP. CCLXXIX.

Articulus octauus.

Credo in Spiritum Sanctum.

Spiritus Sanctus est tertia in Trinitate persona. Aug. Enchir. c. 56.

OCtauo Symboli articulo profitemur, nos credere in Spiritum Sanctum, vt illa Trinitas compleatur, quæ vnus Deus est. Non enim fas est Christiano, ignorare, Spiritum Sanctum cum Patre & Filio vnum verum Deum esse, à quo *descendat omne bonum*, & in cuius nomine credentes regenerentur, in Dei filios adoptentur, atque ad possidendum cælestem hæreditatem sanctificatione præparentur. Vndè Actor. 19. Apostolus Ephesiorum quosdam *ignorantes, an Spiritus sanctus esset*, interrogauit: *In quo ergo baptizati estis?* significans, huius articuli fidem expressam omnibus Christianis necessariam esse. Profitetur ergo fidelis hoc Articulo, se credere in Tertiam sanctissimæ Trinitatis personam, per se veraciter subsistentem, & à Patre & Filio distinctam; eiusdem tamen Diuinitatis, potentiæ, maiestatis, naturæ, ideoque amore, cultu, & non minùs quàm Patrem & Filium, summo, qui *latriæ* dicitur, esse gloriscandum. *Tres* enim *sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbū, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum* 1. Ioan 5. *sunt.* Vbi obseruandum est, quòd Tertia Sacrosanctæ Trinitatis Persona proprium aliquod nomen non habeat, idque propterea, quoniam rationem, qua seipsum totum Deus vi amoris communicat, proprio vocabulo exprimere non possimus, quia nullam aliam naturæ communicandæ rationem in creaturis, quã generandi virtute reperimus. Nomina verò, quæ Deo tribuuntur, à rebus creatis mutuamur, In quibus emanationem per modum amoris essentialem non habemus. Quamuis autem hoc nomen, SPIRITVS SANCTVS, ex vi suæ significationis omnibus personis diuinis conueniat, ex accõmodatione tamen, & vsu scripturarum, & Ecclesiæ, Tertiæ Personæ diuinæ appropriatur, idque ob varias rationes, quæ ex vsurpatione vocis *Spiritus* colliguntur.

De nomine Spiritus sancti.

Spiritus Sanctus per modũ amoris essentialiter emanat.

Aug li. 5. de Trin. c. 10. & lib. 15. ca. 19.

Primò enim Spiritus in Scripturis dicitur *Ventus, aër, flatus & motus.* Gen. 8. *Adduxit spiritum super terram.* Psalm. 148. *Spiritus procellarum.* Notat Beatus Hieronymus in 2. cap. Abacuc, eadem voce apud Hebræos *Spiritum & Ventum* significari, quia propter subtilitatẽ ventus percipi visu nequeat. II. Spiritus vocatur, *hominis Anima.* Genesis 2. *Inspirauit spiraculum vitæ.* Ioannis 19. *Emisit spiritum.* Psalmo 30. & Lucæ 23. *In manus tuas commendo spiritum meum.* III. Spiritus dicitur, *Mens rationalis*, quæ veluti animæ oculus est. ad Ephes. 4. *Renouamini spiritu mentis vestræ.* V. Spiritus appellantur, *Omnes incorporeæ substantiæ.* Lucæ 24. *Spiritus carnem et ossa non habet.* Psal. 103. *Qui facit angelos suos Spiritus.* VI. Spiritus dicitur, *quodnis donum spirituale.* 1. Corinth. 14. *Æmulatores spirituum.* Item, *orabo spiritu.* Matth. 26. *Spiritus quidem promptus est*, id est, ani-

Cur nomẽ Spiritus approprietur tertiæ personæ.

Spiritus, varia significat.

ma

ma Spiritus sancti dono renouata. 1. Thessalon. 5. *Spiritum nolite extinguere.* VII. Spiritus est *nomen substantiale, denotans naturam simplicissimam, omnis compositionis expertem.* Qua significatione tota Trinitas spiritus dicitur. Ioan. 4. *Deus spiritus est.* Postremò nomen *Spiritus*, *à spiratione* deductum, *relatiuè ad spirantem* dicitur: qua significatione notionaliter, seu personaliter accipitur pro tertia Trinitatis persona, quæ à Patre & Filio, non per modũ generationis, siue intellectus & similitudinis, sed per modum spirationis, voluntatis, doni & amoris procedit. Conuenientissimè autem hoc nomen, SPIRITVS, ex sua ratione omnibus Personis diuinis commune, Tertiæ Personæ appropriatum est, vt eius operationes intelligeremus: I. quòd subtilis sit, vniuersa penetrans. *Scrutatur* enim *profunda Dei.* 1. Cor. 2. II. quòd sicut anima corpus viuificet & moueat; ita Spiritus Sanctus animam nostram, vt notat Augustinus libr. 13. *De Ciuit.* cap. vlt. III. vt significetur operationis Spiritus sancti celeritas, energia, & libertas. Mat. 3. *Spiritꝰ vbi vult spirat.* Ambrosius libro in Lucam, *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Actor. 6. *Nullus poterat resistere spiritui, qui loquebatur in Stephano.* IV. vt quemadmodum vox, *Spiritus*, vim quamdam, impetum, & motionem ingerit; ita Spiritum Sanctum hominum corda impellere, agere, & in Deum excitare intelligeremus: ac postremò, vt spiritualem vitam in nos infundere, sinéque illius afflatu nihil æterna vita dignum nos efficere posse, sciremus.

Spiritus ad spirantem, relatiuè dicitur.

Porrò idem Spiritus Sanctus à suis effectibus varia nomina sortitur. Vocatur enim Isaiæ 61. *Spiritus mœroris.* Isaiæ 11. *Spiritus Sapientiæ, intellectus, consilij, fortitudinis, Spiritus scientiæ, pietatis, timoris Domini:* quia scilicet ista in hominibus operetur. Alibi nũcupatur *Spiritus precum*, quia precari faciat. *Ipse* enim *postulat pro nobis*, ait Apostolus, quia postulare facit. Rursus vocatur *Spiritus rectus, principalis, bonus, Spiritus sanctus.* Quo nomine frequẽter in scripturis noui Testamenti designatur. Matth. 28. *Baptizantes in nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti.* Ioan. 14. Act. 2. & alibi passim. Et eodem nomine Apostoli hic in Symbolo in Tertiam in Trinitate Personam compellarunt, quia videlicet hoc nomen eiusdem personæ diuinæ naturam & proprietatem indicet. Dum enim *Spiritus* dicitur, planè incorporeus, simplex, incompositus, nullo loco circumscriptus, nullo tempore comprehensus esse significatur. Tale siquidem est id, quod omnino spirituale est. Dum verò *sanctus* nũcupatur, purissimus, summè bonus, fonsque Sanctitatis esse designatur. Perfecta equidem, plenáque sanctitas Deo propria est, juxta illud Isaiæ 6. *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus*, &c. Denique præcipua eiusdem erga creaturam rationalem operatio, *Sanctificatio* videlicet, eodem nomine significatur. Dum enim *Sanctum* audimus, vnde sanctificemur, hoc est, Deo consecremur, intelligimus. Basilius in Psal. 32. Quamuis autem hæ duæ dictiones, *Spiritus sanctus*, communiter Patri & Filio conueniant; attamen, vt sunt vnum nomen personale, soli tertiæ personæ attribuuntur, vt D. Augustinus lib. 15. *De Trinit.* c. 19. his verbis expressit: *Non ipse solus in illa Trinitate, vel Spiritus, vel sanctus, quia est Pater Spiritus, & Filius spiritus, & Pater sanctus, & Filius sanctus: quod non ambigit pietas. Et tamen iste non frustra*

Spiritus sanctus ab operationibus varia nomina sortitur.

Zachar. 12.

Rom. 8.

Psal. 50.

Spiritus, cur sanctus dicatur.

Spiritus sanctus nomen personale.

Spiritus sãctus cõmunis Patri, & Filio, vocatur propriè, quòd ambo communiter.

propriè dicitur Spiritus sanctus. Quia enim est communis ambobus, id vocatur ipse propriè, quod ambo communiter. Et lib. 5. capit. 11. *Vt ex nomine, quod utrique conuenit, utriúsque communio significetur, vocatur donum amborum Spiritus sanctus.* Libr. 3. *cont. Maximinum* cap. 14. Alcuinus lib. 1. *De Trinit.* cap. 6. Basil. lib. 5. *contra Eunomium* docet nomen Spiritus sancti vnam subsistentem personam denotare in Trinitate.

CAP. CCLXXX.

Quòd Spiritus sancti vocabulum tertiam Diuinitatis personam per se subsistentem denotet.

De Spiritu sancto errores Act. 23.

SAducæi Spiritum sanctum non esse penitus censuerunt, quos reijcit Act. 23. scriptura, & Nazianzenus oratione 5. *De Theologia.* Praxeas verò Asiaticus, Noëtus, & Sabellius docuerunt, Spiritum sanctum non esse distinctam personam à Patre, sed tantùm differre nomine, mentis cogitatione, virtutis dilatatione, vt Athanasius in oratione *contra Arian.* refert. Quod commentum refutatur illis. Euangelij verbis: Ioan. 15. *Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Vbi habemus, Spiritum sanctum à Patre procedere, ac proindè ab illo personâ distingui: & mitti à Filio, ideoque similiter ab illo distingui. Nã nihil à seipso procedit, & missio in diuinis secundùm processionem intelligitur. Vndè Ioan. 14. *Alium paracletum dabo vobis*, significans, aliam se personam missurum. Et quidem personas in diuinis tres esse à se inuicem distinctas expressissimè Mat. 28. Dominus tradit, iubens baptizari *Credentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Quibus scripturis etiam confutatur error hodiernus eorum, qui asserunt, Spiritum sanctum non significare personam diuinam per se subsistentem, intelligẽtem, & agentem, sed quoddam Dei donum, potentiam, seu virtutem, in quo cum antiquis hæreticis sentiunt; quos Athanasius confutat libro de *Communi, essentia Patris, & Filij, et Spiritus sancti.* Et in epist. ad Serapionem Basil. lib. 5. *cont. Eunom.* Nazianzenus oratione 4. *De Theologia* vbi docent, Spiritum sanctum esse personam per se subsistentem ex eo quòd operetur, cognoscat, velit, iudicet, loquatur, doceat, annuntiet, suggerat, arguat, consoletur, perhibeat testimonium, mittat doctores, præcipiat, rectores Ecclesiæ constituat, aliáque multa faciat: quæ nisi à persona subsistente, intellectu & voluntate prædita fieri nequeunt. Accedit, quòd cum Patre & Filio tanquam persona tertia, distincta à prima & secunda, numeretur. Matth. 28. & 1. Ioan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: et hi tres vnum sunt.* Quam de tribus personis diuinis, à se distinctis, in vna diuinitatis natura tamen vnitis, doctrinam, Patriarchæ, Prophetæ, Christus, & Apostoli Ecclesiæ tradiderunt. Macedonius, Eunomius, Ariani & Seruetiani Spiritum sanctum à Patre & Filio distingui admittunt, sed creaturam Filij esse asserentes, Diuinitatem eiusdem negãt. Quem errorem Basilius ex professo libro *de Spiritu sancto* refellit. Et palàm scriptura Diuinitatem *Spiritus sancti* proponit, Act. 5. *Cur tentauit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* 1. Cor. 6. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti? Glorificate & portate*

Spiritus sanctus est persona in Trinitate subsistens, non solùm vis aut potentia.

Spiritus sãctus est distincta à Patre, & Filio persona.

Trinitas personarũ diuinarum statuitur.

te Deum in corpore vestro. Quem Deum, (ait Augustin. epist. 66.) nisi Spiritum sanctum? Cuius corpora nostra dixeras esse templum. Nulla verò creatura in nobis, tanquam in suo templo habitat. 2. Reg. 23. Dauid Spiritum Domini per se loquutum ait, vocátque illum, Deum Israëlis, fortémque dominatorem. Isaias capit. 6. Deum verum vidit. Ac Paulus Act. 28. Benè, inquit, loquutus est Spiritus sanctus per Isaiam: quo loco vtitur Basilius lib. 5. cont. Eunomium. Denique Verus Deus loquutus est per os Prophetarum, Lucæ 1. ad Hebr. 1. At Spiritus sanctus est, qui per os prophetarum loquutus est. Marc. 12. Ipse Dauid in Spiritu sancto dixit. 2. Petr. 1. Spiritu sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines & Prophetæ. ad Hebr. 9. Hoc significante Spiritu sancto: loquens de iis, quæ Deus loquutus erat Moysi. Leuitici 16. Ad Hebræos 3. Apostolus citans illud Psalm. 94. Hodie si vocem eius audieritis; Quapropter, ait, sicut dicit Spiritus sanctus. Ad Hebr. 10. loquens de Testamento nouo, per Deum Ierem. 31. promisso, Contestatur nos, inquit, & Spiritus sanctus.

Huc etiam pertinent diuinæ proprietates, quæ non minùs Spiritui sancto, quàm Patri vel Filio tribuuntur: vt immensitas. Psalm. 138. Quo ibo à spiritu tuo? Sapient. 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Bonitas. Psalm. 142. Spiritus tuus bonus. Omnipotentia, Sapien. 7. Omnem habens virtutem. Sapien. 1. Cor. 2. Spiritus omnia scrutatur, etiã profunda Dei: id est, comprehendit quid quid in Deo est. Nõ enim scrutatur quasi ignorans, sed quemadmodum Deus hominũ corda scrutatur. Hieremiæ 17. vt notat Basil. libro 5. cont. Eunomium. At nulla creatura Deum comprehendere potest: omnis autem res quæ est, si creatura non est, Deus est, inquit Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 6.

Diuinæ proprietates Spiritui sancto cõmunes.

Eodèm pertinent Scripturæ, quæ Spiritui sancto diuinas operationes attribuunt: vt creare, Psal. 32. Verbo Domini cœli creati sunt, et Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Omnia continere, Sapientiæ 1. Continet omnia. Iustificare, 1. Cor. 6. Iustificati in spiritu Dei nostri. Saluare, Apoc. 14. Amodo dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Prædictio futurorum, Act. 1. Oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus. 2. Pet. 1. Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines. Patratio miraculorum. Matth. 12. In spiritu Dei eycio Dæmonia. Roman. 15. In virtute prodigiorum, in virtute Spiritus sancti 1. Corinth. 2. In ostensione Spiritus. Viuificatio & resurrectio. Roman. 8. Ecclesiæ gubernatio ex primaria authoritate. Actorum 20. In quos vos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei. Actorum 13. Segregate Paulum, &c. Actorum 10. Petro cogitante de visione, dixit Spiritus sanctus, Surge, descende, &c. Actor. 15. Visum est Spiritui sancto. Act 16. Prohibiti sunt à Spiritu sancto loqui in Asia. Distributio spiritualium gratiarum. 1. Corinth. 12. Hæc autem omnia operatur vnus atq; idem spiritus. Rom. 5. Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Rom. 8. Spiritus vitæ liberauit me à lege peccati. Rom. 14. gaudium in Spiritu sancto.

Huc accedunt Scripturæ, quæ Spiritum sanctũ Patri & Filio consubstantialem tradunt. 1. Ioan. 5. Hi tres vnum sunt: id est, hi tres, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus vna sunt indiuidua, & singularis essentia; non vnum collectione vel ordine, neque tres distinctæ essentiæ, numero distinctæ, gradibus dignitatis

Spiritus sanctus Patri, & Filio consubstantialis.

inæquales, sed sunt vnus essentiali numero Deus. Vndè Baptismus datur *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, Matth. 28. Commune nomen tribus personis, Diuinitas est. Item à Spiritu sancto regeneramur. Ioannis 3. ad Titum 3. *Deus* ergo *natura est, cuius beneficio diuini efficimur*, vt colligit Gregorius Nazianzenus oratione 5. *De Theologia.* & Cyrillus libr. 13. *Thesauri* cap. 1. Hunc Patri, & Filio tanquam eiusdem naturæ connumeratus tam Matth. 28. quàm 2. Cor. 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cũ omnibus vobis.* Et omnia Christi secũdùm humanitatem opera Spiritui sancto tribuuntur. Nam Christus homo virtute Spiritus sancti concipitur, sanctificatur, vngitur, Lucæ 1. Isaiæ 61. & 11. In desertum ducitur, Luc. 4. Eijcit dæmonia, Matth. 12. Obtulit se in mortem, ad Hebr. 9. Resuscitatus est, Rom. 8. Eodèm pertinet, quòd peccatum in Spiritum sanctum sit irremissibile, Matth. 12.

Postremò Spiritum sanctum verum esse Deum, conuincit, quòd numquam in creaturarum numero Spiritus sanctus ponatur, quando ad collaudandum Deum vniuersæ creaturæ inuitantur. Psalm. 148. Danielis 3. Hoc argumento vtitur Athanasius serm. 3. contra Arianos. Basilius Libro. *De Spiritu sancto* capite 18. Augustinus lib. *cont. Maxim.* Et ex professo Spiritus sancti diuinitatem asseruerunt plerique veterum, editis eã de re libris, tractatibus, aut sermonibus, vt Athanasius in epistolis *ad Serapionem.* Basilius libro. *De Spiritu sancto.* & libro 3. & 5. *contra Eunom.* Gregorius Nazian. oratione 5. *De Theolog.* Didymus libris duobus *De Spiritu sancto.* Cyril. lib. *Quòd Spiritus sanctus est Deus.* Hilarius libro 12. *De Trinitat.* Ambrosius libris tribus *De Spiritu sancto.* Augustinus lib. 1. *De Trinit.* cap. 6. & lib. 1. *cont. Maximin.* epist. 124. & 66.

CAP. CCLXXXI.

De processione Spiritus sancti.

Spiritus sãctus procedit à Patre ac Filio.

DE processione Spiritus sancti, vtrùm à Patre solo, an quoq; à Filio, tanquam vno principio æternâ spiratione procedat, verus est inter Græcos, & Latinos controuersia. Latini contra Græcorum errorem Symbolo Constantinopolitano explicationis gratia particulam illam, *Filióque*, addiderunt, circa Domini Annum DC. vt ex Concilio Toletano 8. circa annum DCLIII. celebrato colligitur: in quo Symbolum cum hac additione reperitur, quæ in Concilio Toletano 3. Anno Dñi DLXXXIX. habito non reperitur. Et in Synodo 7. act. 7. idem symbolum cum additione recitatur.

Filióque, additũ anno circiter 600.

Erroris autem Græcorum primus author fuisse videtur Nestorius, propagator verò, Theodoretus. Is enim in confutatione anathematum Cyril. capite 9. contendit, Spiritum sanctum neque à Filio, neque per Filium procedere. Quem errorem pleriq; Græcorum circa annũ DCCLXVII. cõplexi sunt: contra quos Cõcilium Gentiliaci sub Pipino, Caroli Magni patre, celebratũ est, vt refert Ado in Chronico. Floruit circa annũ DCCCLX. Theophylactus, qui in 3. capite Ioan. eundem errorem amplexus est, similiter & Damascen. lib. 1. *De fide* c. 11. quo tempore Græci ex libris D. Gregorij in Græcum sermonem conuersis, deleuerunt illa symboli verba:

Theodoretus author erroris Græcorum.

Theophylactus.

Filióque procedit, teste Ioanne Diacono in vita S. Gregorij capite 75. Circa verò annum Domini MLIV. imperante apud Græcos Constantino decimo, Michaël Patriarcha Constantinopolitanus se ab Ecclesia Romana seiunxit, præsexens, Pontificem Romanum cum suis excommunicatum esse, quia Symbolo contra Canones Concilij Constantinopolitani addidisset, *Filióque procedit*, vt ex epist. Leonis 9. ad Constantinum Imperatorem, & ex Chronico Sigeberti anni MLIV. patet. A quo tempore Schisma apud Græcos perdurat.

1054. Schisma Græcorum à Romana Ecclesia.

Fuerunt quidem Græci sæpius in Conciliis de errore conuicti, & ad Catholicæ Romanæ Ecclesiæ fidem quater quinquiesue cõuersi, at semper ad vomitum redierunt, donec tandem eorum Imperium per Turcas euersum, occupatúmque est. Quòd autem à Constantinopolitano Concilio rectè ad explicationem veritatis particula illa, *Filióque*, addita sit, ex scripturis confirmatur. Ioan. 15. de Spiritu Sancto loquens Dominus ait: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Quid autem accipiet, nisi scientiam, quę Spiritus Sancti essentia est? Quare dum ait Christus: *Non loquetur à semetipso*, insinuat scientiam Spiritus Sancti non esse illi à semetipso, sed à Patre, & à Filio, ac proindè ipsum à Patre & Filio procedere, vt in eum locum obseruat Chrysostomus, & Cyrillus, atque Didymus libr. 2. *De Spiritu Sancto.* Idem docuit Christus Ioan. 16. dicens: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Et Ioan. 17. *Omnia tua mea sunt*; excepta videlicet sola Paternitatis relatione: sed Pater habet esse principium Spiritus Sancti, quod non est Patrem esse: igitur & Filius adipsum habet. Ita Augustin. libr. 5. *De Trinit.* ca. 14. Item Ioan. 15. *Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.* Et cap. 16. *Si abiero, mittam eum ad vos.* At omnis missio fit aut per imperium, quo modo mittuntur serui à Dominis, aut per consilium, quo modo ægroti mittuntur ad medicum, aut per naturalem productionem, sicut arbores dicuntur emittere flores: at certum est, Spiritum sanctum non mitti veluti seruum, aut ignorantem: igitur mittitur secundùm naturalem productionem, accipiendo à Filio suam substantiam, scientiam, atque adeò omnem operationem, secundùm quam peculiari modo in hominibus esse dicitur. Nihil enim aliud est in diuinis, vnam personam ab alia mitti, quàm vnam personam ab alia secundùm originem procedere. Quare filium mitti, est filium nasci: Spiritum Sanctum mitti, est Spiritum sanctum procedere, vt docet Augustinus libr. 4. *De Trinit.* cap. 19. Neque verò eludi dicta possunt, asserendo *missionem* Spiritus Sancti non significare, *processionem*, quoad internam substantiam, sed missionem externam ad creaturam, per donorum largitionem, quæ *gratiæ Spiritus Sancti* vocãtur. Nostra scriptura docet, non solùm dari creata Spiritus Sancti dona, sed ipsum etiam Spiritum Sanctum. Rom. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Vbi Spiritus Sanctus à suis distinguitur donis. 1. Cor. 6. *Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, quem habetis in vobis.* 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ioan. 14. *Si abiero, alium paracletũ dabit vobis.* Ioa. 16. *si nõ abiero paracletus nõ veniet ad vos.* Hęc donis tribui nequeunt, cùm nec veniant nec mittantur, nec cum Christi persona conferri possint, tãquam

Missio per naturalem productionem.

Mitti in diuinis est produci, procedere.

Vox Filióque, Symbolo rectè addita est.

Spiritus Sanctus datur secundum se, & sua quoque dona.

vnus paracletus cum alio. Vndè ipsum Spiritum sanctum secundum se mitti, Patres docēt: Ambrosius *De Spiritu sancto* lib. 1. c. 4. & 5. August. lib. 15. *De Trinit.* ca. 26. Chrysostomus in cap. 5. ad Rom. Cyrillus in cap. 16. Ioan.

Præterea si *mittere Spiritum sanctum* foret *dare Spiritū sancti dona*, solum, consequeretur, Patrem quoque mitti à Filio, & Spiritu sancto, cùm scilicet etiam dent *omne donum descendens à Patre luminum*. Neque verò propterea dici potest, Filium mittere Spiritum sanctum, quia merunt, vt Spiritus Sanctus ad nos veniret, quia similiter causa fuit, vt Pater ad nos veniat. iuxtà illud Ioan. 14. *Si quis diligit me, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus.* Neque dictis obstat, quòd Christus dicatur à Spiritu sancto mitti, à quo non procedit. Isaiæ 48. & 61. Nam secundùm formam serui à Spiritu sancto missus est, secundùm quam ab eodem Spiritu sancto in vtero virginis formatus & vnctus est. Quare Dominus de Spiritu sancto asserens: *Ego mittam eum*, significat, Spiritum sanctum à se per internam hypostasis productionem naturaliter procedere. Quod etiam insinuauit, quando insufflans dixit: *Accipite Spiritum sanctum.* Ita Augustinus libr. 3. *cont. Maximinum* cap. 14. Cyril. in Ioan. libr. 12. c. 56. Theophylactus in 3. capit. Ioan hoc argumentum impugnat, sed non expugnat

Luce 4.

Spiritus Sanctus a Filio procedit.

Theophylacti error de Spiritu Sancto.

Huc insuper omnes scripturæ pertinent, quæ Spiritum, Filij vocant non minùs, quàm Patris, quia scilicet æqualiter ab vtroque spiretur. Matth. 10. *Spiritus Patris vestri.* Rom. 8. *Spiritus eius, qui suscitauit Iesum.* Ita vocatur, Spiritus Filij. Rom. 8. *Si quis Spiritum Christi non habet.* Galat. 4. *Misit Deus Spiritum filij sui.* Nulla verò potest reddi ratio, cur Spiritus sanctus Filij potius, quàm Filius Spiritus sancti esse dicatur, nisi quia per originem à filio sit, & spiretur, non autem filius à Spiritu sancto emanet. Quam de Spiritu sancto doctrinam Ecclesia in Conciliis post controuersiam hac de re natam luculentis verbis expressit. In Concilio enim Nicæno quia nondum hæc de re quæstio exorta erat, veritas plenè non fuit explicata. In Concilio autem I. Constantinopolitano, quia Macedoniani Spiritum sanctum creaturam Filij esse contendebant, definitum est, à Patre procedere. Posteà verò suscitata per Nestorianos de Spiritus sancti processione à Filio, controuersia, multis Conciliis veritas definita est. Primò Alexandriæ, ex quo Concilio ad Nestorium Cyrillus scripsit in hæc verba: *Spiritus appellatus est veritatis, et veritas Christus est, vndè ea ab isto similiter, sicut à patre procedit.* Epistola habetur in Concilio Ephesino tom. 1. ca. 14. Et approbata est ab eodem Concilio, & à quarta Synodo act. 5. & à quinta act. vlt. & à sexta Synodo act. 17. & à septima, act. 7. in qua symbolum Constantinopolitanum cum illa additione (*filióque*) reperitur: vt à Latinis in Concilio Florentino sess. 6. & 7. ex vetustissimo codice manuscripto demonstratum est. Idem definitum est in Concilio Toletano 1. c. 21. & in 3. ca. 1. & in 4. ca. 1. atque in 8. cap. 1. necnon in 11. cap. 1. Post autem exortum schisma Græcorū, celebratum fuit Concilium Barense tempore Vrbani secundi circa annum Domini M.XC. cuius meminit Anselm. lib. *De processi. Spiritus sancti* ca. 4 & author vitæ B. Anselmi. Secundum Concilium fuit Lateranense sub Innocētio III. Anno, M.CCXV. vbi cap. 1. definitum

Nazianzen. ep. 2 ad Cledonium.

Basil. lib. 2. cont. Eunom.

Spiritus sancti à Filio processio à Conciliis definita.

est, Græcis consentientibus, Spiritum Sanctum à Patre Filio que procedere, vt ex cap. 4. cōstat. Tertium concilium est Lugdunense, Anno M.CCLXXIII. sub Gregorio X. cuius definitio extat in 6. Decretalium Tit. 1. capite 1. Quartum Concilium est Florentinum, Anno M.CCCCXXXVIII. in quo Græci Latinis iterum vniti fuerūt. Quod autem Spiritus sanctus à Filio non minùs, quàm à Patre procedat, præter dicta Concilia, veteres quoque vno consensu, tam Græci quàm Latini constanter tradunt. Tertullian. lib. contra Praxeam, *Spiritum sanctum à Patre per Filiū deduco.* Cypr. in serm. *De Aduentu Spiritus sancti: Spiritus sanctus à Patre et Filio procedens.* Hilar. lib. 2. de Trinit. *De Patre, & Filio authoribus cōpendum est, scilicet Spiritum sanctū produci.* Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto c. 12. tractās illud Ioan. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt & Quæ accepit ipse per vnitatem naturæ, ex ipso per eandem vnitatem accepit Spiritus sanctus.* Hieronymus in epist. ad Hedibiam q. 9. *Spiritus sanctus à Patre et Filio mittitur: Spiritus Patris, & Christi appellatur.* Et in c. 57. Isaiæ: *Spiritus à Patre egreditur, & propter naturæ societatem à Filio mittitur.* Ruffinus in explicatione symboli: *Spiritus sanctus de vtroque procedens.* Augu. tract. 99. in Ioan. *Hic aliquis forsitan quærat, vtrùm & à Filio procedat Spiritus sanctus? Cur non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus sanctus, cùm Filij quoque ipse sit Spiritus?* Idem repetit lib. 15. *de Trinitat.* ca. 17. 26. 27. lib. 3. *cont. Maxim.* c. 14. Prosper li. *De vita contemplatiua*, cap. 18. Leo epist. 91. c. 1. Fulgent. lib. *De fide ad Petrum.* c. 2. *Proprium est Spiritus sancti, quòd de Patre Filióque procedat,* Boëtius lib. 1. *De Trinit.* c. 12. Greg. symbolum edidit, quod refertur in

Spiritus sancti processionem à Filio veteres tradunt.

cius vim lib. 2. c. 2. Lib. 2. dialog. cap. vlt. lib. 1. Moral. ca. 8. Beda lib. 1. *De elementis philosophiæ.* & in c. 4. ad Galatas. Alcuinus lib. 1. *De Trinitat.* cap. 6. & 12. & libr. 2. cap. 9. & in epilogo libr. 3.

Quemadmodum verò Latini apertè Spiritus sancti processionem à Patre & Filio professi sunt, ita quoque Græci omnes, qui ante Theodoretum fuerunt. Athanasius in Symbolo: *Spiritus sanctus à Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Cuius symboli meminit Augustin. in Psalm. 120. Eius verò sententiæ vetus Enchir. ca. 36. lib. 15. *De Trinitate* c. 8. epist. 174. ser. 195. *De Tempore.* Gregor. Nazian. in oratione *de laudibus Athanasij*, cum perfectissimam fidei confessionē edidisse scribit, quā totus, Orbis, & Occidens veneratur. Idem Symbolum in Concilio Toletano 4. recitatur, circa annum DCXXXIII. Eandem Spiritus sancti processionē à Patre & Filio idem Athanas. illustrat similitudine Solis, splendoris, ac ex ambobus productæ lucis; Sermo 4. contra Arianos. In epistolis autem ad Serapionem contra eos, qui admittebant, Filium esse Deum ex Patre, Spiritum sanctum verò, à Filio creatum asserebant, velut notissimū assumit, quòd Spiritus sanctus ita à Filio Deo immanenter procedat, sicut Filius à Deo Patre. Proindè quòd creatura non sit, nisi Filium quoque creaturam faciamus. Basilius lib. 2. *cont. Eunom.* tractans illud Ioannis: *Omnia mea tua sunt*, & lib. 5. contra eundem initio ait, Spiritum sanctum à Filio suum esse habere: & lib. 5. *cont. Eunom.* capite 8. dicit Spiritum sanctum esse veram & naturalem imaginem Dei. Non est autem vera & naturalis imago, nisi producatur ab exemplari, vt patet in duobus ouis similibus.

Græci ante Theodoretum Spiritus sancti processionē agnouerūt.

Sol producit splendorem, ac ex vtroque procedit lux.

Imago præter similitudinem refert, quod ex alio, à quo producitur.

vnus paracletus cum alio. Vnde ipsum Spiritum sanctum secundum se mitti, Patres docēt: Ambrosius *De Spiritu sancto* lib. 1. c. 4. & 5. August. lib. 15. *De Trinit.* ca. 26. Chrysostomus in cap. 5. ad Rom. Cyrillus in cap. 16. Ioan.

Præterea si *mittere Spiritum sanctum*, foret *dare Spiritū sancti dona*, solum, consequeretur, Patrem quoque mitti à Filio, & Spiritu sancto, cùm scilicet etiam dent *omne donum descendens à Patre luminum*. Neque verò propterea dici potest, Filium mittere Spiritum sanctum, quia meruit, vt Spiritus Sanctus ad nos veniret, quia similiter causa fuit, vt Pater ad nos veniat, iuxtà illud Ioan. 14. *Si quis diligit me, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus.* Neque dictis obstat, quòd Christus dicatur à Spiritu sancto mitti, à quo non procedit. Isaiæ 48. & 61. Nam secundùm formam serui à Spiritu sancto missus est, secundùm quam ab eodem Spiritu sancto in vtero virginis formatus & vnctus est. Quare Dominus de Spiritu sancto adferens: *Ego mittam eum*, significat, Spiritum sanctum à se per internam hypostasis productionem naturaliter procedere. Quod etiam insinuant, quando insufflans dixit: *Accipite Spiritum sanctum.* Ita Augustinus libr. 3. *cont. Maximinum* cap. 14. Cyril. in Ioan. libr. 12. c. 56. Theophylactus in 3. capit. Ioan hoc argumentum impugnat, sed non expugnat

Luc. 4.

Spiritus sancti a Filio procedit.

Theophylacti error de Spiritu sancto.

Huc insuper omnes scripturæ pertinent, quæ Spiritum, Filij vocant non minùs, quàm Patris, quia scilicet æqualiter ab vtroque spiretur. Matth. 10. *Spiritus Patris vestri.* Rom. 8. *Spiritus eius, qui suscitauit Iesum.* Ita vocatur, Spiritus Filij. Rom. 8. *Si quis spiritum Christi non habet.* Galat. 4. *Misit Deus spiritum filij sui.* Nulla verò potest reddi ratio, cur Spiritus sanctus Filij potius, quàm Filius Spiritus sancti esse dicatur, nisi quia per originem à filio sit, & spiretur, non autem filius à Spiritu sancto emanet. Quam de Spiritu sancto doctrinam Ecclesia in Conciliis post controuersiam hac de re natam luculentis verbis expressit. In Concilio enim Nicæno quia nondum hæc de re quæstio exorta erat, veritas plenè non fuit explicata. In Concilio autem I. Constantinopolitano, quia Macedoniani Spiritum sanctum creaturam Filij esse contendebant, definitum est, à Patre procedere. Posteà verò suscitata per Nestorianos de Spiritus sancti processione à Filio, controuersia, multis Conciliis veritas definita est. Primò Alexandriæ, ex quo Concilio ad Nestorium Cyrillus scripsit in hæc verba: *Spiritus appellatus est veritatis, et veritas Christus est, vndè et ab isto similiter, sicut à patre procedit.* Epistola habetur in Concilio Ephesino tom. 1. ca. 14. Et approbata est ab eodem Concilio, & à quarta Synodo act. 5. & à quinta act. vlt. & à sexta Synodo act. 17. & à septima, act. 7. in qua Symbolum Constantinopolitanum cum illa additione (*filioque*) reperitur: vt à Latinis in Concilio Florentino sess. 5. & 7. ex vetustissimo codice manuscripto demonstratum est. Idem definitum est in Concilio Toletano 1. c. 21. & in 3. ca. 1. & in 4. ca. 1. atque in 8. cap. 1. necnon in 11. cap. 1. Post autem exortum schisma Græcorū, celebratum fuit Concilium Barense tempore Vrbani secundi circa annum Domini M.XC. cuius meminit Anselm. lib. *De proces. Spiritus sancti* ca. 4. & author vitæ B. Anselmi. Secundum Concilium fuit Lateranense sub Innocētio III. Anno, M.CCXV. vbi cap. 1. definitum

Nazianzen. ep. 1 ad Cledonium.

Basil. lib. 2. cont. Eunom.

Spiritus sancti à Filio processio à Conciliis definita.

est, Græcis consentientibus, Spiritum Sanctum à Patre Filio que procedere, vt ex cap. 4. cōstat. Tertium concilium est Lugdunense, Anno M.CC.LXXIII. sub Gregorio X. cuius definitio extat in 6. Decretalium Tit. 1. capite 1. Quartum Concilium est Florentinum, Anno M.CCCCXXXVIII. in quo Græci Latinis iterum vnitifuerūt. Quòd autem Spiritus sanctus à Filio non minùs, quàm à Patre procedat, præter dicta Conciliorum, veteres quoque vno consensu, tam Græci quàm Latini constanter tradunt. Tertullian. lib. contra Praxeam, *Spiritum sanctum à Patre per Filium dedugo.* Cypr. in serm. *De aduentu Spiritus sancti: Spiritus sanctus à Patre et Filio procedens.* Hilar. lib. 2. de Trinit. *De Patre, & Filio authoribus cōptendum est, scilicet Spiritum sanctū produci.* Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto c. 12. tractis illud Ioan. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt: Quæ accepit ipse per vnitatem naturæ, ex ipso per eandem vnitatem accepit Spiritus sanctus.* Hieronym. in epist. ad Hedibiam q. 9. *Spiritus sanctus à Patre et Filio mittitur: Spiritus Patris, & Christi appellatur.* Et in c. 57. Isaiæ: *Spiritus à Patre egreditur, & propter naturæ societatem à Filio mittitur.* Ruffinus in explicatione symboli: *Spiritus sanctus de vtroque procedens.* Augu. tract. 99. in Ioan. *Hic aliquis forsitan quærat, vtrum & à Filio procedat Spiritus sanctus? Cur non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus sanctus, cum Filij quoque ipse sit Spiritus?* Idem repetit lib. 15. *de Trinitat.* ca. 17. 26. 27. lib. 3. *cont. Maxim.* c. 14. Prosper li. *De vita contemplatiua*, cap. 18. Leo epist. 91. c. 1. Fulgent. lib. *De fide ad Petrum.* c. 2. *Proprium est Spiritus sancti, quòd de Patre Filioque procedat,* Boëtius lib. 1. *De Trinit.* c. 12. Greg. symbolum edidit, quod refertur in

Spiritus sancti processionem à Filio veteres tradunt.

eius vita lib. 2. c. 2. Lib. 2. dialog. cap. vlt. lib. 1. Moral. ca. 8. Beda lib. 1. *De elementis philosophiæ.* & in c. 4. ad Galatas. Alcuinus lib. 1. *De Trinitat.* cap. 6. & 12. & libr. 2. cap. 9. & in epilogo libr. 3.

Quemadmodum verò Latini apertè Spiritus sancti processionem à Patre & Filio profitentur, ita quoque Græci omnes, qui ante Theodoretum fuerunt. Athanasius in Symbolo: *Spiritus sanctus à Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Cuius symboli meminit Augustin. in Psalm. 120. Eius verò sententiæ vetus Euchir. ca. 16. lib. 5. *De Trinitat.* c. 8. epist. 174. ser. 195. *De Tempore.* Gregor. Nazian. in oratione *de laudibus Athanasij*, cum perfectissimam fidei confessionē edidisse scribit, quā totus Orbis, & Occidens veneratur. Idem Symbolum in Concilio Toletano 4. recitatur, circa annum DCXXXIII. Eandem Spiritus sancti processionē à Patre & Filio idem Athanas. illustrat similitudine Solis, splendoris, ac ex ambobus producti ex lucis, Serm. 4. contra Arianos. In epistolis autem ad Serapionem contra eos, qui admittebant, Filium esse Deum ex Patre, Spiritum sanctum verò, à Filio creaturam asserebant, velut notissimū assumit, quòd Spiritus sanctus ita à Filio Deo immanenter procedat, sicut Filius à Deo Patre. Profundè quòd creatura non sit, nisi Filium quoque creaturam faciamus. Basilius lib. 2. *cont. Eunom.* tractans illud Ioannis: *Omnia mea tua sunt*, & lib. 5. contra eundem initio ait, Spiritum sanctum à Filio suum esse habere: & lib. 5. *cont. Eunom.* capite 8. dicit Spiritum sanctum esse veram & naturalem imaginem Dei. Non est autem vera & naturalis imago, nisi producatur ab exemplari, vt patet in duobus ouis simillimis.

Græci ante Theodoretum Spiritus sancti processionē agnouerūt.

Sol producit splendorem, ac ex vtroque procedit lux.

Imago tunc tantùm simillima dicenda est, quando ex exemplari producitur.

Non enim dicimus, ouum esse imaginem alterius; quia silicet vnum ab altero non producatur. Cap. 11. docet, Spiritum sanctum habere se ad Filium, vt se habet Filius ad Patrem. Et cap. 12. inquirit, Cur Spiritus sanctus non sit Filij filius, cùm à Patre per Filium procedat? Respõdet, alio modo procedere, quàm per generationem. Gregorius Nyssenus in lib. ad Ablabium dicit, per hoc solùm tres personas discerni, quòd vna est alterius principium, videlicet Pater Filij, & vterque Spiritus sancti. Gregorius Nazianz. oratione 5. *de Theolog.* quærens, Cur Spiritus sanctus non sit filius? Respondet, ideò non esse filium, quia Filius, & Spiritus sãctus mutuas habent oppositiones. Eandem quidem perfectionem tres personæ habent, sed alio modo: Pater innascibiliter, Filius per generationem, Spiritus sanctus per communem Patri, & Filio spirationem. Quod exemplo Adæ, Euæ & Seth, illustrat, quorum Adam à nullo homine est: Eua ex solo viro: Seth ab vtroque, viro scilicet & fœmina. Cyrill. Catechesi 17. scribit, à Patre & Filio Spiritum sanctum substantiali modo spirari. Chrysost. 5. hom. 2. *de Symbolo*, dicit, Spiritum sanctum à Patre & Filio coæqualem procedere. Et hom. 76. atque 77. in Ioan. Epiphanius hæresi 69. *Vnus est Spiritus Dei ex Patre procedens, et de Filio accipiens.* Et in Ancorato sæpius repetit, Spiritũ sanctum non esse creaturam, sed à Patre ac Filio substantialiter emanare. Didymus lib. 1. De Spiritu sancto: *Hoc ipsum quod subsistit & loquitur, à Patre et me illi est.* Cyrill. li. 11. in Ioan. cap. 1. & 25. dicit, Spiritũ sanctum à Patre & verbo habere esse & subsistere. Simeon Metaphrastes in vita S. Dionisij Areopagitæ: *Christus in cœlum ascendit, & Spiritũ, qui ex ipso procedit, mittit discipulis.* Tharasius in epistola ad Patriarchas Orientales, quæ habetur in septima Synodo act. 3. *Credimus in Spiritum sanctum, qui ex Patre per Filium procedit.*

Triplex productio Adæ, Euæ, & Seth.

Rationibus insuper Spiritus sancti processio à Patre & Filio statuitur à Diuo Thoma lib. 4. *cont. Gentes* cap. 24. & quæst. 10. *de potentia*, artic. 4. Præcipua verò est: *Si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab eo, cùm nihil sit in Deo, nisi essentia et relatio, siue absolutum, & relationum. At essentia, et omnia absoluta, sunt omnibus personis communia: igitur sola habitudo mutua personas à se inuicem distinguit, siquidem in solis relationibus numerus inuenitur: proindè omnis distinctio ex relationibus ortum ducit. Non enim essent tres personæ alioquì vna res, nec Dei omnimodam simplicitatem, nullámque in vna persona inueniri perfectionem, quæ non sit in alia, tueri possemus*, quod tamen in Concilio Lateranensi cap. 2. definitum est.

CAP. CCLXXXII.

Quòd non quælibet relatio ad inducendam distinctionem sufficiat.

Relatio opposita, & realis fundata in actione originis.

Hic admonẽdum est, quòd non sufficiat ad inducẽdam distinctionem quælibet relatio, sed opposita esse debeat atque realis, fundatáq; in actione originis. Hęc enim non solùm ob oppolita sibi relatione distinguitur, sed etiam efficit, vt propter ipsam suppositum ab alio diuersum sit. Itaque non solùm spiratio actiua distinguitur à passiua, sed insuper spirator à spirato. Et quoniam hæc relatiua sunt personæ subsistentes, consequenter proprietates harum

Proprietates constitutiuæ personarũ realiter distinguuntur.

harum personarum constitutiuæ inter se realiter distinguuntur: scilicet Paternitas & spiratio passiua; similiter Filiatio & spiratio passiua. Personæ equidem diuinæ in eo solo distinguuntur, quòd vna est ad aliam, vt docet Nazianz. oratione 5. *De Theologia.* Nyssen. lib. *ad Ablabium.* Augustlib. 7. *De Trinit.* cap. vlt. lib. 15. cap. 14. Boëtius lib. 1. *De Trinit.* c. 12. *sola relatio multiplicat Trinitatem.* Anselm. lib. de processione Spiritus sancti cap. 2. omnia dicit esse vnum, vbi non obuiat oppositio relationum. Richard. de S. Victore lib. 2. *De Trinit.* ostendit, personarum distinctionem ex producentium numero nasci, quia vna producat & non producatur; alia producat & producatur; tertia verò producatur, & non producat.

CAP. CCLXXXIII.

Vtrùm Pater & Filius vnicum sint principium Spiritus sancti?

Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti.

QVemadmodum vna eademque Patris & Filij est essentia, ita quoque vna communis vtriusq; est spiratiua potentia, qua tanquam vnico principio Spiritum sanctum producunt. Nam sicuti vnicum est mundi principium tota Trinitas propter vnam essentiam, eandem potentiam, communemque actionem: ita Pater, & Filius vnum sunt principium Spiritus sancti, quia eadem spiratione eum producunt; vt definitum est in Concilio Lugdunensi, & Florentino. Et ita docet Hilar. lib. 4. *De Trinit.* Augustlib. 5. *De Trinit.* cap. 14. Anselmus lib. *De processione Spiritus sancti.* Alcuinus libro primo *De Trinit.* capite 15.

Si verò quis interroget, Cur Dominus Ioann. 15. dixerit, Spiritum sanctum à Patre procedere, nec addiderit à se quoque produci? Respondet B. Augustinus libr. 3. *cont. Maximin.* cap. 14. ideo Patri hoc tribui, quia ipse author sit, vt Spiritus sanctus etiam à Filio procedat, cui Pater tribuit totam suam essentiam, potentiámque spiratiuam, qua cum Patre producit Spiritus sancti essentiam, & subsistentiam. Quod Christus apertè insinuauit, dicẽs: *Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre*, scilicet eum cum Patre producendo. Vndè vocat *Spiritum veritatis. Filius autem veritas est.* Denique quandocumque singulariter vni diuinę personæ aliquid absolutè tribuitur, etiam alteri personæ non expressæ conuenire subintelligitur, nisi fortasse illud sit, quo vna persona distinguitur ab alia. Pater autem à Filio non distinguitur per hoc, quòd Spiritus sanctus ab eo procedat: siquidem eâ ratione non opponitur Filio; vt latè deducit Anselmus lib. *De processione Spiritus sancti.*

Sed hîc merito quis interroget, Cur Spiritus sanctus, cùm à Patre, & Filio in natura similis producatur, non tamen eorum filius dici possit? Augustinus libro 5. *De Trinitat.* cap. 14. duas huius rei causas adfert. *Prior* est, quia *Spiritus sanctus non procedit, quomodo natus, sed quomodo datus.* addit verò libr. 15. *De Trinitat.* cap. 26. *quia procedit ex duobus, qui nec duo patres dici possunt, nec alter pater, & alter mater.* Diuus autem Thomas 1. part. quæst. 27. artic. 4. & in quæst. *De potentia*, quæst. 10. artic. 2. ad 22. argum. claram istius quæstionis resolutionem tradit, dicens, *Verbum Dei propterea filium esse, quia ex vi & natura suæ productionis procedat, vt similitudo quædam & imago pro-*

Cur Spiritus sanctus non sit filius Patris & Verbi.

Cur Spiritus sanctus non sit filius Verbi.

Verbũ procedit vt similitudo producẽtis.

ducentis. Nam procedit per actum intellectus: res autem non vere intelligitur, nisi notitia seu verbum internum producatur, quod sit rei, quæ intelligitur, similitudo & expressio. Vndè rem planiùs intelligit, qui clariùs imaginem illius animæ concipit. Ideo autem Spiritum sanctum non esse filium; quia licet Patri & Filio similis existat, non tamen ex vi suæ productionis similis procedat. Nam procedit per modum amoris: amor verò ex natura sua non est rei amatæ similitudo, sed quidam in rem amatam impulsus. Propter hunc autem procedendi modum à voluntate diuina per modum amoris, Spiritui sancto appropriatione quadam tribuitur nomen amoris, & charitatis. 1. Ioan. 4. *Deus charitas est.* Concil. Toletanum 11. cap. 1. Spiritum sanctum vocat *Charitatem, quia sit amor procedens, ac productus à voluntate diuina.*

Spiritus sanctus procedit per modum amoris.

Amor & charitas Spiritui sancto appropriantur.

Obseruat porrò Augustinus lib. 15. *De Trinitat.* cap. 27. (quem sequuntur Doctores cum Magistro lib. 1. distinct. 32.) vocem amoris tribus modis accipi in rebus diuinis. I. Pro amore essentiali & absoluto, qui communis est tribus personis. II. Pro amore notionali producente, hoc est, respectiuo, quo Pater, & Filius producunt Spiritum sanctum. III. Pro amore notionali producto: sic est proprium nomen Spiritus sancti, qui est amor productus. Alcuinus lib. 2. *De Trinitat.* cap. 19. Ex quibus sequitur, diuinas personas se inuicem essentiali dilectione per suam essentiam amare; charitate verò notionali Patrem & Filium se inuicem Spiritu sancto diligere, cùm ipse sit Patris, & Filij amor: vt docet August. libr. 15. *De Trinit.* cap. 17. Alcuin. libr. 2. *De Trinit.* cap. 20.

Vox amoris in diuinis triplici ratione accipitur.

Essentialis amor.

CAP. CCLXXXIV.

Vtrùm nomen Doni rectè Spiritui sancto approprietur?

QVemadmodum charitatis, ita quoque doni nomen, cùm diuinæ naturæ, tum personæ procedenti ratione originis tribui potest. Diuinæ quidem naturæ DONI nomen conuenit, quia seipsam creaturæ rationali fruendam per cognitionem, & amorem tribuit, iuxta illud Genes. *Ego sum merces tua.* August. lib. 4. *De Trinit.* cap. 20. & lib. 5. cap. 15 & 16. atque lib. 15. cap. 19. Alcuinus lib. 2. *De Trinit.* cap. 19. & 20. S. Thom. 1. p. qu. 38. art. 1. & 2. nomen Doni, quatenus est personale, proprium esse docet Spiritui sancto, quia ex vi suæ processionis, solus vt amor emanet: Amor verò primum sit, quod donetur, & cuius ratione cætera dentur. Nam per Spiritum sanctũ diffunditur in cordibus nostris charitas, & per charitatem tota nos inhabitat Trinitas. Quia tamen Doni nomen non soli amori, sed etiam sapientiæ, omnibúsque aliis Dei muneribus competit; ideo ex vi suæ significationis non soli Spiritui sancto, sed potiùs ex vsu & accommodatione Doctorum attribuitur; qui tradunt, nihil aliud esse, Spiritum sanctum Dei donum esse, quàm à Patre & Filio per modum amoris procedere. Vndè sequitur, hoc donum Dei coæternum esse donanti, quia non ex tempore, sed ab æternitate Spiritus sanctus procedit, atque ex modo vt sit donabilis, etiam antequam donaretur. Ideóque donũ erat, priusquam esset cui donaretur: sed donatum, nisi alicui datum fuerit, dici nequit; vt obseruant Alcuin. lib. 2. *De Trin.* cap. 20. & Aug. lib. 5. *De Trinit.* cap. 15.

Doni nomen Spiritui sancto appropriatum.

Doni nomen quomodo diuinæ naturæ conueniat.

Doni nomen quomodo personale.

Donum ex vsu & accõmodatione Spiritui sancto tribuitur.

An Spiritus sancti persona detur.

Sed emergit QVÆSTIO, vtrùm rationali creaturæ detur Spiritus sancti persona, an tãtùm creata eiusdem munera? RESPONDENDVM est, Spiritum sanctum verè, quoad personam, quoque dari, non tãtùm amore notionali à Patre, & Filio, sed etiam amore essentiali omnibus diuinis personis communi, proinde à seipso etiã dari. Iuxta illud Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Vbi Spiritus sanctus à suis donis distinguitur, & tam ipse, quàm eius dona dari asseruntur. 1. Cor. 6. *Portate Deum in corpore vestro: Membra vestra templum sunt Spiritus sancti.* At dona Spiritus sancti non sunt Deus, neque templum habent. 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ioan. 14. *Alium paracletum dabit vobis.* Ioan. 16. *Si non abiero, paracletus non veniet ad vos: & si abiero, mittam eum ad vos.* Quæ de creatis donis intelligi nequeunt, cùm illa nec veniant, nec mittantur, nec cum Christo, tanquam alius paracletus, conferri queant. Quare non tãtùm Spiritus sancti dona, quæ *Spiritus* nomine aliquando significantur; sed ipsam quoque Spiritus sancti personam dari, confitendum est; vt docet Ambros. lib. 1. *De Spiritu sancto* cap. 4. & 5. Aug. lib. 15. *De Trinit.* cap. 26. Chrysost. in 5. cap. ad Rom. Cyrill. in 16. cap. Ioan.

Spiritus sãctus à Christo datus.

Christus in terris existens Spiritum sanctum Apostolis dedit, Ioan. 7. & 20. & post Ascensionem in cælum, iterum Spiritum sanctum dedit, vt duplici hac Spiritus sancti donatione, duo charitatis præcepta commendaret; Dei scilicet & proximi. Vnà enim charitate Deus & proximus diliguntur, quia Deum plus quàm seipsum proximum verò sicut seipsum in Deo quisque amare iubetur. Alcuinus lib. 2. *de Trinit.* c. 21. Rursùs duplex est Spiritus sancti donatio: *Vna* visibilis, quando visibili aliquo signo præsentiam suam exhibet, quo modo in Christi Baptismo in specie colũbæ Spiritus sanctus apparuit, Matth. 3. & in igneis linguis, Act. 2. Vbi sciendũ est, huiusmodi formas non fuisse Spiritui sancto personaliter vnitas, sed ad tẽpus tantùm efformatas, vt per illas Spiritus sanctus inuisibilẽ suam operationem declararet. Vndè propter huiusmodi formas neq; colũba, neque ignis, neq; flatus dici Spiritus sanctus potest, aut Patre minor, sicut Christus Patre minor, propter assumptam humanã naturam verè asseritur; vt notat Alcuin. lib. 3. *de Trinit.* c. 5. & 8. *Altera* inuisibilis est Spiritus sancti donatio, quæ fit ad sanctificandam creaturam; vt in Baptismo, & aliorum susceptione Sacramentorum.

Duplex Spiritus sancti donatio: visibilis & inuisibilis.

CAP. CCLXXXV.

De variis Spiritus sancti donis & nominibus.

QVod Spiritus sanctus esset hominibus dandus, Prophetarũ oraculis prædictum fuit. Ps. 67. *Ascendisti in altum, accepisti dona in hominibus.* Quod exponens Apostolus ad Ephes. 4. *Dedit*, inquit, *dona hominibus.* Quomodo autem dona in hominibus acceperit, ac eisdem dederit, August. tractat lib. 15. *De Trinit.* cap. 19. *Accepit*, ait, *in hominibus dona tanquam frater noster, dedit autem hominibus, tanquã caput membris suis. Eius enim sunt dona omnia meritа nostra*, inquit idem Augustinus lib. 13. *De Trinit.* cap. 10. Isaiæ 44. *Effundam super semen tuum spiritum meũ.* Ex quo loco colligit Ambros.

Prophetarũ oraculis prædicta sunt Spiritus sancti dona.

lib. 1. *De Spiritu sancto*, cap. 7. *Spiritum sanctum omnium benedictionum esse præsulem.* Ezech. 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri.* Ioël. 2. *Effundam Spiritum meum.* Quod vaticinium in die Pentecostes fuisse impletum, constat ex cap. 2. Actor. Vocabulum autem *effusionis*, largitatem diuini muneris denotat, vt Paulus ad Titum 3. explicat: *effudit abunde.* Didymus lib. 1. *De Spiritu sancto.* Hieron. qu. 9. ad Hedibiam.

Varia sunt Spiritus sancti dona.

De variis equidem Spiritus sancti donis Apostolus differens 1. Cor. 12. tradit, quòd sicut vnius humani corporis membra diuersa habent officia, quæ omnia vna hominis anima operetur, distribuens vnicuique membro, quid agat; oculo scilicet, vt cernat, pedi, vt ambulet; manui, vt agat, &c. ita in vno Christi corpore (quod est Ecclesia) per vnum Spiritum sanctum varia fidelibus dona distribuantur, iuxta propriam vnicuique mẽsuram accommodata. Totum enim corpus Ecclesiæ per vnum Spiritum sanctum, veluti communem animam regitur, vnáque charitatis compage connexum est: cuius quidem corporis caput est Christus, in quo gratiarum omnium plenitudo reperitur: de cuius plenitudine singula eiusdem membra, quædam dona Spiritus sancti operatione accipiũt; vnum plura, alterum pauciora: nulli verò fideli tribuuntur omnia. Alij enim per spiritum datur sermo sapientiæ, alteri sermo scientiæ, alterii fides, alteri gratia sanitatum, alij operatio virtutum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum, &c. *Hæc* autem *omnia operatur vnus, atque idem spiritus, diuidens singulis, prout vult.* Quod ad Rom. 12. & ad Ephes. 4. repetit. Et clarè scriptura tradit, eundem spiritum in omnibus Prophetis & Apostolis loquutum, diuina mysteria reuelasse, ad cęlestia hominum animos eleuasse, ad bona impulisse. *Ipse* enim *virtus postulat gemitibus inenarrabilibus*, mentis tenebras illuminat, cor lapideum emollit, quod frigidum & aridum est fouet, & rore suę gratiæ rigat, in viam rectam ducit, excitat, pulsat, regit, afflatúque & impulsu suo fidelem agit, conseruat & deducit, carnales denique, spirituales efficit. A quibus diuersis effectibus & donis idem Spiritus varia nomina sortitur. Augustin. enarratione 2. in Ps. 108. Vocatur enim *Spiritus fidei, sapientiæ, consilij*, &c. Isa. cap. 11. *Spiritus precum*, Zachar. 12. *Spiritus iudicij*, Isaiæ. 4. *Spiritus adoptionis*, *Spiritus timoris.* Rom. 8. *Spiritus veritatis*, Ioan. 16. *Spiritus creator*, à Vate regio, & *Spiritus sanctus.* Psam. 50. *Spiritus rectus*; *Spiritus principalis*, *Spiritus bonus, suauis*, Sapient. 2. Lucæ 11. *Dabit Spiritum bonum petentibus se.* Vocatur etiam *promissio Patris*, Lucæ. 24. Act. 1. Item *virtus*, *amor*, *charitas.* De quibus Spiritus sancti nominibus agit Basilius lib. 5. *cont. Eunom.* Ad Eph. 1. Spiritus sanctus signaculo confertur, quo fideles obsignantur, quando baptizantur. & 2. Cor. 1. *qui signauit nos.* Vocatur insuper *pignus* siue *arrha* 2. Cor. 1. ad Ephes. 1. Augustin. tract. 8. & 32. in Ioan. ponit distinctè *arrhæ et pignoris.* ARRHA est initium futuræ possessionis: PIGNVS autem datur in securitatem, donec debitum soluatur. Nuncupatur quoque *Dei digitus*, Exod. 8. & 31. Lucæ 11. *Si in digito Dei.* Matth. c. 12. exponens ait: *Si in Spiritu Dei.* Aptissimè verò Spiritus sanctus *digitus Dei* appellatur, vt vnius esse cum Patre & Filio essentiæ, ac ab vtróque procedere intelligatur, quemadmodum digitus à corpore per brachium, quo Dei

Ioan. 1.

Prosper sententia 310.

Spiritus sanctus à variis effectibus, diuersa nomina sortitur.

Eccles. 1.

Signaculũ.

Arrha in quo à pignore distinguatur.

Digitus Dei cur vocetur Spiritus sanctus.

Filius significatur; vt notat Didymus lib 1. *de Spiritu sancto*, & Ambrof. lib. 3. *de Spiritu sancto* cap. 2. 3. & 6. & in 11. cap. Lucæ. Hieron. in c. 12. Matth. Cyrill. lib. 13. *Thesauri* c. 2. Auguſt. lib. *quæſt. Euang.* cap. 17. & lib. *De catechizandis rudibus*, cap. 20. obſeruat, congruenter *Dei digitum* appellatu, propter variorũ donorum diſtributionem. Nam & digiti plures, & diuerſæ ſunt menſuræ atque quantitatis. Iſa. 12. Spiritus ſanctus *Aquæ* nomine deſignatur: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Iſa. 55. *Omnes ſitientes venite ad aquas.* Ad quem locum alludit Dominus Ioann. 7. Vocatur & *Ros*, Gen. 27. vt explicat Greg. hom. 6. in Ezech. Exod. 16. *Factus eſt manè ros.* Iob 5. *Qui dat pluuiam ſuper faciem terræ.* Greg. lib. 6. Mor. cap. 8 De gratia Spiritus ſancti exponit. Pſal. 67. *Pluuiam voluntariam*, Aug. de Spiritus ſancti gratia intelligit, in Pſal. 132. lib. 4. Trinit. cap 1. Zach. 13. *Erit fons patẽs.* Quò alludit Chriſtus Ioan. 14. *Qui credit in me, flumina de vẽtre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem acceperi erant credentes.* Comparatur quoque Spiritus ſanctus *Fluminis*, 2. Paralipom. 16. Pſal. 45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Greg. lib. 15. moral. ca. 10. Aptiſſimè quidem Spiritus ſanctus *Aquæ & Fluminis* nomine ſignatur, quoniã aqua purgat, abluit, extinguit ardorem ignis, refrigerat, arbores fructificare facit, multa grana in vnam maſſam compingit; quæ omnia Spiritus ſanctus abundantiſſimè ſuis donis præſtat. Comparatur etiam Spiritus ſanctus *Igni*, (Luc. 11.) qui rubiginem conſumit, illuminat obſcura, calefacit frigida, fouet, viuificátque omnia. Ezechielis 37. *Dabo Spiritum & viuent.* Poſtremò Spiritus ſanctus vocatur *Oleum* ſeu *Vnctio*. 1. Ioann. 2. *Vos vnctionem habetis.* Sicut enim Oleum clarificat, lenit, ſanat, lumen fouet, paſcit ac reficit: ita Spiritus ſancti gratia. Pſ. 144. *Vnxit te Deus oleo lætitiæ*, id eſt, Spiritus ſancti gratia repleuit. Aug. ſer. 48. *De Tempore*, & ſer. 11. *De verbis Domini.*

Digitus ſignificat idẽtitatem naturæ, & diuerſitatem donorum. Spiritus ſãctus comparatur fõti, rori, flumini, Igni, Oleo.

CAP. CCLXXXVI.

De ſeptem Spiritus ſancti donis.

QVamuis omnia ſacroſanctæ Trinitatis, quæ fiunt extrinſecus, opera, toti Trinitati ſint communia; ex eis tamen illa Spiritui ſancto appropriantur, quæ ex Dei ſumma charitate in nos emanant. Cùm equidem Spiritus ſanctus à diuina voluntate, veluti amore inflammata, procedat, dum certi effectus peculiariter Spiritui ſancto tribuuntur: ſignificatur, quòd illi ex immẽſo Dei erga nos amore gratis donentur; & proinde huiuſmodi Dei munera nobis gratuito Dei fauore collata eſſe, pio, gratóq; animo profitemur. Et licet vniuerſa, quæ habemus bona, (*Quid enim habes, quod non accepiſti?* 1. Corint. 4.) Spiritus ſancti opera & dona ſint; attamen precipui quidam eius effectus, Spiritus ſancti dona per antonomaſiam nuncupantur, quos Iſa. cap. 11. enumerat: *Spiritũ ſapiẽtiæ & intellectus, ſpiritum conſilij & fortitudinis, ſpiritum ſcientiæ, & pietatis, & ſpiritum timoris Domini.* Sub quibus reliqua Spiritus ſancti dona ſubintelliguntur. Idem enim habitus aut actus Dei donũ vocatur, quatenus à Deo gratis donatur; & virtus, quatenus per habitum ad rectè operandum diſponimur. Vndè in Scriptura legimus, *Spiritum virtutis, dilectionis & ſobrietatis*, non minùs quàm *Spiritum ſapientiæ & conſilij*. 2. Timot.

Septẽ Spiritus ſancti dona.

Quædam Spiritus ſãcti dona per antonomaſiam vocantur.

Spiritus ſãcti dona ratione à virtutibus diſtinguuntur.

1. Vndè passim Veteres ipsas *Virtutes* appellant, *Dei dona*. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto. cap. 20. *septem Spiritus sancti dona*, vocat *septem virtutes*. Et lib. 5. in Lucam, explicans *Beatitudines*, dicit, esse *virtutum actus*.

Porrò virtutum actus, Dei esse dona, indubitatum est, vt August. ostendit serm. 39. *De verbis Domini*. Chrysostom. serm. 3. *De Spiritu sancto*. Hieron. in cap. 11. Isa. Prosper lib. 3. *De vita contempl.* cap. 18. Gregor. lib 1. Moral. cap. 31. & 32. *septem Spiritus sancti dona* etiam *virtutes esse*, dicit Bernardus lib. *De septem Spiritus sancti donis* cap. 5.

Ex quibus efficitur, septem Spiritus sancti dona nihil aliud esse, quàm septem Christianas virtutes: Tres quidem Intellectuales: quatuor verò Cardinales. Intellectuales sunt, Sapientia, Scientia, & Intellectus. Ars verò ad Christianas virtutes non pertinet, cùm absque Christi gratia haberi possit: Prudentia autem inter Virtutes Cardinales aptiùs collocatur.

Virtutes intellectuales tres.

Quatuor Cardinales.

Est autem SAPIENTIÆ donum, virtus, seu Dei donum, quo diuina æterna quæ contemplamur, & secundum ea de rebus iudicamus. Ephes. 1. *Secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis in omni sapientia & prudentia*. August. lib. 12. *de Trin.* cap. 14. Sapientiam in eo à scientia distingui tradit, quòd illa ad contemplationem, hæc verò ad actionem pertineat. Sapientiæ effectus describit Iacobus cap. 3. *Primùm pacifica est, pudica, modesta, suadibilis, bonis consentiens Hæc à Deo datur*. Prouerb. 2. *Dominus dat sapientiam*. Eccles. 1. *Omnis sapientia à Deo est*. Sapientiæ 7. & 9. *Da sapientiam*. Iacobi 1. *Qui indiget sapientia, postulet à Deo*.

Sapientiæ donum quid?

Scientiæ donum in

Scientia est Dei donum, quo temporalia nobis ad salutem necessaria cognoscimus: cuiusmodi est Sacramentorum & virtutum, rituum, scripturarum, rationum ad fidem confirmandum & illustrandum, aliarúmque similium rerum notitia, de qua Apostolus 1. Timoth. 3. *vt scias, quomodo oporteat te conuersari in domo Dei*. Hac scientia discernimus credenda à non credendis; & quæ credimus, tueri aduersus contradicentes valemus. August. libr. 14. *De Trinit.* cap. 1. dicit, Scientiæ dono illam notitiam tantùmmodo assignandam, qua fides salubertima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Prosper lib. sententi. cap. 24. illam demum scientiam esse donum Spiritus sancti docet, qua bonum ad hoc comprehenditur, vt opere agatur. Et Theodor. lib. *De Græcanicis affectionibus* minùs tradit quòd sicuti nemo artem sutoriam, vel quamlibet aliam eo fine perdiscat, vt artis solùm rationem teneat, sed vt opere illam exerceat, & imitatorem magistri seipsum opere exhibeat: ita non disci Theologiam solùm, vt quidnam de Deo sentiendum sit, & vt vitia virtutésque noscantur, sed vt ad Dei leges & instituta vitam morésque componamus, & ea, quæ didicerimus, seruare pro viribus conemur. Iuxta illud Ephes. 5. *Imitatores estote Dei*. Bernardus serm. 36. in Cantica scopum studiorum proponit.

quo constat.

Huiusmodi Scientiam non tam ex libris hauriri, quàm ex Dei dono haberi, significat illud Psal. 93. *Qui docet hominem scientiam*. Prouerb. 2. *Dominus dat scientiam*. August. *De gratia, & lib. arb.* cap. 19. Sapientiæ 10. Eccles. 11. *Scientia legis apud Dominum*. Isaiæ 11. Filius noui Testamenti promittitur ita scientia: *Repleta est terra scientia Domini*. Da-

Scientia nõ tam ex libris quam à Spiritu sancto habetur.

niel. 12. *Multiplex erit scientia.* Cæterùm commendantur in scripturis istam habentes scientiam, vituperantur autem, ea carentes. Sapient. 13. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Isaiæ 5. *Captus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Oseæ 4. *Conticuit populus meus eò, quòd non habuit scientiam.*

Scientiæ donum humiles reddit.

Hæc scientia suiipsius cognitionem parit, vt homo intelligat, quid sit, vnde venerit, vbi modò degat, & quò properet. Quantò autem homo in ista sui cognitione magis proficit, tantò humilior vadit. Vndè apud Gentiles celebre fuit: *Nosce teipsum.* Cuius dicti meminit Cicero lib. 5. *de finibus*, & Clem. Alexandrin. lib. 1. Strom.

Quid intellectus donum?

Intellectus porrò virtus seu donum est, quo in his, quæ ad salutem pertinent, obscura penetramus. De quo. Psal. 118. *Da mihi intellectum.* Psal. 15. *Benedicam Dominum, qui mihi tribuit intellectum.* Psal. 31. *Intellectum tibi dabo.* Eccles. 15. *Cibavit illum pane intellectus.* Lucæ 24. *Aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas.* 2. Timoth. 2. *Intellige quæ dico.* Chrysostom. hom. 3. de Spiritu sancto dicit, *Sapientiã eorum esse, qui alios docere possunt: Intellectum verò eorum, qui facilè discunt.*

Sapientiæ descrimen ab intellectu.

Quantopere autem hoc donum exoptari debeat, & à Deo precibus expeti, ex Psal. 118. colligimus, in quo Dauid quinquies sibi intellectum dari flagitat. Et Psal. 50. se hoc donum à Deo impetrasse gratulatur: *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

Fidè obtinetur intellectus.

Obtinetur autem istud donum fide; iuxta illud Isaiæ: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Prosper sententia 128. dicit, *intellectum esse fidei mercedem.* Puritate insuper vitæ hoc donum à Deo impetrari, suadet illud Ieremiæ 9. *Dominum non quæsierunt, ideo non intellexerunt.* Psal. 48. *Homo cùm in honore esset, non intellexit.* Potissimùm verò intellectus donum humilitate comparatur, iuxta illud Psal. 118. *Intellectum da parvulis.* Matth. 11. *Revelasti ea parvulis.* Greg. lib. 25. Moral. c. 11. *Humilitas aperit, superbia abscondit.*

CAP. CCLXXXVII.

De quatuor virtutibus Cardinalibus.

QVatuor reliqua Spiritus sancti dona, Consilij, Fortitudinis, Pietatis & Timoris, quatuor sunt præcipuæ virtutes morales, quæ vulgo CARDINALES nominantur; quia sunt aliarum omnium virtutum moralium fontes & cardines; & vt fores circa cardines vertuntur, ita omnia honestæ vitæ officia his virtutibus innituntur. Quare meritò Ambrosius eas *Cardinales virtutes* appellat, lib. 5. in Lucam. Augustinus lib. *de spir. & anima.* Prosper lib. 3. *de vita contempl.* cap. 18. Gregor. verò *Principales*, hom. 3. in Ezech. Bernard. ser. 22. *in Cantica.* Has quatuor Virtutes tam Philosophi, quàm Theologi agnoscunt, *Prudentiam, Fortitudinem, Iustitiam, Temperantiam*, quarum numerus ex parte facultatum animæ, quas afficiunt, apertè colligitur. Nam vis animi in Rationem, & Voluntatem siue appetitum diuiditur. *Prudentia* rationẽ, quæ mentis acies est, illuminat, vt quadã solertia, quid in rebus agendis sequendum, aut vitandũ sit, perspiciat: Appetitus autẽ, rationalẽ scilicet, irascibilem, & concupiscibilem complectitur: quos tres reliquæ virtutes adiuuant. Nam *Iustitia* rationalem appetitũ moderatur, vt alteri quod suũ est tribuat: *Fortitudo* appetitum

Quatuor sunt virtutes Cardinales.

Sapient. 8.

Sapient. 8.

Prudentia.

Iustitia.

Fortitudo.

irascibilem dirigit, ne per vim & iniuriam alterum lædat, arduáque & molesta promptè suscipiat, ne rei difficultate territus officium recusset aut deserat: *Temperantia* verò appetitum concupiscibilem adiuuat, vt in voluptatibus modum & ordinem conseruet.

Temperantia.

Virtutis officia.

Idem Virtutum numerus ex virtutis officio deducitur. Nam virtus omnis in quatuor rebus versatur: scilicet, in perspiciendo, quid in vnaquaque re verum sincerúmque sit, quod Prudentiæ munus est proprium: vel in animi perturbationibus, & oblectationibus moderandis, atque in suo vnicuique reddendo; quod præstant Fortitudo, Temperantia, Iustitia.

Virtutis officia.

Quatuor præcipuæ animi affectiones. Cupiditas. Voluptas. Metus. Dolor.

Idem quoque virtutum numerus ex quatuor animi præcipuis affectibus, qui his corriguntur, elici potest. Sunt autem quatuor hi animi affectus: *Cupiditas*, *Voluptas*, *Metus*, & *Dolor*. Cupiditates & oblectationes sensuum corporis emendat Temperantia: Metus, & Dolores, qui nos molestia afficiunt, refrenat Fortitudo: ne autem in agendo simus inconstantes, leues, temerarij, præcipites, Prudentiæ munus est. Studium verò, amorem atque cupiditatem lucri & pecuniæ, vt in contractibus, & commerciis, quod æquum est teneatur, coërcet Iustitia. Est ergo *Fortitudo*, veluti columna domús: *Temperantia* verò frænum seu habena morum & affectum: *Prudentia*, rationis norma: *Iustitia* denique, statera æquitatis. His quatuor virtutibus, tanquam quadrigarum curru, ad finem rationi congruentem, vita hominis recte & sapienterque vehitur. Siquidem omnis vitæ humanæ perfectio in actione & cognitione consistit: ad actionem verò conducunt Temperantia: Fortitudo, Iustitia: & ad cognitionem, Prudentia. Quarum quatuor virtutum, cæteræ morales quædam partes sunt, aut cum eis affinitatem habēt. Ad iustitiam enim reuocātur omnes illæ virtutes, quæ ad alterum sunt: cuiusmodi sunt *Religio*, quæ cultum & honorē Deo tribuit: *Pietas*, quæ patriæ, parentibus & propinquis honorem debitum præstat: *Obseruantia*, qua cæteros dignitate præcellentes reueremur: *Obedientia*, qua maiorum præfectorúmque iussis & imperiis obtemperamus: *Fides*, qua in promissis, pactis, & conuentis veritatem seruamus: *Veritas*, qua in cæteris omnibus mēdacia deuitamus: *Gratia*, qua erga bene de nobis meritos grato animo sumus: *Liberalitas*, qua gratis nostra benignè aliis communicamus: *Benignitas*, quæ Humanitas & Charitas quoque dicitur, qua in alium beneficia sine vlla expectatione commodi nostri vltrò conferimus: *Vindicatio*, qua delicta & malefacta alterius coërcemus & punimus: *Clementia*, qua in pœnis delinquentium repetendis mōdum seruamus: *Distributio*, qua singulis honores, dignitates, & officia pro meritis tribuimus: *Misericordia*, qua indigentiam alienam subleuamus: *Hospitalitas*, qua peregrinos & aduenas amanter excipimus. Cicero lib. 2. *De Inuent.* sex Iustitiæ partes enumerat: Macrobius verò lib. 1. *In Somnium Scipionis* cap. 8. septem Iustitiæ partes assignat; ac inter eas, Innocentiam, Amicitiam, & Concordiam ponit.

Quæ virtutes ad iustitiam pertineant.

Religio.

Pietas.

Obseruantia.

Obedientia.

Fides.

Veritas.

Gratia.

Liberalitas.

Benignitas.

Vindicatio.

Clemētia.

Distributio.

Misericordia.

Hospitalitas.

Fortitudo columnæ cōparatur. Temperātia fræno. Prudentia regulæ. Iustitia stateræ.

Perfectio humanæ vitæ in actione & cognitione.

Ad Fortitudinem verò illæ virtutes reuocantur, quæ animo magnitudinem quandam præstant, vt aduersa, molesta, acerba, malaque promptiùs subeat vel sustineat, & pericula vel, quæuis ardua non reformidet, suaque bona impendat, vel honores, dignitatésque contemnat.

Ad Fortitudinem.

temnat. Cuiusmodi virtutes sunt

Fiducia. Magnificentia.

Fiducia ad aggrediendum & sustinendum: *Magnificentia* in pecuniis abundanter expendendis, & in sumptibus faciendis:

Magnanimitas.

Magnanimitas ad excelsas rerum administrationes susscipiendas, in quibus sunt Honores, Dignitates, Imperia, Principatus:

Patientia.

Patientia siue tolerantia, qua superantur rerum difficultates, quæ molestiam, fastidium & dolorem solent ingerere:

Perseuerantia.

Perseuerantia, qua infracto animo curæ, sollicitudines, & quæcunque molestiæ, quas temporis diuturnitas adfert, vincuntur.

Virtutes ad temperantiam reducuntur.

Ad Temperantiam illæ virtutes reducuntur, quæ cupiditates, voluptates, dolores sensuum & corporis corrigunt, aut iras emolliunt: cuiusmodi sunt

Abstinentia. Sobrietas. Castitas.

Abstinentia in cibis, *Sobrietas* in potionibus: *Castitas* (coniugum, viduarum, & virginum) qua luxuria cohibetur:

Clementia.

Pudicitia, quæ voluptates in osculis, amplexibus & tactibus refrænat: *Clementia*, quæ ordinem & modum in pœnis infligendis præscribit, affectumque vindicantis cohibet:

Mansuetudo. Modestia.

Mansuetudo, quæ iras temperat: *Modestia*, quæ in vultu, incessu, gestu, voce, aliisque corporis motibus rectum ordinem seruat:

Vrbanitas.

Vrbanitas, quæ in verbis & sermonibus rectæ rationis modum constituit.

Prudentiæ partes tres.

Prudentiæ tres species constituuntur. *Prima* propriam cuiusque vitam optimè dirigit:

2. Oeconomica.

Secunda (quæ Oeconomica vocatur,) ad rectam familiæ gubernationem ferunt:

3. Politica.

Tertia (Politica dicta) in communi Reipublicæ salute tuenda & administranda versatur, in Legibus ferendis, Magistratibus eligendis, simúlque in obediendo Legibus, præfectis atque Magistratibus. Constat autem Prudentia memoria præteritorum, intelligentia præsentium, &

Prudentia vndè & quomodo acquiratur.

prouidentia futurorum, circumspectione, vigilantia, solertia, perpicacia, cautione, bona remediorum ad finem conducentium inquisitione, consultatione, iudicio, & in bene præscribendo, exequendoque constantia & firmitate.

De cõsilio, vt Spiritus sancti donum est.

Primus autem Prudentiæ actus est *Consilium*, siue bene consultare. Vndè in scripturis sacris Consilium pro prudentia ponitur. 1. Machab. capite 2. *Simon vir Consilij est.* Ecclesiastici 32. *Fili sine consilio nihil agas.*

Est autem Consilium, Spiritus sancti donum, quo secundum Deum omnes nostras actiones gubernamus. De quo Isaiæ 11. Ecclesiastici 37. Prouerb. 4. & 19. *Qui festinus est*, &c. Basilius in 3. cap. Isaiæ *hominem inconsultum naui absque gubernaculo* comparat. Non est autem iudicandus præceps, qui Deum efficaciter vocantem confestim sequitur, quia talis diuina luce omni humano consilio certiùs dirigente, collustratur, vt Matth. 8. Dominus ait: *Sequere me.*

A quibus consilium petendum sit.

Consilium porrò expetendum est à prudentibus, peritis, probis, & beneuolis, iuxtà illud Ecclesiastici 37. *In Consilio cum viro sancto assiduus esto.* & cap. 8. *Cum fatuis consilium non habeas.* Consultores autem beneuolos esse debere insinuat Ecclesiasticus cap. 8. *Cum extraneo ne facias consilium.* Ecclesiastici 6. *Sit tibi consiliarius vnus de mille.* Huiusmodi consiliarij fuerunt Moyses, Ioseph, Daniel, & *magni Consilij Angelus*, de quo Pater dixit: *Ipsum audite.*

Cæterùm quòd bonis consilijs obtemperãdum sit, Prouerb. 12. Sapiens his verbis expressit: *Qui sapiẽs est, audit consilia.* Sic Pharao audiuit consilium Ioseph, Genes. 41. Moyses acquieuit Iethro. Exod. 18. Da-

uid consilium Nathan inferioris, bona monita Dei instinctu suggerentis, patienter admisit. Theodotius Magnus Ambrosij correptionem probauit.

Imprudenti verò, malóque consilio non esse acquiescendum, ostendit exemplum Roboam 3. Reg. 12. qui spreto Senum consilio, Iuuenum imprudentiam prætulit. Et Christus Matt. 16. Petri consilium sano Dei consilio aduersum grauiter confutauit.

CAP. CCLXXXVIII.

De Consilijs Euangelicis.

Triplex actus consilij.

TRiplex actus consilij reperitur. *Primus* est, quo vera à falsis, & agenda à vitandis, discernimus: qui fidelium est. *Secundus*, quo ad potiora bona, perfectionis scilicet amplectenda consilia eleuamur. Matth. 19. *Si vis perfectus esse*, &c. *Tertius* est, quo id, quod elegimus exequimur, perfectè viuendo, & alios ad perfectionis studium informando. Sicut faciunt Episcopi, quorum est alios perficere, teste Dionysio Areopag. lib. *de Eccles. hier.* ca. 5. p. 1. & cap. 6. p. 3.

Consilia Euangelica à Præceptis differunt.

Quòd autem à Præceptis Euangelica Consilia differant, Dominus Matth. 19. apertè significauit dicens: *Si vis esse perfectus, vade, et vende omnia* id est, si non contentus vita solùm æterna, excellentiorem in ipsa gradum expetas, *vade, vende omnia*, &c. Quod etiam significatur illis verbis: *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum.* Et: *Qui potest capere, capiat.* Vbi Dominus paupertatis & continentiæ opera non imperat, sed commendat: neque ad illa cogit, sed inuitat. Ambrosius libr. *de Viduis*: *Vt intelligas distantiam Consilij atque Præcepti, recorderis illum, cui in Euangelio præscribitur, vt Præcepta seruet, & postea Consilium datur, vt diuendat omnia.* Hieronymus *contra Vigil. Quòd asseris, eos melius facere, qui vtuntur rebus suis*, &c. Et in epistola ad Eustochium *de seruanda Virginitate: Vbi consilium, ibi offerentis arbitrium, vbi præceptum, ibi necessitas seruientis.* Augustin. epist. 89. quæst. 4. *Magister bonus mandata legis ab ista excellentiore perfectione distinxit*, &c. Libr. *de sancta Virginit.* c. 30. Apostolus 1. Corinth. 7. *Consilium do.* Chrysostomus *in comment.* Sic filij Ionadab patris cõsilium vltrò amplexi leguntur. Ieremiæ 35. Augustinus lib. *de moribus Ecclesiæ* cap. 31. *Hi verò patres nulla superbia filiis consulunt, magna sua in iubendo authoritate, magna illorum in obtemperanda voluntate.* Vndè patet, multa esse à Deo consulta, quæ non sunt præcepta. De præceptis enim Iustitiæ dici nequit: *Qui potest facere, faciat*: sed *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur.* Etenim *Amplecti, consilia laudis est, non criminis, omittere*, Augustinus libro *de sancta Virginit.* capite 30. & 14.

Multa sunt à Deo consultas quæ non sunt præcepta.

CAP. CCLXXXIX.

De Fortitudinis Dono.

FOrtitudinis dono muniti facilè aduersa sustinent, vt Act. 7. *Stephanus plenus gratia & fortitudine.* 2. Cor. 12. *Virtus in infirmitate perficitur.* Hoc dono claruit Abraham, qui Reges victores inuasit & vicit, Gen. 14. Ambros. lib. 1. *Offic.* ca. 6. lib. 2. *de Abraham* capite 10. Iob, de quo Ambros. libro 1. *Offic.* capite 36. Dauid procedens contra Go-

Fortitudinis donum in quo consistat.

liath. 1. Reg. cap. 17. Machabæi, 2. Machab. 7. Tres pueri, Daniel. 3. Item sancti, quos Apostolus Hebr. 11. collaudat. Quanta verò sanctorum noui Testamenti fortitudo extiterit, ipsa mundi conuersio ad Christum Deum verum attestatur, quæ Apostolorum, Martyrum, & Confessorum ministerio per acta est: quorum inuicta mentis Fortitudo Act. 5. commendatur: *Ibant gaudentes à conspectu consilij.* In tribulatione gloriabantur, Roman. 5. Gaudebant, Iacobi 1. & 1. Corinthi 4.

Iob. 7. Hoc Fortitudinis donum nobis in huius vitæ stadio cum Mundo, Carne atque Diabolo colluctantibus, perneccessarium est, quia maxima hostis & aduersarij nostri fortitudo est, quæ describitur Iob. 40. & 41. Lucæ 11. *Cùm fortis armatus*, &c. Ad Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem et sanguinem.* Vndè 1. Petri 5. Diabolus propter ferociam & audaciam Leoni comparatur. Psalm. 90. Propter venenatam astutiam & violentiam, Draconi. Quòd insuper exploret singulos, vt expugnet, ostendit Cyprianus *de Zelo et liuore.*

Fortitudo non vera, sed apparens ex mundana cupiditate oritur. Sciendum hîc est, quosdam non veram, sed apparentem habere fortitudinem: quales ad aspera sustinenda promptos efficit mundi cupiditas, mentisque obstinatæ duritia non Dei charitas, aut vera mentis inuictæ cônstantia, sicut Prosper sententia 295. his verbis exprimit: *Fortitudinem gentilium mundana cupiditas facit, fortitudinem autem Christianorum Dei charitas*, ex August. lib. *De patientia* c. 17.

Fortitudinis officia recensét idem Prosper lib. 3. *de vita contemplatiua* c. 20. Lactant. li. 5. cap. 14. Aug. li. 4. *de Ciuit.* capite 20. De mundanorum fortitudine agit Cicero libro 1. *Offic.* & Valerius Max. libro 3. capite 2.

CAP. CCXC.

De Pietatis siue Iustitiæ dono.

Pietate Deum colimus. Isaiæ c. 11. PIetatis nomine Isaias potiùs quàm Iustitiæ illud Spiritus sancti donum expressit, quo Deum vt Patrem colimus, & omnibus propter Deum bene afficimur, vt iustitiam Christianam in religione, ac pietate in primis consistere doceret, quibus Deo reddimus quod debemus. Vndè Apostolus 1. Timoth. 4. *Exerce teipsum ad pietatem. Est* autem *Pietas* (Augustino teste Enchir. 2.) *verax veri Dei cultus, consistens in Fide, Spe, atq, Charitate.* Tunc enim Deum colimus, dum firmiter ei credimus, cõfidenter in eum speramus, & sincera charitate diligimus. Iustitiæ itaque fundamentum est fides, quam nulla merita præcedunt, sed ex illa cuncta profluunt. Ex iustitia verò, & pietate aliorum necessitates nostras esse ducimus, nec solis nobis, sed toti humano generi natos nos esse credimus. Vndè aliorum nocumenta, tanquam si forent propria, studemus propulsare & omnia quæ valemus, in commune conferimus, suum cuique tribuentes, Deo scilicet, nobis, atque proximo quod debemus, agentes, vt ratio dominetur vitiis, corpus animo, animus verò ipsi Deo subijciatur. Prosper lib. 3. *de vita contemplat.* capite 23. & 26.

Pietate omnibus hominibus cõsulimus.

Pietas denique se ad parentes aliósque sanguine iunctos porrigit, quibus grata voluntate consulit. Ambros. li. 1. *Offic.* cap. 27. August. li. 83. quæst. 31.

Pietate parentibus, & sanguine iunctis succurrimus.

Hinc qui parentibus honorem, ob-

sequia, sustentationem exhibent, Pij vocantur, & qui parentibus illa denegant, impietatis notantur. Matth. 15. Cicero libro secundo *De Inuentione, et Oratione* 22.

Illustria pietatis in parentes exempla, profert Valerius Maximus libro quinto capite 4. Plinius libro 10. capite 23. Ciconiæ officia in parentes recenset. Ambrosius libro 5. Hexaem. capite 16. Extensione insuper quadam *Pietatis* nomen transfertur ad mentis affectionem, qua facilè aliis compatimur, vt notat Gregorius Homil. 19. in Ezechiel. Ex qua loquendi consuetudine Deus in scripturis *Pius* dicitur, quia misericors sit erga hominem, ad suam imaginem efformatum.

CAP. CCXCI.

De dono Timoris siue Temperantiæ.

Isaiæ 11. Donum timoris, siue temperantiæ.

ISaias temperantiam *spiritum timoris Domini* appellauit, vt doceret, Christianam Temperantiam in eo à philosophica differre, quòd ab illicitis voluptatibus, ne Deus offendatur, abstinere faciat, iuxta illud Psal. 118. *Confige timore tuo carnes meas*: philosophica verò, quoniam ita rationi, & corporis sanitati, atque mentis serenitati expediat.

Timor dupliciter sumitur.

Dupliciter verò *Timoris* nomen accipitur: *Vno* modo pro appetitus inferioris passione, qui timor solùm ad corporalia mala, quæ sensibus exterioribus percipiuntur, sese extendit, ac proindè naturalis, non vitiosus aut malus est. Constitit enim in quadam fuga mali, sensus exteriores offendentis, qualem timorem in brutis quoq; cernimus. *Altero* modo sumitur pro actu, vel habitu voluntatis, quo malum arduum futurum, quod vitari potest, refugit. Nam de bono futuro, Spes est: de malo autem præsente, Dolor: de malo non arduo, Odium: de malo quod vitari nequit, Desperatio. Extenditque hic timor se ad mala intelligibilia, & nonnunquam bonus, aliquando verò malus est, vt docet S. Thomas in 2.2.q. 19. & Magister Sentent. lib. 3. distinct. 34.

Timor mundanus.

Diuiditur autem Timor existens in voluntate, in timore mundanum, quo metu pœnarum præsentium, aut amittendorum temporalium bonorum à Deo auertimur: quali timore Petrus Christum negauit. Estque hic timor malus, à Christo Matth. 10. prohibitus: *Nolite timere eos: qui occidunt corpus.* Isa. 51. *Quis es tu, qui times ab homine mortali?* Iob. 6. *Qui times pruinam, obruet eum nix.* Basil. in Psalm. 35. hunc timorem, *Animæ hostem* vocat, & nasci ex infidelitate, aut fidei infirmitate ostendit: sic Petrus ambulans super aquas, timuit.

Triplex timor: seruilis, initialis, castus.

Diuiditur quoque Timor hic in *seruilem, initialem, et castum siue filialem.* Omnis enim timor, qui ad Deum conuertit, aut est timor pœnæ futuri seculi, aut timor culpæ ac separationis à Deo: Si autem tantùm pœnæ sit, erit *timor seruilis.* Sin verò culpæ sit, atque amissionis diuinæ amicitiæ, *timor* erit *filialis.* Quòd si verò partim sit pœnæ, partim culpæ, vocatur *initialis timor.*

Timoris seruilis descriptio.

Est autem *seruilis timor*, quo formidine supplicij à Deo iusto iudice inferendi, abstinet quis à malo. Cohibet enim animum, non amore iustitiæ, nec metu æternorum bonorum amittendorum (quæ nō amat) sed tantùm formidine pœnæ. Estque hic timor non malus, sed bonus, licèt imperfectus. Coërcet enim opus extrenum, quamuis non

sanctanimum, qui peccare mallet, si impunè liceret, & paulatim assueſcit iuſtitiæ, ac præparat locum charitati, vt incipiat diligi, quod ſolum timebatur. Hinc: *Initium ſapientiæ timor Domini*, Proverb. 1. Pſalm. 110. *Cum autem perfecta charitas intranerit, pellit timorem*, 1. Ioan. 4. Quemadmodum enim, dū ſuitur filum, per ſetam introducitur, & niſi ſeta tranſeat, linum non intrat: ita niſi timor mentem occupet, charitas non intrat. Auguſtinus tract. 9. in cano. Ioannis, tractat. 34. in Ioan. ſermon. 18. *De verbis Apoſtoli*. Chryſoſtomus hom. 18. ad Antioch. *timorem* eſſe *fontem iuſtitiæ* dicit. Eſt enim impulſus Spiritus ſancti, non quidem inhabitantis, ſed tamen excitantis, quo adiutus pœnitens viam ſibi ad iuſtitiam parat; vt definitum eſt in Concilio Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. *Doctrina*; & can. 5. Et ſeſſ. 6. can. 8. *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere, anathema ſit*. Timor enim à peccato reuocans bonus & vtilis eſt: ſeruilitas autem adiuncta timori, vitioſa eſt, non ex natura timoris, ſed ex infirmitate hominis profluēs. Vndè Eccleſiaſtici 25. *Beatus homo, cui donatum eſt habere timorem Dei*. Roman. 8. *Non accepiſtis Spiritum ſeruitutis in timore*.

Timor ſeruilis bonus, licet imperfectus.

Initialis autem timor vocatur, quo partim metu pœnæ, partim metu culpæ, amoréque iuſtitiæ à peccato abſtinetur: eſtque medius inter ſeruilem & filialem timorem. Ideóque in charitate inchoata reperitur, non in perfecta, quæ omnem pœnæ metum, conſcientiæque tormentum depellit. Timor enim duo reſpicit, malum ſcilicet, atque eum, à quo malum inferri poteſt: ſicuti fur ſuſpendium & iudicem timet. Priore modo Gehenna, poſteriore verò Deus ipſe iudex timetur. Hoc initiali timore vtrúmque metuimus, ſic tamen, vt iudicem ſimul amemus, & offendere vereamur. Dicitur verò hic timor etiam initium ſapientiæ, quia principium ſit intrinſecum ſapientiæ, iuſtitiæ, ſeu charitatis, vt docet Auguſt. tract. 9. *in Canon. Ioannis*. & 34. in Ioan. De hoc timore Proverb. 28. dicitur: *Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus*. Eccleſ. 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu*. cap. 25. *Timor Dei initium dilectionis eius*.

Initialis timoris deſcriptio.

Timor *filialis* eſt, quo Deum quis offendere metuit, ne ab eo deſeratur, ipſóque diſcedente, ab eo ſeparetur. Hic charitate creſcente augetur, nec in futura vita euacuabitur. *Timor* enim *Domini permanet in ſeculum ſeculi*, Pſal. 18. Alium tamen tunc, quàm nunc vſum habebitiſte timor. Nam efficiet, vt Deū reuereamur: tunc enim Deo carere, aut ipſum offendere non verebimur, ſicuti Chriſtus hic agens non timuit Deum offendere, aut ab eo ſeparari, maximè tamen Patrem reueritus eſt. Hebræorum 5. *Exauditus eſt proſua reuerentia*. De hoc timore ait Pſa. 33. *Timete Deum omnes ſancti eius*. Manat enim ex amore Dei, ſicut ſponſæ erga ſponſum, & filiorum erga parentes. Vndè *Spiritus adoptionis filiorum* appellatur, Rom. 8.

Deſcriptio timoris filialis ſeu caſti.

Aug. li 14. de ciui. c. 4. tract. 9. in ep Ioan. & ſerm. 18. de verbis Apoſtoli.

CAP. CCXCII.

Vtrùm Spiritus ſancti dona inter ſe connexa ſint?

DOna inter intellectualia non ſibi neceſſariò cohærere, ex Apoſtolo euidens eſt, 1. Corinth. 12.

Dona intellectus non ſibi cohærent.

vbi ait, diuidi Spiritus sancti dona, nec vni omnia dari. Et cap. 13. *Varia dona sine charitate haberi* tradit, experientiáque attestatur, multos scientiæ dono carere. Vtrùm autem cuncta moralia dona, seu virtutes morales connexę sint, anxiè à Philosophis & Scriptoribus Ecclesiasticis disputatum inuenimus; & quidem nonnulli connexas affirmãt, alij negant. Cæterùm, re bene discussa, inter se omnes conueniunt, scilicet *virtutes morales esse inter se copulatas, non quidem, vt habitus sunt boni & laudabiles, seu virtutes proprias materias obiectus habentes; sed vt virtutes sunt perfectæ & heroicæ, bonum eligentes ob communem honestatis rationem, animo parato aduersus omnem inordinatum appetitus affectum*: putà contra quemlibet timorem, & contra omnes sensuum, atq; corporis dolores & voluptates, omni commodo contempto. Denique quatuor Virtutes principales connexæ sunt, quatenus generales quædam conditiones sunt omnis virtutis, eligentis bonum in propria materia sapienter, constanter, modestè, ac rectè. Connexio itaque virtutum, in primarijs quatuor Moralibus tantum habet locum, quæ ad communem cuiusque vitam spectant; non in cæteris, quæ propriæ sunt singulorum: nec absolutè, sed modo dicto consociatæ sunt. Hinc Hieronymus dialog. 1. *Contra Pelagianos* dicentes, eum, qui vnam virtutem habeat, omnes videri habere; respondet, *participatione, non proprietate haberi*. Augustinus epistol. 29. dicit, sententiam de connexione moralium virtutum Philosophorum esse, non Apostolorum. Gregorius lib. 1. moral. c. 39. & homil. 3. in Ezechielem, tradit, *virtutes primarias esse connexas*. Hieronymus in cap. 5. & 6. Isaiæ. Augustinus libr. 6. *De Trinit.* c. 4. citatus à Magistro libro 3. distinct. 36. quem sequitur D. Thomas 1. 2. qu. 65. artic. 1. Bernardus lib. ad Eugen. capit. 6. dicit, *suauissimum quemdam concentum esse virtutum, vnamque sequi alteram*. Et quidem omnes morales Virtutes prudentiæ connecti, ex eo liquet, quòd omni actioni tẽpus idoneum, atque modus constitui debeat, vt docet Basilius *de Constitut. Monast.* cap. 15. Hieronym. in 10. capit. Matth. ad illud: *Estote prudentes*, Prosper lib. 3. *de vita contemplatiua*, c. 29. & 30.

IV. Virtutes morales perfectæ sunt connexæ.

Greg. lib. 1. mor. cap. 1 lib. 22 mor. cap. 1. Hom. 22. in Ezech.

CAP. CCXCIII.

De Beatitudinibus.

EVangelicę Beatitudines à Mat. c. 5. & Luca cap. 6. enumeratæ, differunt à Spiritus sancti donis & virtutibus, sicut actus ab habitu, vt docet August. lib. 1. *De sermon. Domini in monte* c. 9. Ambros. lib. 5. in Lucam. Nuncupantur verò *Beatitudines*, quia certa sunt ad beatitudinem perueniendi media. Rom. 8. *Spe salui sumus*. Eadem porrò Christianarum virtutum opera, fructus Spiritus sancti dicuntur, quatenus ab hominis bona voluntate, Spiritu sancto adiuuante, producuntur. Significatur enim ea phrasi, humanam vim & rationem ad huiusmodi opera per se non sufficere, sed opus esse semine gratiæ, ac intima Spiritus sancti cooperatione.

Beatitudinum descriptio.

Beatitudo est virtutis actus.

Fructus Spiritus sancti.

Opponuntur verò fructus Spiritus sãcti, fructibus Carnis, qui oriũtur ex semine vitiosæ concupiscentiæ, ab arbore voluntatis malæ. Distinguuntur etiam ab operibus humanis, quæ producuntur ex semine naturalis rationis, ab arbore humanæ voluntatis, quatenus natura quædam bona est. A Beatitudini-

Fructus carnis.

Opera humana quæ dicantur.

bus autem distinguuntur, vt genus à specie. Nam omnium perfectarum virtutum actus, sunt fructus Spiritus sancti: Beatitudines verò, solùm nobiliores specialium virtutum actus, qui Matth. 5. & Luc. 6. exprimuntur.

Fructus Spiritus sancti Apostolus ad Galat. 5. recenset duodecim, non quia non plures sint, sed vt de alijs Christianarum virtutum actibus idem esse sentiendum admoneret.

De peccatis in Spiritum sanctũ.

De Peccatis autem in Spiritum Sanctum, Cur quædam peccata in Patrem, alia in Filium, & nonnulli in Spiritum sanctum committi dicantur; quare insuper hæc potiùs quàm illa dicantur irremissibilia, & quot, ac quænam huiusmodi peccata sint, in tractatu *'De 'Peccatis* explicatur infrà ca. 349. in explicatione Articuli 10.

CAP. CCXCIV.

Nonus Articulus.

Sanctam Ecclesiam, Catholicam, Sanctorum communionem.

Ecclesia, Dei domus est.

POst confessionem CREATORIS, hoc est, summæ Trinitatis, quæ vnus est Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, rectus professionis fidei ordo exposcebat, vt subiungeretur ECCLESIA, tanquam inhabitatori domus suæ, & Deo templum suum, & Conditori, atque moderatori ciuitas sua: vt nimirum intelligeretur, quos Spiritus sanctus participes suæ sanctitatis efficeret, quippe fons omnis sanctitatis atque largitor. Confitemur autem, ab eodem Ecclesiam sanctitate vera donatam, in eaque sola veram sanctitatem, quæ nos ad beatam, & immortalem vitam præparet, idoneósque efficiat, reperiri.

Extra Ecclesiã nulla salus.

Quia verò Christus nulli extra Ecclesiam suæ Passionis meritum ad salutem applicari voluit, neque vlli extra Ecclesiam salutis consequendæ spem fecit, (*Ipse enim saluator est corporis sui:*) nec tamen impij defuisset, qui Catholicam Ecclesiam apud se tantùm esse affirment, sedulò exponendum erit, quid ECCLESIÆ nomine intelligendum, & quidnam Ecclesia, qualis, quibúsque notis ab omnibus alijs hominum cœtibus discerni possit. Ephes. 5.

De nomine Ecclesiæ.

Quid Ecclesiæ nomine significetur.

ECclesiæ nomen Latini à Græcis mutuati, post diuulgatum Christi Euangelium, ad res sacras transtulerunt, vt significet *euocationem*, seu *cœtum vocatorum*. Atque primò generatim ad omnem intelligentium creaturarum multitudinem, tam Angelorum, quàm hominum, in vna societate vnũ Deum Creatorem colentium significandum vsurpatur: vt idem sit Ecclesia, quod *Ciuitas Dei*, *domus*, & *templum, in quo Deus habitat*. Templum autem summæ Trinitatis est, Ecclesia vniuersa, constans Angelis, & hominibus sanctis, quæ vna est consortio æternitatis & vinculo charitatis, instituta ad colendum vnum Deum, à quo tota sanctificatur & regitur. Sic ad Ephesios cap. 1. Apostolus: *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam*. Hebr. cap. 12. *Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis*. Augustinus Enchirid. capite 56. & 61. Libro 12. *De Ciuit.* cap. 9.

Ecclesia generali notatione idem quod domus aut templum, vel ciuitas Dei.

2. Ecclesia significat cœtum hominum.

Secundo, nomen Ecclesiæ significat *Cœtum, concilium, aut congregationem hominum, siue fidelium, siue infidelium*. 2. Paralip. 6. *Ecclesia magna valde*. Psal. 25. *Odiui Ecclesiam malignan-*

3. Ecclesia significat Ecclesiæ præfectos.

tium: Actor. 19. *Legitima Ecclesia.*

Tertiò, Ecclesiæ nomine *præsides, ac pastores Ecclesiæ* significantur. Matth. 18. *Dic Ecclesiæ.* Actor. 14. *Cùm congregassent Ecclesiam.* Item, *deducti sunt ab Ecclesia.* Actor. 24. *Excepit eos Ecclesia.*

4 Ecclesia significat locum, in quo fideles conuenùt.

Quartò, Ecclesiæ nomen *loco* tribuitur, *in quo populus Christianus rei sacræ causa solet conuenire.* Iudith 6. *Omnis populus tota nocte intra Ecclesiam orauerunt*: ea loquendi formula, qua continens significat contentum, vel qua signa rerum significata tantùm nominibus appellãtur. Templum enim materiale, figura est templi Spiritualis, quod ex viuis lapidibus ædificatur, vt Augustinus docet serm. 2. *de Dedicatione.*

Aug. epist. 137.

5. Ecclesia significat certum per Christum vocatorũ hominum

Quintò, Vsitata scripturarum sacrarum consuetudine nomen Ecclesiæ significat *Cœtum hominum, ex massa damnationis per Christi gratiã euocatorum, ad seruiendum vni Deo, in fide vnius Mediatoris Iesu Christi.* Qua significatione à lapsu generis humani vsque ad finem mundi vna esse dicitur Ecclesia, cuius caput est Christus, à quo vitæ spiritualis subministratio membris omnibus connexis ei per fidem obtigit, iuxta illud Ioannis 15. *Ego sum vitis, vos palmites.* In quem locum Augustinus admonet, Christum secundùm quod homo est, factum esse caput Ecclesiæ, quæ in hominibus est, quoniam vnius naturæ sunt vitis & palmes. Idem tradit Enchiridij c. 56 & 61.

Eadem vet. & noui Testamenti quoad essentiã fuit Ecclesia.

Quamuis autem Noui & Veteris Testamenti eadem, quoad essentiam, fuerit Ecclesia, frequentiùs tamen atque aptiùs illa hominũ multitudo, quæ vnum Deum, in fide vnius Mediatoris, secundùm ritus legis Mosaicæ colebat, appellata est *Synagoga* quàm Ecclesia: quoniam *congregari* magis sit pecorum ratio-

Ecclesiæ & Synagogæ differentia.

nis expertium, in quibus propriè greges dicere consueuimus, *vocari* autem sit, intelligentium. Iudæi verò pecorum more præsentia tantùm spectabant atque sectabantur: Christianus verò populus futura æternáque bona quærit, vt notat Augustinus in Psal. 77. & 81. atque inchoata expos. epist. ad Roma. Non igitur absque ratione Christus suæ Reipublicæ nomen ECCLESIÆ indidit Matth. 18. Et Apostoli, Scriptorésque Ecclesiastici accepto Spiritu sancto, Christianorum societati hoc Ecclesiæ nomen appropriauerunt, vt ex capit. 5. Actor. patet: *Et factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia*: cuius maiores partes etiam *Ecclesiæ* nomen retinent. vndè Apostolus Rom. 16. *Salutant vos omnes Ecclesiæ Asiæ.* Et Ioannes Apoc. 1. *Septem Ecclesiis* scribit. Nec solùm Apostolus maioribus Christianorum cœtibus *Ecclesiæ* nomen tribuit, vt Ecclesiæ quæ est Corinthi, Philippis, Galatiæ, &c. sed etiam priuatis fidelium familijs. 1. Cor. 16. *cum domestica Ecclesia.* ad Philemonem: *Ecclesiæ, quæ in domo tua est.*

Ecclesiæ nomẽ vsu, Ecclesiasticorum scriptorum appropriatum societati Christianorum.

Societas Christianorum Ecclesia nuncupatur.

Sunt & alia plura nomina, quibus Christianorum Respublica describitur. 1. Timoth. 3. vocatur *Domus Dei*, quia ab vno summo Patrefamilias gubernetur. Nuncupatur *Grex ouium*, Ioan. 10. & 21. Item *Sponsa Christi*, 2. Cor. 11. Apoc. 22. necnõ *Vxor Christi*, Apoc. 9. Ephe. 5. dicitur *Corpus Christi.* 1. Cor. 12. *Omnes nos in vnum corpus baptizati sumus.* Ephes. 1. ad Colos. 1. *Quæ est corpus ipsius.* Nuncupatur denique *Templum Dei, Populus Dei, Ciuitas Dei, Regnum Dei, Regnum cœlorũ, Societas Iesu*, 1. Cor. 1. & 1. Ioan. 1. *Vinea* Psal. 79. Cant. 2. Isa. 5. Hiere. 5. Matth. 20. & 21. *Columba* Cant. 6. *Amica & soror*, Cant. 1. & 6.

Ber. ser. 16. in Cant.

Quibus omnibus nominibus Ecclesiæ

clesiæ vnitas, seu potiùs vnanimitas designatur, ac varia beneficia, quibus fideles Deus affecit, inculcantur. Inter omnia tamen Ecclesiæ nomen præcellit, quo mysteria diuersarum vocum amplitudine comprehensa, vno intuitu homini contemplanda offeruntur. In euocatione siquidem, quam Ecclesia denotat, gratiæ splendor elucet, qua homo de statu Damnationis ad statum Salutis translatus est, iuxta illud 1. Pet. 2. *Qui de tenebris vocauit vos in admirabile lumen suum.* Vndè Paulus passim hanc diuinam vocationem commendans, scribit *vocatis sanctis*, id est, vocatis ad sanctitatem, ipsaque vocatione sanctificatis. Romanos 1. & 1. Corinth. 1. Psal. 106. *Dicant, qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregauit eos, & deduxit eos in viam rectam, vt irent in ciuitatem habitationis.* Hieremiæ 31. *Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, inter quos erunt cæcus et claudus.* Canticorum 4. *Veni de Libano sponsa mea*: id est, de idololatria ad fidem.

Excellentia nominis Ecclesiæ.

Vocationis beneficium commendatur.

Apussimè vero fidelium cœtus *Vocationis* nomine designatur, quoniam ad Dei populum nemo instinctu proprio se adiungit, sed quisquis venit, à Dei gratuita vocatione præuenitur. Vocat autem Deus non solùm extrinsecus aures corporis, Pastorum, ministrorúmque Verbi Dei voce pulsando, sed & interiùs, per secretam inspirationem fidei, qua fit, vt qui mente audit, à Patre discat, & veniat. Ioan. 6. & Rom. 8. *Quos vocauit, hos & iustificauit.* Vbi obseruandum, vocationem etiam interiorem esse multiplicem. Vna enim generalis est omnium credentium, & Baptismi sacramentum susceipientium, de qua Actor. 2. *Quoscumque aduocauerit Dominus.* & Matth. 22. *Multi vocati, pauci verò electi*, quia per fidem & sacramentorum communionem multi locum conuiuij sine veste nuptiali ingrediuntur, qui tandem inspiciente per Iudicium Sponso, eijciuntur.

Vocatio interior & exterior.

Alia quædam specialis vocatio secundùm propositum electionis ad gloriam reperitur, de qua Rom. 8. *Qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Et *quos vocauit, hos iustificauit: et quos iustificauit, hos et glorificauit, &c.* Hæc electorum vocatio est, qua fit, vt sic vocati non solùm credant, sed etiam rectè viuant, nec ad tempus tantùm, sed vsque in finem perseuerent. Quam vocationem hæretici ECCLESIÆ vocabulo significari contendunt, ab eaque inuisibilem Ecclesiam, solos prædestinatos complectentem, constitui docent. Cæterùm falluntur, quoniam Ecclesia à communi vocatione interiori dicitur, qua multi vocati, non tamen electi, per fidem & Baptismi susceptionem Christi familiam ingrediuntur, hoc est, Ecclesiam, quamuis merito vitæ posteà malè gestæ tandem eijciantur.

Vocatio generalis & secundùm propositum electionis ad gloriam.

A communi vocatione nomen Ecclesiæ deducitur.

CAP. CCXCV.

De Ecclesiæ definitione.

EXposito Ecclesiæ vocabulo, de re per Ecclesiam significata subiungendum est. Ac licet Angeli, qui in accepto iustitiæ munere perseuerauerunt, nulla Christi mediatoris vocatione indiguerint, ideoque aptiùs dicantur ad eandem cum hominibus Dei Ciuitatem, quàm ad eandem Ecclesiam pertinere: quia tamen Scriptura, & Beatus Augustinus Ecclesiæ vocem tam angelis

Ecclesiæ definitio.

Aug. Ench. 51. & 61.

quàm hominibus tribuunt, in sua describemus Ecclesiam amplitudine hoc modo: *Ecclesia est Societas creaturarum rationabilium, per dona supernaturalia uni Deo adhærentium.* Quam definitionem subindicat Augustinus Enchir. cap. 56. & 61. & lib. 12. *De Ciuit.* cap. 9. Bernard. serm. 27. *in Cantica.*

Vt autem Ecclesia ab hominum euocatione per Christum ex perditionis massa censetur, generaliter in hunc modum definiri potest: *Ecclesia est cœtus hominum, fide Christo capiti adhærentium.* Quæ descriptio Ecclesiæ substantiã exprimit. Ideóque ad omnia tempora Militantis Ecclesiæ, ad omnes eiusdem status, necnon ad omnes particulares Ecclesias, ex quibus ab initio generis humani vna generalis Christi Ecclesia conflatur, sese porrigit. Omnis enim hominum societas, quæ fide Christo adhæret, per eúmque, veluti Mediatorem iustitiæ influxum à Deo expectat, Ecclesia Christi est. Vndè prisci sancti, siue tempore legis naturæ, siue tempore legis Mosaicæ, qui in Christum crediderunt, ab eóque iustitiam & salutem expectarunt, nobiscum eiusdem Ecclesiæ fuerunt: cuius licet diuersæ sint ætates, varij status, aliæ conditiones, noua priuilegia, tamen ex omnibus partibus vna resultat Christi vniuersalis Ecclesia. *Neque* enim *putandum est, quod antiquis iustis sola, qua semper est, Diuinitas Christi, non etiam, quæ nondum erat, eius Humanitas reuelata profecerit*, inquit Augustinus lib. *De Peccato Orig.* capite 26. & libr. *De Catechisan. Rudibus* capit. 3. exemplo Iacob, qui dum nasceretur, manum priùs quàm caput in lucem emittens, Christum ostendit, quandam sui corporis partem, antequam in carne appareret, præmisisse in sanctis, qui eum nascendi tempore præierunt, qua velut manu se caput Ecclesiæ nasciturum esse præmunciaret, quos ait eidem corpori (cuius Christus caput est) cohæsisse, credendo in eum, quem prænunciabant: non enim præcurrendo diuulsi sunt, sed adiuncti potiùs obsequendo. Nam etsi manus à capite præmitti potest, connexio tamen eius sub capite est.

Antiqui sancti ad Christi Ecclesiam pertinuerunt.

Membra Christo diuersimodè adhærent.

Porrò non vno modo cuncta Christi membra illi adhærent. Beati enim per visionem fidei succedentem & flagrantissimam charitatem cohærent: qui verò in terris peregrinantur, Christo per fidem & vnitatis amorem, atque certis Sacramentorum, Sacrificiorúmque vinculis, (quæ pro temporum varietate diuersa quoque instituta fuere) tum inseruntur, tum inter se colligantur. Vndè patet, sacramenta ad essentiam Christi Ecclesiæ minimè spectare, quonam sicut hìc pro vario statu Ecclesiæ mutata fuerunt, ita in futura vita plenè cessabunt.

Catechismus art. 9. nu. 2 Ecclesia est populus omnium in Christum credentium.

Ex quibus liquet, Ecclesiam rectè generatim describi in Catechismo nostro, *fidelium congregationem*, siue, *populum fidelem per vniuersum Orbem dispersum*, ex Augustino in Psalm. 149. cui Gregor. hom. 38. in Euang. consonans: *Regnum*, inquit, *cœlorum est congregatio iustorum.* Beda in 26. ca. Iob: *Ecclesia est omnium sanctorum congregatio.* Iren. lib. 3. c. 3. cont. hæreses, *Ecclesiam* intelligit *eos, qui sunt vndique fideles.* Quæ definitiones indicant solùm partes Ecclesiæ substantiales, non tamen excludunt proprietates, quæ certos Ecclesiæ status, aut partes concernunt, per quas Ecclesia conspicua redditur, & à conuenticulis hæreticorum, schismaticorúmque discernitur.

CAP. CCXCVI.

De partibus Ecclesiæ Christi.

Vnius Ecclesiæ duæ Partes: Triumphãs & Militans.

ECclesiæ Christi duæ sunt potissimùm partes; vna *Triumphans*, altera *Militans* vocatur. TRIVMPHANS est cœtus eorum, qui de Mundo, Carne ac Dæmone victores, ac ab omnibus huius vitæ periculis liberi, æterna beatitudine perfruuntur: MILITANS verò, est cœtus fidelium in terris, cum Mundo, Carne atque Sathana luctantium.

Quæ duæ partes non duas re distinctas Ecclesias, sed vnicam constituunt, cuius pars antecessit, altera indies sequitur, donec suo Capiti per visionem quoque coniuncta, in sempiterna fœlicitate conquiescat. Et quia *nemo Deum habiturus est in cœlis Patrem, qui Ecclesiam hîc in terris non habuerit Matrem*, nullique hominum extra Ecclesiam salutis æternæ spes facta sit, (*Christus enim est saluator corporis sui*:) ideò profuerit, de hac Militante Ecclesia scire, quidnam sit? qualis, quibus donis & priuilegijs à Christo noui Testamenti tempore ornata, quibus denique proprietatibus ab omnibus hæreticorũ conuenticulis discerni queat; item quæ hominum genera complectatur.

Ephes. 5.

De Militante Ecclesia quæ scienda.

CAP. CCXCVII.

Quid sit Ecclesia Militans?

Quid sit Ecclesia Militans?

ECclesia huius temporis est hominum cœtus, eiusdem fidei vinculo, & eorumdem Sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum pastorum, & præcipuè Christi Vicarij, Romani Pontificis. Vndè ab ea sunt alieni omnes infideles: vt Pagani, Iudæi & Hæretici, Schismatici quoque, Catechumeni, & Excommunicati. Hinc à sectarijs perperam definitur Ecclesia, quòd sit *prædestinatorum congregatio*; ita vt omnes & soli in ea sint prædestinati: sicut docuit Vvicleff apud Vvalden. tomo 1. lib. 2. capit. 8. & 9. Quem secutus est Ioannes Hus art. 1. 2. 3. 5. 6. vt habetur in Concil. Constantien. sess. 15.

Sectariorũ de Ecclesiæ definitione opiniones.

Nouatiani teste Cypriano lib. 4. epist. 2. & Donatistæ, Augustino teste lib. *de hæres.* cap. 69. Ecclesiam definiebant, esse *Congregationem hominum fidelium, qui numquam in grauiora scelera, potissimúmque circa fidei confessionem lapsi fuerant.* Nam à cœtu suo vulgares peccatores non excludebant, vt fraudatores, mœchos, & similes, vt ex Epiphanio hæresi Catharorum liquet.

Pelagiani Ecclesiam definiebant, *multitudinem hominum perfectorum, nullum peccatum habentium*; teste Augustino hæresi 88.

Lutherani Ecclesiam definiunt, esse *hominum congregationem, verè credentium & obedientium Deo.* Vndè sequitur, malos non esse in Ecclesia, nisi nomine, & corporali admixtione. Ideoque duas Ecclesias confingunt: vnam *Veram, cuius sint priuilegia in scripturis expressa, quæ sit inuisibilis, solisque oculis fidei conspicua*: alteram verò *Æternam, qua nomine tantùm sit Ecclesia, omnésque contineat, qui in doctrina fidei & vsu sacramentorum conueniunt, et in hac bonos et malos inueniri permixtos confitentur.*

Caluinus duas cum Lutheranis constituit Ecclesias: vnam *Veram, ex solis prædestinatis constantem, ac soli Deo notam*: alteram verò *Ex-*

ternam & Visibilem, quam definit, esse *vniuersam hominum multitudinem in orbe diffusam, qui in fidei confessione, & sacramentorum participatione eundem nobiscum Deum ac Christum profitentur.* In hac malos & bonos esse asserit. Contra hos omnes errores Catholica doctrina tradit, vnicam esse in terris visibilem Ecclesiam in eadem fidei professione, Sacramentorúmque communione vnum Christi Vicarium agnoscentem, Romanum Pontificem, à qua sint alieni omnes infideles, qui nunquam Christo per Baptismum nomina sua dederunt, sed alias religiones sectantur: quales sunt Iudæi, Turcæ, Pagani. Hos foris esse docet Christus Matth. 18. *Sit tibi sicut Ethnicus.* Et Apostolus 1. Corinth. 5. *Quid mihi de vis, qui foris sunt iudicare?*

Non sunt duæ Ecclesiæ.

Quid Ecclesia?

Alieni ab Ecclesia Infideles omnes.

Excluduntur quoque ab Ecclesia hæretici, qui aliquando in Ecclesia fuerunt, sed ab ea per hæresim, vel apostasiam recesserunt. Hos ait Apostolus *circa fidem naufragasse*, 1. Timoth. 1. significans, illum fidelem dici non posse, qui vel vnum fidei Articulum pertinaci animositate repudiauerit: sicut neque iustus est, qui vel vnum letale peccatum commiserit, iuxta illud Iacob. 2. *Qui totam Legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Quemadmodum enim per rei minimæ admixtionem adulteratur moneta, & cymbalum minima fissura corrumpitur: ita & fides vnius Articuli negatione vitiatur. Nam *qui quod vult credit, & quod vult non credit, non Deo, sed iudicio suo credit*, vt habet Augustinus lib. 17. *contra Faustum*, cap. 3. Libr. 32. cap. 19. tract. 67. in Ioannem. Vnde Athanasius in Symbolo: *Qui integram fidem non seruauerit, in æternũ peribit.* Luc. 5. Parabola de reti, præ multitudine piscium scisso, idem significatur. Ad Titum 3. Hæreticus dicitur *Subuersus & proprio iudicio condemnatus*: id est, interprete Hieron. *non per excommunicationem, vt multi peccatores, eiectus, sed ipse ab Ecclesia seipsum eiecit.* 1. Ioan. 2. *Ex nobis exierunt*, id est, ab Ecclesia, in qua priùs nobiscum erant, secessérunt, *sed non erant ex nobis*, secundũ diuinam electionem. August. lib. *De Bono Perseu.* c. 8. Cyprianus in epist. ad Iubaianum, *Hæreticos cùm extra Ecclesiam sint*, ait, *similarum more sibi Ecclesiam vendicare.* Hieron. in dialogo contra Luciferianos dicit, *eos qui ab alio, quàm à Christo nomen habent, vt Valentiniani, &c non Ecclesiam Christi, sed Antichristi Synagogam esse.* Aug. li. *De Vnitate Ecclesiæ* c. 4. *Non vtique sunt in Ecclesia, qui non credunt.* Quamquam verò hæretici extra Ecclesiam sint, attamen puniri ab Ecclesia possunt. Nam licet militiæ desertorem, qui ad hostium castra trãsmigrauit, cogere, vt redeat Characterem enim Baptismi extra Ecclesiam hæretici retinent, quo admonentur ad vnionem Ecclesiæ redire. Primum autem vnionis vinculum internum est, Fides.

Hæretici.

In vno fidei articulo, infidelis perdit fidē.

CAP. CCXCVIII.

Vtrũ occulti hæretici in Ecclesia sint?

Vtrùm occulti hæretici sint in Ecclesia?

DE occultis hæreticis, qui foris catholicam fidem profitentur, & communione Sacramentorum veris fidelibus permiscentur, Doctores variè loquuntur. Quidam extra Ecclesiam illos esse asserunt, alij verò in Ecclesia constituunt. Sed non tam de re ipsâ, quàm de modo loquendi laborant. Consentiunt equidē Catholici omnes, occultos hæreticos in Ecclesia

secundùm quid esse, videlicet secundùm externam fidei professionem, item secundùm Sacramentorum communionem, necnon ministeria, iurisdictionem, exercent enim potestatem regiminis ligando, soluendo, excommunicando, beneficia conferendo vel auferendo. Consentiunt insuper omnes Catholici, occultos hæreticos secundùm aliquid extra Ecclesiam esse, videlicet animo & voluntate, atque secundùm internos nexus, quibus membra vniuntur Capiti inter se, qui consistunt in fide, atque fraternitatis amore, aliisque virtutibus. Differt enim Christi Ecclesia à terrena Republica in eo, quòd requirat, vt membra sua internis nexibus vniantur inter se atque cum capite: hæc verò solũ exigat, vt omnes hominum ordines Rempublicam constituentes, eam foris cõiunctionem habeant, quæ pacem tranquillitatémque Reipublicæ temporaliter promoueat.

Occulti hæretici sunt in Ecclesia secũdùm exteriores nexus, non secundùm interiores.

Quare in speciem dissentientes concordamus sententias, tenendo, hæreticos occultos esse in Ecclesia, quoad exteriores nexus, & potestatem regiminis & iurisdictionis; ac eatenus posse vocari membra siue partes Ecclesiæ: non verò esse in Ecclesia secundùm interiores nexus, ac proinde non esse viua Christi membra, sed arida & emortua, neque sensum, neque motum à capite haurientia. In quo à malis Catholicis nõn parum differunt, qui fidem & fraternitatis amorem retinent: quibus licet Christus per Charitatis & Iustitiæ subministrationem nõ influat; attamen eis intimè & fidem, & Christianæ societatis amorem donat. Quod Ioannes 1. epistola cap. 2. significat dicens: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* Quomodo ex nobis, si non erant ex nobis? respondet Augustinus libro 3. de Baptizat. capite 18. & libro 4. capite 16. *Intus fuisse carne, sed foris spiritu:* ex nobis fuisse professione & externa Sacramentorum communicatione, sed non fuisse ex nobis, inuisibilia, ac interna charitatis compage. Sic Iudam inter Apostolos, occultorum hæreticorum expressisse typum tradit in Ioan. tract. 61. *Erat enim vnus Apostolorum numero, non merito: specie, non virtute, commixtione corporali, non vinculo spirituali, carnis adiunctione, non cordis vnitate, communione Sacramentorum, non secundùm proprietatem criminum* Lib. *De gestis cum Emerico* capite 1. *Quidam*, ait, *corde positi in parte donati, præsentiam nobis exhibent corporalem, carne intus, spiritu foris.* Libro *De Catechizandis rudibus* capite 17. tria hominum genera in Ecclesia constituit, nempe fictos Christianos, quales sunt occulti hæretici, qui Deum non timent, Christianámque religionem irridենt: deindè carnales fideles, in hac vita felicitatem expectantes: ad demum spirituales, spe cœlestium bonorum in Ecclesia Deo perseueranter obedientes. Origenes homil. 21. in Iosue: *In Hierusalem, hoc est, in Ecclesia, sunt quidam Iebusæi, fide et actibus peruersi.*

Indas typus hæreticorum.

Vnus numero, non merito.

Tria hominum genera in Ecclesia repetiuntur.

Postremò euincitur, occultos hæreticos quodammodo in Ecclesia esse ex veteribus, qui docent, eos qui extra Ecclesiam sunt, nullam in fideles authoritatem vel iurisdictionem habere. Cyprianus libro 1. epist. 6. Libro 2. epist. 1. At rata esse, quæ in Ecclesia ab occulto hæretico geruntur, docet Canon, *Audimus.* 24. quæst. 1. *Si autem ex corde suo nouam hæresim confinxerit, ex quo talia prædicare cœpit, neminem damnare potuit.* Vbi sup-

Occulti hæretici iurisdictionem reticent.

ponitur, actus iurisdictionis occulti hæretici non esse irritos, alioqui redderentur incerta penè omnia, cùm de occultis scientia nequeat haberi. Huc etiam pertinet, quòd in corpore humano sint partes, quæ viuunt & sentiunt, aliæ, quæ viuunt & non sentiunt, ac demum emortuæ adhærentes, quæ nec viuunt nec sentiunt.

CAP. CCXCIX.

De Catechumenis.

Catechumeni sunt extra Ecclesiam.

SEcunda definitionis Ecclesiæ pars, quæ eorumdem Sacramentorum communionem exigit, Catechumenos & excommunicatos ab Ecclesia excludit, quoniam illi ad Sacrorum participationem non sunt admissi, hi verò sunt dimissi. Sed cùm nullus damnationis diluuium extra Ecclesiam euadere possit, nec vlla extra Ecclesiam peccata remittantur (vt habet Augustinus Enchir. cap. 65.) si Baptismum non contemptus, sed necessitatis articulis excludit, credendum est, Catechumenos adultos pœnitentes inuisibiliter Ecclesiæ via extraordinaria interi. Non tamen ideò Militanti Ecclesiæ inuisibili iunguntur, (qualis nulla est) quia nullo adhibito Sacramento, nam & Christus non ideò inuisibilem domum intrauit, quando ianuis clausis inuisibili aditu legitur ingressus: sed quemadmodum ordinarium est, vt per ianuam in domum intretur, ita per Baptismum in Ecclesiam, vt Actor. 2. indicatur: *Qui ergo receperunt verbum, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Gregorius Nazianzenus dicit, *Catechumenum fidelem dici non posse, nisi per Baptismum ingressus sit:* Chrysostomus homil. 24. in Ioannem ait, *Catechumenum nihil cum fideli commune habere, non mensam, non ciuitatem, &c.* Cyrillus libro 12. in Ioan. cap. 50. *Catechumenum incircumciso comparat, qui Agnum Paschalem edere non poterat.* Augustinus tract. 4. in Ioan. & tract. 44. & libro 8. Confess. capite 8. & lib. 2. *De Symbolo*, Catechumenos conceptis nondum natis assimilat, quia per Baptismum corpori Ecclesiæ incorporantur. Iuxtà illud Act. 11. *Macta & manduca*, cùm de Cornelio Centurione, in corpus Ecclesiæ traijciendo, ageretur. Duo enim ad salutem necessaria sunt: Fides & Baptisma. *Qui enim crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Marc. 16. Et, *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Rom. 10. Et, *In vno corpore baptizati sumus.* 1. Cor. 12. Gregorius homil. 38. in Euangel. ait, *neminem conuiuium intrare sine Fide et Baptismate.* Omni tempore post lapsum oportuit fideles vnius Dei ac vnius Mediatoris fidem, congruis tempori Sacramentis profiteri. Augustinus lib. 18. *De Ciuit.* cap. 47. Lib. *De Prædest. Sanct.* cap. 9.

Concil. Laterane. ca. 2.

Ambros. oratione de obitu Valentiniani. Bernardus epist. 77.

CAP. CCC.

De Excommunicatione.

Excommunicati sunt extra Ecclesiam.

QVi à Sacramentorum communione, fidelíumque societate per Excommunicationis sententiam depulsi sunt, ab Ecclesia non solùm iuxta externam conuersationem, sed etiam interiorem membrorum connexionem resecti sunt, ita vt à Christo pro quibus non agnoscantur, nec impiam tutela contra Diabolum foris grassantem protegantur. Nam quæcum-

que ministri Christi *ligant in terris, ligata sunt & in cœlis.* Nec Christus eum agnoscit ouem, qui de Ecclesiæ grege pulsus est. Si enim *Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* 1. Corinth. 5. *Tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* Tertullianus in Apolog. capite 37. docet, per excommunicationem priuari hominem omni commercio spirituali. Quemadmodum in Veteri Lege Deuter. 24. Iubebatur tolli de medio malus, ita in noua Lege per Excommunicationem iubetur auferri noxius, vt notat Augustinus quæst. 39. in Deut. libr. *De Vera religione* cap. 6. Enchir. cap. 65.

Matth. 18.

1. Cor. 5.

Iniusta excõmunicatio ab exteriore tãtùm communicatione fidelium separat

Iniustè verò lata excommunicatio, si legitimus iuris ordo seruatus sit, ab exteriore fidelium communione separat, non autem ab inuisibili Christi & Ecclesiæ societate: Augustlib. *De Vera relig.* capite 6. Orig. in Leuit. hom. 14.

CAP. CCCI.

De Schismaticis.

Schismatici extra Ecclesiam sũt.

TErtia pars definitionis Ecclesiæ requirit agnitionem vnius suprem visibilis Capitis, seu Vicarij Christi in terris, qui est Romanus Pontifex, cui nolentes subijci & obedire, Schismatici sunt, quia Ecclesiasticæ vnitatis vinculum abrumpunt. Cyprian. libr. *De vnit. Ecclesiæ* Schismaticos de Ecclesia non esse declarat, exemplo partis ab humano corpore dissectæ, quæ mox pars esse desinit. Similiter ramus ab arbore scissus, fluuius à fonte diuisus aresçit, radius à sole separatus deficit, ipso Sole permanente.

Hanc Ecclesiæ vnitatem adumbrauit in consutilis Christi vestis, quæ integra permansit. Hanc vestem scindunt, qui odio, inuidia vel impatientia Ecclesiam in partes diuidunt. Quia verò *Ecclesia grex est suo pastori adunatus: qui cum Episcopo non sunt: extra eam sunt, qui se ab eius vnitate diuiserunt.* Iren. libr. 4. cap. 62. *cont. hæreses.* Chrysostom. hom. 3. in 1. ad Cor. homil. 11. ad Ephesios, comparat Schismaticos manui abscissæ, quæ confestim esse membrum desinit. Hieronymus in 3. cap. ad Titum, *propter Episcopalem dissensionem Schisma nasci* asserit. Et in 1. capite Amos idem affirmat. Augustin. libr. *de Fide & Symbo.* cap. 10. differentiam inter hæresim & Schisma tradit, quòd illa fidem, hoc fraternam charitatem violet, de qua Petr. 2. epistol. cap. 1. In pietate amorem fraternitatis, quo scilicet aliquis in Ecclesiæ societate viuere ac mori exoptat, eiúsque perturbationes, aduersáque omnia dolet, de ipsius autem prosperitate gaudet, in eaque sola sacramenta, réfque omnes ad cultum Dei pertinentes dare, necnon accipere proponit, cuius fraternæ Charitatis inimici foris sunt, vel apertè, vel animo. Augustin. libr. 1. cont. Donat. cap. 19. Vndè Apostolus ad Hebr. 10. *Non deserentes collectionem nostram:* & Iudas in epist. can. *Hi sunt, qui segregant semetipsos.* Quantum verò Schismatis crimen sit, ex nouo Schismaticis irrogato supplicio, Num. 16. Cyprianus ostendit Lib. 1. epist. 6. & lib. *De Simplicitate Prælatorum.* Augustin. lib. 3. *cont. Dorat.* cap 18. Et libr. 1. *cont. Parmenianum* cap. 4. & 7. dicit, Schisma superare cuncta scelera.

Cyprian li. 4. epist. 9 lib. 1. epi. 6.

Schismatis crimen.

CAP. CCCII.

De Prædestinatis.

Non soli prædestinati in Ecclesia.

QVòd Caluinus (post VVicleſum & Huſſium) in Eccleſia vera ſolos prædeſtinatos falsò collocet, ex eo patet, quòd Chriſtus Matth. 3. docear, continere inſtar aræ triticum & paleas, igne comburendas.

Quare fatendum eſt, in Eccleſia vera militante reprobos cum electis reperiri, cùm in Eccleſiæ compagem regenerationis Sacramento transferantur, iuxta illud Apoſtoli. 1. Cor. 12. *Omnes in vnum corpus baptizati ſumus.*

Quis, filius, membrũ, dicitur ſecundùm præſentem iuſtitiam, vel ſecundùm prædeſtinationem.

Sciendum tamen eſt, duobus modis aliquem vocari Filium, Quem, & Chriſti Membrum. *Vno* modo ſecundùm præſentem iuſtitiam. Quo modo loquens Apoſtolus Rom. 8. dicit: *Qui ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* 2. ad Timoth. 2. *Nouit Dominus, qui ſunt eius.* *Alio* modo ſecundùm Dei prædeſtinationem, iuxtà quem modum *lupi multi intus, et oues foris* eſſe dicuntur. Sic Auguſtin. libr. de *corrept. & grat.* cap. 9. Lib. *de bono perſeuerantiæ*, cap. 8.

CAP. CCCIII.

Quòd imperfecti Chriſtiani ſint in Eccleſia.

Non soli perfecti in Ecclesia sunt, sed etiam imperfecti.

PElagiani & Anabaptiſtæ nullum venialle peccatum agnoſcentes, ſolos perfectos Chriſtianos in Eccleſia putant. Cæterùm apertè ſcriptura docet, ſanctos multis peccatis durante huius vitæ decurſu obnoxios eſſe, neque propterea de Eccleſia non eſſe. 3. Regum 8. *Non eſt homo, qui non peccet.* Pſalmo. 31. *Tu remiſiſti impietatem peccati mei: pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore oportuno.* Prouerb. 24. *ſepties in die cadit iuſtus.* Eccleſ. 7. *Non eſt qui non peccet.* Matth. 6. Omnes iubentur orare: *dimitte nobis debita noſtra.* Iacobi 3. *In multis offendimus omnes.* 1. Ioannis 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus.* Concilium Mileuitanum Cant. 7. & 8. definit, iuſtos non ſolùm humiliter, ſed etiam veraciter pro ſeipſis dicere: *dimitte nobis debita noſtra.* Cyprian. ſermone de Eleemoſyna: *Quiſquis ſe inculpatum dixerit, ſuperbus eſt.* Nazianzen. oratione 2. in Iulianum: *Omni prorſus peccato vacare, ſupra naturæ humanæ modum Deus conſtituit.* Hieronym. libr. 2. & 3. contra Pelagium ait, iuſtos ad breue tempus; ſed non diu abſque peccato eſſe poſſe. Aug. lib. *de ſpir. et lit.* cap. vltim. ait, hominem ex Dei priuilegio abſque omni peccato viuere poſſe, ſed tamẽ re ipſa neminem (excepto Chriſto & B. Virgine) ita viuere. Quod repetit libro *de nat. & grat.* capite 34. vbi expreſsè B. Virginem excipit. Idem tractat epiſtol. 89. & 95. totóque libr. *de perfect. iuſtitiæ.* Lib. 1. cont. 2. epiſt. Pelagianorum cap. 14. Notat, Apoſtolum requirere, vt ordinandus nullum crimen habeat, non autem, vt nullum omnino peccatum. Dicitur autem Eccleſia. Cantic. 4. *tota pulchra:* & ad Epheſ. 5. *ſine ruga et macula:* vel reſpiciendo ad ſtatum futuræ vitæ, vbi re ipſa talis erit, hîc verò tantùm in ſpe, aut conſiderando ſtatum eius, quem Baptiſmus efficit, in quo ſponſa Chriſto deſponſatur, & ab omni ruga peccati emundatur: aut per ſynechdochen, ratione partis id ei tribuitur, quoniam multi in ea ſunt immaculati

Quomodo Eccleſia dicatur tota pulchra.

immaculati & perfecti suo modo, scilicet perfectione viæ. Quomodo Noë Gen. 5. vocatur *Justus et perfectus* Psal. 17. *Ero immaculatus.* Psal. 118. *Beati immaculati* Ephes. 1. *elegit nos, vt essemus sancti & immaculati.* Philippen. 3. *Quicunque perfecti sumus.* Aug. lib. 1. Retract. c. 7.

CAP. CCCIV.

Quòd etiam praua vitæ fideles in Ecclesia sint.

Peccatores in Ecclesia sunt.

CONtra nouatianos, Donatistas, & Confessionistas certa fide tenendum est, in Ecclesia Christi militante non solùm imperfectos fideles, qui leuia peccata habeant, sed etiam manifestos peccatores, qui scelera grauia palàm committant, quamdiu excommunicationis mucrone non præscindantur, vt patet ex parabola Christi de Areâ continente paleas. Matth. 3. de Sagena, continente omne genus piscium, Matth. 13. de Nuptiali Conuiuio, Matth. 22. de fatuis Virginibus & hœdis cum ouibus, Matth. 25.

Idipsum Dominus similitudine *Vitis* corroborat, in qua sunt aridi palmites & infrugiferi, Ioannis 15. Et rebelles peruicaciæ merito ejiciendos extra Ecclesiam, agnoscit Matth. 18. quin & Præpositos, qui subditos concupiant, Matth. 23. & 24. Apud Corinthios Apostolus in Ecclesia fuisse scribit incestuosum, 1. Corinth. 5. Et in epistola ad Rom. c. 1. grauissima scelera in infidelibus reprehendit. In Epistolis quoque ad Corinthios & ad Galatas, necnon in aliis: similiter Ioan. in epistola, & in Apoc. cap. 2. & 3. Ecclesias de peccatis non exiguis coarguit. In Ecclesia quoque veteris Testamenti nunquam peccatores defuerunt, à quibus tamen Prophetæ atque iusti nunquam se, quantum ad Templum, Altare, Sacrificia, & alia quæ religionem concernebant, separauerunt, vt Augustin. vrget in *Breuiculo collatione* 3. Vbi Donatistas hoc argumento ita fuisse confutatos refert, vt quod responderent non haberent. Ac in omnibus libris contra Donatistas editis ex professo docet, in Ecclesia esse bonos & malos, tanquam grana & paleas. Quod in arca Noë animalia munda & immunda continente, adumbratum fuisse, Augustinus & Hieronymus contra Luciferianos ostendunt.

Prophetæ à malis sacerdotibus nõ se separauerunt, quãtum ad religionem concernentia.

In Ecclesia boni & mali repetiuntur.

Hinc Episcopi labiores exaggerat Nazianzenus oratione apolog. 1. quia bonos & malos regere debeat. Similiter Chrysostom. libr. 3. *De sacerdotio.* Gregor. *in Pastoralis.*

Quod autem in vera Christi Ecclesia etiam malæ vitæ fideles sint, facilè intelliget, qui animaduerterit, Christianos dici non à charitate, sed à fidei Christianæ professione in certa hominum societate, quæ à Christo suæ institutionis atque Doctrinæ originem trahit, vnáque fide, & eorumdem Sacramentorum communicatione, ac mutua dilectione, veluti nexu vngitur. Cuius quidem societatis diuersæ sunt partes, varium à capite influxum recipientes. Equidem nonnullæ velut instrumenta viua per charitatem operantur; aliæ verò tanquam membra ægra, arida vel emortua, per ordinis & iurisdictionis potestatem, ad quam iustitiæ vita non exigitur, adhuc aliquid efficiunt. Mouentur enim à Spiritu sancto, qui est mystici huius corporis velut anima, vt efficaciter quædam operentur, vt ex professo Augustinus docet Tractatu 5. in Ioan. & lib. 2. *cont. Parmenia-*

Vnde Christiani dicantur.

num cap. 10. & 11. ostendens, effectus Sacramentorum non dependere à sanctitate ministrorum; & in vna Ecclesia esse bonos & malos, sicuti in vna ciuitate sunt boni & mali ciues; in vna familia boni & mali filij, liberi & serui; in vno corpore membra viua, & humores pectus aggrauantes.

CAP. CCCV.

Quòd Ecclesia Christi militans vnica sit, non verò dua.

Ecclesiæ Christi est vna, non dua.

CVm Lutherus, Caluinus, aliique sectarij ab vnius veræ Christi Ecclesiæ testimonio scripturarum sacrarum traditionem, sensum, omniáque fidei dogmata pendere, inficiari non auderent, eiusque authoritate premi se vehementer sentirent; nec vllas commentis suis latebras superesse intelligerent, si ad Ecclesiæ iudicium deueniretur: vt angustias illas effugerent, suæque perfidiæ aliquod velum reperirent, duas esse Christi Ecclesias confinxerunt; vnam *inuisibilem*, ex solis iustis vel prædestinatis constantem, ad quam pertineant priuilegia Ecclesiæ à Christo promissa: hanc solam esse veram Ecclesiam, quæ non possit deficere, nec in necessariis ad fidem aberrare contendunt. Alteram verò *externam* & oculis conspicuam ponunt, indifferenter ex bonis & malis conflatam, quæ in fide & moribus errare, imò perfidia depraui, persecutionúmque procellis extirpari possit. Istud verò figmentum ex eo palliare nituntur, quòd scripturæ, veteresque Ecclesiastici scriptores de vna eadémque Ecclesia diuersimodè loquantur, quia habeat distinctas partes, variis qualitatibus affectas, varias ætates, status, & tempora; propter quæ illi contraria tribui videantur: attamen habito respectu ad tempus Viæ, aut ad tempus Gloriæ, vel ad partem hanc, vel illam eidem conueniant. Vt Cantic. 1. *Nigra sum, & formosa.* Isaiæ 52. & 60. *populus tuus omnes iusti. Omnes quæ sua sunt, quærunt. Macula non est in te.* Quibus locis toti Ecclesiæ attribuitur, quod proprium est perfectorum, aut imperfectorum: vel quod Ecclesiæ competit, ratione status præsentis vitæ, aut futuræ gloriæ; vt admonet Augustinus lib. *post collationem contra Donat.* cap. 8. libr. 1. *Retract.* cap. 7. lib. 3. *de Doctrina Christ.* cap. 31. & 32. & Concil. Constantinopolitanum in Symbolo *vnicam* esse definit *Ecclesiam Christi veram*, cui ratione diuersarum partium, aut variarum ætatum & statuum hæc omnia tribuantur: *Credo*, ait, *vnam, sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Vna enim Christi est sponsa, vna columba, vna amica, vna vxor, vnum ouile, vnum corpus. *Super hanc Petram* (ait Dominus Matth. 16.) *ædificabo Ecclesiam meam.* 1. Cor. 11. *Christus caput est Ecclesiæ.* Ephes. 5. *Ecclesia subiecta est Christo.* Rursus ibidem: *dilexit Ecclesiam.* Et: *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & Ecclesia.* 1. Timoth. 3. *Vt scias, quomodo te oporteat conuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui.* Apostoli quoque vnicam in Symbolo Ecclesiam credendam proposuerunt, quæ ex multis partibus conflata sit, cuius Christus Primarium caput; Vicarium autem Episcopi sint, inter quos ministerialis potestatis apicem Romanus Pontifex obtinet.

Cantic. 6. Ioan. 10. Rom. 12. 1. Cor. 1.

Eadem Ecclesia diuersas habet partes, status, ætates, tempora.

Cum verò vnicum Christi mysticum corpus existat, nec plures

Vnica Christi sponsa, vnicũ cor-

pus, non rem bipartitum.

sponsas vel vxores Christus habeat, vt Apostolus ad Ephesios 5. ex Scripturis confirmat: *Erunt duo in carne vna*; &, *Adhærebit vxori suæ*; consequitur, non duas, sed vnicam esse Christi Ecclesiam. Hinc Augustinus Ticonium iurè arguit, quòd Christi corpus bipartitum fecerit, cùm Scriptura *vnum corpus* & *vnum spiritum* esse pronuntiet, Ephes. 4. 1. Corinth. decimo secundo, Coloss. 1. & 2.

Lib. 3. de doct. Christi cap. 32.

Et dum calumniarentur Donatistæ, quòd Catholici duas Ecclesias constituerent: *vnam* in terris, quæ bonos malósque complecteretur; *alteram* in cœlis, quæ solos bonos: responderunt Catholici, se non duas Ecclesias ponere; sed vnius eiusdémque Ecclesiæ partes & tempora distinguere. Partes quidem, quia bonos & malos habeat; sicut idem corpus habet partes sanas, & morbidas vel aridas, suo tempore à corpore separandas: Tempora verò, quoniam alius status Ecclesiæ in hac vita sit, alius post resurrectionem. quemadmodum vnus idémque Christus ante Passionem passibilis, post Resurrectionem verò glorioſus & immortalis est. Augustin. libr. 7. *cont. Donatistas* cap. 51. lib. *de vnitate Ecclesiæ* cap. vltim. libr. 3. *de doct. Christ.* cap. 32. & alibi passim. Ita Christus Matth. 5. vnius Ecclesiæ partes, diuersas obtinere qualitates ostendit, distinguens iustitiam Discipulorum à iustitia Pharisæorum: & cap. 6. discernens pios ab hypocritis; Matth. 7. dicens, quosdam ædificare domum suam, id est, iustitiam suam, supra petram: alios verò super arenam. Neque insuper duas Ecclesias propter duo testamenta, vetus & nouum, constituere oportet. Quia idem testator aliter prouidet Filiis, aliter seruis, qui ad eandem familiam pertinent: aliter quoque liberis suis, infantibus aut paruulis; aliter adultis. Synagoga ergo veteris Testamenti, non alia fuit Ecclesia, sed alius Christi Ecclesiæ status, alia fidelium ætas, quibus tanquam paruulis congruebant imperfectiora præcepta, carnaliáque promissa. Sicut ergo idem est infans, puer, vir, sanus & ægrotus: ita propter diuersos status, ætates, aut affectiones, non est multiplicanda Ecclesia. Vnde non est alia Militans Ecclesia, alia Triumphans: alia noui Testamenti tempore, alia tempore Legis Naturæ, vel Legis Mosaicæ: sed vnius eiusdemque Christi Ecclesiæ variæ sunt ætates, conditiones, ac formæ; Ante legem, Sub lege, Tempore gratiæ, atque post Resurrectionem: vt ad Galat. Apostolus indicat, & ad Hebr. 12. ad futuræ vitæ statum respiciens, *Ecclesiam primitiuorum in cœlis conscriptorum* vocat. Augustinus collat. 3. cap. 4.

Synagoga nō fuit alia Ecclesia, sed alius Ecclesiæ status.

Propter diuersos Ecclesiæ status, ætates, affectiones, non est Ecclesia multiplicanda.

CAP. CCCVI.

Quòd vera Christi Ecclesia visibilis sit.

CVm visibile dicatur, quod sub aspectum cadere, sensibúsque corporeis percipi potest; & Ecclesia Christi vera in terris militans, societas sit hominum, Christi fidem atque doctrinam profitentium, eisdémque externis & visibilibus sacramentis vtentium sub regimine ac obedientia vnius summi pastoris, Romani Pontificis viuentium: consequitur, Christi Ecclesiam veram esse conspicuam, visibilē, imò digito demonstrabilem, non secus quàm regnum Hispaniæ,

Ecclesia visibilis est.

Galliæ, Angliæ vel Turcicum oculis cerni poteſt. Nam ſenſu diiudicari poteſt, quæ ciuitates, prouinciæ, regna, & hominum quorumcúmque ſocietates in vna eadémque doctrina & vſu eorumdem ſacramentorum conſentiant, & cum Romano Pontifice velut ſupremo dominici ouilis paſtore communicent. Idque locum habuit à primo Eccleſiæ Chriſtianæ ortu, ſimiliter in progreſſu; ac vſque in finem ſeculi hominum cœtus Vicario Chriſti adhærens ſenſu diiudicari poterit, non ſolùm à fidelibus, ſed etiam ab illius perſecutoribus. Nam inuiſibilis Deus, homo viſibilis factus eſt, ſibique viſibiles Apoſtolos & diſcipulos adiunxit, quos etiam viſibili Baptiſmatis ſignaculo coagulari voluit, & ſuper eoſdem viſibiliter Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes deſcendit. Quibus deinde hominum vno die tria millia ſunt adiecta, & rurſum poſtea quinque millia per eiuſdem fidei profeſſionem, ac viſibilis Baptiſmi ſuſceptionem, vt Actor. 1.2.3. & 4. legitur. Ac poſtea recepit Samaria verbum Dei, quod exinde ſeminatum eſt per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam (Actor. 9.) ac deinde per Syriam, Liddam, Ioppen, Cæſaream, vbi Cornelius Centurio cum multis aliis accepto viſibiliter Spiritu ſancto baptizatus, aduiſibilem Eccleſiæ compagem acceſſit, Act. 10. Et diſperſi à tribulatione, quæ facta fuerat ſub Stephano, perambulauerunt Phœniciam, & Cyprum & Antiochiam, vbi multus numerus credentium conuerſus eſt ad Dominum, ad quos Eccleſia, quæ Ieroſolymis erat, miſit Barnabam, qui accito ex Tarſo Paulo, Antiochiæ tantam appoſuere turbam Domino, vt cognominarentur primùm Antiochiæ Diſcipuli, *Chriſtiani*, Actor. 11. Ac ſequentibus capitibus cap. 13. 14. 15. 16. 17. 18. & ſequentibus narratur Euangelij propagatio per Syriam, Aſiam, Troadem, Macedoniam, Thraciam, vſque ad Philippenſes, Theſſalonicenſes, Corinthios, Cyprum, Rhodum, Cretam, Melitam, Syracuſas, Rhegium, Puteolos, ipſamque Romam. Cuius Eccleſiæ fidem [illegible] tunc in vniuerſo orbe annunciatam fuiſſe Paulus atteſtatur, Rom. 1. Ac ex eo tempore illi vniuerſi & ſoli de vera Chriſti Eccleſia habiti ſunt, qui eidem fidelium ſocietati adiuncti fuere, nec ab ea per hæreſes aut ſchiſmata receſſerunt, aut peccatorum grauitate per excommunicationem eiecti ſunt. Cuius ſocietatis Vicarium, fundamentum, ſiue primum rectorem, Chriſtus Petrum conſtituit, dicendo: *Paſce oues meas* Ioan. 21. vti promiſerat Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petrã ædificabo Eccleſiam meam.* Alios quoque eiuſdem Eccleſiæ rectores Apoſtolos, & Epiſcopos Petro adiunxit, Act. 20. *Attendite gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei*, vtique viſibilem, quam alioqui regere non potuiſſent, ſi inuiſibilis extitiſſet. Neque enim corripi vel eijci poſſunt inuiſibilia Eccleſiæ membra; neque audiri vel adiri poteſt Eccleſia inuiſibilis, vt ad eam contumax deferatur. Cùm ergo Chriſtus Eccleſiam audiri corripientem, eique nos obedire, & ad eius tribunal fidelium cauſas referri voluit, indubitãter viſibilem eſſe, manifeſtauit. Et Paulus Act. 15. deducitur ab Eccleſia; confirmat & viſitat Eccleſias; Apoſtolorum Seniorúmque mandata perfert ad Eccleſias: ſcribit Eccleſiæ, quæ eſt Corinthi, Eccleſiis Galatiæ. Vtque ambigi nequeat de ſignificato Eccleſiæ, ad

Matth. 18.

Actor. 15. 1. Cor. 1. 2. Cor. 1. Galat. 1.

Philippenſes nomen veluti exponens: *Omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu*, inquit, *qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconibus*; inſinuans, ſe nomine *Eccleſiæ* intelligere cœtum fidelium, in quo ſit populus Epiſcopo, aliiſque miniſtris adunatus. Qualem viſibilem Eccleſiam confitetur, ſe aliquando fuiſſe perſequutum: de qua 1. Timoth. 3. *Vt ſcias, quomodo te oporteat cõuerſari in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.* Cuius equidem Domus viſibilem rectorem ſua ætate Damaſum fuiſſe, confitetur in eum locum Ambroſius. Denique in ſcripturis nuſquam *Eccleſiæ* nomen inuiſibili hominum ſocietati tribuitur. Num. 20. *Cur eduxiſtis Eccleſiam Domini in ſolitudinem?* 3. Reg. 8. *Rex benedixit omni Eccleſiæ Iſraël.* 1. Machab. 8. *Et ſtatuit Iudas & fratres, & vniuerſa Eccleſia Iſraël.* Iudit. 7. Act. 7.

Actor. 1. 1. Cor. 15. Galat. 1. Philipp. 3.

Vnde aſſimulatur Eccleſia *Soli*, qui latere non ſolet: Pſalm. 18. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*: quia Eccleſia occultari nequit. Auguſtinus tract. 2. in epiſt. Ioan. & epiſt. 166. Alibi comparatur Eccleſia *viſibili Ciuitati*. Matth. 5. Pſal. 47. Iſaiæ 61. quæ viſibili hominum miniſterio ædificatur, Epheſ. 4. Item *monti conſpicuo*, Iſaiæ 2. Micheæ 4. Daniel. 2. vel *ciuitati ſupra montem poſitæ*, Matth. 5. Auguſtinus lib. *de vnit. Eccleſia* cap. 12. lib. 13. *cont. Fauſt.* cap. 13.

Præterea in Euangelio Eccleſia comparatur *Areæ, Reti, Ouili, Conuiuio, Regno*. Quæ omnia vt ſunt viſibilia, ita quoque conſpicuam eſſe Chriſti Eccleſiam oſtendunt, Sacramentorum viſibilium conſortio nexuque colligatam. In nullum ſiquidem religionis nomen, ſeu verum, ſeu falſum coagulari homines poſſunt, niſi viſibilium ſignorum cõſortio vinciantur; vt docet Aug. lib. 19. *cont. Fauſtum* cap. 11. Adeóq; viſibilem Eccleſiam eſſe Chriſtus docuit, vt Matth. 23. eius rectores ſuper Cathedram Moyſi ſedere dixerit, eóſque quamuis non facerent quod docerent, audiri præceperit. Hinc leproſos ad Sacerdotes miſit: quos ipſe quoque Dominus honorauit, eiúſque mater MARIA, Simeon, Anna, & ceteri eius temporis iuſti cum eis communicarunt, eodem tẽplo, eiſdémque ſacrificiis vti ſunt; nos inſtruentes, neceſſariũ eſſe, Capiti & præfectis Eccleſiæ adhærere; illis obedire, membris ceteris pacificè communicare, in Eccleſia perſeuerare, nec prætextu malitiæ aliquorum licere ſe ab Eccleſiæ corpore nefario Schiſmate diuellere, quia extra Eccleſiam nulli ſperanda ſit Salus; vt admonet Cyprianus lib. *de ſimplic. Prælatorum*. Hieron. in epiſt. *ad Damaſum*. Aug. lib. 4. *de Bapt.* cap. 1.

Vnanimi quoque conſenſu Veteres apertè tradunt, Eccleſiam viſibilem eſſe. Cyprianus lib. *de vnit. Eccleſiæ* Orig. hom. 30. in Matth. Aug. lib. *de vnit. Eccleſ. cont. Parmen.* lib. 3. c. 5. Ceterùm inquiret aliquis, cur in Symbolo profiteamur, nos Eccleſiam credere, non autem videre? RESPONDEO, vnam Chriſti veram Eccleſiam videri, & credi, ſicut Apoſtoli eundem Chriſtum in terris viderunt, & in eum crediderunt. Hominem enim Chriſtum Diſcipuli oculis cernebant, eíque viſibili ſocietate communicabant: attamen hunc eundem IESVM B. Virginis Filium, Deum non eſſe non videbant, ſed credebant. Neque propterea duplicem Chriſtum fecère; ſed nonnulla ad externam hominis formam pertinentia oculis cernebant; aliàs verò ad maieſtatem Diuinitatis ſpectantia credebant.

Quomodo Eccleſia videatur, & credatur.

Idémque Christus permanens secundùm externa oculis corporis inspiciebatur: secundùm interiora verò, solis fidei oculis credebatur. Ad eundem planè modum de Christi Ecclesia quippiam videmus, aliud verò credimus. Hominum enim cœtum, qui est Ecclesia, videmus: sed quòd ille hominum cœtus vera sit Christi Ecclesia, non videmus, sed credimus. Ad fidem enim pertinet, quòd cœtus hominum Christi fidem profitentium sub regimine atque obedientia Romani Pontificis, sit vera Christi Ecclesia: sub qua fidei propositione hanc euidentem subsumimus: Isti qui Romanum Pontificem agnoscunt, cœtus huiusmodi sunt, quod oculis & sensibus percipimus. Ex quibus duabus propositionibus, altera Fidei, altera euidenti, conclusionem partim inuidentem inferimus: Ergo isti homines, qui nunc fidem Christi profitentur, sub obedientia & regimine Pontificis Romani sunt vera Christi Ecclesia: cui proinde visibiliter adhærere atque communicare tenemur. *Non* enim *Deum habebit patrem, qui Ecclesiam non habuerit matrem.* Quòd ergo hic cœtus sit vera Christi Ecclesia, quòd in eo solo vera pietas & sanctitas reperiatur, quòd fide, spe, & charitate Christo adhæreat, quòd huius sui mystici corporis Christus caput & Saluator sit, quódq; omnium huius corporis membrorum quædam sit interior connexio, dependentia, mutuorúmque officiorum communicatio; non videtur, sed creditur. Quemadmodum Baptismi Sacramentum, id est, Aquæ aspersionem & verborum prolationem oculis videmus: sed quòd illa aquæ aspersio, verborúmque certorum prolatio Christi verum Sacramentum sit; oculis non cernimus, sed fide credimus. Non igitur absurdum censeri debet, quòd circa rem vnam diuersa consideratione versetur fides & aspectus. Nec propterea res vna dicetur duplex, aut simpliciter visibilis, & inuisibilis, (contradictoria enim in idem, secundùm idem cadere nequeunt,) sed res verè asseretur visibilis, etiamsi quadam sui consideratione sit inuisibilis.

CAP. CCCVII.

Vtrùm Christi Ecclesia ab initio mundi semper visibilis fuerit.

Ecclesia Christi ab initio mũdi visibilis.

QVemadmodum à lapsu generis humani vera religio & fides vnius Dei, vniúsque mediatoris Dei & hominum IESV CHRISTI in Carne venturi hominibus inspirata fuit: ita quoque fidei eiusdem professio certis visibilibus Sacramentis & Sacrificiis facta fuit. In nullum enim religionis nomen homines coalescere possunt, nisi aliquo visibilium signorum consortio colligentur. Vndè Historia Geneseos tradit, proprios fratres Cain & Abel Deo sacrificium obtulisse, quos omnes postea iusti sunt imitati: vt de Enos, Henoch, Noë, Iob, Melchisedech, Abraham, Isaac, Iacob legimus, vt reliquos Dei cultores idem fecisse subintelligamus. Quibus sacrificiis in animalium sanguine, aut frugum incensione, vel aliarum rerum oblatione factis, adumbratur oblatio Christi, qua placandus erat Deus, auferendáque peccata mundi. Sicut autem veram religionem & fidem, illiúsque professionem ab initio fuisse constat; ita quoque Scriptura discretionem fuisse regni Christi seu Ecclesiæ, à regno Diaboli siue impiorum societate manifestat; sedulo digerens

Sicut vera religio, ita eiusdẽ professio ab initio mundi.

ſeriem generationum fratricidæ Cain, qui fuit pater ciuium, amatorúmque mundi; & Seth, à quo propagata eſt ſacietas filiorum Dei, in qua veluti pietatis ſchola, ex certa quadam diſciplina Deus inuocabatur, externiſque ritibus colebatur. Ac tandem licet nonnulla horum & illorum permixtio ſequuta ſit, nunquam tamen filiorum Dei ſocietas planè defecit; ſed à Seth vſque ad Noë virum iuſtum & perfectum conſpicua remanſit, ac poſtmodum in Sem, Iaphet, Melchiſedech, Abraham, aliiſque iuxta ſacram Hiſtoriam emicuit. Abrahæ verò tempore Dei populus viſibili Circumciſione à cæteris gentibus diſtingui cœpit: à cuius tempore licet in aliis gentibus nunquam aliqui fideles Dei cultores minùs noti defuerint; attamen in Abrahæ poſteritate, ex qua Chriſtus naſciturus erat, ſpectabilior fuit Chriſti Eccleſia, ſeu populus Dei, qui reipſa religionem, quæ CHRISTIANA nunc vocabulo nouo dicitur, tenuit. Nam Sacramentis præfiguratiuis annunciabat futurum, quod nunc aliis Sacramentis profitemur eſſe adimpletum.

Gen. 4. 6. Societas populi Dei, à regno diaboli ſemper diſcreta fuit.

Tempore Abrahæ, illuſtriùs diſcerni cœpit populus Dei.

Sed notabilior adhuc eadem ſocietas facta eſt, quando ex Ægypto admirandis prodigiis eductus Iſraëliticus populus, in Rempublicam erectus eſt, accepta Moſaica Lege, Cathedra, Sacerdotio, Sacrificiis, Feſtis, Ritibus, Ceremoniiſque plurimis. Verùm multò adhuc illuſtrior eſſe cœpit, quando acceſſêre celeberrimi Prophetæ, potentiſſimi Reges, auguſtiſſimúmque Salomonis Templum, cuius fama orbem peruaſit, vt ex aduentu Reginæ Sabæ colligi poteſt.

Chriſtiana religio re, quàm non nomine ab initio Lapſus fuit.

Populus Iſraël in Rep. erectus, leges, Sacerdotiũ, &c. accepit.

At poſt Chriſti aduentum longè adhuc illuſtrior Eccleſia Chriſti, quam priùs effecta eſt, quando per vniuerſum orbem dilatata, omnes Monarchias amplitudine, gloria, & fama, necnon diuitiis ſuperauit: Imperatores potentiſſimos, Reges Monarchas, Duces, ac Principes, filios defenſoréſque habuit; extenſa nimirum ab Oriente vſque ad fines Occidentis, à meridie vſque ad ſeptentrionem: iuxta illud Apoſtoli ad Roman. 1. *Fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo.* Et: *In omnem terram exiuit ſonus eorum*, Roman. 10. pite decimo. Ac pulchrè ad Roman. tertio, inſigniter conſpicuam Chriſti Eccleſiam eſſe factam docet, per manifeſtationem iuſtitiæ Chriſtianæ in vita & moribus hominum. Tunc enim virginitas & cœlibatus vigere cœperunt, rerum caducarum abiectio, cæleſtium amor: tunc Eremitarum, Monachorúmque ſurrexere greges Monaſteriorum religioſarum perſonarum, tam feminei, quàm maſculini ſexus, infinitus penè numerus. Quibus acceſſit exterior forma gratiæ noui Teſtamenti congruens, vt per omnes nationes, & gentes diffuſa in vnitate, per vnum ſúpremũ viſibile caput (cui ſuprema regiminis Eccleſiaſtici poteſtas à Chriſto tributa eſt) contineri faciliùs poſſet, cooperantibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Doctoribus, Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Curatis, aliiſque omnibus Eccleſiæ miniſtris: & potiſſimùm adiuuante ampliſſimo Cardinalium Senatu, conſtante ſanctiſſimis, doctiſſimis, ac vſu rerum exercitatiſſimis viris, ex omni Orbis Chriſtiani natione delectis. Quorum omnium Eccleſiæ miniſtrorum multitudo & amplitudo tam conſpicuam efficit Chriſti Eccleſiam, vt ab initio mundi nulla fuerit in terris ſpectabilior, illuſtrior, aut toti mundo notior Monarchia.

Eccleſiam conſpicuã reddit manifeſtatio iuſtitiæ.

Exterior forma eccleſiã reddit conſpicuam.

Nulla Monarchia fuit Eccleſia Chriſti ſpectabilior.

Poſt Chriſti aduentũ illuſtrior quam priùs Eccleſia.

Postremò, quòd omni tempore Ecclesia siue populus Dei fuerit conspicuus, demonstrat impiorum persequutio. Nam ab Abele primo Martyre, ciuitas diaboli semper populum Dei persecuta est: quod patet in Cain & posteris, qui posteros Seth, filios Dei impugnarunt, vsque ad tempora Noë: quibus diluuio extinctis impius Cham iusto Noë illusit, ac ex eo natus Nemroth iustos filios Sem oppressit: postmodúmq; filij carnis, semper filios spiritus oppugnauerunt, vt patet in Ismaële persequẽte Isaac, in Esau cõminante necem Iacob, in Ægyptiis nitentibus opprimere Israëlitas, in Phylistęis aliisque infidelibus populo Iudaico semper infestis; ac Christo præsente, carnales Iudæi eum vsque ad crucem insectati sunt, Apostolósque deinde ipsius partum occiderũt, partim alio fugere compulerunt, & Ecclesiam Christi nascentem, crescentem, & adultã, Reges, Principes, Populi, & Priuati expugnare omni arte tentarunt: sed aduersus vniuersa huius mundi mala, persecutiones, hæreses, peccata, & quæcumque diaboli machinamenta, tanquam inexpugnabilis arx in rupe fundata, inuicta permansit. Iuxta illud Christi Matth. 16. *Porta inferi non præualebunt aduersus eam.* Visibilis ergo semper Christi Ecclesia fuit: quod enim inuisibile est, nemo persequitur.

Persecutio Ecclesiæ conuincit esse visib.

Carnales persequuntur spirituales.

CAP. CCCVIII.

Vtrum Ecclesia visibilis deficere possit?

CVm priuilegia veræ Ecclesiæ à Christo concessa, visibili Ecclesiæ militanti, non autem alicui inuisibili (qualis nulla est) conueniant; manifestè conuincitur, dici non posse, quòd visibilis Christi Ecclesia deficere possit, non autem inuisibilis. Quòd autem scriptura visibili Ecclesiæ promissa facta doceat, euidẽter ostẽdit illud Christi Matt. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram* (id est, te Petrum) *ædificabo Ecclesiam meam*: id est, Rempublicam Christianam. *Et tibi dabo claues regni cælorum*, id est, super te ædificabo Ecclesiam, constituendo te fundamentum, caput, supremum gubernatorem omnium Christianorum, plenitudine potestatis spiritualis ad Ecclesiæ regimen necessariæ tibi cõcessa; hoc enim claues insinuant. *Et quodcumque solueris*, &c. id est, quæ in terris ex hac potestate gesseris, leges ferendo, dispensando, censuris innodando, aut quacumque alia ratione impedimenta salutis amouendo, *soluta* vel *ligata erunt in cælo*, id est, tua facta tanquam mei Vicarij rata habebo. *Et Porta inferi non præualebunt aduersus eam*, id est, quæcumque potestates infernales, vt sunt Diabolus, Peccata, Schismata, Hæreses, seculi potestates Christianos persequentes, Hypocritæ, malæ vitæ fideles, doli, fraudes, vis, perfidia, pœnæ illatæ, mors, fames, angustia, gladius, & quidquid nos à Christo separare nititur, nihil omnino horum Ecclesiæ præualebit, sic vt illam scilicet aboleat, vel à veritate abducat. quod rerũ euentus confirmat. Nam Christi Ecclesiæ, neque Paganorum perfidia, neque Persecutorum potentia, neque infidelium hæreticorum fraudulentia huc vsque præualere potuit, neque vnquam præualebit. Impossibile namque est, mentiri fortissimum, omnipotentémque Deum, qui dixit: *Porta inferi non præualebunt aduersus eam.* &c. *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem*

mem seculi. Quem locum de perpetua Ecclesiæ duratione interpretatur August. epist. 80. & Leo epist. 31. Et Apostolus ad Ephesios 4. docet, pastorum & doctorum ministeria in finem vsque seculi perduratura, *in ædificationem corporis Christi, donec omnes occurramus in virum perfectum*, id est, vsque ad consummationem seculi. Hæc autem officia in sola visibili Ecclesia reperiuntur. August. in lib. 22. de ciuit. cap. 15. 17. 18. Idipsum quoque Vates Regius expressit Psalm. 47. *Deus fundauit eam in æternum*, vt in commentario August. exponit. Isaiæ 61. *Omnes qui viderint illos, cognoscent, quia isti sunt semen, cuis benedixit Dominus.* Et Malachiæ 1. *Magnum est nomen in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* An inuisibile est, quod à Solis ortu vsque ad occasum in mensa Domini verò Deo sacrificatur? an ignota hominum societas, vel inuisibiles sunt ministri, qui in omnibus gentibus offerunt? Sanè non per inuisibilem, sed in Ecclesia visibili, & per visibiles sacerdotes, Romano Pontifici adhærentes, à Solis ortu vsque ad occasum in omnibus gentibus Missæ sacrificium Deo viuo & verò exhibetur, & offertur. De quo visibili cœtu hominum Apostolus Rom. 1. ait: *Fides vestra annuntiatur in uniuerso mundo.* Quò & pertinet, quòd Ecclesia vocetur *Regnum*, & quidē instar montis cōspicuum, Danielis 2. nunquam interituru̇m. Luc. 1. *Regni eius non erit finis.* Psal. 88. *Thronus eius sicut Sol.* In quo regno semper vsque ad consummationem seculi, mali & boni permiscendi sunt, quemadmodum in area triticum & palea. Matth. 3. & 13. Item Psalm. 88. Si Ecclesia regnum sit, necessariò visibili hominum congregatione constat, qui se inuicem nouerint, certisque legibus dirigantur, ex quibus aliqui præsint, alij pareant, aliqui doceant, alij discant. Isaias cap. 49. *Ecce dedi te in lucem gentium. Reges videbunt, et consurgent. Erunt reges nutritii tui, & regine nutrices tue,* &c. & cap. 59. *Spiritus meus qui est in te, et verba mea que posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo & vsque in sempiternum.* Vnde liquet, Ecclesiam visibilem non defecturam, quam Daniel comparat *Monti omnem terram replenti*, Isaias verò atque Micheas *monti conspicuo, illustri, manifesto*: quam Christus Mat. 18. omni tempore audiri iussit. Non enim vna ætate solùm habuit locum: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sanquam Ethnicus et Publicanus*, sed quamdiu erant corripiendi in Ecclesia, omni videlicet ætate. Ac Lucæ 10. addidit Dominus: *Qui vos audit, me audit.* & Matth. 23. *Quæcumque dixerint, facite.* Si Ecclesia visibilis errare posset, sanè Christus eam audiri non præcepisset, multò minùs omnia, quæ diceret, fieri statuisset. Donatistæ olim, sicut nunc sectarij, visibilem Ecclesiam perijsse, ac in paucis tantùm in Aphrica iustis remansisse contēdebant: contra quos August. lib. *de vnitate Ecclesiæ*, capit. 19. differens: *neque*, ait, *tot testimonijs commendaretur, quod erat citò periturum, & sic taceretur, aut quod solum esset relinquēdum, aut ex quo solo totum esset reparandum.* Et ex professo illud commentum lib. *de vnitat. Ecclesiæ*, in Psalm. 101. conc. 1. in Psal. 147. epist. 48. & pluribus alijs locis confutat. Hieron. contra Luciferianos de sua paucitate gloriantes, ac in sola Sardinia Ecclesiam remansisse fabulantes, eos Christi Crucem euacuare scribit. Tertul. li. *de præscript.* fieri non posse dicit, quòd omnes Ecclesiæ, aberrēt,

Daniel. c. 2, Isaiæ 2. Micheæ 4.

nullámque Spiritus sãctus respiciat. Nestorij superbiam Vincentius Lyrinensis in suo Commonitorio notat, dicentis, Ecclesiam in mysterio Incarnationis cæcos doctores fuisse sequutam.

Præterea impossibile est, veram Christi in terris Ecclesiam omnino visibili forma carere. Nam homines, qui Ecclesiam veram hîc constituunt, vel palàm fidem suam confitentur, & idololatriam fugiunt, aut non. Si profitentur, iam conspiciuntur ab ipsis tyrannis, qui eos persequuntur: si non profitentur fidem, sed ea corde retenta idololatriam & hæreses profitentur; iam non sunt Christi vera Ecclesia, in qua *corde creditur ad iustitiam, ore verò confessio fit ad salutem*. Ro.10. Et, *qui me negauerit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo*. & Matth.10. Quare si professio fidei, verbíque Dei prædicatio in terris desit, consequitur, nullam in terris esse veram Christi Ecclesiam, inferíque portas aduersus eam præualuisse, atque Christi Regnum dissipatum esse: quod nunquam futurum Danielis nono luculenter asseritur.

Porrò Christi regnum exigit, vt specie quadam visibili cœlestem prę se politiam ferat, ex qua Christum ibi regnare intelligi possit. Forma verò hæc visibilis Ecclesiæ quando maximè floruit, & iuxtà Prophetarum vaticinia Reges, populi, Gentésque ad illam confluxerunt, & diaboli, infidelitatísque dominium oppressum iacuit, prorsus eadem fuit, quam modò cernimus. Tempore siquidem Constantini templa, in eísque altaria fuerunt: populi ad sacrificium, quod ibi quotidie offerebatur, conueniebant: pro vitijs & defunctis orabant: Clericorum ordines erant varij: in Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, inferiorísq; gradus distributi. Apparebat Ecclesiæ disciplina per excõmunicationes, degradationes, per satisfactiones, laboriosásq; pœnitentias: reconciliabantur pœnitentes: baptizabantur adhibitis exorcismis, aliísque ceremoniis, infantes renati per Episcopos chrismate consignabantur: florebat monastica vita: honorabatur virginitas Deo consecrata: Christi sanctorúmq; imagines in templis cernebantur: ieiunium quadragesimæ, atque quatuor temporũ, magna religione ab omnibus fidelibus obseruabatur: necnon primaria festa, quæ hodie celebrantur. Ac inter cetera quoque plurimùm eminebat ab ipsa Petri sede continua Episcoporum successio: quorum sententiis hæreses damnabantur, ac eorundẽ authoritate vniuersa Christi Ecclesia regebatur, cohærentibus sibi obedientiæ, concordiæque vinculo inferioribus sacerdotibus, populíque Christiani gubernatoribus: extabant Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, aliíque inferiores Ecclesiæ ministri.

Hæc exterior Ecclesiæ forma sub omnibus Christianis & fidelibus Imperatoribus, & Regibus, aliísque Principibus Catholicis vbiq; terrarum conspicua fuit: quod ex omnibus historiis & veterum scriptorum libris, qui priscis temporibus floruerunt, adeò perspicuum est, vt extremæ ignorantiæ aut impudentiæ fuerit, ea de re ambigere aut contendere. Imò licet hanc exteriorem Ecclesiæ formam nostræ ætatis hæretici tolerare nolint, illam tamen inuiolatam magna ex parte veteres hæreses reliquerunt, vt homil.19. *in opere imperfecto* in Matthæum apud Chrysost. legere quis poterit: vbi in vestimentis ouium hæreticos venire dicit, quia ichema Christianitatis

præ se ferant, habendo sacerdotij ordinem, altare, sacrificium, Baptismum, Scripturas, &c.

CAP. CCCIX.

Quòd Ecclesia persecutionibus non obscuretur.

ECclesia vera super Petrum fundata, quæ à Tyrannis, hæreticis, aliisque hostibus acriter impugnatur, non tamen aduersitatibus euertitur, aut minuitur, quin potiùs firmatur & augetur, nec solùm non obscuratur, sed etiam illustratur, quoniam in suis fortissimis, sapientiæ, confessionis, patientiæque luce resplendet. Vndè Hieronymus in epist. Cõtra error. Ioan. Ierosolym. *Persecutionibus*, ait, *Ecclesia creuit, martyriis coronata est.* Tertullian. in Apologetico: *Plures efficimur, quoties metimur: semen est sanguis martyrum, grana multiplicatæ in agro Dominico resurgũt.* Prudẽtius hymno 4. *Martyrum semper numerus, sub omni grandine crescit.* Hilar. lib. 7. de Trinit. *Ipsa est, quæ dum persecutionem patitur, floret, dum opprimitur, crescit, dũ arguitur, intelligit: tunc stat cùm superari videtur.* August. lib. 5. *de ciuit.* cap. 18. Leo serm. 1. de Petro & Paulo: *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur: et grana quæ singula cadunt, multiplicata resurgũt.* Cyprianus in serm. *De lapsis*, sui temporis Christianos laudat, qui persecutionis vrgentis ferociam, stabili cõgressione fregerunt. Iustinus cõtra Triphonem dicit, persecutionem id esse Christi Ecclesiæ, quod putatio in vitæ. In cuius rei typum Israëlitæ quo magis opprimebantur, eò magis augebantur. Exodi 10. Bedâ in Cantica c. 5. Chrysost. hom. 4. in c. 6. Isai. Bernard. serm. 76. in Cantica: *Nec verbositate Philosophorum, nec cauillationibus hæreticorum, nec gladiis persecutorum potuit Ecclesia, vel aliquando poterit, superari.*

CAP CCCX.

De notis Ecclesiæ, per quas videtur.

QVemadmodum Christus in terris conuersãs, per sui corporis lineamẽta oculis corporeis videbatur, & ab aliis hominibus discernebatur: sed per opera, quæ foris edebat, se Deum esse demonstrabat (quod nõ cernebatur oculis corporis, sed oculo mentis fideiq; credebatur: ita Christi corpus mysticum Ecclesia in terris militans, externam habet formam, per quam veluti cõspicuis sensui nostro notis videtur, atq; ab omnibus aliis conuenticulis, discernitur, ita vt certa fide credere debeamus, hunc ipsum cœtum, in quo notas à scripturis & symbolo expressis oculis intuemur, esse verã Christi Ecclesiam. Quemadmodum enim Christo in terris visibiliter cõuersante non sufficiebat in genere aliquẽ Christum credere, sed oportebat certo iudicio sibi persuadere, hunc IESVM, in quo signa videbantur (ex quibus meritò credendum erat, quòd ipse Christus esset) verũ esse Christũ, à Deo promissum. Sed vt Christus tũc ab ijs, qui amabant & oderãt, videbatur, sed non æquè agnoscebatur: ita nũc Ecclesia Christi vera, tam ab impiis, quàm iustis, oculis aspicitur, sed sub propria notione à solis amatoribus agnoscitur, qui certas eius tesseras veluti propria delineamẽta cernunt, & diiudicant. Non enim desunt, qui Ecclesiam videãt, vt lupus ouem, qui insita rabie ad eam dilaniandam incitatur, sicut

Iudæi Christum intuebantur, clamantes, *Crucifige eum.* Alij verò & oculis contuentur, & corde agnoscunt, mentisque iudicio amant, & piæ voluntatis studio sequuntur, vt prosequitur Augustin. in Psal. 149. istud illustrans exemplo eorum, qui Matt. 21 dixerunt: *Ecce hic est hæres: venite, occidamus eum.*

Notæ Ecclesiæ quatuor.

Ceterum licet variæ sint Ecclesiæ notæ, quibus ab omnibus aliis hominum cœtibus discerni possit, attamen eas ad quatuor in Symbolo Constantinopolitano assignatas reuocabimus, videlicet, quòd sit *vna, sancta, Catholica, & Apostolica.*

De vnitate.

Porrò vnum multipliciter dicitur: primùm numero: sic Ecclesia vna est, quia non plures: quæ tamen proprietas per seipsam non reddit Ecclesiam conspicuam. nam & singulis inuisibilibus Angelis hæc vnitas competit.

II. Vnum dicitur aggregatione: sicut aceruus granorum, grex animalium, vnus panis ex multis granis, vnum vinum ex multis acinis.

III. Vnum dicitur apta rerum diuersarum coniunctione, vnione seu dispositione: sicut dicitur vnum corpus, vna vestis, vna domus, vnus mundus.

IV. Vnum dicitur concordia, & animorum consensu: sic *omnium credentium vnum cor* fuisse dicitur, Act. 4.

Quanquam verò his quatuor modis Ecclesia Christi vna dicatur, attamen duobus postremis, tanquam notis vna dicitur, quia ordinatam plurium membrorum vnionem cum suo capite, ac inter se inuicem in ea reperire liceat: ex qua vnitate fluit altera in animorum consensu sita, vt omnes ad eundem finem aspirent, iuxta illud Apostoli Ephes. 4. *Vocati estis in vna spe vocationis vestræ.* Similiter inde consensus emanat in eis rebus, quæ ad finem omnibus propositum destinantur, quæ partim in rebus, partim in factis consistunt: vt scilicet omnes idem dicant, credant, obseruent & faciant, quantum ad ea, quæ Dei cultum concernunt. Iuxta Apostolum 1. Cor. 1. *Vt idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata,* & cap. 10. *Vnus panis, vnus calix.* Sub quibus ceterorum sacramentorum ritus intelligũtur. Ephes. 4. *Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma.* Hanc verò animorum concordiam efficit vnus Spiritus Sanctus, qui totum corpus Ecclesiæ regit, animat, mouet, agit, docet. Ephes. 4. *Vnus Spiritus, vnus Deus, vnus Dominus, vnum caput, ex quo totum corpus cõnexum est.* Quia tamẽ Christus visibiliter hîc in terris remansurus non erat, quò faciliùs concordiæ iura firmarentur, hominum imbecillitati prospiciens, sui loco & vice visibile caput in terris cõstituit, cui omnes familiæ Christi domestici obedire tenerẽtur, vt se facturum insinuauerat Matth. 24. Mar. 13. & Luc. 12.

Ephes. 1.

Vnitas capitis.

Et planè id congruebat, ne rebelles Christiani se cum inuisibili capite absente concordiam habere prætexerent, vtque visibili capite cõstituto, in Ecclesia schismatis tolleretur occasio. Nam *si vnius potestate multitudinis coërceri neque ac audacia, tot nascentur schismata, quot erunt capita.* vt Hieron. *cont. Luciferianos, & Iouinianum* obseruauit.

Vna ergo dicitur Ecclesia propter vnitatem fidei, doctrinæ, sacramentorum, rituum, rectoris, atque capitis visibilis. *A prima* enim *sui origine Ecclesia perseuerat ministrorum & populorum in ea, quam primùm accepit, religione decurrit,* vt notat Ambros. in Lucam cap. 11.

Vnitas doctrinæ, sacramentorum, rituũ. rectoris.

Animorum concordia vndè profluat.

Quòd autem animorum concordia signũ sit Regni Dei, & discordia regni diaboli, attestatur Dominus

Concordia signum Regni Dei.

Matth. 12. *Omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur.* 1. Cor. 14. *Non est dissensionis Deus, sed pacis.* Ioan. 13. *In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei estis, si pacem habueritis ad inuicem.* Augustinus lib. 18. *De Ciuit.* cap. 52. ait, diabolum per hæreticos efficere conatum, vt in Ecclesia liberæ forent dissensiones, quomodo in Academijs Philosophorum, quæ mutuis dissensionibus consumptæ sunt. Sed à Deo authoris pace aliter prouisum est, quoniam omnes sacri scriptores, & veritatis assertores, licet diuersis locis, temporibus, & linguis scripserint, tamen in omnibus fidei dogmatibus tanquam vno Spiritu loquuti, per omnia consentiunt. Similiter omnia Conciliorum Pontificúmq; decreta contra diuersissimas, imò sæpe contrarias hæreses edita, planè consonant: ac in vniuersum omnes per Orbem Catholici de omnibus fidei dogmatibus idem sentiũt, cùm sensum suum vnius summi Pastoris Ecclesiæ iudicio subijciant.

Diabolus liberas efficere dissensiones conatur.

Aug. li. 18. de ciu. c. 41. Iren. lib. 1. cont. hæreses c. 3. 5. & 8.

CAP. CCCXI.

De Paganorum & Hæreticorum discordia.

IN Paganorum, Philosophorúmq; sectis nulla est vnitas, nulla consensio; imò ab eisdem in eadem religione Dij constituuntur inter se dissentientes, vt serm. 11. *de Verbis Domini* August. ostendit.

Dissensio Paganorum.

Quanta verò inter Philosophos dissensio fuerit, declarat Augustin. lib. 18. *De Ciuit.* cap. 41. Theodoretus lib. *de fide.* Basil. orat. 1. *de opere sex dierum.*

Dissensio Philosophorum.

Porrò inter Hæreticos nullam esse concordiam, imò vnam hæresim in plures mox diuidi, omnium temporum Historiæ tradunt. Irenæus lib. 1. aduersus hæreses Simonis Magi, primi Hæresiarchæ sectam, in varias partes statim fuisse concisam demonstrat. Idem de Valentinianis refert lib. 1. ca. 5. De Donatistis Augustinus lib. 1. de Baptismo cap. 6. De Martionitis Epiphanius lib. 1. hæreseon. De Montanistis idipsum ostendit. De Manichæis Augustinus hæresi 46. De Messalianis Epiphanius hæresi 80. De Arianis, Ruffinus lib. 10. Histor. ca. 25. scribit, confestim diuisos fuisse in Acacianos, Macedonianos, Eunomianos. Hilarius lib. ad Constantium ait, singulis ferè annis nouam fidei professionem edidisse. Eutychiani & Nestoriani omnes penè Orientis sectas peperere, teste Euagrio lib. 3. & 4. Denique Lutherani vix nati, secti sunt in Anabaptistas, Confessionistas, Sacramentarios, Seruetianos, Caluinistas, rigidos & molles Lutheranos, ac propemodum in sectas infinitas, quas cum luctu grassari videmus. Quæ licet sibi inuicem aduersentur, suíque dissensione se inuicem consumant, & tanquam Ægyptij contra Ægyptios cõcurrant, Isa. 19. (*Bellum quippe Hæreticorum pax est Ecclesiæ*, inquit Hilarius libr. 7. *De Trinit.*) attamen omnes istæ sectæ, veluti Samsonis vulpes caudis ad inuicem colligatæ, catholicæ fidei vnitatem, Ecclesiæque fruges, dissensionis incendio absumere nituntur.

Hæresis mox aliam parit.

Hæreticorum inconstantia in doctrina.

Hæretici contra Ecclesiam cõspirãt, quod in vulpibus colligatis à Samsone adumbratum fuit.

Neque verò mirum sit, diuersas hæreses inter se dissentire, cùm ipsi hæreseon authores secum pugnent, ac sæpe contradictoria scribant, vt in Luthero & Caluino plerique notarunt.

Et quidem Augustana Confessio sæpius mutata, & variè edita est, similiter & Caluini Institutionum libri, vt quæ prima fuerit editio, pe-

Cur inter hæreticos dissensio.

nè ignoretur. Quod eis accidit, quòd infallibilem veritatis autorem & testem non habeant, sed inconstans, mutabile, ac errori obnoxium hominis iudicium. Ecclesia verò Spiritum sanctum, in omnem veritatem dirigentem, habet Magistrum, eique Christus æterna veritas authoritatē dedit, infallibile testimonium de veritate perhibendi.

Ne verò quis obijciat, etiam doctores Catholicos inter se in multis dissentire, sciendum est, distinguendas esse quæstiones fidei ab eis, in quibus salua Christiana fide licet dissentire, quia nondum sint ab Ecclesia definitæ. Sic Act. 15. innoxia facta est inter Barnabam & Paulum dissensio: inter Cyprianum & Stephanum de Baptismo hæreticorum: inter doctores Scholasticos varietas est opinionum. Sed quoniam vniuersi catholici sese matris Ecclesiæ iudicio subijciunt, idem se credere profitentur: & certam habent omnium controuersiarum terminandarum componendarúmq; regulam: ideò ex doctrina Ecclesiæ animorū coniunctio per se nascitur, ex hæresi verò, vbi quisque iudex esse vult aliorum, per se consequitur animorum irreconciliabilis dissensio, indéque diuisiones & schismata, partium studia & bella, sicut ipsa nos experientia docet.

Aug. li. de pecca. orig. c. 23. lib. 1. cōt. Iulian.

Vnde vnitas doctrinæ in Ecclesia?

Ex hæresi pertinaci dissensio, partium studia, & bella.

Ex doctrina Ecclesiæ animorum vnio & pax sequitur.

CAP. CCCXII.

Quod vnitas Ecclesiæ militantis potissimum in coniunctione cum Romano Pontifice consistat.

Vnitas Ecclesiæ requirit vnionem membrorum inter se sub vno capite.

CVm vnio membrorum Ecclesiæ inter se inuicem potissimū ex vnius supremi capitis Ecclesiæ authoritate dependeat, manifestè sequitur, ad Ecclesiæ vnitatem in primis requiri, vt quis supremo Ecclesiæ capiti obedientia sese subijciat, ei connectatur, cohæreat, communicet, suoque loco in corpore mystico, non secus ac quoduis membrum in corpore humano, cōsistat, alterius membri functionem non impedens, ne dolorem perturbationémque pariat. Quod Apostolus ad Ephesios 4. similitudine corporis humani eleganter illustrat, dicens, Christum esse caput, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundùm operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.

QVÆ autem sint membra istius mystici corporis, quæ sibi inuicem iungi debeant, exponit dicens: *Vnus Deus & pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, et in omnibus nobis. Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. qui ascendens in altum, dedit dona hominibus. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram etatis plenitudinis Christi, vt iam non simus paruuli fluctuantes, et non circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris. Creseamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum est per omnem iuncturam subministrationis, augmentum sui corporis facit,* &c. Vbi Apostolus tradit, Christum ascendentem in cœlum, visibiles in terris reliquisse suos vicarios & ministros, per quos Ecclesia doceretur, & sacramentorum ci-

Ephes. 4.

Christus in cœlum ascendens visibiles reliquit Vicarios.

bo pascerentur, ...rtion... veritatis agnitione conci...rentur, detectis errorum magistris, ...rpis & latronibus, qui fideles falsa doctrina, vel morum prauitate corrumpere niterentur. Ac huius rei curam Dominum commisisse ait constitutis pastoribus & doctoribus, qui non vno seculo tantùm perdurarent, sed vsque ad consummationem seculi, quando electorum numerus erit completus, corpúsque Christi mysticum, id est, Ecclesia, ædificari, hoc est, augeri multiplicarique desinet. Tunc non docebit vnus proximum suum, quia cuncti electi limpida veritatis contemplatione perfruentur. Quamdiu verò periculum est, ne circumferamur omni vento doctrinæ, opus est pastorum doctorúmque ministerio, vt in vna fide constantes permaneamus.

Doctores Ecclesiæ perdurabũt vsq; ad consummationem seculi.

Pastorum & doctorũ ministerio vnitas fidei conseruatur.

Quos autem Christus in cœlum ascensurus pastores & doctores totius sui gregis in terra reliquerit, Matth. 28. testatur Apostolis dictum: *Ite, docete omnes gentes.* Et Ioan. c. 21. refert, Dominum Petro dixisse: *Pasce oues meas.* Quibus verbis Christus Petrum totius sui gregis vniuersalem Pastorem fecit, totique Ecclesiæ præfecit, & suum in terris Vicarium esse voluit: eiq; tam oues fœtas & parientes (significantes Episcopos, omnésque inferiores Ecclesiæ ministros.) quàm agnos, id est, laicos fideles cuiuscúmque generis, ei subiecit, obedirèque decreuit, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio. Alioqui enim Pastores & Episcopi dissideret, pluréseque in Ecclesia magistri fierent, Iac. 3. Nam in multitudine nisi exsors quædam vni potestas competat, qua omnibus imperare possit, tot erunt schismata, quot capita, & nullus erit ordo: sed quemadmodum apud dæmones, sempiternus horror & perturbatio.

Petrus Christi Vicarius instituitur.

Vniuersi fideles súmo Ecclesiæ pastori subijci debẽt.

Plures magistri excludũtur.

Quod autem primatum Petro datum noluerit Dominus eo moriente extingui, sed ad eius successores transire, manifestum est ex illis Matth. 16. verbis: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* id est, super te Cepham siue Petrum, Rempublicam Christianã fundabo, ita vt tu sis Ecclesiam tuo & successorum ministerio aucturus, confirmaturus, & vsque ad seculi finem gubernaturus, ac in vnitate conseruaturus. Hinc lib. *de vnitate Ecclesiæ* Cyprian. *Vt Dominus vnitatem manifestaret, vnitatis originem ab vno incipientẽ authoritate sua disposuit.* Et Optatus li. 2. cõt. Parmenian. dicit, Petrũ Apostolorum primũ in Episcopali Cathedra Romæ resedisse, in quo vno cathedræ vnitas ab omnibus seruaretur. Vndè illam Ecclesiam Cyprianus libr. 1. epist. 3. vocat *principalem.* Libr. 4. epist. 2. dicit *vnum Episcopatũ multorum Episcoporum cõcordi numerositate diffusum.* Ab hac sacerdotij vnitate originem à Christo per Petrũ habente, docet idem Cyprianus: *Ecclesiam vnã* dici, Lib. *de vnitate Eccles.* Et Leo epist. 84. & sermon. 3. de sua ordinatione: *Licet vniuersa Ecclesia distinctis ordinata sit gradibus, vt ex diuersis membris sacrati corporis integritas subsistat, nos tamen omnes, sicut ait Apostolus, in Christo Iesu vnũ sumus, nec quisquam ab alterius ita diuisus est officio, vt non ad connexionem pertineat capitis cuiuslibet humilitas portionis.* Augustinus lib. 1. *de doct. Christ.* c. 16. *Ecclesia corpus est Christi: corpus ergo suum multis membris diuersa officia gerentibus modo vnitatis & charitatis astringit.*

Primatum Petri Dominus cum Petro extingui noluit.

Cypr. lib. 1. epist. 3. li. 4. epist. 2.

Cathedræ vnitas in Romana sede.

De hac eadem vnitate disserit Prosper in epist. ad Demetriadem, & Gregorius homil. 6. in Ezechielem. Bernardus autem libr. 3. ad Eugen.

Prosper in epist. ad Demetriade in Greg. hom. 6. in Ezech.

scribere non dubitauit, ita hîc sub vno summo Pontifice, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, Presbyteros vel Abbates, reliquósque in hunc modum ordinatos, quomodo Seraphin & Cherubim, cæteríque vsque ad Archangelos & Angelos sub vno capite Deo sunt ordinati. Vndè Leo epist. 87. exortem esse mysterij diuini scribit eum, qui ausus sit à Petri soliditate recedere. Et Hieronymus in epist. ad Damasum: *Si quis cathedræ Petri iungitur, meus est: beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri consocior.* Et in Epitaphio Marcellæ, Romam esse tutissimum contra hæreses refugij portum docet. Irenæus libr. 3. *cont. hæreses* cap. 3. ad Romanam Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, omnem debere Ecclesiam conuenire asserit.

Sicut in cœlo omnes Deo subijciuntur ita in terris omnes Ecclesiæ ordines Pontifici.

Portus salutis tutissimus est Romana doctrina.

CAP. CCCXIII.

Vnitas Ecclesiæ militantis ex successione Romanorum Pontificum demonstratur.

QVemadmodum vnitas regni & familiæ ex successione capitum sibi inuicem succedentium ostendi solet: ita Ecclesiæ vnitas ex successione Romanorum Pontificum sibi inuicem continuè in Petri Cathedra succedentium euidenter comprobatur. Nam quemadmodum ad Christi ouile non pertinuerunt, qui se à Petro cunctarum ouium Christi pastore diuiserunt (vt Simon Magus, & alij hdei hostes) ita & hodie ab Ecclesia communicuntur esse alieni, quicumque Petri & successorum eius cathedræ non communicant, sed vocem Lutheri, Caluini, aut cuiuscumque alterius noui Magistri, spreta Romanæ Ecclesiæ doctrina, excipiunt, audiunt, consectantur.

Successio Romanorum Pontificum.

Nota hæresis est, si à traditione Romana dissentiat.

Vndè certissima Veteribus fuit ad hæreticorum vel schismaticorũ conuenticula dignoscenda, nota & tessera, si cum Petro, aut Romano Pontifice, Petri Successore aliquis communione iungeretur, aut ab eo diuisus alteri societati sese adiungeret, foríque doceret, aut discipulos colligeret, adeò, vt & Apostolus Paulus post annos XIV. à sua Conuersione secundùm reuelationem ascenderit Ierosolymam, vt cum Petro Euangelium, quod in Gentibus prædicabat, conferret, ne fortè Paulo Ecclesia non crederet, si eum à Petro dissentire putaret. Quare & nũc veluti ad Lydium lapidem examinanda est omnis doctrina, vtrùm cum Petri & Romanæ Ecclesię traditione consentiat: quòd si dissentiat, adulterina doctrina est. Ita veteres omnes Ecclesiastici scriptores vnanimi consensu docent. Irenæus lib. 3. c. 3. Cyprianus lib. *de vnitat. Eccles.* libr. 1. epist. 6. Tertullianus lib. *de præscript.* Ambrosius oratione *de obitu Satyri*, Hieronymus *ad Damasum* epist. 57. Augustin. *cont. epistol. fundam* cap. 4. epistol. 165. & alibi. Optatus libro 2. *contra Parmen.* & alij infrà allegati.

Paulus cum Petro doctrinã suam contulit.

Lydius lapis, ad quẽ examinãda est doctrina, Romana traditio est.

CAP. CCCXIV.

Sanctam.

IN symbolo non solùm *vnam* esse profitemur Ecclesiã, sed etiam quòd *sancta* sit. Sanctum autem pluribus modis dicitur.

Sanctitas est nota Ecclesiæ.

Primò, quod Deo consecratum siue dedicatum est. Leuit. 27. *Animal si quis vouerit Domino, sanctum erit.* Ezech. 37. *Inter sanctum et prophanum, non habuere distantiam.*

Sanctum quid significet.

Hac

Hac significatione Israëliticus populus vocatur *sanctus*. Deut. 7. & 14. Exodi 19. Eadem significatione Apostolus Ecclesiam *sanctam* appellat, 2. Corinthior. 1. Colossen. 1. & alibi, quia per Baptismum Deo consecrata sit ad ei iugiter inseruiendum. Et Petrus 1. epist. cap. 2. *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta.* Eadem significatione Templum *sanctum* dicitur Corinthior. 3.

Secundò, *Sanctum* idem est, quod purum, mundum, vt sanctitas immunditi ei opponatur. Sic Apostolus ait 1. Corinth. 7. *Filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* 2. Corinth. 7. *Mundemus nos ab omni inquinamẽto carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Luc. 1. *Vt seruiamus Domino in sanctitate.* 1. Petr. 1. *In omni conuersatione sancti sitis.* Dionysius Areopagita *de diuinis nominibus* c. 12. *Sanctitas est*, ait, *libera perfectáque ab omni scelere mundicia.* Cyrillus lib. 10. in Ioan. cap. 25. *Sanctum est, quod à mundi sordibus longè abest.*

Iuxta hunc modũ Ecclesiam quoque *sanctam* profitemur, quia Deo cohæreat, à mundo sit segregata, quæ sursum sunt sapiat & quærat, non quæ super terram. Qua ratione ab hæreticorum Schismaticorúmque conuenticulis longè abest, quæ non nisi carnalia sapiunt & quærunt.

Ecclesiæ professio sancta est, quoad doctrinam & mores.

Tertiò, *sancta* dicitur Ecclesia, quia omnis eius professio sancta est, nihil falsi aut iniusti continẽs, quantum ad fidei aut morum doctrinam. Sanctissimis enim legibus & sacris ceremonijs, aliisque ad pietatem incitamentis, veram rationem pertingendi ad sanctimoniam tradit.

Sectæ omnes Philosophorum

Qua nota distinguitur Ecclesia ab omni secta Paganorum, Philosophorum, Iudæorum, Turcarum, Hæreticorum atque Schismaticorum, quarum nulla est, quæ non contineat exploratos errores, rectæque rationi aduersantes, quoad doctrinam vel mores, vt Arnobius lib. 4. & sequentibus *contra Gentes*, & Augustinus lib. 7. *de ciuit.* ex professo demonstrant. De Philosophis idẽ ex sequitur Theodoretus libr. 9. de *affect. Grecorum*, ostendens, Lycurgi legibus permitti adulteria, Persarum legibus incestas nuptias cum matre, filia, sorore, Massagetarum legibus, vt senes à propinquis deuorentur, ex turribus deijciantur, aut canibus obijciantur, legibus Scytharum viuos cum mortuis sepeliri, legibus Platonis communionem vxorum, prædicatum, extinctionem conceptuum, cædes, infantium permitti. Alcorano Mahumetis docetur, quòd Iudæi, Christiani, & Turcæ in suis legibus saluentur, & quòd futuræ vitæ beatitudo consistat in cibo, potu, vxorúmque complexu.

& hæreticorum continent errores.

Leges gentium absurda tradunt.

Hæreticorum dogmata continent rationi aduersantia.

Quam autem nefanda hæreses commendauerint, testatur Epiphanius de *Gnosticis* hæresi 26. quòd scortationes probauerint, de Carpocratianis, hæresi 27. quòd omne genus scelerum admiserint. Augustinus hęresi 26. Montanistas refert, obtulisse sacrificium ex sanguine anniculi infantis. Manichæorum deliria recenset Augustinus hæresi 46. Donatistæ seipsos interimebant, aut occidere nolentes interficiebant, vt martyres fierẽt, teste August. epist. 50. Lutherani dicunt, infantes dum baptizantur, audire verbum Dei, credere, Deum diligere: *quod asserere, est iniuriam humanis sensibus facere*, ait Augustinus epistol. 57. Anabaptistæ nocturna conuenticula, in quibus caninas nuptias exercent, celebrant. Caluinistæ docent, omnia necessitate absoluta euenire, Deumque non minùs malorum, quàm

bonorum authorem esse : licitum quoque esse, fidem datam violare. Ergo hæresis doctrina sua pollut, legibus suis bonos mores euertit: sacrificium, quo Deus placatur, è medio tollit: hominibus ad omne genus vitiorum portas aperit, Deũque ipsum omnis sanctitatis fontem, malorum authorem statuit. At Ecclesia nullam turpitudinem, nullum errorem, nihil contra rationem docet, quamuis multa supra captum humanum: quin potiùs mores honestissimos exigit, pacem & concordiam fouet, obedientiam erga superiores, corporis castigationem, ieunia, cælibatum, virginitatem, continentiam, paupertatis voluntariam electionem commendat, ad virtutum, quarumcunque officia, & Euangelicæ perfectionis consilia complectenda hortatur, ac colendi Dei ratione castissima vtitur.

Hæresis polluit, & bonos mores euertit.

Ecclesia nihil cõtra rationem docet.

Proinde meritò sola Ecclesia *sancta* prædicatur. Augustinus libr. 2. *de ciuit.* cap. 28. *Nihil in Ecclesijs Christianis turpe & flagitiosum proponitur, vbi veri Dei aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur.* Et lib. 22. *de ciuit.* capit. 7. *Persuadebatur veritas nouæ consuetudini, sed non contraria rationi.* Lactantius lib. 4. cap. 30. *Sciendum est, illam esse veram Ecclesiam, in qua est religio, confessio & pœnitentia, quæ peccata et vulnera, quibus subiecta est imbecillitas carnis, salubriter curat.* Optatus libro *contra Parmenianum*, initio: *sanctitas Ecclesiæ de sacramentis colligitur. Sancta est Ecclesia in votis, sancta in sacrificijs, sancta in ministerijs, sancta in ceremonijs, sancta in omnibus & singulis obseruationibus, quæ ad Dei cultum ab ea vsurpantur.*

Vera sanctitas in sola Ecclesia.

Quartò, *sancta* dicitur Ecclesia, quoniam in se continet veræ sanctitatis fontem. De quo Zachariæ 13. *Erit fons patens domui Dauid, in ablutionem peccatorum & menstruata.* Qui fons sic in Ecclesia est, vt extra eam vera sanctitas comparari nequeat. Foris sanctitatis species, vestimenta ouium reperiuntur, non autem vera sanctitas. Quod significatur Ezechielis 47. vbi pisces, in palustribus locis consistentes, dicuntur non sanari.

Quintò, *sancta* dicitur Ecclesia, tanquam corpus à suo capite, Aug. in Psal. 85.

Sextò, *sancta* dicitur Ecclesia, vt corpus à spiritu suo, quia Spiritus sanctus Ecclesiam regit, viuificat, continet, sanctificat.

Septimò, *sanctum* dicitur, quod est firmum & inuiolabile. Qua significatione Leges & ciuitatum muri *sancti* dicuntur, necnon homines in iustitia confirmati. Sic Apostolus ait, 1. Corinthiorum 3. *Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est.*

Ecclesia per malos non polluitur.

Sed hîc occurrit DVBITATIO, Quomodo Ecclesia plurimos continens malos, potiùs *sancta* quàm *impura* dici queat? RESPONDENDVM est, Ecclesiam rectè *sanctam* dici, quia in ea sola sit vera sanctitas, multique in ea sancti omni tempore comperiantur. *Melior* autem *est vnus timens Deum, quàm mille impij*, Eccles. 17. Nec putandum est, iustos impiorum permixtione inquinari: quia nemo adultus operibus alterius polluitur, nisi consentiat. Sic enim immundum tangere censemur, 2. Corinth. 6. Apud Hæreticos & Schismaticos autem, nulli verè sancti, sed omnes impij sunt.

Apud hæreticos nullus sanctus.

CAP. CCCXV.

Quomodo sanctitas in anima latens, Ecclesiæ nota constitui possit?

Ecclesia sãctitas in externis virtutum officijs elucet.

QVemadmodum hominis anima per se inuisibilis, ex motu, actionibus, & operibus externis apparet: ita Ecclesiæ sanctitas in externis virtutum officijs relucet, iuxta illud Christi Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* Et Philippens. 2. *Luceris sicut luminaria in mundo.* 1. Petri 2. *Vt ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum.* & c. 4. *Admirantur, non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem.* Quod ab Isaia prænunciatum est cap. 55. *Sicut terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat, ita Dominus Deus germinare faciet iustitiam & laudem coram vniuersis gentibus.* Quod per gratiam noui Testamenti, & prædicationem Euangelij Christi per totum Orbem impletum esse conspicimus. Tunc enim paupertas voluntaria, virginitatis decus, vidualis castitatis obseruatio, coniugalis continentiæ puritas, propriæ voluntatis abdicatio, ieiuniorum assiduitas, vestium, honorum, epularum, pomparum, & caducarum rerum omnium contemptus, vigere passim vbique cœperunt. Tunc modestia, vitæ sinceritas, mutua charitas, mũdissimus Dei cultus, abiecto carnali Iudæorum, & impuro Gentilium ritu in omnibus gentibus effulserunt, vt ex c. 4. *Actor.* Epistolisque Apostolicis, necnon Ecclesiæ primitiuæ historijs abũde liquet. Quin imò si quis animo reuoluat Ecclesiæ Catholicæ magistros, primùm Patriarchas & Prophetas, deinde Apostolos, aliósque Christi discipulos, qui per vniuersum Orbem Euangelicam doctrinam seminarunt, ac Doctores, qui contra singulas hæreses pro veritatis elucidatione dimicarunt, necnon institutores singulorum religiosorum Ordinum: eos omnes tam pios, sanctos, à Deo illuminatos, castos, sobrios, humiles, rerum futurarum amatores, præsentiúmque contemptores fuisse deprehendet, vt nihil vel ab hostibus fidei, nisi nimia sanctitas reprehendi possit. Sicut de sui temporis Monachis attestatur B. Augustinus lib. *de moribus Ecclesiæ* cap. 31. & ca. 34. vbi contra Manichæos disserit, qui solùm in vitia quorundam Catholicorum intenti, oculos à consideratione virtutum in plurimis coruscantium auertentes, persuadere nitebantur, Catholicos omnes improbos esse. Quẽ verò perpetuum esse hæreticorum morem idem August. in epist. 137. tradit: ideóque hæreticis obijci crimina minùs conuenire dicit, quibus securè obijci possit, quòd non sint Catholici, quia mala vita hæresim aut schisma non conuincat, cùm in Ecclesia non desint, quorum vituperanda sit vita.

Ecclesiæ magistri sanctissimi, & à Deo illuminati fuere.

Hæretici in vitia paucorum intenti.

Ex quo tamen consequens non est, sanctitatem non discernere Christi Ecclesiam ab impuris hæreticorum, schismaticorúmque conuenticulis, quia bona vita non nisi intrà Ecclesiam agitur mala verò intus & foris. Vndè in Ecclesia semper multi sunt sancti, quamuis permisceantur aliqui mali: sed ex hæreticis nullus omnino est sanctus, aut absolutè bonus. Quod ex decursu vitæ Catholicorum animaduerti potest.

Ecclesiæ magistri quales.

Quales enim primi Ecclesiæ magistri fuerint, historia sacra exponit. Qualibus verò post Apostolos plãtatoribus, rigatoribus, ædificatori-

bus, pastoribus, nutritoribus sancta Christi Ecclesia creuerit, Ecclesiasticæ Historiæ tradunt. De qua re loquens Aug. libr. 2. in Iulianum: *Isti sunt*, ait, *Episcopi & Pastores docti, graues sancti, veritatis acerrimi defensores.* Cyprianus lib. 4. epist. 2. Episcopos fuisse ordinatos dicit, ætate prouectos, fide integros, in pressura probatos, in persecutione proscriptos. E contra verò Gentilium doctores fuerunt aut Poëtæ leues, aut Philosophi superbissimi, vt Theodoret lib. *de Legibus* ostendit.

Gentilium doctores leues, superbi, impuri.

Hæresiarchæ verò ad vnum omnes ex ambitione, fastu, auaritia, odio vel inuidia exorti sunt, adeò vt Augustl. lib. *de pastoribus* c. 8. intrepidè asserat, quòd vna Mater SVPERBIA omnes hæreses genuerit. Id quod de Simone Mago, Ario, Nestorio, Pelagio, Luthero, Caluino, & alijs, historiæ illorum vitam describentes attestantur. Vide Bellarm. lib. 4. *De Ecclesia* c. 13.

Superbia hæresis mater.

Elucet insuper Ecclesiæ sanctitas ex veris miraculis, à plerisque Sanctorum in suæ fidei & doctrinæ confirmationem, Deo assistente patratis, qualia nunquam ab Ethnicis, Turcis, Iudæis vel Hæreticis facta esse constat, sed per solos veræ DEI Ecclesiæ ministros. Quibus admirandis operibus se in Ecclesia Catholica retentum fuisse, confitetur Augustl. lib. *contra epist. Fundament.* c. 4. & 5. Lib. *de vtilit. credendi* c. 14. & 17. totúmque mundum ad fidem fuisse miraculis perductum ait idem Aug. libr. 22. *de ciuit.* c. 8. Quando itaque Augustl. lib. *de vnitat. Eccles.* c. 16. & in Ioan. tract. 13. dicit, non esse credendum miracula facientibus, nihil aliud intendit, quàm docere, non esse certum id, quod mirum apparet, statim verum esse miraculum, cui oporteat intrepidè acquiescere.

Ex miraculis sanctitas Ecclesiæ apparet.

Sæpè enim hæreticorum miracula sunt mendacia, speciem diuinæ virtutis habentia, non veritatem. Tertullianus lib. *de præscript. hæret.* c. 30. refert, *eos de vinis mortuos facere.* Quod specialiter Caluino euenisse, scribit Bolsecus *in Vita Caluini*, addens, *quòd insultantem defuncti vxorem Caluinus, tãquam præ doloris magnitudine in furorem actam, abduci curauerit.* Cyrolam, Episcopum Arianum, Valentis Imperatoris filium sanare præsumentem, eiusdem sequuta morte confusum fuisse legimus. Sunt enim miracula extraordinariæ missionis veluti sigilla: secũdùm illud Ioan. 5. *Ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Similia habẽtur Ioan. 10. & 14. Marci vlt. *Prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Hebr. 2. *Constante Deo signis & virtutibus.* Mat. 11. *Renuntiate Ioanni, quæ audiuistis & vidistis*, significans, nihil efficacius ad fidem comprobandam esse miraculis. Inde Christus Ioan. 2. miraculum edendo, gloriam suam manifestasse dicitur: id est, Diuinitatis testimonium protulisse.

Vide Bellarmin. lib. 4. de Eccles. c. 14. Ioan. Lensæum li. 4. de Ecclesia c. 12.

Miracula hæreticorum sunt maleficia.

CAP. CCCXVI.

Catholicam.

Ecclesia est Catholica non Hæreses.

TErtia Ecclesiæ proprietas est, quòd sit *Catholica*, id est, *vniuersalis*, per totum Orbem dispersa. Vnius equidem fidei splendor à Solis ortu vsque ad occasum, per omnia loca, per cunctas hominum nationes, per omnia denique tempora diffusus est. Iuxta illud Act. 1. *Eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudæa & Samaria vsq; ad vltimũ terræ.* Vndè colligit Augustinus, Ecclesiã vocari Catholicam à toto orbe, lib. *de vnit. Eccles.* cap. 2. 3. & 6. epist.

48. 50. 161. & 170. Lib. 4. *cont. Cresc.* capite 60. comparat Ecclesiam arbori, cuius rami per orbem sunt extensi.

Hac itaque nota distinguitur Ecclesia ab omni hæresi, quæ certo loco ebulit, & emoritur. Optatus lib. 2. *cont. Parmen.* vocat Ecclesiam, *Nationalem*, quia per omnes nationes porrecta sit. Pacianus in Epist. 11. *Catholicam* dici tradit, quia per omnes gentes & loca diffusa sit, iuxta illud Apostoli Rom. 1. *Fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo.* Et ad Colossen. 1. *Euangelium in vniuerso mundo est, et fructificat.* Quod Genes. 22. prænunciatum fuit: *In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ.* Et Psalm. 2. *Postula à me gentes.* & Psalm. 35. *Confitebor tibi in Ecclesia magna.* Isaiæ 52. *Redemptor tuus, Deus omnis terra vocabitur.* Et passim scripturæ omnes Euangelicam doctrinam in vniuerso terrarum Orbe prædicandam clamant, Ecclesiamque Christi non fore hic, aut ibi tantùm, sed vbique, semper, & apud omnes nationes. Id enim *Catholicum* vocatur, quod ab omnibus, quod vbique, & semper creditum est. Quod nomen inter cunctas hæreses sola sic Ecclesia retinuit, vt Pagano interroganti, vbinam ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum suam Basilicam ostendere audeat, Augustino teste libr. contra *epist. fundam.* cap. 4. Imò in Psalm. 21. Augustinus eos, qui agnoscere nolunt Ecclesiam per omnes gentes diffusam, ait, cum scripturis debere litigare. Et in Psalm. 101. conc. 2. *contra Donatistas*, fabulantes Ecclesiam in sola Aphrica remansisse, atque Hieronym. *contra Luciferianos*, asserentes Ecclesiam in Sardinia latere, docent ex totius Orbis communione *Catholicam* agnosci. Idem Optatus libr. 2. *contra Parmenianum* confirmat, & Cyrill. Catechesi 18. Pacianus in epist. ad Sympron: *Catholicum nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec hæreticos sumit authores.* Et infra: CHRISTIANVS *mihi nomen est*, CATHOLICVS *verò cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit. Hæresis autem à primo sui dogmatis authore nomen sortitur, nomenque Christianum iis relinquit, à quibus discedit.* Sic 1. Cor. 3. Schismatici dicebant: *Ego sū Apollo, ego Pauli, ego Cephæ. Sūt* enim *distincti cognominibus*, ait Iustinus cōtra Triphonē, *denominati ab hominibus, vt quisq; fuit author nouæ alicuius doctrinæ.* Iren. lib. 1. cap. 20. *Habent nomina à principe impiissimæ sectæ.* Lactant. lib. 4. cap. 30. *Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso, humana & externa vocabula induerunt.* Athan. serm. 2. contr. Arian: *à Christo Christiani sumus & nuncupamur, qui aliunde fidei suæ originem deducunt, meritò authorum suorum nomina præ se ferunt.* Chrisost. hom. 33. in Act. *Ab Hæresiarchæ nomine illi appellantur: nobis autem nullus vir nomen dedit, sed fides ipsa.* Hieronym. cont. Luciferianos: *Sicubi audieris eos, qui dicuntur non à Domino Iesu Christo, sed ab alio aliquo nominari, scito, non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam.* Vndè Hilar. li. ad Constantium fideles contra vim Arianorum exclamasse commemorat: *Catholicus sum, nolo esse Hæreticus: Christianus sum, non Arianus.* Epiphanius hæresi 68. successores veterum Christianorum suis Ecclesiis inscripsisse ait: *Ecclesia Catholica*: Meletianos verò suis: *Ecclesia martyrum.* Quare veteres hæreticis tanquam fractis ab arbore ramis obijci voluerūt, quòd non essent Catholici. Cyprian. lib. *de vnit. Eccles.* Optatus lib. 2. *contr. Parmen.* Augustin. lib. *de vnit. Eccles.*

Vincent. Lyrinens. cont. hæreses.

Catholicū quidnam dicatur.

Hæresis à primo dogmatis authore nomen accipit.

Hæreticis obiiciendum, quòd non sunt Catholici.

cap.4.epist.137. Li. *de util.creden.*ca. 14.&17. Tertull.li.*de præscript.*c.37. *Qui estis? vndè venistis? quid in meo agitis, non mei?* Absurdissimum equidem censet Augustin. lib. *de vnit. Eccles.* cap.14. &15. quòd Donatistarum hæresis post CCC. annos ex Carthagine per omnẽ terrã propaganda esset: quid verò nunc ille dicerat, si post mille quingentos vel sexcentos annos, nouam ex Saxonia, Geneua, vel quouis alio mundi angulo protrudi religionem videret? imò cudi & recudi nouas indies fidei confessiones? Prouidit enim Deus, vt nulla vna & eadem secta vbique sit, neque diu perduret, sed instar aquæ decurrentis, in torrente citò siccetur & emoriatur, vt notat Augustin.in Psal.57. Cyprian. lib.4. epist.2. comparans igni leui, qui citò promicat, & in principio feruet, sed mox languescit.

Hæretici paucitate gloriari solent.

Quia verò hæretici dum pauci sunt, de sua gloriari paucitate solens, vt de Crescomio refert Augustin. lib.3. cap. 66. contra eundem, qui aiebat: *In paucis frequenter est veritas, errare multorum est*: Eunomius quoque hortabatur, ne quis velet multitudine mendacium à veritate discernere, vt refert Basil.lib.1. contra eundem: sciendum est, nos non simplici Christianorum multitudine niti, sed authoritate commoueri plurimorũ diuinarum scripturarum præstantissimorum interpretum: nos tot Martyres, tot Confessores, tot Sacerdotes, Christianique gregis pastores ac duces sequi, qui eximia diuinaque sapientia pleni fuere, vitæ admirabilis, quorum plurimi suam doctrinam miraculis confirmarunt. Talem præcedentium multitudinem Augustin. Iulianum intueri volebat. lib.1. *cont. Iulianum* cap.7.

Catholicus à quibusnam ri possit.

Ad hanc Ecclesiæ notam reuocari potest non interrupta Ecclesiæ duratio, antiquitas, amplitudo: & sciendum, tam particulares Ecclesias, quàm vnumquemque fidelem, quia Catholicæ Ecclesiæ pars sit, vsu recepto Catholicum dici.

nis, qui Ecclesiæ Catholi membrum est.

CAP. CCCXVII.

Apostolica.

Ecclesiæ nota est, quòd sit Apostolica.

QVarta Ecclesiæ nota est, quòd sit Apostolica, id est, Apostolorum ministerio fundata, & Apostolorum Principi B.Petro, eiúsque successori Romano Pontifici adhæreat. *Apostolica* enim dicitur propter originem, successionem & Apostolicam sedem. In hac enim sola Ecclesia reperitur Episcoporum ab Apostolis vsque ad nos deducta successio. Vnde omnes veteres hac successione, tanquam euidentissimo argumento ad veram Christi Ecclesiam discernendam, vtuntur. Iren.lib.3.c.3. à Petro vsq; ad Eleutherium Romanos Episcopos recenset, per quam successionẽ omnes hæreses confundi scribit. Li. 4. c.42. illis sacerdotibus adhærendum docet, qui successionem ab Apostolis habent, quibus solis veritas tradita sit. Tertull. lib. *de præscript.*c.32. *Edant hæretici origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris habuerit authorem & antecessorem.* Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem à Petro ordinatum refert. Euseb.li.3. Hist. cap.4. Et in Chronico Romanorum Episcoporum successionem enumerat, vt ex ea continuatio Ecclesiæ pateat. Epiphan. hæresi 27. Optatus lib.2. *cont. Par-*

Successio episcoporũ in Apostolica sede, certissima Ecclesiæ nota.

Nicol. Sanderus de visib. Eccles. monarchia lib.7.

men. Donatistas alloquens: *Vos*, inquit, *Cathedræ vestræ originem ostendite, qui vultis sanctam Ecclesiam vobis vendicare.* Hieron. cont. Luciferianos, in ea permanendum Ecclesia docet, quæ ab Apostolis fundata in hunc vsque diem perseuerat. Augu. epist. 162. & 165. à Petro vsque ad Anastasium Romanos Pontifices enumerat. Et in Psalmo contra partem Donati: *Numerate*, inquit, *sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede.* Libro *cont. epist. Fundamenti* c. 4. *Tenet me in Ecclesia à sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas Dominus cõmendauit, vsque ad præsentem Episcopatũ successio sacerdotum.* Lib. *de vtil. credendi* ca. 17. illius Ecclesiæ gremio condere se Christianum oportere asserit, quæ ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis oblatrantibus culmen authoritatis obtinuit. Et lib. 28. *cont. Faustum* c. 2 & 4. vrget Ecclesiæ successionem vsque ad suam ætatẽ. Et Hieron. in epistol. 57. ad Damasum: *Cathedræ Petri cõmunione consocior. Super illam Petram Ecclesiam ædificatam scio: quicunque extra hãc domũ Agnum comederit, prophanus est.* Similiter Cyprianus super Petrum Ecclesiam ædificatam affirmat li. 1. epist. 3. lib. 4. epist. 9. Basilius hom. 9. *de pœnitentia.* Hilar. in 16. capite Matth.

Schismaticæ Ecclesiæ sunt, quæ primatiam sedem Apostolicam non agnoscunt.

Ex quibus sequitur, schismaticas ecclesias, quæ ad aliquem Apostolorum successionem referunt, vt Mossouitæ ad B. Andream, vel ex eo posse conuinci non esse Apostolicas, quoniam primariæ Apostolicæ sedi, super quam Ecclesia Christi ordinatione fundata est, non adhæreant. Vndè iis euenit, vt ab ipso capite discedentes, fidem & instituta ab ipsis Apostolis tradita, non retineant, neque diu Apostolicum depositum custodiant. 1. Tim. 6.

Cur noui Testamẽti Ecclesia, potiùs Apostolica, quã Prophetica dicatur.

Sed non immeritò QVÆRAT aliquis, Cur Ecclesia super fundamento Prophetarum & Apostolorum fundata, (Ephes. 2.) potiùs Apostolica, quàm Prophetica vocetur?

Respondeò, noui Testamenti Ecclesiam nuncupari Apostolicam à suis ædificatoribus, plantatoribus, rigatoribus, principibus, pastoribus & rectoribus: quales fuêre Apostoli, non autem Prophetæ, qui Synagogam veteris Testamenti dixerunt, quæ vt vmbratica, ita quoque Prophetica & Mosaica dici potuit. At discussis impletisque veteris Testamenti figuris, exorta lux Euangelica, per omnes gentes Apostolorum ministerio delata fuit: & ex filiis tenebrarum euocati lucis filij; Ecclesiam noui Testamenti adauxerunt, donec omnia mundi regna peruaderet. Iuxta illud Isaiæ cap. 60: *Ambulabunt gentes in lumine tuo, et Reges in splendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, et vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi*: & capite 49. *Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.*

Cur Apostoli hanc notam in symbolo non expresserint?

Si quis autem ambigat, Cur Apostoli in Symbolo hanc, quòd Apostolica sit, notam non posuerint, sicuti *sanctam & Catholicam*? Respondeò, euidens id fuisse, dum viuerent, suóque labore Apostoli Ecclesias fundarent: at quòd esset omni tempore sancta futura, & per totum Orbem propaganda Christi Ecclesia; tunc non videbatur, sed credebatur. Accedit, quòd Apostoli maluerint suos discipulos vocari, *Christianos*, quàm *Apostolicos*, ne potiùs seipsos quàm Christum velle celebrare viderentur. Deindè Prophetiam Deuter. 25. adimplere conueniebat, qua fratri sine liberis defuncto, superstes ei generare, illiusque nomen primogenito imponere

iubebatur, vt defuncti, fratris nomen celebre remaneret, vt exponit Augustinus lib. 32. *contra Faustum* capite 10.

Sed cùm progressu temporis dubitari potuisset, quænam doctrina verè esset Apostolica, declarandum fuit, quòd id facilè dici posset magisterio eius Ecclesiæ, quæ Apostolica esset origine, Sacerdotum continua successione, atque Pastoralis authoritatis culmine: vt sicut in veteri Testamento Christus ex sola posteritate Abrahæ, atque in familia Dauidis quærendus fuerat, ita noui Testamenti tempore, Christi corpus (quod est Ecclesia) eiúsque vox & doctrina, in ea sola societate quæreretur, quæ ab Apostolis esset per legitimorum succedentium Episcoporum ministerium congregata, & summo Pastori Petro, eiúsq; successoribus communione adhæreret. Ad hanc Petram Deus nos recurrere voluit, vt ex hac successione ad originem deueniamus, sicut per riuulum pernenitur ad fontem, & rami arboris per truncum radici adhærent, variíque ad vnum Solem radij perducunt.

Doctrina Apostolica vbi quærenda?

CAP. CCCXVIII.

De nomine Papæ & Papistæ.

Papa nomen quid significet?

PAPA, quasi *Pater Patrum*, accommodatione quadam summus Ecclesiæ Pontifex vsu recepto vocatur: & Papatus seu Pontificatus non gentis aut sectæ nomen est, sed potestatis, quam Christus in Ecclesia sua perpetuam esse voluit.

Papatus est nomen potestatis.

Porrò à nomine Papæ sectarij Catholicos per contemptum *Papistas* & *Pontificios* appellant: quæ tamen nomina in se nihil mali continent, quia non à particulari aliquo homine, qui nouæ alicuius sectæ author extiterit deducuntur, vt hæreticis proprium est, sed his nominibus Catholici denominantur ab ijs, qui Christi nomine Ecclesiam gubernant. Papa enim & Pontifex fuit Christus, atque Petrus, vniuersalis Ecclesiæ pastor & rector ab eodem constitutus, vt postquam per Ascensionem in cœlum visibiliter hic præsens esse desineret, eius nomine & vice Domini gregem pasceret ac regeret. *Papista* ergo nomen nihil aliud significat, quàm *hominem, Papæ communionem tenentem*, seu *Petri cathedræ, summóque Ecclesiæ Pastori, & vero Christi vicario, adhærentem.* Proinde *Papista*, atque *Pontificy*, nomina, veritatis confessionem continent. Attestantur enim, quempiam verum esse Christi, Apostolorúmque discipulum, amatorem, atque germanum Christianum: quod optandum, & æterna laude, non autem vituperio dignum est.

Papista nomen in se glorioſum est.

Papistę est, qui cũ Papa cõmunionem habet.

Quemadmodum verò hæretici nunc per contemptum obedientes Ecclesiæ filios, PAPISTAS vocant: ita Iudæi maledico ore & animo dixisse leguntur: *Tu discipulus illius sis*, de Christo loquentes, Ioan. cap. 9. Et Ariani Catholicos vocabant *Homousianos*, id est, *credentes Filium Patri consubstantialem*: quod verissimum erat. Augustinus libro *De vtilitat. credendi* capite 17. refert, Ecclesiæ Catholicæ ab hæresibus diuersa imponi solere nomina. Et Ambrosius in oratione *De obitu Satyri*, Romanum & Catholicum, idem significasse testatur.

Ariani vocabant fideles Homousianos.

Externas

CAP. CCCXIX.

Quas Ecclesiæ notas hæretici assignent?

Hæretici duas Ecclesiæ notas assignant: puritatem doctrinę, & legitimam sacramentorum administrationem.

EXternas Ecclesiæ veræ notas sectarij varias assignant, quæ ad duas reuocari possunt. PRIOR est, pura Euangelij doctrina: POSTERIOR autem, est sacramentorum iuxta Euangelium administratio. Sed cùm in Schismate istæ notæ reperiantur, Christi veram Ecclesiam discernere nequeunt, vt probat Augustinus lib. 2. contra Cresconium, cap. 29.

Præterea notas non communes, sed proprias esse oportet: atqui hæ duæ notæ ab omnibus sectis opinione sua vendicantur: vnaquæque enim de scripturarum intelligentia gloriatur, seque iuxta Christi præscriptum sacramenta ministrare contendit.

Deinde nota, re cuius est, notior esse debet: at notior est vera Christi Ecclesia, quàm vera scripturarum intelligentia, quæ ab Ecclesia discitur; vt Veteres vno consensu docent ex Christi dicto: *Qui Ecclesiam non audierit, &c.* Matth. 18. Et ex Apostoli doctrina ad Ephes. 4. tradentis, Christum posuisse Pastores & Doctores, à quibus veritatem audiremus, & in dubijs instrueremur, ne essemus sicut paruuli fluctuantes. Irenæus lib. 3. cap. 4. Tertullianus lib. *De Præscript.* Augustinus *cont. epist. Fundamenti* cap. 5. lib. *De vtil. creden.* cap. 14. Cùm enim Ecclesia ius habeat testificandi de vera scriptura; cur non etiam interpretandi, ac exorta de scripturæ sensu controuersia dijudicandi? Atqui testem & iudicem, atque doctorem, oportet notiorem esse, quàm sit doctrina, quæ à doctore petenda sit. Non igitur vera prædicatio, Ecclesiæ nota constituenda est, cùm scire nequeamus, quænam vera sit scriptura, & quis eius genuinus sensus, nisi ex testimonio veræ Ecclesiæ.

Obiectio ex Chryso.

Sed obiiciunt Sectarij, Chrysost. hom. 49. in Matth. *in opere imperfecto* dicentem, *non nisi per scripturas cognosci, quænam vera sit Ecclesia.* RESPONDEO, illum authorem non esse Chrysostomum, sed quendam Arianum: nihilominus dictum eius posse intelligi verum esse, quando contra eos disputatur, qui scripturas recipiunt, & de Ecclesia dissentiunt. Tunc enim ex scripturis facilè ostenditur, vbinam Ecclesia certò reperienda sit, non tanquam ex nota Ecclesiæ, sed quia Scriptura luculenter Ecclesiæ notas designet; qualis nimirum sit, vbi cœperit, quomodo creuerit, quousque progressa sit, quibus pastoribus & rectoribus adhærere debeat. In eum sensum non humanis documentis, sed diuinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari, asserit Augustinus lib. *De vnit. Ecclesiæ* cap. 2. & 3. & epist. 166.

Ex scriptura Ecclesiæ notæ discuntur.

CAP. CCCXX.

Quòd prior & notior sit Ecclesia, quam Scriptura sacra.

Ecclesia est prior & notior Scriptura.

ECclesiam absolutè priorem & notiorem esse Scriptura sacra, vel inde liquet, quòd multis annorum centuriis Dei Ecclesia fuerit ante omnem Scripturam, quæ tandem per prophetas & Apostolos à Deo Ecclesiæ tradita fuit, vt illam conseruaret, aliisque communem faceret; ac si opus foret, illam interpretaretur, verúmque illius sensum cum authoritate diiudicaret, ita vt ab illius iudicio nulla resta-

in terris prouocatio: sed qui magistram hanc audire nollet, velut Ethnicus & Publicanus, à Christi hæreditate alienus, haberetur. Matth. 18.

Sciendum tamen est, aliquando contingere, scripturam esse quibusdam notiorem ipsa Ecclesia: quando videlicet de vera Christi Ecclesia controuersia excitatur, & scriptura vtri-que recepta, de illa clarum perhibet testimonium: sicut dum contra Donatistas, in sola Aphrica Christi Ecclesiam concludentes, Augustinus disseruit; ex scripturis palàm loquentibus eosdem conuicit.

Econtrà verò subinde accidit, vt Ecclesia notior sit ipsa scriptura, cui testimonium perhibet: & ita probatur vnum ex alio, quæ sibi inuicem attestantur. Vt, quando de paruulorum, vel hæreticorum Baptismo scriptura obscurè testimonium perhiberet, & nota esset Ecclesia, tunc Augustinus Ecclesiæ testimonio ratum esse paruulorum atque hæreticorum Baptisma comprobauit.

Ex his facilè respondebitur ad QVÆSTIONEM. *Vtrum Ecclesia suam authoritatem à diuina Scriptura; an è diuerso Scriptura ab Ecclesia sortiatur?* RESPONDEO equidem, aliud esse authoritatem, aliud veritatem: hanc enim Scriptura à solo Deo accipit; sed testimonium, quòd sit vera & infallibilis, ab Ecclesia. *Non enim* (ait. Aug.) *Euangelio crederem, nisi me authoritas Ecclesiæ cõmoueret*; contra epist. Fundam. cap. 4. Sed postquam scriptura Ecclesiæ testimonio authoritatis apicem adepta est, vicissim Ecclesiæ testimonium præbens, authoritatem ei conciliat, non secus ac Ioan. Baptista Christo testimonium perhibuit, dicendo: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Item: *Hic est qui baptisat.* Et vicissim Christus Ioanni testimonium magnificũ dedit, eique authoritatem comparauit, dicendo: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.*

Scripturæ veritatem suum à solo Deo accipit, testimoniũ autem ab Ecclesia.

Christus Ioanni, & Ioãnes Baptista Christo testimonium perhibuit.

Ex quo insuper exemplo clarè patet, Scripturam, Verbúmque Dei, non hominũ subijci iudicio, quando Ecclesia ei perhibet testimoniũ de vero sensu & intelligentia: neque etiam asseri, Verbum Ecclesiæ maioris esse authoritatis in se, quàm Verbum Dei scripturis contentum in se sit. Nam Verbum Dei est lux illuminans: at Verbum Ecclesiæ, est lumen illuminatum. Proinde illud candelæ ardenti, hoc autem lucernę ab alio lumine lumẽ suum mutuanti cõparatur. Tantam nihilominus Ecclesiæ Christus authoritatẽ concessit, assistentiamque Spiritus sancti, omnem veritatem suggerentis promisit, vt in omnibus, quæ fidei & pietatis sunt, proponendis errare nequeat. *Portæ inferi*, inquit, *non præualebunt aduersus eam*, Matt. 16. Et, *Columna & firmamentum est veritatis*, 1. Timoth. 3. Quare merito concludimus, illum habendum vt Ethnicum, qui Ecclesiam non audierit. Matth. 18. nec habiturum Deum Patrem in cœlis, qui Ecclesiam non habuerit matrem in terris. Sicut enim vniuersi homines inundante diluuio, qui in Noë arca non fuerunt, mortui sunt: ita superuenientę vniuersali iudicio, externa morte obruentur, quicumque extra Ecclesiæ Christi societatem deprehendentur.

Cyprian. lib de vnit. Eccles.

Gen. 6. Sicut extra arcam nulla salus, ita extra Ecclesiam.

CAP. CCCXXI.

Sanctorum communionem.

EXtrema huius articuli noni clausula profitemur, nos cre-

Cõmunio Sanctorum

in quo consistat.

dere; quòd mutua sit omnium, qui in Ecclesia, veluti Dei familia, versantur, societas, communicatio & vnio; in eadem fide, in doctrinæ conformitate, in eorundem Sacramentorum vsu, in mutuis officiis, in participatione meritorum, orationum, satisfactionum, gaudij, & tristitiæ: quemadmodum inter vnius corporis membra, cunctorum officiorum mutuam communicationem fieri conspicimus. Nam licet diuersa sint membra, vnum tamen corpus constituunt, in quo singula proprio, non autem eodem funguntur officio. Et quamquam disparitas sit muneris & dignitatis, (nec enim æquè vtiles aut decoras functiones omnia exequuntur) nulli tamen suum priuatum tantummodo commodum, sed totius corporis proposita est vtilitas.

Sic in Ecclesia variæ sunt Gentium nationes: putà Iudæi, Græci, Latini, &c. variæ quoque hominũ conditiones: scilicet liberi, serui, pauperes, diuites, Principes & subiecti: varij quoque sexus, necnon ætates: ingeniorum insuper varietates, diuersa studia, & vitæ status plurimi. Alij enim sũt Ecclesiastici, alij verò Laici: & inter vtrosque distincti sunt ordines, diuersissimæque functiones: quia tamen hæc vniuersa hominum genera Baptismatis Sacramento Ecclesiæ inseruntur; vnum corpus fiunt, cuius Christus caput est; atque fraternæ necessitudinis vinculũ inter se omnes hi contrahunt, vt iam habeant eundem Deum Patrem, eundẽ Spiritum sanctum veluti animam hoc corpus regentem, mouentem, animantem; eundem Christum Aduocatum, Redemptorem, Dominum, & Iudicem; eorundem insuper Sacramentorum vsum, ac omnium bonorum, quæ ab aliquo huius corporis membro fiunt, communicationem, ita vt singulorum fidelium pia sanctaque opera in vtilitatem corporis totius redundent, singulique Ecclesiæ filij fructum inde reportent, iuxta illud Psal. 118. *Particeps sum omnium timentium te.* In quem locum Ambrosius sermon. 8. in Psal. 118. docet, omnia quæ in Ecclesia fiunt, per charitatem adoptionisque gratiam vniuersis membris effici communia. Vndè *Christi coheredes*, & *fratres* dicimur. Roman. 8. Hebræ. 2. & assimilantur fideles *Vnicorpori*, Rom. 12. & 1. Corinth. 12. *Omnes in vnum corpus baptizati sumus.* Vndè Apostolus colligit, quòd *pro se inuicem solicita sint membra.* Et, *si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra; siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Vos est is corpus Christi, & membra de membro.* Ac singulos fideles in hoc corpore proprias habere functiones, toti corpori singulisque aliis membris vtiles, ex officiis partium humani corporis euincit. Vndè Augustin. tract. 32. in Ioann. *Si amas vnitatem, nihil non habes. Nã etiam tibi habet, quisquis in illa aliquid habet. Tolle inuidiam, & tuum est quod habeo, & meum est quod habes. Liuor separat, charitas iungit.* Et lib. 2. *cont. Maximinum* cap. 9. docet, non huius vel illius, sed totius Ecclesiæ gemitũ, ex omnium fidelium precibus cõstantem, vocari *inenarrabilem*: ac istum columbæ gemitum, omnibus in Christi corpore constitutis prodesse. De hac Sanctorum communione loquitur Ioan. 1. epist. ca. 1. dum ait: *Societatem habemus ad inuicem.* Et Apostolus Paulus ad Philippenses. 1. *Socij gaudij mei vos estis.* 2. Corinth. 8. *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundãtia vestræ inopiæ sit supplementũ.* 1.

Cõmunio Sanctorum omnium fidelium bona efficit communia.

Corint. 12. *Si gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra: si patitur vnum membrum, compatiuntur reliqua.* Hinc mutuis officiis, & orationibus fideles sibi inuicē succurrunt, gratias agunt, alter alterius onera portat; & dono à Deo accepto in totius Ecclesiæ vtilitatem, tanquam fidelis dispensator acceptæ gratiæ, vtitur. Alij enim sunt Apostoli, alij Euangelistæ, alij pastores & doctores: alij præsunt, alij subsunt, alij dono linguarum, dono prudentiæ, scientiæ aut miraculorum præditi sunt; alij demum Reges, Principes, opum affluentia potētes sunt: quibus omnibus Dei gratiis ad Ecclesiæ, omniúmque fidelium cōmunem vtilitatem oportet vti, alioquin qui fratrem suā ope indigere cōspexerit, eique non subuenerit, charitatem non habuisse conuincetur. Vndè apparet, longè aliam esse vnionem membrorum Ecclesiæ, quàm vnius Regni terreni, vbi sic multi vnum regem agnoscunt, vt inter se nihil commercij habeant; nihil emolumenti, à se inuicem percipiant, nec alter alterius curam gerat. At in Ecclesia vnus alteri quantumcumque distanti sua bona communicat; non solùm viui hîc in Ecclesia Militantes, quin & Beati in cælo Triumphantes: imò & ad animas piorum ex hoc mundo cum aliquo temporalis pœnæ reatu egressas, communionis Ecclesiæ fructus pertingit vt docet August. Enchirid. cap. 56. 109. 110. & lib. 20. *de Ciuit.* cap. 9.

1. Cor. 12.

Vnio mēbrorum Ecclesiæ alia est, quam membrorū terreni regni.

In communione Sanctorū fundatur preces pro defunct. Indulgen. Satisfact.

In hac equidem Sanctorum communione fundantur orationes fidelium viuorum pro viuis: item orationes viuentium pro defunctis: & merita defunctorum prosunt defunctis (4. Reg. 13.) necnon viuis, orantque beati pro viuis. Denique vnus pro alio satisfacere potest; & Thesaurus Ecclesiæ, Christi & sanctorum satisfactionibus constans, per supremi Ecclesiæ dispensatoris authoritatem, ad remissionem aut partis, aut totius pœnæ restantis post culpam remissam, applicari solet. Quemadmodum enim in temporali obligatione apud Magistratum secularem vnus pro alio satisfacit, & cibus ventriculo immissus, ad singularum totius corporis partium valetudinem conducit: ita vis meritorū satisfactionúmque vnius fidelis, ad omnes alios in compage corporis Ecclesiæ nexos, peruenit. Vndè colligi potest, quantum boni ex hac communione Sanctorum ad singulos fideles pertranseat, idque potest illustrari similitudine communionis ciuilis, ex qua fit, vt quisque sibi necessaria facilè comparet, dum hîc illa re abundat, qua caret alius: nec aliquid desiderari possit, quod non ab hoc vel illo comparari valeat. Sed qui solitariam agit vitam, quantumuis ingeniosus, prudens, opulentus, necessaria vitæ omnia sibi per seipsum, aut nullo modo, aut non nisi difficillimè acquiret.

Cōmunio Sanctorum quæ bona conferat.

CAP. CCCXXII.

Qui Communionis sanctorum exortes sint?

Cōmunionis exortes.

TAnto communionis Ecclesiæ bono destituuntur, quicumque extra Ecclesiam Christi degunt: vt infideles omnes, Iudæi, Hæretici, excommunicati, hoc est, ob facinus graue ab Ecclesiæ societate refecti. Priuantur enim hi omnes perceptione Sacramentorum, orationibus, suffragiis Ecclesiæ & sacrificij fructu, qui ad Christi membra pertinet. Est enim Sacra-

mentum vnionis & charitatis, in iis rebus consistens, quæ ex multis ad vnum efficiendum adunantur. *Ex multis* enim *granis vnus panis, & ex multis acinis vnum efficitur vinum.* Hinc Apostol. 1. Corinth. 10. *Vnus panis sumus, qui de vno pane participamus.* Qui ergo à Christi corpore alienus est; caret fructu meritorum & satisfactionum fidelium, consistentium in ieiuniis, eleemosynis, vigiliis, pœnitentiæ operibus, huiusmodique aliis piis exercitiis; exponitur Satanæ incursibus, qui extra Ecclesiam imperium exercet: vtque viui hi omnes ab Ecclesia separati fuere; ita & post mortem Ecclesiastica sepultura carent, ipsorúmque animæ à beatorum sedibus & gloria exulant in sempiternum. *Non* enim *Deum habebit Patrem, qui Ecclesiam non agnouerit matrem.* Cyprian. lib. *de Simplicitate prælatorum.* August. lib. 4. *de Symbolo.*

Postremo Sanctorum communio in eo quoque consistit, quòd Ecclesia semper in eadem Fide, Spe ac Religione permaneat, quam ab Apostolis, eorúmque successoribus accepit, in qua maiores nostri defuncti sunt; vt ad Hebræos 13. indicat Apostolus: *Mementote præpositorum vestrorum, qui loquuti sunt vobis verbum Dei, quorum intuentes exitum imitamini fidem.* Et iterum: *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Ad Galat. 1. aliter quàm ipse docuerat, docentes Anathemate ferit. Ioan. 1. epistol. cap. 1. *in traditio primitus verbo permanere suader.* Petrus 2. epist. cap. 3. & Iudas in sua Canonica, *in accepta semel ab Apostolis doctrina stare* hortatur.

Concilia insuper vniuersa à Catholicis celebrata, & Doctores orthodoxi omnes se Patrum doctrinam sequi inculcant. Epiphanus *in Ancborato.* Hilarius libr. *in Constantium.* Vincentius Lyrinensis *aduersus hæreses.* Augustinus *serm. de tempore: Cum illis sanctis, qui in hac quam suscepimus fide defuncti sunt, societate & spei communione teneamur.*

CAP. CCCXXIII.

Articulus decimus.

Remissionem peccatorum.

Remissio peccatorum. Augu. Enchir. c. 64. & 65.

POst sanctæ Ecclesiæ commemorationem, aptissimè subiungitur decimo hoc Symboli Articulo, nos credere Peccatorum remissionem: hoc est, in Christi Ecclesia omnem peccati reatum dimitti: vt fideles intelligant, quid fructus Ecclesia à Christo in hoc seculo consequatur, illíque omnes, qui se per Baptismum Christi coniungunt Ecclesiæ, ac in eius vnitate obedientiáque persistunt: ac denique illi, qui de commissis post Baptismum peccatis seriò pœnitentiam agunt, institutisque à Christo Sacramentorum remediis, conuenienter vtuntur. Tales enim ab omni peccato, siue origine tracto, siue voluntate propria superaddito emundantur, Baptismi aut pœnitentiæ sacramento, ita vt nihil maculæ, reatus, aut pœnæ in futuro seculo luendæ remaneat.

Nec solum leuiora peccata, sed etiam crimina, quantumlibet enormia, in Ecclesia remitti possunt. PRIMVM quidem dum quis fidem profitens, sacro Baptismo abluitur. Et quoniam per Baptismi gratiam non liberamur ab omni infirmitate naturæ, quin potiùs ad peccandum quotidie sollicitamur à Diabolo, à Mundo, ab innata primi parentis

vitio CONCVPISCENTIA, quæ licet non dominetur, nec peccatum sit, attamen ad peccatum inclinat & sollicitat, vt vix vllum reperias, qui tam acriter resistat, suamque ita vigilanter salutem tueatur, quin aliquando tentatione victus peccet. Hinc necesse fuit, in Ecclesia potestatem esse peccata remittendi, alia etiam ratione, quàm Baptismi Sacramento, scilicet per Sacramentum Pœnitentiæ, clauésque regni cælorum, quas Christus Ecclesiæ concrediderit, quibus possent vnicuique pœnitenti, etiamsi vsque ad extremum vitæ diem peccallet, delicta condonari. Cuius rei clara sunt in scripturis testimonia. Matt. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum: & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Item Matth. 18. *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Et Ioannis 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Per hanc peccatorum remissionem stat Ecclesia, quæ in terris est, (ait Augustinus.) Nam vita sanctorum, quantalibet præpolleat fœcunditate iustitiæ, in venerique absque crimine possit, attamen sine remissione peccatorum non agitur. *Si enim dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* 1. Ioan. 1. *In multis offendimus omnes*, Iacob. 3. *Septies in die cadit iustus.*

Enchiridij cap. 64.

Amplitudo potestatis clauium se extendit ad omnia peccatorũ genera, & tempora.

Porro tam ampla est potestas remittendi peccata, vt in vniuersum ad omnia peccatorum genera sit porrecta, vt nemo tam sceleratus esse possit, quin si suorum erratorum verè pœniteat ei certa veniæ spes proposita sit, & ab Ecclesia absolui possit, *cùm nullum sit crimen, cuius Ecclesia remittendi potestatem non habeat*, (vt contra Nouatianos definitum est; & docet Cyprianus lib. 1. epistol. 2.) *Et* quidem *toties, quoties peccator pœnituerit*, Ambrosius lib. 1. *De Pœnit.* cap. 1. & 2. Augustinus Enchir. cap. 64. 65. & 83. & lib. 50. homil. 49. & 50. Chrysostomus lib. 3. *De Sacerdotio* docet, omnifariam potestatem, quam Deus Filio dedit, ab eodem Christo sacerdotibus esse traditam, vt ex ea valeant animæ vincula soluere, & animas à peccatorum sordibus expurgare.

Potestas remittendi peccata solis sacerdotibus à Christo data.

Non autem omnibus baptizatis potestatem hanc remittendi peccata Dominus concessit, sed solis Episcopis, & Sacerdotibus, quos Ecclesiæ ministros, suorúmque mysteriorum dispensatores constituit, quibus solis dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ioannis 20. Augustinus lib. 20. *De Ciuitat.* c. 9. Nec pro arbitrio peccata condonare Sacerdotes possunt; sed per Sacramenta duntaxat, seruata certa à Domino præscripta potestatis exercendæ forma: nullum aliter ius remittendi peccata Ecclesiæ datum est.

Christus peccata remittit authoritate propria, sacerdotes vicaria.

Ex quo sequitur, non eodem modo Christum & sacerdotes peccata remittere. Ille siquidem propria sua vi, & authoritate; Sacerdotes verò & Episcopi tanquam illius ministri, qui eius nomine ac vice, donatique sibi ab eo potestate, & veluti instrumẽta quædam, per quæ Christus author & largitor salutis, remissionem peccatorum, & salutem efficit in nobis peccata condonant. Quod significat Isaïas cap. 43. dicens: *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas*, propria videlicet authoritate, potẽtia, bonitate. Quem-

admodum enim solus creditor debitam sibi pecuniam remittere potest: ita cùm soli Deo peccatis obstricti simus, ab eo solo debita condonari possunt.

Post incarnationem Verbi, data est homini potestas remittendi peccata.

Et quidem antequam VERBVM caro fieret, nulli hominũ vel creatæ naturæ potestas remittendi peccata communicata fuit: sed quia Christus Homo, idem verus quoque Deus erat, hoc munus à Patre traditum accepit. *Vt*, inquit, *sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam*, Matth. 9. Marci 2. aliásque sæpe peccata remisisse legitur: ad hoc enim venerat, vt peccata hominibus condonaret, eósque Patri cælesti reconciliaret. Priusquam verò in cœlum ascenderet, eadem hanc diuinam admirandámque potestatem remittendi peccata Apostolis, eorúmque in Sacerdotio successoribus communicauit, dicendo: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Sed Christus sua propria authoritate, meritóque sui sanguinis peccata remittit ac expiat: cæteri verò tanquam habentes ministerium reconciliationis, & applicantes per Sacramenta Christi sanguinis pretium.

Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, sine cuius sanguinis aspersione nulla sit remissio. Non itaque Sacerdotis, vel cuiusquam alterius, sed Christi solius meritis, peccata expiari, pœnámque gehennæ illis debitam persolui Deus voluit: passionis tamen suæ meritum Christus applicat ministerio hominum, per Sacramenta in eum finem à se instituta; qualia sunt Baptismus, Pœnitentia, cæteráque fidelibus nota. Et Baptismi quidem munus potissimùm contra originale peccatum donauit: contra verò Actualia peccata, quæ corde, ore, ac opere committuntur, Pœnitentiam instituit, quam vnusquisq; ageret secundum modum sui cuiusq; peccati. In qua pœnitentiæ quidem actione, non tam voluit considerari mensuram temporis, quàm doloris: & quoniam vnius dolor occultus est alteri, certa pœnitentiæ tempora voluit constitui ab eis, qui Ecclesiæ præsunt, vt fiat satis Ecclesiæ, in qua potestate ab eodem Christo concessâ, remittuntur peccata. Vndè manifestum est, actus pœnitentis non eneruare Christi meritum, sed è contra Christi sanguinem & merita per illos applicari & operari; vt in Tractatu *De Pœnitentia* latiùs exponitur.

Per actus pœnitentis Christi merita operantur.

CAP. CCCXXIV.

Cuius merito peccatorum fiat remissio?

Peccati remissio non fit, nisi merito Christi. Act. 4. Ioan. 1. Hebr. 9. Coloss. 1.

NE Sectarij calumnientur, ea quæ Christo propria sunt, Sacerdotibus attribui; sciendum est, omnis peccati remissionem fieri merito Christi. *Non enim aliud est nomen datum hominibus, in quo saluos fieri oporteat.* Et, *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Item,

CAP. CCCXXV.

De Magnitudine beneficij Ecclesiæ in potestate Clauium concessi.

Decimi articuli vilitas.

CVm peccati mortalis admissione se homo paradisi aditu priuet, dignúmque morte perpetua constituat, meritò desperaret, nisi huius articuli fide confirmatus oblatam vnicuique facultatem crederet, qua possit in priorem dignitatis gradum pœnitentiæ remedio

restituí, & clauium potestate à peccatorum vinculis absolui. Si enim grata sunt remedia, quæ medicorum arte graui morbo laborantibus parantur, quæ tamen sæpe dubiam salutis spem obtinent; quantò iucundiora esse debent, quæ Dei sapientia ad animorum certissimam curationem instituit? quantoque studio decet fideles hoc salutari remedio, frequenterque vti, ne tam vtili & necessaria re non vtendo, contemnere videantur?

Vtilis ac necessaria pœnitentiæ medicina.

Cauendum tamen est, ne occasione tam amplæ facultatis veniæ à Deo propositæ, ad peccandum faciliores, vel ad resipiscendum tardiores reddamur: sic enim in Deum ingrati, & in hanc diuinam potestatem Ecclesiæ concessam iniuriosi redderemur: ac frustra morte præoccupati, remissionem peccatorum confessi fuerimus.

Cauēdum, ne spe veniæ occasio peccandi augeatur.

CAP. CCCXXVI.

Cur Apostoli tacitis aliis rebus ad iustificationem pertinentibus, solius remissionis peccatorum meminerint?

Cur Apostoli remissionem peccatorum tantū commemorent.

APostolis propositum fuit, docere, iustificari homines non suis viribus aut meritis, sed gratuita Dei misericordia, siue dum ex statu, in quo nascuntur filij primi Adæ, transferuntur in statum adoptionis filiorum Dei; siue dum à iustitia semel habita lapsi, Pœnitentiæ medicamento priorem dignitatis statum recuperant. Nam per remissionem peccati homo desinit esse obnoxius pœnæ damnationis, & per infusionem gratiæ incipit esse iustus secūdum illud Apostoli ad Colost. 1. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.* Vbi significatur, duos esse terminos siue effectus iustificationis: *prior* est tenebrarum depulsio; *alter* est adoptio in Dei filium. Sub priore autem parte Apostoli etiam subintellexerunt alteram, quæ constitit in interiore hominis innouatione per voluntariam gratiæ atque donorum Spiritus sancti susceptionem, vt in Concil. Tridentino latè docetur sess. 6. cap. 7. *doctrinæ*; vbi traditur, Quid sit impij iustificatio, & quæ eius causæ. Finalis, gloria Dei, & Christi, ac vita æterna: efficiens verò, misericors Deus, qui gratuitò abluit & sanctificat: meritoria autem Dominus IESVS CHRISTVS, qui sua passione nobis iustificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit: instrumentalis item, Sacramentum Baptismi: demum formalis causa est Iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renouamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè iusti nominamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes vnusquisq; secundùm suam mensuram, & secundùm propriam cuiusque dispositionem & cooperationem: Et Can. 11. *Si quis dixerit, homines iustificari vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum diffunditur per Spiritum sanctum: aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum fauorem Dei, anathema sit.* Iustificatur enim homo non solùm, quia in vniuersa peccata dimittuntur; sed etiam, quia cum peccatorum venia Spiritus sanctus in eum effunditur, quia animū innouat, sanat, purificat, rectúmque facit, vt homo iam Dei filius sit, hæres ità spe vitæ beatæ. Quod Aug. variis locis clarè tradit.

Non iustificamur sola imputatione iustitiæ.

Epistola

Epistola 105. *A peccatis*, ait, *nemo liberatur et iustificatur, nisi gratiâ Dei per* IESVM CHRISTVM, *non solùm remissione peccatorum, sed priùs inspiratione fidei & timoris Dei, impartito salubriter orationis affectu & effectu, donec sanet omnes languores nostros.* De natura & gratia, cap. 70. *Charitas inchoata, inchoata iustitia est: charitas perfecta, perfecta iustitia est.* Libr. 1. *de peccat. merit. & remiss.* cap. 9. & 10. dicit, iustificari eos, qui credunt, per occultam communicationem & inspirationem gratiæ spiritualis, qua adhærens Domino eius spiritu vegetatur.

Vnica est formalis iustitiæ nostræ causa.

Ex quibus manifestum est, vnicam esse causam formalem nostræ iustificationis, videlicet iustitiam, nobis à Deo infusam & inhærentem, quæ consistit in Fide, Spe, & Charitate. Augustinus ergo dicens libr. 19. *De ciuit.* cap. 27. Iustitiam nostram potiùs remissione peccatorum constare, quàm perfectione virtutum; Concilium que Tridentinum dum seorsim remissionis peccatorum, & inhærentis gratiæ meminit, non intendunt docere, hominem iustificari partim imputatione iustitiæ Christi, partim qualitate inhærente, sed explicant duos terminos seu effectus iustificationis. Nam infusio gratiæ depellit peccati tenebras, & hominem illuminat, purificat, iustum facit, ac gratum Deo amicum & filium constituit. Vndè à Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. & Cant. 10. vnica formalis iustitiæ causa ponitur, & iis, qui nos per imputationem iustitiæ Christi formaliter iustos effici dicunt, anathema decernitur. Scriptura enim passim ostendit, iustitiam homini intrinsecam esse. Ephesios 4. *Renouamini spiritu mentis vestræ.* Hinc *vita* nuncupatur. Roman. 8. & Psal. 118. *Sanitas*, Isaiæ 53. 1. Petri 2. Matthæi 9. *Non est opus sanis medico.* Et *lux*, 2. Corinth. 6. ad Ephesios 5. 1. Ioann. 2. *Sanctitas*, siue *puritas*, ad Ephes. 1. & 1. Thessalon. 4. 1. Cor. 6. *Sanctificati estis.* Vocatur etiam *renouatio* siue *regeneratio.* ad Titum 3. Romanor. 5. At nihil tam intimum, quàm quod generatione acquiritur. Vndè verè ac propriè iusti ab interiore hac iustitia homines vocantur. Gen. 6. *Noë vir iustus atque perfectus fuit.* Hebr. 11. *Abel iustus.* Psalm. 118. *Beati immaculati in via.* Augustin. epist. 85. *Quid est aliud iustitia, quam interioris hominis pulchritudo.* Libr. 15. *de trinit.* capite 8. vocat *formositatem*: & sæpe docet Augustinus, iustitiam Dei vocari, non qua iustus est, sed qua iustum hominem facit. Tract. 26. in Ioan. *de grat. & lib. arb.* cap. 12. Serm. 13. *de verbis Apostoli*: *Iustitia Dei vocatur, quam dat.* Inchoatur autem iustitia fide, quæ radix & fundamentum est iustitiæ: perficitur verò charitate. *Nam si habuero*, inquit, Apostolus, *omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* 1. Corinth. 13. & ad Galat. 5. solam fidem per charitatem, operantem prodesse docet. Iacob. 2. *Fides sine operibus mortua est.* 1. Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.*

Iustitia est homini intrinseca.

CAP. CCCXXVII.

Sectarij perperam docent, fidem solam iustificare.

CAluinus in Antidoto ad Cant. 11. sess. 6. Concilij Tridentini, Kemnitius, & hodierni Lutherani docent, solam fidem iustificare, non tanquam causam, vel meritum, sed organum, quo acceptetur peccati remissio à Deo oblata, vt sensus istius propositionis, *homo fide*

Hæresis est, fidem solam iustificare.

iustificatur, hic sit: *homo iustificatur per gratiam Dei non imputantis peccata, quam gratiam fides credendo apprehendit, sicut manus accipit eleemosynam à diuite oblatam.*

Sed contra hoc figmentum docet Ecclesia, fidem concurrere ad Iustificationem per modum causæ, dignitatis, & meriti: non autem solùm relatiuè qua credendo accipit, quod Deus promittendo homini offert. Nam Scriptura Rom. 3. & 4. ad Galat. 2. & 3. & alibi sæpe dicit, *nos iustificari ex fide*, vel *per fidem*. Vbi causa, meritum, efficientiáque insinuatur. Eodem pertinent Scripturæ, quæ significant, fidem impetrare, aut suo modo mereri peccati remissionem. Lucæ 7. *Fides tua te saluam fecit.* Matth. 9. Marci 10. Rom. 4. *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad iustitiam.* Rom. 10. *Ex fide inuocamus.* Hebr. 11. *fide Deo placemus.* Vndè Augustinus fidei meritum dilucidis verbis tribuit epist. 105. *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est*, &c. passimque docet, fidem primam dari, ex qua & per quam cetera impetrentur. epist. 106. libro 1. *Retract.* capite 23. libro de *prædest. sanct.* capite 7.

Fides non solùm relatiuè sed efficienter iustificat.

Sectarij fidem triplicem constituunt: *Historicam*, qua credimus esse vera ea, quæ in sacris litteris narrantur: *Miraculorum*, qua fiunt miracula: & *Promissionum*, qua feruntur in diuinas promissiones de peccatorum remissione, tam generaliter credendo, promissam esse omnibus credentibus salutem, quàm specialiter sibi applicando dictam promissionem, confidendo, sibi propter Christum remissa esse peccata: Et hâc demum specialis misericordiæ fiduciam, esse fidem iustificantem volùt. Hinc sequitur, Fidem esse assentionem potiùs affectus, quàm intellectus.

Sectarij triplicem fidem constituunt.

Catholici verò fidem Historicam, Miraculorum, & Promissionum, vnam & eandem esse docent, illamque non propriè fiduciam, sed assensum firmum & certum, propter authoritatem primæ veritatis esse: ideóque fidem Catholicam iustificare, fidem autem illam specialis fiduciæ commentum hæreticorum esse, asserunt. Itaque Catholici de obiecto fidei iustificantis dissentiunt ab hæreticis in eo, quòd ad solam promissionem misericordiæ specialis restringant: Catholici verò tam latè patere dicant, quàm verbum Dei: & certam fiduciam aut fidem specialis misericordiæ, non ad fidem, sed ad temerariam præsumptionem spectare sentiunt.

Catholici vnam tantùm fidem agnoscunt, quæ non affectus, sed intellectus sit.

Secundò, differunt Catholici ab hæreticis in facultate animi, quæ sedes fidei sit. Nam in intellectu fidem habere sedem, Orthodoxi ex Scripturis euincunt. Sectarij verò fidem in voluntate collocant: definiunt enim fidem per fiduciam, ac proindè ipsam cum Spe confundunt, cùm nihil aliud sit fiducia, quàm Spes roborata.

Fides specialis misericordiæ commentum est sectariorum.

Tertiò, dissentiunt à Catholicis Hæretici in actu intellectus. Hi enim per notitiam, Catholici verò per assensum definiunt. Deo enim nobis credenda proponenti credimus, etiamsi non intelligamus, vt Apostolus ad Hebræos 10. & 11. tradit, vbi fidei iustificanti tribuit, intelligere, aptata esse secula, extinguere impetum ignis, adipisci repromissiones, substantiam esse rerum sperandarum, credere, quòd vnus sit Deus: quæ omnia ad intellectus potentiam, non voluntatis pertinent, si quidem assentiri, iudicare, intelligere, credere, sunt actus intellectus, quemadmodum & considerare,

scire, redigere intellectum in obsequium fidei, quæ tribuuntur ab Apostolo fidei. Romano. 4. 2. Cor. 10.

Fiducia est spes robo-rata.

Deniquè Fiducia cùm Spes sit valida, distinguitur à Fide, vt 1. Cor. 13. Apostolus insinuat dicens: *nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc.* Et fiduciam ex fide nasci, ad Ephes. 3. docet: *Habemus*, inquit, *fiduciam per fidem*, & 1. Timoth. 3. *Multam fiduciam cum fide.* Matth. 9. *Confide, fides tua te saluam fecit*, ac ibidem. *Creditis, quia hoc possum facere vobis?* Vbi omnipotentiæ, non autem specialis misericordiæ fidem à cæcis exigit. Ioan. 14. *Non credis, quia ego in Patre?* Ioan. 20. *Quia vidisti me Thoma, credidisti.* Ac vniuersi Patres de fide iustificante differentes, eam solam intelligunt, quæ *fides Catholica* vocatur, qua omnibus Symboli articulis, Ecclesiæque dogmatibus absque vlla penitus admixtione creditur. Augustin. lib. 2. *contra duas epist. Pelag.* cap. 3. Leo ser. 4. *de passione.* Hilar. lib. 1. ca. 2. 3. 4. Athanas. in Symbolo: *Hæc est fides Catholica*, &c. Quid autem *credere*, sit, exponit Augustin. lib. *de prædest. sanct.* cap. 2. *Credere*, inquit, *nihil aliud est, quàm cum assensu cogitare.* Assensus verò duplex est: *prior* euidentiam rei sequens, & *Notitia* vocatur; *Alter* autem proponentis authoritatem, & *Fides* est. Non enim Fides notitia est, aut eam requirit, quinimo fides viam ad intelligentiam parat, iuxta illud Isaiæ 7. *Nisi credideritis, non intelligetis.* Vnde Augustin. tract. 27. in Ioan. *Intelligentiam mysteriorum esse fidei præmium*, scribit. Et Prosper libr. 1. *de vita contemplativa* cap. 19. *Ex fide intellectus existit.*

Fiducia ex fide nasci-tur.

Fides omnipotentiæ requiritur.

Credere quid?

Fides non euidentiæ, sed authoritati innititur.

Sciendum porrò, in Scripturis *Cor* pro *Anima*, seu *interiore homine* poni, vt actus nō minùs intellectus quàm voluntatis ei conueniant. Sic Apostolus Rom. 10. ait: *Corde creditur ad iustitiā*, quia intellectu assentimur iis, quæ credenda proponuntur. Distinguitur equidem obiecto Fides & Spes, quia illa circa verum, hæc circa bonum versatur: distinguuntur insuper subiecto, illa in intellectu, hæc in voluntate consistit.

Cor pro anima ponitur.

Fides & Spes obiecto, & subiecto distinguuntur.

CAP. CCCXXVIII.

Quòd fides iustificans non requirat certitudinem misericordiæ specialis.

NOn requiri, vt quis certò sibi persuadeat, remitti peccata, vt iustificetur, ex Euangelio patet. Nam Leprosus Marci 1. de Christi voluntate ambigens ait: *Domine si vis, potes me mundare.* Cui Dominus *volo, mundare.* Lucæ 18. Pharisæus confidens se iustum esse, cum sua fide specialis Dei beneuolentiæ repulsam passus est: Publicanus autem ille fiducia carens, & cum pauore Dei misericordiam implorans, iustificatus est. Apostoli quoq; Act. 2. 4. 10. 13. 17. & alibi explicantes doctrinam fidei iustificantis, fidem Resurrectionis & Diuinitatis Christi, non autem specialis misericordiæ Dei, exigunt. Philippus Act. 8. Eunuchum dicentem: *Credo, Filium Dei esse* IESVM, continuò baptizauit. Apostolus in super explicans Abrahæ fidem, quæ ipsi ad iustitiam reputata est, nullam specialis fidei, qua sibi peccata remissa esse persuaderet, mentionem facit, sed credidisse affirmat, quòd quæ promisit Deus, potens sit facere.

Fides specialis Scripturæ aduersatur.

Apostoli fidem specialis misericordiæ Dei nusquam exigunt.

Deniquè Apostolus in Symbolo fidem iustificantem nobis tradi-

Quæ Apostoli credēda propo-nant.

peccatorum obtenta, à bona conscientia, & præceptorum Dei obseruatione, à perseuerantia, teste Ioan. 1. epist. cap. 2. & 3. & Petro 2. epist. c. 1. *Satagite, vt per opera bona certam electionem vestram faciatis.* Ergo fiducia misericordiæ specialis non efficit, sed iustificationem subsequitur, eaque posterior est.

Fiducia iustificationem, non efficit, sed sequitur.

CAP. CCCXXIX.

De præparatione necessaria ad consequendam peccatorum remissionem.

SEctarij, quamuis sola fide iustificari, nec actus spei, dilectionis, pœnitentiæ, aliósque similes ad efficiendam iustitiam concurrere dicant, attamen istorum actuum præsentiam requirunt, veluti signa veræ fidei: quemadmodum calor Solis accendit solus, cui tamen splendor necessariò coniunctus adest. Contrà quod figmentum Concil. Trident. sess. 6. docet, cap. 6. septem virtutum actus ad iustitiam disponere: scilicet actus Fidei, Spei, Dilectionis, Pœnitentiæ, Propositum suscipiendi Sacramenti, & Propositum nouæ vitæ, atque Propositum obseruãdi præcepta Dei. Quòd verò Fides radix initiúmque sit Iustificationis, ex Apostolo constat, qui primam motionem ad Deum fidei tribuit. *Oportet*, inquit, *accedentem ad Deum, credere*, Hebr. 11. & Rom. 10. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Ex fide siquidem timor, spes, pœnitentia, dilectio sequuntur, ac tandem charitas, quam fides gignit non producendo, sed ad eum disponendo & inclinando, iuxta illud Aug. lib. *de prædest. sanct.* cap. 7. *Fides prima datur, ex qua cetera impetrantur.* Et serm. 22. de Verbis Apostoli: *Domus Dei ædendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Enchiridij cap. 8. docet, fidem præcedere Spem & Dilectionem. *Credimus enim multa, quæ non speramus*; vt Infernum.

Septẽ virtutũ actus disponunt ad iustitiã.

Fides est radix iustificationis.

Fides charitatem gignit non producendo, sed disponendo.

Vndè insuper consequitur, fidem ab aliis virtutibus separari posse. Nam Ioan. 12. multi credebãt Principum, qui non confitebantur Christum. 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habeam.* Matth. 7. Multi credentes, audient à Domino, *Nescio vos.* Iacobi. 2. *Fides sine operibus mortua est.*

Fides ab aliis virtutibus separari potest.

Sed cur ergo Scriptura fidei sæpe iustitiam & salutem ascribit? RESPONDEO, Scripturæ more, cùm vnius rei plures sunt causæ, modò huic, modò illi effectum attribui vt significetur, quid hæc causa ex parte sua valeat & faciat, nisi aliunde defectus incidat: non autem vt existimetur, quòd hæc causa sola totum effectum producat. Sic Ecclesiastici 2. dicitur: *Omnis qui sperat, non confundetur.* Lucæ 11. *Omnis qui petit, accipit.* Rom. 10. *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Et, *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.*

Effectus vni causæ tribuitur, etiamsi aliæ concurrant.

Præterea sciendum est, veteres aliquando scribere, nos fide sola iustificari, hoc sensu, quia non ex operibus legis, non ex viribus naturæ, nec vllis omnino quæ sunt, absque fide iustificemur. Aliquando verò dicunt, nos sola Catholica fide iustificari, quia non sanctificamur per hæreses ac errores. Ac postremò subinde Veteres scribunt, solam fidem sufficere ad salutem, vt significent, in necessitate fidem cum voto Baptismi absque Baptismo realiter percepto, vel absque externis operibus, ad salutem sufficere. Quomodo loquitur Bernardus epist. 77.

Basil. hom. de hum. Ambr. ser. 45. & in c. 3. & 4. ad Rom. Hilar. can. 8. in Mat.

Leo epist. 70.

Quo sensu fides ad salutem sufficit.

CAP. CCCXXX.

De Peccatis.

VT magnitudo beneficij remissionis peccatorum, cuilibet per meritum Christi & gratiam Spiritus sancti oblati, plenùs intelligatur; explicabimus, quid, quantúmque malum sit PECCATVM, à quo per culpæ remissionem liberamur, quantis bonis nos spoliet, ac quantis ærumnis nos obnoxios reddat.

Quid sit Peccatum.

Peccatum à vitio distinguitur.

PEccati ratio faciliùs innotesceret, si attenderemus, *Peccatum* & *Vitium* differre, ac in eo quidem, quòd Peccatum operationis malæ nomen sit; Vitium autem habitus mali, qui opponitur virtuti, qua habitum denotat. Virtutis enim nomine tam ad actionem, quàm ad habitum significandum vtimur, quòd non habeamus vocem propriam ad virtutis actionem exprimendam, sicut habemus complura nomina ad significandam actionem, ex vitio promanentem: scilicet *peccatum*, *crimen*, *delictum*, *scelus*, *facinus*, *flagitium*, *culpa*, *erratum*, aliáque huiusmodi. Vnde Augustinus libro *de perfect. instit.* capit. 4. Vitium comparat curuitati tibiæ: Peccatum verò claudicationi. Quare vitium propriè qualitatem permanentem significat: nonnumquam tamen latè sumitur, vt omnem defectum comprehendat, & quidquid peccatum dici consueuit, quomodo Augustinus libro 3. de libr. arbitr. capit. 14. ait. *Quod perspexeris naturæ perfectionis deesse, id vitium vocas: quod non aliunde malum est, nisi quia naturæ aduersatur eius rei, cuius vitium est.* Hinc Enchir. cap. 11. *Vitia naturalium sunt priuationes bonorum.*

Vitium significat habitum.

Malum quid?

Malum autem vocamus, quamvis defectum perfectionis, quæ alicui debeat inesse. Vnde latiùs Mali, quàm Peccati vocabulum extenditur. *Quid enim aliud est malum, quàm boni priuatio?* inquit Aug. Enchiridij cap. 11.

Peccatum est defectus à regula.

Sed Peccatum est defectus à regula, præscribente media in finem. Iuxta quam generalem nominis rationem, in operibus naturæ *Monstra* vocantur *Peccata*, ab Aristotele lib. 2. Physicorum, quia res non sit ad propositum finem perducta. Contractiùs verò Peccati nomen sumitur pro defectu voluntario à regula præscripta: quæ si ab arte proposita fuerit, defectus ab ea *Peccatum artis* dicetur. Quomodo Grammaticus contra regulas loquens, aut Medicus perperam curans, peccare iudicatur. Si autem à Deo regula posita sit, definiens media, quibus ad vltimum finem perueniamus, defectus ab ea voluntarius, *Peccatum moris* nuncupatur.

Peccatum moris.

Peccati generalis definitio.

Definitur autem generalissimè Peccatum lib. 2. *de conf. Euang.* cap. 4. *Peccatum est transgressio legis.* Quæ definitio peccata non minus naturæ, quàm artis & morum comprehendit. Nihil enim aliud est peccare, quàm à regula recedere; iuxta illud Ioan. 1. epist. cap. 3. *peccatum est iniquitas*, Græcè ἀνομία, id est, *legis transgressio.* At peccatum in moribus, de quo solo hîc in symbolo agitur, definit Augustinus libr. 22. *cont. Faust.* capit. 27. *dictum, vel factum, aut concupitum contra legem æternam.* Qua definitione complexus est Augustinus substantiam, quæ est materiale, & rationem ipsam

Peccatum moris describitur.

Materiale peccati.

peccati, quæ formale est. Substantia enim peccati, est actio quædam voluntaria, vel actionis omissio. Ratio autem formalis peccati, est ipsa declinatio, seu recessus à regula, in illa actione vel omissione.

Formale peccati.

Et quoniam tria sunt generalia actionum instrumenta, Cor, Lingua, Manus: & rursus tria actionum genera, Desideriorum, Verborum & Operum: ideo Augustinus, vt quidquid in peccato est, comprehenderet, dixit, *peccatum esse dictum, factum vel concupitum contra legem æternam*: non autem ait, contra legem Dei, neque contra rationem, neque simpliciter contra legem, sed, *contra legem æternam*, vt scilicet omnes in vniuersum leges, ipsarúmque radicem complecteretur. Nam omnis lex, siue naturalis, siue positiua, siue à Deo, siue ab homine lata, ideo vim legis obtinet, quia cum æterna lege congruit, quæ Dei summa ratio est. Quia verò lex propriè non nisi liberi arbitrij vsum habenti datur, ideo nihil propriè contra legem esse censetur, nisi quod à libera voluntate promanat. Ideóque August. nullam liberæ voluntatis mentionem in peccati definitione fecit: quia supponebat, quòd solùm à libera voluntate profectum dictum, factum vel concupitũ, æternæ legi aduersaretur, peccatique rationem habere posset. *Nam vsque adeò* (inquit lib. *de vera relig.* c. 14.) *Peccatum est voluntarium malum, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.*

Lex æterna, Dei sũma ratio est.

Lex nõ nisi liberum arbitrium habenti datur.

Peccatum nõ nisi voluntarium.

Traduntur & aliæ Peccati definitiones, quæ ad supradictæ explicationem conducunt. Augustinus lib. *de duabus animabus* capit. 11. *Peccatum est voluntas retinendi, aut consequendi id, quod iustitia vetat, et vnde liberum sit abstinere.* Lib. 1. *de lib. arb.* cap. vltimo: *Peccare nihil aliud est, quàm neglectis æternis temporalia sectari.* Lib. 1. *ad Simplicia.* q. 2 *Peccatum est hominis inordinatio & peruersitas.* Lib. 2. *de consensu Euang.* c. 4. *peccatum est legis transgressio.* Ioan. 3. *peccatum est iniquitas*, id est, præter rectum ac æquum, quod lex præscribit. Ambros. lib. *de Paradiso* c. 8. *Quid aliud est peccatum, nisi diuinæ legis transgressio, ac cælestium inobedientia mandatorum?*

CAP. CCCXXXI.

Quòd peccatum non sit res aliqua subsistens.

EX peccati definitione constat, formalem illius rationem non in re positiua, sed in priuatione consistere, putà rectitudinis legi conformis: ac proinde actum moralem prauum, dici peccatum extrinseca denominatione, à priuatione actui coniuncta. Ideóque Peccatum non est res aliqua subsistens, sed priuatio, defectus, corruptio. Vnde in Scriptura peccatum *vanitas*, *mendacium*, *& nihil*, appellatur. Psal. 4. Ioan. 1. Dionysius *de diuinis nominibus*, cap. 4. p. 4. docet, Malum carere substantia, ipsumque nullo modo, nusquam, & nihil existere, sed esse priuationem, defectum, infirmitatem, boni corruptionem, cuius nulla sit essentia, quemadmodum nec tenebrarum aut caliginis, vt contra Manichæos, æternum principium malorum constituentes, Augustinus frequenter inculcat. Enchirid. capite 11. Libr. 11. *de ciuit.* capite 9. Lib. 12. capite 9. Tract. 1. in Ioan. Libr. *de gratia Christi*, capite 19. *Malam arborem homo facit, quando ab incommutabili bono deficit.*

Peccatum est priuatio.

Vnde solui quæstio potest: *Vnde*

Vnde peccatum oriatur?

peccatum? quænam illius origo sit? Cùm enim Peccatum de nouo fieri contingat, ambigi nequit, quin aliquam causam habeat, (vt de omni malo concludit Augustin. libr. 1. *cont. Iulianum* cap. 3.) at Manichæi, malum Deum, omnis peccati fontem ponebant, ac proinde mali substantiam constituebant, Augustino teste lib. *de natura boni contra Manichæos* cā. 41. Lib. 22. *cont. Faust.* c. 22. Lib. *de hæresibus*, c. 49.

Malum nō habet substantiam.

Cum Manichæis senserunt Cerdonistæ, de quibus Tertullian. Lib. *de præscript.* & Marcionistæ, de quibus Iren. lib. 1. cap. 29. item Priscillianistæ, de quibus Leo epist. 93. ca. 6. Albigenses, de quibus Antoninus p. 4. tit. 11. Contra quorum delirium Scriptura luculenter docet, vnicum esse Deum optimū & omnipotentem, à quo sit omnis creatura, & bona quidem ab initio facta: sed quoniam nulla creatura summè ac incommutabiliter bona est, ideo bonum in ea minui ac deficere potest, qui defectus malum est, cuius causa est non Deus, sed rationalis creaturæ voluntas, nō efficiendo, sed deficiendo. Peccati ergo causa deficiens, non efficiens quærenda est, vt Aug. docet lib. 12. *De ciuit.* c. 7. Enchir. c. 12. 14. 15. lib. 7. *Confess.* c. 3. lib. 3. *de lib. arbitr.* c. 17. Basilius in hom. *Quod Deus non sit author malorum.*

Peccati causa non efficiēs, sed deficiens est.

Sunt & aliæ peccati causæ, præter deficientem hominis aut Angeli voluntatem, sed inductiuæ, non efficientes. Quædam *internæ*, vt ignorantia, passio, malitia, concupiscentia: aliæ verò *externæ*, vt obiecta & illecebræ peccatorum, quæ tam appetitum sensitiuum, quàm rationalem ad se vehemēter alliciunt. Item dæmones, atque peruersi homines suggestionibus, hortatione, scandalo, variisque alijs modis homines ad peccandum inducunt: ac demum vnum peccatum hominem ad aliud pertrahit: vel quia vnum alteri materiam subministrat, vel quia in alterum ordinatur, aut ad alterum suo modo impellit, vel denique, quia vnius peccati merito, homo à Dei gratia & protectione desertus, de peccato in peccatum labi iusto Dei iudicio permittitur, vt S. Thom. 1. 2. q. 75. & sequentibus diffusè docet.

Cauſæ ad peccatum inductiuæ.

Peccatum vnum alterius causa.

CAP. CCCXXXII.

Quòd Deus non sit causa peccati.

Blasphemia est, Deum peccati authorem facere.

COmplures tam ex antiquis quàm recentioribus hæreticis, primariam peccati causam ingenti blasphemia in Deum retulerunt. Horum princeps extitit Simon Magus, qui omnium scelerum nostrorum causam efficientem, ausus est dicere Creatorē Deum, teste Vincentio Lyrinensi c. 34. *cont. hæreses.* Simonem Florinus sequutus est, de quo Euseb. lib. 5. Histo. cap. 20. ac deinde Seleuciani, de quibus Aug. hæresi 59. Priscillianistæ, de quibus Vincentius Lyrinensis cap. 34. quos sequutus est Lutherus articulo 36. Melanchthon in c. 8. ad Rom. vbi dixit, non minùs Iudæ proditionem esse opus Dei, quàm vocationem Pauli. Quam assertionem damnauit Concil. Tridentin. sess. can. 6.

Caluinus verbo negat, sed reipsa docet, Deum peccati authorem esse.

Libertini, Zuuinglius, Caluinus & Beza, verbo quidem negant, Deum esse peccati authorem, sed reipsa hoc docent. Nam tradunt omnia quæ respectu hominum peccata dicuntur, etiam fieri à Deo, non tantùm permittente, sed insuper volente, definiente, imperante, & operante, quamuis respectu Dei peccata nec sint, nec dicantur, sed potiùs

tiùs opera bona & iusta : respectu verò hominum, qui praua intentione illa faciant, sint & dicantur peccata: quæ licet eadem Deus efficiat, non solùm deserendo, sed etiam operando, impellendo, cogendo, dirigendo, necnon excitando, non tamen peccet, aut peccati author asseri debeat, quia recto consilio, iustóque iudicio illa operetur. Quæ ad inuidiam horribilis blasphemiæ declinandam, Caluinus effinxit.

Caluin lib. 4. Instit. c. 18.

Sed cùm hominem peccantem instrumentum esse Dei operantis, impellentis, mouentis atque cogentis ad opus peccati asserat, opúsque instrumenti ad primarium authorem referri debeat, consequitur, Caluinum reipsa Deum omnium peccatorum authorem facere, ac multò deteriorem Manichæo esse, qui ne Deum bonum authorem mali faceret, aliud æternum omnis mali principium confingere maluit.

Caluinus Manichæo absurdior.

Præterea Caluinus libr. 2. Instit. capit. 4. tradit, Deum non solùm vt causam vniuersalem ad actiones malas concurrere, sed eas, vt tales in specie sunt, velle ac imperare, atque per sua instrumenta propriè efficere, non solùm generali influxu ac motione concurrendo, sed actione quoque speciali operando. Vndè sequitur, Deum particularem esse causam, tam moralem, quàm physicam, actionis malæ.

Ex Caluini principijs sequitur, nullum esse peccatum.

Ex quo Caluini principio sequitur, nullum esse peccatum, quia Deus summè bonus peccare nequit, homines verò quidquid agãt, Deo iubente, impellente, ac necessitatem adferente operentur. Vndè concluditur, peccatum esse tantùm hominum commentum, nullúmque boni & mali discrimen, ac proinde nullam esse religionem, nullum iudicij Dei metum, nullam gehennam, nulla supplicia. Nam si adulteria, proditiones & similia Deo cogente fiant, peccata nõ sunt, nec iustè puniri queunt. Hinc omnino politicam gubernationem tolli necesse fuerit, quia impunè omnia perpetrari continget, cùm nullus damnari possit, nisi peccauerit. Vndè nulla hominum societas diu stare poterit.

Deus peccati non est author.

Contra quam pernicioſissimam Caluini doctrinam firma tenendum est fide, Deum neque peccare, neque peccati authorem esse. Nam Scriptura disertis verbis attestatur, omnia Dei opera esse bona. Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Deut. 32. *Deus absque vlla iniquitate.* Psalm. 44. *Odisti iniquitatem.* Sap. 11. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Sap. 14. *Odio sunt Deo impius & impietas eius.* Rom. 3. *Nunquid iniquus est Deus?* & Ro. 5. *Nunquid iniquitas apud Deum? absit.* 1. Ioan. 3. *Peccatum in eo non est.*

Deus non vult mala fieri, sed solum vult permittere.

Quod autem Deus non solum non peccet, vt euincunt istæ scripturæ, sed neque peccatum velit, aut fieri decernat ad gloriæ aut iustitiæ suæ manifestationem, aliæ scripturæ ostendunt, Psalm. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Ezechielis 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impij?* 2. Petri 3. *Deus neminem vult perire.* Ecclesiastici 15. *Deus nemini imperauit impiè agere.* Hieremiæ 19. *Ædificauerunt excelsa, quæ non præcepi, nec loquutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* Iacobi 1. *Deus intentator malorum est. Ipse neminem tentat.* Multò igitur minùs ad malum impellit aut cogit.

Quod insuper non velit peccata Deus, vt iustitiam suam puniendo, aut misericordiam ignoscendo manifestet, docet Ecclesiasticus ca. 15. *Ne dicas, per Deum ab est. Quæ odit, ne feceris: non dicas: ille me implana-*

nit. Non enim sunt ei necessarij homines impij ; vt scilicet puniendo vel miserendo glorificetur. Non enim *facienda sunt mala, vt eueniant bona.*

Peccatum non Deo, sed homini vel angelo efficienti tribuēdum.

Postremò Scriptura docet, peccatum non Deo, sed tantùm hominis voluntati ascribendum esse. Osee 13. *Perditio tua ex te, tantummodo in me auxilium tuum.* Ioan. 8. de diabolo loquens: *Cùm loquitur mendacium, ex proprio loquitur.* 1. Ioan. 3. *Qui loquitur mendacium, ex diabolo est.* 1. Ioan. 1. *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt.* Item Deus hortatur homines, vt non obdurent corda sua. Psal. 94. pulsat corda, incitans ad bonum Apoc. 3. omnésque inuitat ad se. Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui onerati estis, & ego reficiam vos.* Ac denique omnia peccata Deus prohibet, atque punit, non igitur vt illa fiant, imperat.

Omnia peccata Deus prohibet.

Accedit omnium scriptorum Ecclesiasticorum consensus, qui ex professo demonstrant, Deum malorum authorem non esse. Dionysius Areopagita lib. *de diuinis nominibus* capit. 4. *Non igitur*, ait, *Deus est author mali.* Irenæus libro integro Florinum confutauit, asserentem, Deum esse mali authorem, teste Eusebio lib. 5. Histor. c. 19. Athanasius in oratione *contra Idola.* Basilius hom. 2. Hexameron, & oratione, *Quòd Deus non sit causa malorū.* Epiphan. hæresi 66. Damascenus lib. 4. *de fide* cap. 20. Ambros. libr. 1. Hexam. capit. 8. Hieronymus in cap. Isaiæ 45. Augustin. lib. 3. *de lib. arbitrio* cap. 16. *Non inuenio, nec inueniri posse confirmo, quomodo peccata nostra Deo creatori nostro tribuātur.* Lib. 1. *de ordine* cap. 1. dicit, *impiissimè Deo tribui peccata.* Et passim docet, peccati nullam esse causam efficientem, sed tantùm deficientem. lib. 12. *de ciuit.* cap. 7.

Peccati nulla est causa efficiens, sed deficiens.

Quod verò neque ex Dei prædestinatione vel ordinatione, mala fiant, definit Concilium Arausicanum c. 24. Concilium Valentinum cap. 3. Leo ser. 16. *de Passione Domini.* Prosper *in respon. ad capitula Gallorum* 12 & *ad obiectiones Vincentianas* cap. 5. & sequentibus: Fulgentius lib. 1. *ad Monimum.* cap. 13. & 21 Gregor. lib. 29. Mor. c. 21. *Deum*, ait, *esse authorem naturæ, non culpæ.* Hugo lib. 1. *de sacram.* p. 5. cap. 27. & 29. scribit, Deum prauas hominum voluntates non inspirare, sed permittere, ac ita clauum tenere, vt ad exequenda sua iudicia impiorum conatus rectissimè conuertat. *Nec enim Deus omnipotens, summéque bonus, vllo modo sineret mali aliquid esse, nisi vsque adèo esset omnipotens & bonus, vt bene faceret etiam de malo*, ait Augustinus Enchiridij cap. 11. addens: *Malum bene ordinatum, et loco suo positum, eminentiùs commendat bona, vt magis placeant, & sint laudabiliora, dum comparantur malis.*

Deus malum nec vult, nec prædestinat vt fiant.

Deus impiorum conatus ad exequenda sua iudicia conuertit.

CAP. CCCXXXIII.

Dissolutio obiectionum.

Obiectiones Caluini dissoluuntur.

CAluini obiectiones ex Scripturis desumptas, quæ asserunt, Deum indurare cor, excæcare, omnia denique operari secundùm consilium voluntatis suæ, Augustinus iam olim dissoluit, ostendēs, Deum hæc omnia facere non inspirando malitiam, sed permittendo: deserendo, non adiuuando per efficacia auxilia. Sic Augustinus epist. 175. tract. 53. in Ioan. lib. 22. *de ciuit.* & Enchir. cap. 100. & 102. Fulgentius lib. 1. ad Monimum. D. Thomas. 1. p. q. 19. art. 9. ad 3.

Sed instat Caluinus, *Deus non est*

Deus vult peccata permittere ob fines bonos.

otiosus spectator, dum homines peccant: RESPONDEO, Deum certa sua prouidentia velle peccata permittere ob bonos fines, quos inde nouit elicere, illa bene ordinando, iustéque puniendo, melius iudicans, de malis bene facere, quàm nulla esse permittere, vt habet Augustinus Enchir. cap. 27.

Deus prauis hominum volũtatibus præest, permittendo fieri quod placet, impediẽdo quod vult.

Quomodo autem Deus malis hominum voluntatibus præsideat, eásque sic regat, vt nõ fiat, nisi quod vult, explicat Hugo li. 1. *De sacram.* p. 5. cap. 29. dicens, Deum malæ voluntati non dare corruptionem, sed ordinem, ac permittere foris exequi malum, ad quod proprio vitio resoluta est. Sic diabolo, petenti facultatem vexandi Iob, Deus concessit, ita tamen, vt non plus ei nocere posset, quàm Deus permitteret, & quamdiu, quousque, & quomodo vellet. Ideò afflictio illa Deo tribuitur: *Deus dedit, Deus abstulit.* Iob. 1. quia scilicet afflictionem illam Deus fieri permisit, ac malam Diaboli voluntatem executioni mandari, quam facilè impediuisset, si voluisset. Non igitur incitando, impellendo, cogendo, aut præcipiendo malum Deus facit, sed permittendo, atque veluti non tenendo, & prauæ voluntatis executionem non impediendo, quod facere non tenetur. Nec aliud vult Augustinus (libro 5. *cont. Iulianum* capit. 3. & 4. & Libro *de gratia & libr. arbitrio*, cap. 20. & 21.) quàm quòd Deus voluntatem proprio vitio malam, permittat in hoc potiùs peccatum quàm illud ferri, impediendo, vel non impediendo, vt hoc faciat. Sic præcepit Semei maledicere Dauid, quia iusto iudicio Deus permisit, vt conceptam malitiam Semei erga Dauidem exequeretur; quod non permisisset, si Dauid non peccasset. Hanc sententiam expressè tradit Augustin. tract. 53. in Ioan. lib. *de cor. et grat* c. 12. *præsciente non cogente ad hoc.* Proiper ad obiect. Vincentian. respond. 10 blasphemiam ait esse, asserere, quòd Deus mala operetur, aut fieri decernat, cùm ne diabolus quidem in totum sit malarum generator voluntatum, quia tantùm suadere, non autem voluntatem flectere aut cogere possit.

Iob 1.

Deus prauæ voluntatis executionem impedire non tenetur.

CAP. CCCXXXIV.

De peccatorum varietate.

De peccatorum varietate.

VAria sunt peccatorum genera, multiplexque peccati diuisio. Prima ducitur ab obiectis, à quibus actiones speciem suam accipiunt. Quædam enim peccata sunt carnalia, nonnulla verò spiritualia, iuxta illud Apostoli 2. Corinth. 7. *Emundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus.* Res enim omnis, ad quam peccando inordinatè conuertimur, aut sensibus carnis apprehenditur; vt cibus, potus, concubitus: aut intelligentia; vt honor, potestas, diuitiæ. Per conuersionem ad priora, committuntur peccata carnis: per conuersionem verò ad posteriora, fiunt peccata spiritualia. Illa homines bestijs similes reddunt; hæc autem dæmonibus: & Latinè illa dicuntur *flagitia*, illa verò *scelera & facinora.*

Peccata spiritualia & carnalia.

Secunda peccatorum diuisio ab origine ducitur. Quædam enim dicũtur *Originalia*, alia verò *Actualia*. *Originale* peccatum est, quod à primo parente per carnalem propagationem cum natura trahitur, quodque voluntarium est, non propria, sed aliena voluntate; illius scilicet, cui data fuerat iustitia pro tota sua posteritate, quã in se veluti in radice

Peccatorũ diuisio ab origine.

Quid peccatum orig.

vitiauit, acceptóque originalis iustitiæ dono spoliauit. *Actualia* peccata sunt, quæ propria voluntate committuntur.

Actualia peccata.

Peccatorũ diuisio à lege sumpta. Commissionis.

Tertia partitio à lege diuina sumitur. Quædam enim sunt peccata *Commissionis*, quæ videlicet pugnant cum lege negatiua & prohibente aliquid, vt Homicidium, Adulterium, & similia: alia verò peccata *Omissionis* dicuntur, quæ scilicet violant leges affirmatiuas & imperantes aliquid: vt in honoratio parentum, omissio cultus Dei. Et commissio propriè quidem peccatum; omissio autem delictum vocatur, Augustino teste in Leuiticum quæst. 20.

Omissionis.

Peccatorũ diuisio à personis ducta.

Quarta peccatorum diuisio à personis, quæ peccato læduntur, deducitur. Quædam enim peccata in Deum, alia verò in proximum, ac nonnulla in nosmetipsos committimus. Aduersus quæ nos Apostolus munit *ad Titum* cap. 2. *Sobriè et iustè ac piè viuamus.* SOBRIE, quoad nos, IVSTE verò, quoad proximum, & PIE, quoad Deum.

Quinta partitio à grauitate reatus. Mortalia.

Venialia.

Quinta partitio nascitur ex grauitate reatus peccatorum. Quædam enim peccata *letalia*, alia *venialia* dicuntur. *Letalia* hominẽ à Deo auertunt, inimicúmque Deo, ac pœnæ perpetuæ reum faciunt. *Venialia* sunt, quæ nonnihil cursum in Deum impediunt, sed tamen charitatẽ non tollunt, faciléque veniam impetrant. Priora, *Crimina*, posteriora verò, *Peccata* nuncupantur. Iustus enim absque crimine, non autem sine peccato viuere potest, Aug. Enchir. c. 64. Crimen vulneri letifero, quod subitò vitam extinguit, venia: le autem peccatum leui plagæ, quæ sine vitæ periculo illata est, assimilatur, quoniam facilè curatur, nec aduersatur charitati, quæ animæ vita est.

CAP. CCCXXXV.

De peccati mortalis & venialis discrimine.

Errores de peccatorũ natura.

IOuinianus omnia peccata esse paria docuit: quem Hieron. lib. 2. contra eundem præclarè confutauit, vt Aug. epist. 29. agnoscit. Pelagius quólibet peccato iustitiam amitti dixit: vnde sequitur, omne peccatum esse mortale. Quia verò multos esse iustos negare non audebat, consequenter asserebat, hominem in hac vita posse absque omni peccato viuere, Hierõnymo teste dialogo 1. & 2. contra Pelag. Augustino libr. *de hæresibus* cap. 88. Vvicleff (teste Vvaldensi tom. 2. *de Sacram.* capit. 154.) sensit, omnia reproborum peccata esse mortalia, omnia verò electorum esse venialia. Lutherus opinatus est, omnia peccata natura sua esse mortalia, sola verò Dei misericordia esse venialia. Caluinus consentit lib. 2. Iustit. c. 8. §. 59. & li. 3. c. 4. §. 28. Idem senserunt nonnulli Catholici, vt Gerson 3. p. Theol. tract. *de vit. spir. anim.*, lect. 1. Almain tract. 3. c. 20. Roffensis in refut. art. 32. Lutheri.

Peccata quædã sunt natura sua venialia.

Sed recepta Ecclesiæ doctrina est, (quam tradunt Doctores in 2. Sentent. dist. 42. S. Thom. 1. 2. q. 88. art. 1.) quædam esse peccata ex natura sua venialia, nonnulla verò letalia: illis deberi tantùm supplicia temporalia, his autem perdi amicitiam Dei, & reatum æternæ pœnæ incurri. *Stipendium* enim *peccati*, ait Paulus, *mors*, Rom. 6. & 1. Cor. 6. *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt?*

Esse verò peccata quædam leuia; quæ iustitiam, Deique amicitiam non tollãt, docet Sapiens Prouerb.

24. *Septies in die cadit iustus.* Ecclesiastic. 7. *Non est iustus in terra, qui faciat bonum, et non peccet.* Dominus Matth. 6. Apostolos, omnésque iustos orare docuit: *Dimitte nobis debita nostra.* 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus.* Iacobi 3. *In multis offendimus omnes.* Concil. Mileuitanum Cant. 6. 7. & 8. Synodus Tridentina sess. 6. c. 11.

Quòd autem peccatum Veniale sine vlla relatione ad prædestinationem, vel ad misericordiam Dei, vel ad statum renatorum, natura sua distinguatur à Mortali, ita vt pœnam mereatur, sed non æternam; Deúmque offendat, sic tamen, vt amicitiam eius non euertat: Christus Matth. 5. insinuat, constituens tres Iracundiæ gradus, quibus tres reatus correspõdent: *Iudicij, Concilij, & Gehennæ ignis.* Conuitio enim reatum *Gehennæ* assignat; Iracundiæ compressæ, reatum *Concilij*, Iracundiæ verò nullo externo signo foràs erumpenti, reatum *Iudicij.* Matth. 23. quædam peccata comparat *Culici*, alia verò *Camelo.* Luc. 6. quædam *Festucæ*, alia *Trabi.* Ex quibus sequitur, peccatorum alia esse natura sua leuia, alia verò grauia. Lucæ 12. *Non exies indè, donec nouissimum minutum reddas.* Et Apostolus 1. Cor. 3. peccata venialia rebus natura sua leuissimis assimilat, *ligno, fœno, stipulæ*, per quæ veteres peccata leuia intelligunt, quæ licet detrimentum adferrant, non tamen à salute excludunt. Iacobus quoque in epist. cap. 1. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus et illectus: concupiscentia verò cùm conceperit, parit peccatum*, (eliciendo scilicet imperfectum consensum) *peccatum autem cùm consummatum fuerit, generat mortem*, accedente pleno libertatis voluntatis consensu. Accedit, quòd Matth. 12. Dominus *reddendam rationem* dicat *de omni verbo otio.* Vndè monet Apostolus Ephes. 5. *Turpitudinem, Stultiloquium, & Scurrilitatem* aliena esse à fidelibus debere, non tamen à regno Dei excludere significat, quemadmodum tria ibidem enumerata alia peccata.

Peccatum veniale Dei amicitiam non tollit.

Hinc Augustinus sæpè inculcat, quotidiana esse peccata, sine quibus iustorum vita non agitur, quibus anima non occiditur, sed nonnihil deformatur, & in suo cursu impeditur. Libr. *de nat. & gratia* capite 38. docet, risum immoderatum, cibum nimium, iocum non necessarium, similésque voluntarias actiones esse quidem peccata, sed quæ cum iustitia consistant. Libr. *de spir. & lit.* capite 36. Enchirid. capite 71. & 22. Ac definitum est idipsum in Concil. Tridentino sess. 6. Cantic. 23. & 25.

CAP. CCCXXXVI.

Quòd difficile sit, mortale peccatum à veniali discernere.

QVamuis certum sit, inter peccata quædam esse letalia, quæ gratiam; id est animæ vitã tollant, alia verò esse leuia, vel ex genere suo, vt otiosum verbum: aut ex imperfectione operis, quia ex surreptione, nec satis deliberata voluntate, vt desiderium illicitæ rei subitaneum, aut demum ex paruitate rei, vt furtum aciculæ, vel vnius pomi, alterius ve rei vilissimi prætij, cuius oblatione non infertur proximo notabilis iniuria vel læsio: attamen de plerisque peccatis, an mortalia vel leuia sint, difficillimum est inuenire, periculosissimum definire, adeò, vt

Peccatum mortale à veniali difficulter discernitur.

Augustinus senex scribat libr. 21. *de ciuit.* cap. vlt. *Ego certè vsque ad hoc tempus, cùm inde satagerem, ad eorum indaginem peruenire nõ potui.* Enchiridij c. 78. *Sunt quæ leuissima putarentur, nisi in scripturis opinione graviora esse commonstrarentur. Quis enim dicentem fratri suo,* RACA, *reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret?* Mat. 5. Accedit, quòd peccata magna & horrenda cùm in consuetudinem venerint, aut parua, vel nulla esse credantur, vsque adeò, vt non occultanda, verùm etiam prædicanda videantur. Sicut Psal. 9. scriptum est: *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit, benedicitur.* Cuiusmodi iniquitas in diuinis libris *clamor* vocatur, Gen. 18. Isaiæ 5. quia scilicet peccata illa non puniebantur, sed veluti lege apud eos permissa frequentabantur. Vndè Augustinus Enchiridij c. 80. exclamat: *Væ peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus; vsitata verò, pro quibus ablutis filij Dei sanguis effusus est, sæpe videndo tolerare, sæpe tolerando etiam nonnulla facere cogimur.* In epist. ad Galatas *de obseruatione dierum, & temporum* idipsum ostendit; quod in Enchiridio c. 79. repetit. Lib. *de nat. boni* contra Manichæos cap. 30. & 8. *Quanta vnicuique culpæ pœna debeatur, diuini est iudicij, & non humani.* Vndè concludit, cap. 78. Enchiridij: *Quæ sint autem leuia, et quæ grauia peccata, non humano, sed diuino sunt pensanda iudicio.*

CAP. CCCXXXVII.

Quòd peccata venialia non sint contemnenda.

Peccata venialia non contemnenda.

QVamuis peccata venialia æternæ morti obnoxiũ hominem non reddant, non tamen sint parui pendenda, sed omni studio diuitanda. Ideoque Deus voluit nos ignorare modum & pœnam cuiusque culpæ, ne studium proficiendi ad cauenda omnia peccata in nobis pigresceret. Augustinus libr. 21. *de ciuit.* ca. vltimo. Hinc Dominus quotidiana fidelium oratione expiari leuiora peccata voluit, Matth. 6. Et Dauid Psalm. 31. *Pro hac orabit omnis sanctus in tempore oportuno.* Pro his minimis peccatis redimendis Christus eleemosynas facere hortatus est Lucæ 11. Augu. Enchir. ca 71. 72. 75. 77.

Accedit, quòd pro minimis etiam expiandis peccatis Sanguis Filij Dei effusus sit. Nam *sine sanguinis effusione non fit remissio*, Epist. ad Hebræos. 1. Ioan. 1. *Sanguis filij eius emundat nos ab omni peccato*, tam leui, quàm enormi. Nam subijcit: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus*, &c. Vt se de leuibus quoque peccatis loqui designaret. Christus enim *Agnus est, qui tollit peccata mundi.* Ioan. 1. *Quem posuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius*, Roman. 3. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, redemptionem peccatorũ*, Ephes. 1. Augustin. lib. 6. in Iulia. cap. 8. *nullam iniquitatem fore impunitam* asserit, nisi quam Sanguis Filij Dei expiauerit. Libr. 19. contr. Faust. cap. 7. tract. 56. in Ioan. ait, *Christum interpellando nobis quotidie pedes lauare.* Hieron. libr. 2. contra Pelagian. iustum vix scribit propter peccata venialia saluari. Et Augustin. lib. 9. *Confess.* cap. vlt. *Væ laudabili vitæ hominum, si remota Dei misericordia iudicetur.* lib. 2. *de perfect. iustit.* similia habet, necnon libr. 21. *De ciuit.* capite vltim. libro *de correptio. & grat.* capite 13. libro 2. *de peccat. merit.* cap. 3. epist. 89. in solut. qu. 4. & epist. 29. Peccata venialia sanguine filij Dei emundantur.

Præterea venialia peccata ex eo

Peccatis venialibus pœna in futuro seculo debetur.

vitanda discimus, quòd eis grauissima futuri seculi pœna in Purgatorio luenda debeatur, si in hac vita satisfactione condigna non eluantur, vt docet Augustinus Enchir. capite 110. & in Psalm. 37. *Saluus erit, sic tamen quasi per ignem*; grauior tamen erit ignis ille, quàm quidquid homo in hac vita pati potest.

Venialia multa peccata vnum mortale nõ adæquant.

Postremò, licet peccata venialia quantumuis multiplicata vnum mortale nunquam adæquent, quia charitatem, quæ vita est animæ, nunquam tollunt: attamen si contemnantur & negligantur, paullatim hominem ad crimina perpetranda disponunt & alliciunt. Vndè Augu. epistol. 108. multa peccata in vnum collecta nos grauare instar vnius grandis, ait, sicut aqua per negligentiam contempta paullatim nauem submergit. Qualia repetit epistol. 29. in Psalm. 118. conc. 3. homil. 50. inter 50. In Psalm 39. ad illud: *Multiplicatæ sunt.* tractat. 12. in Ioann. & tract. 1. in 1. epist. Ioan. Greg. lib. 10. Moral. 14. *Si curare parua negleximus, insensibiliter seducti audacter etiã maiora perpetramus.* Bernard. de *præcepto & dispen. Aliud est peccata venialia committere, aliud contemnere.* Omnes siquidẽ sancti, excepta vnicâ B. Virgine, leuia peccata habuerunt, (Augu. *de nat. & gr.* cap. 36.) quæ ingenti studio, pœnitẽtia, & misericordiæ operibus delere conati sunt, vt Cyprianus tractatu *de Eleemosynâ* tradit.

Sãcti magis in bona Domino quàm in suis meritis confisi sunt.

Hinc sancti morientes magis de bona Domino quàm in suis meritis confisi sunt, vt de Ambros. testatur Possidonius in vita B. Aug. c. 16. Hilar. in Psal. 51. de S. Aug. Possidon. in vita cap. 31. Hieron. lib. cont. Luciferianos: *Nolo vocem illam audire: fiat tibi secundum fidem tuam alioquin peribo.* Basil. epist. 75. *Non cesso lacrymas profundere.* Gregor. lib. 35. Moral. cap. vlt. Bernard. serm. 1. *de conuers. Pauli*, & libr. *de præcepto et dispen.* ex professo docet, peccata venialia non esse contemnenda, immoderatum tamen eorum timorem, qualis est in scrupulosis, vitiosum esse. Opus itaque Christiano, vt se ad anteriora extendat, crassiora venialia diminuat, ineuitabilia verò quotidiana pœnitentiæ medicina sanet, ac studiosè in Dei dilectione crescere laboret, donec ex toto corde, omnique conatu diligere, illi donetur. Sic August. lib. *de Spir. & lit.* capite vlt.

Bernard in serm. de Cœna Domini.

CAP. CCCXXXVIII.

De septem peccatis capitalibus.

Ecclesiast. 1. Tim. 6.

QVamuis peccatorum varij reperiantur fontes, ex quibus vberrimi alia emanant, quemadmodum Ioannes 1. capite 2. ad Luxuriam, Auaritiam & Superbiam omnia peccata reuocans insinuat, imò Scriptura omnium peccatorum caput, matrem atque reginam constituat, *Superbiam*, & Radicem omnium malorum, *Cupiditatem* Apostolus dicat, Augustinus quoque (Enchir. cap. 24.) *Ignorantiam rerum agendarum, & concupiscentiam noxiarum, malorum originem* statuat: rectè tamen Ecclesiastici doctores disciplinæ causa septem capitalia peccata fontes atque radices ceterorum omnium constituerunt, sequuti Diu. Gregor. libro 31. Moral. cap. 31. vbi septem ista peccata veluti duces exercitus constituit, quia multæ vitiorum turmæ sequi soleant.

Septem peccata capitalia, & cur ita vocentur.

Continentur autem ista septem peccata voce SALIGIA, vnicuique

accommodata prima litera: videlicet *Superbia, Anaritia, Luxuria, Ira, Gula, Invidia, Acedia.* Ex quibus quinque sunt spiritualia nempe, *Superbia, Invidia, Ira, Anaritia & Acedia*: duo autem carnalia: scilicet *Luxuria et Gula.*

5 Spiritualia
2. Carnalia.

Et singula hæc peccata, bona quædam sectantur aut mala refugiunt, felicitatis vmbram habentia. Nam excellentiam Superbia quærit: Anaritia verò sufficientiam: Luxuria & Gula delectationem. Sed ea mentis humanæ cæcitas est, vt verorum bonorum vmbras in his terrenis consectetur. Nam si veram excellentiam, sufficientiam & delectationem quærerent, non aberrarent: *Gloria* enim *& diuitiæ in domo eius*, Psalm. 11. *et delectationes in dextera eius*, Psalm. 15. Sed fallacium illorum bonorum amor carnali menti inhærens, in plurima hominem impellit peccata, quæ soboles aut filiæ illius Cupiditatis, à qua exorta sunt, dicuntur. Tria verò reliqua peccata, *Invidia, Ira*, & *Acedia*, contraria bonis appetitis fugientia vehementissimè hominis mentem fallacibus illis bonis deditam commouent. Nam *Invidia* gloriæ propugnatrix, de alieno bono angitur, quod proprium impedire videtur, dúmque suam excellentiam tueri conatur, in varia mala propellit. *Ira* desideriorum vindex, acriter animum quem possederit impellit. Denique *Acedia* seu Tristitia animæ, cupiditatibus succumbentis, per carentiam eorumdem fallacium, quæ appetit, bonorum, in tantam animi dejectionem atq; dolorem perducit, vt homo subindè in desperationem, suique necem adigatur.

Bona sectantur, & mala refugiunt.

Excellentiã sufficientiam & delectationé.

Tria sunt peccata, quibus cõtraria bonis appetitis homines refugiunt.

Invidia, Ira, Acedia.

Quia verò horum peccatorum, cognitio vtilis ac pernecessaria est, vt quisque intelligat, in quodnam illorum propensior sit, ac quænam in corde vitiorum prima radix exsistat, ex qua veluti radice cetera peccata dimanẽt, quam in seipso potissimùm expugnare debeat, vt à peccatis innumeris se immunem conseruet, ideò singulorum naturam, soboles, & remedia contra eadem breuiter subiungemus.

CAP. CCCXXXIX.

De Superbiâ.

SVperbia *est inordinatus amor propriæ excellentiæ*, vt docet Augustinus serm. 53. *de Verbis Domini*, & lib. 14. *De Ciuit.* cap. 13. Nam si propria excellentia ordinatè appetatur, vti & laus & fama bona, scilicet propter Dei honorem, vel proximi ædificationem, aut vt nos in virtute proficiamus, aliósque ad amorem virtutis & eruditionis faciliùs inducere valeamus, non est Superbiæ vitium, sed magnanimitatis donum.

Superbiæ definitio.

Laus & fama ordinatè appeti potest.

Enumerat autem S. Gregorius lib. 23. Moral. cap. 7. Superbiæ species quatuor.

IV. Superbiæ species.

Prima est, sibi bonum, quod quis habet, soli tribuere, non Deo acceptum referre, siue bonum sit corporis, siue animæ. Contra hanc superbiam disserit Apostolus 1. Cor. 4. *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Hæc propria erat diaboli, eorúmque, qui pro Dijs colli voluerunt: vt fuit Nabuchodonosor Danielis 3. Alexander Magnus, Herodes, Cajus, aliique plures.

I. Sibi, non Deo bona tribuere.

Actor. 12.

Secunda species Superbiæ est, agnoscere bonum quidem à Deo esse acceptum, sed propriis meritis & laboribus acquisitum. Contra quam

II. Suis meritis ascribere bona accepta.

quam ſuperbiã agit Moyſes Deut. 8. *Ne dicas in corde tuo : fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præſtiterunt.* Et Apoſtolus ad Epheſ. 2. *Non ex vobis, non ex operibus, ne quis glorietur.* Prouerb. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Ierem. 17. *Maledictus, qui confidit in homine*, ſiue in alio, ſiue in ſeipſo.

III. Sibi arrogare, quod non habet, vel ampliùs.

Tertia Superbiæ ſpecies eſt, ſibi attribuere bonum, quod quis non habet, aut ampliùs quàm habet. Contra hanc agit Ioan. Apoc. 3. *Dicis, quod diues ſum, &c. Et neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Sic de Moab ſibi plura vendicante, quam poſſet, & haberet, Ierem. 48. *Superbiam eius noui, &c.*

IV. Singularem velle videri.

Quarta Superbiæ ſpecies eſt, deſpectis cæteris ſingularem in bono velle videri: quæ propria fuit Phariſæo, Lucæ 18. qui ſibi placens, aliis omnibus, & ſingulariter Publicano inſultans, ſe præferebat; vt notat Auguſt. Pſal. 93. Greg. lib. 23. Moral. cap. 7.

Superbia quando mortale peccatum.

Licet autem his quatuor modis in ſuperbiam incidatur, non tamen omnis ſuperbia letale peccatum eſt, ſed in tribus his caſibus. I. dum ſe Deo quis æquat vel anteponit, aut ſibi cum Dei contemptu aliquid tribuit. II. Dum quis ita ſuam excellentiam appetit, vt ad eam aſſequendam vel tuendam paratus ſit Dei præcepta trãſgredi. III. Quando quis cum notabili iniuria proximi ſuam excellentiam quærit, vel defendit, putà infamando, inhonorando alium.

Filiæ ſuperbiæ.

Ex ſuperbia tanquam ex infauſta parente ſoboles naſcuntur iſtæ:

Iactantia.

Iactantia, quæ eſt manifeſtatio propriæ excellentiæ ſupra id quod eſt in ſe, vel in aliorum exiſtimatione verbis inordinatè facta:

Vana gloria.

Vana gloria, id eſt, appetitus gloriæ inordinatus; qualis eſt in præſumptuoſis & ambitioſis, qui dignitates & prælaturas inordinatè conſectantur;

Hypocriſis.

Hypocriſis, id eſt, ſimulatio virtutis, dum opere aliter ſe quis exhibet, quàm in ſe ſit.

Contentio.

Contentio, dum quis verbo aut ſcripto alterius veritatem oppugnat, vincenti ſtudio:

Diſcordia.

Diſcordia, id eſt, voluntatum contrarietas:

Pertinacia.

Pertinacia; dum quis propriæ ſententiæ plus quàm oportet adhæret, quàm videlicet res poſtulet, argumentáque conuincant, ita vt ſatis manifeſtatæ veritati acquieſcere nolit:

Curioſitas.

Curioſitas, id eſt, appetitus ſciendi inordinatus, res videlicet non neceſſarias, nec vtiles, ſed noxias, ſuperſtitioſas, vel omnino indifferentes; aut dum vult ſcire contra rationem, quæ ſuum captum ſuperant; vel quæ nihil ad ſe pertinent, aut quæ nihil ad Dei honorem, ſuam vel proximi ædificationem conducunt: ac demum ſi quis velit ſcire illa, quæ ſibi futura ſint occaſio peccandi, vt lectio librorum hæreticorum, aut Poëtarum laſciuorum, inhoneſtorum, magicorum, de Arte amandi, aut ſimiles.

Inuentio nouitatum. Actor. 20.

Inuentio nouitatum, ſiue in factis, ſiue in dictis, vt laudem ſibi quis apud alios comparet, tanquam rerum admirabilium author; in quo peccant hæreſeon architecti.

Hæreſis.

Hæreſis, id eſt, electio certæ ſectæ, opinionis, ſeu doctrinæ, Veteri atque Catholicæ contrariæ. Sicut enim olim infidelitatis, ita hodie ſuperbia omnis hæreſis mater eſt, vt Apoſtolus 2. Timoth. 3. ſcribit:

Superbia hæreſeon mater.

Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, &c. ſemper diſcentes, & nunquã ad ſcientiam veritatis peruenientes: cauſámque ſubdens: *Sicut enim Iamnes & Mambres reſiſterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt veritati.* Auguſtinus lib. *De paſtoribus* cap. 8. *Diuerſis in locis diuerſa ſunt*

hæreses; sed vna mater superbia omnes genuit. Si quis historias Ecclesiasticas reuoluat, hæresiarchas omnes ex superbia & ambitione in hæresim incidisse reperiet; vt de Tatiano, Thebute, Tertulliano, Florino & Blasto, Mōtano, Nouato, Meletio, Nestorio, & de Seuero scribit Nicephor. lib. 4. c. 7. 12. 20. 22. lib. 6. c. 3. & 30. lib. 14 c. 32. lib. 16. c. 29. De Valentino idem scribit Tertullianus libro aduersus Valentinianos. Cuius rei typus fuit confusio linguarum in ædificatione Babylonica ex superbia erecta. August. tract. 6. in Ioan.

11. Filia Præsumptio.

Alia superbiæ filia *Præsumptio* est, quæ definitur, Appetitus se supra propriam potestatem efferendi, siue in factis, siue in dictis: Item, *Ambitio*, id est, inordinatus appetitus bonorum & dignitatum: ac postremò *Inobedientia*, id est, trāsgressio mandati superioris, quia mandatum est, hoc est, in contemptum authoritatis eius, qui mandat. Obediendum enim est omni superiori in honestis & licitis, iuxta doctrinam Apostoli Roman. 13. Hebr. 13.

12. Ambitio.

13. Inobedientia.

Rom. 13. Hebr. 13.

CAP. CCCXL.

Quæ sint remedia contra Superbiam.

Remedia contra superbiam.

SVperbiæ remedia efficacissima sunt, animo recolere, quidquid in nobis est, à Deo esse, non à nobis, vt Apostolus 1. Cor. 3. ratiocinatur: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Ama* (inquit Augustinus lib. *de S. Virg.* cap. 38.) *Dei bonitatem, & time seueritatē: vtrúmque superbum esse non sinit.* II. Remedium est, *Consideratio admirabilis humilitatis Filij Dei, Christi* IESV, qui se nobis exemplum posuit: *Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Matt. 11. volens suam cōuersationem perpetuò nobis ante oculos obuersari, vt eius imitatione humilitatem disceremus. III. Remedium est, *Cōsideratio propriæ vilitatis*, & defectuum animæ, corporis, ac exteriorum. *Quid superbit puluis, & cinis?* ait Sapiens. IV. remedium est, *Recordatio peccatorum.* Nam *si vel vnius diei peccata in memoriam reuoces, facilè crista demittes*, ait Chrysost. ho. 20. in Matth. & hom. 31. in epist. ad Hebr. August. lib. 14. *De ciuit.* cap. 13.. *Audeo dicere*, ait, *superbis esse vtile cadere in aliquod manifestum peccatum, vnde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant.* Quod exemplo Petri, Dauidis, & Apostoli Pauli ostenditur. V. est *Obseruatio meliorum & perfectiorum*, à quibus longè quis distat. VI. est, *Expendere superborum seruitutem & ignominiā*, cùm ex filiis Dei, mancipia diaboli reddantur, qui est rex super omnes filios superbiæ; & se indignos incapacésque donorum Dei reddant, qui *Superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, Iac. 4. VII. est, *Libenter versari cum humilibus & modestis.* VIII. *Attendere, quantum superbia Deo displiceat*, cuius merito Luciferum è cælo in abyssum Inferni deiecit: Nabuchodonosor regem cum feris habitare fecit: Herodem vermibus consumpsit, Act. 12. Omnes denique superbos Gygantes, Reges & imperatores, Respulicas & Ciuitates tandem humiliat, deponendo potentes de sede, ac exaltando humiles. Postremum, in vestitu, domo, atque omnibus externis operibus, quantum status cuiusque decorum permittit, sese demittere.

CAP. CCCXLI.

De Auaritia.

SEcundum capitale peccatum est, *Auaritia*, quæ definitur, *immoderatus habendi appetitus*: quando scilicet pecuniæ, aut res aliæ prætio æstimabiles inordinatè appetuntur, siue contra mensuram rectæ rationis retinendo, quãdo, quomodo & quibus oportet, non dando, siue in acquirendo præter modum, & congregando, aut nimis illis afficiendo. Vndè sequitur, Auaritiam non solùm in ordine ad alterum consistere, putà non dando alteri, aut accipiendo ab altero; sed etiam in ordine ad seipsum, dum quis sumptus necessarios sibi ex affectu pecuniæ denegat.

Auaritiæ definitio. Aug. serm. 196. de tẽpore.

Ps 61. Diuitiæ si affluãt, nolite cor apponere. Lucæ 12. Cauete ab omni auaritia.

Auaritiæ opponitur Prodigalitas.

Auaritiæ *Prodigalitas* opponitur, quæ consistit in plus dando quàm aliquis potest; aut in minùs, quàm deceat, propria conseruando. In medio consistit *Liberalitas*, qua moderatè diuitiis vtimur, dando & retinẽdo, quando & quomodo oportet.

Duplici quoque virtuti Auaritia contrariatur, scilicet *Iustitiæ* ac *Liberalitati*. Iustitiæ quidem, cùm versatur circa alienum; non dando quod debetur ex amore pecuniæ: aut dum alienum accipitur per furtum, rapinam, vsuram, vel inustam aliam viam: *Liberalitati* verò, quatenus versatur circa propria per immoderatum affectum, minus consumendo quàm deceat.

Auaritia iustitiæ ac liberalitati contraria.

Prodigalitas.

Similiter *Prodigalitas* opponitur *Iustitiæ*, dum quis aliena consumit, vt ad soluendum impotens fiat: *Liberalitati* verò, dum propria immoderatè consumit.

Sciendum autem, quòd Auaritia *contraria Iustitiæ*, sit peccatum ex suo genere letale: veniale subinde ex paruitate materiæ, aut deliberationis plenæ defectu. Auaritia verò, *contraria Liberalitati*, ex suo genere veniale peccatum est, sed mortale fit, dum contrariatur præcepto charitatis: vt si quis ex affectu & amore nimio pecuniæ nolit sibi vel alteri succurrere in graui vel extrema necessitate.

Auaritia opposita iustitiæ, mortale peccatum; opposita Liberalitati, veniale.

Similiter *Prodigalitas*, vt opposita Iustitiæ, dum aliquis consumit aliena, ex genere suo mortale peccatum est: vt autem opposita Liberalitati, est veniale peccatum ex suo genere, dum scilicet quis ita prodigit sua, vt nulli alteri faciat iniuriam. Vndè mortaliter peccant tutores, receptores, dispensatores bonorum, qui aliena consumunt, & se impotentes ad reddendum constituunt.

Prodigalitas opposita iustitiæ ex suo genere mort.

Auaritiæ filiæ, septem numerantur: scilicet *Obduratio*, siue *immisericordia*: qua fit, vt auarus volens inordinatè pecuniam suam retinere, nulla misericordia commoueatur ad subueniendum necessitati proximorum, nec eleemosynas faciat. II. *Inquietudo*, id est, vehemẽs applicatio mentis, cum timore coniuncta. Nam ex immoderato diuitiarum amore fit, vt homo semper mente sollicitus sit, variisque curis & anxietatibus distrahatur; vt notat Dominus Matth. 6. *Ne solliciti, &c.* & Lucæ 8. vocans diuitias, *Spinas*, quæ pungunt attingentem. III. est *Fraus*, IV. *Fallacia*. V. *Periurium*. VI. *Violentia*. VII. *Proditio*. Ex eo enim quod aliquis immoderatè diuitias acquirere nititur, contingit facilè ipsum vti in factis & rebus *Fraude*, quæ est deceptio alterius opere facta: in verbis autem, *Fallacia*, & *Periurio*, falsum confirmando; & *Violentia*, furando & rapiendo aliena. Inde quoque conten-

Auaritiæ filiæ.
1. Obduratio.
2. Inquietudo mentis.
1. Tim. 6.
3. Fraus.
4. Fallatia.
5. Periurũ.
6. Violentia.
7. Proditio.

tiones, bella, lites, & denique *Proditio*, circa personas, patriam, ciuitates; vt in Iuda patuit, qui stimulatus auaritia Christum prodidit.

Proditio quid?

Est autem *Proditio*, manifestatio occulti apta inferre nocumentum; siue verbo, siue facto id efficiatur; vt Dalila Samsonem prodidit tondendo & ligando; Iudas Christum osculo. Versatur autem Proditio circa personas, aut circa res immobiles, vt castra, &c. aut circa res mobiles, vt circa Thesaurum; aut denique circa secreta, dum quis vnius secreta reuelat in eius nocumētum.

CAP. CCCXLII.

Quæ sint remedia contra Auaritiam?

Remedia contra auaritiam.

EFficacissima contra Auaritiam remedia sunt, amplecti Christi Domini consilia, eiusque exemplo caducarum omnium rerum possessioni ac dominio renunciare, voluntariámque paupertatem amplecti. Matth. 19. II. animaduertere, non magis opibus magnis, quàm exiguis animum hominis exatiari. III. considerare, vniuersa hæc temporalia citò esse relinquenda, velis nolis; eáque tibi solùm profutura, quæ per manus pauperum fuerint præmissa. IV. In Christi paupertatem, eorúmque sanctorum, qui eum voluntariè imitati sunt, oculos mentis intendere. V. confidere Deo, qui passerculos alit. VI. Recedere ab auarorum societate, illósque admirari, qui caduca negligunt. VII. Cælestes diuitias, bonáque, non inter moritura, iucundissimáq; animo semper voluere. Postremò neminisse, auarum sibi & aliis esse grauem, iniurium, inhumanum, necnon ingratum: è contra verò liberalem, omnibus acceptum, Deóque & hominibus charum.

Voluntaria paupertas.

CAP. CCCXLIII.

De Luxuria.

LVxuria tertium est capitale peccatum, multorum quoque aliorum initium. *Est* autem *luxuria in ordinatus libidinosæ voluptatis appetitus.* Cuius septem species assignantur: scilicet *Simplex fornicatio*, quæ est concubitus soluti cum soluta. Esse autem peccatum mortale tam est certum, vt oppositum pertinaciter asserere, sit hæreticum, scripturísque apertè contrarium. Ephes. 5. *Omnis fornicator non habet hæreditatem in regno Christi.* II. est *Stuprum*, id est, mulieris Virginis defloratio; qua tollitur signum Virginale, & femina in periculo deniceps peccandi constituitur. III. *Adulterium*, id est, illicitus cum coniugato concubitus, quo fides sacramenti violātur, hæreditas ad extraneos iniustè transfertur. IV. Species est *Incestus*, id est, concubitus cum consanguinea, vel affine infrà quartum gradum. V. species est *Raptus*, qui addit violentiam illatam, siue ipsi feminæ, siue patri eius, siue sponso vel marito. VI. Species est *Sacrilegium*, cùm fit copula cum persona Deo dicata voto castitatis, aut in loco sacro. VII. Species est peccatum contra naturam: cuius quatuor sunt species: *Mollities*, *Inordinatus concubitus*, *Sodomia*, *Bestialitas*. MOLLITIES est voluntaria seminis emissio absque copula, quæ *Pollutio* dici solet. Ea verò subinde fit in somno absque vllo consensu: & quoniam inuoluntaria est, peccatum non est, nisi causa illi data esse præuiis co-

Luxuria quid?

Fornicatio est peccatū mortale. 1. Cor. 6.

Stuprum.

Adulterium.

Incestus.

Raptus.

Gen. 34.

Sacrilegiū.

Peccatum contra naturam.

gitationibus, aut sequeretur voluntaria delectatio. 1. Corinth. 6. *Molles regnum Dei non possidebunt*: sed *Inordinatus concubitus* est, qui generationi prolis aduersatur, vt si femina desuper incumbat, vel plures tota nocte vna abutantur, vt Iudicum 19. *Sodomia*, notum est peccatum, Deo abominabile, de quo Genes. 19. Roman. 1. *Bestialitas*, prorsus quoque naturæ aduersatur. Vnde legibus hæc duo crimina morte mulctantur.

Inordinatus concubitus.

Iudicum 19 tota nocte abusi sunt.

Sodomia, de qua Gen. 19. Iudicum. 19.

Bestialitas.

Porrò filiæ Luxuriæ numerantur, *Mentis cæcitas*, vt scilicet omni rerum diuinarum sensu & affectu exuatur carnis delectationi immersus. Nam libido non solùm corpus, sed & animi intentionem sic occupat, vt momento temporis, quo ad fœdissimę voluptatis peruenitur extremum, penè omnis acies atque vigilia cogitationis obruatur; vt habet Augustinus lib. 14. *De Ciuitat.* cap. 16. & Oseæ 4. *Fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor.* Ecclesiastici 19. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes*. Quod in Dauide 2. Reg. 11. & in Salomone 3. Reg. 11. apparuit. Hinc & Poëtæ Cupidinem cæcum depingũt, cùm propter cæcum rei amatæ iudicium, tùm quia veræ rationis vsum, & Dei rerúmque cælestium intelligentiam auferat. II. filia est *Præcipitatio*, qua fit, vt homo non vtatur consilio ad eligendum media in finem bonum conuenientia. III. *Inconsideratio*, qua fit, vt iudicio ab affectu carnali turbato, non expendat, quale sit, quod faciat. IV. *Inconstantia*, qua fit debilis ad exequendum bonum apprehensum & cognitum. V. *Amor sui*, quia per carnalem voluptatem homo rapitur ad delectabilia sensibus; vnde quærit immoderatum corporis cultum, cuticulæ curam, & vniuersam mollitiem. VI. *Odium Dei*, id est, auersio quædam à Deo, & rebus spiritualibus. Effeminatis enim omnibus animi viribus, nihil virile aut forte exequi aut cogitare quis potest. VII. *Amor huius mundi*, quia voluntas eligit media, ad carnis delectationem ordinata: hinc temporalium amori immergitur, qui voluptates sectatur. Nam, vt ait Augustinus lib. 8. confess. capite quinto. *Dum seruitur libidini, fit consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, fit necessitas*, adeò, vt Philosophi Cynici, homines canibus similes efficere affectarint, docendo, concubitum palàm agendum esse. Contra quem stuporem agit Augustinus lib. 14. *De Ciuitat.* cap. 20. VIII. filia Luxuriæ, *Mortis horror* est, futuríque iudicij, quia optat homo in hoc mundo permanere, in quo carnales suas delectationes percipiat; & quoniam luxuriosus præsentem tantùm corporis voluptatem quærit, æternæ beatitudinis spem abijcit.

Luxuriæ filiæ.

Cæcitas mentis.

Greg. lib. 31. Mor.

Sapient. 9. Aug. li. 14. de ciuit. ca. 20. differit cont. Cynicos.

Præcipitatio.

Inconsideratio.

Inconstantia.

Amor sui.

Odiũ Dei.

Amor huius mundi.

Horror mortis.

Remedia verò contra Luxuriam, sunt, fugere conspectum & familiaritatem personarum, ad libidinem inflammantium. II. Recedere à conuictu illorum, qui suo exemplo ad libidinem incitant; & à lectione librorum impudica tractantium. III. Otium fugere, honestis exercitijs vacare, studijs sacrarum literarum incumbere. IV. Amare abstinentiam, ieiunium, cauere vino fortiora, cibos calidiores, excessum in cibo & potu, quia venter plenus facilè in Venerem despumat. V. Custodire sensus & cor, ac initia cogitationum statim repellere. VI. Vrgente carnis tentatione, dolorem voluntarium assumere, seque crucis signo munere. VII. Deum authorem & largitorem castitatis, pro obtinendo con-

Remedia contra Luxuriam.

Fuga mulierum.

Vitatio lasciuorũ hominum aut librorum.

Otij vitatio.

Ieiunia.

Custodia sensuum.

Assumptio doloris.

Oratio.

Memoria gehennæ.

tuentiæ dono assiduè orare. Sapientiæ 8. *Adij dominum.* VIII. Recordari ardoris gehennæ. Hæc enim recordatio ardorem Luxuriæ excludet. Ecclesiast. 17. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*

CAP. CCCXLVI.

De Ira.

Ire definitio.

QVartum capitale vitium, IRA est, id est, *Appetitus vindictæ*, idque ob apprehensionem illati alicuius mali, quod quis repellere vult. Suntque tres Iræ species, I.

Ira subita.

Ira subita, qualis est Cholericorum, qui citò quidem irascuntur, sed confestim quoque sedantur: & hi dicuntur *Acuti*. II. Est Ira permanens,

Ira permanens.

quando homo diu persistit in apprehensione mali sibi illati, atque appetitu vindictæ: & hi vocantur *Amari*. III. Est furor, quando

Furor.

manet illati mali memoria, sed appetitus vindictæ solùm tempore conuenienti, dum vindicare se quis potest, insurgit. Hi *Difficiles* censentur.

Ira interior.

Rursus Iræ status triplex est. *Primus* tantùm interiùs concipitur, quem notat Dominus Matth. 5. illis verbis: *Qui irascitur fratri suo. Secundus* aliquo signo exteriùs manifestatur, & verbis illis à Domino notatur: *Qui dixerit, racha.* hæc enim vox interiectio est, iram manifestantis. *Tertius* ad opus progreditur, in quo vindicta consistit, & notatur illis verbis: *Qui dixerit, fatue*: illo enim verbo frater iniuria afficitur.

Ira externa.

Vindicta.

Ratione verò horum statuum Ira diuersis Virtutibus opponitur: siquidem interior Ira mansuetudini aduersatur, cuius est concitationes appetitusque interiores vindictæ frenare, vt fiat non insurgant, vel saltem temperentur. At ratione actus exterioris, Ira *Clementiæ* opponitur, cuius est, animum iam concitatum, ne ad vindictam procedat, retinere.

Mansuetudo Iræ interiori opponitur.

Clementiæ opponitur Iræ exteriori.

Filias porrò sex Ira gignit, qua parte intus consistit; duas videlicet: *Indignationem*, & *mentis tumorem*. *Indignatio* est, qua homo eum, à quo malum accepit, sua familiaritate atque colloquio indignum reputat; quæ si eousque procedat, vt quis nolit eum iuuare, quando ex præcepto tenetur, aut ipsum interiùs contemnat, vel cum notabili scandalo se ab eius consortio subtrahat; peccatum erit letiferum; secus veniale. *Tumor mentis*, est audacia, qua quis ad vindictam insurgit, modum vindictæ animo reuoluens: ac iuxta vindictæ grauitatem in hoc tumore peccatum reperitur graue aut veniale.

Filiæ Iræ, VI.

Indignatio.

Tumor mentis.

Qua verò parte IRA in exteriore signo consistit, filiæ tres oriuntur. *Clamor*, qui est inordinata loquutio, quæ veniale peccatum est, nisi ob scandalum mortale fiat. *Contumelia*, est verbum iniuriosum. *Blasphemia*, maledictio in Deum.

Clamor.

Contumelia.

Blasphemia.

Qua parte verò IRA est in opere, gignit Rixam: sub qua continentur *Pugna*, *contentio*, *percussio*, *bellum*, *inuasio alterius*, & alia huiusmodi.

Rixa.

Remedia Iræ.

Iræ promptissima remedia sunt, animum patientiæ freno cohibere; se ad verba & opera, quæ iram concitare solent, patienter ferendum, præparare. Item considerare, iniuriam non nocere patienti, sed potiùs inferenti. Rursus, animum in Christi patientiam reflectere, cui referemus gratiam, patienter iniuriam sustinendo. Denique mentem ab iniuriæ consideratione ad aliud con-

Patientia.

uertere. Postremò, iram in pectore accendam sic extinguere, vt saltem nec in verba, nec opera erumpat.

Alterius verò Ira sermone molli frangitur, duro autem suscitatur: adiuuerit quoque irati conspectum declinare, ac in eius præsentia silere.

CAP. CCCXLVII.

De Gula.

Gula definitio.

QVintum capitale vitium, GVLA est, quæ definitur, *Appetitus cibi & potus inordinatus*: dum scilicet non ad corporis necessariam sustentationem, vel non cum modo, & debitis circumstantiis sumitur cibus, aut potus. Quod quinque modis fieri docet Gregorius lib. 20. Moral. & S. Thom. 2. 2. quæst. 148. I. Circa substantiam cibi & potus peccatur, cùm præter modum quæruntur pretiosi vel lauti. II. Circa quantitatem, dum exceditur in cibo & potu. III. Circa qualitatem, cùm aliquis cibos nimis delicatos & exquisitos quærit. IV. Circa delectationem gustus, dum illa nimis operosè quæritur. V. Circa tempus, dum indebito tempore cibus & potus sumuntur.

Duæ gulæ species. Crapula & comissatio. Augu. lib. 10. confess. c. 31. Sulper. lib. 3. de v. S. in Ebrietas.

Duæ itaque sunt gulæ species. *Prior* in cibo immoderato consistens, vocatur *Crapula* & *Comissatio*, quæ distinguitur ab edacitate, quam in Gallis naturam, in Græcis gulam Sulpitius esse dicit. *Posterior* autem in potu immoderato consistens. *Ebrietas* dicitur. De quibus gulæ speciebus Lucæ 21. ait Dominus: *Attendite autem vobis, ne forte grauentur corda vestra crapula & ebrietate.* Apostolus verò Roman. 13. *Non in comessationibus & ebrietatibus*, & Gallat. 5. inter opera carnis recenset.

Gula quando peccatum letale.

Tunc autem Gula letiferum est peccatum, quando in cibi & potus delectatione vltimus finis collocatur; iuxta illud Apostoli: *Quorum Deus venter est.* Philipp. 3. item, quando cibi & potus appetitu prætermittitur, quod præceptum est; putà, ieiunium, officium diuinum, restitutio alieni, quia se quis impotentem reddit ad soluendum creditoribus, ad succurrendum familiæ, prolibus, aut graui necessitate pressis. III. Dum notabile sibi corporis damnum infert nimio potu aut cibo: putà morbos, læsiones, & huiusmodi. IV. Dum cum scandalo graui potus aut cibus sumitur; de quo Apostolus Roman. 14. V. Dum contra naturam cibus aut potus accipitur: putà, si quis absque iusta causa humanum sanguinem bibat, aut carnes humanas sumat. V. Quando ex nimio potu probabiliter timetur, secuturum peccatum mortale: veluti sciens, tunc se in luxuriam, pugnam, maledicentiam, esse procliuiorem. Extra quos casus Gula ferè peccatum veniale censetur.

Ephes. 5. In vino luxuria. Hieron. ep. 83. & in 1. c. ad Titū. Aug. serm. 56. de temp. Item 23. 231. & 232. Ebrietas. Ambr. lib. de Helia & ieiunio ca. 12. 14. 17. & lib. 1. de Penit. c. 4 Basil. hom. cont. Ebrios um. Chrysost hom. 56. in Matt. & in hom. cont. Luxū & Crap.

Circa excessum potus, de Ebrietate sciendum est, quod dum quis ita potu vtitur, vt se rationis vsu ad tempus priuet, si volens & prudens id faciat, mortaliter peccet, quia notabile damnum sibi inferat; nempe amissionem rationis, qua sublata in omne vitiorum genus facilè ruit. Similiter, alium in ebrietatem inducendo, ob eandem causam mortaliter peccat, maximè, si cogat ad æquales haustus. Si verò perturbata solum ratio, non autem amissa sit, veniale peccatum erit.

CAP. CCCXLVIII.

APPENDIX.

De Ebrietate.

EBrij hominis descriptionem, quòd sit *Monstrum, & animal sine sensu viuens, sine vita sentiens, Idolum & simulachrum gentium, oculos habens & non videns, aures & non audiens, &c.* tradit Hieronymus epist. 83. Ambrosius lib. *de Helia*, cap. 16. Basil. hom. 14.

Ebrius exercitibus imperare videtur, cùm non habeat, vnde cauponi potus sui exsoluat pretium.

Vomit vt bibat, bibit vt vomat. Hieron. in 1. c. ad Titum. Ebrietatem, voluntariam quandam esse insaniam, docet Seneca lib. 12. epist. 84. exemplo Alexandri Macedonis, qui Clitum charissimum atque sibi fidelissimum occidit. Omne vitium ebrietas incendit, & obstantem malis conatibus verecundiam remouet: omne vitium latens detegit: secretum tam suum, quam alienum ebrius effundit, tunc petulans, non manum, non linguam continet.

Quantas clades ebrietas ediderit, inuictaque acies domuerit, Seneca lib. 12. epist. 84. recenset. Alexandrum Magnum perdidit, Cyrum cum exercitu, Holofernē ludibrio mulieris cum vniuersa exercitu exposuit. Quæ victoria, vinci à dolio, cum omnes propinando viceris? Antonium ebrietas perdidit, hostem Reipublicæ, hostibúsque imparem fecit.

Ebrietatem matrem esse luxuriæ, omniúmque vitiorum, ibidem prosequitur Seneca. Quod & notauit Apostolus Ephes. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Ambrosius lib. 1. *de Pœnit.* ca. 14. Hieron. epist. 83. & in 1. c. ad Titum. *Nunquam ebrium castum putabo.* August. serm. 56. *de Tempore.*

Hinc in Veteri lege ingressuris sacerdotibus templum, in vice ministerij sui, vxorum & vini vsus interdicitur. Num. 6. Leuit. 10. Vinum factum est, vt lætificet cor hominis: at Ebrietas facit, vt mille doloribus capitis & membrorum vexetis. Chrysostomus hom. 58. in Matth. Ambrosius lib. *de Helia*, c. 14. *Maior vis vini, quàm veneni, &c.* Nemo enim ebrietate sanatur. Ebrietas aufert cor. Oseæ. 4. apostatare sapientes facit, Eccles. 19. *Absorpti sunt à vino*, Isaiæ 28. *Tanquam nauis in tempestate posita, &c.* Chrysostomus ho. cont. Luxur. & Crapulam. contra certantes poculis, Isa. 5. 1. Thessal. 5. August. ser. 232. de temp. *Non eris amicus.* Item ser. 23. Ambros. lib. *de Helia* cap. 12. Gellius lib. 3. Noct. Atticarum de propinantibus ad sanitatem: *Papyrius libat Ioui pocillum vini.* lib. 22. c. 13. Plinius lib. 14. nat. hist. c. 22. Ambr. lib. *de Helia* c. 17. Hester. 1. *Nec erat, qui nolentes bibere cogeret.* Plinius lib. 19. cap. 4. *Heu prodigia ventris! Hi niues, illi glaciem potant, pœnásque montium in voluptatem gulæ vertunt. Seruatur algor æstibus, excogitatúrque, vt alienis mensibus nix algeat. Decoquunt aly aquas, mox & illas hiemant.*

V. Gulæ filiæ.

Gulæ porrò Filiæ quinque numerantur: I. Mentis hebetudo, qua impeditur quis ius intēdere, ad quæ ex præcepto tenetur, vt Medico, Concionatori & Aduocato, dum studio ad officium ritè exercendum opus est, accidere solet. II. Est inepta lætitia, dum quis gaudet de rebus vanis, quæ nullum veram delectationem parere natæ sunt. III. Est multiloquium siue loquacitas.

Mentis hebetudo.

Inepta lætitia.

Multiloquium.

Scurrilitas. citas. IV. Est *Scurrilitas*, id est, facta, verbáue inhonesta, ad Venerē, aut risum prouocantia. Postrema Gulæ filia est *immunditia*, id est, excessus cibi aut potus vsque ad vomitum: qui, si aliud malum non accedat, per se non est mortale peccatum, sed veniale: ratione verò corporalis nocumenti aut scandali, aggrauatur, fitque letiferum.

Immunditia.

Remedia gulæ. Remedia contra Gulam, sunt, cauere illa, quæ gulam irritant qualia sunt condimenta, varietas, sua vitásque ciborum. II. Amare sobrietatem, ieiunium, & abstinētiam. III. Considerare, hanc voluptatem bestiarum potiùs esse, quàm hominum, cùm intellectum obfuscet, bona desideria extinguat, vitam breuiorem reddat: imò bruta pauca plus cibi aut potus summāt, quàm eorum necessitas exigat. IV. Animo reuoluere, quantorum malorum Gula sit causa. Nam primum parentem ex loco felicitatis eiecit, Sodomitas ad infanda crimina induxit, Israëlitas Deo relicto, ad Idola colenda impulit: (*Sedit enim populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere:*) Holophernem cum bellicosissimo exercitu perdidit, ac postea Baltasarem vltimum Babyloniæ regem, ipsumque Alexandrin. Magnum. V. Expendere, Christum, vt Gulæ reatum aboleret, fel & acetum degustasse, sæpe ac diu ieiunasse, sitiisse, ac esuriisse. Postremò, meminisse supplicij Epulonis, cui vna aquæ guttula in linguæ refrigerium non obtigit. Quid sentiendum de propinantibus sanitati Principis, docet Ambr. libr. de Helia, cap. 17.

1. Cor. 9. castigio corpus meum, &c.

Aug. serm. 231. de tēp.

Plin. lib. 14. nat. hist. c. 22.

Seneca lib. 12. epist. 48.

Gen. 3.

Gen. 19.

Exodi 32.

Iudith. ca. 13.

Daniel. 5.

Seneca lib. 12. epist. 48.

Lucæ 16.

Aug. serm. 23. 231. 2. 12.

Seneca lib. 12. epist. 48.

Plin. lib. 14. cap. 22.

CAP. CCCXLIX.

De Inuidiâ.

SExtum capitale peccatum, est *Inuidia*, id est, tristitia de alieno bono, quatenus propriæ excellentiæ diminutiuum est. Displicet enim alterius bonum, quia videatur nostram excellentiam & gloriam minuere, dum nobis inferior, æqualis, aut qui par erat, per tale bonum nobis maior efficitur.

Inuidia quid?

Inuidia dicitur à *non videndo*, quoniam inuidus alterius bonum videre non vult, nec inuidiosum coram se patitur, ne bonum quod displicet, cernat.

Sciendum autem est; multiplicem esse de alterius bono tristitiam. I. Quia indè sibi malum euenturum suspicatur, quæ tristitia ex *Timore* oritur.

II. Tristatur quis de alterius bono, non quia in eo sit, sed quoniam ipse careat: qualis tristitia ad *Æmulationem* pertinet.

Multiplex tristitia de alterius bono.

III. Tristari potest quis de alterius bono, quia ipsum tali bono indignum iudicet. Hæc *Indignatio* est.

Æmulatio.

Indignatio.

IV. Tristari quis potest de alterius bono, quia ei malum optet, qualis tristitia *Odium* est.

Odium.

V. Tristitia est de alterius bono, quatenus propriæ excellentiæ diminutiuum est, quæ *Inuidia* est.

Inuidia.

VI. Tristatur quis de alterius bono, quia ei ruina, peccatique occasio est. Sic iusti de impiorum temporali felicitate dolent, qualis tristitia ex *Charitate* prouenit. Postremò, potest quis tristari de bono alicui collato, quia eo sit indignus, quæ tristitia *Zelus* est.

Tristitia de alterius felicitate, quatenus occasio peccati.

Zelus.

Inuidia porrò ex genere suo peccatum mortale est, si ex plena vo-

luntatis libertate procedat, & de bono graui alterius doleat: alioquin in re leui veniale peccatum erit. Dolere autem ex charitate vel iustitia est laudabile, prout & spiritualia bona æmulari. 1. Corinth. 13. & 14.

Filias quinque inuidia gignit, & sunt I. *Odium*, quo quis alicui malum vult, ob malum ipsius.

Inuidia filiæ.

Odium.

II. *Susurratio*, qua famam in occulto auferimus.

Susurratio.

III. *Detractio*, qua in manifesto famam alterius lædimus.

Detractio.

IV. *Gaudium* de proximi rebus aduersis. V. *Tristitia de alterius prosperis*, qua optat, nihil boni euenire alicui, ne ex eius bono affligatur.

Remedia Inuidiæ.

Remedia inuidiæ sunt. I. Non amare terrena nec fluxa bona.

II. Considerare, Inuidiam nihil omnino conferre nisi peccatum, & inutilem cruciatum.

III. Animaduertere, nos omnes vnius corporis esse membra, singulorumque bona & dona in aliorum vtilitatem redundare, nec quemquam lædi, nisi à seipso.

IV. Expendere, quid proximo charitatis debeamus, pro quo sanguinem re ita postulante fundere teneamur: cui bona velle charitatis lege obligemur.

Postremò, animaduertendum est, Inuidiam nec temporalia bona, nec famam, neque virtutem conferre, neque inuidum alterius bonum, de quo tristatur, habiturum, etiamsi eo ille careret.

Remediū contra odium.

Contra Odium, proprium remedium est, statim alteri ignoscere, sciendo, quòd si non dimiserimus in nos peccanti, neque Deus remissurus sit nobis debita nostra.

Contra verò alterius odium, prodest ei benefacere, inseruire, sese submittere, malum in bono vincere.

CAP. CCCLI.

De Acedia.

Acediæ definitio

POstremum capitale peccatum, *Acedia* est, ita nomine græco ἀκηδία, id est, sine cura, vel sine labore, nuncupatum, quia hoc vitium ex fuga & metu laborum, quibus spiritualia bona consequenda sunt, emanet. Definitur verò acedia, *Tristitia de bono spirituali, vt ad ipsum hominem pertinet.* Bonum autem spirituale vocatur, hominis beatitudo, & quidquid ad illam consequendam ordinatur, vt charitas, virtutum opera, diuina præcepta, sacramenta, & huiusmodi. Quæ bona triplici modo considerari queunt.

Bonum tripliciter cōsiderari potest.

I. Vt à Deo bonorum omnium authore procedunt. II. Vt in proximis nostris existunt. III. Vt ad nos ipsos pertinent. Cúmque charitatis sit, gaudere de bono illius, quem charitate complectimur, & Deum, proximum, & nos, charitate diligere teneamur, consequitur, nos de bono gaudere oportere, vt à Deo est, quatenus eius potentia, bonitas, sapientiaque manifestantur. Similiter gaudere de bono, vt in proximo est, qui ad suum finem illo disponitur, vel assecutus est: nec minùs gaudere de bono, quatenus in se ipso est, per quod ad Deum, suúmque finem vltimum ordinatur.

Triplex tristitia.

Cui triplici spiritualis boni considerationi, triplex tristitia opponi potest, quarum vnaquæq; charitati repugnat. Dolere enim.

I. Aliquis potest de bono spirituali, vt à Deo est, quasi nolens eius gloriæ manifestationem, quomodo in damnatis reperitur.

II. Tristitia est, qua quis dolet, in proximo bonum spirituale reperiri,

nolens ipsum tali tantóque bono præditum. III. Est, qua homini displicet bonum spirituale, dolendo, se talis boni capacem, atq; fastidiendo res spirituales, obtando præcepta Dei, sacramenta, ieiunia, huiusmodiq; spiritualia exercitia nihil ad se pertinere. Quæ spiritualium rerum nausea oritur ex nimio præsentium bonorum amore, necnon ex laboriosorum, molestorúmque carni operum executione. Perdito equidem rerum spiritualium gustu, mox earundem fastidium subsequitur. Cúmq; ex suo genere charitati Accidia repugnet, ex suo genere peccatum letiferum est. De qua 2. Cor. 7. Apostolus: *Tristitia huius seculi mortem operatur*, quãdo videlicet est de bono spirituali magno, secundum se; atq; cum pleno rationis consensu. Si autem sit de re leui, aut circumstantiis boni spiritualis, aut cum imperfecto consensu, Veniale peccatum est.

Accidia ex suo genere charitati repugnat.

Porrò sex filiæ Accidiæ sunt.

Sex filiæ Accidiæ.

I. *Desperatio*, qua diffidit quis, se finem supremum consecuturum.

Desperatio.

II. *Pusillanimitas*, qua consilia perfectionis exequi reformidat.

Pusillanimitas.

III. *Torpor*, quo ea quis negligit, ad quæ ex præcepto tenetur.

Torpor.

IV. *Malitia*, qua homo spiritualia bona odit, exoptans ea non esse, aut pœnitet bene fecisse, desiderátue se non fuisse, aut Christum non cognouisse, beneficium Dei contemnens ac nihili pendens. V. *Rancor*, quo inducentes ad spiritualia quis auersatur & fastidit.

Malitia.

Rancor.

VI. est *Euagatio mentis*, hoc est, defectus intentionis in spiritualibus exsequendis; putà dum recitãtur Orationes, Horæ Canonicæ, dum sacrum fit, vel auditur: vbi peccatum aliquando Veniale, nonnunquam Letiferum committitur.

Euagatio mentis.

Accidiæ remedia sunt assidua beneficiorum Dei recordatio, quæ amorem excitat. Item, vicinæ mortis consideratio, quæ meritorè operandi tempus præcindit. Deindè æternorum præmiorum aut supplitiorum cogitatio, quódque nihil irremuneratum erit. Postremò, fugere ignauos, otiõ deditos, iungere verò se ad superna bona contendentibus, ac impigre anhelantibus.

Accidiæ remedia.

CAP. CCCLI.

De Peccatis alienis.

QVia non solùm rei constituimur propter peccata, quę opere proprio facimus, sed etiam ob illa, quæ licet ab aliis perpetrentur, nobis tamen imputantur, quia illis quodammodo consentimus, vel quoniam approbamus, aut quia non redarguimus, ideò de alienis peccatis oportunè nc nulla subijcimus. PECCATVM verò *alienum* dicitur, quod alieno perficitur opere, & nobis interim meritò imputatur. De quo Apostolus 1. Timoth. 5. *Ne communicaueris peccatis alienis.* Et Psalm 18. *Ab alienis parce seruo tuo.* In quem locum Euthymius docet, Pontifices, Reges, Magistratus, Parentes, Dominos, ac omnes Præfectos peccatis subditorum obnoxios esse, si mala quæ possunt & debent, non impediant, non iuita te veritate corripiant, non redarguant, sed conniueant, vt in Heli apparuit.

Aliena peccata quæ dicantur.

1. Regum. 2.

Nouem autem ferè modis alieni erroris aut peccati particeps qui efficitur: scilicet *Concilio*, dum mala suadentur, aut repetiuntur. quo genere peccati Hæresiarchæ implicantur, qui errores adinuenunt,

Nouem modis alieni peccati participes efficimur. Consilio vel adinuentione.

seductisque populis eosdem obtrudunt. de quibus Apostolus Rom. 1. *Inuentores malorem*, & 1. Timoth. 3. *errantes, & in errorem mittentes.* 2. Petri 2. *sectas non metunt introducere.* Quales hæreseon authores, mortis omnium, qui per eorum doctrinam pereunt, reos esse, docet Basilius libro *de virginitate*, addens, quotitie adhuc eorum pœnam augeri, quamdiu semen falsæ doctrinæ malum pullulat. Sic peccauit Achitophel, consilium contra Dauidem, & Caiphas contra Christum dando, Ioan. 11.

Iussu. Secundò, *Iussu, decreto, imperio* seu *authoritate* ad malum proximo inferendum concitando, sicut Dauid occidit Vriam. 2. Reg. 11. Pilatus Christum Iudæis tradendo.

Consensu. Tertiò, *Consensu.* Roman. 1. non solùm qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, morte digni sunt. Sic peccarunt Iudæi suffragantes magistratibus, vt Christus interficeretur, quibus exprobrat iustè Petr. *Authorem vitæ interfecistis.* Act. 3. & 4. Sic peccauit Saulus in B. Stephani necem consentiens. Act. 7.

Irritatione. Quartò, *Irritatione*, siue dictis, siue factis alium prouocando ad iram, vindictam, blasphemiam, crudelitatem. Sic peccauit vxor Iob, ca. 2. & Tobiæ, cap. 2.

Laude, vel adulatione. Quintò, *Laudatione* siue *adulatione*, dum quempiam de improbitate commendamus, eique vt in prauo instituto pergat, calcar addimus. In hoc vitium incidunt Hæreticorum, Schismaticorúmque concionatores, qui obstinatos in malo confirmant. De quibus Psalm. 9. *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.* Isaiæ 3. *Populi mei, qui te beatum dicunt, ipsi decipiunt.*

Reticentia. Sextò, *Reticentia*, cùm nostrum silentium alteri detrimẽtum adfert, non docendo quando possumus & debemus, non monendo, non corripiendo, cùm prodesse valemus. Quales Isaias ca. 56. *canes mutos* vocat, *non valentes latrare.* Vnde c. 58. *Clama*, inquit, *ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum.* Ezech. 3. *Si dicente me ad impium: Morte morieris, non annuntiaueris ei*, &c. Ioan. 10. *Mercenarius.* Et Apostolus: *Peccantes, coram omnibus argue*, 1. Tim. 5. &, *Insta opportunè, importunè*, 2. Timoth. 4. Huc reducitur omissio fraternæ correptionis, ad quam ex charitate tenemur, de qua Augustinus.

Septimò, *Conniuentia* seu *indulgentia*, dum impunitum relinquitur, quòd authoritate nostra emendari, vindicarique potest & debet. Ita peccant Magistratus, scelera dissimulantes, gladium frustra gerentes, Rom. 13. Heli notatur, 1. Reg. 2. Sic peccant Heri, Præceptores, patres & matres, aliique omnes, qui sibi concreditos nimia indulgentia, vel ignauia perdunt: quomodo peccauit Heli, 1. Reg. 4. qui nimiæ lenitatis grauissimas pœnas luit. Ecclesiasticus: *Noli velle fieri Judex, nisi valeas iustitia perrumpere iniquitates.* Aug. li 1 de ciuit. cap. 9. Participatione.

Octauò, *Participatione criminis*, dum scilicet quis furti aut iniusti lucri particeps est, aliena vendicat aut retinet. Psalm. 9. *Cum furibus currebas.* Isaiæ 1. *Principes tui socij furum.* Sic etiam delinquunt lenones, ex aliena turpitudine lucrum sibi parãtes: item receptatores furum, latronum, sicariorum, necnon qui tributum seu certam pecuniæ summam accipiunt, vt impunè peccata exerceantur, non per modum mulctæ, nec in grauamen peccantium, sed ad onus innocentium, quoniam Participatione.

mulcta debet esse limes, non fomes peccati.

Defensione. Nonò, *Defensione*, dum improbis quis patrocinatur, aut malas vel iniustas causas (vt sæpe aduocati & procuratores) aut doctrinam alterius impiam tuetur, & propagare nititur, aut quod cõtra fas & æquum institutum est, pronouet, veluti iniquorum tributorum exactores, aut exemptos iniustè grauantes. Contra quales ait Isaias: *Væ qui dicitis bonum, malum*, &c. cap. 5.

Alieno peccato cõmunicamus opere, voluntate ac omissione. Hos omnes alieni peccati contrahendi modos Basilius sermon. 2. *de baptismo* cap. 9. ad tria genera reuocat: dum scilicet aliquis peccato alterius re & opere cooperatur, aut sola voluntate, animique proposito, vel demum supina negligentia, omittendo quæ præstare potest & tenetur. Vt enim omissio culpabilis sit, tres necessariæ sunt conditiones, videlicet, vt quis agere teneatur, possit, & non faciat.

CAP. CCCLII.

De Peccatis in Spiritum sanctum.

Peccatur ex infirmitate, ignorantia, vel malitia. TRibus modis homines peccare consueuerunt: videlicet ex infirmitate, aut ignorantia, vel ex malitia, vt docet Gregor. lib. 25. c. 16. Et quidem peccatum ex fragilitate admissum, in Patrem, cui potentia tribuitur, committi dicitur: peccatum verò ex ignorantia profectum, in Filium, cui sapientia peculiariter attribuitur: Peccatum denique ex malitia, seu mentis peruicacia commissum, in Spiritum sanctum admitti dicitur, cui bonitas & gratia tribui solet. Nam ita peccans Spiritus sancti munera contemnit & respuit, vt de Pharisæis Christus Matthæi 12. docet, qui dona curationum, expulsionésque dæmonum Satanæ asscribebant, Christique facta & dicta malignitatis studio impugnabant. De quibus Ioan. 15. *Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Et posteà: *Et viderunt & oderũt me, & Patrem meum*: quia oderant veritatis doctorem, quemadmodũ hodie veritatis assertores odio sunt Hæreticis.

Sex peccata in Spiritum sanctum. Huiusmodi peccata in Spiritum sanctum vulgò sex recensentur.

Præsumptio. Primum est *Præsumptio de misericordia Dei & impunitate peccati*: qualiter peccant, qui se posito Dei timore, omnisque iustitiæ ratione, diuina misericordia freti, in quæuis scelera se præcipitant. Sicut faciunt complures hæretici, sola fide in Christum sibi & alijs securitatem pollicentes. Contra quos Ecclesiastici 5. dicitur: *Ne dicas, miſeratio Domini magna eſt: multitudinis peccatorum meorum miſerebitur.* & Ro. 2. *An diuitias bonitatis Dei, et patientiæ & longanimitatis contemnis?*

Desperatio. Secundum est, *Desperatio impetrandæ peccati à Deo veniæ*, aut salutis æternæ consequendæ. Quomodo peccauit Cain Gen. 4. & Iudas, Matth. 27. Act. 1. Nam nulla in hac vita nimis sera est pœnitentia, vt Latronis exemplo patet, qui in cruce pœnitens Christi gratiam, & cælestem gloriam consequutus est.

Impugnatio veritatis. Tertium est, *Agnitæ veritatis impugnatio*, dum quis conscientia reclamante falsitatem propugnat, & Catholicæ veritatis sinceritatem oppugnat, vt hæretici plerique corrupti mente, reprobi circa fidem.

Inuidentia fraternæ charitatis. Quartum est, *fraternæ charitatis inuidentia*: dum quis dolet, augeri dona Dei in aliquo. Auguſt. libr. *de ſerm. Domini in monte*, ca. 44. & 45. Taliter Iudæ peccarunt, dolentes

Euangelij doctrinam gentibus annuntiari. Act. 11. & 15.

Obstinatio.

Quintum est, *Obstinatio*, quæ animum obfirmat cõtra bene monentem: vt de Pharaone legitur Exodi 7. de Iudæis, Act. 7. *Dura cervice*, &c. de alijs Iob 21. qui dicunt: *Recede à nobis: scientiam viarum tuarum nolumus.* Psal. 57. assimulantur huiusmodi obstinati *Aspidi surdæ, quæ obdurat aures*: cuiusmodi sunt hæretici, qui Catholicè docentem ne quidem audire volunt. Aug. Enchir. c. 83. Psalm. 93. *Nolite obdurare corda vestra.*

Impœnitentia.

Sextum est, *Impœnitentia*, dum quis absque pœnitentiæ proposito incessanter delinquit. Aug. ser. 11. *de verbis Domini.* Libr. 1. *Retract.* cap. 19. Enchir. ca. 83. *Qui in Ecclesia remitti peccata non credens, contemnit tantam diuini muneris largitatem, et in hac obstinatione mentis diem clausit extremum, eius est illo irremissibili peccato in Spiritum sanctum, in quo Christus peccata remittit.*

Quomodo autem hoc peccatum *irremissibile* dicatur, insinuat ibidem Augustin. & epist. 75. in quantum scilicet ea excludit, per quæ peccatorũ remissio fieri poterat. Sic Leo serm. 1. de Pentecoste. Ambros. lib. 1. *de pœnitentia* c. 1. refert, Nouatianos negasse in Ecclesia potestatem esse remittendi peccata.

CAP. CCCLIII.

De Peccatis in cœlum clamantibus.

Peccata clamantia ad cœlum.

PEccata quæ præ ceteris manifestam improbitatem continent, diuinamque vltionem prouocant, *in cœlum clamare* dicuntur, potissimum, quando impunè perpetrantur, vt docet Augustin. Enchiridij cap. 80. & lib. Annot. in Iob ca. 30. Greg. in 3. parte pastor. admonit. 32. & in Psal. 2. pœnitent.

Huiusmodi peccata in scripturis quatuor enumerantur. I. *Homicidiũ voluntarium.* Gen. 4. Atrocissima enim iniuria est, vitam hominis tollere. II. *Peccatum Sodomiticum*, Gen. 13. & 18. c. 19. Ezech. 16. III. *Pauperum oppressio, viduæ, pupilli.* Exodi 22. *Audiam clamorem eorum.* Exodi 1. & 3. *Vidi afflictionem populi mei, et clamorem eius audiui.* IV. est, *mercedis operariorum de fraudatio.* Iacobi 5. *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis clamat*, &c. Eccles. 34. *Qui fundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* Deut. 24. *Non negabis mercedem indigẽtis, ne clamet contra te ad Dominum.* Tobiæ 4. *Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue.* Malach. 3. *Ero testis velox vs, qui calumniantur mercedem mercenary.*

Quatuor Homicidium voluntarium.

Sodomia.

Pauperum oppressio.

De fraudatio mercedis.

CAP. CCCLIV.

Quò referẽda sit peccatorum cognitio?

PEccatorum doctrina Christiano per necessaria est, vt vera mala rite discernat, diligenterque sedulò vitet, & si quid eorum admiserit, diligenter expiare studeat.

Peccatorũ cognitio quò referenda.

Varij autem sunt expiandi peccata modi. In primis Christus sua virtute, merito, satisfactione, sacrificij oblatione, gratia, & authoritate peccata expiat. *Hunc* enim *Deus posuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius*, (Rom. 3.) Per fidem enim atque Sacramenta nobis Christi satisfactio applicatur in remissionẽ peccatorum; iuxta illud (Act. 15.) *Fide purificans corda eorum.* & *saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Et post baptismum in letalia peccata

Christus sua authoritate proprióque merito peccata remittit.

relapsis pharmacum aduersus omnia peccata validissimum, Christus POENITENTIÆ Sacramentum instituit, (Ioannis 20.) *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Vbi sacerdotibus potestatem remittendi peccata dedit, per Sacramentum pœnitentiæ, certa obseruata forma, citra quam nullum ius peccata remittendi habeant, cùm author salutis Christus omnem peccatorum remissionem atque iustitiam efficiat in nobis, etiam dum per Sacramenta tanquam instrumenta sacerdos ministerio suo concurrit.

Sacerdotes per Sacramenta remittunt peccata.

Varijs insuper Christianæ pietatis officijs Christi merita in remissionē peccatorū applicari scriptura sacra docet. Tob. 4. & 12. *Eleemosyna ab omni peccato, et à morte liberat.* Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime.*

Per Sacramenta & alia pietatis officia Christi merita nobis applicantur.

Expiantur denique peccata iniuriarum cōdonatione. Mat. 6. Luc. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorū, dimittet & vobis pater cælestis delicta vestra.* Augustin. Enchir. c. 71.

Expiantur quoque peccata fratris errantis reductione, iuxta illud Iacobi 5. *Si quis conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, operiet multitudinem peccatorū.* Eodem pertinet illud Petri 1. epist. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Vbi simul insinuatur, charitatis donum cum peccato letali non cōsistere, sed illo intrante, peccatum veluti tenebras per Solis splendorem depelli. *Vniuersa* enim *peccata operit charitas*, Prou. 10. Hinc illud Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Conducit ad idem contriti cordis sacrificium, suiq; humilis agnitio. Psal. 31. *Dixi: confitebor aduersum me iniustitiam meam, & tu remisisti impietatem peccati mei.* 1. Ioan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra.* Sic Niniuitæ Humilitatis Pœnitentiæq; operibus iram Dei à se depulerunt. Ionæ 3. & 4.

Oratione quoque dominica expiari leuiora peccata tradit Aug. Enchir. c. 71. imo vniuersis Christianæ pietatis officijs deleri peccata, docet nos illud Proueb. 10. *Iustitia liberat à morte*; & illud Iacobi 4. *Humiliamini in conspectu Dei, & exaltabit vos.* Non enim sufficit malum deserere, sed & de præteritis deprecari oportet Dominum, congruisque satisfactionis operibus placare; adiunctā iuxta Christi legem Sacramentali confessione. Augustinus hom. 50. inter 50. cap. 15. Cyprian. serm. *de lapsis.* Origen. hom. 2. in Leuiticum ostendit, per varia sacrificiorum genera, varios remittendi peccata modos adumbratos fuisse.

Post hanc vitam non expurgari grauiora peccata, sed æternis pœnis vindicari, docet August. Enchirid. cap. 67. libr. *de fide & operibus* cap. 16. hom. 16. ex 50. serm. 41. *de temp.* in Psalm. 37.

CAP. CCCLV.

Quomodo solus Deus peccata remittat?

NE quis Deo aut Mediatori Christo iniuriā fieri opinetur, dum per Sacramenta, pietatisque opera, peccatorum remissionem obtineri dicimus; sciendum est, Deum solum propria authoritate peccata condonare, vtpote cui peccando simus obstricti, & cuius solius potentia & merito ex iniustis homines iusti effici possunt, vt habet Augustin. tract. 7. in Ioan. ex Isaia c. 43. *Ego sū, qui deleo iniquitates tuas.* Nec hanc potestatem, antequam VERBVM caro fieret, vlli creaturæ Deus communicauit, sed postquam

Deus authoritate peccata dimitti, sacerdos ministerio.

Christus vt homo accepit potestatem remittendi peccata, quam post incarnationem hominibus communicauit.

Deus homo factus est, Christus vt Homo hoc à Patre munus accepit, vt Matth. 9. traditur. Eandémque potestatem Apostolis & eorum in Sacerdotio successoribus communicauit; hac tamen differentia, vt ipse sua authoritate, vi ac merito proprio, ceteri verò non nisi vt ministri peccata remitterent, idq; per Sacramenta, & præstando ea, quæ ex Christi gratia & institutione ad expianda peccata valent.

Quare dum per Sacramenta, per Sacerdotes, variáque pietatis officia in Ecclesia remitti peccata docemus, nõ homines à Deo, vel à Mediatore Christo abducimus, sed Dei munera prædicamus, ineffabilémque Dei prouidentiam, summámque in nos charitatem agnoscimus, qua ad animorum curationem, vitámque reparandam tot remedia instituit, quæ non dubiam salutis spem, vt corporales medicinæ, sed certissimam vti volẽtibus sanitatem adferant. Nullum enim tantum est scelus, cuius remittendi potestatem Ecclesia non habeat; nec aliquo circumscribitur peccatorum numero, aut tempore. Nam quotiescumque, & quandocúmq; peccator ad mentem rediens, veniam peccati exposcit, Christus ignosci illi voluit, non modò septies, sed vsque septuagies septies, Matth. 18.

Homines remittunt per Sacramenta, & vt [illegible].

Nullum est peccatum, quod in hac vita remitti non possit.

Cauendum tamen, ne tam ampla veniæ facultate propolita, vel ad peccandum faciliores, vel ad resipiscendum tardiores reddamur, ne fortè præoccupati morte, frustra peccati remissionem professi fuerimus, aut procrastinatione ac tarditate tam ingens Dei beneficium amittamus.

CAP. CCCLVI.

Articulus vndecimus.

Carnis resurrectionem.

HOc vndecimo Symboli Articulo profitemur, nos credere, futuram quandoque eorumdem corporum, omnium quicúmque nati sunt hominum, atque nascentur, & mortui sunt atque morientur, resurrectionem; idque vt agnoscamus, Christi beneficio non solùm animæ beatitudinem, sed corporis quoque gloriam à Deo exspectandam esse. Nam sicut peccatum duplicem homini mortem attulit, *vnam* animæ, *alteram* verò corporis: ita quoque duplicem per Christum resurrectionem consequimur. *Prior* est animæ, dum à morte peccati excitatur atq; iustificatur, quam in præcedenti articulo professi sumus, agnoscendo peccatorum remissionem dari. *Hæc est* enim *resurrectio prima*. Apoc. 20.

Resurrectionem futuram credimus.

Duplex resurrectio per Christum.

I. Animarum.

Ceterum licet anima per vitæ nouitatem hîc indies à peccati vetustate magis ac magis liberetur, adhuc tamen exterior homo corrumpitur, mortisque imperio subiacet, donec longa tabe confectum concidat: quod tamen etiam suo tempore resurget, vocatúrque *secunda* resurrectio, quæ corpus attingit. Primùm enim Spiritus sanctus animam hominis curat, deinde corpora in cineres redacta ad vitam suscitat.

II. Resurrectio est corporum.

Vtriúsque beneficij authorem esse Spiritum sanctum, Apostolus Roman. 8. testatur: *Quòd si spiritus eius, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, habitat in vobis, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter,*

pter inhabitantem spiritum eius in vobis. Vtriúsque resurrectionis Ioan. Euang. cap. 5. meminit: *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent*, id est, filio Dei obedientes iustificabuntur: vbi de animæ resurrectione subiungit: *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala, in resurrectionem iudicij.* De qua corporum resurrectione Apostoli in hoc Articulo loquuntur, eamque *Carnis* nomine expressérunt.

Ioan. 5.

Per carnem verò in scripturis sacris quandoque integer homo denotatur: vt Isaiæ 40. *omnis caro fœnum.* Ioan. 1. *Verbum caro factum est.* Interdum caro solum corpus significat. Lucæ 24. *Spiritus carnem et ossa non habet.* Iob 19. *In carne mea videbo Deũ saluatorem meũ.* Quamuis autem voce carnis tam homo quàm corpus significari hîc possit, quomodo in Constantinopolitano Symbolo dicitur: *Exspecto resurrectionem mortuorum*; attamen Apostoli voce *carnis* vti maluerunt, vt ista loquendi forma docerent, animam esse immortalem, solámque carnem per mortem cadere, interire ac dormire, cùm in animam somnus proprius aut interitus nõ cadat. Id autem quod cadit, resurgit. Vnde cùm anima propriè non intereat, nec resurgit. II. *Carnis* voce insinuant Apostoli, se loqui de corporea resurrectione, non autem de spirituali tantùm, qua à peccati morte ad innocentiam reditur, vt Hymenæus & Philetus senserunt, quos percellit Apostolus 1. Timoth. 1. III. *Carnis* mentione significarunt, eandem numero carnem, non alterius naturæ resurrecturã, sicut idem Christi corpus, quod iacuerat in sepulchro, resurrexit, non mutata natura, sed qualitate ac gloria.

Cur Apostoli carnis nomine vsi.

Anima immortalis non sedit.

CAP. CCCLVII.

De resurrectione errores.

ARticulus Resurrectionis eorumdem corporum non solùm visus est absurdus ethnicis, verùm etiam Saducæis, multísque Christianis. Equidem Philosophi etiam illi, qui de animæ immortalitate nonnulla vera crediderunt, de corporum resurrectione nihil omnino suspicati sunt. Non enim corporialiquod præmium esse repositum, aut reuictura quandóque corpora putauerunt. Vnde Paulum resurrectionem mortuorum annuntiantem irrisérunt, Actor. 17. Vt ex verbis Sancti Lucæ constat: *Quidã autem Epicurei & Stoici Philosophi differebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult seminator verborum hic dicere? Alij verò: Nouorum dæmoniorum videtur annuntiator esse: quia* IESVM, *& resurrectionem annuntiabat eis.*

Errores de resurrectione. Plinius lib. 7. nat. hist. c. 55. spem resurgendi vocat deliramentum.

Philosophi resurrectionem corporum non crediderunt.

Inter Iudæos verò etiam Saducæi de resurrectione perperam senserunt. Matth. 22. Lucæ 20. Marci 12. Actor. 23. Vt S. Lucas his verbis indicat: *Sciens autem Paulus, quia vna pars esset Saducæorum, & altera Pharisæorum, exclamauit in Concilio: Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum: de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor.*

Saducæorum hæresis.

Inter Christianos quoque varij errores olim fuisse reperiuntur de corporum resurrectione. Quidam enim Apostolorum tempore corporum resurrectionem negantes, spiritualem tantùm, quæ in iustificatione fit, agnouerunt. Contra quos scribit Paulus 1. Timoth. 1.

Origenes de retur. perperam sensit.

Origenes verò cùm assectis resurrectionem in æthereo corpore, subtili, ac cœlesti, non in eadem quæ corrumpitur carne, fore putauit. Quem sequutus est Ioan. Ierosoly. Contra quem Hieron. in epist. ad Pammachium, & in vlt. cap. Isaiæ disseruit. Cuius errores complexus

Eutichius.

est Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus, contra quem Diuus Gregorius disputauit, scripsit ac conuicit, libro 14. moral. capite 31. & 32.

CAP. CCCLVIII.

Fides resurrectionis est fundamentum Christiana religionis.

Tertullia. lib. de resurrect. August. in Psalm. Cyril. Catech. vlt.

QVia resurrectio mortuorum spes fidelium est, radixq; omnis bonæ operationis, itaque fide Christiani à Paganis distinguuntur, qui Christum quidem mortuum esse credunt, sed non resurrexisse; ideo scriptura sacra hunc articulum verbis luculentis ac frequentissimè proponit, variisque insuper modis confirmat.

Fides resurrectionis est fundamentum religionis.

Primum vaticinijs Prophetarum, Isaiæ 26. Ezech. 37. Danielis 12. Iob c. 19 Psal. 1. 2. Machab. 6. & 12.

Nec solùm verbis resurrectionem fore asseruerunt, sed rebus quoque gestis id manifestè comprobarunt, resuscitando mortuos 3. Reg. 17. & Reg. 4. & 13.

Resurrectio verbis & exemplis confirmata.

Et in nouo Testamento Christus hunc Articulum verbis & exemplis varijs similiter confirmauit: vtque omnem, ambigendi prætextum depelleret, sensibile documentum futuræ omnium resurrectionis in seipso exhibuit, dum à mortuis seipsum tertia die suscitauit, idemque numero corpus, quod deposuerat, anima reassumpsit, multisque argumentis hoc ipsum Dominus euidentissimum effecit, cum Apostolis loquendo, bibendo, comedendo, suaq; vulnera conspicienda palpandaque illis exhibendo. Quàm resurrectionem Christi quia sit exemplar nostræ, Apostolus nos perpetuò recolere iubet, 1. Cor. 15. *Nam si Christus non resurrexit, inanis est, ait, prædicatio nostra; inanis est & fides vestra.* Si enim resurrectio non est, bibamus & comedamus: cras enim moriemur. Tolle spem resurrectionis, & sublata est omnis obseruantia pietatis. *Desperantes*, ait Apostolus Ephes. 4. *tradiderunt se impudicitiæ:* ac Sapientiæ 2. *Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, &c* Quare Apostolus ad Hebr. 6. fidem resurrectionis meritò ad fundamentum nostræ religionis pertinere affirmat. Quantum enim ulla ad pietatem & afflictorum consolationem valeat, vnius Iob exemplum ca. 19. demonstrat: *In nouissimo die de terra surrecturus sum, & videbo Deum, ego ipse, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Hæc sanè spes atque constans resurrectionis fides, pueros illos Machabæos, infinitósque alios Martyres & Confessores, in quibuslibet huius vitæ ærumnis, supplicijs ac tormentis inuictos reddidit, atque cum lætitia mortem (quam impij reformidant) oppetere, futuræque vitæ bona expetere, impulit. Dionys. Areop. lib. *de Eccles. Hier.* c. 7. p. 1.

Iob 19.

2. Mach. 6.

CAP. CCCLIX.

Quibus argumentis resurrectio futura persuaderi possit?

Resurrectio argumentis asseritur.

QVamuis certa fide resurrectionem corporum futuram teneamus, attamē profuerit, etiam

rationibus & exemplis ostendere, illam à natura vel humanæ rationis intelligentia non abhorrere, nec esse alienam. Quærenti enim, *quomodo resurgent mortui?* Apostolus 1. Cor. 15. respondet: *Quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur:* & non corpus quod futurum est, semi nas, sed nudum granum, reputa tritici, aut alicuius ceterorū. Deus autem dat illi corpus, sicut vult. Inde à simili infert, quòd hominis corpus, licet corrumpatur, surgere tamen incorruptione donatum possit.

Adiungi similitudines possunt de luce, quæ veluti moriendo quotidie oculis nostris subtrahitur, & rursus quasi resurgendo apparet: item de arboribus, quæ hieme ornatum suum perdentes aridæ videntur; at recurrente æstate veluti resurgendo, virorem, frondes, & fructus recuperant. Cernimus insuper semina putrescere, ac velut emori, rursúsque germinando resurgere cum fœnore. *Nisi enim granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*, inquit Dominus Ioan. 12. Vide Augustin. tract 8. & 24 in Ioan. Greg. lib. 14. moral. c. 14.

Ex animarum immortalitate sequitur corporum resurrectio.

Ex animarum quoque immortalitate Dominus corporum resurrectionem fore concludit, Matth. 22. *Non est Deus mortuorum, sed vivorum.* Igitur cùm Abraham, Isaac, & Iacob secundùm animam viuant, secúdùm corpora etiam resurgent. Cùm enim animæ immortales sint, & ad humana corpora naturalem propensionem veluti hominis partes retineant, sequitur, contra earum naturam fore, quòd à corporibus perpetuò seiunctæ manerent. Nullum autem violentum diuturnum est: consentaneum ergo fuerit, vt animæ suis corporibus denuo cōiungantur. Quòd autem extra corpus, animæ status non sit purior eiq; melior, vt opinatus est Plato, & Porphyrius, Aug. teste lib. 12. *de ciuit.* c. 26. euinci potest ex eo, quòd omnis pars à suo toto separata, imperfecta sit, ideóq; anima à corpore seiuncta plenam felicitatē adipisci nequeat; cui proinde vt nihil desit, corporis resurrectio necessaria sit, vt satietur naturalis eius corporis administrandi appetitus, & intentione omnimoda in summum bonum feratur. Aug. lib. 12. de Gen. ad lit. c. 35.

Ex lege iustitiæ & remunerationis colligitur hominum resurrectio.

Præterea iustitiæ diuinæ ratio corporis resurrectionē exposcit. Cùm enim homini ex corpore & anima constanti proposita fuerint præmia, si bene viueret; supplicia, si malè, corpúsque & anima simul iuncta iter mortalis vitæ peregerint, & vel virtutum vel vitiorum causæ ac instrumenta fuerint, æquum est, totum hominem anima & corpore constantem, recipere *prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum.* Quam rationem indicat Apostolus 2. Corinth. 5. *Oportet nos omnes manifestari ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque prout gessit in corpore suo.* Eodem argumento vtitur Dionysius Areopagita lib. *de Ecclesiastica Hierarchia*, c. 7. p. 1.

Accedit, quòd cùm anima sola nec bene fecerit, nec malè, sed cum corpore, iustum esse, vt non sola crucietur, aut coronetur, sed cum corpore, in quo peccauit, aut Deum glorificauit. Si enim corpori nulla essent reposita præmia, miserrimos esse sequeretur, qui pro Christo in hac vita Martyrium, grauissimáque tormenta perferunt; cùm pro illis in altera vita nihil essent recepturi. Quo argumento vtitur Apostolus 1. Cor. 15. *Si in hoc mundo tantùm in Christo sperātes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* 1. Thes. 1.

Chryſo. ho. 1. ad populum Antioch.

Corpora iuſtorum ſunt corpori Chriſti configuranda.

Poſtremò corpora noſtra reſurrectura ſuadet, quòd hîc ſint Chriſti corporis myſtici membra, ſuo capiti aliquando configuranda. Ad hoc enim Baptiſmo regenerantur, & Chriſti viuifica immortaliquè carne paſcuntur, necnon à Spiritu ſancto inhabitantur. Quo argumento Dominus vtitur Ioan. 6. *Qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Et Ioan. 4. *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Et Apoſtolus Roman. 8. ad Philippenſ. 3. Dionyſius Areopagita lib. *de Eccleſ. Hierarchia.* cap. 7. Irenæus lib. 5. *contra hæreſes*, cap. vlt. Hieron. in epiſt. ad Pammach. Cyrillus in Ioan. Damaſcen. lib. 4. *de fide* cap. 28.

CAP. CCCLX.

Idem corpus anima recipiet.

Idem corpus reſurget.

CVm reſurrectio ſit eiuſdem quod cecidit ad vitam reuocatio, vt quiſque recipiat propria corporis; manifeſtum eſt, idem prorſus, quod anima hîc obtinuit corpus, reſuſcitandum: *Oportet* (inquit Apoſtolus 1. Cor. 15.) *corruptibile hoc corpus induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* Et Iob 19. *quem viſurus ſum, ego ipſe, & non alius, & oculi mei conſpecturi ſunt.* Neque tantùm ſingulæ animæ ſingula ſua corpora, ſed & ſingula ſua membra, quibus humani corporis integritas completur, recuperabunt. Nam in quamlibet cinerem hominum caro ſoluatur, in quoſlibet halitus auráſque diffugiat, in quamlibet aliorum corporum ſubſtantiam, vel in ipſa elementa vertatur, in quorumcúnque animalium, etiam hominum cibum cedat, carnémque mutetur, illi animæ puncto tẽporis redibit, quæ illam primitus vt homo fieret, creſceret, viueret, animauit; adeò vt ne quidem vnus capitis noſtri capillus ſit periturus. Mat. 10. Aug. Enchir. 87. 88. li. 22. *de ciuit.* c. 20. Damaſc. li. 4. c. 28. *de fide.*

An verò ſingulæ corporis partes ad ſua membra redituræ ſint, an ex tota mole carnea, qua priùs homo conſtitit, idem corpus reformãdum ſit, diſputat Aug. Enchir. c. 98. prolato de fuſili ſtatua exemplo. Sed cũ reſurrectionis beneficium homini præſtet, quod immortalitatis donũ, ſi homo non peccaſſet certũ eſſe videtur, quòd vnaquæque corporis pars habitura ſit locum & ſitum in corpore glorioſo, quẽ in mortali habuit, vt ex Chriſti corpore apparet, quod noſtræ reſurrectionis exẽplar eſt. Quod Iob quoque c. 19. ſenſit dicens: *Oculi mei conſpecturi ſunt.* Et c. 37. Ezechiel vnumquódque os ad ſuam iuncturam rediturum ait.

In ſua effigie quiſque reſurget.

Vnde inſuper colligimus, vnumquemq; in ſua effigie reſurrecturũ, diſcernibilémque perſonæ proprietatem habiturum. Cùm enim Deus nec à motu, nec à tempore, nec ab vlla cauſa ſecundaria dependeat, idem numero corruptum reproducere poteſt. Talis ergo ibi quiſque erit, vt dignoſci poſſit, quòd idẽ ſit, qui hîc vixit, ſublato tamen omni vitio, quia per Chriſtum virtute diuina reparabitur, quidquid hîc ſuperfluum, aut per miſeriam ademptũ corporibus fuerit. Nullus enim ibi gibboſus, claudus, luſcus, obeſus, aut macer, vel quodãmodo deformis erit. Aug. Enchir. c. 90. 85. & 87. docet, acturã reſurrectionẽ circa fœtus abortiuos, vt quidquid formę defuit, impleatur, vt non deſit perfectio, quæ tẽpore acceſſura erat. Circa noſtra verò etiam inſtaurandum eſſe, quod erat vitiatum, correcta

Defectus corporum tolletur.

emendata quæ naturâ tradit: quod in corporibus Sanctorum certò futurum est. Sed an damnatorum corpora sint ab omni vitio, corruptione ac deformitate libera futura, incertum esse putat Augustin. Enchir. cap. 92. Dolere enim poterunt, quamuis eos ille non interimet, sed affliget dolor, qui in Scripturis *mors secunda* dicitur.

An in damnatis.

Quoad staturam verò, etiam certum est, eam fore in electis quantitatem, & formam, quæ nec maiorem, nec minorem deliderent. Futuram autem staturam resurgentium variari, cuiusq; videlicet eam, quam iuuenili ætate habuit, aut habere debuit, post Magistrum dist. 44. libri quarti communiter opinantur Scholastici, docentes, in resurrectione non tantùm speciei, sed etiam cuiusque individui perfectionem recuperandam esse, in qua staturam comprehendi dicunt, quæ à natura neque prohibita, neque errante vnicuique in iuuenili ætate inducta fuisset. Quòd si ex naturæ vitio quibusdam nimia proceritas, aut breuitas obtigisset, resurrectionis beneficio deformitas omnis auferetur. Vndè gigantes & pigmæi dicentem staturam recipient, Deo sic materiam in vnoquoque modificante, vt nec ex ea aliquid pereat, & quod alicui defuit, ille suppleat, qui de nihilo potuit omnia creare quæ voluit.

De statura corporum resurgentium.

In resurgentibus tamen rationabilis erit inæqualitas corporum, sicut est vocum, quibus cantus impletur, consonantique varietate suauiter resonat. Augustinus Enchirid. capite 90. & libro 22. *de ciuit.* capite 16.

Corporum inæqualitas.

Quantum ad colorem corporum resurgentium, is varius erit, nihil tamen venustati officiens, sed deseruiens: Beatis enim is color erit, qui sit nitidus, splendorique ac doti claritatis aptissimus. Nigredo autem æthiopum, cùm ex nimia solis adustione proueniat, vt & omnis alius color, ex naturæ vitio prouenies, corrigetur.

De colore corporũ resurgẽtium.

De resurgentium porrò ætate Magister lib. 4. Sentent. dist. 44. & post eum Scholastici Doctores ex Apostolo ad Ephes. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, vno consensu docent, vnumquemque in ea ætate resurrecturum, in qua Christus resurrexit: hoc est, in iuuenili ætate. Cuius sententiæ August. quoque meminit lib. 22. *de ciuit.* cap. 15. ad quam illud Psalm. 103. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua*, referri potest, iuxta Ambros. serm. 54. Petrum Chrysologum serm. 82. Quia enim resurrectio vitia cuncta emendabit, & cùm in pueris atque senibus natura deficiat, aptissimè omnes in iuuenili ætate resurrecturos credimus.

De resurgentium ætate.

Nonnulli occasione verborum Apostoli ad Ephes. 4. *in virum perfectum*, opinati sunt, sexum fœmineum in virilem tempore resurrectionis commutandum, vt ibi solùm viri sint, quemadmodum ab initio Deus virum solùm creauit: & quoniam tunc nulla sit futura generatio, quia omnes erunt conformes imagini filij Dei. Rom. 8. Sed aliud nos docet Christus Matth. 22. vtrumque sexum ab eo restituendum, qui vtrumque creauit. Nam in resurrectione nuptias futuras negauit, non fœminas: quinimo eas ibi fore confirmauit, dicens: *Non nubent*, quod ad fœminas pertinet: *neque vxores ducent*, quod ad viros. Erunt ergo ibi vxores, sed similes Angelis Dei, quoad immortalitatem, & beatam Dei contemplationem, vt notat Hier. in 22. cap. Matt.

De sexu resurgẽtium.

Vterq; sexus in resurrectione futurus.

& epist. ad Pammachium. August. lib. 22. *de ciuit.* cap. 17. vbi docet, vitia corporibus tunc detrahenda, non naturam, ad quam sexus pertinet. Prosper lib. 1. *de vita contemplatiua*, cap. 11. *Ibi diuersi sexus erunt corpora, sed absque turpida pudendáque libidine.* Nec aliud vult Hilar. in 22. cap. Matth. negans vsum sexuum ibi fore, ob noxium videlicet illecebris nostris. Nam ibi multa præter sexum alium habitura sunt, quàm in hac vita vsum, putà ad ornatum, sapientiæ diuinæ commendationem, ad humanæ naturæ cõplementum: sicut in hac vita solùm ad venustatem virorum vbera seruire conspicimus. Quid igitur mirum, si etiam tunc membra genitalia, humores atq; potentiæ, generatiua, nutritiua, digestiua, & expulsiua, variisque sensus, in beatis futura sint, vt in eis infinita Dei bonitas & sapientia reluceant? Quando autem Apostolus, *in virum perfectum omnes resurgere* dicit, *viri* nomen pro *homine* ponit. Augustin. libro 18. *de ciuitat.* capite 22.

CAP. CCCLXI.

An aliqui sine morte sint ad præmia vel supplicia rapiendi?

Quinam sine morte sint rapiendi?

QVamuis certum sit, omnes qui morientur, resurrecturos, non tamen æque certum, an omnes morientur, quia Matth. 24. dicitur: *Sicut in diebus Noë*, &c. 1. Thess. 4. *Rapiemur obuia Christo in aëra*, & 1. Cor. 15. in græcis codicibus legitur: *Non omnes quidem dormiemus, sed omnes immutabimur.* Quomodo legit Orig. contra Celsum, Chrysost. hom. 42. in 1. ad Cor. Theodor. in c. 4. prioris ep. ad Thess. & alij, quorũ meminit Hieronym. in epi. ad Alex. & Minerium, & in epist. ad Marcellam de hac ipsa re ambigit, vtrùm omnes sint morituri, vt & Augustinus quæst. 3. ad Dulcitium, Ambros. in capite 15. prioris ad Corinth. Gennadius libro *de Eccles. dogmat.* capite 7. Erasmus in comment. 15. capite 1. ad Corinth. & 1. Thessalon. 4. Faber Stapulensis cum Cajetano.

Græcorum lectio.

Nihilominus Hieronymus in supradicta epistol. ad Alexandrum & Minerium, Latinorum, communem lectionem *Omnes quidem dormiemus*, veriorem esse demonstrat, qua vsi sunt vetustissimi scriptores: Tertullianus libr. *de resurrectione carnis*, Ambrosius in comment. Hilarius in Psalm. 118. Augustinus libr. 20. *de ciuit.* capit. 20. vbi scripturæ conformius esse ostendit, quòd omnes morientur, siquidem ibidem 1. Corinth. 15. habetur: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*: aciterum: *Quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur*: &: *Statutum est omnibus hominibus semel mori.* Hebr. 9. *Quis est homo, qui non videbit mortem?* Psalm. 88. *Omnes morimur*, 2. Regum 14. Generalis denique in homines lata est sententia: *Terra es, et in terram redibis.* Et si *oportuit Christum mori, & sic intrare in gloriam suam*, quantò magis decet, omnes mortis filios semel mori, exemplóque Domini sui resurgere?

Latinorum lectio verior.

Accedit, quòd Concilium Tridẽtinum versionem vulgatam cum omnibus suis partibus authenticam esse declarauerit. Nec huic lectioni repugnat, quòd Apostolus ait 1. Thessal. 4. *Deindè nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo*: nam qui aduenientes Domino viui reperientur, in ipso raptu morientur, vt

In raptu morientur.

docer in eum locum Ambr. & Auguſt. lib. 20. *de ciuit.* cap. 10. vbi omnes in cinerem redituros addit, quia cinis & terra ſit, quiſquis vitam amittit. Vndè Ezech. 37. oſſa arida viuificari dicuntur, & terra cuiuſque vocatur exanime corpus.

In cinerem redit, qui vitam amittit.

CAP. CCCLXII.

Vtrùm omnes ſimul reſurgent?

An ſimul omnium fiet reſurrectio.

APoſtolus 1. Theſſal. 4. ait: *Mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi, deindè nos qui viuimus.* Vbi ſcriptura ſignificare videtur, eos qui ante Chriſti aduentum defuncti fuerint, priùs reſurrecturos: deindè illos, quos aduenies viuos reperiet. Et Apocalyp. 20. aſſerit, ſanctos cum Chriſto annis mille regnaturos, ac primæ, ſecundæque reſurrectionis meminit. Ex quibus Chiliaſtæ opinati ſunt, Chriſtum in hunc mundum rediturum, ac electos reſuſcitaturum, cum quibus ſit hîc in ſumma felicitate annis mille regnaturus, quibus demum finitis, reprobos ſit à mortuis excitaturus. Quam opinionem Auguſtin. reijcit lib. 20. *de ciuit.* cap. 7. Eius authorem quidam faciunt Papiam, de quo Hieron. lib. *de Eccleſ. ſcriptoribus*, & in Ezechielem cap. 36. Nicephorus lib. 3. hiſt. cap. 20.

Chiliaſtarũ author.

Papiæ ſententiam amplexi ſunt: Irenæus lib. 5. ca. vlt. Tertullian. Victorinus, Lactant. lib. 7. Inſtit. cap. 24. Euſebius lib. 3. hiſt. cap 28. Cerinthum authorem Chiliaſtarum nominat, contra quem Dionyſ. Corinthium ſcripſiſſe cõmemorat. Sed Papiæ & Cerinthi diuerſa fuit opinio: ille ſiquidem ſpirituales delicias tantùm agnoſcebat, hic verò corporales. Sed inter fabulas tam huius, quàm illius ſententiam reponendam eſſe, docet Hieronym. in epiſt. ad Alexandrum & Minerium, quoniam Ioann. 5. & 1. Corinth. 15. in momento, & ictu oculi, canente nouiſſima tuba, reſurrectionem omnium fore ſcriptura tradit. Vndè neque longè ante Chriſti aduentum, defuncti ante illos, qui aduenient Chriſto reperientur viui, reſurgent, neque citiùs reprobis electi, vt opinatus eſt Theophylact. in 1. ad Theſſal. cap. 4. ſed vniuerſi, tam electi, quàm reprobi, tam diu antè, quàm recenter defuncti, aut ſuperſtites aduenient Chriſto reperti, momento temporis reſurgent, vt expreſſis verbis habet Apoſtolus 1. Corint. 15. Cùm enim omnis creatura nutui conditoris promptiſſimè obediat, ad ſonum tubæ omnes in ictu oculi comparebunt. Qui autem tunc viui reperientur, tam boni quàm mali, per ignem, qui Iudicis faciem præcedet, in cinerem redigentur, ac ſi quid in eis ſordium fuerit, illo igne expurgabitur, ac deindè primùm omnes ſimul reſurgent, & poſtquam reſurrexerint, omnes electi protinus in aëra in ſuis corporibus obuiam Chriſto rapientur, vt ſignificat Apoſtolus 1. Theſſal. 4. vbi ordinem inter raptum & reſurrectionem conſtituit, non autem inter reſurrectionem eorum, qui priùs fuerint defuncti, & eorum, qui reperientur aduenient Chriſto viui.

Aug. li. 20. de ciu. c. 20.

Sed hîc emergit QVÆSTIO de iis, qui corpora ſua Chriſto reſurgente leguntur reſumpſiſſe Matth. 27. an iterum depoſuerint corpora? vt eorum poſtùs ſuſcitati, quàm reſurrectio fuit, vt ſentit Auguſtinus epiſt. 99. Chryſoſtomus homil. 39. in 1. ad Corinth. Hieronymus in 27. capite Matth.

Vtrùm qui reſurgente Chriſto apparuerunt in ſuis corporibus, poſtea iterum eadem depoſuerint?

Recentiores plerique, non nullis, ex ſinguiari priuilegio cõceſſam pu-

tant resurrectionem ad plenam immortalitatem, vti de B Virgine sentit Ecclesia: quibus verò hoc beneficium à Deo indultum sit, & cur potiùs his, quàm illis, solus Deus, qui omnia secundùm consilium beneplaciti sui operatur, nouit. Dauidis enim corpus non resurrexisse attestatur in Actis Petrus capit. 2. De Apostolis, quòd eorum corpora in terris adhuc reseruentur, ex populorum, apud quos ea sunt, attestatione patet.

CAP. CCCLXIII.

Vtrùm impij ad immortalitatem resurgent?

Etiam impij resurgent.

CHristus moriendo mortem deuicit, totiúsque humanæ naturæ restitutionem promeruit: vtque suum meritum non esset Adæ peccato contractiùs, voluit, vt sicut omnes in Adam corporaliter moriuntur, ita & omnes corporaliter Christi merito viuificarentur, vt vnusquisque in corpore & anima secundùm anteactæ vitæ merita reciperet, siue præmia, siue supplicia æterna.

Immortalitas enim communis erit bonis & malis hactenus, vt corrumpi morique nequeant: sed alterius generis erit incorruptio iustorum, quàm impiorum. In illis enim donum retributionis erit plena immortalitas animæ & corporis, vt pati aut dolere nequeant, in quibus implebitur illud Isaiæ 25. *Præcipitabit mortem in sempiternum*, & Oseæ 13. *Ero mors tua, ô mors*, & 1. Cor. 15. *Nouissima destruetur mors.* Et Apoc. 21. *Mors vltrà non erit.* At in impijs integritas naturæ donum erit solùm gratiæ gratis datæ, quæ cruciatum & dolorem non excludet affligentem tamen, non interimentem. Augustin. Enchir. cap. 92. Fulgent. li. de fide ad Petrum cap. 3.

CAP. CCCLXIV.

Vbi futura sit resurrectio?

Vbi futura sit resurrectio.

AMbigi potest, vtrùm Angelorum ministerio cineres omnium defunctorum in vnum locum, vbi futurum sit iudicium, congregandi sint, in valle putà Iosaphat, (de qua Ioëlis 3.) vt ibi clangore tubæ simul excitati, repentè iudici sistantur, an potiùs quisque ex eo loco proditurus, in quo sepultus fuit? vt scriptura significare videtur Ezechi. 37. *Educam vos de sepulchris vestris.* & Ioan. 5. *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei.* Et Matth. 27. *Monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum surrexerunt.* Accedit, quòd Christus ex monumento, in quo eum sepelierant, exsurrexerit. Nec obstat, quòd multa monumenta perierint, vel quòd corpora in varias orbis terræ partes delata, frustatim sepulta fuerint, vel ab auibus, aut piscibus, ferisue animantibus deuorata, vel per ventos & auras in varia loca efflata. Nam facilè Angeli singulorum cineres ad cuiusq; sepulchrum, aut mortis locum deferent, vt ibi vnusquisque resurgat, vbi sepultus aut mortuus fuerit. Quod apertè Chrysostomus sentit, dicens, Romam in illa die Petrum & Paulum ex sua thecâ producturam.

Neq; porrò tunc verendũ erit, ne plura in eodem loco corpora condita se inuicem impediant, cùm diuinæ virtuti creatura omnis promptissimè pareat.

Quando futura sit resurrectio?

Quando autem futura sit resurrectio, nobis incognitum Christus esse voluit, quemadmodum & Iudicij

Iudicij extremi diem; vt supra latiùs deductum est.

CAP. CCCLXV.

De caussa Resurrectionis.

Caussa resurrectionis efficiés.

PRimaria resurrectionis corporum causa, Deus erit. Eiusdem enim est suscitare & creare. Iuxta illud Rom. 8. *Qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra.*

Instrumẽtalis primaria Christus.

Exemplaris autem & instrumentalis primaria, Christus primitiæ dormientium. *Ille* enim *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Philippens. 3. Et *Deus eos, qui dormierunt, per Iesum adducet cum eo.* 1. Thess. 4. Ioan. 5.

Secũdaria, vox Archãgeli.

Secundaria verò instrumentalis causa erit, vox Archangeli, quæ & *tuba Dei* nominatur. Matth. 24. *Filius hominis mittet Angelos suos cum tuba & voce magna.* 1. Thessal. 4. *Ipse Dominus descendet de cœlo in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei.* 1. Corinth. 15. *In nouissima tuba.* Matth. 25. *Clamor factus est.* Sophoniæ 1. *Dies illa, dies tubæ & clangoris.* Iob. 26. *Quis poterit tonitrum magnitudinis eius intueri?*

Ex quibus probabiliter colligimus, manifestum aliquod signum, imò vocem auditui humano perceptibilem, Christi iussu edendam, cuius virtute omnes defuncti mox exurgant. Hinc 1. Thessal. 4. Apostolus tria connectit: *In iussu, in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo*: quasi iussus sit voce explicandus, aut promulgandus tuba, vt Ioan. 5. insinuari videtur: *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei.* Vndè quidam opinatur, Christum vocem articulatam prolaturũ, quæ eius imperium exprimat. Alij Christum Archangeli ministerio vocem editurum, non ore proprio sentiunt, quoniam dicat Apostolus, *In iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei.* Et Matt. 24. *Filius hominis mittet Angelos suos cum tuba & voce magna.* Quæ Filij Dei vox meritò dici poterit, quia eius iussu fiet, omnémque ab eo energiam habitura est.

Quænam sit futura vox Filij Dei siue Archangeli præconis.

Quænam verò ista magna vox futura sit, Matt. 25. exprimitur: *Ecce Sponsus venit; exite obuiam ei.* Hieron. tom. 4. *in reg. Monach.* cap. 30. vocem fore ait: *Surgite mortui, venite ad iudicium.* In epist. verò ad Alexandrum & Minerium eandem vocem putat *clamorem*, & *tubam*, ac *vocem Dei* nuncupari. *Clamorem*, ab effectu conuocandi gentes: *vocem*, propter articulatum sonum iudicis imperium exprimẽtem; ac demùm *tubam*, propter vocis magnitudinem, vim & conuocandi officium, iuxta veteris legis morem, qui describitur Num. 10. Ad quem Isaias cap. 38. alludens: *Quasi tuba*, inquit, *exalta vocem tuam.* Ioelis 2. *Canite tuba in Sion, conuocate cœtum.* Ioan. Apoc. 7. & 10. tubarum meminit. & 1. Cor. 15. Apostolus: *In nouissima tuba.* Per *tubam* August. epist. 120. cap. 34. manifestum aliquod signum intelligit.

Clamor. Vox. Tuba.

CAP. CCCLXVI.

De resurgentium corporum dotibus.

Dotes resurgentium corporum IV.

REdiuiua sanctorum corpora eiusdem, cuius antea, erunt naturæ, sed multò altenus conditionis & gloriæ. Quatuor autem præcipua eorum ornamenta erunt, quæ vulgò dotes nuncupantur, & ab Apostolo 1. Corin. 15. & ad Philip.

Impassibilitas.

3. traduntur: quarum prima est. *Impassibilitas*, quæ præstat corpori, ne corrumpi, pati, affligi, vel incommodo aliquo affici queat. *Seminatur*, ait, *in corruptione; surget in incorruptione.* Vocatur autem hæc dos *Impassibilitas* potiùs quàm *Incorruptio*, vt proprietatem corporis glorioſi designet. Nam & impiorum corpora incorruptionem quādam ſortientur, vt ſcilicet interire nequeant; ſed tamen affligi poterunt. Beatorum verò corpora inuiolabili munere immortalitatis induentur, vt lædi, dolorem ſentire, æſtuare, algere, ſitire, aut eſurire, morbo aut ſenectute inueterascere, nequeant; bibere tamen & comedere, poſſibilitate, non neceſſitate, poſſint; vt Scriptura docet Iſa. 35. 51. Apoc. 21. Auguſt. lib. 20. *De Ciuitat.* cap. 17. epiſt. 49. q. 1.

Immortalitas beatorum.

Longe itaque felicior erit Beatorum, quàm primi hominis immortalitas, qui poterat non mori: hi verò non poterunt omnino mori. Auguſt. Ench. cap. 105. lib. 13. *De Ciuitat.* capite 22. & libr. vlt. capite vlt.

Orietur autem hæc plena corporis impaſſibilitas ex perfecto animæ in corpus glorioſum dominio, & ex ablatione omnis corruptibilitatis. Auguſt. epiſt. 146.

Vſus ſenſuum in beatis.

Non tamen hæc impaſſibilitas, ſenſuũ vſum excludet, in quo reperitur paſſio quædam, ſed perficiens, non corrumpens. Etenim beati ſe inuicem, atque Chriſti Humanitatem cernent, Deo laudes decantabunt, eaſque audient. Apoc. 4. Naribus etiam ſuauiſſimum odorem corporum glorioſorum percipient, atque lingua ſaporem, quem humor perpetuus ex optimo qualitatum temperamento dimanans efficiet: ac denique ſe inuicem & alia tangendo, ſumma voluptate perfruentur, vt Luc. 21. Dominus de ſuo corpore aſſeruit: *Palpate & videte.* Per hunc autem ſenſuum vſum Beati non noua intellectus iudicia, ſed noua ſenſus communis experimenta recipient.

De claritatis dote. Matth 17. Claritas corporum beatorum figurata in transfiguratione Chriſti.

Secunda glorioſi corporis dos, eſt *Charitas*, qua *fulgebunt ſicut ſol*, Matth. 13. *tanquam ſplendor firmamenti, & ſtellæ*, Danielis 12. *tanquam ſcintillæ*, Sapientiæ 3. *ſicut nix*, Pſal. 67. Cuius ſplendoris ſpem Chriſtus in ſua transfiguratione monſtrauit, vt monet Leo in ſer. *De transfig.* & Macarius hom. 15.

Leo in ſer. de Trãsfig.

Huius dotis meminit Apoſtolus 1. Corinth. 15. *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria.* Et Philippen. 3. *configuratum corpori claritatis ſuæ.* Cuius gloriæ imaginem Angelus Dominicæ reſurrectionis nuncius exhibuit, apparens coopertus ſtola candida. Marc. 16. *Et erat aſpectus eius ſicut fulgur, & veſtimenta eius ſicut nix.* Matth. 28. Ioan. 20. vt obſeruat Chryſologus ſerm. 74. Eeiuſdem gloriæ ſpeciem quandam expreſſit facies Moyſis, in quam filij Iſraël intendere non poterant, Exodi 34.

In ſtola candida Angeli.

In facie glorioſa Moyſis.

Cauſa tantæ claritatis erit animæ felicitas, in corpus redundans, ac proinde pro diuerſitate beatitudinis animarum, erit quoque diſpar ſplendor corporum, vt Apoſtolus 1. Corinth. 15. docet: *Stella à ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum.* Hieronymus in 12. cap. Danielis & in cap. 2. Naum. Hanc glorioſi corporis ſui claritatem Chriſtus poſt Reſurrectionẽ ſuam oculis diſcipulorum occultauit, non tamen ea ciruit; vt monet Aug. lib. 22. *De Ciuit.* cap. 19.

Pro diuerſitate gloriæ animarum, diſpar erit claritas corporum.

De cicatricibus.

Sed hîc QVÆSTIO emergit de cicatricibus ſanctorum, quomodo venuſtati corporum non obſint Chriſtum cicatrices retinuiſſe, imò

& foramina clauorum, Euangelium tradit, *vt* (inquit Ambrosius in capite 24. Lucæ) *amorem erga se nostrum acueret, Deóque Patri, quanta pro nobis passus esset, assiduè repræsentaret.* An verò Sancti cicatrices quoque retenturi sint, disputat Augustinus lib. 22. *De Ciuit.* capite 20. vbi resoluit; certum esse, Sanctorum corpora fore integra, perfecta, sine vitio & deformitate venusta; in quibus si vestigia extent vulnerum, tanquam virtutis indicia, super aurum, & lapidem pretiosum refulgebunt, & ad felicitatis cumulum pertinebunt; sicuti forsitan in damnatis ad miseriam & impietatis argumentum signa quædam apparebunt membrorum ob flagitia resectorum.

An cicatrices futuræ in beatorũ corporibus.

De Agilitate.

Tertia glorioſorum corporum dos erit, *Agilitas*, qua corpus onerenunc aggrauante liberatum, pro animæ nutu citissimè mouebitur, vt ibi puncto temporis sit, vbi anima esse volet; eritque tanta obediendi facilitas, quanta regnandi viuendique felicitas; vt docet Augustinus lib. 13. *De Ciuitat Dei* cap. 18. & lib. 16. cap. 27. atque lib. 22. cap. 11. & vlt. Quam corporum agilitatem, vt imperceptibili tẽpore moueantur, sicut Angeli corpora transferunt in momento; (vt de Abacuk legitur Danielis 14.) insinuat Isaias cap. 14. *Current & non laborabunt: volabunt & non deficient.* Et Sapientiæ 3. *Iusti tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Hic autem discursus à Beatis fiet, non ex

Sancti discurrẽt, non ex indigentia, sed libertatis, atque vt potentiæ vsus exeritur.

indigentia, sed ad libertatis demonstrationem, necnon vt potentia vsui suo decoretur. Non enim instar lapidum immobiles esse decet, sed absque vllo labore, fatigatione, summáque facilitate mouen congruit. Econtra verò impiorum corpora suo pondere instar Dathan & Abiron in infernum deprimentur, & vinculis astricta ibi concludentur. Iuxta illud Matth. 22. *Ligatis manibus & pedibus proijcite eum in tenebras exteriores.* Num. 16.

Quarta corporis glorioſi dos erit, *Subtilitas*, qua fiet, vt corpus ad nutum animæ cuncta penetrare possit. Quam indicat Apostolus 1. Cor. 15. *Seminatur corpus animale, surget spirituale*; non quia corpus, quantum ad substantiam, esse desinet; sed quia spiritu viuificante absque corporeis alimentis, deposita omni corruptione ac tarditate, subsistet, ablata carnis contra spiritum lucta, ciborum indigentia, necnon grauitate motum impediente; ac denique, quia instar spiritus omnia, quæ anima volet, in momento penetrabit, quantumuis solida corpora. *Subtile* itaque dicitur fore, propter actiuæ potentiæ magnitudinem, sicuti dicimus *intellectum subtilem*, qui ad rerum intimam cognitionem peruenit, occultáque scrutatur; & *visum subtilem*, qui minima facilè percipit. Nomen enim *subtilitatis* à penetrandi virtute sumptum est. Virtus autem penetrandi trifariam oritur: aut à quantitatis paruitate, quæ *acuties* vocatur, vt in acu, vel propter materiæ raritatem, vt aqua, aër, ignis: aut denum ab agendi virtute, quomodo sol, vinum, oleum penetratiua esse vulgò asseruntur. Qua significatione corpora glorioſa subtilia fore creduntur, quia omne solidum penetrare ad nutum animæ poterunt, vt docet Augustinus lib. 13. *De Ciuitat* cap. 20. Enchir. cap. 91. Hieronymus in epist. ad Pammachium contra errores Ioannis Ierosolymitani. Gregorius lib. 14. Moral. cap. 29.

De subtilitate.

quomodo corpus spirituale futurum.

Subtile.

quomodo subtilia sint beatorum corpora.

An verò corpus glorioſum solida penetret ex conditione sui status,

An penetrato corpore

porum beatorum miraculosa sit?

an potiùs diuina virtute, singularique miraculo, inter Doctores ambigitur. *Prius* visum est Chrysostomo hom. 86. in Ioan. Epiphanio in hæresi Origenis; Damasceno lib. 4. *De Fide* cap. 19. & vlt. Bonauenturæ atque Scoto in lib. 4. sentent. distinct. 49. *Posterius* autem placet Hilario lib. 3. *De Trinit.* sub finem. Hieronymo in epistol. cont. erro. Ioannis Ierosolymitani; Ambrosio lib. 10. in Lucam cap. 24. Augustino epist. 3. & in cap. 20. Ioan. Gregorio homil. 8. Paschæ Fulgentio *de Incarn.* cap. 11.

CAP. CCCLXVII.

De qualitate corporum damnatorum.

Aug. Enchir. ca. 91.

QVamuis fatigare nos minimè debeat incerta eorum habitudo, quorum certa est damnatio; scire tamen profuerit, quosdam sentire, damnatos cum iis corporum vitiis resurrecturos, cum quibus defuncti fuerint, vt Durandus in lib. 4. Sent. distinct. 4. quæst. 2. Diuus Thomas autem sine aliquo naturæ vitio resurrectura putat, ex illo Apostoli 1. Corinth. 15. *Mortui resurgent incorrupti*, hoc est, interprete Ambrosio *integris corporibus*: quod & ratio suadet. Nam corporum deformitates, non iuxta cuiusque merita vel demerita in hac vita contingunt, neque pulchritudo cuiquam hîc secundùm sua merita donatur, cùm plerúmque nocentissimi formosissima corpora, & sanctissimi deformia sortiantur: pœnam verò futuri seculi, huius vitæ culpæ, non autem perpessæ miseriæ correspondere oporteat. Quare probabilius est, Christum in resurrectione correcturum, quidquid

An damnatorum corpora sine vitio naturæ sint resurrectura?

fuerat in corporibus vitiatum; quoniam integritas illa corporum, sicut & hîc speciositas, donum erit, non gratiæ iustificantis propriæ bonis, sed gratis datæ, communis iustis, & reprobis.

CAP. CCCLXVIII.

De fructu emanente ex Fide Resurrectionis Carnis.

EX huius articuli fide tam nosipsos quàm alios in eorum morte, qui necessitudine aut benevolentia nobis coniuncti sunt, consolari valemus; vt docet Apostolus 1. Thess. 4. Cyprian. *de mort.* Fide resurrectionis nos & alios in morte consolamur.

Secundò in omnibus præsentis vitæ calamitatibus, resurrectionis meditatio plurimum solatij confert. Hac spe Iob merentem animum erigebat. cap. 19. In omni tribulatione.

Tertiò ex hac fide corpora nostra inquinata seruamus, eadémque hîc afflictionibus & pœnitentia emundare studemus, vt splendoris ibi capaciora inueniantur. Corporis coinquinationes vitamus.

Quartò ex eadem fide promptitudo ieiunandi, frigus æstúmque patiendi, & omnia corporis incommoda, necnon mortem ipsam (si opus sit) perferendi, nascitur; vt patet 2. Machabæorum cap. 7. *Spiritum vobis iterum cum misericordia reddet, & vitam, &c.* Prompti ad omnia incommoda perferenda reddimur.

Postremò ex hac fide impellimur, ad honestè sepelienda defunctorum corpora, quæ suo Creatori non pereunt sed viuunt. Dicimus quoque, Sanctorum Reliquias, quæ in terris ad tantam gloriam reseruantur, deuoto affectu venerari, quas ipse Deus nonnunquam speciali honore dignatur, vt 4. Reg 13. dum Moysi corpus, & beatæ Catharinæ per Angelos sepeliuit; per Corpora defunctorum sepelimus. Reliquias veneramur. Deut. 34. 3. Reg. 13.

ossa Helizæi mortuum excitauit; Prophetæ occisi corpus à Leone intactum conseruauit, multáque ad Sanctorum Reliquias miracula omnibus seculis edidit; vt de suo tempore Augustinus testatur libro vigesimo secundo *de Ciuit. Dei* capite 8. libro 21. *cont. Faust.* capite 21. epistol. 137. libro 9. confess. capite 7. Basil. in Psalm. 115. Hieronym. contra Vigilantium. Damascenus libro quarto *de Fide* capite decimo sexto dicit, esse templa Spiritus sancti à nobis veneranda, fontésque salutares, ex quibus scaturiant multimoda beneficia, cæci videant, dæmones abigantur, &c.

CAP. CCCLXIX.

Duodecimus Articulus.

Vitam æternam.

Vltimæ hominis.

Vltimæ hominis finis.

Vltimo Symboli Articulo nos credere profitemur, sanctis promitti post carnis resurrectionem vitam immortalem, beatam ac securam: hoc est, quòd totus homo ex anima & corpore constans, verè beatus futurus sit. Ad beatitudinem enim necessaria est in felicitate stabilitas, cum plena nunquam excidendi securitate. Qui enim animam esse quidem immortalem senserunt, sed post adeptam semel beatitudinem ad huius vitæ miserias post certa temporum interualla redire posse dixerunt, veram animæ beatitudinem non inuenerunt: quam non argumentatione humana, sed authoritate diuina, Apostoli fidelibus aperiunt, & repromittunt; idque vltimo Symboli Articulo, quia hominis vltimus finis est, ad quem vniuersa sua studia, vitam, & actus omnes dirigere illum oporteat. In hunc enim finem à Deo Patre creatus est homo, redemptus à Filio, & iustificatus est à Spiritu sancto: ad eundem finem omnia Patris, & Filij, & Spiritus sancti opera in præcedentibus articulis Symboli expressa referuntur.

Hac igitur iucunda clausula Symbolum fidei Apostoli concluserunt, vt tanti præmij liberalissima promissione à Deo facta, credentes ad virtutum officia excitarent; ac in vitam immortalem & beatam, intentionem, cogitationésque nostras, omnes dirigendas esse docerent. Nam nihil æquè hominum animos ad quæque difficillima, Christi causa subeunda, promptos & alacres reddit, atque præmij vitæ æternæ spes, ac seria meditatio.

Vitæ æternæ nomine quid intelligendum.

Vitæ autem ÆTERNÆ nomine, non tantùm animæ & corporis perpetua coniunctio intelligenda est, quam in Inferno reprobi quoque habebunt; sed beatitudo vera designatur, quæ hominis animum satiat, cor quietum reddit, desideria hominis omnia complet. Cuius vitæ bonorum amplitudo cùm vna explicari voce nequeat, variis quasi per partes nominibus Scriptura describit. Vita enim æterna *regnum* imprimis *cælorum* appellatur, quia sancti libertate, gloria, dignitate, potentia, rerúmque omnium affluentia cum reges, summique regis filij perfruentur, nec ab vllo ibi hoste impugnabuntur: non à Carne, quæ mutui animæ parebit; non à Mundo, non à Diabolo: Deus tunc peccatè omnia reget, in omnibúsque regnabit. Vndè beatitudo etiam *Regnum Dei* vocatur, & *Christi*, atque *Cælum*, *Paradisus*. *Tertium cælum* propter loci sublimitatem & claritatem: *Sancta ciui-*

Matth. 25.

Ephes. 5. Luc. 23. 1. Cor. 15. Apoc. 22.

Vitæ æternam & beatam speramus.

Beatitudo stabilitatē requirit.

tas, & *noua Ierusalem*, propter animorum & corporum perfectissimam innouationem: *Domus Patris*, quia ibi solis filius Deus gloriam suam manifestat, stabilémque habitationem donat.

Matth. 19. Appellatur insuper *vita æterna*, vt significetur, illo statu nihil iucundius, nihil homini optabilius, qui omnium malorum liberatione, omniúmque bonorum adeptione constat. Nam si caduca ista vita innumeris miseriis subiecta, quæ potiùs mors quædam continua dicenda sit, nihil magis amatur, & nihil homini est iucundius; quo tandem animi studio ad æternam vitam, beatam, stabilem, & omni delitiarum genere plenam, anhelandum est? Augustin. lib. 19. *de Ciuit.* cap. 11. Enchir. cap. 84.

Vita etiam caduca diligitur.

Boëtius li. 3 de consolat. Philosoph. Aug. lib. 22. de Ciuit. c. 30. Postremò vocatur beatitudo, *vltimus finis, summa felicitas, status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Ibi enim nullum erit malum, nullum latebit bonum: vacabitur Dei laudibus, qui *erit omnia in omnibus.* Tanta vero ibi iucunditas erit, vt etiamsi non liceret amplius in ea manere quam vnius diei hora, propter hoc solùm innumerabiles anni vitæ huius pleni delitiis & affluentia præsentium bonorum rectè meritóque contemnerentur, vt habet Augustin. lib. 3. *de lib. Arbit.* capite 25. Et colligitur ex Psal. 83. *Melior est dies vna in atriis tuis, super millia.*

CAP. CCCLXX.

Quibus bonis perfruentur beati?

DVplicia sunt beatorum præmia: quædam *essentialia*, nonnulla vero *accessoria*, nuncupantur. *Essentiale* autem præmium in beatitudine, seu vltimo fine consistit. Sed vtrumque, scilicet beatitudo & vltimus finis iterum duplicem habet significationem. *Prior* est, qua rem, cuius adeptione beati reddimur, denotat, *posterior est*, qua vsus, siue adeptio, vel fruitio rei significatur, qua beati sumus. *Prior* beatitudo obiectiua; *posterior* autem *formalis* est; quoniam illa extrinsecè, hac autem intrinsecè ac proprie beati efficimur. Illa denique non in re creata, sed in Deo infinito & incommutabili bono consistit, iuxta illud Genes. 15. *Ego sum merces tua magna nimis.* Psalm. 72. *Mihi adhærere Deo bonum est.* Psalm. 102. *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Psalm. 143. *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius.* Ecclesiast. 1. capite *Omnia vanitas*, quia nulla creatura hominis appetitū explere potest. *Hæc est* enim (ait Ioan. cap. 17.) *vita æterna, vt cognoscant te, & quem misisti Iesum Christum.* Et, *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*, Psal. 16. Item 1. Ioan. 5. *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Apoc. 21. *Ego sum alpha & omega, principium & finis.*

Beatitudo obiectiua. Et formalis.

Idipsum vniuersi Ecclesiastici Scriptores tradunt: vt Dionysius Areopagita libro *de Cælesti Hierar.* capite 10. Deum vocat totius ordinis summum æternúmque principium ac finem. Iren. libr. 3. capite 22. *Gloria hominis, Deus est.* Augustinus lib. 19. *de Ciuit. Vt anima carnis vita est, ita beata vita hominis Deus est.* Et cap. 4. eiusdem libri opiniones philosophorum refert, quorum alij beatitudinem in animo, alij in corpore, alij in vtroque fines bonorum & malorum constituebant, omnes verò in creato aliquo bono, siue honesto siue vtili, siue delectabili, siue in his mixtim. Cæterùm cum Epicureis

Lib. 22. de ciuit. ca 26. 1 Cor 14. Regnū Dei non est esca & potus.

Euseb. li. 3. hist. c. 28.

Aug. lib. 20. de ciuit. c. 7. Lact. lib. 3. instit. ca. 8. Ambr. lib. 2. offic. c. 8. Boëtius li. 3. de cõsol. prosa. 10.

fœdis voluptatibus carnis; Chiliastæ in licitis & honestis; Machometus Cerinthum sequutus, corporales delicias sui proponit in Alcorano capite 28. 47. 48. Quorum omnium sententiis accommodari potest illud Psalm. 92. & Apostoli 1. Corinth. 3. *Dominus scit cogitationes sapientum, quoniam vanæ sunt.* Quòd enim vniuersa hæc externa diuitiæ, voluptates, honores infra hominem sint, illud Psalm. 8. indicat: *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Vndè hominem beatum efficere nequeunt, cùm beatitudo in eo bono sit, quò referri omnia debeant; ipsum verò ad nullum aliud, cùm omnium præstantissimum sit, omnem defectum indigentiámque boni cuiuscúmque depellens. Nam si appetitum non plenè satiaret, aliud bonum requireret, nec per se jam sufficeret.

Creatura limitatam perfectionem habẽs hominis animam satiare nequit.

Deus omnem boni rationem complens hominis appetitum satiat.

Cum igitur omnis creatura limitatam perfectionem contineat, hominis appetitum (cuius obiectum est boni latitudo) satiare nequit: sed opus est infinito aliquo bono, quod in se omnem boni rationem complectatur, quale bonum solus Deus est, qui eminentissimè cuncta bona continet, ac proinde hominis desiderium abundantissimè replet, iuxta illud Augustinus libro 1. Confess. cap. 1. *Creasti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

His de obiectiua beatitudine præmissis, superest, vt de beatitudine essentiali, qua formaliter beati constituimur, disseramus. Ac imprimis tenendum est, nos creata beatitudine formaliter dici beatos, siquidem Dominus *Beatitudinem* appellat, *Vitam nostram.* Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi.* Ioan. 10. *Vitam do eis.* Et 17. *Hæc est vita eterna, vt cognoscant te.* Rom. 6. *Gratia Dei, vita æterna.*

Creata beatitudine formaliter beati dicimur.

Deinde scriptura sacra docet, fruitionem summi boni in aliqua hominis operatione consistere; vt in visione, cognitione, delectatione 1. Ioan. 3. *Videbimus eum sicuti est.* 1. Cor. 13. *Tunc autem cognoscam facie ad faciem*, id est, clarè ac distinctè. Apoc. 2. *Vincenti dabo edere manna*; edere de ligno vitæ.

Beatitudo in visione & fruitione consistit.

Accedit, quòd Benedictus XII. in Extrauaganti citata ab Alphonso à Castro, verbo, *Beatitudo*, hæresi 6. definiit, animam esse beatam visione ac fruitione diuinæ essentiæ stabili ac perpetua. Sed visio & fruitio intellectus & voluntatis operationes sunt. Confortatus enim lumine gloriæ beati intellectus, Deum videt; similiter & voluntas charitate inflammata, Deo viso fruitur ac delectatur. Seclusis equidem gratiæ ac gloriæ donis, non aliter Deus animæ beati coniungitur, quàm cum aliis creaturis, quibus intimè præsens est per essentiam, præsentiam, & potentiam.

Deus vnitur beatis per gratiæ & gloriæ dona.

Dicitur itaque Deus vniri beatis, non per illapsum, vel circuminsessionem, quæ fiat per immediatam vnionem diuinæ naturę absque mediis donis gratiæ ac glorię: (quomodo Manichæi videntur imaginati fuisse, quòd Deus esset vnitus omni creaturæ viuæ) sed per dona sua Deus mentem & voluntatem inhabitat, hominémque quodammodo diuinum, suarum perfectionum communicatione reddit. Iuxta illud 2. epist. Petr. cap. 1. *Magna & preciosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ*; vt explicat Nazianzenus Oratione *In plagam grandinis.*

CAP. CCCLXXI.

In cuius potentiæ operatione Beatitudo hominis consistat.

An beatitudo in operatione intellectus consistat.

CElebris inter Scholasticos doctores quæstio est, in cuius potentiæ actu hominis felicitas consistat? Diuus quidem Thomas in operatione intellectus; Scotus autem in voluntatis; Bonauentura verò in vtriusque potentiæ actu sitam esse contendit: quia beatus clarè Deum intellectu videndo, in eo per delectationem quiescit; ac intellectu & voluntate summo infinitóque bono immediatè coniungitur, illud contemplando, diligendo, eóque perfruendo; vnde summa delectatio quiesque cõsequitur. Hinc scriptura sacra hominis felicitatem aliquando per visionem ad intellectus operationem pertinentem, nonnumquam per delectationem voluntatis describit. Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum.* 1. Ioan. 3. *Videbimus eum sicuti est.* 1. Corinth. 13. *Videbimus facie ad faciem.*

In actu porrò voluntatis ponitur Psalm. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Lucæ 22. *Ego dispono vobis regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam.* Ioan. 16. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Apoc. 2. *Vincenti dabo manna absconditum.* 1. Petr. 4. *Vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.*

Alibi verò in vtriusque potentiæ actu simul Beatitudo proponitur. Psal. 35. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Psal. 33. *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.* Psal. 15. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Isa. vlt. *Videbitis & gaudebit cor vestrum.*

Præterea, vbi scriptura quippiam dignitatis cognitioni Dei tribuit, non de arida notitia, sed de coniuncta pio in Deum affectu loquitur. Quare ex illis ipsis locis, in quibus beatitudo in Dei visione constituitur, elicere possumus, eam simul in voluntatis actu consistere. Vt, Isaiæ 1. *Israël me non cognouit.* Oseæ 8. *Cognouimus te.* Ioan. 1. *Mundus eum non cognouit.* 1. Ioan. 3. *Omnis qui peccat, non cognouit eum.*

Accedit Catechismi nostri Romani authoritas. *Solida*, inquit, *beatitudo, quam essentialem communi nomine licet vocare, in eo sita est, vt Deum videamus, eiusque pulchritudine fruamur, qui est omnis bonitatis ac perfectionis fons & principium.* Ac subdit: *Ioan. 1. epistol. cap. 3. dicens: Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, significat, beatitudinem ex iis duobus constare, quòd videlicet Deum videamus, eoque fruamur, sicque optimo perfectissimóque modo possideamus.*

Essentialis beatitudo in Dei possessione sita.

Vt igitur rem paucis complectamur, absoluta & essentialis beatitudo, in Dei possessione constituenda est. Possidetur autem Deus hîc quidem imperfecto modo, quoniam videtur in ista vita in ænigmate, id est, in similitudine ad Deum intelligendum accommodata, quæ tamen cùm corporea sit, infinitam Dei simplicitatem ac perfectionem immensam repræsentare nequit: at in futura vita, Diuina natura intelligibilis speciei officium eminenter præstabit, se beatis coniungens, eorúmque intelligentiam lumine gloriæ collustrando, quo corroborati idonei efficientur, vt beatificam visionem eliciant, Deúmque lumen verum in cius

1. Cor. 3.

Psal. 35. In lumine tuo videbimus lumen. Psa. 83. gratiam & gloriam dabit Dominus. Psalm. 138.

Illuc manus tua deducet me.

eius lumine videant, eúsque inflammati amore, in eum toto affectu rapiantur, omniáque in eo possideant, nec extra illum quidquam appetant. Vtriúsque igitur potestatis actu, voluntatis scilicet & intellectus, æquè principaliter ac immediatè, beati Deum possidebunt.

Beati Deũ possidebũt actu intellectus & voluntatis.

Et quando Scriptura vel Ecclesiastici scriptores beatitudinem in visione aut Dei cognitione constituunt, actum simul voluntatis, putà amoris, gaudij, delectationis subintelligi volunt. Quod ex Augustino liquet, lib. 1. *De Trinit.* cap. 10. vbi nomine *Contemplationis* beatificæ gaudium quoque comprehendit. Et libr. 1. *De Moribus Ecclesiæ* ca. 25. vitam æternam *Præmium* esse dicit, cuius promissione gaudemus. Promittitur autem nobis non solum, quod Deum videbimus, sed etiam gaudium, fruitio, consolatio, saturitas. Matth. 5. Ioan. 16. Hinc Augustinus scripturam sequutus indifferenter nunc actui intellectus beatitudinem ascribit, vt lib. 1. *De Trinitat.* cap. 8. 9. 10. & 13. Alibi voluntatis actui. libro 1. *De Doct. Christ.* ca. 32. *Summa merces hæc est, vt Deo perfruamur.* Lib. 10. Confess. cap. 21. & 23. *Beata vita est gaudium de veritate.* lib. 8. *De Civit.* cap. 9. *Nemo beatus qui eo quod amat non fruitur.*

Sub actu intellectus comprehẽditur etiam actus voluntatis.

Sciendum hîc insuper est, BEATITVDINIS nomen generali significatione complecti, quicquid ad perfectionem absolutam tam animi quàm corporis in cœlo spectabit. Sic acceptam beatitudinem Boëtius definiuit lib. 3. *de Consol. prosa* 2. esse statum, omnium bonorum aggregatione perfectum. Et Augustinus lib. 13. *de Trin.* cap. 5. *Beatus est, qui habet quidquid vult; & nihil mali vult.* Anselmus lib. *de Similit.* cap. 47. & 48. beatitudinem definit, *Sufficientiam omnium bonorum;* cuius XIV. partes assignat, ex quibus satis apparet, non in vna aliqua singulari operatione, sed in omnibus & singulis prædictis beatitudinem consistere, ex quibus vna completa hominis beatitudo consurgit.

Beatitudo est status omnium bonorum congregatione perfectus.

CAP. CCCLXXII.

De bonis accessoriis, quæ beatitudinis essentiam consequuntur.

ACcidentalis in variis animæ, corporisque ornamentis, quæ vltra essentialem felicitatem beatis à Deo tribuentur, consistit: quæ dona tot & tanta erunt, quot & quanta hominis cor assequi nequit. *Quod enim oculus non vidit, nec auris audiit, nec in cor hominis ascendit, Deus præparauit suis electis.* Quorum bonorum amplitudinem licèt plenè hîc animo complecti non possimus, attamen ex iis, quæ in ista vita homines apetere solent, aliquousque, intelligi poterunt. Expectunt autem homines in primis vitam à miseriis liberam. Ibi vita iucunda erit, nullus mœror, nulla indigentia, nulla infirmitas, nulla molestia, nullus affligens æstus, nullum frigus. Appetunt deindè homines cibum & potum. Ibi cibo potúque suauissimo reficientur beati. Nam *inebriabuntur ab vbertate domus Domini*, Psalm. 35.

Accidentalis beatitudo.

1. Cor. 2.

Ex analogia bonorum huius vitæ colligimus bona futura.

Adde vestitum. Ibi stolis albis, & lumine sicut vestimento amicientur, immortalitate, splendore innocentiæ, sempiternæque gloriæ coronâ decorati. Apoc. 3. & 7.

Desiderant hîc quoque homines ampla commodáque ædificia. Ibi

in spatiosissimo cœlorum campo Dei claritate vndique collustrato beati habitabunt. Apoc. 21. Psalm. 83. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.*

Expetuntur hîc insuper honores. At *gloria & diuitiæ in domo Domini*, Psalm. 111. *Gloria & honor & pax omni operanti bonum*, Roman. 2. Quantus autem honor erit, dum homo non seruus, sed amicus, frater, ac filius Dei vocabitur? dum à Christo coram Patre, Angelisque omnibus collaudabitur? *Venite benedicti Patris mei, &c.* Vnde Psal. 138. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus.*

Delectat hîc rerum variarum, plurimarúmque scientia, quæ tamen imperfecta, sæpéque incerta solùm est. At ibi lux incommutabilis veritatis, fonsque sapientiæ sese facie ad faciem exhibebit. Quid autem non sciet, qui omnia scientem atque continentem intuebitur?

Exoptari quoque solet honoratorum, proborúmque hominum societas, amicitia, familiaritas. At in cœlo vniuersi principes erunt, sapientissimi, sanctissimi, nobilissimi, opulentissimi, nostríque amantissimi: quorum vnusquisq; Deum laudabit non minùs de alterius donis, quàm de suis. Tota enim supernorum ciuium societas in vnum Deum Patrem & Filium atque Spiritum Sanctum vna charitate celebrandum exardescet, & de omnium, singulorúmque gratiarum donis in Deo gaudebit.

Postremò homines occupatione honesta delectantur. At beati in iucundissima Dei laude versabuntur. *Qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te*, Psalm. 83. Augustinus lib. 22. *de Ciuit.* capite 30. Item, in Orbis administratione. *Iudicabunt enim sancti nationes & dominabuntur populis*, Sapient. 3. *Esto super decem ciuitates potestatem habens*, Lucæ 19. Apocal. 2. 7. & 20. Præter hæc autem præmia omnibus beatis communia, erunt & particularia eis solis reseruata, qui singulari virtute de Carne, Diabolo & Mundo victoriam reportauerint: quales sunt Virgines, Doctores, & Martyres, quibus AVREOLA reseruatur.

CAP. CCCLXXIII.

De Aureolis coronis.

QVæ de Aureolis coronis à Scholasticis Doctoribus traduntur, desumpta sunt ex glossa ordinaria in 25. cap. Exodi ad illa verba: *Faciíque illi coronam interrasilem, altam quatuor digitis, et super illam alteram coronam aureolam.* Quæ verba exponens Beda libro 1. *de Tabernaculo* capite 6. ex quo glossa desumpta est, ait: *Corona mensæ Domini variis distincta sculpturis, sed competenter ordinatis apposita est. Æterna enim vita futura, omnibus est promissa iustis, sed multiformis in illa pro meritorum diuersitate gloria est singulorum.*

Aureola vbi fundata. Quòd verò priùs corona descripta subiungitur: *Et super illam, alteram coronam aureolam*: de illorum potest rectè præmio intelligi, qui generalia scripturæ sanctæ mandata spontanea vitæ perfectioris electione transcendunt, ideóque specialem præ cæteris fidelibus retributionem voluntariæ oblationis expectant. Vel corona aurea libro mensæ Domini apponitur, cùm in verbis sacræ scripturæ dicimus, animas egre-

dientes carnem, ad æterna in cœlis præmia esse recipiendas. Et super illam altera superadditur corona aureola, dum in eadem scriptura repetitur, quòd eis in fine seculi sublimior gloria in corporum quoque immortalium receptione seruetur. Vbi sanè Beda vanam eius loci expositionem ponens, satis insinuat, ea, quæ de Aureolis dicuntur, non ibi clarè funduri, quamuis si vt probabilia tantùm proponantur, non sint contemnenda.

Quid per aureolam intelligendum.

Per *Aureolam* verò Scholastici doctores intelligunt, accidentale quoddam præmium, essentiali supemadditum corporali aliquo signo expressum. Cuiusmodi præmia assignantur Martyribus, Doctoribus atque Virginibus. Isque ternarius numerus sumitur secundùm hostes, cum quibus confligitur, & virtutes, quibus dimicamus, atq; Christo configuramur.

Hostes sunt, *Caro*, *Mundus*, & *Diabolus*, quos excellentissimo vincunt modo Virgines, carnis violentos impetus superantes, Martyres, tyrannidem persecutorum calcantes, & Doctores veritatis, tenebras hæreseon, diabolique machinamenta à seipsis, & ab alijs viriliter propulsantes.

Virtutes autem, quibus pugnatur, sunt potentia rationalis, cui doctrina respondet: irascibilis, cui martyrium, & demum concupiscibilis, circa delectabilia versans, cui Virginitas respondet. Quibus tribus virtutibus eminenter Christo doctori iustitiæ, Virgini, ac Martyri assimilamur. Apocal. 7. de Virginibus dicitur: *Sequuntur Agnum, quocumque ierit.* Apoca. 3. de Martyribus, *Qui vicerit, faciam eum sedere in throno meo.* Et Apocal. 7. *Stant in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.*

De doctoribus autem Dan. 12. *Qui ad iustitiam erudierint multos, fulgebunt tanquam stellæ.* Et, *qui elucidant me, vitam æternam habebunt,* Eccles. 24.

An aureolæ Christo attribuendæ sint.

Cùm autem Aureola diminutionem, participationémque gaudij designet, & in Christo sit omnium plenitudo gaudiorum, non sunt Aureolæ ipsi tribuendæ, sed eminentior quædam omnium virtutum & præmiorum perfectio. Germinat enim virgines, martyres roboreat, doctores illuminat, ac per ipsum plenissima de carnis infirmitate, de mundo, atque diabolo, victoria obtinetur. Ideoque beati omnes clamant: *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno.* Apocal. 3. 5. & 7.

In Christo virtutum omnium perfectio.

CAP. CCCLXXIV.

Virtum beati per apertam Dei visionem impeccabiles reddantur?

EX natura beatifici status (non autem tantùm ex Dei extrinseca lege, vt Scotus opinatur) fit, vt beati peccare nequeant. Dum enim clarè Deum intuentur, summum & infinitum bonum, in quo cuncta bona eminentissimè continentur, totaque obiecti voluntatis latitudo, ad quod naturaliter determinata est, reperiatur, ita, vt nihil eo melius, vel oportunius occurrere homini possit, necessariò sequitur, vt beati suam voluntatem à Deo auertere, vel aliquid nisi secundum rectum ordinem ad illum expetere nequeant, cùm ille sit vltima & absoluta hominis perfe-

4. Dist. 49. quæst. 6.

Et natura beatifici status sancti peccare non queunt.

ctio & finis, quo sibi applicato conquiescat, nec aliud desiderare possit. Vndè sequitur, vt Deum visum odisse, vel ab eius summa dilectione homo desistere non possit. Nec verò absurdum cenieri debet, quòd eadem voluntatis potentia erga quædam obiecta indifferens & libera, erga nonnulla verò per modum naturæ determinata sit, cùm & Dei voluntas, quoad externa, indifferens, & libertima, circa operationes immanentes, sit naturaliter determinata.

CAP. CCCLXXV.

An omnium par futura sit beatitudo?

Hieronymus in Apologia pro lib. cõr. Iouin. & li. 2. cont. Iouin. Augu. de S Virg. cap. 26. Greg. li. 4. Moral. cap. 42.

IOuinianus coniugium Virginitati exæquans, consequenter omnes homines æqualiter beatos fore pronunciauit. Cuius errorem amplexus est Lutherus, in serm. *de Natiuitat. B. Mariæ Virginis*, vbi ex falsò imputatiuæ iustitiæ fundamento statuit, omnes homines æquæ sanctos esse, atque proindè beatos æqualiter futuros cum Dei Matre.

Disparbeatitudo futura. 1. Ioan. 3.

Ceterum ex scripturis certissima fide tenendum constat, alios in futura vita, pro ratione meritorum huius vitæ, aliis feliciores fore, id est, recepturos clariorem & perfectiorem Dei visionem atque fruitionem. Omnes quidem Deum, sicuti est, videbunt, ac proindè cuncta quæ in Deo formaliter existunt & intrinsecè, siue reipsa distinguantur, vt proprietates relatiuæ personarum constitutiuæ, siue tantùm virtualiter, vt perfectiones absolutæ: quinimo nec vnus alio beatior erit, quia plura ex eis, quæ in Deo eminenter sunt, hoc est, plures Dei effectus videat, (cùm in illis beatitudo non consistat:) sed ex eo imparitas felicitatis profluet, quòd vnus alio clariùs & perfectiùs Dei essentiam videbit, ac amplius Deo perfruetur atque delectabitur. Cuius una qualitatis causa remota erit, imparitas gratiæ, meritorum, & charitatis huius vitæ: immediata verò causa erit, inæqualitas luminis gloriæ, quo mens beati confortabitur ad videndum Deum, qui se menti coniunget, ac intelligibilis speciei vices supplens præstabit, vt pro ratione luminis gloriæ intellectus beati remissiorem vel intentiorem visionis Dei operationem eliciat. Quod lumen gloriæ vnicuique secundùm anteactæ vitæ merita retribuetur.

Aug. lib. 5. confess. c. 4.

Inæqualitas luminis gloriæ inæqualitatem beatitudinis inducit.

Exindè verò sequitur, omnium visiones beatorum eiusdem naturæ fore. Idem enim primarium obiectum, Deum scilicet habebunt, ab eodémque proximo principio, lumine scilicet gloriæ elicientur, & per eandem diuinam naturam sese menti beati immediatè coniungentem, atque intelligibilis speciei vices supplentem: sed nihilominus pro quantitate luminis gloriæ, intellectus diuersi, variam intentionem, perpetuámque atque constantem habebunt: similiter & beati vnius voluntas Deo intentiùs viso amplius perfruetur & delectabitur, quàm alterius, qui remissiore intellectus operatione naturam eandem diuinam contemplabitur.

Sicuti autem pro meritorum istius vitæ differentia, essentialis beatitudo, quatenus præmium est, augetur, vel remittitur: ita & accessoria præmia maiora vel minora reddentur, pro ratione meriti cuius-

que, vt scriptura Ioannis 14. manifestè docet: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, in quibus scilicet maiora vel minora præmia, vt quisque promeritus in hac vita fuerit, reddentur. *Qui enim parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Et *sicut stella à stella differt claritate, sic erit resurrectio mortuorum*. 1. Cor. 15. Item Apoc. 14. nemo poterat dicere canticum, nisi illa quadraginta quatuor millia, &c. Isaiæ quoque 56. de Virginibus: *Dabo eis in domo mea locum, & nomen melius à filijs & filiabus.*

2. Cor. 9.

Idipsum ex eo conuincitur, quòd pro ratione meritorum cuiusque, diuersa sit futura damnatorum pœna. Sapientiæ 6. *Potentes potenter tormenta patientur.* Matth. 10. *Tolerabilius erit in die illa terra Sodomorum.* Et, *Reddet vnicuique secundum opera sua.*

CAP. CCCLXXVI.

Vtrum beatitudo semel habita depereli possit?

Beatitudo stabilis & secura est.

ORigenes lib. 1. *Periarchon* ca. 6. perpetuum quemdam fœlicitatis & miseriæ circulum, sequutus Pythagoram, confinxit. Sed beatitudinem inamissibilem fore, scriptura sacra pronunciat. Matth. 25. *Et ibunt hi in ignem æternum; iusti autem in vitam æternam.* Ioan. 17. *Hæc est vita æterna.* Rom. 6. *Gratia Dei, vita æterna.* Apoc. 3. *Qui vicerit, foras non egredietur amplius.* Eccles. 24. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*

Idem Veteres conformiter tradunt. Augustin. libr. *de Hæres.* cap. 43. libr. 12. *de ciuitat.* capit. 20. dicit, pias aures non ferre, vt dicatur, ita peruenirì ad conspectum Dei, vt quandóque necesse sit deseri. Libr. 22. *de ciuitat.* cap. 30. *Ipse erit finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur.*

Neque solùm beatitudo perpetua erit, sed etiam beati de suæ beatitudinis perpetuitate certi, securique erunt. Nam cùm visio Dei beatorum desideria plenè satiet, & illi numquam carere summo bono velint, quod possident, nec eius amissionem timere; consequitur, eos certos esse, quòd ad miseriam non sint reuersuri. *Quid enim ea beatitudine fallacius*, inquit Augustinus, *vbi nos futuros miseros, aut in tanta veritatis luce nesciamus, aut in summa fœlicitatis arce timeamus?* & Hieronymus contrà Vigilantium Sanctos cum Christo regnantes de sua fœlicitate securos esse confirmat.

Psal. 16.

Aug. li. 12. de ciuit. c. 20.

CAP. CCCLXXVII.

Vtrum omnes homines suum vltimum finem assequentur?

RErum omnium vltimus finis duplex est: vnus *intrinsecus & proprius*, qualis, si de hominibus agatur, est visio Dei. Alter *extrinsecus & communis* est, scilicet gloria Dei. Fine autem proprio multi hominum sua culpa frustrabuntur, finem verò vltimum extrinsecum vniuersi homines assequẽtur. Nam sicut ex beatorum amplissima remuneratione, ita & ex impiorum iustissima damnatione, laudem, gloriam & honorem Deus in secula seculorum referet.

Beatæ vitæ

Proprij autem finis, veræque

quendæ & ratio.

beatitudinis assequendæ certa ratio est, vt Fide, Spe, & Charitate instructi, & in oratione, Sacramentorúmque salutari vsu perseuerantes, ad omnia pietatis in Deum, benignitatisque officia in proximos, quotidie nos exerceamus. Sic enim ad beatam illam gloriam electis à Deo præparatam quandóque peruenietmus: quã mihi, & omnibus in vna Catholica fide, sub Obedientia vnius Vicarij Christi, Romani Pontificis (cuius iudicio vniuersa mea scripta submitto) Deum colentibus, misericordia Christi, retribuendam confido: cui gloria perennis, Amen.

INSTITVTIONVM

DOCTRINÆ CHRISTIANAE

LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

De Sacramentis.

Ratio cur post Symbolum subiungantur Sacramenta. Rom. 10. 1. Timot. 3. Aug. lib 8 confess. c 1. Fidem Sacramentis profitemur.

SEcunda Catechismi Romani pars de sacramẽtis nouæ Legis agitur, quibus tanquam visibilibus signis fidem nostram profitemur, & Christi merita credentibus vberrimè applicantur. Ideóque post explicationem Apostolici Symboli, in quo traduntur, quæ fide tenenda sint, siue ad vnius Dei in personarum Trinitate notitiam, siue ad mundi ortum & gubernationẽ, siue ad VERBI Incarnationem, & humani generis lapsum & instaurationem, siue ad iustorum præmia & impiorum supplicia pertineant, optima methodo tractatus de SACRAMENTIS subiungitur.

Duo modi parandæ salutis: fides & Sacramenta. Marc. 16. Basil lib. de Spiritu sancto cap. 12.

Duo enim sunt inseparabiles modi parãdæ salutis: FIDES & SACRAMENTA. Iuxta illud Christi: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Et: *Ite docete omnes gentes, baptizantes, &c* insinuans, primùm fidei doctrinam esse tradendam initiandis Christo; postea verò inserendos societati populi Christiani visibilium Sacramentorum consortio, sine quibus homines in nullum religionis nomen coalescere possunt: absque quorum vsu Augustinus se dicit expertum, fideles in apostasiam facilè prolabi. *Vnus* enim *Deus est, una fides, vnum baptisma.* Ephes. 4. Matth. 28. Aug. li. 19. cont. Faust. c. 11. & 12. Aug. epist. 108. lib. de vera relig. cap. 17.

Accedit, quòd vetúsque Testamenti scriptura totius cælestis doctrinæ summam ad tria reuocet, videlicet ad mysteria, promissiones, & præcepta, hoc est, ad res credendas, sperãdas & facrendas, quibus Fides, Spes & Charitas respondent: ad quæ tria Catechismi Romani authores totam quoque Christianæ doctrinæ summam reuocarunt, Augustinum imitati *in Enchiridio*, & libr. *De Catechizan. rudibus*, atque lib. *De Agone Christiano.* Ad mysteria, promissiones, & præcepta reducitur Christiana doctrina.

CAP. II.

De Sacramenti nomine.

Sacramenti varia significatio.

SAcramenti nomen apud profanos authores, aliquando *Pignus*

in loco sacro depositū significat, quod victus in pœnam insuetæ litis perdebat; vt patet apud Varronem libr. 4. *De Lingua Latina*, Ciceronem lib. 2. *De Oratore*. Subinde verò Sacramentum idem erat, quod solenne iusiurandum. Vide libr. 2. *De Re Militari* Vegetium, Tertullianum lib. *ad Martyres*, Hieron. in epist. ad Heliodorum.

Sacramentum idem, quod mysterium.

Sed apud Ecclesiasticos scriptores vsitatius SACRAMENTI nomen idem denotat, quod mysteriū Græcis. Sunt autem tres illius nominis significationes. I. est, qua mysterium dicitur *cerimonia*, qua homines sacris initiantur, quomodo Ambrosius libros *De Mysteryis* inscripsit. II. est, qua omne id, quod arcanum & secretum est, SACRAMENTVM dicitur. 1. Corinth. 13. *Si nouerim mysteria omnia.* Matth. 13. *Vobis datum est nosse mysterium.* Tob. 12. Prouerb. 20. Daniel 2. Apoc. 17. 1. Thessal. 2. *Mysterium iniquitatis*; quæ significatio rectè Sacramentis nostris conuenit. Nam arcana, solisque fidelibus nota esse debent. Dionysius Areopag. lib. *De Eccles. Hier.* cap. 1. III. est, qua *omne latentis arcanaque rei externum signum* vocatur *mysterium*. Qua significatione omnes veteris testamenti figuræ, atque similitudines in Euangelio aut Apocalypsi expressæ mysteria nuncupantur. Sic Dan. 2. *statua* Sacramentum vocatur. Apoc. 17. *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris.* Ephes. 5. *Sacramentum magnum est.*

Isaiæ 24.

Sacramentum rei arcanæ signū.

Sicut ergo mysterium, ita & Sacramentum tria denotat: nimirum *rem secretam*, & *signum rei secretæ*, atque *rem sacratam seu initiantem*. Sacramentum enim *a Sacrando* deducitur. August. lib. 15. *de ciuit.* c. 26. Ambrot. lib. *de iis qui myst. initiantur*. S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 5.

Omnia itaque signa, quæ ad res diuinas pertinent, SACRAMENTA vocantur. Sacramentum enim generali significatione *Sacrum signum* est, à qua Ecclesiastici scriptores vocem *Sacramenti* accommodarūt, ad significandum illustriores quasdam ceremonias, sensibiliáque symbola, à Deo ad animæ sanctificationem institutа. Nouis enim rebus æquum fuit, noua tribui nomina, quibus propriè tradi explicarique possent. Sunt enim doctrinę religionis congruentes verborum nouitates, quibus res antiquæ, aut noua Dei beneficia exprimantur, cuiusmodi nomina sunt à Patribus condita: *Trinitas, Incarnatio, Homousion, Theotocos* siue *Deipara, Xenodochia, Monasteria, Episcopus, Presbyter, Diaconus*, ipsumque nomen *Christianorum* (Actor. 11.) fidelibus impositum. Cùm autem à Christo quædam noua sint instituta mysteria ad Dei cultum, & homines sanctificandum spectantia, placuit Maioribus eisdem *Sacramenti* nomen appropriare, ob vocis & rerum analogiam, vt *Sacramentum* diceretur, per quod sanctificamur, siue per quod Deus homines sibi consecret, sanctificet: quemadmodum *vestimentum* appellatur, quo vestimur; *ornamentum*, quo ornamur.

Aug. epist. 5.

Lib. 10. de ciuit c. 5. Sacramenti vox accommodata illustrioribus quibusdam ceremonijs.

Aug. tract. 97. in Ioan.

Lib. 10. de ciuit. c. 23.

Christus noua instituit mysteria quibus noua sunt appropriāda nomina.

Fuit autem *Sacramenti* nomen in tanta veneratione priscis temporibus in Ecclesia Latina, vt omnes linguæ vulgares illud retinuerint: Gallica, Hispanica, Italica, Germanica, & aliæ, sicut de vocibus, *Amen*, & *Alleluia* notauit August. libr. 2. *de Doct. Christ.* cap. 11. & tract. 41. in Ioan.

Est autem hæc vocis *Sacramenti* accommodatio ipsis viuētibus Apostolis facta, vt ex vulgata Latina versione ad Ephes. 5. patet: vbi *Matrimonium* proprie Sacramentum, id est,

Sacramenti voce propriè sumpsisse Apostolos.

id est, *sacra rei signum* dicitur.

Tertul. lib. de præscri. c 16. Cyprian. li. 2. epist. 1. Hilarius in Psal. 121.

Et vetustissimi scriptores Latini *Sacramenti* voce in hac significatione sæpe vsi reperiuntur. Tertullianus, Cyprianus, Hilarius, Hieronymus: Ambrosius libr. *de Sacrosanctis* inscripsit. Augustinus epist. 118. *Sacramenta numero pauciſſima, &c.*

CAP. III.

De Sacramenti definitione in genere.

Sacramenti generatim definitio.

SAcramentum ab Augustino generatim definitur, *sacra rei signum*, lib. 10. *de ciuit.* capit. 5. quem deinde Scholastici Doctores sequuti sunt: & nosi minùs veteris, quàm nouæ legis Sacramentis hæc generalis notio conuenit, quoniam ex æquo iustificantem gratiam significant, licet eam non similiter efficiant. Non enim ad Sacramenti essentiam pertinet, gratiam efficere, sed tantùm significare, vt Augustinus tradit epist. 5. *Signa cùm ad res diuinas applicantur, Sacramẽta sunt.* Vnde sequitur, Sacramentum in genere signorum, non autem actionis esse cóllocandum.

Aug. li. 19. cont. Faust. cap. 11. Augustin. in Ioan. tract. 80. Chryſ. ho. 83. in Mat.

Sacramentum in signorũ genere collocatur.

Hinc Scriptores varias appellationes Sacramento tribuunt, non ab operando, sed à significando deductas. Latini quidem sæpe *figuras, signa, similitudines & visibiles formas* appellant: Græci verò, *Symbola* & *antitypa*.

Signi definitio.

Signum autem ab Augustino lib. 2. *de Doct. Christ.* definitur, *Res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire.* Rerũ enim sensibilium duo sunt genera: quædam ob id inuentæ sunt, vt aliud insinuent, cuiusmodi sunt *vocabula, scriptura, vexilla, imagines, tympana, tuba*, aliáque huiusmodi, à quibus si vim significandi detraxeris, sublata erit institutionis causa. Aliæ res nõ alterius rei significandæ, sed sua tantùm causa effectæ sunt, vt *res naturales*.

Duo rerum genera.

Signorum tria sunt genera naturalia.

Signorum porrò tria sunt genera: quædam sunt *naturalia*, quæ rerum expertarum animaduersione præter se aliud cognosci faciunt, vt fumus ignem, vestigium animalis, vultus animi affectionem prodit.

Ab hominibus instituta.

Alia hominum voluntate instituta sunt, vt mutuos conceptus, sententias, & consilia explicare possent. Ex quibus signis nonnulla pertinent ad sensum oculorum, alia ad auditum, vt verba, quæ inter homines significandi principatum obtinent: sed quia verberato aëre statim pertranseunt, instituta sunt per literas signa verborum.

A Deo cõstituta, partim theotica tantùm.

Tertium genus signorum est, diuinitus institutorum, ex quibus aliqua sunt theorica, ideo tantùm data, vt aliquid significent, & admoneant, vt panis azymus, & quæ ad Mosaicæ legis ceremonias pertinebant: alia verò sunt *practica* simul *& theorica* signa, quæ scilicet Deus non tantùm significandi, sed etiam efficiẽdi causa instituit, qualia sunt, nouæ Legis Sacramenta, in quibus res externæ ad significandũ assumptæ, similitudinem earum rerum gerunt, quas Deus inuisibiliter in animis nostris operatur. *Si enim Sacramenta quandã similitudinẽ earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent*, ait Augustinus epist. 23 libr. 2. *de Doct. Christ.* c. 3. lib 3. c. 9.

Partim practica simul.

Repræsentat autẽ Sacramentum rem sacram, non profanam. Sunt enim Sacramenta religionis ceremoniæ solennes atque stabiles, quas violare sacrilegium sit.

Res sacra nouæ legis

Res verò sacra nouæ Legis Sacramentis denotata, triplex est: videli-

Sacramẽtis designata triplex.

cet gratia iustificans, quæ vt præsens significatur: passio Christi, gratiæ causa, vt præterita commemoratur: & vita æterna, quæ vt gratiæ effectus futurus præfiguratur, vt de Baptismo explicat ad Rom. 6. Apostolus, de Eucharistia, Lucas ca. 22. Ioan. c. 6. Reliqua Sacramenta quoque gratiam, eiusque principium atque finem saltem implicitè significant. Nam omnia nouæ Legis Sacramenta primo & essentialiter gratiam iustificantem, quam efficiunt, significant; Christi verò passionem supponunt, vitam aut beatam promittunt.

CAP. IV.

Definitio Sacramentis nouæ legis.

Sacramẽti nouæ legis definitio.

MAgister sententiarum lib. 4. dist. 1. Sacramentum nouæ legis definit: *Est inuisibilis gratiæ visibilis forma, vt imaginem gerat & causa existat.* Catechismus autem Romanus definit: *Est res sẽsibus subiecta, quæ ex Deo institutione sanctitatis & iustitiæ, tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.* Vnde patet; ab Sacramenti definitione secludi omnia rerum sacrarum signa, quæ sanctificantem gratiam non denotant: vt cruces, imagines, columbam, linguas igneas, manna, aliáque similia: necnon vniuersa Sacramentalia, qualia sunt consecrationes templorum, aquæ benedictæ, lotio pedũ, exorcismi, & alia huiusmodi, quæ gratiam perfectè sanctificantem, cuius causa sint, non exprimũt, sed præparationes, impedimenta sanctificationis remouentes, existunt. Sacramentum enim nouæ legis gratiam, quæ nos sanctos efficit, diuinarúmque virtutum habitu exornat, & significare, ac simul efficere debet. Quod de Baptismo scriptura frequenter & apertè tradit, nec obscurius de Eucharistia loquitur, de Cõfirmatione, Pœnitentia, Extrema vnctione, Ordine atq; Matrimonio idipsum ostendit.

Saera signa sanctificantem gratiã non denotantia.

Sacramentalia.

Ioan. 6.

Ioan. 3. Rom. 6.

CAP. V.

Differentia inter nouæ ac veteris legis Sacramenta.

Sacram. veterum & nouorum differentia.

VNiuersa naturæ atque Mosaicæ legis Sacramenta, in eo à nouæ legis Sacramentis distinguuntur, quod illa gratiam intimè sanctificantem non effecerint, sed tantùm significauerint, Nouæ autem legis Sacramenta gratiam non tantùm significent, sed etiam efficiant ac præstent. Iuxta doctrinam Concilij Florentini in instructione Armeniorum, & Concilij Tridentini Sess. 7. can. 2. quam Paulus cõprobat ad Galat. 4. vocans Sacramenta vetera, *infirma & egena elementa*; ad Hebr. c. 7. *inutilia & infirma*: cap. 9. *Iustitias carnis*, quia scilicet sanctificationem legalem, typicam & carnalem præstabant, emundando ab irregularitatibus & immunditijs legalibus, sed gratiam intus emundantem animas à peccatis tantùm adumbrabant, promittebant, ostendebant, non verò efficiebant nec præstabant. Nam vt Apostolus ad Hebr. 10. ait: *Non poterant perficere, nec emundare conscientiam*: hoc est, iustos efficere non poterant. *Ex operibus* enim *legis non iustificabitur omnis caro coram illo*, Rom. 3. Vnde nec Circumcisionem iustificasse Abraham, sed tantùm fuisse signaculum iustitiæ fidei, cap. 4. docet. Quod 1. Cor. 7. etiam insinuat, dum ait: *Circumcisio nihil est*, in negotio scilicet iustificationis.

Sacramẽta veteris legis ab immunditia legali emũdabant.

Circũcisio non tuit inmentũ, sed tanta signaculum veræ iustitiæ.

Aug. li. 3. de doctrin. Christ. c. 9. li. 19. cont. Faust. c. 13. Lib. de ver. relig. c. 17.

Augustinus epist. 118. in eo noua Sacramenta distinguit à veteribus, quòd sint numero pauciora, factu faciliora, significatione augustiora, virtute efficaciora, *quoniam* ait in Psal. 73. *illa promittebant Saluatorem, hæc præstant.*

CAP. VI.

Quòd Sacramenta sint Religionis ceremoniæ, Deo pro tempore grata.

Sacramenta vetera suo tempore Deo placuerunt.

LIcet disparis virtutis sint veterà & nouæ legis Sacramenta, omnia tamen suo tempore Deo placuerunt, & religionis ceremoniæ fuerunt, per quas homines Deo cultum exhibuerunt, profitendo sanctificationem, omnéque bonum à Deo in nos descendere: ideóque iustum esse, hominem Deo subijci, à quo sit creatus, gubernetur, à quo redemptionem à seruitute diaboli, mortis & peccati, vitamque gratiarum dona, emundationémque à labe inobedientiæ contracta quæreat & expectare debeat.

Omne Sacramentum est religionis ceremonia.

In omni equidem Sacramento certus ritus, qui simili actione peragitur, duo significat. *Prius* est id, quod Deus erga nos operatur: *Posterius* verò, id, quod Deo nos debemus. Ideóque sacrum signum, siue religionis ceremonia est, quia in significandi modo sita est ceremonialis actio, qua eodem actu & momento Deus colitur, & nos sanctificamur.

Porrò hæc significatio Sacramentalis & cultus ceremonialis, non solùm in elemento sensibili, vt in aqua, sed in toto sensibili & externo, quod Deus ad Sacramenti essentiam assumit, consistunt, siue ex rebus corporeis, vt aquâ vel oleo: siue ex verbis, aut actibus externis, vt impositione manuum, aut insufflatione constet. Quare totum Sacramentum materia & sensibili forma constans, signum est rei sacræ, atque simul religionis ceremonia, qua Deus colatur.

CAP. VII.

Cuius sit, instituere Sacramenta.

Dei solius est Sacram. instituere.

CVm nulla creatura per se vim sanctificandi habeat, sed Deo totius puritatis fonti proprium sit; longè conuenientissimum fuit, vt solus Deus creaturas ad sanctificationis officium assumeret, & ad Sacramentalem significationem, religionisque ceremoniam, qua colatur, instituere. Ad eum siquidem pertinet, gratiam creaturæ annectere, cuius est, pro suo arbitrio gratiam tribuere. Ac laudat Augustinus Socratis sententiam, dicentis, vnumquemque Deum ritibus à se institutis coli velle.

Aug lib. 1. de consen. Euang. cap. 18.

Socratis sententia: Deus ritibus à se institutis colendus.

Accedit, quòd Sacramenta sint quædam peccati remedia: non est autem infirmi, sed medici præscribere, quibus rebus ægritudo sanari debeat.

Præterea cùm Sacramenta effectus quosdam habeant, vires rerum naturales superantes; vtpote legalem munditiem efficere, aut verè à peccatis liberare, similiter gratiam per Christum dandam præsignare, aut Christi passionem applicando sanctificationis gratiam præbere, quæ non ratione humana, sed reuelatione diuina discuntur; facilè perspicitur, quòd congrua huius fidei per viam religionis instituere signa, non sit instinctus naturæ solius, sed eius, qui credẽda reuelat. Eadem enim est instituendorũ Sacramentorum, & reuelationis crẽdendorum ratio. Proinde sicut credenda

à solo Deo præscribũtur, ita &. quibus rebus aut actionibus eadem permodum religionis prænuntientur. Quemadmodum enim omnis vera religio suam à Deo trahit originem, ita religionis sacræ notæ seu ceremoniæ, quibus Deus coli vult aut placari, non nisi ab ipso docente haberi possunt. Quare tam Legis naturæ, quàm Legis Mosaicæ aut Euangelicæ Sacramenta, à Deo peculiari reuelatione tradita fuisse, non est ambigendum. Quod Concilium Tridentinum Sess. 7. can. 1. de Sacramentis nouæ legis definiuit, omnia ex Christi legislatoris expresso mandato instituta esse. Conueniebat enim ad Dei gloriam, salutémque nostram promouendam, vt authoritas instituendi Sacramenta nulli creaturæ communicaretur, vt salutis authorem promptiùs agnosceremus, nec in homine, vel alia pura creatura spem nostram, sed in Deo solo collocaremus, vt monet August. tract. 5. in Ioan.

Omnis vera religio à Deo.

Nouæ legis Sacramenta omnia à Christo instituta.

CAP. VIII.

Cur Deus in rebus sensibilibus Sacramenta instituerit?

QVia homo anima & corpore constat, ab initio humanæ creationis voluit Deus, sibi ab homine non solùm interiori, sed etiam externo ac visibili cultu obsequium deferri, ac proinde Sacramenta, ceremoniásque sensibiles, quibus coleretur, instituit.

Cur Deus Sacramenta in rebus sensibilibus instituerit?

Secundò, Quia congruit, vt humani ingenij imbecillitas per signa quædam sensibilia occultam Dei virtutem apprehendat, & rerum quæ sentiuntur adminiculo ad intelligenda inuisibilia perducatur. Roman. 1. Chrysostom. hom. 60. ad Antioch. & hom. 83. in Matth. Aug. tract. 80. in Ioan. Sacramentum appellat *quoddam visibile verbum*. Et Dionysius libr. *Eccles. Hierarch.* cap. 1. docet, Ecclesiasticam Hierarchiam rebus sensibilibus constare, sicut intelligibilibus cælestem.

Tertiò, Vt Dei cultores visibilium signaculorum consortio coalescerent, ac inter se colligarentur, & ab infidelium societatibus discerni possent. August. epist. 118. cap. 1. & lib. 19. cont. Faust. c. 11.

Quartò, Vt fideles interiorem cordis fidem exteriùs profiterentur. Rom. 10. 1. Timoth. 6. *Confessus es confessionem bonam coram multis testibus*. Aug. lib. 8. Confess. capit. 2. Victorinum publicè baptizari voluisse refert, ne Christus eum negaret, si palàm eius fidem profiteri erubesceret.

Quintò, Vt humanum ingenium, quod in creaturarum sensibilium amorem ac studium propendet, haberet symbola corpora, in quibus salubriter se posset exercere, ac ita in cultu Dei fastidium depellere, à noxiáque creaturarum seruitute liberari.

Sextò, Ad edomandam hominis superbiam, dum in rebus sensibilibus quærere sanitatem cogitur, quam obediendo haurire contempsit à Deo. Iustè subditur enim inferiori, qui obtemperare superiori recusat. Aug. tract. 8. in canonicã Ioan.

Septimò, Vt securitatem quandam Deus homini de promissis percipiendis daret, ac fidelem in promissis futurum non dubitaret, quando sensibilia signa, per quæ gratiam se daturum addixit, homo susciperet, iísque veluti pignoribus obligatum haberet. Sic Augustin. libro 9. Confess. capite 4. & 6. percepto baptismo à se fugisse soli-

citudinem vitæ præteritæ commemorat.

Octauò, ad mutuam fidelium pacem, concordiam, & charitatem fouendam, dum sacrorum mysteriorum communione, vnius corporis membra effectos se conspiciunt.

Nonò, vt salutaria medicamenta ad salutem animarum recuperandam vel tuendam semper ad manum essent, per quæ virtus Passionis Christi nobis applicaretur, & quasi per alueum in nos deflueret. Ambros. libro 5. de Sacrament. capite 5.

Decimò, vt Deus suam misericordiam commendaret, instituendo facilia remedia, & vsque obuia.

Vndecimò, vt iustitiam declararet, humiliando eum, qui se contra opificem erexerat.

Duodecimò, vt se omnium sensibilium rerum authorem esse demonstraret, vsum creaturæ suæ in Sacramentorum suorum institutione sibi vindicauit. Iren. libro 4. capite 32.

Decimotertiò, vt eluceret Dei sapientia, dum superbiæ vulnera humilitatis remediis curat, & medelam fert indè, vndè hostis læserat.

Ac postremò, vt suam potentiam illustraret, operando hominum salutem per res in speciem viles, fragiles & infirmas, vt ab ipso salus, gratia, & omnis Sacramentorum effectus deriuari noscatur.

CAP. IX.

Quot partibus Sacramenta constent?

Sacramẽta constant,

QVodlibet nouæ Legis Sacramentum duabus partibus constat: quarum altera materiæ rationem habet, & *Elementum* vocatur: altera formæ, & *Verbum* passim dicitur. Iuxta illud Augustini: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Quod Apostolus ad Ephesios 5. expressit, cùm ait: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*, significans, ex materia & certa verborum forma vnum fieri in esse artificiali rebus ex pluribus signum.

materia & forma.

Aug. tract. 80. in Ioan.

Porrò, materia duplex est: remota & propinqua. Remota, in Baptismo *Aqua* est, in Eucharistia, *panis & vinum aquâ mixtum*, in Confirmatione, *Chrisma*, ex oleo & balsamo compositum, & benedictione Episcopali consecratum: in extrema vnctione, *Oleum benedictum*, in Ordine sacerdotali, *Calix cum vino porrectus, & Patena cum hostia*, & quædam manuum impositio, dum absoluendi potestas datur: in Pœnitentia seu confessione, *peccata*: in Matrimonio, *personæ habiles contrahentes.*

Materia duplex remota & propinqua.

Propinqua verò materia in baptismo est *ablutio*: in Confirmatione, atque extrema vnctione, est *vnctio* in certa corporis parte: in Eucharistia, *species Sacramentales panis & vini*: in pœnitentia & matrimonio, *actus humani exteriores*, putà confessio, & consensus expressio, qua datur alteri corporis potestas: in ordine sacerdotali, *calicis cum hostia et vino porrectio.*

Forma hîc sumitur pro formali parte, qua perficitur, limitatur, & completur materiæ significatio, cui hæc forma non physicè, sed moraliter vnitur ad plenè significandum.

Forma Sacramenti.

Consistit autem Sacramenti cuiusque forma in verbis à Christo de-

Sacramẽtũ est morale cõpositum.

terminatis, quibus materiæ accedentibus perspicuè. Sacramentum totum significat effectum Sacramentalem, eúmque significando efficit. Vnde patet, non valere absolutionem in Sacramento pœnitentiæ per scripta verba, quia sententiã complẽtem iudicium oporteat proferre vocali verbo oris. In solo matrimonio nutus supplent vicem verbi, ne muti & absentes à matrimonio excluderentur.

Absolutio non literis, sed verbis facienda.

Quænam verò singulorum Sacramentorum formæ sint, in scripturis non est expressum, sed ex institutione Christi, & Apostolica traditione in Ecclesia Romana conseruantur. Nemo equidem certas res, aut verba determinata infallibiliter gratiam rectè dispositis conferentia instituere, nisi Christus potest. In veteri Testamento Deus res quidem certas ad sacrũ religionis vsum determinauerat, notas, signa, ritus, & ceremonias, quibus coli vellet instituerat, sed quoniam vetera Sacramenta Christum obscurè prænunciabant, conuenientissimè Deus illa rebus mutis absq; expressa verborum forma constare voluit, vt quasi mussitarent, quod nouæ legis Sacramenta expressè annunciarent. Ideóque nulla verborum mentio fit in Circumcisionis institutione, neque vbi Agni Paschalis immolatio, vel ritus ordinationis præscribitur. Sed postquam *Verbum caro factum est*, nósque instrumentaliter per sensibilia signa voluit sanctificare, admodum decuit, vt per res sensibiles verbo informatas id præstaret. *Omnis* enim *creatura per verbum Dei & orationem seu Dei inuocationem sanctificatur.* Ergo congruit, vt res quoque Sacramenti nouæ Legis ad spiritualem vsum animas sanctificandi per verbum consecretur, & ad multa significanda ex se indifferens, ad certum effectum designandum per verba coniuncta restringatur.

Gen. 17. Exod. 12. Leuit. c. 8.

Cõuenienter Sacramenta nouæ legis cõficiuntur verbis.

1. Timoth. 4. Rom. 10.

Accedit, quòd Christi ex corpore & anima constanti congruerit, in lege libertatis tale Sacramentum dari, quod per sensibile elementum corpus tangeret, & per verbum animam efficeret.

Prætereà illustriorem oportuit habere significationem Sacramenta per Dominum Christum instituta, quàm per famulum Moysen promulgata. Principem verò locum inter signa obtinent verba, quæ multò clariùs, quàm res aliæ significant. Cúmque Deo cultus externus maximè lingua, hominisq; ore deferatur, (in ipsa enim benedicimus Deũ) noluit Christus mutum esse in suis Sacramenti Dei cultum, sed verbo perfici. Cúmque Sacramenta nouæ legis sanctitatem efficiant, vis autem diuina ad supernaturalia opera producenda potissimùm verbis attribui soleat, quemadmodum in summis quibuscumq; operibus Creationis & Redemptionis diuinæ voluntatis executio Dei verbo tribuitur, conuenientissimum fuit, vt homo diuinum opus suo ministerio in Sacramentis peragens verbis vteretur, quæ non tantùm in externum hominis sensum influerent, sed ad sanctificandum animam pertingerent.

Hebr. 10. Aug. lib. 2. de doct. Christ. c. 3.

Iacob. 3.

Quænam verò consecratoria cuiusque Sacramenti verba sint, in singulorum sacramentorum explicatione dicetur.

CAP. X.

Quòd ex Christi institutione, certis verbis efficiendi vis absque superstitione tribuatur.

Tribuere vim Sacram. à Deo

QVia sectarij magicæ incantationis speciem habere affe-

runt, quòd verbis certis aliqua virtus efficiendi tribuatur, sciendū est, ad superstitionem pertinere, arbitrari quod certis verbis aut figuris insit naturalis virtus aliquid efficiendi. Ad magicam verò incarnationem, si ex pacto tacito vel expresso cum diabolo inito verba, vel figuræ ad certas res extraordinarias efficiendum adhibeantur. Verbis autem Sacramentalibus nullam vim sanctificandi ex naturali virtute, aut ex pacto cum dæmone inito tribuimus, sed formæ sacramentorum vim omnem institutioni Christi ascribimus, cuius virtute faciant, quod ex se non poterant. Non igitur Catholici vim consecrandi elementi in solo verborum strepitu (vt calumniantur hæretici) aut in sono, characteribus, vel syllabarum numero, sensu verborum neglecto, constituunt: sed vim sanctificandi ex Christi institutione descendere tradunt, ac formæ Sacramentalis determinationem in significatione atq; sensu, non in numero syllabarum, neque in sono, aut idiomate, factam esse docent: ideóque sacramentum verè in quauis lingua perfici posse, modò idem formæ sensus plenè retineatur, quoniam verba formæ vicem habeant ratione sensus significati, non autem literarum vel soni. Nam sensus continet inuocationem Dei, à cuius solius pacto, voluntate hac institutione omnis sacramentorum effectus dimanat.

institutis, non est superstitiosum, nec magicum.

Neque id inusitatum putandum est, quòd verba super elementa pronuntiata, vim aliquid efficiendi accipiant: siquidem Numerorum 5. Deus verbis super aquas pronuntiatis vim adulteras mulieres interficiendi attribuit. Et Numerorum 21. æneo Serpenti vim sanandi, atque Dominus ipse verbis, manuum impositione, luto & sputo morbos depulit.

Deus verbis, & aliis rebus sensibilibus vim aliquid operādi sæpe dedit.

CAP. XL.

Vtrùm omnis immutatio formæ sacramentalis veritatem sacramenti tollat?

QVemadmodum formæ rerum ita in indiuisibili consistunt, vt quæcunq; substantialis earum mutatio speciem tollat aut immutet: ita quoque substantialis formæ sacramenti integritas, tanta necessitate retinenda est, vt si casu, vel industria omittatur aut immutetur, ratio sacramenti non subsistat.

Formæ rerum in indiuisibili.

Est autem & accidentaria formæ integritas in ordine, perfecto sono, & syllabarum numero, ac in vsu verborum, quæ ab Ecclesia præscripta sunt, constituta. Hæc necessitate præcepti, non autem Sacramenti exigitur. Rectè siquidem Ecclesia eundem formæ contextum retineri ab omnibus vult, ad coërcenda petulātia ingenia, tum ad conformitatem ministerij, & ad tollenda schismata, vitandáque mutationis formæ pericula.

Forma accidentaria est præcepti.

Sex porrò modis forma immutari potest: additione vocis, detractione, mutatione, corruptione, transpositione atque interruptione, quorum vnusquisque aliquando sensum & Sacramentum corrumpit, semper autem Ecclesiæ præceptum violat.

Forma sex modis mutatur.

Quando autem huiusmodi mutatio integritatem formæ essentialem, vel accidentalem tantùm euertat, iudicio morali discernendum est, vt à Zacharia Pontifice definitum est *de consecr.* dist. 4. cant. *Retulerunt*, de illo, qui ex imperitia linguæ latinæ pronuntiauerat: *Ego*,

baptizo in nomine Patris, &c. Qualis mutatio si de industria fieret, suspecta foret intentio. Videretur enim huiusmodi nouum introducere velle ritum, qui sacramentum non perficeret, vt prædicto loco tradit Zacharias, & diuus Thomas 3. p. quæst. 60. art. 7. ad 3. & ar. 8. in corp.

Forma ab vno proferenda.

Prætereà sciendum est, formam sacramenti ab vno ministro esse proferendam, vt sensus formæ verus sit, excepta vnctione extrema, cuius singulæ vnctiones cum partialibus formis à pluribus sibi inuicem succedentibus sacerdotibus, aut simul proferentibus fieri possunt, quia per modum deprecationis datur, quæ à multis perfici & continuari, vt impetret, potest,

Forma Sacramenti requirit materiæ præsentiam.

Denique forma Sacramenti requirit materiam aliqualiter sibi coniunctam & præsentem: quare puer in puteum deiectus, prolata forma non regeneratur, quia non manet formæ sensus, *Ego te baptizo.*

CAP. XII.

De ceremoniis in Sacramentorum administratione retinendis.

Concil. Triden. sess. 7. cant. 13.

AD Materiam & formam, quæ ad Sacramentorum substantiam pertinent, ceremoniæ accedunt, quæ licet absque peccato, nisi iusta necessitas aliud exigat, omitti nequeant, quia tamen reinaturam minimè attingunt, si prætermittantur, Sacramenti veritatem non imminuunt.

Ceremoniæ vultet Sacramentis adiunctæ.

Sunt autem ceremoniæ decenter ab initio Ecclesiæ sacramentorum administrationi adiunctæ, cùm propter reuerentiam mysteriis conciliandam, tum vt fidelium deuotionem foueant & adaugeant, intuentiúmque mentes ad sublimium rerum cogitationem erigant, fidémque in eis & charitatem excitent. Vndè profuerit, magnam diligentiam adhibere, vt fideles vim ceremoniarum, quibus singula Sacramenta conficiuntur, perspectam habeant. Quòd si verò propter mortis periculum, aut aliam iustam causam, interdum ritus solennes omissi fuerint, posteà sunt in Ecclesia solenniter supplendi.

Aug. in lib. de cura pro mort. c. 5. Epist. 119. c. 11. lib. 9. confess. ca. c. 6. & 7.

Ceremonias Deus in veteri Testamento varias instituit, Christus autem pauciores, nonnullas Apostoli, sanctique Pontifices addiderunt: quæ cùm piæ sint, non ad hominum mandata Dei præceptis contraria, vel inutilia, reijciendæ, sed velutia Spiritu sancto inspiratæ, nobisque ab illo traditæ, summa veneratione retinendæ sunt: de quibus 1. Cor. 11. Apostolus: *Cetera cùm venero, disponam.* Basil. *de Spir. sancto* capite 27.

CAP. XIII.

Vtrùm Sacramenta instituì necessarium fuerit?

QVemadmodum Deus communem hominum salutem per Christi passionem operatus est, non quia modus alius possibilis Deo non fuerit, sed quia nostræ miseriæ sanandæ conuenientissimus extitit: ita licet Deus absque sensibilibus Sacramentis iustificare homines possit, attamen voluit hominem spiritu & corpore constantem, fide & sacramentis iustitiam consequi, Christique passionis effectum applicari.

Proindè

Cõc. Trid. sess. 7. can. 4. Aug. lib. 4. cõt. Donat. c. 13.

Proinde necessaria sunt ad salutem Sacramenta, non quidem omnibus singula, sed nonnulla, vt sine ipsis, re aut voto susceptis, salus obtineri nequeat.

Sic necessarius est omnibus Baptismus, & relapsis Pœnitentia. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes, simul peribitis.* Concilium Tridentinum sess. 7. can. 4. tria definit: primum est, Sacramenta non esse res adiaphoras & liberæ obseruationis; vt sine contemptu vsurpari vel omitti queant, vt sentiunt Anabaptistæ. II. est, quòd Sacramenta non solùm sint vtilia ad excitandam, fouendam, augendámque fidem; sed quædam Sacramenta necessitate medij esse absolutè (supposita Christi institutione) in re aut voto necessaria. Qua definitione reiicitur error Lutheri & Caluini, qui volunt, nullum Sacramentum nunc esse simpliciter necessarium, sed solam fidem. III. Canonis parte declaratur, non omnia Sacramenta esse singulis necessaria, sed vniuersis in communi, vel ipsi Ecclesiæ attentis, variis hominum statibus & necessitatibus,

CAP. XIV.

An ante peccatum Sacramenta necessaria fuerint?

QVamuis in statu naturæ integræ Sacramentis strictè acceptis pro signis gratiæ iustificantis & peccata remittentis non opus fuerit, (neque enim sanis opus est medico, aut vulnerum remediis;) attamen, quia militans Ecclesia ænigmaticam Dei cognitionem habuisset, in eoque à triumphante distasset, quòd externis quibusdam symbolis fidem suam protestata fuisset, Deóque religionis cultum, & gratiarum actionem exhibuisse; omnino probabile videtur, quòd etiam in statu innocentiæ homines signis corporalibus Dei supremum Dominium, creationis atque gubernationis beneficium agnouissent, in vnam religionem coaluissent, atq; pro dominio sibi in creaturas alias indulto, per earumdem oblationes ac dedicationes gratias Deo egissent. Ac forsitan tunc etiam templa, certique sacerdotes ad sacrificia offerenda dicati fuissent. Nam homo est animal sociabile, nec dignioremconstituendæ reipublicæ vel societatis ineundæ causam habet, quàm religionis. Vndè August. lib. 13. *De Ciuit.* cap. 20. lignum vitæ in Paradiso non solùm fuisse alimento, sed etiam Sacramento demõstrat, quia spirituale diuinę gratiæ alimentum, quod animam pascit, roborat, & à peccato conseruat, significauit.

Dionysius Areop. lib. de Eccles. Hier c. 1.

In statu naturæ integræ templa & sacrificia fuissent.

Matth. 9. Lucæ 10.

CAP. XV.

Vtrum in lege naturæ Sacramenta necessaria fuerint?

POst hominis lapsum in eo statu, quo fidelis populus sine scripta lege vixit, Sacramenta in peccati remedium instituta fuisse, vsus sacrificiorum in occisione pecorum vel in censione frugum terræ, quibus Christi mors, cruentúmque sacrificium figurabatur, satis euidenter conuincunt.

Gen. 4. 8. 14. 15. 18. 35. Iob. c. 1.

Vtrum autem aliquod regenerationis signum ante Diluuium fuerit, sicut Abrahæ postea Circumcisio imperata est; aut quale fuerit; Scriptura tacet: antiquos tamen iustos, quibus inerat fides Media-

toris, aliquo Sacramento paruulis suis opitulatos fuisse, ambigendum non est; vt docet Augustinus.

Aug lib. 5. cõt. Iulian. c. 9. & lib. 17 de ciuit. c. 17. Greg. li. 4. moral. c. 20.

CAP. XVI.

Quòd Sacramenta tempore Veteris & Noui Testamenti fuerint necessaria.

QVod tempore Legis Mosaicæ, atque post Christi aduentum Sacramenta in Dei cultum & expiationem peccatorum à Deo præscripta sint, vtriusque Testamenti Scriptura luculenter continet, tradens, Deum Israëliticam familiam elegisse, in qua illustriori modo, quàm Legis naturæ tempore coli vellet, eique Sacramẽta non sicuti priùs libera, sed ad certas materias, certos ministros, certa tempora, certos effectus, certa loca, & ad certos ritus restricta, dedisse; partim ea, quæ in lege Naturæ vsitata fuerant, retinendo; partim noua & plura instituendo, quibus & arctiorem Sacramentis vtendi necessitatem iniunxit, relicta interim aliis fidelibus, qui ad Israëliticam gentem non pertinebant, libertate vtendi Sacramentis legis naturæ, aut ad ritus colendi Deiuxta legem Moysis accendi.

Aug. li. 18. de ciuit. c. 47.

Perdurauit autem necessitas vtendi Mosaicis Sacramentis apud Iudæos, vsque ad finem Politiæ veteris Testamenti, donec scilicet Christus nouam in Orbe terrarum politiam, nouámque Euangelicam legem instituit, impletis tam legis naturæ quàm Mosaicæ typicis Sacramentis, illisque veluti iam inutilibus sublatis, necessitatem omni hominum generi nouis à se institutis Sacramentis vtendi imposuit, ita vt aliis Deum colere nefas sit. Nam tunc Sacramenta vetera non solùm mortua, sed etiam mortifera, quia signa mendacia fuerunt; vt docet Augustinus.

Vetera Sacramenta quãdo mortua, & mortifera.

Aug. epist. 9. 19. & 200. Bernard. epist. 77.

Porrò Deum absque mutabilitate aut inconstantia potuisse Sacramenta pro hominum & temporum varietate diuersa instituere, artis medicinę exemplo illustrat August. lib. 3. confess. cap. 7. Nam pro morborum varietate diuersa præscribit remedia medicus, sine vlla sui mutatione. Sic Deus pro varia temporum, hominum, ætatúmque dispositione congrua instituit Sacramenta. Et quidem Mosaicæ legis Sacramenta finem habitura, postquam Christus in mũdum aduenisset, scriptura clarè prænunciauit, Deut. 18. veteráque sacrificia reicienda tamquam iam inutila, postquam figuræ impletæ essent, Isai. vaticinatus est, c. 1. Oseæ. c. 5. 6. & 8. Micheas. c. 4. Amos c. 5. Ierem. c. 31. & 6. Ezech. c. 11. Dauid Psal. 49. & 50.

Deus absq; sui mutatione diuersa instituit Sacramenta.

Isaiæ 1. & 66.

Quod insuper noua Lex abolita vetere Mosaica successura esset, prædixit Isaias c. 2. Ierem. c. 31. Sacerdotium vetus Aaronicum insuper in aliud secundum ordinem Melchisedech esse transferendum, cecinit Vates Regius Psal. 109. & Malachias cap. 1.

Abolitio veteris legis.

Ex quibus colligit Apostolus ad Hebr. c. 7. 8. & aliis, vetus Testamentum in melius debuisse commutari, quòd iuxta omnium Prophetarum voces, dum Christus adimpleuisset nouam Legem promulgando, nouaque Sacramẽta, nouum sacerdotium atque sacrificium instituendo, Iudæi Prophetarum oracula non intelligentes, eum crudelissima morte crucis necarunt. Sua quippe Sacramenta, vt in perpetuum durarent, à Deo fuisse instituta putarunt: eam ob rem signa pro rebus amplexi sunt. Contra quos

differit Augustinus epist. 5. 49. q. 3. 157. & 200. lib. 3. confess. c. 7.

Alij quoque inter Iudaizantes fuere, qui vt à Deo mutabilitatis notam amouerēt, veteris atque nouæ Legis Sacramenta ex æquo fidelibus obseruanda docuerunt; contra quos disserit Apostolus Act. 14. 15. In epist. ad Galatas, & ad Hebræos. Ab his orti sunt Nazaræi, Ebionitæ, Cerinthus, & alij hæretici: de quibus Epiphanius, Augustinus, & Philastrius *de hæresibus*.

Manichæi vt etiam à Deo mutabilitatem tollerent, vetera Sacramenta nunquam à Deo bono fuisse instituta commenti sunt. Contra quos Augustinus libris contra Faustum differit. Vide lib. 6. cap. 5. & 9. lib. 10. c. 2. vbi ait, nos vetus Testamentum non ad religionem, sed ad testificationem legere, veteraque Sacramenta esse sublata, non quia secundùm se mala, sed quoniam impleta sint, neque quoniam Deo exosa fuerint, & alia Deo vtiliora, vel magis delectabilia, cùm omnia Sacramenta hominum necessitati, non Dei commodo seruiant. Iuxta illud Psal. 49. *Nunquid manducabo carnes*, &c. Augustin. lib. 10. *de Ciuit.* c. 5. & lib. 19. *cont. Faustum.* c. 13. & 16. exemplo diuersorum verborum, quæ rem vnam & eandem significant, futuram & peractam, ostendit, alia Sacramenta debuisse significare mysteria futura, & commemorare præterita: nam mendacia fore signa, si annuncient futurum, quod est præteritum.

Vetus testamentum legibus ad testificationem.

Damascen. lib. 4. de fide c. 26.

Quare fatendum est, veterem legem eiusque Sacramenta illi tempori accommodata, fuisse spiritualem, sanctam, iustam & bonam, imò ad Christum pædagogiam, eos, qui Deum illis ritibus, vt à Deo instituti sunt, coluerunt, saluos esse; qui videlicet legalia Sacramenta non vt res, sed vt signa Deo placere nouerant, iisque ad suæ fidei protestationem vtebantur. Hi per Christum in omnibus illis signis præfiguratum verè iustificabantur, & pertinebant ad filios liberæ, non ancillæ; etiamsi cum alijs carnalibus Synagogæ filijs, qui potius in signorum obseruatione, quàm in rerum significatarum fide, salutis rationem constituebant, versarentur, vt docet Augustinus lib. 3. *de doctr. Christ.* cap. 9. & 10.

Lex vetus fuit Deo grata.

CAP. XVII.

Vtrùm nouæ legis Sacramenta in alia sint commutanda?

NOui Testamenti politiam, ritumque certis Sacramentis & sacrificio Eucharistiæ colēdi Deum, vsque ad seculi finem absque mutatione permansurum, scriptura iis locis indicat, vbi Christi regnum perpetuum fore affert. Daniel. 2. & 7. Lucæ 1. Matth. 16. & 24. Item Apostolus 1. Cor. 11. Eucharistiæ sumptionem, Domini mortem annuntiaturam ait, donec veniat. Præsente autem veritate, quod ex parte est, euacuabitur. Non enim opus erit corporalibus signis, quoniam Deum sicuti est videbimus. 1. Ioan. 3. & Apoc. 21. *Templū non vidi in ea.*

Noui Testamēti politia vsque ad mundi finem duratura.

1. Cor. 13.

Cum igitur noui Testamenti Sacramenta cælestia bona, mediaque per quæ ad illa peruenitur, significēt & conferant; consequitur, ea non nisi obtento futuræ vitæ statu auferenda esse. Dionysius Areopag. *de Eccles. Hier.* c. 5. parte 1. Euse. Emissenus in hom. Sabbati post Dom. quadragesimæ in illud: *Faciamus hîc tria tabernacula.* Ait fuit Synagoga, in qua erat vmbra & figura. II. Ec-

Tria tabernacula tres status fidelium adumbrant.

clesia, in qua est figura & veritas. III. est cœlum, in quo sola veritas erit. Itaque meritò seductores habiti sunt quotquot post Christum noua Orbi Sacramẽta obtruserunt, vt Cataphrigæ, de quibus Euseb. li. 5. histo. cap. 15. Nicephorus libr. 4. Eccles. hist. cap. 22. de 4. Aug. lib. 32. cont. Faustum. cap. 17. Item Montanus, Priscilla, Mahometus, & alij, qui Christianæ religionis reformationem facere, sacramentorúmque sibi placentem numerum constituere, illuminationis diuinæ prætextu superbè vendicant: vt Lutherus, Caluinus, corúmque sectatores.

CAP. XVIII.

De efficacia Sacramentorum noua legis.

Sacramentorum noui Testamenti præstantiam Apostolus variis locis explicat, dicens, nos per baptismũ saluari, regenerari, emundari à peccatis, sanctificari atque iustificari: necnon Christum Noui Testamenti in melioribus repromissionibus, quàm fuerit vetus sanciti, mediatorem esse. Nam huius Testamenti ministerium esse spiritus, vitæ, iustitiæ, gratiæ & gloriæ. 2. Cor. 3. illius verò fuisse ministerium litteræ, damnationis & mortis, ratione scilicet efficaciæ nouorum Sacramẽtorum præ veteribus, quæ præstant salutem, quam illa solùm promittebant. Filium equidem Dei congruebat, alia Sacramenta virtute maiora, vtilitate meliora, factúque faciliora instituere, quàm fecisset Moyses, qui famulus tantum in domo Dei fuerat. Vndè Christo iniurius est Caluinus, scribens: *non esse, quod ex Euangelio vllam Sacramentis nostris prærogatiuam vendicemus.* Arbitratur enim, tam veteris quàm nouæ Legis Sacramenta tantum esse fidei iustificantis signa, ita vt non sint efficientes causæ iustificationis, sed fides sola, quam Sacramenta excitent, foueant, confirment, Dei promissiones obsignando; non autem gratiam contineant, nec ex opere operato non ponentibus obicem conferant. Cõtra quod commentum Concilium Tridentinum sess. 7. Can. 2. & aliis definiuit, nouæ Legis Sacramenta non solùm in eo à veteris Legis Sacramentis differre; quòd alij ritus & ceremoniæ sint; sed in eo potissimùm, quòd gratiam quam significant contineant, & non ponentibus obicem conferant; & quòd non tantum externa sint acceptæ per fidem iustitiæ signa, & notæ quædam Christianæ religionis, quibus fideles ab infidelibus discernantur, sed efficacia signa, per quæ semper & omnibus, quantum ex parte Dei est, gratia detur, seu ex opere operato iustitia conferatur.

Sacramentorum noux Legis præstantia.

1. Cor. 6. Ephes. 5. ad Titum 3. Hebr. 1.

Sacramenta noua Legis efficacia signa.

Eandem doctrinam tradit Concilium Florentinum sess. vltima. Et B. Augustinus libr. 3. *De doct. Christiana*, cap. 19. epistol. 118. lib. 19. cont. Faustum cap. 13. & 19. super titulum Psal. 73. *Alia sunt dantia salutem, alia promittentia Saluatorem.* Item in Psal. 103. concione 1. Chrysostomus hom. 27. in Gen. & Orat. 1. in Iudæos. Vidè Bellar. lib. 2. de sacra. c. 15.

Ne quis porrò scrupulus ex Leuitico c. 4. 5. 6. & aliis locis emergat, in quibus remissio peccati vtenti sacrificiis promittitur sciendum est, Apostolum in epist. ad Hebræos docere, vetera sacrificia per se non potuisse conscientiam emundare à peccato; sed tantùm valuisse ad iustitiam carnis, hoc est, ad expian-

Cap. 7. 10.

Lib. 2. inst. c. 10.

Sacramenta vetera operabãtur legalẽ sanctificationem.

dum quoad immunditiam legalem, & pœnas temporales. Nam culpam seu Dei offensam, & obligationem ad pœnam futuri seculi, expiare non poterant. Christus enim solus peccata suæ passionis merito tollit, *quem Deus posuit propitiatorem per fidem in sanguinem ipsius*; cuius quidem fidei vetera Sacramenta ex sua institutione protestationes signáque fuere, atque ita solum ex opere operantis vtentes eis iustificarunt; vt communiter docent scholastici doctores in lib. 4. sentent. dist. 1. & D. Thom. 1. 2. q. 103. art. 2.

CAP. XIX.

De Circumcisione.

Alexander. Bonauent. Scotus. Gabriel. Ioan. 7. Circũcisio non operatur gratiam ex opere operato.

DE Circũmcisione, quam Christus non ex Moyse, sed ex patribus esse asseruit, nonnulli opinantur, ex opere operato salutem contulisse, in suum patrocinium verba illa Genes. 10. proferentes: Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit; delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit; quem locum etiam de paruulis August. intelligit, quos in Adamo pactum de non comedendo pomo irritum fecisse dicit. In quam sententiam Aug. iuit, quoniam legit iuxta 70. in die octauo; vt Deus fuerit comminatus mortem æternã paruulis, qui octauo die non circunciderentur, propter originale peccatum: at remotis illis verbis (quæ in Hebræo non habentur, nec in editione vulgata) sensus est, quòd qui noluerit circumcidi, aut filium suum circumcidere, non sit Israëlitico populo annumerandus, quia pactum cum Abrahamo de circumcidendis mas-

Aug lib. 16 de ciuit. ca. 26. lib 2 de peccato Orig. c. 30. li. 2 de nupt. & concup. c. 11.

culis initum, non obseruauerit. Vndè non magis sequitur, circumcisionem iustificare, quàm alia legis naturæ aut Mosaicę Sacramẽta. Ideoque D. Thom. cum aſſeclis idem de circumcisione, quod de aliis Sacramentis veteribus sentiendũ docet, non scilicet ex opere operato iustificasse, sed ex opere tantùm operantis: quod & Apostolus manifestè confirmat Rom. 4. dicens, circumcisionem signaculum fuisse iustitiæ: &, circumcisionẽ nihil esse, 1. Cor. 7. ac in ep. ad Hebr. operosè statuit, vetera Sacramenta fuisse infirma, egena, nullamque vim sanctificandi habuisse, etiam quãdo vigerẽt, proptereáque meliora, necnon efficaciora institui debuisse; quomodo Chrysost. Apost. intellexit hom. 14. in epist. ad Hebr. & ho. 7. ad Rom. & 27. in Genes. Iustinus in dialogo cum Triphone ante medium. Iren. lib. 4. c. 28. Epiphan. hæresi 8. Amb. lib. 1. de Abraham c. 4. Aug. lib. 2. de nupt. & cõcup. c. 11. seipsum explicat, quo sensu dixerit, circumcisionem plurimùm valere, ad significationem, inquit, purgationis. q. d. baptismum hominem innouare, ac à peccatis expurgare, circumcisionem verò purgationem non efficere, sed solùmodo significare. Greg. lib. 4. mor. cap. 2. & Beda lib. 1. in Lucam cap. 8. idem tradunt.

Hebr. 7.

Ieron. in 4. c. ad Galat.

CAP. XX.

Quid sit, ex opere operato iustificare?

SEctarij hanc loquendi phrasim vt barbaram reiiciunt, quibus cum Aug. in Ps. 138. respondemus, esse melius, vt nos reprehẽdant grãmatici, quam vt salutarem doctrinam non intelligant populi. Nam propria vis sacramentorum nouæ legis hac voce, *operatiõ*, passiuè sum-

pta commodissimè explicatur, qua vsus fuit Innocent. III. lib. de mysterio Missæ, & post ipsum vniuersi doctores scholastici, atque tandem etiam Concil. Trid. sess. 7. can. 8. Si quis dixerit, nouæ legis Sacramenta ex opere operato non conferre gratiam, sed solam fidem diuinæ promissionis ad gratiam consequēdam sufficere, anathema sit. Vbi per opus operatum intelligitur ipsum opus Sacramēti, siue actio externa, cōsurgēs ex debita materiæ & formæ applicatione, vt idem sit, Sacramentum ex opere operato gratiam conferre, quod ex vi actionis Sacramētalis ad hoc à Deo institutæ, non ex dignitate, merito aut qualitate ministri aut suscipientis. Non enim Sacramentum vim iustificandi habet ex deuotione dantis aut suscipientis, sed ex sola Dei institutione. Proinde opus operatum, operi operantis opponitur, quod suum valorem ex hominis deuotione sortitur; vt docet Aug. lib. 4. *cont. Cresconiū* c. 16. & lib. 4. de Baptismo *cōtra Donat.* ca. 24. *Ipsum per seipsum Sacramentum multum valet. Est enim Dei iustificātis instrumētalis causa.* Equidem in hominis sanctificatione causa primaria Deus est; meritoria, Christi passio; instrumētalis autem, Sacramētum efficiens subordinata, potestas & voluntas ministri conficientis actionem Sacramentalem. Fides verò, Pœnitentia, & aliæ præparationes ex parte subiecti requisitæ, non per modum causæ actiuæ, sed vt dispositiones concurrūt, quæ obicem remouent, obstaculáque tollunt impedientia, ne Sacramentum efficaciam suam exerati vnde in paruulis non ponentibus obicem contrariæ voluntatis nulla dispositio requiritur; sed in adultis requiri fidem, pœnitētiam, bonúmque animi motum, docet Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. & 8. & sess. 14. c. 4. vt Sacramentum prosit ad salutem. Nam quantum ad integritatem Sacramenti, dummodo quis accipere intendat, non interest, qua fide imbutus sit, qui Sacramentum suscipit, ait Augustinus lib. 3. de baptismo cap. 14.

Quid sit operari ex opere operato.

Actor. 8. Si credis, potes baptizari. Lib. 1. de peccat. merit. c. 18. Aug. ep. 23. Cōcil. Trident. sess. 7. can. 13.

Ex quibus patet, per hanc de opere operato doctrinam, Christi gloriam non obscurari, sed plurimùm illustrari, cuius virtuti, institutioni & verbo, delecti sque ab ipso instrumentis plurimum tribuatur; minimum verò ministro secundario, à cuius virtute, fide aut bonitate Sacramenti actio non dependeat, cùm etiam per malos ministros author Sacramētorum operetur; ideóque frequenter euenat, vt Sacramentum gratiam conferat, licet fides sit modica, & deuotio languida, & ex attrito contritum reddat.

Sacramentū per seipsum valet plurimùm.

Vndè insuper sequitur, Sacramenta multò nobiliore modo gratiam producere, quàm Euāgelium, quod Apostolus Rom. 1. scribit, esse *virtutem Dei in salutem omni credenti*, quoniam salutem operetur significando, cōmouendo, instruendo, testificando, non autem efficienter immediatè interiùs operando, vt Sacramentum, quod per seipsum valet plurimùm. Tanta enim vis est ablutionis Baptismi, vt corpus tangat & cor abluat, August. tract. 80. in Ioan. Ambros. lib. 4. *de Sacram.* cap. 4.

Euangeliū saluté operatur significando.

Operatoria virtus in Christi verbis.

Hæc virtus Sacramentorum à sola Christi institutione dependens, ex Christi sermone miracula operantis intelligi potest. Nam operatoria virtus in Christi verbis dicentis: *Lazare, veni foras*, Ioan. 11. & *Mulier, remittuntur tibi peccata tua*, Lucæ 7. non aliunde quàm à Christi virtute dimanabat, qui sicut verbo suo, ita & Sacramento vim

operatoriam communicare potest; vti fecit luto, sputo, vesti suæ, aliisque rebus, per quas operari dignatus fuit.

Ioan. 5.

CAP. XXI.

Quomodo nouæ legis Sacramenta ex opere operato gratiam conferant.

Sacramenta vim instrumentalem iustificandi continent.

QVod Sacramenta non tantùm significandi, sed etiam causandi gratiam, in se vim contineant, non excitando tantùm fidem (vt prætendunt Sectarij) sed efficaciter concurrendo ad gratiæ productionem; Scripturæ sacræ constanter docent. Marci vltimo salutem Baptismo tribuunt: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Sed non saluat Baptismus, nisi peccatorum sordes eluendo; quod immediatè, præuia fide, non illa mediante facit.

Similiter Ioan.3.dicimur *ex aqua renasci.* Act.2.& 22. *baptizari in remissionem peccatorum.* Ephes.5.*Christus mundat Ecclesiam lauacro aquæ.* Ad Titum 3.*saluos nos fecit per lauacrum regenerationis,* Act.8. datus est Spiritus sanctus per impositionem manuum.2. Timoth.2. data est gratia per impositionem manuum.

Prophetiæ & figuræ Bapt.

Et quidem vim peccata mundandi baptismo Christi à Deo fuisse promissam,ex Prophetarum oraculis constat. Isaiæ 1.*Lauamini, mundi estote*, vt in eum locum notat Hieronymus. Ezechielis 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Michææ 7. *Proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Zachariæ 13. *In die illa erit fons patens,* &c. *in ablutionem peccatoris.*

Typus baptismi Ecclesiæ in arca & aquis Diluuij.

Eiusdem rei figuræ præcesserunt. Gen. 1. aqua vim animalia producendi à Spiritu sancto accepit Gen. 7. Aquæ diluuij arcam in sublime sustulerunt, in eaque homines existentes saluarunt. Quem typum D. Petr.1.ep.c.3. exponit. Gen.17. Circumcisio expoliationem veteris hominis,quæ in Baptismo, abiorauit, iuxta Paulum ad Colossens.2. Ægyptiorum in Mari rubro submersio, abolitionem peccatorum in baptismo figurauit, iuxta B. Paulum 1. Cor.10.Aug.tract.11. & 13.in Ioan. 4. Reg. 5. Naaman leprosi curatio in aqua, Ioan.9.Illuminatio cæci in aqua Siloë.

Accedit Cõciliorum Patrumque vnanimis consensus. *Confitemur* enim *vnum baptisma in remissionem peccatorum.* Concilium Mileuitanum cap.2. definit, paruulos in remissionem peccatorum baptizari. Concil. Arausicanum 2. c. 25. definit, per baptismum accipi gratiam. Concil. Florẽtinum in instructione Armeniorum. Concil. Trident. sess. c. can.6.& 8.

An Sacramenta causæ efficientes morales, an potius Physicæ.

Ex quibus luculenter patet, omnes Catholicos Doctores concedere, Sacramenta nouæ legis efficacia gratiæ signa esse, illámque conferre ac continere. Sed de modo illam efficiendi, nonnulli dissentiunt. Quidam morales esse causas, non physicas arbitrantur, vt Deus ex pacto Sacramentis assistens gratiam immediatè producat,ad eum ferè modum,quo signa magorum causæ dicuntur effectuum, quos demon illis positis ex pacto (si Deus permittat) operatur. Sed hic operãdi modus veram operantis causæ rationem non attingit,nec vltra signi naturam assurgit,quia moralis tantum causa effectum actione aliqua non attingit,sed occasionem præbet,cur vera causa effectũ suum producat: vt in pecunia, qua captiuus redimitur, apparet. Est enim causa moralis redemptionis, sicuti & meritum

mercedis & consilium, suasio, iussus, causa rei gerendæ, non quidem immediatè efficiendo, sed occasionem subministrãdo. Ideo D. Tho. & eius sequaces tradunt, nouæ legis Sacramenta verè ac propriè gratiam & sanctitatẽ efficere per modum causæ instrumentalis, quæ à principali agente mota effectum illi conformem producit. Quam sententiã Eugenius in Concil. Florent. Armenis commendauit, & Concil. Trident. sess. 6. c. 7. & sess. 7. can. 6. & 8. *de Sacram.* in genere definiuisse videtur, vt Catechismus Romanus Concil. prædicti iussu editus disertè attestatur. Qua in re B. Aug. & veterem Ecclesiam sequutus est, quæ semper tenuit, Sacramentum Baptismi regenerare, iustificare, abluere, peccata remittere, vitam tribuere, Christo incorporare; similiter, Eucharistiam pascere animam, Christo vnire, ac proinde vitã, gratiam & sanctitatem efficere ac producere. Quæ sententia veram efficientiam Sacramẽtis tribuendo supra signi naturam assurgit, & nouæ legis Sacramenta facilè ab omnibus veteribus distinguit, necnon à maleficorum signis longissimè distare, ac denique hominem in ipsa Sacramentali actione Dei esse ministrum, totúmque Sacramentalem effectum vno individuo Dei, ministri, & Sacramẽti opere peragi, ostẽdit: atque verborum proprietati inhærens, cum Concil. Trident. sess. 6. c. 7. Baptismum iustificationis instrumẽtalem causam esse comprobat, & cum Catechismo Romano non solùm vim significandi, verùm etiam efficiendi Sacramentis vendicat.

1. p. q. 62. art. 1.

Catechismus Rom. de Sacram. in gen.

Vis efficiẽdi Sacramentis tribuntur.

Sed ne quis tergiuersetur & dicat, Sacramentum efficere moraliter, non autem physica actione; sciendum est, Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. Passioni Christi assignare, quòd si meritoria (hoc est, moralis) causa: sed Baptismo, quòd sit instrumentalis causa, sine dubio D. Tho. doctrinam insequendo, qui luculenter exponit efficientiam Sacramẽtorum, per actionem physicam, & non tantùm moralem, (hoc est, quæ fiat interueniente voluntatis liberæ operatione) suam assertionem illustrans ex Christi humanitate, quæ non tãtum est moralis seu meritoria gratiæ causa, sed etiã instrumentalis, ministerialis ac efficiens, Deo videlicet principali iustificationis authore, Christi humanitate, meritoriisque eius actiõnibus ad redemptionem nostram vtente ita vt cum Deo Humanitas Christi etiam actiuè ad nostræ saluationis effectũ producendum concurreret. Quod Ioan. 1. sui Euangelij illis verbis insinuat: *Gratia per Iesum Christum facta est.* Apoc. 5. *Redemisti nos in sanguine tuo.* Apoc. 1. *Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* 1. Petr. 1. *Redẽpti estis precioso sanguine Agni.* Matth. 9. per Humanitatem, veluti organum Dei paralytico peccata dimisit; item Magdalenæ Lucæ 7. Latroni in cruce, Lucæ 23. & per sui flatus organum Apostolis Spiritum sanctum dedit, Ioan. 21.

Hinc de Christo etiam secundùm hominem dicitur Ioan. 1. *Hic est qui baptizat, hic est qui peccata remittit:* hic est qui consecrat: hic est, qui Sacramenta instituit, eisdémque vim animas viuificandi donauit. Etenim Humanitas Christi, organum Diuinitatis, sicuti corpus nostrũ animæ, fuit; vt ex professo docet Cyril. lib. 4. in Ioan. c. 12. & sequent. Damasc. lib. 3. *de fide* c. 15. Aug. in Ioan. tract. 4. & 5. In Psal. 138. Beda in hom. 8. Epiphaniæ, ait, per contactum suæ carnis Dominum aquis vim regeneratiuam præbuisse.

Quod

Quòd enim Deus sola voluntatis potentia nonnunquam facit, vt, mortuos viuificare, peccata remittere, cæcos aliósque infirmos curare, idipsum aliquando per instrumenta corporalia exequitur, vt ipsius diuina virtus etiam in rebus corporeis agnoscatur & laudetur, per quas quidquid vult operatur. Neq; vt Deus operetur per instrumentum, opus est qualitate aliqua inhærente aut permanente in elemento: sola enim Dei motio & vsus ministri ad Sacramentalem actionem efficiendam, virtus est instrumento impressa, & ratio qua Sacramentum agit; quemadmodum Ioan. 5. per aquam ab Angelo motam infirmi curabantur, per sputum, lutum, contactum corporis aut fimbriæ Christus sanitates operatus est.

S. Thom. 3. P. q 62. ar. 4.

Luc. 8. hæmorrhoissa. Luc. 7. Matth. 9. Ioan. 8. & 21. Marci 7.

In eundem modum aqua in Sacramentalem vsum à Dei ministro assumpta corpus tangit, & animæ sordes abluit, vt passim Augustinus docet tract. 80. in Ioan. lib. 19. cont. Faust. cap. 11. *Sacramentorum vis plurimum valet.* cap. 17. *Actio corporalis fit & transit, virtus tamen quæ per ista operatur, iugiter manet.* Ambrosius lib. 2. *de Pœnit.* cap. 42. Cyrill. lib. 2. in Ioan. cap. 42. exemplo aquæ calefactæ, quę ab igne vim vrendi accipit, ostendit, aquam baptismi operatione Spiritus sancti diuinam virtutem consequi. Eò enim ipso, quo Deus actionem Sacramẽtalem per ministrum esse facit, eandem ordinat, mouet, elenat & applicat ad talem supernaturalem effectum producendum, quem virtute sua naturali producere non posset.

Eo ipso, quo Deus actionem Sacramentalem per ministrum producit, eleuat ad supernaturalem effectum.

Res corporea in spiritum virtute Dei agit.

Nec à ratione alienum est, rem corpoream virtute diuina rem spiritualem attingere, cùm ignis Purgatorij & Inferni animas & dæmones torqueat. Deus enim per eminentiam omnipotentiæ, per quodvis instrumentum, id quod vult operatur: neque contactu instrumenti Deo est opus, aut aptitudine, sicut homini, quoniam instrumento non adiuuatur: vndè per lutum reddidit visum, & per malos ministros gratiam dat, & regenerat homines, non secus quàm Iacob per ancillas liberos genuit. Gratia verò, quæ per Sacramenta producitur, non creatur, sed de animæ potentia educitur, non quidem naturali, sed obedientiali. *Posse* enim *habere gratiam, est naturæ hominum: sed habere gratiæ fidelium*: Augu. lib. de prædest. sanct. cap. 5.

Hæc autem gratiæ de potentia obedientiali eductio, non excludit gratiæ infusionem, quam fieri docet Concilium Tridentinum sess. 6. ca. 7. quia infusio non eductioni, sed acquisitioni opponitur: vt patet in scientia infusa, & proprio labore acquisita, atque in supernaturalibus Theologicarum Virtutum actibus, quos per naturales potentias, intellectum scilicet atque voluntatem elicimus, etiamsi dona à Deo infusa sint. Credere siquidem, sperare, amare Deum, videre, ipsóque frui, actus sunt intellectus aut voluntatis, à quibus potentiis educi seu produci, non autem creari dicuntur. Id enim, quod in fieri, esse, ac operari à subiecto dependet, non creari, sed educi dicitur. Ac proindè gratia cùm requirat subiectum, ad eam producendam adhiberi potest instrumentum, per quod Deus illam producat & infundat: quod instrumentum propter hanc productionem rectè gratiam continere asseritur, sicut causa effectum, quæ in causa morali non ita propriè locum habent.

Cõcil. Tridentinum sess. 7. cant. 6.

CAP. XXII.

Vtrùm gratia Sacramentalis à gratiâ virtutum & donorum differat?

Gratia Sacramẽtalis in quo consistat.

GRatia, quæ per Sacramenta eadem re atq; habitu est cum gratia virtutum & donorum, sed ad certos fines & effectus à Deo infunditur: putà vt animæ regenerentur, diuinúmque accipiant esse, per quod consortes diuinę quodammodo naturæ efficiantur, vel pascantur, roborentur, aut peculiare auxilium contra naturæ infirmitatem, & ad vitia promptatem consequantur, dum fomes reprimitur, ligatur, aut etiam extinguitur: aut denique à peccatorum labe, reatu, reliquiis expurgentur, vel contra præterita, præsentia, vel futura mala singulari præsidio communiantur. Singula enim Sacramenta præter sanctitatem, quam in suscipientibus operantur, vim insuper aliquam in præcedentem naturæ aut personæ morbum exercent, nec non actualia quædam auxilia conferunt aduersus peccata, quod virtutes officio peculiari non præstant.

1. Petri. 1.

Sacramenta quædam actualia cõferunt auxilia.

Differt itaque Sacramentalis gratia à communi, particularibus effectis, quæ Deus passim absque Sacramentorum actuali vsu non dat, vel non ita copiosè, perfectè, ac excellenter. Multò enim certiorem abundantiorémque gratiam ad quemlibet suum effectum & finem producunt Sacramenta, quàm vllæ actiones humanæ, siue dispositiones præ viæ sint, siue opera meritoria, in quibus facilè defectus interuenit, qui gratiæ augmentum impediat, quem Sacramentum corrigit supplendo imperfectionem, vt cum mediocri personæ dispositione ex vi operis facti amplissimam gratiam præstet. Maxima enim salubertimáque vis est instrumenti Dominicæ Passionis, quod sæpe contritum ex attrito efficit, insufficientérque præparatum ad gratiam auctiorem promerendam extra Sacramentum, idoneum reddit, in quem Sacramentum operetur.

Sacramẽtorum effectus certi sunt.

CAP. XXIII.

De charactere Sacramentali.

EXplicato cõmuni & primario Sacramentorum omnium effectu, qui in gratiæ peculiariúmque auxiliorum collatione consistit, oportunè de altero triũ Sacramentorum effectu, qui character est animæ impressus, nonnulla subiungemus. Tria enim Sacramenta, videlicet, *Baptismus*, *Confirmatio* & *Ordo* characterem, hoc est, signum quoddam spirituale & indelibile animæ imprimunt, vndè fit, vt ea reiterari nequeant, vt in Concilio Tridentino sess. 7. cant. 9. definitum est. *Character* verò, si nomen spectes, *notam*, *signum*, *signaculum*, *insigne*, *formam*, *figurámq*; significat: qua voce vsus est Apostolus ad Hebr. 1. & Ioan. Apocal. 13. ac Innocentius III. *de Baptismo & eius effectu*, c. *Maiores*. Qua voce sæpe August. vtitur, intelligẽs, per characterem non ens rationis, hoc est, respectum aduenientem ex deputatione ad certum officiũ, qualis est in doctoribus & præfectis, sed qualitatem inhærentem. Lib. 2. cõt. Parm. capite 13. epistola 44. & 50. *Character dominicus agnoscitur*. Tract. 6. in Ioan. *Tene quod accepisti non mutatur, sed agnoscitur: character enim est regis mei*. Libr. 6. cont.

Character Sacramẽtis tribus imprimitur.

Character quid significet.

Character est qualitas inhærens.

Donat. cap. 1. & lib. 1. cont. Crescon. cap. 30. docet, in desertoribus, & fugitiuis seruis hunc characterem infixum remanere. Cyrillus in præfatione catecheseon, & catechesi 4. 16. & 17. tradit, animas in Baptismi susceptione à Spiritu sancto obsignari. Basilius oratione 13. ad Baptismum, Angelos dicit agnoscere fideles ex signaculo militiæ, quòd in Baptismo datur. Chrysostom. homil. 2. in epist. ad Ephesios, & 14. fideles tanquam oues Dominici gregis obsignatos ait. Epiphanius hæresi 9. Iudæos in carne, Christianos in corde signari scribit. Ambrosius libro de Spiritu sancto cap. 6. & de iis, qui mysteriis initiantur capite 7. Hieronym. in 1. & 4. cap. ad Ephesios, & passim Interpretes in ea verba Pauli 2. Corinth. 1. *Qui vnxit nos Deus, & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Vbi aduertendum est, Apostolum non dicere, obsignari promissiones, sed nos: quando videlicet per Baptismum consecrati, & ad cultum Dei fuimus deputati, vt ad Ephesios cap. 1. exponitur: *In quo et credentes signati estis spiritu promissionis sancto.* Quem locum de obsignatione animæ in Baptismo intelligunt Hieronymus, Chrysostomus, Beda, Haymo, & alij: quibus accedit alius locus ad Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis*, hoc est, in die regenerationis, quando per Baptismum in vobis Christi redemptio applicata est. De hoc fidelium signaculo Isaias capite 66. gentium vocationem prænuncians, Dominum loquentem inducit: *Et ponam in eis signum.*

CAP. XXIV.

De Characteris Sacramentalis officio.

Characteris officium.

TRiplicem vim & vsum character Sacramenti habet. I. officium est, distinguere spiritualiter vnum hominem ab alio. II. configurare speciali ratione Christo. III. aptum reddere, ac irreuocabiliter ad quædam religionis officia Deo consecrare. Ratione primi dicitur *sigillum*: propter secundum, vocatur *potestas dandi vel accipiendi Sacramenta & sacra*: propter III. nuncupatur *hominis consecratio, sanctificatio, & dedicatio ad cultum Dei.*

Cõcil. Trident. sess. 7. can. 9.

Character *Baptismi*, capacitas atque potestas est spiritualis & super naturalis, aptum hominem reddens ad percipiendum alia Sacramenta. Nam sine hoc præuio nulla Sacramentorum susceptio rata est.

Confirmationis character publicæ militiæ spiritualis authoritatem tribuit, simúlque ad hanc pugnam pro religione gerendam vires & arma subministrat.

Ordinis character, est actiua potestas ad Sacramenta conficienda, aliisque administranda.

Ideò autem hic effectus tribus prædictis Sacramentis proprius est, quia per ea sola confertur spiritualis quædam potestas, exercendi certos religiosos actus extra Sacramentum, ad quos homo peculiari consecratione dedicatur, ac in nouum & immobilem statum transfertur, accepto spirituali signaculo in pignus, quod Deus veluti ex pacto ad actiones eorum Sacramentales concurret ad effectum supernaturalem producendum:

quod non facit per eos, qui huiusmodi characterenon sunt insigniti. Et quoniam hæc nota incorruptibili animæ per consecrationem à Deo imprimitur, nec nullum habet contrarium, à quo tollatur, ideò character Sacramentalis prorsus indelebilis est. Vndè sequitur, tria hæc Sacramenta characterem imprimentia non posse iterari, quia permaneant quamdiu anima erit, tam in beatis ad cumulum gloriæ, quàm in damnatis ad confusionis augmentum & miseriæ. Augustinus libro 2. cont. Parm. capite 13. In bonis manet ad præmium, in malis ad supplicium. Huiúsque characteris tantam vim esse docet Augustinus, vt Sacramentum in fictis, per illum, correcta fictione suum operetur effectum. (libro 6. de Baptismo contr. Donat. capite 5. & libro 1. cont. eosdem capite 12.) Vndè res Sacramenti, & Sacramentum est, signans hominem Dei cultui consecratum, militiæ spirituali ascriptum, sacerdotij Christi participem.

Character Sacramentalis indelebilis.

Præterea hic character efficit, vt Ecclesia in baptizatos ius acquirat adeò firmum, vt neque per hæresim, neque per apostasiam se ab Ecclesiæ legibus & disciplina in ethnicam libertatem vendicare queant. Grego. Nazianzen. oratione 1. in Iulianum Concil. Tridentinum sess. 7. de Baptismo Cant. 14. definit, paruulos, cùm adoleuerint, non posse irritum facere baptismum, vel se à pœnis Ecclesiæ legibus constitutis eximere.

CAP. XXV.

De Ministris Sacramentorum.

Cõcil. Trident. sess. 7. can. 10.

EX dictis manifestum est, non omnes Christianos in omnibus Sacramentis administrandis parem habere potestatem, sed opus esse Dei vocatione, peculiarique consecratione, ac ordinatione, ad quædam Sacramenta conficienda & administranda, vt in Sacramento Ordinis latiùs exponitur. Cùm enim nouæ legis Sacramenta vim contineant ad animam penetrantem, qua ipsam iustificent, eorum primarius auctor est Deus, cuius est, gratiam & gloriam dare, & iustificare. Hic enim solus propria, naturali, ac prorsus independente ab alio potestate gratiam, sicuti vult, dare potest; ac proinde solus etiam suo iure ac authoritate Sacramenta instituere, quę gratiam infallibiliter significent & efficiant. Quia verò Deus Homo factus est, Christo homini tanquam Ecclesiæ capiti & supremo noui Testamenti ministro, excellentiæ potestas singularis, plena, illimitata, omni alia humana potestate multò præstantior, tributa est. Cõplectitur enim quatuor prærogatiuas: prima est potestas instituendi Sacramenta, & sacrificia, nouumque reipublicæ populi Dei statum. II. est, proprijs meritis vim omnem Sacramentis comparare. III. est, vt illius nomine, vice, mandato, virtute, concursu, & non nisi accepta ab ipso facultate Sacramenta conficiantur, & dispensentur. IV. est potestas, sine Sacramentis eandem gratiam conferendi, quam Sacramenta operantur; sicut Magdalenæ Christus verbo peccata condonauit, Lucæ 7. & adulteræ Ioan. 8. Paralytico, Matth. 9.

Psalm. 83.

Rom. 8.

Solus Deus Sacramenta suo iure instituit.

Christo excellentiæ potestas competit, quatuor prærogatiuas complectens.

Ob has causas Baptismus, Christi, non Petri aut Pauli appellatur. Euangelium quidem *suum* Apostolus dixit, 2. Timoth. 2. Baptismum autem *suum* nunquam. De Christo enim solo Ioannes scripsit: *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto*, vt no-

1. Cor. 1.

Ioan. 1.

tat Augustinus in Ioan. tract. 5. docens, Christum habuisse potestatem Baptismi, nec in aliquem transtulisse hominem, ne seruus spem in seruo poneret, & non in Domino.

Christus omnia Sacramenta instituit.

Reliquorum insuper Sacramentorum Christus author & institutor est, vt definit Concilium Tridentin. sess. 7. can. 1. *Si quis dixerit, Sacramẽta nouæ legis non esse omnia à* IESV CHRISTO *Domino nostro instituta, anathema sit.* Quod ne quis intelligeret de mediata institutione facta per Ecclesiam, ex authoritate accepta, proinde Concilium sess. 14. can. 1. seipsum explicans ait, *Sacramentum extremæ vnctionis à Christo institutum fuisse, sed à B. Iacobo promulgatum.* Et sess. 21. ca. 2. dicit, *Ecclesiam potestatem habere, instituendi cæremonias & ritus, circa Sacramenta, salua eorum substantia.*

Ecclesia nõ potest instituere Sacramenta.

Vnde luculenter sequitur, Ecclesiam non posse materiam vel formam Sacramenti aut sacrificij propriè dicti sua authoritate instituere. Non enim Apostoli fuêre Sacramentorum Domini, sed dispensatores & ministri mysteriorum Dei.

Vetera Sacramenta sunt à Deo immediatè instituta, per Moysen verò promulgata.

Accedit, quòd veteris Legis Sacramenta omnia sint à Deo immediatè instituta, per Moysen autem tantùm promulgata, vt patet in Exodo & Leuitico: multò itaque magis decuit, omnia nouæ legis Sacramenta immediatè à Christo institui. Quod ita esse, docet Cyprianus in serm. *de ablutione pedum: Ipse summus sacerdos sui est Sacramenti institutor & author.* Ambrosius libr. 4. *de Sacramen.* c. 4. *Author Sacramentorum quis est nisi Dominus* IESVS? Augustinus libro 3. de doct. Christ. c. 9. *Pauca,* inquit, *pro multis* (scilicet Sacramentis) *eadémque factu facillima, & intellectu augustissima, & obseruatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina.* Similia habet epist. 118. c. 1. & tract. 5. in Ioan. vbi hanc instituendi Sacramenta potestatẽ Christum sibi retinuisse asserit. Cũ enim sit æternus summúsque sacerdos, decuit ipsum non habere in sacerdotali potestate successorem aut parem, vt colligit Apostolus ad Hebr. 7. Quia tamen visibilis in terris non remansit, sed vsque ad tempus iudicij extremi in cœlis interpellat pro nobis, ministros & vicarios diuinarum functionum in terra reliquit, qui Sacramenta Christi vice confi- Hominibus cõmissum est Sacramentorum ministerium. cerent & administrarent. Conueniebat enim, vt homines Christo subseruirent, visibilique ministeriores inanimatas varijs partibus constantes inter se, ac nostris vsibus coaptarent. In quo summa humanæ naturæ dignitas consistit. Non enim angelos apprehendit Christus, neque sacerdotium eis commisit: *omnis* enim *pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum,* Hebr. 5. Hebr. 5. Vnde colligit Chrysostomus lib. 3. *de sacerdot.* & hom. 85. in Ioan. non angelis, sed hominibus commissum esse Sacramentorum ministerium. S. Tho. 1. p. q. 51 art. 3. ad. 4. Non enim Angelis, sed hominibus dixit Christus: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes,* &c. Item Lucæ 22. solis hominibus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata,* &c. Ad Ephesios 4. *Ascendens in altum, dedit dona hominibus*: id est, varia hominum in Ecclesia instituit ministeria, in quibus nihil posse Angelum vel Archangelum notat Chrysost. hom. 75. in Ioan.

Si tamen Angelus bonus Sacramentum aliquod administraret, extraordinaria dispensatione Dei ratum esset, teste Nicephoro libr. 11. hist. c. 20.

CAP. XXVI.

Quòd hæretici perperam asserant, omnibus baptizatis datã esse potestatem administrandi Sacramenta.

LVtherus aliquãdo scripsit, non solùm omnes homines, sed etiam dæmones Sacramenta omnia administrare posse: postea verò sibi contrarius, ãi solos homines baptizatos vtam potestatem restrinxit, quanquam eius vsum & executionem penes solos legitimè vocatos, ed tollendam è Republica Christiana confusionem esse voluerit. Quod ex eo falsum esse conuincitur, quia potestas clauium non vniuersæ Ecclesiæ immediatè à Christo communicata est, vt certis deinde personis per Ecclesiam executionis ipsius demandaretur, sicut in ciuili potestate euenit, quæ primariò Reipublicæ conuenit, à qua certis personis committitur. Sed potestas clauium à Christo immediatè data est Petro & Apostolis, ad Ecclesiæ ædificationem, vt Apostolus ad Ephes. 4. clare tradit, Christum posuisse in Ecclesia primùm Apostolos, deinde Pastores & Doctores ad ædificationem corporis sui, quod est Ecclesia. In epist. ad Rom. 12. & 1. Cor. 12. varia esse in Ecclesia ministeria, nec omnibus omnia conuenire demonstrat. Hinc fit, vt mysteriorum Dei dispensatores, Christi ministri, non autem Reipublicæ dicantur. 1. Cor. 3. & 4. & 2. Cor. 11. *Ministri Christi sunt; plus ego.*

Potestas clauium immediatè Petro data est à Christo.

Quemadmodum enim non omnes circumcisi in veteri Testamento sacerdotij potestatem habebant, sed vocati à Deo, sicut Aaron: ita clauium potestatem non consequuntur omnes, qui baptizantur, sed illi soli, qui Apostolorum instar ab alijs fidelibus peculiari vocatione segregantur, sacrisque ministerijs per ordinationem & manuum impositionem deputantur. Sicut ordinatus fuit Paulus Act. 13. Timoth. 1. epist. c. 5. & 2. Timoth. 5. Titus c. 1. quibus potestatem alios deinceps quoque ordinandi presbyteros & ministros datam fuisse, Apostolus scribit, ad Titum c. 1. & 1. Tim. 5. *Manus cito nemini imposueris.*

Ecclesiæ ministri ad hoc ordinandi sunt.

Accedit, quòd Apostoli priùs baptizati fuerint, & baptizauerint, quàm potestatem absoluẽdi (Ioan. 20.) aut sacrificandi (Lucæ 22.) à Christo acceperint. Et non minùs Iudeis omnibus (Exodi 19.) dictum erat: *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta*, quàm Christianis (1. Petri 2.) attamen Saiul, quia sacrificauit, reprobatus est, atque Ozias lepra percussus, 2. Paralip. 26.

Aug. epist. 108. Ioan. 4.

Saiul & Ozias sacerdotum munus vsurpantes puniuntur.

CAP. XXVII.

Quisnam proprius sit ministri Sacramentorum effectus, quódue officium?

QVia hominis ministerium ad Sacramenta conficienda non minus est necessarium, quàm materia & forma, meritò QVÆRITVR, in quo huius ministerij exercitium consistat, & an minister ad internos Sacramentorum effectus producendos cum Deo concurrat; vt dici possit iustificare, gratiam conferre, peccata remittere, non autem tantùm remissa declarare.

Exercitium Ministerij Sacramentorum in applicatione materiæ & formæ potissimùm consistit.

Respondendum est, exercitium ministerij Sacramentorum propriè in materiæ & formæ Sacramentalis applicatione, non autem in aliquo dominio & iure in Sacramenta vel eorum effectus consistere. In actio-

ne enim dãdi aut conficiendi Sacramentum, minister est Dei instrumentum eleuãtis, mouentis ac vtentis naturali actione ipsius ad supernaturalem effectum producendum. Verbis enim & actionibus humanis naturalibus ministri, putà loquela, vnctione, lotione, atque alijs tanquam instrumentis Deus vtitur ad gratiam, & peccatorum remissionem efficiendam. Proinde, quemadmodum Sacramentum verè supernaturalem effectum tanquã Dei instrumentum producit, ita quoque minister Sacramenti. Et ab vtroque quidem eodem temporis momento effectus producitur, quando Sacramenti existentia ab eius vsu non differt, immediatiùs tamen ordine naturæ à Sacramẽto, quàm à ministro, qui non nisi in Sacramento, & per Sacramenta regenerat, peccata remittit, & gratiam confert. Quod in Leuiticum quæst. 84. explicans Aug. *Quomodo*, inquit, *Moyses sãctificat, et Dominus sãctificat? Nõ enim Moyses pro Domino, sed Moyses visibilibus Sacramentis per ministerium suum, Dominus autem inuisibili gratia per Spiritum suum:* significans, in vna eadémque operatione sanctificationis concurrere Deum vt primariam causam, ministrum suo ministerio, & Sacramentum tanquam instrumentum, ideóque totum iustificationis effectum rectè tribui ministro & Sacramento, atque principali causę Deo, licet naturali actione homo & Sacramentum externè. Deus autem internè operetur; iuxta illud Apostoli: *Neq; qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus*, insinuans, causam secundariam non nisi virtute à primaria sumpta operari, propter quam primariæ causæ eminentiam nonnunquam eidem totus effectus cum secũdariæ causæ exclusione assignatur, vt Mat. 10. *Vos non estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri loquitur in vobis.* 1. Cor. 3. *Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid.* Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* 1. Cor. 15. *Non ego, sed gratia Dei mecum.*

In eadem Sacramenti operatione concurrunt Deus, minister & Sactamentum.

1. Cor. 3.

Propter primariæ causæ excellẽtiam totus effectus ei tribuitur. Matth. 10. Marc 13.

Econtra verò nunquam secundariæ causæ, vel instrumentali aut ministeriali quispiam effectus cum exclusione principalis causæ tribui potest, vt notat Augustinus Enchirid. 32. Non enim terrent credentium aures, dici: *Non est Dei miserentis, sed volentis & currentis:* neque, *Ego baptizaui, non Christus: Ego iustificaui, non Deus.*

Primarias partes in operando sibi cauta prima vendicat.

Rectè autem dixerit Minister: *Christus baptizat, non ego: Deus iustificat, non ego:* sicut Petrus Act. 3. postquam claudum sanasset, intulit: *Nos quid intuemini, quasi nostra virtute hunc fecerimus ambulare?* Sic ait August. lib. 3. *cont. Cresconium* c. 11. Ministrum non ausum dicere, *Iustificaris a me*, ne sibi primarias in efficiendo partes vendicare censeatur: *Deus est* enim, *qui iustificat*, Rom. 8. *Hic est, qui baptizat*, Ioan. 1. *Nemo potest peccata remittere, nisi solus Deus.* Marc 2. *Potestas* enim *in Christo est, ministerium autẽ transit in multos*, inquit Aug. tract. 5. in Ioan. Huius ergo propositionis: *Ego te absolno*, sensus est: *Ego tibi Sacramentũ absolutionis impendo:* & *Ego te baptizo*, id est, *Ego tibi tanquam Dei minister Sacramentum ablutionis confero.*

CAP. XXVIII.

De qualitatibus ministri Sacramentorum.

Tria qualitatum genera in Sacramenti ministro.

QVemadmodum in quolibet instrumento, ita & in Sacramẽti ministro tria qualitatem gene-

ra inueniuntur. Quædam enim ad vsum omnino necessariæ sunt; vt in serra, quòd sit ferrea & dentata: nõnullæ qualitates prorsus ad instrumenti vsum sunt accidentariæ, vt quòd serra sit deaurata: aliæ demum sunt mediæ, non omnino quidem requisitæ, attamen ad faciliùs operandum vtiles, vt quòd serra sit acuta. Ita in ministro Sacramenti omnino necessaria est intentio faciendi actionem Sacramentalem, accidentaria verò qualitas, est statura, sanitas & huiusmodi, media verò, sanctitas, fides, eruditio, deuotio, & huiusmodi, sine quibus Sacramenta, quidem confici, exercitium tamen officij minùs commodè potest, de quibus ordine disseremus.

CAP. XXIX.

De intentione ministri Sacramenti.

Concil. Florentin. Arm. instruct.

Qualis intentio necessaria in Sacramenti ministro.

QValis intentio Sacramenti ministro necessaria sit, explicat Concilium Tridẽtinum sess. 7. can. 11. *Si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia*, anathema sit. Quibus verbis docet Concilium, ad Sacramenti veritatem necessarium esse, vt minister voluntate ac proposito ad producendam actionem Sacramentalem moueatur, ita vt non sufficiat, Ministrum casu, ioco, aut in somno, vel vt opus quoddam naturale, actionem facere; sed opus sit, intendere facere actionẽ sacram, vt est ceremonias quædam à Christo institutas, qua ex ipsius præscripto Christiani vtuntur. Nam vt ad materiæ determinationẽ certa verborum forma necessaria est, ita quoque ad formæ ac operis indifferentiam ad Sacramentalem actionem restringendam, intentio ministri requisita. Non enim vi sua hominis actio, aut verborum prolatio Sacramentalem actionem constituit, sed intentione ministri ad religionis actum referri debet. Quoties enim hac intentione minister agit, toties velut instrumentum à Deo ad supernaturalem effectum producendum mouetur. Intentio enim quoddam medium est, per quod Dei virtus ad causæ secundariæ operationem applicatur. Voluit enim Dominus actionem Sacramentalem esse humanam, iudicio ac deliberatione susceptam, non temerariam, fortuitam vel coactam: vt significant verba Christi Matth. vlt. *Ite, docete, baptizantes*, &c. Item Lucæ 22. *Hoc facite.* Ioan. 20. *Quorum remiseritis: quorum retinueritis.* Vnde Cyprianus serm. *de Cœna Domini*, efficacem esse dicit Ministri operationem, quotiescunque ex Christi mandato & institutione operatur: docens, verba non esse operatoria, nisi ab eo dicantur, qui potestatem & voluntatem habeat, ac proinde intentionem faciendi, quod Sacramẽtalia verba ex institutione Christi operantur. Est autem intentio actus voluntatis in aliquem finem se mouentis: & diuiditur in actualem, habitualem, & virtualem. Actualis intentio, est præsens animi ad opus attentio, quæ non ita est in nostra potestate, quin sæpe inuiti aliò trahamur. Ideóque non absolutè necessaria est. Habitualis intentio, vocatur inclinato seu promptitudo quædam ex habitu acquisito aut infuso nata, quæ non sufficit, cùm in furiosis & dormientibus esse possit, quorum actiones nec humanæ, nec deliberatæ sunt. Virtualis intentio nuncupatur, quæ ex actuali oritur, ex illius virtute operatur. Hæc in

Verba operatoria vnde suã vim habeant.

Quid intentio.

Triplex intentio: actualis, habitualis, virtualis.

Habitualis intentio non sufficit.

ministro

Virtualis intentio sufficit ad Sacramẽti confectionem.

ministro euagante animi cogitatione, dum Sacramentalem actionem exercet, esse potest, atque ad Sacramenti integritatem sufficit. Nihil enim aliud Concil. Trident. exigit, nisi vt minister intendat facere, quod Ecclesia facit, hoc est, Sacramentalem actionem. Vbi de fine, virtute aut effectu Sacramenti nihil commemoratur.

CAP. XXX.

Vtrùm fides & sanctitas in ministro ad Sacramenti integritatem requirantur?

Sanctitas ministri an ad integritatẽ Sacramenti necessaria.

MVltas in Ecclesia olim ista quæstio peperit, Agrippinus enim, Carthaginensis Episcopus, quem sequutus est Cyprianus cum multis Aphricæ Episcopis, senserunt, irritum esse baptismum, per hæreticos manifestos, aut schismaticos ab Ecclesiæ vnitate separatos, collatum. Donatistæ vlteriùs progressi, vniuersos publicos peccatores à Sacramentorum confectione remouerunt, eorúmque Sacramenta irrita pronunciarunt. Luciferiani Hieronymo teste Baptismum hæreticorum ratum esse, non autem ordinationem, senserunt. Apostolici negarunt, malos Sacramenta conficere posse, Bernardo teste serm. 66. in Cantica, quos sequuti sunt Albigenses atque Vvaldenses. Vvicleff autem reprobos omnes excluſit à ministerio Sacramentorum: cuius errorem condemnauit Synodus Constantiensis sess. 8. Concil. Trident. sess. 7. can. 12. *Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, seruauerit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit.* Et can. 4. de baptismo: *Si quis dixerit, Baptismum, qui datur ab hæreticis in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.*

Iero. cont. Lucifer.

Baptismus ab hæreticis datur.

Argumenta verò, quibus Veteres dictas hæreses confutarunt, triplicis sunt generis. PRIMVM ductum ex vi consuetudinis, & Apostolicæ traditionis. Quo argumento Stephanum Papam vsum fuisse testatur Cyprianus in epist. ad Pompeium. Eodem vsus est Aug. lib. 2. *cont. Donatistas*, cap. 9. & c. 7. *Consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum. Hæc sola opponebatur inducere volentibus nouitatem.* Vincentius Lyrinensis in *Commonitorio* hoc vno argumento ex traditione petito Cypriani causam fuisse superatam scribit.

Argumenta ex Apostolica traditione.

Secundi generis argumenta ex Conciliorum authoritate petuntur, quibus homines singulares, quantumuis docti & sancti, cedere debent. Augustin. lib. 6. *cont. Donat.* c. 39. 1. 7. 13. lib. 2. *cont. Parm.* c. 13. lib. 1. *cont. Donat.* c. 17.

Argumenta ex Conciliis.

Tertij generis argumenta ex ratione in verbo Dei fundata desumuntur: Minister Sacramentorum non authoritate propria, sed virtute diuina operatur: ergo vis aut existentia Sacramenti non dependet à fide, sanctitate, vel deuotione ministri, sed à solo Deo, primarióque institutore Christo, de quo Ioannes, ait c. 1. *Hic est qui baptizat*, vt Augustin. tract. 5. in Ioan. deducit. 1. Cor. 3. *Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid.* Vnde Apostoli núquam appellauerunt baptismum *suum*, licet Euangelium *suum* dixerint, Ro. 16. 2. Timot. 2. vt significarent, in Sacramentorum confectione nihil suum esse, nisi nudum ministerium in Euangelica verò prædicatione

Argumenta ex ratione.

In Sacramentorum administratione hominibus competit solum ministerium.

hominis industriam atque meditationem non parum conferre. Augustinus tract. 5. in Ioan. Baptismum Iudæ non minùs valuisse, quã Ioannis ostendit: quod variis similitudinibus illustrat. Nam apud Iudæos rata erat Circumcisio facta à Samaritanis. Aug. lib. 1. *cont. Cresc.* c. 31. Et, *Verbum Dei efficaciter praedicatur a malis*, Philip. 1. Matth. 23. *Quæ dicunt, facite.* Aug. libr. 4. de baptismo, c. 11. Item malus plantat, seminat, rigat, inserit; nec refert, an sordidis manibus id exerceat, dummodo semen bonum sit, terra fertilis, nec pluuia, solisque calor desit. Aug. lib. 3. *cont. Crescon.* c. 8.

Deus etiã per malos operatur.

Nec minùs Regis effigiem imprimit sigillum ferreum, quàm aureum. Nazianzenus oratione de Baptismo. Lumen quoque solis non coinquinatur, etiamsi cœnosa loca pertranseat, Aug. lib. 9. de Baptis. c. 10. Nec refert, an aqua per canalem ligneum vel aureum ad areolas deducatur, Tract. 5. in Ioan. Neque dona gratis data, vel naturales potentiæ tolluntur peccato: igitur neque ad supernaturales effectus cum instrumẽtis à se institutis Deus concurrere desinit; neque potestatem ad conficienda Sacramenta datam propter peccatum tollit.

Sacramentum ab vsu & effectu distinguendum.

Notat verò Aug. lib. 6. *de Baptismo* c. 1. præcipuam erroris Donatistarum causam fuisse, quòd non distinguerent Sacramentum ab vsu & effectu ipsius. Item, quòd non obseruarent, dispensari posse bona Domini per eum, cui nihil prodesset. Et in rebus naturalibus & artificialibus effectum non debere similem esse instrumento, sed causæ principali. Quare dum Veteres nonnulli hæreticorum ministeria detestantur, quos sanctificationem dare non posse addunt, non de Sacramentorum substãtia loquuntur, sed de fructu ac vtilitate, quam non percipere dicunt eos, qui hæreticis cõsentientes ab eis Sacramenta sumunt. Sic Athan. ser. 3. *cont. Arian.* inutilem eos habere aquam dixit. Ambr. lib. *de iis qui myst. initiantur* c. 4. *Non sanat Baptismus perfidorum.* Leo epist. 77. c. vlt.

Ex quibus sequitur, Sacramenta characterem imprimentia, per hæreticos ministrata, non posse repeti, etiamsi obicem ponentibus (videlicet qui in hæresi vel schismate accipiunt) inutilia sint. Vnde colligimus, paruulos ab hæreticis vtiliter baptizari: licitum insuper esse, in articulo necessitatis Baptismum, Pœnitentiæque Sacramentum à schismatico recipere, vt docet August. lib. 7. *cont. Donat.* c. 52. & epist. 23.

Etiam non baptizatus baptizare potest.

Vtrum autem à non baptizato Sacramentum validè conferatur, aliquando dubitauit August. libro 7. *cont. Donat.* c. 53. sed postea definitum est, posse baptismum dari etiam à Iudæo & Pagano. *De consecr.* dist. 4. can. *à quodam*: & can. *Si qui.* Ratio est, quia Deus suæ institutioni adest, illisque vt gratiæ Sacramentorúmque ministris, dispensatoribus, & instrumentis, non authoribus vtitur. August. lib. 3. *cont. Crescon.* c. 10. Chrysost. hom. 3. in prio. ad Cor. & 8.

Deus sua institutioni adest.

CAP. XXXI.

Quòd ministro sanctitas vtilis ac necessaria sit.

Sanctitas vtilis Sacramenti ministro.

QVamuis integritas Sacramenti à ministri sanctitate non dependeat; qui opus Dei, non suum exercet; attamen vt non solùm alijs prosit suo ministerio, sed & sibi ad æternam salutem; necessaria ei (an-

ditas est, vt sancta sanctè ac religiosè tractet. Leuit. 21. 22. Num. 19. Isa. vlt. Malachiæ 1. Dionys. lib. *de Eccles. Hier.* c. 1. impuris symbola sacra ne quidem contingere permissum esse, scribit. Si enim eloquia Dei enarrare prohibeatur, qui peccator est, (Psal. 49.) quanto magis sacra mysteria conficere, sumere, administrare? Quare mysteriorum Dei ministri sanctitatem atque morum pietatem sectentur, ita puri ad Sacramenta ministranda accedant, vt ex eorum frequenti vsu & tractatione copiosiorem indies adiuuante Deo gratiam consequantur.

Quia verò dubitare quis posset, vtrùm Sacramenta vnius speciei in omnibus recipientibus æqualem effectum habeant; sciendum est, primarium omnium Sacramentorum effectum esse, conferre gratiam, vel iustificando primam, vel in iustis augendo habitam. Quam quidem gratiam efficiunt Sacramenta non ex dignitate, merito, aut voluntate ministri, sed ex institutione Christi, qui ex parte sua æqualiter operatur per Sacramenta effectum, iuxta præfinitam taxationem à se constitutam. Vndè infantibus, qui absque libera ipsorum dispositione iustificantur, per baptismum, etiam à meliore persona datum, & cum oratione multorum circumstantium, æqualis gratiæ confertur gradus, qui alijs à Iuda, Pagano vel Hæretico baptizatis. Similiter & adultis duobus omnino æquali dispositione præparatis, baptismus à Paulo & Iuda collatus, parem gratiæ gradum confert. Ratio. I. est, quia Sacramentũ habet limitatũ effectum, certa Dei lege constitutum, qui à ministri dignitate, merito, aut voluntate non dependet. II. est, quia nemo præter Christum alteri de condigno meretur primam gratiam, vel augmentũ gratiæ, nec impetrat de congruo adulto, nisi quoniam impetrat ei liberam dispositionem, qua id meretur. Et quoniam Spiritus sanctus iustitiam, quam in nobis recipimus, singulis partitur prout vult, & secundùm propriam cuiusque dispositionem & cooperationem; fit, vt idem specie Sacramentum tantò maiorem ex opere operato homini adulto gratiæ gradum conferat, quantò meliùs & dignius dispositus fuerit. Et inter Sacramenta, id quod dignitate præstat, confert ex se maiorem gratiæ gradum, seruata quadam proportione. Vnde infantes cum solo baptismo decedentes, aut cum gratia Circumcisionis, tantùm in minore gradu gratiæ & gloriæ futuri sunt, quam qui reliqua Sacramenta Confirmationis, Eucharistiæ, Ordinis, &c. acceperint. Atque ita intelligi potest, quomodo homines ad Angelorum ordines assumendi sint, atque inæquales illas angelorum sedes impleturi, vel supra omnes Angelorum choros eleuandi: quisque enim gradum illum gloriæ obtinebit, quo ex dispositione ac cooperatione liberi arbitrij cum Dei gratia, & auxilijs ac proportionatis meritis, dignus à Deo reperietur.

Sacramentorum effectus per se in omnibus æqualis.

Cone. Triden. sess. 6. cap. 7.

Gratiam Spiritus sãctus partitur secundũ cuiusque dispositionem.

CAP. XXXII.

Quinam singulorum Sacramentorum sint Ministri?

QVamuis Christus omnia Sacramenta potestate excellentiæ, sibi propriè, immediatè instituerit, nec voluerit, (quamquã potuerit) Apostolis vel Ecclesiæ committere potestatẽ instituendi vllum Sacramentum, nec materiam necessariam, vel formam Sacramenti vel

Qui singulorum Sacramentorum ministri?

ad tempus ; attamen potestatem conficiendi & administrandi Sacramenta, Christus, quia Homo est, humanæ naturæ præ Angelis concessit. Nam Sacramentorum sensibilium visibilis Ecclesiæ, corporeos esse ministros decuit. Angeli enim nec in assumptis corporibus verba vitaliter efformant. Quare Sacramentorum minister est homo, non angelus ; nisi fortè ex singulari priuilegio ei hoc à Deo committatur. Et inter homines præter baptismum & Matrimonium reliqua Sacramenta ministrum sacerdotem vel Episcopum requirunt, vt conficiantur : scilicet, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Ordo, & Extrema vnctio. Licet verò solus Sacerdos Eucharistiam conficere possit, eam tamen dispensare potest etiam Diaconus. Reliqua Sacramenta, quæ in vsu consistunt, solus ministrare ille potest, qui conficit. *Baptismi* cum solennitate solus minister est Sacerdos : at in necessitate omnis homo, siue vir, siue fœmina, intendens facere quod facit Ecclesia. *Confirmationis* ordinarius minister est Episcopus, & forsitan ex Pontificis commissione Sacerdos. *Eucharistiam* solus conficere potest Sacerdos. *Pœnitentiæ* minister est Sacerdos. *Extremæ Vnctionis* similiter. *Ordinis* minister est Episcopus. Ex commissione tamen Papæ, minores conferunt ordines Abbates consecrati, & Cardinales Presbyteri, non Episcopi. *Matrimonij* ministri sunt laici contrahentes, consensumque suum explicantes in præsentia Parochi, etiamsi nondum sacris initiatus sit.

Sacramenta verò distinguuntur ex subiectis numero, non ex vnitate ministri, quia vna Sacramenti collatio ad multos simul extãdi potest; vt patet Ioan. 20. Luc. 22. Et vnus simul multas consecrat hostias pro communicaturis. Fieri denique potest, vt multi simul eandē hostiam consecrent, si eodem instanti verba finiant ; & vt plures eundem baptizent, videlicet si vnũ simul abluant, & intentione independente dicant: *Ego te ablue* vel *baptizo*, &c. Per hos enim velut per instrumẽta, quæ moraliter vnum reputantur, Christus principalis causa baptizat. Si verò vnus abluat, qui mutus est, & alter verba proferat, qui truncatus manibus est, non est ratum Sacramentum : neque si dicant duo : *Nos te baptizamus*, quoniam deest intentio requisita, & falsa sit forma. Quamuis autem subinde plures ministri idem Sacramentum conficere possint, ex præcepto tamen Ecclesiæ vnus minister esse debet, excepta consuetudine, vt cùm Episcopo Sacerdotes ordinante, vel alium Episcopum consecrante, illi simul eandem hostiam consecrare soleant. In quo tamen actu ille præcipuus minister censetur, qui alios consecrat. In extrema vnctione id peculiare est, vt multi presbyteri simul vngere singulos sensus possint, & ex omnibus hat vnum Sacramentum. Et in Episcopi vnius consecratione multi simul assistunt Episcopi.

Quorum remiseritis, &c. Et, Hoc facite.

Si mutus abluat, & carens manibus verba proferat, non conficitur baptismus.

In ministro Sacramenti Pœnitentiæ, vt valida sit absolutio, præter ordinis potestatem, iurisdictio in pœnitentem per censuram non impedita, de Sacramenti necessitate requiritur. Eam verò in omnes Christianos plenissimam obtinet summus Pontifex. Deinde in suos greges, singuli Episcopi, & pastores. Ex priuilegio autem vel subdelegatione, alij sacerdotes, tam religiosi quam seculares. QVIA verò Sacramenta sunt animarum medicinæ, congruit, ea potissimùm ab animarum pastoribus conferri suis sub-

21. Dist. c. Quorumdam.

ditis. Per *Baptismum* enim ad caulas oues admittit, eásdem vitali *Eucharistia* cibo pascit: infirmas *Pœnitentiæ* medicamento sanat: per *Extremam Vnctionem* in pascua cœlestia transmittit, atque contra luporum insidiantium morsus armis communit: per *Matrimonij* autem sacramentum viros cum vxoribus ad generandum Christo filios consociat. Episcopus verò proprius sibi subditos per Confirmationis sacramentum ad spiritualem militiam roborat: & per *Ordinationem* sacris in Ecclesia ministeriis certas deputat personas.

CAP. XXXIII.

Ad quid obligentur Sacramentorum Ministri.

Qua scientia ministro sacramentorum necessaria.

SAcramentorum Ministri scire officio necessaria tenentur: vt, quæ sit debita Sacramenti materia, quæ forma, quæ intentio necessaria, ne quid ad substantiam pertinens immutent: receptos Ecclesiæ ritus conseruent: si quid omiserint, quomodò supplendum sit. Rursus abstinere debent à dubia, vel minùs probabili forma, ob periculum faciendi Sacramentum irritum. Nonnumquam tamen dubiâ materiâ vti licet, putà, si infante morituro desit aqua certa, quia necessitas excusat à periculo irreuerentiæ. TENETVR insuper minister intentione seriâ tendere in finem principalis agentis, conficere videlicet Sacramentum, vt sit signum religionis, & causa salutis, & sancta sanctè tractare, vt in eo sacro opere dignum se Dei ministrum exhibeat. Ideoque si mortalis peccati sibi conscius sit, antequam sacramentum ex officio administret, confiteatur, aut saltem de peccato conteratur: non enim ante ministerium sacramenti, confessionem præmittere tenetur, nisi dum sumpturus est Eucharistiam, ante cuius sumptionem, quantumcumque contritum se quis existimet, habita confessoris copiâ, necessariò præmittendam esse sacramentalem confessionem Synodus Tridentina docet, sess. 13. Cant. 11. PROHIBETVR etiam Sacramenta ministrare, qui excommunicatus est, suspensus, aut interdictus ab officio Ordinis. Parochus tamen censura occulta ligatus, aut irregularis, subditis petentibus, præmissâ confessione, si copiam solutionis obtinendæ priùs non habeat, sacramenta ministrare potest. Verùm huic ministerio se sponte ingerere prohibetur, vti & alius Sacerdos, qui nulla officij obligatione compellitur. Cont. Constan.

CAP. XXXIV.

A Ministro peccatore an liceat Sacramenta petere.

Subdito licèt sacramenta exigere à pastore in peccato existente.

TEmpore necessitatis licet baptismi aut pœnitentiæ Sacramentum pro seipso, filius, aut domesticis suis petere, etiam à sacerdote non parocho, nec administrare parato, qui iurisdictionem habeat, etiamsi certum sit, eum in peccato ministraturum. A suo autem parocho subditus, etiam extra necessitatis casum sacramenta sibi vtilia deposcendi ius habet, quamuis sciat, absque peccato ipsum id non facturum. Non enim alium in peccatum inducit, qui iure suo vtitur, sed ex iusta causa peccatum solùm permittit. Nam sibi imputet, qui sponte, & ex malitia, nulla compulsus necessitate peccat. Non enim proximi

in nulla necessitate existentis peccatum, cum proprio graui detrimento spirituali, aut temporali teneor impedire, ac præsertim cùm Parochus ex officij obligatione paratus censeatur iis, quibus debet, sacramenta ministrare. Quare petens ab eo sacramentum, non cooperatur eius peccato, sed communicat ei in bono actu, ad quem ius habet. Non enim ad peccandum talem magis inducit, quàm qui in extrema vel graui vitæ aut honoris necessitate constitutus, ab vsurario, quem nouit minimè gratis daturum, postulat mutuum, quod absque peccato mutuare posset, si vellet.

Quemadmodum verò Parochus ratione officij Sacramentum petenti administrare tenetur: ita ex officio tanquam fidelis & prudens dispensator ius habet tuendi cultum Christi, & reuerentiam Sacramenti, ac prouidendi, *Ne sanctum detur canibus.* Hinc peccatori publico, quamdiu scandalum perdurat, siue occultè, siue publicè Eucharistiam petenti, denegare debet. At occulto peccatori communionem publicè poscenti, Parochus dare tenetur, quoniam arctius est negatiuum præceptum de vitando scandalo, & non infamando peccatore occulto, quàm de vitanda externa & occulta Sacramenti irreuerentia.

Matth. 7.

Occulto peccatori sacramentū publicè deposcenti, pastor dare tenetur.

CAP. XXXV.

Vtrùm minister linguâ vulgo nota conficere aut ministrare Sacramenta debeat?

Sacramenta non sunt necessariò vulgari lingua ministranda.

QVia Sacramentorum verba ex Christi institutione operatoria sunt, & adhibētur non ad instruendum, vel fidem excitandum, sed ad elementum consecrandum, aut Deum deprecandum, vel ad personas absoluendum, vel consecrandum ac sanctificandum; perspicuè sequitur, non esse necessarium, Sacramenta vulgari lingua populo nota confici aut ministrari, excepto tamen Matrimonio, in quo partium contrahentium mutuus consensus exprimi debet, quod non nisi per verba vel alia signa intellecta fieri potest. Et licet ad Sacramenti essentiam non pertineat, qua lingua conficiatur aut ministretur; attamen sapienter Ecclesia constituit, vt in Latina Ecclesia Latinè, in Græca, Græcè, in Oriente verò Hebraica, Chaldaica vel Arabica, semper extra casum necessitatis conficiantur Sacramenta & administrantur. Idque, vt Ecclesiæ vnitas & communio faciliùs retineretur, cùm paucæ illæ celebriores linguæ à pleriſque addisci commodè possint, vnde fiat, vt fideles extra suam regionem peregrinantes, officijs diuinis carere non compellantur.

Ecclesia sapienter constituit, ministrari sacramenta in lingua Latina, Græca, vel Hebræa.

Præterea maiestatem & reuerentiam Sacramenta exigunt, quæ faciliùs eis comparatur, dum non vulgari omnibus lingua, sed eruditioribus tantùm nota celebrantur.

Ob eandem causam in Sacramētorum ministerio, non vulgari domo, sed Templo Deo consecrato, vestibus atque vasis sacris vtimur. Ordinaria enim, quotidiana consuetudine facilè citòque vilescunt.

Accedit, quòd hac ratione caueatur immutationis aut depravationis verborum formæ Sacramenti periculum, quod euitari difficulter poterit, si diuersis linguis nationes singulæ quantumuis barbaræ in officij diuini celebratione vtantur.

Depraua-ri tut facilè sacramentorū formæ, si vulgari lingua efferentur.

Postremò si lingua vulgari Sacramenta vbique ministrentur, lingua

Latina & Græca non discentur, atque ita Patres, qui in eis linguis scripserunt, nec legi, nec intelligi poterunt, ac proindè nec scripturæ, vndè summa rerum diuinarum ignorantia, barbariesque inuehetur.

CAP. XXXVI.

De Sacramentorum numero.

Septem esse nouæ legis Sacramenta, omnia à IESV CHRISTO instituta, nec plura esse, vel pauciora, quàm septem, videlicet *Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium*, ex Scripturis & Patrum traditione definit Concil. Trident. sess. 7. Cant. 1. Qui septenarius Sacramentorum numerus licet ab instituentis voluntate potissimùm dependeat, attamen fide suppositâ rectè ostendimus, eum numerum conuenientissimum esse, tam ex analogia corporalis & spiritualis vitæ, quàm ex numero peccatorum, & vulnerum. Quemadmodum enim homini ad vitam naturalem priuatim & publicè traducendam septem necessaria sunt, vt scilicet in lucem edatur, incrementum accipiat & robur, cibo alatur, & si morbo laboret, opus est remedio, quo sanetur; ac vt perfectè conualescat, opus est imbecillitatem virium ægritudine contractam refici, morbique reliquias tolli. Ex parte autem Reipublicæ necessarius est Magistratus, cuius authoritate regatur; ac postremò necessarij sunt parentes, qui legitima prolis generatione humanum genus conseruent ac propagent.

Septem sacramenta à Christo immediatè instituta.

Congruentia septenarij numeri sacramentorum.

Ad eundem modum in vita spirituali generatio fit per Baptismum, Confirmatione in gratia roboramur, Eucharistia nutrimur, Pœnitentiâ, vulnera & morbi relapsorum post baptismum sanantur: Extrema vnctione peccati reliquiæ tolluntur: Ordine Sacramentorum ministeria, sacræque aliæ functiones in Ecclesia exercentur: denique Matrimonio ex legitima maris & fœminæ coniunctione filij ad Dei cultum, humanique generis obseruationem procreantur, & religiosè educantur.

Similiter contra peccatum Originis Baptismus præstat regenerationem: contra peccatum actuale, Pœnitentia remedium confert. Peccata venialia, mortiferorúmque reliquias extrema Vnctio tollit: contra infirmitatem, ne ex ea peccemus, Confirmatio adiuuat: ne affectus malitia vincatur, Eucharistia præstat: ignorantiam Ordo depellit: Concupiscentiæ impetum cohibet Matrimonium.

Præterea septem Sacramenta hominum animos ad septem virtutum genera disponunt. Baptismus enim illuminans, est Sacramentum fidei, Confirmatio Spei, Eucharistia Charitatis: Pœnitentia iustitiæ: Extrema vnctio perseuerantiæ ac fortitudinis: Ordo prudentiæ: Matrimonium temperantiæ.

Accommodantur insuper septem Sacramenta generibus septem hominum. Baptismus, est vitam intrantium: Confirmatio, pugnantium: Eucharistia, vires reficientium: Pœnitentia, de lapsu surgentium: Extrema Vnctio, emigrantium ex hac vita: Ordo, ministrantium: Matrimonium, nouos milites introducentium, qui aliorum defunctorũ vices suppleãt. Iob. vltim. Exod. 29. Leui 4 8. 23. Numer. 19. Deut. 15. 2. Paral. 29.

Postremò in expiatione peccatorũ septenarij numeri celebris vsus fuit. Nam septem animalia offeruntur, vel septem diebus, aut septies aspar-

gitur sanguis: septies lauari iubetur. Naaman Syrus, vt à lepra curetur, 4. Regum 5. Congruum itaque fuit, vt Spiritus sanctus contra peccata septem quoque spiritualia institueret antidota. De quibus ordine disseremus, postquam ostenderimus, non omnia paris esse dignitatis, vt monet Concil. Triden. sess. 7. capite 3.

CAP. XXXVII.

Quòd omnia Sacramenta non sint paris dignitatis.

Sacramenta omnia non sunt paris dignitatis.

QVamuis omnia Sacramenta diuinam in se virtutem contineant, gratiamque non ponentibus obicem conferant, non tamen omnia eundem effectum, nec parem necessitatem vel præstantiam habent. BAPTISMVS enim reaut voto susceptus, vnicuique necessarius est: ORDO toti Ecclesiæ: POENITENTIA relapsis in peccata mortalia post baptismum. Reliqua sacramenta pro conditione personarum & temporum suam necessitatem habent. Quamuis enim Sacramẽtorum effectus consistere simul queant, propter diuersa tamen hominum officia non ita commodè actus quorumdam Sacramentorum cum actibus aliorum exercerentur. HINC veros coniuges, sed continentes ordinat Ecclesia.

Quanquam ergo singula sacramenta peculiarem aliquam dignitatem obtineant, inter omnia tamen EVCHARISTIA sanctitate, mysteriorum multitudine ac magnitudine, adiunctique sacrificij religione multùm præcellit, cùm non solùm vim operatiuam vt reliqua, sed ipsum etiam Christum illius virtutis authorem corporaliter contineat, atque finis & perfectio reliquorum Sacramentorum existat, vt Dionysius Areopa. tradit li. *de Eccles. Hier.* cap. 6. parte 2. & 3.

In quinque sacramẽtorum enumeratione non ordo dignitatis, sed temporis seruatur.

Quare Concil Triden. & passim in enumeratione Sacramentorum Doctores, non ordinem dignitatis, sed naturæ & temporis in quinque primis seruant: in duobus verò postremis, quæ non vnicuique, sed ipsi Ecclesiæ necessaria sunt, ORDO dignitatis retinetur. Per ORDINEM enim generantur filij spiritualiter: per MATRIMONIVM autem corporaliter. Vndè Apostolus inquit: *In Christo vos genuit.*

Doctrinæ sacramentorum scopus.

CAP. XXXVIII.

De Sacramentorum vsu.

Doctrinæ Sacramentorum scopus.

DOctrinæ Sacramentorum primarius scopus sit, vt fideles intellectâ Sacramentorum vi & præstantiâ, & quòd ad omnium communem vtilitatem proposita sint, iis piè ac religiosè vtantur, credentes, in eorum administratione Spiritus sancti numen ad operãdum gratiam & salutem præsens adesse, per eademque immensas passionis Christi opes dispensare, necnon eorum frequenti vsu totius Ecclesiæ compagem fulcire, atque conseruare.

CAP. XXXIX.

De Baptismi nomine, definitione, ac materiâ.

POst doctrinam de Sacramentis in genere traditam, ab Baptismi, singulorumque deindè sacramentorum expositionem ordinatissimâ methodo Catechismus pertranſit,

pertranſit, ac propoſita initiò vtilitate de Baptiſmo doctrinæ, nominis Baptiſmi notionem tradit.

Quid baptiſmi vox denotet.

Baptiſmi vox omne ablutionis genus ſua generali ſignificatione comprehendit, quin & ad paſſionem denotandam tranſlata reperitur. Sed recepto Eccleſiaſticorum ſcriptorũ vſu, accommodata iſta vox eſt ad ſignificandum ablutionem ſacramentalem, quæ præſcripta verborum forma miniſtratur. Qua ſignificatione Chriſtus & Apoſtoli paſſim vſi leguntur.

Iudith. 12. Mar. 7.

Mar. 16. Matth. 28. Rom. 6. Coloſſ. 2. 1. Petr. 3.

Eandem ſacramentalem ablutionem Patres variis nominibus expreſſerunt. Quidam *illuminationem*, alij *donum*, *gratiam*, *ſigillum*, *myſterium*, *expurgationẽ*, *captiuitatis liberationem*, *peccati mortem*, *animæ regenerationem*, *veſtimentum cãdidum*, *ſignaculum ſanctum*, *currum ad cælũ*, *delicias Paradiſi*, *regni cæleſtis conciliationem*, *adoptionis chariſma*, *myſticam ablutionem*, diuerſiſque aliis modis vocant. Apoſtolus ad Hebr. 6. & 10. Dionyſius Areop. lib. *de Eccleſ. Hier.* c. 2. & Græci ſcriptores *illuminationem* appellant, quia in eo fidei habitus, quo cor hominis illuminatur, infunditur. *Fide* enim *purifica corda Deus.* Aug. epi. 23. *Sacramentum fidei* nuncupat, quia fidei profeſſio ſit, quam ſuſcipientes baptiſmum facere conſueuerunt, indéque fideles cenſentur. Nam Baptiſmi ſacramẽtum ianua eſt, per quam in chriſtianæ vitæ ſocietatem homines ingrediuntur, diuiniſque præceptis tanquam filij obedire incipiunt. Vndè à Dionyſio (lib. *Eccleſ. Hier.* c. 2.) *Principium ſanctiſſimorum mandatorum* dicitur.

Clemens lib. 1. pædagog. c. 6. Cyrill. in procateche ſi catecheſ. con. Nazianzenus in oratio. de Baptiſmo. Chryſ. ho. ad baptizatos. Damaſc. li. 4. cap. 26. Actor. 15. Leo ſer. 4. & 5. de nat. Domini.

Definitio baptiſmi.

Inter varias autem Baptiſmi deſcriptiones, quæ à ſcriptoribus ſacris aſſignantur, aptiſſima eſt hæc, quam Catechiſmus Romanus ex cap. 3. Ioannis & 5. ad Epheſ. colligit: *Baptiſmus eſt ſacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ:* id eſt, eſt ſignum externũ, per aquæ ablutionem, factam ſub certa verborum forma, ſanctificans. Baptiſmus enim in vſu aquæ, hoc eſt, in tinctione, lotione, ſeu aſperſione vel immerſione conſiſtit. Nam *verbum accedit ad elementum, & fit ſacramentum:* iuxta B. Auguſt. tract. 15. & 80. in Ioan.

Aqua naturalis eſt baptiſmi materia.

Hinc Apoſtolus ad Epheſ. 5. vocat *Lauacrum in verbo vitæ*; quoniam eſt tinctio in aqua, verbo vitæ ſanctificata. Vnde conſtat, Baptiſmi materiam eſſe aquam naturalem, ſiue maris, ſiue fluminis, ſiue fontis, ſiue paludis, ſiue pluuialis, ſiue alia, modò ſine aliqua adiectione, ſimpliciter aqua dici poſsit. Nam de tali loquens Dominus Ioan. 3. ait: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua.* Et 1. Ioan. 3. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis.* Ideo Philippus Actor. 8. in obuia ſimplici aqua Eunuchum baptizauit.

Vndè quæſtiones de aquis diſtillatis, de humoribus mixtis, de niue, glaciæ, lixiuio, ceruiſia, lacte, vino, conſimilibúſque facilè diſſoluuntur. Nam ſolùm diſcutiendum eſt, vtrùm humor, de quo ambigitur, naturalis aquæ nomen obtineat? Iuxta definitionem concilij Tridentini: *Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate baptiſmi, atque ideò verba illa: Niſi quis fuerit renatus ex aqua & Spiritu ſancto, ad metaphoram aliquam detorſerit, anathema ſit.* Vbi aduertendum, non omnem ſpiritualem intelligẽtiam excludi, ſed eam, quæ ſic ad metaphoram verba Chriſti detorquet, vt literalẽ ſenſum euertat; quo ſaluo myſticum tradit Baſilius lib. *de Spiritu ſancto*, cap. 15.

Seſſ. 7. can. 2. de baptiſmo.

Variis porrò figuris Baptiſmi ma-

teria fuit adumbrata. I. Aquis, super quas Spiritus Domini ferebatur, Gen. 1. II. Aquis diluuij, iuxta Petr. 1. epist. cap. 3. III. Aquis rubri maris, 1. Cor. 10. IV. Ablutione Naaman Syri, 4. Reg. 5. V. Aqua Probaticæ piscinæ, Ioan. 5. & aqua Siloë, Ioan. 9.

Eandem Baptismi materiam prædixerunt aquam fore Prophetæ. Ezechiel cap. 36. *Effundam super vos aquam mundam.* Mich. 7. cap. *Proyciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Zacharias cap. 13. *Erit fons præparatus in ablutionem peccatoris.*

Aquam verò potiùs quàm alium humorem elegit Deus in baptismi materiam, quia hominis regenerationem & interiorem à peccati labe purgationem aptissimè repræsentat. Nam vis generandi & abluendi, aquæ competit; vt ex seminibus plantarum & animantium (quæ humida sunt) apparet.

Deinde Aquæ proprietates effectus Baptismi aptissimè designant. Nam quia sua humiditate abluit, congruentissimè interiorum animi purgationem signat: & quoniam sua frigiditate caloris æstum temperat, aptissimè mitigationem ardoris concupiscentię indicat: & quę sua transparentia luminis est susceptiua, optimè illuminationis sacramentum adumbrat.

Præterea conuenientissimè Aqua mortis & resurrectionis Christi mysteria, nostræq; iustificationis (in qua vitiis morimur, & ad iustitiæ vitam resurgimus) repræsentat. In aqua enim veluti quodam sepulchro nobis mergentibus capita, vetus homo sepelitur; & emergendo, nouus homo resurgit.

Postremo, decuit Sacramenti Baptismi omnibus necessarij materiam in aqua, quæ vbiq; facilè haberi potest, constitui; non autem in vino, aut liquore alio, qui non sit passim obuius, ne à Deo pauperes despecti fuisse putarentur. Tunc autem Aqua in Baptismi materiam à Christo deputata est, quando eam contactu suæ mundissimæ carnis sanctificauit, eiq; vim regenerandi dedit, vt veteres plerique tradunt. Augustinus ser. 29. & 30. *de Temp.* Maximus serm. *de Epiphan.* Tertull. lib. cont. Iud. Nazianz. oratione in sancta lumina.

Et quamuis in omni naturali aqua certum sit, baptismum confici posse; attamen ex Apostolica traditione ad celebrandum cum solennibus ceremoniis Baptismum, vsu receptum est, vt aqua priùs sacris inuocationibus cõsecretur, eique Chrisma permisceatur, cùm ad luculentiùs Baptismi effectum repræsentãdum: tum maioris reuerentiæ conciliandæ gratiâ, ne homines vulgarem quandã esse ablutionem arbitrarentur, si absque solẽnitate fieret. Ambr. lib. 2. in Luc. c. 12. Beda li. 1. in Luc. cap. 10.

Cuius aquæ consecrationis meminit Dionysius Areop. lib. *de Eccles. Hier.* c. 2. Cyprian. lib. 1. epist. vlt. Ambros. lib. 1. de Sacram. cap. 5. Basil. lib. *de Spiritu sancto*, cap. 27. August. lib. 6. cont. Iul. c. 8. tract. 118. in Ioan. & alij Doctores. Atque consecratio.

CAP. XL.

De Baptismi formâ.

EX cap. 18. Matthæi, adiuncta Ecclesiæ publica obseruatione, perpetuóque vsu discimus, perfectam baptismi formam esse hanc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Vbi licet vox Ego, non sit de formæ essentia, quia ministri persona satis exprimitur in verbo BAPTIZO; attamen omitti non debet, quia præscribitur ab Ecclesia, enunciari oportet- Baptismi forma.

re, vt ministri actio exprimatur, quam Græci in tertia persona exprimentes dicunt: *Baptizatur N. seruus Christi.*

Conc. Florent in instruct. Arm. Alexander. 3. Extra de baptismo & eius effectu cap. Si quis puerũ. Conc. Later. cap. 4. Inuocatio expressa Patris & Filij & Spiritus sancti ad baptismum necessaria.

Pronomine, *Te*, persona exprimitur, à baptizante diuersa. Nam seipsum nemo baptizare potest; vt Innocentius tradit *de baptismo & eius effectu*, cap. *Debitum.*

Dicendo autem *In nomine*; vnam Trinitatis naturam, potestatem, atque authoritatem esse significamus: de qua Mar. vlt. *In nomine meo demonia eycient*, Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei.* Vt enim trium personarum vna est Diuinitas, ita & vnum nomen. Ambro. li. 2. *de Sacram.* cap. 7. Hieron. in cap. 4. ad Ephesios: *Nomen Trinitatis vna Diuinitas est*: de quo Deut. 28. *Nomen eius timebis.*

Distincta verò trium personarum nomina, principalem effectus baptismi causam efficientem declarant, esse Trinitatem, de qua expressam fidem baptizandus habere debet. Ideoque ratus non est baptismus, si aliquod ex trium personarum nominibus omittatur; vt definiuit Pelagius Papa can. *Si reuera.* Et Zacharias, can. *In Synodo*, de consecratione dist. 4. Item can. 49. *Apostolorum.* Dionysius Areopag. lib. *de Eccles. Hier.* cap. 2. Origenes in 6. cap. ad Rom. Iustinus Apol. 2. *In nomine Patris omnium, Dominique Dei & seruatoris nostri Iesu Christi, & Spiritus sancti aqua eiunguntur.* Leo epi. 4. cap. 3. dicit, Christum Matt. 28. Baptismi formam tradidisse. Gregor. lib. 9. epi. 61. & passim Scholastici Doctores in 4. senten. dist. 3. docent, Baptismum in nomine Christi, sine aliarum personarum expressione irritum esse. Diuus autem Thom. in 3. p. q. 66. art. 6. motus dicto Lucæ, Actor. 2. 8. 10. & 19. quòd Apostoli baptizauerint *in nomine* IESV, opinatur, initio nascentis Ecclesiæ, dispensatione speciali reuelatâ Spiritus sancti afflatu; Apostolos ad tempus in nomine IESV Christi baptizasse, vt nomen Christi Iudæis odiosum amabilius redderent. Quam sententiam habuisse quoque videtur Ambros. lib. 1. *de Spiritu sancto* cap. 3. & Beda in 10. cap. Act. atque Nicolaus de Consecr. dist. 4. cap. *A quodam Iudæo.*

An baptismus in nomine Iesu collatus aliquando fuerit?

Alij verò doctores sentiunt, nunquam Apostolos aliter baptizasse, quam *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; quia Can. 49. *Apostolorum*, damnantur aliter baptizantes. Nec scriptura, vel Concilia dispensationis meminere: quin Paulus Acto. 19. apertè significat, in Baptismo Christi expressè inuocatum fuisse Spiritum sanctum.

Lucas verò dicens, Apostolos baptizasse *in nomine* IESV, solùm insinuare voluit, Apostolos non baptismum à Ioanne Baptista, sed à Christo institutum ministrasse, idque in consueta forma, quæ distincta trium personarum nomina continet. Nam & Paulus Rom. 6. ait: *In Christi morte baptizati estis.* Et ad Gala. 3. *Quicunque in Christo baptizati estis*, id est, baptismo à Christo instituto; obseruata tamen præscripta forma, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Quod insinuant Doctores, admonentes, vna persona nominata omnes intelligi, quoad scilicet verba Lucæ in Actis, non quoad formam baptismi, quæ non intelligibilem, sed sensibilem materiam & formam requirit. Sic August. lib. 3. *cont. Maxim.* ca. 17. Quidam non nominatis Patre & Spiritu iussi sunt à Petro baptizari, & tamen non intelliguntur baptizati, nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et lib. *de Fide &*

vbi conditionem ad cautelam debere apponi censuit: *Si non es baptizatus, ego te baptizo.* Et hoc non passim, sed in illis tantùm fieri permittit, de quibus re diligenter examinata dubium relinquitur, an verè baptizati sint. Non enim hic ministro tanta libertas concessa est, vt omnibus ad baptismum necessariis adhibitis, ex sola ministri voluntate sit, vel non sit sacramentum, vt docet August. lib. 7. *contra Donatist.* cap. 53. qui mimicè inter infideles baptizatum, non facilè iteratò baptizari voluit: & Leo decernit, diu esse indagandum, an aliquis sit, qui nescientis ignorantiam adiuuare possit.

An per interpositionem conditionis sine probabili dubio rebaptizare liceat?

Quare licet alexandri constitutio cautionis speciem habere videatur, non ei tamen ita insistendum est, quasi per interpositionem conditionis omni irreuerentiæ & reiterationis metu sublato, leuiter apposita conditione baptismum repetere liceat. Id enim tunc solùm fieri posse arbitramur, quando probabilis facti dubitatio subest, quę tunc demum sufficiens censeri debet, quando post sedulam indaginem suspensus remanet animus, vtrùm quis baptizatus sit, annon. Vndè homines adultos, inter fideles educatos, ob nullum scrupulum rebaptizare licet, donec euidenter contrarium appareat, vt docet Innocentius de presbytero non baptizato: cap. *Veniens*, & cap. *Apostolicam*, & 1. q. 1. ca. *Spiritus sanctus.*

Vndè nec temere paruuli ab obstetricibus in forma Ecclesiæ baptizati, vel sub conditione iterum baptizandi sunt. Nam sicut inter obstetrices quędam perturbatione vel imperitia in verbis formæ hallucinari possunt; ita & multi pastores imperiti, de quorum tamen baptismo absque euidenti causa dubitare quis audeat? Nisi enim re diligenter perquisita dubium relinquatur, vtrum baptismus ritè susceptus sit, numquam fas est, baptismum alicui iterum administrare; imò qui aliud facit, periculum sacrilegij atque irregularitatis incurrit; vt expressis verbis docet Catechismus Romanus parte 2. cap. 2. Num. 43. & Soto in 4. dist. 3. art. 9. Quò & pertinet, quòd Romana Ecclesia rebaptizationi hæreticorum se tam acriter constantérque opposuerit, vt solos in diuersa baptismi forma tinctos, rebaptizari passa sit, etiamsi an verè aliqui baptizati essent, sæpe meritò dubitari potuerit.

De consec. d. 4. c. Eos quos & ca. 1. Quiuis.

CAP. XLII.

De Baptismi institutione & Ministro.

BAptismus à Christo institutus est, quando à Ioanne baptizari dignatus est. Tũc enim aquam Dominus ad baptismi salutarem vsum consecrauit, vt Nazianzenus, Augustinus, & alij Doctores docent, in argumentum adducentes, quòd tunc sanctissima Trinitas; (in cuius nomine baptismus conficitur,) præsens suum numen declarauerit. Licet verò ante passionem baptismus fuerit, à passione tamen Christi vim efficientiãque duxit. Et quamquam in vsu ante passionem baptismus extiterit, non tamen ante Domini resurrectionem lex baptismi homines obligauit, sed tum demũ, quando legem baptismi Dominus promulgauit. Matth. 28. præcipiens Apostolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Ad quod tempus verba Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* referenda sunt.

Greg. Nazian. oratione in natiu. Saluat.

Aug. serm. 29. 36. & 37 de temp.

Lex baptismi post resurrectionem lata.

Baptismi ministri ordinarij sacerdotes, Matth. 28.

Ministros autem baptismi ordinarios Dominus episcopos & sacerdotes constituit: iis enim in Apostolis dixit: *Euntes baptizate*; quamuis Episcopi hoc munus, ne docendi curam omitterent, sacerdotibus relinquere soleāt. Quibus cùm Dominus potestatem consecrandi Eucharistiam dederit (quæ est vnitatis sacramentum,) congruentissimè eisdem commisit, vt iure quodam suo illa omnia ministrarent, per quæ homines illius vnitatis participes fiunt. Ad maiorem nihilominus Sacramenti Baptismi venerationem, olim sine Episcopi venia Presbyter certis anni diebus cum solenni ceremonia baptizare non consueuerat. Diaconis verò absque episcopi aut presbyteri licentia nunquam baptizare licuit. In necessitatis autem articulo omni homini, tam mari, quàm feminæ, imò etiam hæreticis, Iudæis atque infidelibus baptizare permissum est, modo id facere intendant, quod facit Ecclesia, vt à Conciliis definitum est. Cùm enim hoc sacramētum necessariò ab omnibus suscipi debeat, neminem ab eius administratione secludi bonitas Dei voluit.

Leo epist. 88. dist. 49. cap. Diaconi.

De consec. dist. 4. ca. à quodam.

Cōc. Trid. sess. 7. can. 4. de Baptismo.

Seruari tamen hunc ordinē decet, vt mulier præsente viro, laicus præsente clerico, clericus presente presbytero baptizandi munus non vsurpet; quanquam obstetrices, quæ baptizandi vsum habent, interdum præsente viro, conficiendi sacramenti minimè perito, laudabiliter baptizare possint.

De Patrinis.

Præter ministros baptismū conficientes, vetusta Ecclesiæ consuetudine adhiberi solent Patrini, qui *Susceptores, Sponsores, seu Fideiussores* vocātur, quia munus eis incumbit, recenter in Christo natum, in fide, ac religionis Christianæ præceptis instituendi, dum præsertim ob publicam Parochiæ causam minùs integrum est Pastori, priuatam puerorum causam suscipere; vt docet Dionysius Areop. lib. *de Eccles. hier.* c. 3. p. 3. Et August. serm. 163. *de Temp.* vbi ait, patrinos se apud Deum constituisse sponsores, pædagogos, custodes, ac eruditores spiritualium filiorū; quos debeant admonere, vt castitatē custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant, & ante omnia Symbolum, & Orationem Dominicam, Decalogum, & prima Christianæ religionis rudimenta perdiscant.

Religiosos suscipere de sacro fonte infantes decet.

Vndè satis intelligitur, ad susceptoris officium eos non esse admittendos, qui sibi cōmissorum puerorum curam gerere nolint, aut non possint: quales sunt Religiosi claustris septi, hæretici, Iudæi, & infideles, qui fidei veritatem mendaciis obfuscare, Christianámque pietatem euertere pertentant. Ab hac curatione parentes etiam naturales arcentur, vt magis eluceat, quantum spiritualis educatio à carnali distet: & quoniam Ecclesia dilatari hac ratione amicitias voluit, constituendo, vt baptizans cum baptizator, & susceptor cum eo quem suscipit, & cum eius naturalibus parentibus affinitate deuinciatur, ita vt inter hos omnes nuptiarum fœdera iniri nequeant, atque inita dirimantur.

Parentes naturales à suscipiendo arcendi.

Ne autem huiusmodi spiritualis cognatio ninium dilataretur, prudenter Concilium Tridentinū patrinorum numerum contraxit ad vnum tantùm, siue vir, siue mulier esset; vel summum vnum, & vnam: quorum nomina in libro describi à Parocho iubet, addens: *Quod si alij, vltra designatos baptizatum tetigerint, spiritualem cognationem non contrahere.* PRÆTEREA segniùs curantur, quæ multis committuntur. Disciplinæ insuper ac

Cōc. Trid. sess. 24. cap. 2. reform.

institutionis ordo à magistrorum multitudine perturbari solet.

CAP. XXXIII.

De necessitate Baptismi.

Necessitas baptismi.

EX quo tempore Baptismus à Christo institutus fuit, ijs qui baptizati fuerunt, ad renascentiam profuit, vt ex cap. 3. & 4. Ioan. constat: sed vim præcepti lex Euangelica non nisi post solennem promulgationem in die Pentecostes factam obtinuit. Post Euangelium autem promulgatum nemo ex statu corruptæ naturæ in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, sine lauacro regenerationis, aut eius voto transferri potuit. Vndè tam præcepti quam medij necessitate ab vnoquoque susceipi debuit. Tunc enim locum habuit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; vt August. Fulgent. Bernard. S. Thom. & alij docent.

Cõc. Ttid. sess. 6. ca. 4. Aug. epist. Fulgent. li. de fide ad Petr cap. 3. Bernard. epist. 77. S. Thom. 2. p. q. 90. art. 4. docet, promulgationem legis esse de essentia. Tho. Vvalden. tom. 2. cap. 96.

Sectarij verò baptismi necessitatem non vna ratione sustulerunt. Pellagiani quidem olim baptismũ, non ad remissionem originalis peccati, sed tantùm ad assequutionem regni cælorum esse necessarium dixerunt: nostri autem temporis hæretici, Vvicleffum sequuti, omnino necessarium inficiantur. Zuinglius, quia opinatur, sacramenta tantùm esse externa Fidei symbola! Bucerus verò, quoniam puetos omnes prædestinatos saluari, reprobos autem damnari arbitratur, siue baptizentur, siue non: Caluinus demum, quia ex vi fœderis cum Abraham initi, Gen. 17. *Ero Deus tuus, & seminis tui*, fidelium liberis arbitratur peccatum Originis non imputari: quod Apostolum insinuasse putat 1. Cor. 7. dum ait: *Alioqui filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.*

Sed apertè contrarium docet Apostolus ad Rom. 8. dicens, Esau sanctissimi patris Isaac filium odio habitum, antequam aliquid boni aut mali fecisset, & cap. 9. *Non filij carnis, sed promissionis æstimantur in semine.* Et ad Ephes. 2. *Eramus natura filij iræ.* Et Dauid se in peccatis conceptum asserit. Apostolus verò tam de Sanctorum quàm impiorum filiis loquens Roman. 5. *in quo*, ait, *omnes peccauerunt.* Et 1. Cor. 15. *Omnes mortui sunt.* Psal. 50.

PVGNAT verò etiam hæc doctrina ex diametro cum Christi dicto: Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.* Quæ verba non sonant præceptum (cuius paruuli non sunt capaces) sed medium necessarium, vt Augustinus ostendit li. 1. *de Peccat. merit.* c. 30. Et euincit subiuncta ratio: *Quod natum est ex carne, caro est.* Item; *Oportet vos nasci denuo.* Vbi Dominus insinuat, homines nasci peccatores, seruósque peccati, ac proinde contra hæc mala opus esse remedio, quod Baptismum fore noui testamenti tempore, affirmat; idque in figura æneiserpentis olim adumbratum fuisse docet. Vt enim contra serpentium morsum, vnicum erat remedium, aspectus æneiserpentis: ita per fidem ac baptismum à se instituendum renasci, vnicum deinceps contra peccatum & mortem æternam remedium fore dicit. Verba enim illa: *Nisi quis renatus, &c.* similia sunt his: *Nisi comedas, non viues.* Quæ non tam præceptum, quàm remedium necessarium significant.

Vndè semper credidit Ecclesia, infantes absque baptismo perire; vt in Concil. Carthag. Mileuitano, & Aug. epist. 90. & 92.

Trident. Sess. 6. c. 3. & sess. 7. can. 5. definitum est: *Si quis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutē. anathema sit.* Quam baptismi necessitatem adumbrauit necessitas Circumcisionis, vt monet August. lib. 3. *cont. Iulian.* cap. 18. *Quid* (inquit) *de Isaac dices, qui præputij sui pœna feriretur, nisi octauo die circumcideretur?* De Apostolorum baptismo vide Tertullianum lib. *de Baptismo.* August. lib. 3. *de Orig. animæ* c. 4. & epist 108.

Apostoli baptismo Christi baptizati sūt.

CAP. XLIV.

Qua iustitia pereant paruuli non baptizati?

Licet paruuli, qui absque baptismo moriuntur, absque sua culpa non baptizentur; attamen propter originis peccatum, à primo parente contractum, iustissimè damnantur, à quo non nisi baptismi lauacro emundari possunt. Ideóque iustissima ratione in Ecclesia cum paruulis periclitantibus ad baptismum festinatur & curritur, quia nullum aliud eis salutis remedium datum esse constat, vt habet Aug. epist. 28. & 20. vbi ait, eos, qui asserunt, paruulos sine Baptismo ad vitam peruenire, totam condemnare Ecclesiam.

Paruuli absque baptismo morientes cōdemnantur.

Cur vero tot paruulos Deus absque baptismo perire sinat, ad ipsius occulta iudicia pertinet; quæ tamen esse iustissima, dubitare non licet. August. lib. 2. *de Bono perse.* cap. 12. lib. 1. *de Peccat. merit.* cap. 21. lib. 16. *de Ciuit.* c. 27. Prosper lib. 2. *de Vocent.* c. 8. Fulgent. lib. *de Fide ad Petrum*, c. 27. Leo epist. 71. Quare non sine temeritate nonnulli paruulis vitam sine baptismo promittunt, cùm de hominum salute secundùm Euangelij doctrinam, non autem secundùm humanam præsumptionem loquendum sit. August. lib. 1. *de Peccat. merit.* cap. 23.

Lib. 3. de orig. animæ cap. 9.

Vtrum autem aliquid baptismum in paruulis supplere possit, si discutiatur, ex scripturis discimus, speciali priuilegio Deum posse aliquem in vtero matris constitutum sanctificare, vt de Ieremia, Ioan. Baptista legimus, & de B. Virgine Maria piè sentimus. Similiter Baptismum supplet Martyrium, cuius capaces esse etiam infantes, cōprobat Festū Innocentium. Beati enim dicuntur, qui propter iustitiam patiuntur. Martyrij autem capaces esse paruulos, docet Augustinus lib. *de Libero Arbit.* & D. Bernard. epist. 240. & serm. 83. in *Cantica.*

CAP. XLV.

Vtrum infantes rectè baptizentur.

Infantes baptizādi.

Vetus hæresis exstitit Hieracis cuiusdam, tradentis, paruulos, quia nulla in eis virtutum certamina essent, non posse saluari aut coronari, teste Epiphanio hæresi 77. & August. hæresi 47. Eundem renouarunt errorem Henricus & Petrus Bruys, contra quos scribit Bernardus epist. 240. & serm. 66. *in Cantica.* Hos sequuti Anabaptistæ, nullos esse baptizandos docent, nisi credentes, & baptismum per seipsos flagitantes. Cui errori non parum Erasmus fauisse videtur, *in præfatione paraphrasis*, monens, infantes cùm adoleuerint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod in baptismo promiserunt: & si nolint, eos esse liberos dimittendos. Qualia etiam sensit Ludouicus Viues in Annot. in cap. 27. lib. 1. *de Ciuit. Dei.* SED legem

Anabaptistæ confutantur. Ioan. 3.

Baptismi

Baptismi à Ioanne descriptam: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* tam infantibus quàm adultis esse communem, non solùm Apostolica traditio, perpetuúsque Ecclesiæ vsus conuincit, verùm etiam Scriptura sacra, Concilia, & Patres vniuersi summo consensu tradunt. Nam paruulos & infantes salutis, regnique cœlorum esse capaces, ac proindè baptismi & Martyrij Christus ostendit. Matth. 19. Mar. 10. Luc. 18. dicens: *Sinite paruulos ad me venire: talium enim est regnum cœlorum.* Addit Marcus, Dominum paruulos complexum esse, eísque benedixisse, significans, eos ad Ecclesiæ societatem, regnique cœlorum participationem admittendos esse. Quamuis enim Dominus in statura paruulorum humilitatem & innocentiam commendauerit, simul tamen ad literam paruulis & infantibus benedixit, qui ad Christum iuxta Lucam adferebantur. Vndè patet, non solùm grandiusculos pueros, qui per se venire poterant, admitti debuisse, sed etiam infantes, qui non nisi aliorum opera offerri Domino poterant dicenti, talium esse regnum cœlorum. Quemádmodum enim omnes corporaliter infirmos & laborantes ad se Dominus vocabat, & inter illos quidam per se veniebant, alij verò per alios adferebantur, & sanabantur: ita & inter spiritualiter laborantes, quibusdam propria fides, nonnullis aliena subueniebat. Luc. 5. Paralyticus aliena opera defertur. 3. Reg. cap. 17. & 4. Reg. 4. cap. ad præces Heliæ, & Helizæi à morte paruuli suscitantur. Regulus Christi gratiam impetrat non habenti fidem, Ioan. 4. Centurio Matth. 8. Pater lunatici, Matth. 17. Chananæa, Matth. 15. Marc. 7. vt in eum locum Beda notat. Si enim parentes sollicitos esse decet pro infantum corporali sanitate, quantò magis de animæ ipsorum sempiterna felicitate? Christo pro eis misericorditer inclamante: *Sinite paruulos ad me venire.* Clamat pro infantibus Sanguis Redemptoris: clamat fides Matris Ecclesiæ, quæ ipsos ad Christi lauacrum defert, inquit Bernardus. Denique si paruuli & infantes maiorum ope mare rubrum pertranſire, nec minùs quàm adulti ab Ægyptiis liberari potuerunt, (in quo baptismi typum fuisse docet Apostolus 1. Cor. 10.) cur similiter in fide parentum baptismi lauacro à seruitute diaboli & peccati in libertatem asseri non poterunt? AD HÆC Deo iubēte octauo die circumcisi sunt paruuli, & aliena fide saluari potuerunt: cur non similiter per baptismum, cuius typum circumcisio gestit? Paulo teste. Accedit, quòd infantes circumcisi ad Dei populum non minùs quàm adulti pertinuerint: cùm igitur gratia Christi nunc non sit contractior, non debent paruuli à Christi societate repelli. Sicuti enim infantes per Adæ peccatū noxam contraxerunt, ita & per Christum gratiam & iustitiam consequi poterunt, vt regnent in vitam. Quod quia sine baptismo fieri nequit, eosdem baptisari posse consequens est, prout Apostolos etiam baptizasse, vel indè suadetur, quòd integras familias baptizasse legantur, in quibus paruulos fuisse credendum est. Attestatur insuper Dionis. Areopa. ab Apostolis traditum esse, vt infantes baptizantur: quod conformiter docent veteres, ac luculenter August. dicens, Pelagianos non fuisse ausos negare paruulorum baptismum, ne cum tota nimis apertè pugnarent Ecclesia.

Ioan. 3.

Augu lib 1. confess. cap. 19.

Bernard in Cāt. ser. 66. & 83. Epist. 240.

Sicuti potuerūt circuncidi infantes, ita quoque baptizari.

Glos. 2.

Gen. 17. Iosue 5. Aug. lib. 4. cont. Donat. c. 24. Cypri. lib 3. epist. 8. Aug. ep. 57.

Act. 16. 18. 1. Cor. 1. Dionys. de Eccl. Hier. cap. vlt. Clemēs lib. 6. Apost. cōstit. c. 15. Iustin. q. 56. Iren. lib. 2. cap 39. Aug. li. 1. de peccat. merit. ca. 26. Cōc. Milecui. can. 2. Carthagin. 5. c. 6. Cōcil.

CAP. XLVI.

Anabaptistarum argumenta.

Gratund. ca. 5. Concil. 2. Bracar. c. 7. Cõc. Later. sub Innoc. 3 cap. 1. Conc. Viẽnen. Clementina 1. de summa Trinit. Tridẽt. sess. 7. can. 13 14.

SVperest, vt Anabaptistarum argumenta nullius esse momenti declaremus. PRIMVM est. Dominus Matth. 28. præcipit, vt Apostoli primùm doceant, & posteà baptizent. Mar. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit*: vbi fidem prærequirit. Iacob. 1. *Renati per verbũ Dei.* Actor. 8. *Si credis, licet.* Cùm igitur paruuli non credant, nec bonum aut malum sciant, à baptismo arcendi sunt. Respondeò, scripturam locis citatis de adultorum baptismo loqui. Nam ibi Dominus tradit ordinem, quem in conuersione adultorum Apostoli obseruare deberent, vt scilicet priùs dicendo instruerent, deindè baptizarent, ac posteà præter fidem & baptisma, legis obediẽtiam bonáque opera exigerent. Qui ordo seruandus quidem est in adultorum conuersione, quando nullum interuenit impedimẽtum, alioqui ordo mutari potest: putà, si in deserto, vbi nulla sit aqua, velit adultus conuerti, poterit instrui priùs de credendis & agendis, & posteà baptizari: sic infans econtra, propter rationis defectum, poterit priùs baptismo tingi, ne pereat, si ex hac vita sine vnico hoc remedio discedat, & posteà instrui. Æquum est enim, vt aliena opera purgari à labe peccati queant, qui aliena voluntate inici potuerunt: & vt fides aliena eis accommodata valeat ad regenerationem, quemadmodum Adæ voluntas ipsis obesse potuit ad condemnationem. *Lutherani* quidam paruulos actuali fide credere admittunt: sed experientia contrarium euincit, cùm in eis nullus sit rationis vsus, & sæpe ignorantes baptismo reluctentur: sed credere dicuntur, quia fidei habitum per baptismum infusum accipiunt. Non itaque fideles ab assensu fidei, sed ab effectu, & à Sacramento fidei suscepto dicuntur, vt obseruat August. epist. 23. Non enim ad interiorem Spiritus sancti renouationem, quam per habituum infusionem operatur, necessarius est aliquis voluntatis motus, cùm in dormiente fieri possit, August. teste lib. 4. Confess. c. 4. & epist. 57. vbi tradit, Deum inhabitare per gratiam infantes baptizatos, etiamsi nullum rationis actum habeant. Et lib. 1. *de Pecca. merit.* c. 9. occultissimam sui spiritus gratiam latenter etiam infundit paruulis. Quod Apostolus ad Rom. 5. confirmans: *Sicut*, ait, *per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obedientiam iusti constituentur multi*, in neutro etiam concurrente propriæ voluntatis actu. Supplet enim baptismi susceptio in paruulis, actualis fidei defectũ, sicut in adultis, in articulo necessitatis, Fides & votum supplent Sacramenti defectum. August. libr. 4. *cont. Donat.* c. 24. SECVNDVM argumentum: Christus anno xxx. baptizatus est à Ioanne.

Deut. 3.

Infantes actualem fidem non habent.

Paruuli fideles dicuntur non ab assensu, sed à fidei habitu.

Respondeo, nõ omnia quæ Christus fecit, à nobis eodem modo fieri posse aut debere: ille enim baptismo nõ indigebat, sed baptizari tamẽ à Ioanne voluit, quando suam prædicationem auspicari decreuerat, vt hominibus tunc per Ioannis etiam testimonium innotesceret, nec solùm per miracula. Cui accedit, quòd in infantia circumcidi se permiserit, in typum, quòd infantes baptizandi forent, ne in æternum perirent.

Cur à Ioãne Christus baptizari voluerit.

Tertium argumentum in consilio Tertulliani libr. *de Baptismo*, &

Christus in infantia circumcisus.

Nazian. serm. *de Baptismo* fundatur. Suadent enim illi, baptismum vsq; ad triennium differri, vt puer aliquousque instrui, & de fide respondere possit. Respondendum est, hos excepisse mortis periculum, quo vrgente infantes quocumque tempore baptizandos senserunt, quod Anabaptistæ nolunt. Cæterùm propter inopinatos casus hoc consilium aliis Patribus non placuit, quibus Ecclesia Catholica consentiens statim baptizandos esse paruulos semper docuit, atque vsu obseruauit, adeò vt Cyprian. lib. 3. epistol. 8. ex 60. Episcoporum sententia tradat, infantes etiam recenter natos esse baptizandos: nec exspectandum vsque ad 8. diem. Item docet Concil. Gerund. cap. 5. etiam ipso die quo nascuntur, posse baptizari.

Infantes etiã recenter nati, baptizãdi sũt.

Vtrum autem in vtero matris adhuc constitutus infans renasci baptismo possit, disputat Aug. epi. 57. & lib. 6. cont. Iul. cap. 5. vbi declarat, infantem non esse matris suæ partem, ideoq; cum ea sanctificari non posse, cùm sanctificationis gratia, non conceptione, sed regeneratione conferatur. Vndè sentit, regenerari non posse nondum natum. Cæterùm apparente corpusculi parte, sicut in partu Thamar accidit, an infans baptizari possit, ambigi potest. Resoluunt Doctores, extra necessitatis periculum, perfectam natiuitatem expectandam esse, imminente autem periculo, si caput infantis appareat, in quo sensus omnes vigent, baptizari tutò posse. Si verò alia pars, vt manus aut pes, apparuerit, præsente periculo, etiam baptizandum esse, cum ea tamen cautela, vt puer integrè natus, sub conditione baptizetur.

Infans nondum perfectè natus quando baptizari possit.

CAP. XLVII.

Vtrùm sicut infantes, ita & adulti mox sint ad Baptismum admittendi?

QVia dilatio Baptismi adultorum ratione vtentium, periculum, quod paruulis imminet, coniunctum non habet, cùm suscipiẽdi Baptismi propositum, & malè prius actæ vitæ pœnitentia ad gratiam iustitiámq; consequendam sufficere possit, si Baptismum excludat non contẽptus, sed necessitatis articulus: ideò diuersam esse rationem in adultis seruandam, vetus Ecclesiæ consuetudo docet. Nam quia possunt adulti contrariæ voluntatis obicem Baptismo ponere, ideò ne fictè ad Baptismum accederent, constituit Ecclesia, primùm eos catechizari, hoc est, de fide & morum doctrina institui, vt præparati, certis temporibus, videlicet pridie Paschæ & Pentecostes, cum solemnibus ceremoniis & precibus Baptismum publicè susciperent, adhibita tamen ea cautione, vt si vitæ periculum, aut iusta necessitas occurreret, quouis tempore Baptismum suscipere possent. Vndè Petrus Cornelium satis in fide instructum mox baptizauit, & Philippus Eunuchum.

Concil. Agathẽse. 25. Laodicense cap. 46.

Act. 8. Act. 10. Act. 8.

Legimus etiam, nonnullos vsque ad complures annos, vel etiam vitæ finem Baptismum distulisse, quia in peccata relabi posteà formidarent: à quibus Baptismi lauacro elui non amplius possent. Sed vanum hunc esse metum, ostendit Chrysõ. hom. 1. in Acta, eò quòd tunc ascribi militiæ velint, quando à bello recedendum est, & aduersentur Sapientis consilio: *Ne tardes cõuerti ad Dominum, & differas de die in diem,*

Rom 6. Hebr. 6. Basil. Oratione 13. exhortatoria ad Baptismum.

Nazianzenus, oratione in sanctũ lauac.

Eccles. 5. cùm perfecta conuersio in regeneratione consistat, quam Baptismi & aliorum quoque Sacramentorum vberrimi fructus consequuntur, non solùm prioris vitæ maculas eluentes, sed diuinâ insuper animos gratiâ exornantes, vt deinceps iustitiam innocentiámque tueri queant.

CAP. XLVIII.

De Baptizandi qualitate.

In adulto baptizando requisitat. Aug. lib. de pœnitentiæ medicina. cap. 2.

QVia nullus suæ voluntatis arbiter constitutus, nouam vitam inchoare potest, nisi eum prioris vitæ pœniteat, per Baptismi autem desiderium & susceptionem noua vita inchoëtur, & ad Christianæ disciplinæ normam homo obstringitur, Deus, *qui regit omnia suauiter*, adultis credentibus pœnitentibus, Baptismum suscipere volentibus ac intendentibus, tradi iussit. Ideóque in adulto baptizando requiritur propositum & intentio suscipiendi Baptismi, vt Sacramentum subsistat. Nam si quis inuitus, dissentiens, vi & coactione baptizetur, Sacramentum non suscipit, vt definit Innocent. III. cap. *Maiores*. Alioqui sequeretur, inuitum posse ad legis Euangelicæ obseruationem compelli.

Act. 2. & 3. 2. Petri. 3.

Fides & pœnitentia in adulto baptizãdo tanquã dispositiones exiguntur.

Fides autem & pœnitentia in baptizando exiguntur, tanquã dispositiones necessariæ, vt Babtismi fructum, gratiam, & salutem accipiat: si tamen absque his Baptismum suscipere quis intẽdat, & baptizetur, Sacramenti rationem consequitur, licet sine effectu gratiæ, vt patet infideè accedente, commodi temporalis spe, qui licet Baptismi fructum non tum percipiat, tamen baptizatus est, ac remoto gratiæ obice Baptismi effectus assequitur.

Aug. lib. 3. cont. Donat. ca. 14.

Quare merito semper in vsu fuisse animaduertimus, vt nullus baptizetur nisi priùs interrogatus, *an baptizari velit?* Quod etiam in pueris obseruatur, quibus nec hanc omnino voluntatem deesse putandum est, cùm Ecclesiæ voluntas pro eis spondeat, illósque ad Baptismum suscipiendum offerat.

Amentes verò & furiosi, qui aliquãdo mentis cõpotes fuêre, si eius voluntatis aliquam priùs significationem dederint, vitæque discrimen immineat, baptizandi sunt: sin minùs, à Baptismi administratione abstinendum est.

Cõcil. Carthag 3. c. 34. vult. baptizari ægrotos, &c. Concil. Arau. III. c. IV. decernit, baptizari eos, qui obmutescunt, si volũtatis præteritę testimo. hab. Aug. lib. 4. cõt. Donat. cap. 20.

Idem de dormientibus esto iudicium. Quòd si autem nunquam vsum rationis habuerint, in fide Ecclesiæ non secus quàm pueri Baptizandi sunt.

Iustificatio est passio libera.

Cur autem in adulto propriæ voluntatis expressio magis quàm in paruulo requiratur, docet Augustinus. *Quia qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te.* Cuius dicti rationẽ exponit D. Thom. 3. p. qu. 68. ar. 7. ad 1. quia iustificatio, passio est, non coacta, sed voluntaria & libera. Baptismum enim suscipere, non minùs actus est humanus, quàm Baptismum dare: quoniam Baptismũ suscipiendo fidem confitemur, nouæ militiæ ascribimur, ad nouæ legis obseruationem nos obstringimus, ac vitæ priori renunciamus. Quare baptizando non sufficit fides sola, quasi baptismus retinenti obstinatum in peccatis animum possit dari, sufficiátque postea, Christianis moribus imbui, vt ex professo docet Augustinus libro de fide & operibus, & Chrysostom. homil. ad Antioch.

Baptizando nulla imponenda satisfactio.

Quamquam verò malæ antea peractæ vitę pœnitentia in baptizando requiratur, non tamen ei vlla pro peccatis satisfactio imponenda

greg lib.7. epist. 24.

est, quia Christi satisfactio ibi plenissimè applicatur. Nam per baptismum Christo inserimur, commorimur, consepelimur, veluti membra cum capite, cuius actiones, passiones, & satisfactio in totum corpus mysticum redundant. *Verè* siquidem *languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*, non secus, quàm dum pro homicidio manu commisso, caput satisfacit, quando resecatur, & homo vitam amittit.

Rom. 6. 2. Ioan. 2.

Isaiæ 53.

Rectè proinde Ambrosius in c. 11. ad Rom. ad illa verba: *Sine pœnitentia sunt dona et vocatio Dei*, scripsit: *Gratia Dei in Baptismo non requirit gemitum, neque planctum, neque opus aliud, satisfactorium scilicet.* Sufficit enim interior peccatorum detestatio, & externa Satanæ, pomparúmque ipsius abrenunciatio. Distincta namque singulorum criminum vocalis confessio, quæ post Baptismum sacerdoti fit, ad hoc ordinatur, vt Christi vice Iudex clauibus Ecclesiæ vtatur, pœnitentem absoluendo, vel ei satisfactionem iniungendo: quarum clauium vsus in eos esse nequit, qui extra Ecclesiam sunt. *Quid enim mihi est de ijs, qui foris sunt iudicare?* Baptizandis itaque præcepta olim ieiunia, non ad satisfactionem, sed ad præparationem, baptismíque venerationem pertinebant.

1. Cor. 5.

Fides & pœnitentia rationem habent dispositionis.

Quia verò fidem & pœnitentiam non meriti aut efficientis quidem causæ, sed dispositionis ad fructum Baptismi percipiendum necessariæ rationem habere diximus; de paruulis iterum QVÆSTIO emergit, *vtrùm in eis aliqua prænia dispositio actualis necessaria sit?*

Vtrùm paruuli actualem fidem habeant.

Lutherani, quia sola fide hominem iustificari sentiunt, etiam paruulis & infantibus actualem fidem tribuunt, aut saltem motus quosdam atque inclinationes ad credendum & diligendum Deum. Quorum figmentum scriptura reijcit, dicens: paruulos non cognoscere distantiam boni & mali. August. epist. 57. eos, qui paruulos intelligere asserunt, dicit iniuriam humanis sensibus facere. Gregor. Nazianzenus oratione *in sancta lumina*, infantes sine sensu sanctificationis sanctificari scribit.

Deut. 1. Ionæ vlt.

Varijs autem locis Augustinus paruulos fidei sensum non habere constanter affirmat. *Nam si* (ait) *intelligerent, cùm vocis eiulatu, et corporis motibus obstrepant Baptismo, rei fierent ingentis sacrilegij, nec abluerentur, sed magis sordidarentur:* Epist. 57.

Aug. epist. 23. tract. 80. in Ioan. Lib. 4. de Bapt. cont. Donat. c. 24. lib. 1. de peccat. merit. c. 20.

Quamuis autem paruuli nullum fidei proprium actum habeant, non tamen absq; fide iustificantur. Nam per Baptismum Fidei, Spei, atque Charitatis habitus eis infunduntur, vt Concilium Viennense definiuit, & habetur Clementina 1. *De summa Trinit. & fide Catholica.* Concil. Tridentinum sess. 5. *de peccata Originis* definit, infantes Baptismo iustificari. Et sess. 6. c. 7. docet, in Baptismo cum remissione peccatorũ infundi dona Fidei, Spei, & Charitatis, eáque menti inhærere. Aug. lib. 1. de peccat. merit. c. 26. asserit, paruulos in Baptismo non solùm purgari, verùm etiam illuminari. Fide autem corda illuminantur, & fideles dicũtur parmuli, non ab actu, sed ab habitu fidei & Sacramento, quo efficitur. Vnde in eis Deus per fidem & charitatem inhabitat, occultam sui Spiritus eis infundens gratiam. Et quemadmodum Innocentes non loquendo, sed moriendo Deum confessi sunt; ita & infantes fidem, non loquendo per se, sed Baptismum suscipiendo profitentur, & fidem, vitam æternam præ-

Tho. 3. p. q. 69. ar. 6.

Paruuli, fideles per Baptismũ efficiuntur.

Ephes. 3. Aug. epist. 57 lib. 1. de peccat. merit. c. 9. 27. epist. 21. Cõcil. Trident. sess 7. can. 13. & sess. 6. c. 7.

stantem, consequuntur. Quare non docent Catholici (vt falsò eis imponunt Sectarij) paruulos aliena fide formaliter iustificari, aut credere vel viuere, aut denique precibus offerentium fidem iustificantem eisdem impetrari: sed infantem docent, fidem iustificantem, ex opere operato (hoc est, ex Christi voluntate ac institutione) per Baptismum infusam accipere.

Cum autem dicunt, infantes in parentum fide baptizari, hoc significare intendunt, fidem actualem, quę ad vtilem Baptismi perceptionem, vt dispositio prærequiritur in adultis, non esse paruulis necessariam; sed sufficere, alieno obsequio ad Baptismum offerri, & per alienam fidem Baptismum eis procurari, per quem vere Christo inserantur, & fidem infusam accipiãt, legisq; Christi faciendæ sint debitores, vt postea eis in adulta ætate non sit liberum, Christi iugum reijcere.

CAP. XLIX.

Vtrùm paruuli inuitis parentibus baptizandi sint?

Filij vsu rationis destituti non sunt inuitis parentibus baptizandi.

CVm iure naturali, quamdiu filij proprium non habent arbitrium, parentum curæ atque voluntati subsint, quoad educationem, mores, institutionem, aliáque vitæ statúsque ipsorum necessaria; consequitur, infidelium liberos, quamdiu propriæ volũtatis vsu destituuntur, non debere inuitis parentibus baptizari, cùm iure naturali sibi in eos competente spoliari non debeant.

Postquam verò filij rationis vsum attigerunt, suíque iuris in eis, quæ ad naturale aut diuinum ius pertinent, effecti sunt, licet ipsos ad fidem ac Christi Baptismum suscipiendum, etiam parentibus inuitis, inducere.

Alia insuper ratio est paruulorum ex infidelibus ortorum, qui Ecclesiæ iurisdictioni non subsunt, atque eorum qui ex parentibus Christianis nati sunt, quales sunt Anabaptistarum filij. Hi enim, quia Reipublicæ Christianæ membra sunt, ad baptismum cogi possunt, etiam proposito mortis supplicio, vt docet Soto in 4. dist. 5. ar. 10.

Sed Iudæorum vel Ethnicorum filij adulti, non minis & terroribus, sed ratione ad fidem inuitandi sunt. Nam ea est fidei Christianæ natura, quòd ita demonstrari nequeat, vt humanus intellectus ad eam amplectendam coniectus impelli possit, iuxta illud Ioannis 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.* Aug. tract. 26. in Ioan. & serm. 6. *de verbis Domini* monet, idololatras non esse per violentiam à sua impietate diuellendos, cùm Apostolus dicat, 1. Cor. 5. *Quid mihi est de iis, qui foris sunt iudicare?* Ambrosius lib. 7. *in Lucam* in illud cap. 10. *Nolite portare sacculum: Dominus misit qui docerent, non qui cogerent.* Gregor. lib. 1. epist. c. 45. non vult Iudæos vi baptizari. lib. 2 c. 52. *Inaudita est prædicatio, quæ verberibus fidem exigit.* Vnde ad Angliam conuertendam non exercitum militum, sed numerum doctorum emisit. Beda lib. 1. histor. Anglic. Concil. Toletanum 4.

Quemadmodum verò paruulum inuito patre infideli baptizare non licet, ita neque pupillum in vito tutore, quoniam lex gratiæ non euertit legem naturæ, secundùm quam voluntas Patris aut tutoris, censetur voluntas paruuli vsu rationis destituti. Vult autem Deus omnes saluari: sed saluo cuiusque iure, natura-

liq; ordine. Si verò Pater in Baptismum filij consentiat, matre dissentiente, paruulus baptizandus est: *Extra de conuersione infidelium*, can. *Ex litteris*: imò etiam patre reclamante, si mater fidelis consentiat. 22.q.1.can. *Ex Iudæis*.

CAP. L.

De Baptismi effectibus.

1. Baptismi effectus, culpæ remissio.

BAptismi dignitas, vis & præstantia ex præclaris effectibus intelligitur: quorũ primus est, omnium peccatorũ tam origine, quàm propria actione cõtractorum, remissio. Iuxta Ezechielis vaticinium: *Effundam super vos aquam mundam, & mũdabimini ab omnibus inquinamentis vestris*: & doctrinam Apostoli, qui post longam peccatorum enumerationem subijcit: *Et hæc quidem fuistis: sed ablati estis, sed sanctificati estis.* Ad Ephes.5. *mundans eam lauacro aquæ.* Et in Actor.c.2.& 22. pœnitentibus dicitur, vt baptizentur in remissionem peccatorum, vsque abluant peccata sua. Hinc Baptismatis vis regenerandi tribuitur, & saluandi. Nam in Baptismate omnia dimittuntur crimina, & liberamur à iugo diaboli & peccati, sicut Israëlitæ in mari rubro à Pharaone atque Ægyptijs, quos omnes vnda maris absorpsit, & Naaman Syrus plenè mundatus est. Quod Aug. lib. 1. *De peccat. merit.* c.15. his verbis expressit: *Generante carne tantùm contrahitur peccatum originale; regenerante autem Spiritu, non solùm originalium, sed etiam voluntariorum peccatorum sit remissio; ita vt in baptizato nihil remaneat, quod veram et propriam peccati rationem habeat, vel quod oderit Deus.* Sicut sub anathemate in Cõcilio Tridentino sess.5. Can. 5. definitum est; vbi simul traditur, concupiscentiã vel fomitem in renatis permanentem ad agonẽ esse relictam, nec nocere non consentientibus, ac subinde peccatum appellari, non quia verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato sit, & ad peccatum sollicitet ac inclinet. *Vnusquisque* enim *tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus*: deinde *concupiscentia cùm conceperit*, id est, consensum aliquem extorserit, *parit peccatum.*

Exechie. c. 36. 1.Cor.6.

Ioan. 3. Mar.16. Ad Titũ. 3. 4 Reg.5.

Rom. 8.

De concupiscentia in renatis remanente.

Sciendum autem hîc est, *Concupiscentiæ* vocem in scripturis dupliciter accipi: nonnumquam vt significet vim ac commotionem animi, qua impulsi homines rem iucũdam quam non habent appetunt. Quæ concupiscendi vis, naturalis, & bona per se, atque à Deo naturæ insita est, eâque ad bonum & malum vti possumus. Vnde Sap.6. *Concupiscite sermones meos.* Eccl.12. *Trãsite ad me omnes, qui concupiscitis me.* Aliàs *Concupiscentia* vocatur motus animi, seu appetitio inordinata, rationi contraria. Hæc ex peccato est, non à Deo, vocatúrq; concupiscẽtia carnis, fomes peccati, libido, prauæ concupiscẽtia. Quibus nominibus denotatur prauus & vitiosus habitus aut animi motus, pertinens ad miseriam & infirmitatem originali peccato cõtractam, qui tamen nihil damnationis per se adfert, sed tantùm hominem miserum constituit, sibique ipsi grauem, dum caro concupiscit contra Spiritũ. Cum enim hi motus rationẽ præueniant, eiq. repugnent, nisi voluntatis assensũ extorqueant, homini ad culpam imputari nequeunt, cùm omne peccatum voluntarium sit, nec iuste imputari possit, quod in hominis potestate non est.

Concupiscentia in script. diuersimodè accipitur.

Lue.8 Concupiscentia, libido, fomes, vocatur motus inordinatus aut habitus vitiosus.

Concupiscẽtia inuoluntaria nõ est proprij nominis peccatum.

Quare falsa est Sectariorum nostri temporis sentẽtia, quòd concupiscentia inuoluntaria, primorum

parentum delicto inuecta, etiam in baptizatis proprij nominis peccatum sit; quodque in Baptismo non verè tollantur peccata, sed hactenus ibi remitti dicantur, quia propter Christum non imputentur. Quem errorem Lutherus ab inferis excitauit. Nam & Origenistæ docuerunt, Baptismo non tolli, sed tegi peccata, teste Epiphanio, hæresi 64. quos sequuti Messaliani sunt, de quibus Theodoretus libr. 5. *heret. Fab.* & alij tempore D. Gregorij: contra quos agit lib. 9. epist. 39. ostendens, peccata per fidei Sacramentum non superficietenus dimitti, sed radicitus euelli, iuxta illud Ioannis: *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus*, omni quippe peccati reatu sublato, vt passim Aug. inculcat lib. 2. *de peccat. merit.* c. 4. lib. 2. cont. 2. epist. Pelag. c. 3. libr. 1. *De Nupt. & concupiscentia* cap. 25.

Ioan. 13.

II. Baptismi effectus, est liberatio à pœna futuri seculi. Rom. 6. & 8.

Secundus Baptismi effectus est, omnis pœnæ in futuro seculo propter culpam debitæ plenissima condonatio, ita vt nihil omnino damnationis restet, nec satisfactio imponenda sit renato. Vetus autem Ecclesia neophyto ieiunia & orationes indicens, Sacramenti dignitatem venerari, perceptámque gratiam sedulo tueri admonebat: non autem restare pœnam aliquam in futuro seculo luendam significabat.

Aug. Enchir. 66.

Quia verò totum quod salutaribus Sacramentis agitur, magis ad spem futurorum bonorum, quàm ad retētionem vel adeptionem præsentium pertinet; ideo per baptismum reus à pœna ciuilibus legibus constituta non eripitur; nec à moriendi necessitate, vel afflictionibus & miserijs huius vitæ. Hinc paruulos in Christo renatos varijs excruciari malis, & infirmitatibus diuersis obnoxios esse cernimus, à quibus tamen suo tempore vi Baptismi, meritóque Christi liberabuntur. Nam in perfecta regeneratione futura Resurrectionis tempore, libertatem à seruitute corruptionis, miseriæ, omnísque infirmitatis assequemur. *Qui* enim *suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra, propter inhabitantem Spiritum eius in nobis*, qui futuræ immortalitatis pignus est.

Aug. lib. 2. de peccat. merit. c. 7. Greg. lib. 4. mor. c. 41.

Rom. 8. Philip. 3. 1. Cor. 15.

Cur autem Deus non statim post baptismum infirmitates, huiusque vitæ ærumnas abstulerit, plures sunt causæ. I. Est, ne præsentium potiùs, quàm futurorum bonorum amore homines baptizari vellent. Aug. lib. 2. *de peccat. merit.* c. 31. 33. & 34. Enchirid. c. 66. lib. 13. *de ciuit.* c. 4. lib. 3. cont. Iulianum c. 6.

Cur integræ naturæ status non statim restituatur. 2. Cor. 4. Prosper li. 3. de vita contempl. c. 29.

Aliquando tamen per Baptismum non solùm spiritualem, sed & corporis sanitatem tribuit; vt in curatione lepræ Constantini apparuit. II. Ad exercitium fidei, patientiæ, augmentúmque gloriæ. Qui enim legitimè certauerit, coronabitur. August. tract. vlt. in Ioan. lib. 13. *de ciuit.* c. 4. lib. 2. *de peccat. merit.* c. 34. Sublata námque omni ærumna, quis Martyrij palmam, Virginitatis lauream, Doctrinæ ac prædicationis insigna promereretur? Seruant ergo miseriæ, vt segetem materiámque virtutis habeamus. III. Ne párua existimaretur culpa, si cum ea finiretur & pœna: Augustinus lib. 21. *de ciuit.* c. 15. in Psal. 6. & tract. vlt. in Ioan. IIII. Vt præsentis vitæ miseria, nos ad beatam futuri seculi vitam ab omni ærumna liberam exoptandam impellat, ne viator stabulum pro domo eligat. V. Vt pœnæ culpa remissa remanentes sint disciplinæ, medicamēta & cautiones aduersus tentationes. August. in fine expositionis Psal. 31. lib. 22. cont. Faustum c. 21.

Cur huius vitæ miseriæ non statim tollantur. 2. Tim. 2.

Chrysost.

Chrysost. lib. 1. *De prouidentia*, & hom. 18. *ad Antioch.* Basilius in quæstionibus fusè disputatis q. vltima. Gregor. Nyssenus de prouidentia c. penultimo & vltimo. Damascenus lib. 2. *Ortho. fidei* cap. 29. VI. Vt membra suo capiti Christi conformia essent, qui licet ab initio conceptionis plenus gratiâ fuerit, pondus tamen mortalitatis retinuit, donec post tormenta passionis ad immortalem gloriosámque vitam resurrexit. Non autem decet sub spinoso capite membrum esse delicatum, Bernardus serm. 2. de Aduentu. Thom. libr. 4. cont. Gent. c. 55.

III. Baptismi effectus est gratiæ largitio.

Tertius Baptismi effectus, est abundans gratiæ Dei largitio, consistens non solùm in plenissima remissione peccatorum, sed in gratiæ quoque & charitatis, fidei, spei, aliarúmque virtutum infusione.

Conc. Trident. sess. 6. Chrys. ho. 2. ad Neophytos. Ad Titū 3.

Est autem gratia iuxta D. Thomam qualitas diuina inhærens animæ, veluti splendor & lux animarum, sordes & maculas delens, qua iusti, filij Dei, æternæque gloriæ hæredes instituimur, per quam Spiritum sanctum inhabitantem accipimus, & filij Dei nominamur & sumus. Gregor. Nazianzen. Oratione *in sacrum lauacrum.* Cyprian. libr. 2. epist. 2. docet, Spiritum sanctum hominem secunda natiuitate reparatum animare, dirigere, ad omnia pietatis officia habilem reddere, illuminare tenebras, corroborare potentias, vt iam clausa videat, faciléque efficiat, quæ antea factu impossibilia credebat. Quod Acto. 2. significāt illa verba: *Baptizetur vnusquisque vestrum, & accipietis donum Spiritus sancti.* Et ad Galat. 3. *Christum induistis.* Ad Ephesios 3. Et ad Colossen. 2. *Christum habitare in cordibus vestris.* Item: *Conuiuificauit cum illo.*

Ioan. 1. 1. Ioan. 3. Ad Gal 4. Aug. lib. 9. confess. c. 1.

Si quis verò inquirat, cur tanta virtutum copia instructi tam fragiles simus, & adeò tardè pias actiones inchoemus, & consummemus? RESPONDEO, relinqui in nobis post Baptismum infirmitatem & languorem, concupiscentiæque pugnam aduersus Spiritum, vt nisi assiduo Dei auxilio iuuemur, facilè vincamur.

Quartus Baptismi effectus, est cōscientiæ pax, & vitæ præteritæ securitas, Augustino teste lib. 9. confess. c. 6. & Apostolo: *Iustificati enim ex fide pacem habemus*, Rom. 5.

IV. Baptismi effectus conscientiæ pax.

Quintus Baptismi effectus est, characteris impressio, id est, signi cuiusdam spiritualis & indelebilis, ex cuius vi & natura fiat, vt Baptismus reiterari absque sacrilegio nequeat. De hoc signaculo differit Augustinus li. 6. cōt. Parm. c. 13. li. 2. cōt. Petilian. c. 72. libr. 2. cont. Donatist. c. 9. Leo ser. 4. de natiu. Dom.

V. Effectus Baptismi characteris impressio. Conc. Trident. sess. 7. can. 9. de Sacram. in gen.

Postremus effectus est, cœli apertio, qui in Christi baptismo insinuatus est. Cœli enim aperti sunt, & Spiritus sanctus in columbæ specie in Christum descendit, adumbrans eos, qui baptizantur, Spiritus sancti donis impleri, eisdémque cœlum patere, vt sine purgatorio medio ad cœlum rectà euolent, si Baptismi innocentiam conseruent. Aug. lib. 2. *de peccat. merit.* c. 28. lib. *de vera & falsa pœnitentia* c. 17.

Cypr. lib. 2. epist. 2. & 3. li. 4. epist. 7. & serm. de ablut pedū.

VI Baptismi effectus, cœli apertio.

Qui omnes Baptismi effectus, si vim Sacramenti spectemus, licet æquè ad vniuersos homines pertineant; attamen, si quo quisque animo affectus ad Baptismum accesserit, consideremus, plus minúsue cœlestis gratiæ ac fructus ad vnum, quàm ad alium peruenire confitendum est.

Catechismus Roma. parag. 44.

CAP. LI.

Quos effectus Sectarij Baptismo tribuant?

Quos effectus Sectarij Baptismo tribuãt.

QVinque falsò effectus à Sectarijs Baptismo attribuuntur.

1. Quòd baptizatus damnari nequeat, nisi credere nolit. Hunc errorem Iouiniano tribuit Hieronymus lib. 2. cont. eundem, Augustinus lib de hæresibus ca. 82. & damnat Concilium Tridentinum sess. 7. can 6. de *Baptismo*. Fundamentum erroris est, quòd Ioan. 1. epist. c. 3. & 5. dicit: *Qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conseruat eum.* Sed relabi baptizatos in peccata, Simonis Magi, fornicatoris Corinthij, innumeráque alia exempla conuincũt. Sensus Ioannis est, quòd ex Deo natus, quamdiu innocentiam conseruet, non sit peccaturus. Sic Augustinus tract. 5. in Ioan. adferens illud Matth. 7. *Arbor bona non potest malos fructus facere, quam diu bona manet.*

Actor. 7. 1. Cor. 5.

Secundus, Quòd Baptismus liberet ab obedientia diuinæ legis, ideóque baptizatus perditissimè viuens, modò fidem reseruet, possit saluari. Hunc errorem dãnat Concilium Tridentinum sess. 7. can. 7. & confutat August. lib. 21. *de ciuit.* c. 25. & toto lib. *de fide & operibus*, ex clarissimis scripturis: ad Rom. 8. *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* 1. Cor. 6. *Nolite errare: neque fornicarij, neque fures, neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Matth. 25. *Esurini*, &c. 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, charitatem autẽ non habuero, nihil mihi prodest.* Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Matth. 28. *docentes seruare omnia, quæcumque mandaui vobis.* Rom. 7. *Mẽte seruio legi Dei.* 1. Cor. 9. *In lege essẽ Christi.* Et passim Apostoli hortantur fideles, vt obediant sublimiori potestati, Præpositis, Regibus & Magistratibus.

Tertius, Quòd liberet ab obedientia humanarum legum; damnatur in Concilio Tridentino sess. 7. can. 8. de Baptismo: *manifestè pugnat cum Christi dicto: Qui Ecclesiam non audierit, &c.* Matth. 16. *Qui vos audit*, &c. Matth. 10. Ad obedientiam hortatur Apostolus, Rom. 13. Ephes. 6. Colossen. 3. Hebr. 13. Petrus 1. epist. c. 2.

Quartus, Quòd liberet à votis: sed pugnat cum scriptura, Psal. 75. *vouete, & reddite.* Eccles. 5. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere.* Naturalis enim atque diuini Iuris est, votorum redditio: ad quam non minùs circumcisi quàm incircumcisi obligantur: vt ex voto Iacob patet. Damnat Concil. Tridentin. sess. 7. can. 9. Gen. 28.

Quintus, Quòd efficiat, vt sola Baptismi recordatio peccata tollat, aut venialia reddat, damnatur sess. 7. can. 10. & repugnat Apostolo dicẽti Hebr. 9. *Impossibile esse, eos, qui sunt illuminati, iterum renouari ad pœnitentiam*, id est, per Baptismũ iterum tã facilè reconciliari. Opus est enim alio seueriore pharmaco, secunda post naufragium tabula, Sacramento videlicet pœnitentiæ. Hieron. in 3. c. Isa. Tertullia. lib. *De pœnitentia.* Aug lib. 1. *de nuptijs & concupiscent.* c. 33. dicens, non solùm præterita, sed & futura peccata Baptismo remitti; nihil aliud vult, quàm per Baptismũ acquiri gratiam, per quã si in venialia peccata postmodum labatur, veniam impetret, simul & ius acquirere ad Sacramenta reliqua percipienda, quibus peccata relapsis ex Christi institutione dimittuntur; vt epist. 23. seipsum exponit, dicens,

paruulum, qui acceptam in Baptismo gratiam ætatis accessu perdiderit, propria contrahere peccata, quæ non iam possint regeneratione auferri, sed alia debeant curatione tolli.

CAP. LII.

De Baptismo sancti Ioannis Baptistæ.

Vis baptismi S. Ioannis Baptistæ.

PEtilianus Donatista olim sensit, eandem vim esse Baptismi Ioannis & Christi: quem refellit Augustinus libr. *cont. Petilianum.* c. 32. 34. 37. Quem sectarij huius temporis sequuntur, quos anathemate ferit Concilium Tridentinum sess. 7. can. 1. *de Baptismo.* Eorum fundamentum est, quòd sentiant, Christi Sacramenta non iustificare ex opere operato, sed fidem excitando per ministerium hominis, siue Ioannis, siue Apostoli, siue cuiuscunque alterius. Ceterùm Scriptura distinguit Christi baptisma & Ioannis, in eo, quòd Ioannes sui Baptismi fuerit author, qui Deus inspirauit, vt ritum baptizandi institueret, quo homines ad pœnitentiam, & remissionem peccatorum impetrandam exhortaretur. Vnde Baptismus, *Ioannis* passim vocatur. Christi autem Baptismus à Deo vim & institutionem suam immediatè accepit; vnde nusquam baptismus *Petri* aut *Pauli*, vel cuiuscunque alterius ministri appellatur, sed tantùm *Christi*. Quicumque enim & qualiscunque baptizet, de Christo verè dicitur: *Hic est qui baptizat*, vt notat August. lib. 5. de *Baptismo* c. 9. & 13. Vbi euincit, Ioannis Baptisma non fuisse idem cùm Christi Baptismo, neque quoad effectum & significationem. Nam Ioannes baptizabat solùm in aqua, non in Spiritu sancto, nullâque Trinitatis inuocatione facta; vnde à Ioanne baptizati, ab Apostolis Christi Baptismo postea tincti sunt, Act. 19. quia Ioannes in aquâ tantùm baptizabat (Marci 1. Luc. 3.) Christus autem Spiritu sancto & igne, quia per baptismum Spiritum sanctum dat, qui hominē interiùs expurget, atque charitate inflammet. Ioannes autem foris tantùm prædicabat & operabatur. *Nihil cœleste præstabat, sed cœlestibus præministrabat*, ait Tertullianus libr. *de Baptismo.* Chrysost. hom. 1. & 40. in Acta. Cyril. libr. 2. in Ioan. c. 57. Damascen. lib. 4. c. 10. Ambros. in 3. c. Lucæ. Hieron. in 2. c. Ioëlis. Aug. Enchirid. c. 49. lib. 5. cont. Donat. c. 9. 10. 14. in Ioan. tract. 5.

Matth. 21. Ioan. 1.

Baptismus Christi, quoad substantiam, institutionem, effectum & significationem, à baptismo Ioannis Baptistæ differt.

Luc. 3.

Quod Ioannes aliqua verborum forma baptizando vsus sit, videlicet: *In nomine venturi Messiæ*, colligunt nonnulli ex cap. 19. Act. Ambros. lib. 1. *de Spiritu sancto.* c. 3. Hieron. in 2. c. Ioëlis. Alij opinantur, nulla verborum forma vsum fuisse. Nam Christum sicut ceteros baptizauit, cui non congruebat baptizari in nomine venturi.

Proprium ergo Ioannis officium fuit, sua prædicatione atque baptismo præparare viam salutis, eamque demonstrare, ostendendo, in Christum esse credendum; de quo dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

Ioan. 1. Luc. 1.

CAP. LIII.

An sine periculo sacrilegij Baptismus iterari possit?

Vide supra Cap. 41. & 45.

BAptismū absq; sacrilegij periculo iterari non posse, ex characteris vi & natura, qui ex anima nunquam deleri potest, ab Ecclesia de-

Baptismus non iterandus.

finitum est in Concilio Tridentino sess. 7. Can. 11. & 13. *de Baptismo*. & sess. 14. c. 2. *de pœnitentia*: neque etiam temere vel sub conditione baptismum iterari debere, suprà c. 41. ostensum est.

Donatistæ rebaptizarunt.

Porrò Donatistæ, quia nullū verum Baptismum extra Ecclesiā esse agnoscebant, seque solos in Ecclesia esse contendebant, omnes aliunde venientes retingebant, Augustino teste libr. de hæres. c. 69. epist. 159. 160. lib. 3. *cont. Donatist.* c. 11. Cyprianus ab hæreticis baptizatos, retingi oportere cum multis Episcopis censuit: cui se acriter opposuit Stephanus Romanus Pontifex. Euseb. lib. 7. Hist. c. 6. Vincentius Lyrinens. lib. cont. hæreses.

Cypriani error.

Arianirebaptizarunt.

Ex eodem postea fundamento Ariani baptizatos à Catholicis, in nomine filij minoris rebaptizarunt. Augustinus hæresi 49. Victor Vticensis lib. 1. persequut. Vandalicæ. Eundem Armenis errorem tribuit Guido. Anabaptistæ infantes, omnésque credere non valentes, à Baptismo arcendos, ac iteratò, dum ad annos discretionis peruenerint, baptizandos esse sentiunt: quos satis suprà c. 45. confutauimus. Ac insuper ministrorum impietate Sacramenta neque pollui, neque impediri, dummodo cetera necessaria non desint, suprà c. 30. confirmatum est. Quare solùm restat, vt de rebaptizantium pœnis aliquid addamus. Leo epist. 37. & 79. c. 7. tam rebaptizantes, quàm rebaptizatos grauiter puniendos decernit. *De consecr.* dist. 4. c. *Eos quos*, &, *Quinis*, septem annorum pœnitentia, trium quadragesimarum ieiunium, atque irregularitas statuitur. Leges autem ciuiles vtrísque mortis supplicium infligunt, libr. 1. Codicis, tit. 9. *Ne sacrum sanctum.*

Anabaptistæ.

Baptizantium pœnæ.

CAP. LIV.

De ritibus seu ceremonijs Baptismi.

Ritus baptismi enumerantur.

IN baptismi celebratione quædam ad Sacramenti substantiam pertinent, vt forma, materia, ministríque actio: nonnulla verò tantùm ad Sacramenti decorem ac solennitatem; cuiusmodi sunt cetera, quæ baptismum præcedunt, aut comitantur, vel sequuntur; absque quibus licet Sacramentum perfici queat, non tamen extra necessitatis articulū omitti posse decreuit Concil. Trident. sess. 7. Can. 13. quia huiusmodi ceremoniæ sanctissimæ ac vtiles sint, necnon antiquissimæ, ab ipsis Apostolis sanctissimísue Patribus institutæ, multorúmque seculorum authoritate comprobatæ. Has autem in tria capita diuidemus: videlicet in præcedentes baptismi fontem, in comitantes, atque subsequentes.

12. Ritus baptismum præcedunt.

Duodecim autem ritus sunt, qui baptismum præcedunt.

Nominis traditio. Conc. Carthag. 4. can. 4. Agathen. c. 9.

I. Est, quòd baptizandus nomen suum tradat, & ab Ecclesia instruendus præparandúsque recipiatur, à quo tempore *competens* vocari talis consueuit. Leo epist. 4. c. 5. & 6. *electos* vocat. August. *competentes*. lib. de fide & operibus c. 16. libr. 9. confess. c. 6. libr. de cura pro mort. cap. 12. serm. 116. de tempo. Rabanus libr. 1. de instit. cleric. duo fuisse Catechumenorum genera tradit: vnum eorum, qui Concionem audiunt & Christiani fieri desiderant, sed tamen nondum baptismum poscunt: hi *Audientes*: alij Baptismum petunt, & *Competentes* dici solent.

Scrutiniū.

II. Ritus est, scrutinium, id est, exploratio sufficientiæ fidei, morum

ac scientię, quæ fieri solet feria quartâ post Dominicam 4. Quadragesimæ, cuius meminit Augustinus *de fide & operibus* cap. 6. Leo epist. 4. cap. 6.

Abrenunciatio.

III. Ritus est, abrenunciatio Satanæ & pomparum eius, cuius meminit Dionysius Areopag. lib. 2. *Eccles. hier.* ca. 2. p. 2. Augustin. passim. libr. 1. de peccat. merit. c. 34. lib. de symbol. ad catechumen. c. 1.

Fidei professio.

IV. Professio fidei, de qua Augustinus lib. 8. confess. ca. 2. lib. *de fide & operibus* ca. 11.

Signi Crucis in fronte impressio.

V. Est Impressio signi Crucis in fronte, (vbi sedes pudoris est) atque in pectore, vt crucifixi virtute diabolus coërceatur, ne vllum exterius aut interius impedimentum præstet, quò minùs corde credat ad iustitiam, & ore confiteatur ad salutem, qui baptizandus est. Basil. libro ne Spiritu sancto cap. 27. Augustinus libro catech. rudibus capite 20.

Exorcismus.

VI. Est Exorcismus, id est, adiuratio dæmonis, certis verbis facta, vt ab homine recedat. Ex quo ritu passim Augustinus contra Pelagianos infantes sub dæmonum potestate nasci probat. lib. 6. cont. Iulian. cã. 2. lib. 1. de peccat. merit. ca. 34. li. *de fide & operibus*, ca. 6. lib. 2. *de nupt. & concupisc* ca. 18. hunc ritum per Ecclesiam vniuersam receptum esse affirmat. Eius meminit Dionys. li. 2. Eccles. Hierarch. ca. 2. Ambros. li. 1. de Sacram. ca. 5. Cyrill. catech. 1. Celestinus epist. 1. ca. 12. Leo epist. 4. ca. 6.

Exsufflatio.

VII. Est Exsufflatio, quæ coniungitur Exorcismo, eáque significatur dæmonis expulsio, & Sancti Spiritus afflatus. Huius meminit Augustinus lib. 6. *cont. Iulian.* ca. 2. lib. 2. *de peccato orig.* ca. 40. lib. 2. *de nupt. & concup.* cap. 18. & 19. Celestinus epist. 1. ca. 12. dicit, paruulos in vniuerso mundo exsufflari. Ambrosius lib. *de iis qui myst. initiantur*, c. 1. *Odorem vitæ æternæ vobis insufflatum carpite.* Hac ceremonia Dominus vsus est Ioan. 20.

Salis gustatio.

VIII. Ritus, est gustus Salis, quo significatur & petitur, vt regenerandus vitiorum putredine ablata, sapientiæ sale conditus diuina probet, incorruptámque deinceps vitam ducat. Huius meminit Augustinus libro 1. confess. cap. 26. Concil. Carthaginense III. cap. 5. Rabanus libro 1. *de instit. Clericorum* cap. 27.

Salivæ tactus.

IX. Ritus est, dum saliuâ nares & aures tanguntur, dicendo: *Ephetha*, id est, *adaperire*. Quem ritum explicat Ambros. libr. 1. *de sacram.* cap. 1. & *lib.* 1. *de iis qui myst. initiantur* cap. 1. allegans Christum Marci 7. muti linguam & aures sputo tetigisse, & cæci oculos, Ioan. 9. Significat autem iste ritus doctrinæ fidei receptionem & approbationem: iuxta Rabanum libr. 1. de institut. Cleric. cap. 27.

Manuum impositio.

X. Ritus, est manuum impositio, & Sacerdotis benedictio, qua reditus diabolo per exorcismum pulso præcluditur. Hac ceremonia Christus vsus est, Matth. 19. & Apostoli Act. 8. 9. 13. Eius meminit Dionysius loco prælegato. Clemens lib. 7. ca. 39. Concil. Carthaginense 4. cap. 85. Augustin. libr. *de peccat. merit.* cap. 26.

Inunctio.

XI. Est Catechumeni in pectore & scapulis inunctio, qua significatur, eum ingredi stadium, in quo Fide, Spe, atque Charitate munitus decertet contra malignos spiritus. Dionysius li. 2. *De Eccles. hier.* ca. 1. p. 3. & ca. 7. p. 3. Cyprianus li. 1. epist. 12. Augu. tract. 39. in Ioan. & serm. 206. de tempo.

Præparatio per abstinentiam.

XII. Abstinentia vini, carnis, rei vxoriæ, fructúsque pœnitentiæ,

non ad satisfaciendum pro peccatis, sed ad Sacramenti dignam susceptionem, dum præparati accedunt. Concil. Carthaginense IV. can. 85. August. libr. *de fide et operibus* cap. 6. Leo epist. 4. ca. 6.

CAP. LV.

De ritibus Baptismum comitantibus,

Ritus baptismum comitétes. Tertullian. de corona militis c 13.

CVm ad Baptismi fontem accenditur, baptizandus ter abrenunciat Sathanæ, pompisque illius. II. Fidem suam religione solenni profitetur. III. Rogatur, an baptizari velit, vt quemadmodum seruenti voluntariè obediuit, ita in Christi militiam voluntariè asscribatur. In voluntarium enim seruum Christus reijcit

Patrini officium.

IV. Baptizandus patrinum seu pædagogum habet, qui eum de sacro fonte suscipiat, & pro eo (si vsu rationis nondum vtatur) abrenuntiet, fideique Christianæ professionem faciat, spondeátque, se diligenter eum posteà in fide ac moribus instituturum. Hunc præclarum fidelem esse dicere, monet Dionysius lib. *de Eccles. hierarch.* ca. vltimo. Tertullianus lib. *de Baptismo*. August. sermo. 163. *de temp.* libr. 1. *de peccat. merit.* cap. 34.

Hoc officium Ecclesia tam serium esse censuit, vt cognationem quandam spiritualem contrahi lege sanxerit inter suscipientem & susceptum, ipsiúsque parentes, idque ad hominum amicitiam propagãdam. Sed quoniam quæ multis committuntur, negligentiùs curantur, dum quisque in alium laborem reijcit, & cõfusionem quoq; inducit disciplinæ, si plures eundem doceant & regnant, sapienter Concilium Tridentinum constituit, vt ad summum vnus & vna infantem de baptismo suscipiant.

Ex quibus liquet, ad hoc officium non esse assumendos pueros, neque rerum spiritualium omnino ignaros, multò minùs publicos peccatores, aut hæreticos, cùm ouis lupo non sit committenda. De consecr. dist. ca. non plures. Concil. Trid. sess. 24 c 2.

Dionys. lib. de Eccles. Hier c 2. p. 2.

V. Nomen baptizando imponitur, vt olim in circumcisione fieri consueuerat, vt patet Lucæ 1. de Ioanne, & Lucæ 2. de Christo. Iubent autem Canones liberis Christianorum imponi nomina cuiuspiam, qui ob excellentem animi pietatem inter sanctos referri meruerit, cuius sanctitatem & virtutes imitari possit, ac eundem sibi deligere in specialem patronum, ad quem in omni necessitate recurrat. Cauendum autem est ne Gentilium aut sceleratorum hominum nomina baptizando imponantur.

Nomina sanctorũ in baptismo imponenda.

Immersio trina vel vnica.

VI. In aqua consecrata baptizandus ter (ad significandum tres personas diuinas, triduúmque sepulturæ Christi) vel semel (ad significandam trium personarum diuinarum essentiam) mergitur, vt mori veteri vitæ, atque resurgere ad nouam significetur. Dum enim aqua corpus tangit, etiam cor intus abluit, & hominem in Christo renatum in diuinum quendam statum euehit, vt iam Christi corpori, velut ramus arbori insertus, æternæ vitæ meritorios fructus, & opera sancta producat.

Dionys. lib. de Eccles. hier. c. 2. p. 2. & 3.

Solet autem Aqua solennibus ceremonijs consecrari, pridie Paschæ & Pentecostes, illisque solis temporibus, extra necessitatem, baptizari, vt ex Siricij epist. 1. ca. 2. Leonis epist. 1. ca. 4. & 80. patet. Quam consuetudinem Deus fontis miraculosa repletione comprobauit, de qua Paschasinus in epistola ad Leo-

nem, quæ præponitur epistolæ B. Leonis 64.

CAP. LVI.

De ritibus, qui Baptismum sequuntur.

Ritus baptismum sequentes.

INter ritus baptismum sequentes, Primus est, *Pacis Osculum*, in signum, quòd renatus sacro lauacro, frater sit. Cyprian. libr. 3. epist. 8.

Pacis osculum.

Vnctio in vertice.

Secundus, est *Vnctio* Chrismate in vertice, in typum, quòd baptizatus Christi, summi Regis & Sacerdotis membrum effectus, rex & sacerdos spiritualis fiat, vt dominetur vitiis, & laudis hostias, precum, bonorúmque operum Deo iugiter offerat. Ambro. li. 1. de sacram. c. 8. & li. 3. c. 1. Innocen. I. epist. 1. c 3.

Cerei accensi traditio.

Tertius est, *cerei accensi in manibus gestatio*, in signum, quòd renatus ex filio tenebrarum, filius lucis effectus sit, quódque fidem charitate inflammatam, quam in baptismo accepit, bonis operibus deinceps augere debeat, (Gregorius Nazianzen. *Oratione in lauacrum.* Augu. in Psal. 65.) ac se paratum tenere, vt aduenienti sponso cum lampade non extincta (id est, non cum fide otiosa, sed cum fide, igne charitatis & operum misericordiæ accensa) occurat. Vndè morituris solet cereus accensus quoque tradi.

Albæ vestis significatio.

Quartus ritus est, *vestis candida*, vel *albi sudarioli traditio*, quæ geri solebat à Sabbato sancto, vsque ad Dominicam in Albis: quo symbolo denotatur Resurrectionis gloria, ad quam per baptismum renascimur, tum nitor & pulchritudo, quia detersis peccatorum næuis anima in baptismo exornatur, necnon etiam innocentia, quam in omni vita baptizatus seuare debet. Huius ritus meminit Dionysius lib. *de Eccl. hier.* ca. 2. p. 2. Ambros. lib. *de iis qui myst. initiantur.* cap. 7. Augustin. serm. 157. de tempore.

Quintus est, post albæ vestis depositionem, (quæ VIII. die fieri consueuit,) *Sacramenti Confirmationis susceptio ab Episcopo*, ac deindè *Corporis & Sanguinis Domini participatio*, vt refert Dionys. lib. *de Eccles. hier.* cap. 2. in fine.

CAP. LVII.

De Confirmationis Sacramento.

Confirmationis Sacramentum ex Scriptura statuitur.

DE huius Sacramenti natura, vi, & dignitate instruendi sunt fideles, vt intelligant, Confirmationis Sacramentum non esse negligendum, quinimo summa cum pietate ac religione suscipiendum.

Vocatur autem *Confirmatio*, quia baptizatus per hoc Sacramentum nouæ virtutis robore firmior, atque adeò perfectus Christi miles esse incipit.

Quia verò Sectarij negant, proprij nominis esse Sacramentum, dicentes, ceremoniam esse ad examen puerorum introductam, qui in infantia baptizati fuissent, ex scripturis esse Sacramentum ostendemus.

Ac in primis Ioannes c. 15. 16. & aliis, refert, Dominum Apostolis iam baptizatis (nam eis dixerat: *qui lotus est*, &c.) Spiritum sanctum promisisse, qui eos in aduersis consolaretur, veritatem suggereret, fortes ac intrepidos redderet: & Lucas ca vlt. *Sedete in ciuitate, donec indamini virtute ex alto.* Et Act. 1. *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos.* Quibus verbis perspicuè amplior eis gratia promittebatur,

qua robustiores in fide, atque promptiores ad patienda pro Christo aduersa efficerentur, quæ ipsis in die Pentecostes Spiritu sancto in eos vbertim effuso donata est: iuxta Ioëlis prophetiam: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Quam promissionem non solùm ad Apostolos pertinere, sed ad omnes etiam cuiuscunque temporis fideles, D. Petrus Act. 2. explanat, dum ait: *Vobis est repromissio, et filiis vestris, et omnibus, qui longè sunt, quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster.*

Qualem igitur gratiam Apostoli singulari miraculo in die Pentecostes acceperunt, talem posteà fideles baptizati, manuum Apostolorum impositione, sacrique Chrismatis in fronte vnctione (additis solennibus illis verbis: *Consigno te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filij et Spiritus sancti*) consequuti sunt. Hunc enim sensibilem ritum Christus ordinarium esse organum voluit, quo Spiritus sanctus per Ioëlis vaticinium promissus, baptizatis ad ampliorem gratiæ gradum daretur. Quod Apostoli manifestè comprobarunt, quãdo Samaritis à Philippo baptizatis imposuerunt manus, vt acciperent Act. 8. Spiritum sanctum. Nouerant enim, promissiones à Christo Ecclesiæ factas, in finem vsque seculi perduraturas: Ioan. 14. *Rogabo Patrem, et* Leo serm. 4. de 40. *alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Matth. 28. *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Hebr. 13. *Non te deseram, neque derelinquam.*

Sciebant insuper Apostoli, per quæ media Christus dona promissa fidelibus vsque ad seculi finem esset largiturus. Hoc autem suo facto nobis declarauerunt, esse manuum impositionem & orationem, dum ordinariè atque securè hoc ritu baptizatis Spiritum sanctum tradiderunt: vt patet Actor. 8. & 19. ad Hebr. 6. vbi hunc ritum Apostolus ad fundamentum religionis pertinere cum baptismo asserit: & 2. Cor. 1. apertè singulas huius Sacramenti partes insinuans: *Qui confirmat nos,* inquit, *Deus, & qui vnxit nos, & signauit nos, et dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Quem locum de hoc Sacramento intelligit B. Ambros. *de iis qui myst. initiantur*, c 7. Theodoretus & Anselmus in Commentario. Ambro. lib. 3. de Sacram. c. 2.

Vbi etiam aduertendum est, Apostolum interiorem gratiæ vnctionem ab externa, discernere, ac significare, quòd interior vnctio ab exteriore denominetur: quoniam sicut oleum corpus, ita gratia, quæ vnctione Chrismatis dãtur, animam vngat. Hinc & *Christiani* à *Chrismate* dicimur. Quid enim aliud est *Christus*, vel *Christianus*, quàm *Chrismate vnctus*? Augustino teste libr. 2. *cont. lit. Petiliani* ca. 104. ad quam Chrismatis inunctionem etiam Ioannes frequenter alludit: *Vos vnctionem accepistis.* Et, *Vnctio eius docet vos.*

Quare in Scripturis hoc Sacramentum, certissimum habet fundamentum, cui accedit perpetua Ecclesiæ traditio, veterũque Patrum & Conciliorum consensus. Clemens epist. 4. se à B. Petro accepisse refert, oportere renasci Deo, ac demum confignari ab Episcopo, vt perfecti efficiamur Christiani. Cornelius dixit: Nouatum non fuisse Chrismatis signaculo consummatum, ideóque nec Spiritum sanctum promereri potuisse, Eusebio teste Melchiades epist. 1. de Baptismo & Confirmatione loquens: *Vtrumque magnum Sacramentum est.* Eusebius epistol. 3. Innocent. I. epistol. 1. cap. 3. Damasus epist. 4. Leo ep. 88. 1. Ioan. 2. Cyril. catech. 3. Aug. tract. 3. in cano. Ioan. Ieronymus in dialogo cõtra Luciferianos. Euseb. li. 6. Histor. c. 33.

Gregor.

Gregor. lib. 3. epist. 9. & in 1. cap. Cantic.

Idem confirmant Concilia Elibertinum can. 38. Arelatense 1. can. 8. Arelatense 2. can. 17. Laodicense can. 7. & 48. Concil. Florent. in instruct. Arm. Tridentinum sess. 7. can. 1.

Dionyi. li. de Eccles. hier. c. 2. p. 2. & c. 4. p. 3.

Inter veteres occurrit Dionys. Areop. lib. *de Eccles. Hierarch.* ca. 2. p. 2. circa finem, qui primitiuæ Ecclesiæ ritus describens, asserit, baptizatum ad Pontificem duci, ab eoque viuifico vnguento signari, perfici ac consummari. Cyril. catech. 3. Nazianzen. *Oratione in Sacrum lauac.* Damasc. lib. 4. cap. 10.

Inter Latinos vetustissimus Tertullianus lib. *de resur. carnis.* Cypriã lib. 1. vlt. lib. 2. epist. 1. Prudentius in hymno ante somnum:

Cultor Dei memento,
Te fontis & lauacri,
Rorem suscubisse sanctum,
Et Chrismate unctum.

Hieronymus in dial. aduersus Luciferianos ait, totius Orbis cõsensu firmari, per Episcopos baptizatis Spiritum sanctum tradi. Ambros. lib. 3. *de sacram.* c. 2. li. *de iis qui myst. initiantur* cap. 7. Optatus lib. 2. *cont. Parm.* ampullam sacri Chrismatis ab Arianis abiectam fuisse refert. Augustinus lib 2. *cont. Petilian.* cap. 104. *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium sigraculorũ sacrosanctum est.* Beda lib. 6. in Lucam, in verba illa cap. 22. *In montem Oliuarum,* ait, *Vt omnes in morte sua baptizatos altissimo Spiritus sancti Chrismate confirmandos esse designet.* Non alius enim quàm Christus postea chrismatis ritum & verba, quibus Ecclesia in Confirmationis administratione vtitur, instituit aut præcepit; teste Fabiano, inituo *Epist. 2. ad Episcopos Orientis.*

Beda lib. 6. in Luc. c. 6.

CAP. LVIII.

De materia Confirmationis.

Materia Sacramenti Confirmationis.

SAcramenti Confirmationis materia, est CHRISMA, hoc est, *Vnguentum ex oleo & balsamo, solenni Episcopi consecratione confectum.* Quamuis enim apud prophanos authores quodlibet vnguenti genus significet, vsu tamen ecclesiastico, non nisi pro vnguento ex pluribus materiis odoriferis confecto vsurpatur. Quam quidem Chrismatis confectionem Apostolos à Domino accepisse, nobisque reliquisse, testatur Fabianus *epist. 2. ad Episcopos Orientis.* Dionysius lib. *de Eccles. hier.* cap. 2. & 4. Concil. Florentinum & Tridentinum.

Clem. lib. 7. constit. Apostol. c. 44. Cypria. in serm. de Vnctione. Chrismatis significatio.

Sess. 7. can. 2. de Confirm.

Aptissime verò Chrisma ex Oleo & Balsamo constans, Confirmationis effectus adumbrat. Quoniam enim oleum est liquor diffluẽs, pinguis, tenax, subtilis, purus, lucidus, calidus, fouens, sanans, emolliens, penetrans, à rubigine præseruans, nutrimentum splendoris & ignis, sursum ascendens, tenebras depellens, quo inungi solent athletæ, ideo conuenientissimè Spiritũ sanctum ista spiritualiter operantem designat, atque interiorem gratiam, quæ mentis tenebras illustrat, voluntatem inflammat, omniumque virtutum operationes corroborat. Iuxta illud Psal. 44. *Vnxit te Deus tuus oleo letitiæ:* & Act. 10. *Vnxit te Deus.*

Aug. li. 15. de trinit. c. 16. In cano. Ioan. tract. 3.

Balsamum autem ratione suæ fragrantiæ, iucundissimique odoris atque virtutis à putrefactione conseruandi ea, quæ illo circumlita fuerint, aptissimè designat, fideles Spiritus sancti gratiâ perfectos ac munitos, virtutum omnium suauitatem diffundere: (vt dicere possint:

Cyril. in Ioan. lib. 3. c. 1. Balsamum quid significet.

2. Cor 2. *Christi bonus odor sumus Deo:*) atque à peccatorū cōtagio facilè defendi.

Exodi 30. Huius sacri vnguenti figura Exod. 30. præcessit, vbi sacerdotes & tabernaculum, omniáque vasa eiusdem thymiamate ex variis odoriferis succis confecto, inungi iubentur, in typum, quòd Christi Ecclesia, quæ verum Dei tabernaculum est, singulique fideles Chrismate, interiorique Spiritus sancti gratia multiplici vngerentur, iuxta Cyprianum serm. *De vnctione Chrismatis.*

Chrisma consecrari debet ab Episcopo. Porrò vt huius sacramenti materia esse Chrisma possit, debet priùs ab Episcopo solennibus precationibus benedici, atque consecrari, vt Christum in nouissima Cœna, quando Chrismatis conficiendi rationem instituit, docuisse, sanctus Fabianus Martyr ex Apostolica traditione refert in epistola sua ad Orientales: & Clemens lib. 7. Constit. Apost. cap. 42. & 44. Damasus epist. 1. Innocent. I. epist. 1. ca. 3. Leo epist. 88. Greg. in 1. cap. Canticorū. Innocent. III. cap. *Cum venisset extra*, de sacra vnct. Concil. Laodicense can. 48. Concil. Romanum sub Syluestro Can. 5. prohibet, ne Presbyteri Chrisma faciant. Similiter Concil. Carthaginense 2. Can. 3. Carthaginense 3. Can. 36. Carthag. 4. can. 36. Concil. Valense can. 3. Toletanum 1. can. 20. declarat, soli Episcopo licere Chrisma consecrare, ac singulis annis ante Pascha renouandum esse. Dionysius Areop. libr. de Eccles. Hierarch. se Chrismatis consecrationem ab Apostolis didicisse testatur. Cyril. Catech. 3. Optatus lib. *cont. Parm.* Aug. lib. 5. *cont. Donatist.* cap. 19. & 20.

Dionys. Areop. lib. de Eccl. hier. cap. 4.

Signū Crucis in fronte quid noceat? Debet insuper chrismatis inunctio (vt proxima sit Sacramenti cōfirmationis materia) in hominis baptizati fronte ad Crucis figuram effici. Ibi namque pudoris sedes est, vbi hoc signaculum fit, vt non erubescamus Christum crucifixum, ne quidem cōram persequutoribus confiteri; vt docet Aug. in Ps. 118. & 141. ad versiculum: *In viâ hac quâ ambulam, absconderunt laqueum mihi.* Et in Psalm. 32. concione 2. Cyril. catech. mystag. 3. Tertullianus de præscript. *Signat.* (Christus) *in fronte milites suos.*

Neque his obstat, quòd Actor. 2. & 10. legamus, Spiritum sanctum in baptizatos absque chrismate descendisse. Nam ibi effectus huius Sacramēti priuilegio singulari absque Sacramenti susceptione datus est. Actorum verò 8. & 19. licet solius impositionis manuum fiat expressa mentio, attamē inunctionem frontis baptizati chrismate adiunctam fuisse, Apostolica traditio confirmat. Solius autem impositionis manuum fit mentio, quia frontem inungendo Episcopus manus imponit, vt obseruat Hugo de S. Victore lib. 2. *de sacram.* p. 7. cap. 7. & Thomas Vvaldensis tom. 2. *de Sacram.* cap. 113.

Vnctione Chrismatis Apostoli sunt vsi. Quod autem Charismatis vnctione Apostoli quoque sint vsi, attestantur Dionysius Areop. Clemens, Fabianus, aliique successores Romani Pontifices. Ad quem ritum alludens Ioannes: *Vos*, inquit, *Vnctionem habetis*, id est, Spiritum sanctum vnctione visibili accepistis; vt in eam epistolam tract. 3. notat Aug.

1. Epist. c. 2.

Tertullian. lib cont. Martionē. Et lib. de Baptismo. Cyprian. in sum. de Vnctione Chrys.

Præterea Vnctionis meminere vetustissimi scriptores: Tertullianus, Cyprianus, Cornelius, Origenes, ante quos nullum Oecumenicum Concilium extitit, à quo Chrismatis vnctio instituti potuerit. Lucas autē exprimendo manuum impositionem, intelligi voluit, omnia esse impleta: quę licet causa breuitatis taceantur, serie tamen tradi-

tionis implēda sciuntur; quomodo Act. 8. dixit: *Baptizauit eū Philippus*, vt admonet Aug. l. de fide & operibus c. 9. & ep. 108. dicens, non omnia, quæ ab Apostolis facta sunt, etiā scripta inveniri; veruntamen ex ceteris documentis facta esse probari.

An balsamum ad essentiā materiæ Sacramenti pertineat disputatur.

Vtrum autē in Chrismate (quod est vnguentum ex oleo & balsamo solenni Episcopi cōsecratione confectum) ex necessitate Sacramenti, an solùm præcepti balsamum adesse debeat; expressè definitum non est. Concilium enim Florentinum in Armeniorum instructione tradit, huius Sacramenti materiam, esse oleum cum balsamo, sicut Eucharistiæ, Vinum cum Aqua. Constat porrò, aquam non ita necessariò admiscendam, vt ea omissa vini consecratio irrita sit.

Quare licèt Veteres Scholastici in dist. 7. lib. 4. sentent. & Iureconsulti in ca. *Pastoralis extra* de sacram. nō iterandis, balsamum ad essentiam materiæ huius Sacramenti necessariū asserant, recentiores tamen nonnulli, ex diuino quidem præcepto balsamum oleo addendum putant, ita tamen, vt si non addatur, non sit irritum Sacramentum. Cajetanus in 3. part. q. 72. art. 2. Soto li. 4. sent. dist. 7. q. 1. art. 2. *Victoria in summâ de Sacramento Confirmationis.*

CAP. LIX.

De Confirmationis formâ.

Sacramenti Confirmationis forma.

ECclesiæ magisterio & traditione verba, quibus Episcopi hoc Sacramentum administrant, habemus. Expressa verò legimus in Concilio Florentino, in Pontificali Romano, & apud S. Thom. p. 1. q. 72. ar. 4. & in Catechismo Romano: *His autem verbis forma Confirmationis absoluitur, præmisso confirmandi nomine: Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Quæ forma cōuenientissimè principalem causam explicat, quæ est sancta Trinitas; & causam ministerialem, quæ est Episcopus, atq; Sacramēti effectum, qui est Christi, facere militem, roborare, atqué armare plenitudine Spiritus sancti, necnon imprimere tesseram seu notam militiæ, qua signatur is, qui in certamen Christianæ militiæ descensurus est. Quæ forma satis indicatur Act. 8. dū Apostoli dicuntur orasse, imponēdo manus, vt Spiritum sanctum acciperent. Noluerunt autem Apostoli, Sacramentorum formas passim scribi; tū, quia ob quotidianum vsum Christianis essent notissimæ; tum, quia nollent infidelibus fidei mysteria sine necessitate prodere, ac ludibrio exponere; vt attestatur Dionysius li. *de Eccles. hierarchiâ* cap. vlt. & Innoc. I. epist. 1. c. 3.

Vocatur autem *Chrisma salutis*, quoniam instrumentum sit, quo Christi salus & gratia, virtúsque salutifera applicatur: quali phrasi Scriptura sacra frequenter vtitur. 4. Reg. 13. *Sagitta salutis.* 2. Cor. 6. *Dies salutis.* Act. 13. *Verbum salutis.* Lucæ 1. *Scientia salutis.* Ad Titum 3. *Aqua regenerationis.* Ioan. 6. *Panis vitæ.* Quibus verbis non significatur, quòd elementa per se aut naturâ suâ salutem præstent; sed quòd illis Christus vtatur tanquam instrumentis, per quæ dona sua hominibus communicet; vt definitur à Concil. Tridentino sess. 7. *de Confirmatione* can. 2.

CAP. LX.

De Confirmationis ministro.

SAcræ Confirmationis ordinarium ministrum esse solum Epi-

ſcopum, non etiam quemuis ſimplicē ſacerdotē, ſacræ literæ oſtendunt, referentes, Confirmandi poAct.8.&19. teſtatem à Philippo Diacono minimè vſurpatam fuiſſe, ſed munus Apoſtolis peculiariter ac ordinariè reſeruatum: quibus in ſummo ſacerdotio & ordinaria poteſtate ſuccedunt Epiſcopi, vt notat Auguſtinus Pſal.44. ad verſiculum: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij*. Leo epi. 88. D. Clemens lib.3. conſtit. Apoſtolicarum cap.10.16. & 17. lib.7. cap.44. item epiſtola 4. refert, ſeà B. Petro accepiſſe, quòd omnibus feſtinandum ſit abſq; mora renaſci Deo, & demū conſignari ab Epiſcopo, id eſt, ſeptiformem Spiritus ſancti gratiam percipere. Vrbanus in Epiſtola ſua decretali: *Fideles per manuum impoſitionem Epiſcoporum Spiritum ſanctum poſt Baptiſmum accipere debent, vt pleni Chriſtiani inueniantur.* Quare vt ſacri Chriſmatis confectio, & manuū ad Spiritus ſancti plenitudinem obtinendam impoſitio, Apoſtolis propria fuit; ita & ſacræ Confirmationis ordinarij miniſtri, ſoli Epiſcopi ſunt. Rectè ſiquidem Hieronymus *contra Luciferianos* dixit: *Ex Scripturæ authoritate deſcendere, quòd Confirmandi munus Epiſcopis demandatum fuerit.* Quod & Beda in cap. 8. Act. obſeruauit, & Concilium Florentinum *in inſtructione Armenorum*, tandémque Tridentinum ſub anathemate definiuit.

Trident. ſeſſ.7. can. 3.decōfirm.

Ac iure hoc miniſterium, congruentérque Epiſcopis delatum eſſe, ex eo intelligi poteſt, quod ſicut ædificij conſummatio architecto reſeruari ſolet, ita Baptiſmi perfectio & complementum primario Chriſti miniſtro decentiſſimè tribuatur: & quemadmodum per Duces & Imperatores milites aſſcribuntur: ita & per ſummos ſacerdotes Chriſti militiæ hominès conſecrentur, vt vel inde illorum ſupra ceteros eminentia commendetur.

Vtrum autē extraordinaria poteſtate, per diſpenſationē Apoſtolicæ ſedis, presbyter Confirmationis Sacramentum conferre poſſit, diſputatur. Durandus, Bonauentura & Adrianus in 4. diſt.7. ſentiunt, presbytero committi non poſſe: Diuus autem Thom. 1. in 3.p.q.72.ar.11. cum ſuis, & Canoniſtæ in diſt.95. contrarium tenent. Quorum opinio probabilior eſt, tum, quia Diuus Ambroſius in c.4. ad Epheſios atteſtatur, in Ægypto presbyteros in Epiſcoporum abſentia confirmare; nec eum vſum reprehendit; tum quia Diuus Gregorius lib. 3. epiſt. 26. Presbyteris Sardiniæ idipſum permiſerit, quod antea vetuerat lib. 3. epiſt 9.

An presbyter Apoſtolica authoritate confirmare poſſit.

Quibus accedit, quòd Concil. I. Arauſicanum can.1.& 2. & Florentinum, atque poſtremò Tridentinum ſatis idem confirment. Sic enim decretum eſt Tridenti; *Si quis dixerit, ſanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemlibet ſimplicem ſacerdotem, anathema ſit.*

Seſſ. 7. can. 3. de confirm.

CAP. LXI.

De Ceremoniis, Sacramento Confirmationis adiunctis.

TRiplices ritus in hoc Sacramento ſunt: quidam enim adminiſtrationem Sacramenti præcedunt, alij comitantur; ac nonnulli ſubſequuntur.

Ceremoniæ in confirmatione adhibeti ſolita.

Primi generis ſunt, Chriſmatis conſecratio, & aliæ variæ ceremoniæ, quæ Feria V. ſanctæ hebdomadis adhibentur in Olei & Balſami benedictione, vt iuxta Apoſtolum *per verbum Dei & orationem ſanctificentur*, aptáque gratiæ diuinæ in-

1. Tim. 4.

strumenta fiant. De quibus ceremoniis Amalarius, Rupertus, & alij *de officiis diuinis* disserentes, tractant.

Vnctio frontis. Secundi generis ritus sunt, qui in ipsa Confirmatione adhibentur, vt inunctio frontis Chrismate ad modum Crucis; vt Christianus intelligat, se nullo metu aut verecundia à libera Christi confessione abstterreri debere. Additur etiam Patrinus, Patrini. quemadmodum in Baptismo, vt fidelis, qui ad spirituale certamen descendit, arte & cõsilio Ducis & monitoris cõtra hostis insidias præmuniatur. Vndè spiritualis affinitas contrahitur, quæ legitima nuptiarum fœdera impedit inter Confirmantem & Confirmatum, illiúsque patrem & matrem, ac tenentem, iuxta sess. 24. Concil. Trident. re- Orationes. form. cap. 2. Dicuntur insuper variæ preces super confirmandum, iuncta manuum impositione, quæ fundantur Actor. 8.

Pacis imprecatio. Rom. 5. Tertij generis ritus sunt, Pax, quæ confirmato datur ab Episcopo in signum acceptæ Spiritus sancti gratiæ, cuius effectus est pax conscientiæ, iuxta illud: *Iustificati ergo pace habeamus.*

Alapa. Præterea confirmatus ab Episcopo leuiter in maxilla cæditur, vt meminerit, se tanquam fortem athletam paratum esse oportere, ad omnia aduersa inuicto animo pro Christi nomine ferenda.

Fascia. Insuper fascia frons obligatur, ad significandum, gratiam acceptam diligenter esse conseruandam, iuxta illud 1. Ioan. 2. *Vnctio, quam accepistis, maneat in vobis.*

Postremo, licet omni tempore Sacramentum Confirmationis ab Episcopo conferri possit, attamen laudabili consuetudine Pentecostes tempore potissimùm administrari cõsueuit, quo Apostoli Spiritus sancti virtute roborati fuisse leguntur.

CAP. LXII.

De Confirmationis effectus.

Effectus confirmationis. PRoprium huius Sacramenti effectum, nomen ipsum Confirmationis indicat, ab eo impositum, quòd Deus per hoc sacramentum id, quod in Baptismo cæpit, addendo nouum gratiæ augmentum, ac peculiare robur, firmet, ita vt fideles aduersus Carnis, Mundi, ac Diaboli insidias cautior robustiórque fiat, in acceptáque per Baptismum innocentia perseuerare facilius possit, audeatque Christi fidem intrepidè sepositio metu atque verecundia profiteri. Efficit enim hoc Sacramentum in singulis, quod in die Pentecostes Spiritus sancti descensio donauit vniuersis: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto*, inquit Lucas. Actor. 2. Per Baptismum Christiani quidem efficimur, sed *quasi modò geniti* infantes teneritudinem, indiscretionem, ac pauorem retinemus, donec Confirmationis Sacramento *induamur virtute ex alto*, qua corroborati, testimonium summa libertate Christo deferamus, omniumque contradicentium minas, verba & verba & verbera contemnamus; exemplo Apostolorum, qui ante Spiritus sancti aduentum infirmi, ac pauidi, Christum in Passione deseruerunt; Petrus etiam ad vocem ancillæ negauit, & post Resurrectionem Domini adhuc metu Iudæorum domi conclusi delituerunt: at in die Pentecostes tanta Spiritus sancti virtute repleti sunt, vt Euangelium non solùm in Iudæa & Samaria, verùm etiam in vniuerso terrarum Orbe audacter ac liberrimè prædicauerint; nihil sibi felicius accidere posse arbitrantes, quàm si pro Christi nomine contu-

Luce 24. Acto. 5. melias, vincula, carceres, tormenta, mortemque perferrent.

Confirmatio characterem imprimis. Præter autem hoc copiosissimæ gratiæ donum, cum Baptismo & Ordine commune habet Confirmatio, quòd characterem animæ indelebilem imprimat, hoc est, signum spirituale distinctiuum permanens, cuius ratione fiat, vt hoc Sacramentum nunquam repeti possit, vt in Concilio Toletano 8. can. 7. & Florentino, atque Tridentino sess. 7. cap. 9. *de Sacram. in genere* definitum est.

Quod & veteres Ecclesiastici doctores tradiderunt. Cyprianus in serm. de ablut. pedum: *Nemo sacro oleo lita iterum linit.* Augustinus lib. contr. lit. Petiliani cap. 104. Rabanus lib. 1. *De instit. cleric.* cap. 30. Amalar. lib. 1. *de officiis Eccles.* cap. 27.

Accedit & ratio. Nam sicut in vita semel tantùm vir efficimur: ita & in spirituali perfectam ætatem, non nisi semel assequi possumus. Et quemadmodum in Baptismo fideles ad certũ genus colendi Deum consecrantur, (inscribuntur enim numero ciuium atq; filiorum Dei) & per Ordinis Sacramentum numero Patrum spiritualium; ita & Confirmatione adscribuntur numero militum. Quare Confirmatio repeti nequit, sicut nec Baptismus aut Ordo.

CAP. LXIII.

De Confirmationis necessitate ac vtilitate.

Confirmationis necessitas. QVamuis Sacramentum Confirmationis ad salutem absolutè necessarium haud existat: à nullo tamen prætermitti debet; maximéque cauendum est, ne in re sanctissima, per quam fidelibus vberrimè diuina gratia dispensatur, aliqua negligẽtia committatur. Quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, à singulis etiam summo studio expetendum est. Quod insinuat B. Lucas dicens: *Et repleti sunt omnes Spiritu Sãcto.* Item: *Replenit totam domum,* quæ imaginem Ecclesiæ gerebat, figurabaturque, hac domus impletione Confirmationis Sacramentũ ad omnes fideles pertinere. Nam omnibus spirituali opus est incremento, vt ad perfectum religionis Christianæ habitum perducantur. Et sicuti hoc spectat natura, vt qui in lucem eduntur, adolescant, atque ad perfectam ætatem perueniant: ita communis Mater Ecclesia vehementer optat, vt per Baptismum infantes generati, in viros perfectos euadant, Christianique hominis forma plenè consummetur. Nam ideo Nouatum ad hæresim procliuiorẽ fuisse, sensit Cornelius Papa, quoniam signaculo Chrismatis cõfirmatus non esset, Eusebio teste li. 6. Histor. cap. 33. Acto. 2.

CAP. LXIV.

De Confirmandi etate ac preparatione.

NE præpropera festinatione, aut nimia cunctatione fideles in hoc Sacramento suscipiendo vtantur: sciendum est, omnibus quidem post Baptismum posse administrari, sed minùs tamen expedire, vt pueri ante Rationis vsum, priusquã pro Fide, & contra Diaboli, Carnis, & Mundi tentationes, vim, ac insidias depugnare apti sint, cõfirmẽtur maximéque conuenire, vt ætas certamini idonea exspectetur, quæ anno fere septimo talis censetur, quã-

do Rationis vsus se exerit, vt contra vitia rationi contraria decertare puer valeat.

Confirmandus autem, ad huius Sacramenti gratiam consequendam, fide ac pietate præparandus est. Vndè si prouectiore iam ætate illud suscipere velit, & ab innocentia in baptismo data per grauiora peccata lapsus sit; ex animo dolere, ac peccata priùs eum cõfiteri oportet, necnon per ieiunia, orationes, aliaque pietatis officia præparari, vt Spiritus sancti aduentum expectasse Apostolos, aliósque fideles legimus Actor. 1. *His omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione & obsecratione, cum mulieribus, expectantes scilicet Spiritus sancti aduentum*; quem omnes fideles illorum exemplo summa cum diligẽtia sanctè ac religiosè suscipere studeant: nec per contemptum aut desidiam Confirmationis Sacramentum suscipere differant. Contemnit autem, qui illud paruifacit, & habita opportunitate sumere omittit; aut qui ante ordinationem, vel primam tonsurã non suscipit. Iuxta Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 4. *Reform.* quem tamen nullam incurrere censuram, tradit Nauarrus Enchiridij cap. 22. numero 9.

Luc. 24. Act. 1. & 2.

CAP. LXV.

De Eucharistiæ Sacramento.

QVemadmodum homines in lucem editi ad vitam conseruandam alimento indigent corporali: ita per Baptismum vitam spiritualem ingressi, & per Confirmationis Sacramentum Christi militiæ asscripti, cælesti, alimonia, qua spiritualem animæ vitam tueri, virésque ad certandũ in hac palestrâ reficere possint. Vtque singulare perfectissimámque Christi erga se charitatem fideles experirẽtur, non vsitato cibi genere, sed omnem naturæ ordinem superante, illos pascere voluit, proprio videlicet Corpore atque Sanguine. Et ne crudelitatis aut immanitatis species, vel horror facinoris homines ab hoc salutifero cibo sumendo deterreret, inexplicabili consilio Dominus augustissimũ Eucharistię Sacramentum instituit, quod ipsum Sanctitatis Vitæque fontem contineret, quem sub consuetis panis acvini speciebus absque metu vel horrore fidelis in animæ cibum, spiritualémque refectionem acciperet & manducaret. Cuius sanctissimi Eucharistiæ Sacramẽti tanta est maiestas & dignitas, vt nullum aliud gratiæ diuinæ instrumentum cum isto comparari queat. Est enim immensi amoris Christi admirabile pignus, vniuersorum Dei beneficiorum compendium, Euangelicæ Legis perfectio, cui datum est, id ipsa habere, quod signis tantùm & figuris Mosaicæ Legis tempore adumbratum fuerat. Per hoc enim Sacramentum Ecclesia inter Synagogam & cælestem Ierusalem media constituitur, vno tantùm gradu ab ea distans, cùm ei cum Cælitibus commune sit, Christum Deum & hominem habere; in eo solùm distans, quòd illi præsentes beata eius visione perfruantur; hæc verò præsentem, sed ab oculorum sensu remotum, sub mysteriorum integumentis se occultantem fide veneretur. Cuius augustissimi Sacramenti cùm propriùs effectus sit, fideles Christo ac inter se vnire, iuxta illud Apostoli: *Vnus panis, & vnum corpus multi sumus: Omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus*: attamen pacis inimicus Satanas per Lutheranos & Sacramentarios tot rixas

1. Cor. 10.

pernicioſáſque de hoc Sacramento controuerſias excitauit, vt Symbolum vnitatis & amoris, nunc factum videatur ſignum inimicitiarum, rixæ atque contradictionis. Vndè multis exorſum inutiléque redditur hoc Sacramentum, ex quo vitam, gratiæ augmentum, multipliciáque Dei munera fideles haurire debuerant, quæ variis huius myſterij nominibus inſinuantur.

Lucæ 2.

CAP. LXVI.

De variis Euchariſtiæ nominibus.

CVm huius Sacramenti dignitatem, excellentiam, multiplicéſque fructus vno vocabulo exprimere Scriptores Eccleſiaſtici nequirent, diuerſis appellationibus vocarunt, I. *Euchariſtiam*, id eſt, bonam gratiam vel gratiarũ actionem, quòd gratiæ fontem Chriſtum realiter contineat, vitæque æternę pignus ſit, & ſummam Chriſti erga nos gratiam, amorem, fauorémque atteſtetur: tum etiam, quia in ſacrificium à Chriſto inſtitutum ſit, quo ſolenni Chriſtianæ religionis ritu gratiæ Deo pro cunctis naturæ atque gratiæ beneficiis agantur; ac ſpecialiter pro noſtra Redemptione, morte Chriſti peracta; iuxta Domini verba: *Hoc facite in meam commemorationem*: & illud Auguſtini: *Quod eſt ſacratius laudis ſacrificium, quo Dominus honorificatur, quàm quod eſt in gratiarum actione?* Hinc Dominus panem & calicem accipiens gratias egit, & panem in Corpus ſuum, atque vinum in Sanguinem conuertendo, Patri ſacrificium gratiarum actionis obtulit, & Apoſtolos, eorumque in Sacerdotio ſucceſſores, idem ſacrificium Deo in gratiarum actionem offerre conſimili actione inſtituit.

Aug. lib 1. cõt aduerſ. legis & Prophetæ.

Li. de Spir. & lit. c. 11. Epiſt. 120.

Sortitur & nomen ex materia, ex qua fit: à qua dicitur *Sacramentum panis*, vel *calicis*: aut à re contenta, vocatur *Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini*: vel à loco, in quo conficitur, *Sacramentum Altaris* appellatur: aut ex tempore inſtitutionis, *Sacramentum Cœnæ Dominicæ* nuncupatur: item ab vſu, *Viaticum*: à congregatione fidelis populi ad exhibendum in hoc Sacramento cultum Deo, vocatur *Synaxis*: ab externo ritu, qui circa illud fit, appellatur *Fractio panis*, *Calix benedictionis*. Item ab effectu, *Communio* dicitur, ſiue *Cõmunicatio Corporis & Sanguinis Domini*, atque *Sacramentum pacis, charitatis & amoris*. Vndè ſolent Epiſcopi Romani aliis peregrè aduenientibus Euchariſtiam trãſmittere in ſignum concordiæ ac pacis, Euſebiõ teſte: hoc enim Sacramento Chriſtiani ſe vnius corporis membra profitentur ſub Chriſto capite, ac inter ſe vnita. Quam vnionem hoc Sacramentum ſignificat & efficit. Iuxta illud Apoſtoli: *Vnus panis multi ſumus, qui de vno pane participamus*. Matthæus vocat *Panem ſuperſubſtantialem*, qui videlicet animam fouet, confortat, recreat, corroborat. Ab Hieronymo epiſt. *ad Hedibiam* quæſtio. 2. vocatur *Conuiuium*. A Dionyſio appellatur *diuinum Euchariſtiæ, auguſtiſſimúmque Sacramentum, reliqua perficiens atque conſummans*. Ambroſius oratione *de obitu fratris Satyri*, vocat *fidelium Sacramentum*. Ab Aphricanis lingua Punica nuncupatur *Vita*, teſte Auguſtino lib. 1. *de Peccat. merit.* cap. 24. Qui & epiſt. 120. cap. 24. & 19. vocat *Sacrificium & oblationem Chriſtianorum, quam fideles norunt, vbi quando, & quomodo offeratur*.

Matth. 26. 1. Cor. 11. Iuſtinus Apolog. 2.

1. Cor 10. Act. 2. & 20.

Damaſcen. lib. 4 de fide cap. 14. Aug. tract. 26. in Ioan. Euſeb. lib. 5. hiſt. c. 24.

1. Cor. 10. Dionyſ. Areop. lib. Eccl. Hier. p. 1. c. 3. & c. 3. p. 1.

Lib. 1. de peccat. merit. cap. 24.

CAP.

CAP. LXVII.

Quòd Eucharistia, veri nominis Sacramentum, sit aliis multò.

EXplicata nominis ratione, ostendendum est, Eucharistiam proprij nominis esse Sacramentum, vnum scilicet ex septem, quæ ab initio Ecclesia religiosè coluit. Et quoniam ex Scripturis, Patribus, & Conciliis illud manifestissimum est, támque Sectarij quàm Catholici idipsum agnoscunt, declarabimus, quid in Eucharistia Sacramenti rationem obtineat, hoc est, quodnam ibi signum reperiatur, quod sanctitatem ex Christi instituto significet ac efficiat.

Panis & vini speeies, Corpus & Sanguinem Christi cõtinẽtes, sunt proprie Sacramẽtum. Cõcil. Floren. Cõcil. Triden. sess. 7. & 17. Aug. lib. 3. de Doctri. Christ. c. 19. Epist. 23. & 118. Concil. Tridẽ. sess 13. c. 13. & 6. & can. 4. & 7. Aug. li. 20. contr. Faustum, c. 13.

Concilij Tridentini doctrina est, panis & vini species, post cõsecrationem remanentes, absolutam Sacramenti rationem habere, quia significãt ac efficiant vnionem membrorũ Ecclesiæ cum Christo ac inter se, internámque seu inuisibilem animæ refectionem, quæ hoc spirituali cibo vegetatur, sustinetur, & recreatur, non minùs quàm externo cibo & potu corporis vires reficiuntur, vt à Domino insinuatum est, dicente Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus.* Quibus verbis docet Ioannes, diuinam & cælestem gratiam, quæ animam alat & conseruet, Eucharistiæ Sacramento tribui. Quemadmodum enim Baptismo in nouam vitam gignimur, Confirmatione roboramur: ita Eucharistiæ Sacramento alimur & sustentamur. Quam spiritualem refectionem, species panis & vini visibiles, corpus & sanguinem Christi continentes, aptissimè significant & efficiunt.

Præter autem hanc præsentem gratiam, quam Eucharistiæ Sacramentum significat & efficit, sunt & alia mysteria, quæ hic adumbrantur. Primùm, est Christi passio in Cruce peracta: iuxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, mortem Domini annuntiabitis.* Alterum, est futurum. Prænuntiatur enim æternæ iucunditatis & gloriæ fructus, quando Christo reuelata facie viso, reficiemur. Quod Ecclesia his verbis tradit: *O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis eius, & futura gloria pignus nobis datur!* Luc. 22. 1. Cor. 11.

Sciendum tamen hic est, interdum & consecrationem, & perceptionem, atque sæpius ipsum Domini corpus & sanguinem in Eucharistia contentum, vocari *Sacramentum*, sed minùs propriè. Sic enim Sacramentum hoc adorandum esse dicimus, nimirum Corpus & Sanguinem Domini intelligentes: & Sacramentum duabus rebus constare, scilicet terrenâ & cælesti: atque Sacramentum hoc effici ex verbo & elemento, quia videlicet illa duo concurrunt, vt Sacramentum fiat, ita tamen, vt in Eucharistia post consecrationem elementum, quoad naturæ proprietatem, non remaneat, sed tantùm quoad externas species, & verbum, non nisi quoad virtutem. Iren. lib. 4. cap 34. Iustinus Apolog. 2. Aug. lib. de Catech. rudibus. c. 16.

Proindè hoc Eucharistiæ Sacramentum ab aliis differt, quòd cetera in actione consistant, vsúque materiæ perficiantur, ita, vt idem sit illis, fieri ac esse, quodque in illis nulla, dum conficiuntur, elementi in aliam naturam mutatio fiat: in Eucharistia verò ad eius perfectionem sufficiat, ipsius materiæ semel facta consecratio, per quàm elementi substantia conuertitur in Sacramentũ Eucharistiæ in re permanẽte consistit.

Corporis & Sanguinis Domini substantiam, remanentibus solùm panis & vini speciebus, quæ Sacramentum esse non desinunt, etiam quando in pyxide, aut alio loco reseruantur. Non enim hoc Sacramentum in re fluente, putà motu actione, applicatione, aut vsu materiæ consistit, sed in re permanente, quæ vim significandi atque sanctificandi, etiam extra vsum retinet. Caro enim viuifica Christi, hîc instrumentum est, quo Deus animam viuificat per immanentem Spiritum, qui est principalis causa sanctificationis.

Ioan. 6.

Tertullian. lib. de resur. carnis. Cyrill. in Ioan. lib. 4. cap. 14.

Porrò iustissima ratione Deus hoc Sacramentum in re permanente potiùs, quàm alia constituit, quia Eucharistiam non solùm ad gratiam sacramentalem consequendam valere voluit, sed præterea nouæ Legis sacrificium esse pignus amoris diuini, alimentum spirituale, infirmorum viaticum, religionis Sacramentum semper expolitum, ad quod populus fidelis causa religionis concurrere possit, ibique Deo venerationem cultúmque exhibere. Ad quæ omnia re permanente opus erat. Nam sacrificium visibile rem exigit, quæ mutari, sanctificari, offerri, sumíque possit.

CAP. LXVIII.

De Prophetiis, figuris, & promissionibus Sacramenti Eucharistiæ.

Typi Eucharistiæ: prophetæ atque promissiones.

QVo summa Dei beneficia hominibus optabiliora fierent, prænunciari ferè tribus modis solent: oraculis Prophetarum, Figuris, & apertâ promissione. Sic Eucharistiæ institutio, dignitas, & vtilitas prædicta est. Gen. 49. *Lauabit in vino stolam suam, et in sanguine vuæ pallium suum*, interprete Cypriano libr. 2. epistol. 3. Prouerbiorum 9. *Sapientia mactauit hostias suas, miscuit in cratere vinum suum, clamans: Venite & edite de panibus meis, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Psalmo 21. *Manducauerunt et adorauerunt omnes pingues terræ.* Augustin. ibi in Comment. & in Psalm. 98. Ambros. in Psalm. 38. eorum, quæ in hoc Sacramento celebrantur, vetustissimam fuisse dicit prædictionem in sermonibus Prophetarum.

Quemadmodum verò hoc Sacramentum verbis, ita & variis actionibus & ceremoniis præmonstratum est, cui omnia prisca sacrificia tanquam vmbræ corpori cesserunt. Leo serm. 7. *de Pass. Domini.* Augustin. lib. 1. *aduersus hostem Legis & Prophet* c. 18. Et *in secreta Dominica 7. post Pentec. Deus, qui legalium omnium hostiarum differentias vnius sacrificij perfectione sanxisti*, &c.

Antiquissima porrò Eucharistiæ figura, Lignum vitæ in Paradiso constitutum fuit, quod adumbraret, Christum in Ecclesia vim quandam de Carne & Sanguine suo vitalem præbentem, qua tam animæ quàm corpora ab æterna morte ac peccati tabe conseruarentur. Augustinus libro 13. *de ciuit.* capite 20.

Secunda figura in Abelis sacrificio emicuit, qui per ouium primitiua, quæ obtulit, sanguinem Agni immaculati oblatum, in Redemptionis mundi precium, adumbrauit. Augustin. libr. 12. *contr. Faust.* cap. 18. Gen. 4.

Tertia in oblatione Panis & vini Melchisedech reperitur. Hic enim tanquam Sacerdos in gratiarum actionem Deo, in participationem & comestionem Abrahæ, &

in omne religionis officium obtulit, præfigurans Christum, per modum morientis se in Sacramento immolantem. Vnde Hieronymus in epist. ad Euagrium: *Melchisedech in pane & vino Christi Sacramentum dedicauit.* Ambros. libr. 4. *de Sacra.* c. 3. Euseb. libr. 5. *Demonst. Euang.* c. 3. Chrysost. homilia 35. in Gen. Damascen. libr. 4. c. 14. Cyprianus lib. 2. epist. 3. Huc pertinet illud Psalm. 109. *Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech*; & doctrina Pauli Hebr. 7.

Quarta figura fuit, Manna de cœlo, Exodi 16. Panis angelorum Psal. 77. adumbrauit panem, qui de cœlo venit. Deut. 8. De quo non amplius habuit, qui plus collegit, Exodi 16. sapotem omnis cibi suppleuit. Sapientiæ 16. Quare Dominus Ioan. 6. inter Menna & Eucharistiam comparationem instituit, Apostolus quoque 1. Corinth. 10. Manna & aquam ex petra fluentem ad Christi manducationem & bibitionem accommodat. Ambrosius in Psalm. 38. *Aqua de petra, Sanguis ex Christo.* Lib. 5. *de Sacramen.* capit. 5. & libr. *De iis qui mysteriis initiantur.* Augustin. tract. 11. in Ioan. Rupertus libr. 9. *De gloria & honore filij hominis* notat, in Manna & aqua fluente de petra, prænunciatas esse contra dictiones contra Sacramentum Eucharistiæ futuras; item murmurationes, dubitationes, irrisiones, abusus, hæreses. Admirati enim Iudæi cum fastidio dixere: *Quid est hoc?* Exodi 16. Alij vocarunt cibum leuissimum, Numerorum 11. & 22. Alij tentantes Deum dixerunt: *Nunquid panem poterit dare?* Psal. 77. Porrò à murmure *Aqua contradictionis* nuncupata est, Numerorum 20. Ex eáque perfidia hominum strages in deserto sequuta est, quæ omnia facili negotio Fucharistiæ applicari queunt.

Quinta Illustrissima Sacramenti Eucharistiæ figura in Agno Paschali præcessit, qui masculus anniculus, tenerrimus, immaculatus, à reliquo grege selectus ad celebrandum Pascha, XIV. Lunâ in domo coniunctim, cum azymo, pane, ac lactucis agrestibus, sine ossium, cõminutione, integer comedẽdus erat Exod. 12. Ad quem alludens Agnũ Dominus Marc. 14. & Luc. 22. ait: *Desiderio desideraui hoc Pascha mãducare vobiscum antequam patiar.* Et de industria transiuit de Cœna illius Agni, ad Cœnam noui Testamenti; de immolatione veteris Paschæ, ad oblationẽ Agni immaculati. De quo Paulus 1. Cor. 5. *Pascha nostrem immolatus est Christus,* significans, Pascha vetus impletum fuisse à Christo per institutionẽ noui Sacrificij sub speciebus panis & vini in nouissima Cœna. Leo serm. 7. de pass. Domini: *Antiqua observentia nouo tollitur Sacramento.* Gregor. hom. 22. in Euang. *Quid sit sanguis Agni Paschalis, non tam audiendo quam bibendo didicistis.*

Postremò, Eucharistiam adumbrabant panes propositionis, qui à puris tantùm hominibus manducari poterant: Exodi 40. 1. Regum 21. Damascen. lib. 4. c. 14.

Eucharistiæ vis adumbrata in pane Heliæ, aliisque figuris.

Energia verò istius Sacramenti, quo in hac peregrinatione, donec in cœlum perueniamus, roboramur, in pane Heliæ significatur 3. Regum 19. Et quòd hic panis ab vno sumptus alteri quoque sufficiat, nec consumatur, in vasculo farinæ non deficientis ostensum est 3. Regum 17.

Quantam insuper virtutem ad profligandum hostes spirituales Eucharistia habeat, indicauit panis, quem Gedeon vidit euertentem

impetu castra Madian, Iudicum 7. Panes denique subcinericij Angelis ab Abraham propositi, Gen. 18. Item, sanguis Testamenti, Exod. 24. Hebr. 9. Ad quem Christus in Sacramenti Eucharistiæ institutione alludens, dixit: *Hic Calix nouum Testamentum est in meo sanguine*, Lucæ 22. & Matth. 26. *Hic est sanguis meus noui Testamenti.* Et, *Mandatum nouum do vobis*, Ioan 13.

Rursus sanguis & aqua de Christi dormientis in Cruce latere fluentia, sanguinem Eucharistiæ, quem bibimus, expresserunt. Cyprian. libr. 2. epistol. 3. Augustin. tract. 5. in Ioan.

Et quoniam in hoc mysterio firma fide credendo, difficultatem Christus fore præuidit, animos discipulorum ad tam grande mysterium aperta promissione præparauit. Ioan. 6. *Panis quem ego dabo, caro mea est. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aternam.* Ac ne tropum suis verbis inesse arbitrarentur, omnem sermonis improprietatem excludens, subiecit: *Caro mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus:* q. d. *Facessant, qui ad tropos verba mea deducunt: dico propriè ac realiter, non solum in typo aut fide, manducari carnem meam, vel bibi sanguinem.* Quibus verbis aliisque ibidem de huius mysterij dignitate auditis, increduli permulti à Christo recesserunt: Petrus autem & Apostoli hac sublimi disputatione confirmati, Christum verba æternæ vitæ habere profitentur, ac cum eodem vsque ad huius Sacramenti institutionem participationémque permanserunt.

CAP. LXIX.

De Eucharistiæ institutione.

CHristus duabus ex causis Eucharistiam instituit, vt scilicet nobis esset in Sacramentum, & in Sacrificium: hoc est, in alimentum spirituale, quo animæ vitam tueamur & confirmemus, & in ritum seu ceremoniam externam, qua Deum vt supremum Dominum colamus, placatúmque nobis efficiamus, ei offerendo inuisibilis sacrificij visibile signum. Institutio Eucharistiæ.

Institui autem huiusmodi animæ cibum, per quem etiam corpus suo tempore immortalitatem recuperaret, diuinæ Sapientiæ conuenientissimum fuit, vt quod gustu vetiti cibi amissum erat, esu huius diuini Sacramenti resarciretur: ac vndè mors animæ & corporis irrepserat, indè vita vtrique redderetur: & sicut dictum fuerat: *Quacunque die comederis, morte moreris:* ita dici posset: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in aternum*, vt scilicet non solùm ab inhabitante Spiritu sancto viuificaretur, sed etiam terrestre hoc corpus cognato sibi cibo ad immortalitatē reduceretur, vt obseruauit Cyrillus libro 4. in Ioann. capite 14. Gen. 2. Ioan. 6.

II. Voluit Christus arctissimè fidelibus vniri, non solùm voluntate, amore, atque charitate, sed etiam naturarum atque corporum commixtione, quomodo coniuges inter se vniuntur, vt scilicet membra, duorúmque caro vtrique communia fiant. Iuxta Apostolum 1. Cor. 6. & ad Ephes. 5. & illud Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, in me manet, et ego in eo.* Quam vnionem illustrat Cyrillus exemplo ceræ li- Cyril. lib. 4. in Ioan. ca. 17.

quefactæ, quæ alteri etiam liquefactæ sic comiscetur, vt ex vtráq; vna fiat, vt adimpleatur illud: *Qui manducat me, viuet propter me.* Hac enim ratione mortui ad vitam commodissimè reuocántur, si cómiscentur illi, qui vitam habet in semetipso, ac nostra mortalia corpora viuificare potest. Hilarius lib. 8. *de Trinit.* Damascenus lib. 4. cap. 14.

Ioan. 6.

III. Christus eminentissimam suam erga fideles charitatem declarare voluit, dando se non solùm pro ipsis in redemptionis pretium, sed etiam in cibum. Vehementer enim amantium vox est: *Quis det de carnibus eius, vt saturemur? Hoc fecit Christus,* ait Chrysost. *permittens se non tantùm videri, sed & tangi, dentésque sua carni infigi, suique desiderio omnes impleri.* Qua in re Christus omnes alios Pastores longè superat, & matres. Suum enim gregem non solàm lacte, vberrimísque doctrinæ suæ pascuis, sed insuper propria carne, suóque cruore amantissimè reficit. Magna à magnis agi congruit: ideoq; nobis à Deo data sunt digna diuinâ magnificentia. *Diuissima illa natura, summa nobis largita est munera: Sacramentum videlicet amoris, pacis, charitatis, ac diuina nobiscum vnionis,* Aug. tract. 26. in Ioan.

Iob. 31. Hom. 24. in 1. ad Cor.

IV. Institutum est hoc Sacramentum, vt perenne sit pignus ac memoriale omnium mysteriorum, à Christo in carne peractorum. Iuxta illud Psalm. 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum.* Quemadmodum enim Helias in Paradisum ascensurus, pallium suum discipulo reliquit: ita Christus in cœlum sublimandus, loco reliquiarũ, & in testimonium perpetui amoris, seipsum in hoc Sacramento fidelibus reliquit. Chrys. hom. 2. ad pop. Antioch. Euseb. Emissenus hom. 5. *de Paschate.*

V. Reliquit Christus se in hoc Sacramento fidelibus, vt firmissimum haberent Christianæ religionis testimonium contra hæreticos, Christi veram carnem, siue resurrectionem, siue mortem, siue reliquam vitæ dispensationem abnegantes. Contra quales ex hoc Sacramento disserit Irenæus lib. 4. c. 35. Ignatius in epist. ad Smyrnenses.

VI. Christus reliquit hoc Sacramentum, vt Ecclesia quotidianum suæ fidei exercitium haberet, in quo Dei verbo debitã obedientiam contra rationis ac sensuum iudicium præstaret. Si enim primi parentes diabolo per gustum cibi vetiti diuinam similitudinem promittenti crediderunt: multò iustiore causa fideles Domino credunt asserenti: *Qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.*

VII. Christus hac ratione mederi voluit superbiæ nostræ, summam humilitatem commendando, quæ apparuit in Incarnatione, morte, ac in eo maximè, quòd infimis ac insensibilibus creaturarum speciebus sese adiungere, sub eisque bibi, comedi, ac deglutiri dignatus fuit. Id quod incredulis quidem stultitia videtur, at fidelibus profundum humilitatis mysterium, diuinæque sapientiæ argumentũ creditur. *Per humilitatem* enim *cibus Angelorum, factus est cibus hominũ*, vt prosequitur Augustinus Psal. 33. concione 1.

Postremò hoc Sacramentum institutum fuit, vt Christus vsque ad seculi finem etiam præsentia corporali nobiscum, quamuis sub alia forma, in propria tamen substantia remaneret, vt iugiter à nobis coli, adorari, inuocari, omnique honoris genere in hoc Sacramento celebrari, ac Deo cũ grata beneficiorum recordatione in sacrificiũ offerri posset. Euseb. Emissen. ho. 5. de Pasch.

CAP. LXX.

De institutore Sacramenti Eucharistiæ.

Christus omnia noui Testamenti Sacramenta instituit. Conc. Trident. sess. 7. can. 1.

QVemadmodum omnium veteris legis sacrificiorum Deus institutor fuit ita omnium nouæ legis Sacramentorum, (in quibus noui Testamenti externus cultus potissimùm cõsistit,) Christus author est, per quem gratia, & veritas, legisque Mosaicæ vmbræ adimpletæ sunt; quique nouum Testamentum in suo Sanguine dedicauit, veteráque omnia sacrificia in vnam sui Corporis & Sãguinis hostiam commutauit, quam per seipsum incruento ritu in nouissima Cœna Deo Patri obtulit, ac vsque ad seculi finem in suæ mortis commemorationem ab Apostolis, eorúmque in Sacerdotio successoribus offerri constituit, dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem.*

CAP. LXXI.

De circumstantijs institutionis.

Circũstantiæ institutionis Eucharistiæ.

QVanto affectu Dominus ad veteris Testamenti adimplet ionem, & ad noui cultus institutionem accesserit, Luc. c. 22. verbis illis insinuat: *Desiderio desideraui hoc Pascha mãducare vobiscũ, antequam patiar.* Non vtique irrationalis agni carnes tantopere concupierat, sed Pascha suum, quod impleto vetere confestim facturus erat, singulare videlicet nouæ religionis mysterium institui vehementer expetebat. Hinc Ioannis 13. describitur, ex quanto fidelium amore ad hoc opus processerit: *Sciens* IESVS, *quia venit hora eius, vt transeat de hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos. Et Cœnã factã,* &c.

Tertullian. lib. 2 aduersus Marc.

Denique rem insolitam maximámque facturus, suam authoritatem commendat: *Sciens, quòd omnia Pater ei dedit in manum.* Sic baptismum promulgaturus: *Data est mihi,* ait, *omnis potestas in cœlo & in terra.* Et Pœnitentiæ Sacramentum instituturus: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Matth. 28. Ioan. 20.

In ipso denique opere solennes ceremonias adhibuit, lotionem pedum discipulorum præmisit, in cœlum suspiciens Patri gratias egit, eúmque laudauit, vt doceret, quantam humilitatem, charitatem, ac munditiem Sacramentum hoc exigeret.

Illustrauit quoque huius mysterij institutionem prolixa oratione, quam Ioannes cap. 13. & sequentibus describit, in qua inter alia dicit: *Ego pro ipsis sanctifico meipsum*: hoc est, offero meipsum, dedicando nouum Testamentum in sanguine meo, ac secundùm ordinem Melchisedech sub panis & vini speciebus meipsum sacrificando, ritu ac cultu noui Testamenti, quem iam abrogato veteri Mosaico instituo, & in noua lege vsque ad diem iudicij obseruari volo. Ambr. lib. de myst. cap. 6. Bernardus in serm. de cœna Domini.

Tempus institutionis Eucharistiæ.

Tempus insuper institutionis, dignitatem huius Sacramenti ostendit. Vltimo enim suæ mortalis vitæ momento, Dominus seipsum discipulis in pignus amoris Testamento donat, vt mysterij altitudinem vehementiùs commendaret, tenaciúsque Apostolorum memoriæ infigeret. Neque mysterio vacat, quòd certum tempus anni, mensis, diei, atque festiuitatis elegerit; putà mensem primum anni, decimamquartam Lunam, primam diem azymorum, feriam quintam ad vesp. Aug. epist. 118. c. 6.

peram, quando agnus Paschalis immolandus erat, vt scilicet hostia vetus in nouam transiret, antiquáque obseruatio nouo tolleretur Sacramento. *Vetus* enim *Pascha consummando, nouum condebat, nouique Testamenti nouam oblationem docebat*, ait Irenæus libr. 4. capit. 32. Et *pro brutorum cæde seipsum offerendum præcipiebat*, Chrysost. hom. 24. 1. ad Cor. Iamque Domini passio incipiebat: nam Traditor tunc eum vendiderat. *Tempus meum propè est*, aiebat Dominus Matth. 26.

Leo ser. 7. de Pass. Dom.

Præterea locum, in quo Sacramentum institueret, non alium delegit, quàm sanctam ciuitatem, Sacrificijs offerendis destinatam, vt per omnia figuras adimpleret. Selectum insuper ac honorificum locum apud hospitem indicijs & miraculo quærendum dedicationi noui Testamenti cõgruum designauit, Lucæ 22. Origen. ho. 35. in Matth.

Locus institutionis Eucharistiæ.

Postremò in huius Sacramenti institutione solos Apostolos adesse voluit, quos tunc etiam noui Testamenti Sacerdotes constituit, quibus noui cultus ministerium, supremámque administrandæ regendæque Ecclesiæ, conficiendi quoque huius Sacramenti, Deóque offerendi, ac hominibus postea dispensandi potestatem commisit. Ob quam rem promiscuum vulgus discipulorum, imò & propriam Matrem abesse voluit, ne omnibus Christianis sacerdotium noui Testamenti commune putaretur.

Conc. Trident. sess. 22. c. 1.

CAP. LXXI.

De materia Sacramenti Eucharistiæ.

Materia Eucharistiæ: Panis & Vinum

HIstoriam institutionis Sacramenti Eucharistiæ legimus Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. & 1. Cor. 11. vbi reperimus, Christum inter cœnandum accepisse panem, gratias egisse, benedixisse, fregisse, dedisse, dicendo: *Hoc est corpus meum*; ac subiunxisse: *Hoc facite in meam commemorationem.* Similiter & calicem vini suo facto ac præcepto commendasse ad alteram Sacramenti speciem, vt nefas sit, in alio creaturarum genere hoc Sacramentum confieere, quàm in pane, & vino aquâ permixto: in quibus alimentis hanc solennem religionis ceremoniam Dominus confecit, & deinceps confici voluit, dicendo: *Hoc facite.*

aqua mixtum.

Sub aliena verò specie Christus seipsum fidelibus in alimentum dedit, ne humanam carnem, & sanguinem in propria specie ferino more sumere exhorresceremus, vtque fides locum haberet ac meritum; ac insuper, vt nos esse peregrinos agnosceremus, semperque ad Christum reuelata facie intuendum anhelaremus.

Cur sub panis & vini speciebus se Christus nobis præbeat. Greg. ho. 26. in Euangelia.

Sub familiaribus autem hominì panis & vini speciebus se Dominus præbuit, vt se hominum spiritualem vitam & alimoniam esse designaret. Panis enim cor hominis confirmat, & vinum lætificat; duóque ista plenam hominis refectionem continent, adeò, vt solis illis absque ceteris cibis salubriter viuatur, & absque illis nulla sit generosa, commodáque refectio: quorum proinde vsus non est fastidio, & ad omnem vitæ partem latissimè porrigitur. Sunt enim panis & vinum primitiæ creaturarum Dei, hominibus ante peccatum in refectionem concessæ: sunt res mundæ, tractabiles, ad religionem à Melchisedech sacerdote assumptæ, in cuius sacrificij ritu, noui Testamenti oblatio præfigurata fuit, quæ à Malachia *Oblatio munda* vocatur, quòd non in peccorum

Iren. lib. 4. c. 23.

vel auium cruore vel sanguine consistat, quæ absque coinquinatione tractari nequeunt: sed in oblatione Corporis & Sanguinis immaculati Christi, sub nitidissimis speciebus panis & vini, quæ quidem species ex multis granis in vnum redactis confectæ, aptissimè vnionem fidelium cum Christo ac inter se designant. Vnum enim Ecclesiæ corpus ex multis membris componitur, sicut vnus panis ex multis granis, & vnus calix vini ex multis racemis. Iuxta illud Apostoli: *Vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus.* Cyprian. li. 2. epist. 3. Augu. tract. 26. in Ioan, Eusebius Emiss. hom. 5. *de Pascha.*

1. Cor. 10.

Vis & effectus Eucharistiæ in speciebus panis & vini adumbratur.

Vis ergo & effectus huius Sacramenti externis his symbolis adumbratur, congruentissimèque cruenta Christi in cruce oblatio representatur. Insensibilis enim panis species arida, seorsimque consecrata, nobis exsangue Christi corpus exhibet: liquida verò species vini seorsim consecrata, effusum Christi in morte sanguinem.

Quis & qualis panis sit Eucharistiæ materia?

Ex quibus licet veri ac proprij nominis panem, Eucharistiæ materiam esse constet, attamen, quoniam varia sunt Panis genera, putà ex tritico, siligine, oriza, hordeo, spelta, auena, vel ex leguminibus, aliisque terræ fructibus: & rursus vni pani fermentum additur, alter azymus permanet, meritò QVÆRITVR, An certa panis species & qualitas ad Sacramenti confectionem necessaria sit?

Quibusdam sufficere videtur, vt in vsum huius Sacramenti assumatur, quod communi hominum æstimatione ex frumento confectum, *Panis* nomen & rationem habet, quia scriptura solùm expressit, Christum accepisse panem, & vetusti scriptores atque Concilia nihil aliud tradiderunt, quàm Eucharistiæ materiam esse Panem & Vinum. Cypria. lib. 2. epist. 3.

Cui accedit, quòd tritici nomine omnia frumentorum genera, in quæ triticum degenerat, accipi posse videantur. Nam Plinius lib. 8. Naturalis histor. c. 7. hordeum esse frumenti speciem asserit. Frumentum enim Varro *de re rustica* c. 48. definit illud, quod culmus extulit, cuius calamus spicam profert. Omnium tamen sententia panis ex tritico, conuenientissima est materia, in qua Dominus cōsecrauit, quoniam in Cœna Paschali alius panis apud Iudæos non erat; Panésque propositionis Dominus ex simila fieri constituerat. Quò pertinet, quòd Christus seipsum *grano frumenti* cōparet. Vnde ex vsu & traditione Ecclesiæ, solum panem ex tritico apertam esse huius Sacramenti materiam, docet Concilium Florentinum. Ad Sacramenti enim reuerentiam pertinet, quòd selectus, & ab omni corruptione alienus panis assumatur. Damascen. lib. 4. c. 14. Conc. Carthag. 3. c. 24. Panis tritic. cens. Leuit. 24. Ioan 12.

Vtrùm autem fermentatus, an azymus sit, ad Sacramēti veritatem impertinens est. Vnde varia hîc Græcorum & Latinorum consuetudo. Illi enim in pane fermentato; hi in azymo consecrant: nec laudabilem suæ Ecclesiæ ritum priuatâ licet authoritate cuiquam immutare. Latinorum vsus in azymo, institutioni Christi est conformis, qui primo die azymorum (quo nihil fermenti Iudæis habere domi fas erat) hoc Sacramentum confecit ac instituit. Accedit, quòd azymus panis congruentissimè significet, Christi corpus nunquam peccati fermentum habuisse, ac simul eos, qui illud sumere volunt, omni fermento malitiæ atque nequitiæ carere oportere; iuxta illud Apostoli: *Expurgate vetus fermentum, & estis noua conspersio* Panis azymus. 2. Cor. 5. Anselmus

in lib. de hæres. Bellarm. li. 4. de Eucharistia c. 7.

sparsio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.

Græci cùm fermentatum panem sumant.

Ecclesia Græca panem fermentatum elegit, in detestationem Iudaizantium, qui legem Moysis cùm Euangelio permiscere tentabant; simul, vt significaret, Dei Filium corpus miserum assumpsisse, quod peccati similitudinem haberet, & pati posset.

Quantitas panis consecrandi.

Quanta porrò panis materia consecrari debeat, non est definitum, quia certus non sit eorum numerus, qui possint, aut debeant communicare. Data est tamen omnis potestas in ædificationem, non in destructionem. Quare consecrantis intentione rationabili determinanda est incerta per se quantitas materiæ, vt in eam præsentem verè ac propriè demonstratiua consecrationis verba queant referri. Deus equidem adest sacerdotum operi, secundùm ipsius voluntatem & institutionem peracto; non autem irrationabilibus illorum motibus obsequi tenetur.

CAP. LXXII.

De Vino.

Veri nominis vinum est materia Eucharistiæ.

ALtera Eucharistiæ materia est, *Vinum*, ex vitis fructu expressum, vt ex eo Matth. 28. constat: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*; vt Chrysost. hom. 82. in Matthæum notat. Nec refert, an vinum sit album, an rubrum; recens an vetus; dummodo ex vuis expressum sit, & veram vini naturam retineat. Nam in aceto aut liquoribus aliarum à vite arborum, fruticum, vel acinotum, illud Sacramentum confici nequit. Dominus enim liquorem elegit *de genimine vitis*, hoc est, proprij nominis vinum, ex eoque sanguinem suum confecit, fierique instituit. Nam is potus Sacramentali significationi aptissimus est, in eóque humanus potus cor recreans proprijssimè cõsistit. Adhibenda verò est cautio, ne aliarum rerum, aut liquorum permixtione vinum ita immutetur, vt probabiliter non remanere vinum putetur; vt si nimia aquæ dilutione corrumpatur, aut perfectè in acetum commutetur, aut in glaciem ita rigescat, vt potari nequeat.

Aqua vino apponenda.

Porrò Aquæ modicum vino ante consecrationem apponi debere, traditione accepimus. Primùm, quia Christus vinum aqua mixtum consecrauerit, iuxta illa Prouerb. 9. *bibite vinum, quod miscui vobis*; tum etiam, quia hunc morem seruari ab omnibus sanxerit, vt testantur Alexander I. in epist. *ad omnes orthodoxos*, Iulius I. Martinus, Innocent. III. & alij citati à Gratiano *de consecr.* dist. 2. Clemens libr. 8. *const. Apost.* cap. 17. Iren. libr. 4. cap. 57. Cyprian. lib. 2. epist. 3. Iacobus, Basilius, & Chrysost. in suis Liturgijs. Concil. Carthaginense III. can. 24. & posteriores omnes catholici scriptores, huius commixtionis vini & aquæ plures insuper alias causas adferentes. I. est, vt quod ex Christi latere fluxit, integre repræsentemus: exiuit autem sanguis & aqua. Chrysost. hom. 24. in 1. ad Cor. Ambros. libr. 3. *de Sacram.* cap. 1. Aug. lib. 3. *de Trinit.* c. 11. II. vt Christi & fidelis populi vnio figuretur: aqua enim populum significat, Apoc. 17. Cyprianus lib. 2 epist. 3. III. vt in calice repræsentetur aqua, quæ fluxit ex petra. 1. Cor. 10. IV. ad significandum duarum in Christo naturarum coniun-

Quid aqua vino permixta significet.

Ioan. 19.

ctionem. Nicephorus lib. 18. c. 53.

Aqua vino commiscēda necessitate præcepti, non Sacramenti.

Quanquam igitur aquæ commistio cum vino non sit prætermittenda, si tamen obliuione aut negligentia, vel alio casu non apponatur, consecratio in vino facta non erit irrita, quoniam necessitate præcepti, non Sacramenti hoc sit necessarium. Constat enim Sacramentum sine aqua confectum. Imò tam parum aquæ vino ante consecrationem infundi conuenit, vt in vinum ante consecrationem conuerti possit, vt monet Cyprian lib. 2. epist. 3.

Aquarij hæretici.

Non defuerunt olim, qui prætextu sobrietatis aquam solam in calice offerri voluerint, vt Epiphanius hæresi 30. de Ebionitis refert, & hæresi 46. de Tatianis, Aug. hæres. 64. *De aquarys.* Nicephorus lib. 18. Histor. c. 53. de Armenijs refert, quòd solo vino in mysterijs vterentur: quos Caluinistæ, atque Lutherani sequuntur: quos anathemate ferit Concil. Trident. sess. 22. canone 9.

CAP. LXXIII.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

Forma Sacramenti Eucharistiæ. Aug. li. 20. cont. Faust. c. 13. Ambr. lib. 4 de Sacram. c. 4 lib. 1. c. 4. Marci 16. Matth. 24.

SAcramentum Eucharistiæ certa verborum consecratione fit. *Panis* enim *& vinum nascuntur in alimentum refectionis, non in Sacramentum religionis*, ait Augustinus. Et, *Sermo Domini hoc conficit Sacramentum*, inquit Ambrosius. Quod enim Dominus fecit & dixit in nouissima Cœna, idipsum ab Apostolis, eorúmque in sacerdotio successoribus fieri constituit. *Accipiens autem panem benedixit, dicens: hoc est Corpus meum. Hoc facite*, &c. Eisdem proinde verbis, quibus ipse confecit opus Sacramẽtale, deinceps ab alijs quoque fieri voluit. Non enim (vt perperam nonnulli senserunt) Christus omnipotenti sua virtute panem in suum corpus, & vinum in sanguinem absque verbis commutauit, & postea dixit: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*: sed dicendo: *Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei*, confecit corpus, & sanguinem.

per verba suum Corpus & Sanguinem confecit.

Cùm autem ea sit Sacramenti forma, qua illud significatur, quod in Sacramento efficitur; verba autem hæc: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, id quod fit, significent ac declarent, scilicet panis in verum Domini corpus conuersionem, & vini in sanguinem, cõsequitur, formã in illis verbis constituendam esse, atq, verba cõsecrationis à Sacerdote ex Christi institutione prolata, vera esse Dei instrumenta, quibus panem in suum corpus conuertit, & vinum in sanguinem.

Latinis formam consecrationis Petrus tradidit.

Porrò Latinis à B. Petro hãc consecrandi formulam esse traditam: *Hoc est enim corpus meum*, &: *Hic est enim Calix sanguinis mei, noui & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorũ*, docet S. Tho. 3. p. q. 78. ar. 2. ad 4. Cuius formæ licet singula verba non sint de essentia, sunt tamen de integritate, ita vt absque peccato nullũ eorum omittere fas sit. Absolutè verò necessaria verba sunt: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*: vel: *Hic est Calix sanguinis mei.* Sufficienter enim hæc pauca verba consecrationis effectum exprimunt. Vnde apud Mat. Marcum, Lucam, Apostolum Paulum, & in omnibus Liturgijs reperiuntur, reliqua verò variantur. Neque enim Liturgia Iacobi, Clementis, Basilij, Chrysost. Ambros. vel alia, conuenit per omnia cum Romana, siquidem in illis verba illa: *Noui & æterni Testamenti*, &: *my-*

Singula formæ verba sunt de integritate, non de essentia.

Christus

steritum fidei, non inueniuntur. Denique verba illa: *enim*, & *accipite & comedite*, non significant quod efficiunt, nec ad materiæ consecrationem, sed ad vsum, fructúmque Sacramenti proximè referuntur. Verba autem formæ tam efficiendi quàm significandi causa proferuntur: non autem (vt Hæretici deliranr) historicè ad populũ instruendum, & fidem excitandam, vel ad Christi præsentiam annunciandam tantũ recitantur. *Accedit* enim *verbum ad elementum, & fit Sacramentum*. Vnde Paulus: *Calix cui benedicimus*. Qua benedictione fieri docet, vt sit Sanguis Domini. Et 1. Timoth. 4. *Creaturas sanctificari*, ait, *per verbum Dei & orationem*. Et benedictionis diuinæ tantam vim esse asserit Ambr. vt etiam naturæ mutentur. Dei enim benedicere, operatiuum & efficax est. Hinc benedixit, quando vim propagandi dedit, Gen. 1. quando panes multiplicauit, Mat. 14. Qui verò semel verbis consecrauit dicendo: *Hoc est corpus meum*, idem per os sacerdotis eisdem verbis quotidie ipsius iussu, ac institutione repetitis, adhuc consecrat, & panem ac vinum in suum Corpus & Sanguinem commutat. Nõ enim alius tunc, alius nunc Sacramentum conficit; sed idem nunc sacerdotis ministerio, qui tũc prolato à se verbo; vt Chrys. & Ambr. aliiq; docent.

Aug. tract. 80. in Ioan. 1. Cor. 10.

Ambros. li. de iis qui myst. initiantur. c. 9. Euseb. Emissen. hom. 5. de Pascha.

CAP. LXXIV.

De sensu verborum: Hoc est corpus meum.

COmmunis sententia Catholicorum est, quòd pronomen, *Hoc*, demonstret substantiam contẽtam sub panis specie, quã sacerdos formâ debitâ cum intẽtione proferendo, facit esse Corpus Domini. Panis enim vi operationj sermonis transiubstantiatur in corpus Christi. Proinde falsa est communis Lutheranorum & Sacramentariorum doctrina, qua statuunt, pronomen, *Hoc*, demonstrare panem, quamuis in expositione differant. Illi enim panem esse corpus Christi volunt per impanationem, seu vnionem: hi verò per metonymiam, quia scilicet nobis certissimum signum existat præsentiæ corporis Christi, quo reficiamur, non corporali & reali eius sumptione, sed fide. Quam verborum Christi falsam expositionem, quia duobus libris de augustissimo Eucharistiæ Sacramento editis latissimè confutauimus, ad illos Lectorem remittimus. Circa verbum, *est*, duæ sunt hæreticorum sententiæ; PRIOR est eorum, qui cõtendunt, *est*, idem valere quod *significat*, vt Christi verborum sensus sit: *hoc, id est, his panis significat corpus meum*. Sed nullũ in verbo, *est*, substãtiuo, cõmunissimo ac simplicissimo tropum cõstitui posse, verùm in sua genuina significatione accipiendum esse, vel ex eo liquet, quòd verbũ, *est*, ad alterius verbi significationem trahi nequeat: alioquin in se & aliud resolui posset; quod fieri nequit, cùm omnium sit verborum simplicissimum, & omniũ propositionum copula, subiectum cum prædicato coniungens. In quo verbo nullus grammaticorum, constituendum esse tropum, vnquã docuit. Quamuis enim in vocum explicatione interdum, *est*, per *significat* exponatur, (vt ensis est gladius,) attamen id absque tropo fit. Nam ibi signum de signo prædicatur: signi autem essentia in significando consistit. Sumitur ergo, *est*, in genuina significatione, aptissimèque Christus verbo substantiuo præsentis temporis

Ambros. li. 4. de Sacram. c. 4. Iustinus apolog 2. Tertullian libr. cont. Martionẽ. Emissenus hom. 5. de Pascha. Damascen. lib. 4. c. 14.

Vide lib. 1. de Euchar. c. 6. & seq. Item li. 2. c. 1. &c.

Est, propriè sumitur, nõ tropicè.

Chrysost. hom. 83. in Matth. & ho. 2. in 2. ad Timot.

Videli.1.de Eucha.c.7.

vsus est in sermone operatorio, quo esse facit id, quod esse dicit. Nam id tali sermoni proprium est, vt efficiat id, quòd significat; & in vltimo instanti prolationis verborum, effectum eorumdem in esse ponat; vt alibi fusè diximus.

Altera opinio eorum est, qui sentiunt, panem rectè dici, esse corpus Christi, per communicationem idiomatum, quia videlicet panis sit sacramentaliter corpori Christi vnitus. Triplicem verò assignant vnionem, ex qua communicationem idiomatum nasci dicunt: vnam *Naturalem*, qualis est animæ & corporis; alteram *Hypostaticam*, qualis est Verbi & Hominis in Christo; tertiam *Sacramẽtalem*, qualem ponunt inter panem & corpus Christi in Sacramento.

Solam hypostaticam vnionem idiomatum communicatio sequitur.

At certum est, non ex qualibet vnione, sed tantùm hypostatica (vbi vnum est ex duabus naturis suppositum (sequi idiomatum, & proprietatum ipsarum naturarum vnitarum communicationem. Nam Christus dicitur Deus & Homo, immortalis & mortuus: at nemo dixerit, panem esse Deo vnitũ, esse animatum, esse mortuum, resurrexisse, &c. neque contrà, Corpus Domini esse album, rotundum, expers vitæ.

Figmentum igitur est, panem vocari corpus Christi, propter vnionem Sacramentalem cum corpore Christi. Quod luculenter esse refutatum lib. 2. de Eucharistia c. 2. reperies; vbi post consecrationis verba substantiam panis neutiquam remanere clarè demonstratur.

In voce Corpus, nulla est metonymia.

Circa verbũ, *Corpus*, quidam tropum quærunt, contendẽtes, panem vocari corpus per Metonymiam, qua nomen rei significatæ ipsi signo tribuitur, vt sensus sit: *Hic panis est figura corporis mei.* Sed illud commentum apertè verba sequentia excludunt: *quod pro vobis tradetur.* Nam Christus Patri in Cruce non obtulit panem, neque signum corporis sui, sed verum & naturale corpus suum, quod ex B. Virgine assumpsit: neque signum sanguinis effudit in remissionem peccatorum, sed verum & pretiosum suum sanguinem. Hoc autem se tradere corpus asserit Dominus manducandum, quod Deo Patri esset oblaturus in Cruce. Propriè igitur, & non in signo tantùm corpus suum dedit Apostolis manducandum. Quidquid autem Caluinus de suo efficaci signo, per fidem corpus Christi nobis communicante fingat, vt commentum suum verborum fuco tegat, & inuoluat, cum reliquis tamen Sacramẽtarijs Christum non nisi nudum sui corporis signum dedisse confirmat; nec à Berengariana hæresi toties ab Ecclesia damnata recedit, vt lib. 1. *De Eucharistia* euicimus.

Caluinus à Berengariana hæresi non recedit.

CAP. LXXV.

De forma consecrationis Vini.

FOrma consecrationis vini his verbis continetur: *Hic est calix sanguinis mei, noui & æterni Testamenti, mysterium fidei; qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quæ forma Romanis à Petro & Paulo tradita creditur, cùm ad alium eius origo referri nequeat. Immutatam proinde conseruare oportet, etiamsi singula eius verba non pertineant ad consecrationis essentiam. Sẽsus autẽ est: *Hic est sanguis meus, qui in hoc calice continetur.* Appositè verò calicis mentio fit, vt significetur, quòd sanguis Christi infidelium potũ cõsecretur, tè sit.

Forma cõsecrationis vini.

Calicis mẽtio appositè.

ac in Passionis Christi memoriam, quæ calicis nomine denotari solet. Iuxta illud: *Transeat à me calix iste.*

Matth 26. Noui *Testamenti*] id est, quo nouum Testamentum dedicatur ac confirmatur, vt fideles intelligant, se non accipere figuratum sanguinem vitulorum, agnorum, vel auium, sicuti tempore veteris Testamenti promissa Dei confirmata fuerant, sed reipsa sanguinem Mediatoris noui Testamenti sibi tradi agnoscerent.

Ad Heb. 9.

Testamentum autem variè accipitur. I. Ipsa testatoris dispositio, seu extrema voluntas, quæ morte confirmatur, *Testamentum* vocatur.

Testamẽti varia, acceptio.

II. Instrumentum, testatoris continens voluntatem, quomodo Scriptura veteris & noui Testamenti passim dicitur, imò & Circumcisio, quæ signum erat fœderis, *Testamentum* appellatur Eccles. 4.

Ad Hebr. 9. Ierem. 31.

III. Testamentum nuncupatur id, quod Testamento datur, promittitur, legatur. Cùm autem Dominus in sui memoriam Apostolis hoc Eucharistiæ Sacramentum reliquerit, etiam in hac significatione Testamentum aptissimè dicitur. Et quemadmodum varia vnius Testamẽti possunt fieri instrumenta: sic repeti potest Eucharistiæ confectio, vt hæreditatis applicatio variis hæredibus fiat.

Dicitur ergo *Sanguis noui Testamenti*, quia promissiones spirituales à Christo factas, de remissione peccatorum, de gratiarum, & Spiritus sancti donis, ac denique de regno cælorum præstet, contineat, & confirmet.

Et *æterni.*] Hæc vox indicat, Christi morte acquiri non temporalia, sed æterna bona, & ritum Sacerdotij Christi secundùm ordinem Melchisedech vsque ad seculi finem perduraturum, nec sicut vetus Testamentum transiit, ita nouum in aliud commutandum. Per hoc enim Sacramentum Domini mors annunciabitur, donec ad postremum iudicium veniat. 1. Cor. 11.

Mysterium *fidei.*] Hæc verba non sanguinis veritatem excludunt, sed maximum hîc arcanum latere designant, scilicet, quòd effusio sanguinis Christi, pretium sit Redemptionis mundi, quódque per fidem in sanguine ipsius, Deo reconciliemur, & dona gratiæ, atque gloriam tandem æternam consequamur.

Qui *pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*] Hæc verba significant verum Christi Sanguinem, qui postera die violenta morte pro totius humani generis peccatis effundendus erat, non autem vinum, neque sanguinem pecorum isto calice contineri: simúlque modum indicant, quo Domini sanguis in hoc Sacramento existat, nimirum, tanquam sanguis hostiæ pro peccato oblatæ, à reliquo corpore separatus, & in Altari Crucis effusus. Declarant insuper, Dominicæ passionis fructus non ad solos tunc viuentes, neque ad solos Iudæos, sed ad omnium ætatum ac nationum homines peruenturos, quamquam non omnes omnino homines, sed electi soli, tam ex Iudæis quàm ex gentibus reipsa promissam salutẽ essent adepturi. Iuxta illud ad Hebræ. 9. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Et Ioan 17. *Non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi.* Pertinent ergo hæc verba ad spem & solatium communicantium, quia per huius sanguinis vim & sumptionem obtineri peccatorum remissionem, aditum ad iustitiam, æternámque hæreditatem significant, ac pro-

dessè non solùm iis, qui præsentes per modum Sacramenti accipiunt: sed etiam absentibus, tam defunctis quàm viuis, pro quibus Deo in sacrificium offertur.

Verba consecrationis quomodo proferenda.

Sunt autem Consecrationis verba distinctè, grauiter, atque submissa voce proferenda, vt summæ rei arcanæ authoritas & reuerentia concilietur, nec margaritæ ante porcos proijciantur, ac ne ad superstitiones & ludicras actiones à profanis hominibus traducantur. Quemadmodum enim sancta contingi à sanctis æquum est: ita & sacra verba à puris auribus excipi. Hinc Dionysius prohibet, euulgari preces, consecrationem efficientes. Quod approbat Concilium Tridentinum sess. 22. can. 9. *Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissâ voce pars Canonis, et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, anathema sit.*

Lib. de Eccl. Hier. in fine.

Sess. 22. can. 9.

CAP. LXXVI.

De verâ, reali, & corporali præsentiâ Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistiâ.

Christus post consecrationem realiter præsens est.

QVæstiones de genuino sensu verborum consecrationis, & de corporali præsentia Corporis & Sanguinis Domini, ita coniunctæ sunt, vt separari nequeant. Quare sicut Ecclesia Catholica initiur propriæ, apertæ, genuinæ, literali, congruæque verborum Sacramentalium interpretationi: ita firmiter credit, in hoc Sacramento verbis consecrationis effici, vt panis & vini natura in verum Christi corpus & sanguinem conuertantur, quodque accidētia, quæ peracta consecratione percipiuntur, nulli substantiæ inhæreant, sed per se consistant, ac proindè omnes tropicos sensus & figuras, quibus Sectarij verba consecratoria in sensus impios detorquent, reijcit. Persuadere autem moliuntur Hæretici, Christi corpus in Eucharistiâ esse, haberi, & sumi, sed in signo aut virtute tantùm, vel saltem non nisi cum pane, ac in vsu, non autem permanenter.

Dolosus Sacramentariorum sermo.

Qui autem primi horum errorum adinuentores, propagatoréque fuerint, ac qui cōtra eosdem validissimè decertarint, vicerint, prostrauerint, quódque Ioannes Caluinus Sacramentariorum nostri seculi præcipuus, nihil nisi verborum fucum prioribus addiderit, luculenter in primo de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento libro demonstrauimus. Et quoniam in secundo libro contra Lutheranos impanationis commentum latè confutauimus, totámque Eucharisticam Doctrinam complexi sumus tribus libris, in quorum tertio *De Sacrificio Eucharistiæ* operosè tractauimus, ne eadem inani labore repetamus, & quia exemplarium raritas communem vtilitatem impedire visa est, eosdem *tres de Eucharistiâ libros*, Bono publico recusos, ad calcem libri huius subiici, operæ pretium duximus.

De sacrificio vide lib. 3. 1. de Euchar.

CAP. LXXVII.

De Pœnitentiæ Sacramento.

Pœnitentiæ Sacramentum.

EXplicatis tribus Sacramentis, quorum beneficio vita spiritualis inchoatur, roboratur, ac perficitur, aptissima methodo Pœnitentiæ Sacramentum subijcitur, quo deperdita post Baptismum innocentia recuperatur, letalia vulnera nobis ab hostibus, Dia-

bolo, Mundo & Carne inflicta, curantur. Gratitudinis quidem erga Deum ratio exposceret, vt acceptam in Baptismo iustitiam omni studio tueremur, Deique præcepta inuiolabiliter obseruaremus: sed quoniam id paucis datur, pluréſque quotidie variis tentationibus illecti sauciantur, magna prouidentia misericordiarum Pater promptum instituit remedium, quo toties vti liceret, quoties in peccata relabi contingeret. Proinde cùm hoc pœnitentiæ Sacramentum maximè nobis in vsu familiare oporteat esse, ipsius partes, naturam, & qualitates cognoscere, vtilissimum fuerit.

Vt autem ordine procedamus, primùm de nomine huius Sacramenti, deinde verò de ipsius institutione, tum de materia & forma, vsu, necessitate ac effectibus, & postremò de ministris, eorúmque potestate disseremus.

De pœnitentiæ nomine.

Apud veteres hoc Sacramentum diuersa obtinet nomina. Ambrosius vocat *resurgentium Sacramentum*, quia institutum sit, vt lapsi post Baptismum erigantur. A quibusdam, *laboriosus Baptismus, lacrymarúmque lauacrum* dicitur: à Hieronymo in Epitaphio Fabiolæ, *hostia placabilis*, à Basilio *Salus*, à Cypriano (Serm. *de ablut. pedum*) à ritu *manus impositio* nuncupatur; quomodo & Hieron. *cont. Luciferian.* & Augustinus *cont. Donatistas*, & Leo epist. 90. vocat: *Sacramentum* verò *reconciliationis* dicitur, ab effectu.

Ambr. li. 2. de pœniten. c. 7. Grego. Nazianze. oratione 3. in laminaria. Concil. Trid. sess. 14. c. 3. Aug. li. 1. de adult. coniug. c. vlt. li. 20. de ciuit. c. 9. epi. 180.

Aptissimè autem vocatur *secunda post naufragium tabula*, (Concil. Tridentin. sess. 6. cap. 14. sess. 14. c. 1.) quia iustitiæ naufragium post Baptismum passus, è mortalis peccati gurgite, hoc Sacramento euehi ad salutis portum queat. Baptismus enim integræ nati comparatur, quæ ad mare transnauigandum, præsidium est expeditissimum: similiter Baptismus facili negotio culpæ ac pœnæ remissionem plenissimam operatur. Pœnitētia verò aptissimè cōparatur tabulę nauis effractæ, per quam naufragus ingenti labore periculum euadit, quia post amissam Baptismi gratiam vnicum pœnitentiæ refugium supereſt, ad quod nisi peccator confugiat, æternæ damnationis barathrum non euadet.

Non autem *tertiam* vel *quartam tabulam* ponimus, quia post Baptismum vnicum est pœnitentiæ remediū, adquod toties, quoties labimur, recurrendum est, si velimus saluari. Hæc metaphora à D. Hieroymo traditur in 3. cap. Isaiæ, & in Epistol. 8. ad Demetriadem. Ambrosius ad virginem lapsam ca. 8. Tertullianus lib. *de Pœnitentiâ*. Cæsar. hom. 10. *de Pœnitentiâ*

Appellatur insuper hoc Sacramentum à parte, *Exomologesis*, *Confessio*, *Satisfactio*, *Pœnitentia*, *Absolutio*, sicut Baptismus, *Aqua*. Callidè verò sectarij Metanœam dici volunt, quasi tota pœnitentiæ vis in mentis commutatione consistat, & dolorem externum & pœnam ex interiori animi mutatione profectam non requirat, cùm secundùm Scripturæ, atque vsum communem Ecclesiasticorum Scriptorum Pœnitentia significet *detestationem culpæ præteritæ, cum odio facti, studio, atque desiderio destruendi*. Leuitici 5. *Anima quæ intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato, & offerat de gregibus agnum*. 3. Regum 8. *Si peccauerint tibi, et egerint pœnitentiam in corde suo, dicentes: peccauimus*, &c. 2. Paralip. 33. de Manasse dicitur: *Et egit pœnitentiam valdè*, &c. Iob vltimo: *Age pœniten-*

tiam in fauillâ & cinere. Sapientiæ 5. & 11. Ierem. *Nullus est qui agat pœnitentiam.* Ezechielis 18. *Conuertimini, et agite pœnitentiam.* Matth. 11. *In cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Lucæ 11. *Pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.* Actо. 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitiâ tuâ, & roga Deum*, &c. 2. Cor. 7. *Quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Et alibi sæpe. Similiter Tertullianus lib. *de Pœnitentiâ*, Cyprianus serm. *de lapsis*, Augustinus epist. 108. Pœnitentiam includere docent pœnam, in peccati vindictam sponte assumptam. Vndè patet, vocem *Pœnitentiæ à Pœnâ* deriuari, non à *ponè tenendo* (vt Erasmus confinxit,) alioqui nulla diphthongus locum haberet. Non igitur *pœnituere* tantùm est, *posterius consilium tenere*, seu, *resipiscere*, vt Sectarij volunt, dicentes, optimam pœnitentiam esse nouam vitam, sed est, *dolere de peccatis commissis, cum studio abolendi, propositóque in posterum euitandi*, iuxta illud Ecclesiast. cap. 21. *Fili peccasti? non adijcias iterum, sed et de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur.* Tunc enim peccata destruuntur, quando Deus pœnitentiæ operibus placatur, vt August. quæstion. 11. ad Dulcitium explicat. Neque sectarios vox *Metanœa quæ (resipiscentiam* sonat) iuuat. Nam Theologi non ex vocum Etymologia, sed ex communi scriptorum vsu significationes deducunt. In scripturis autem & celebratis scriptoribus, vox *μετάνοια* non solùm *resipiscentiam*, sed insuper *præterita culpa detestationem ac vindictam* denotat, vt ex Ausonio liquet.

c. Cor. 12. Apoc. 2. 3. 9.

In annot. c. 3. Matth. & 7. c. 2. Cor.

Pœnitentia includit pœnam in delicti vindictam.

Metanœa non solùm resipiscentiam, sed & peccati detestationẽ includit

Sum Deus, quæ facti, non factique exigo pœnas:
Nempe, vt pœniteat: sic Metanœa vocor.

Et Lactantius lib. 6. cap. 24. *Resipiscit, quem errati piget, & seipsum castigat.* Basilius quoque in oratione de fame. Ouidius lib. 1. *de Ponto*:

Pœnitet, et facto torqueor ipse meo.

Vndè colligimus, vocem *Pœnitentiæ*. I. Significare displicentiam eius, quod antè placuerat. II. Dolorem admissi sceleris, non Dei, sed sui causa conceptum: qualem pœnitentiam habuit Antiochus, diuina monitus plaga, & damnati in Inferno habituri sunt. III. Pœnitentia dolorem animi de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero significat: qui dolor si ex consideratione turpitudinis peccati, ex metu pœnarum futuri seculi, & aliquo Dei amore promanet, *Attritio* siue *imperfecta Contritio* vocatur, quæ primum inter pœnitentis actus locum obtinet, nec solùm cessationem à peccato, nouæ vitæ propositum, inchoationémque, sed etiam veteris odium continet: quia tamen non statim huiusmodi dolor tam perfectus est, vt ex amore Dei super omnia dilecti & amici nascatur, *Contritio imperfecta*, quæ *attritio* etiam nuncupatur, dici consueuit: at si dolor ex amore illo Dei perfecto eliciatur, peccatorum remissionem coniunctam habebit, & *Contritio* charitate perfecta vocabitur, iuxta doctrinam Concilij Tridentini.

Pœnitentiæ vox quid includat.

1. Macha. 6. & lib. 2. c. 9.

Attritio siue imperfecta cõtritio.

Sess. 14. c. 4.

CAP. LXXVIII.

De virtute Pœnitentiæ.

DVplex est Pœnitentia: exterior & interior. In illa Sacramenti, in hac virtutis ratio consistit, & vtraque iustificationis causa est: sed interior, præparans ac disponẽs, exterior autem, vt pars Sacramenti, efficiendo,

Duplex pœnitẽtia: exterior & interior.

efficiendo, ſicuti Chriſtus tangendo aut loquendo ſanitatem conferebat, quam ſimul tamen alterius latens fides impetrabat. Vnde interior pœnitentia exterioris eſt cauſa, illáque proinde prior. Quòd autem interior pœnitentia virtus ſit, ex eo liquet, quòd ſicut bonum eſt, quando, vbi, & quomodo oportet amare; ita & malum deteſtari & odiſſe, quando, quomodo, & quatenus neceſſarium eſt. Hoc autem vt rectè fiat, Pœnitentia præſtat, ſiquidem modum, finémque doloris pœnitentia præſcribit, vt ſcilicet non minor, quàm culpę magnitudo exigat, neque maior ſit, quàm deceat. Cuiuſmodi fuit Cain & Iudæ, qui deſperando ſenſerunt, maiorem eſſe ſuam iniquitatem, quàm vt ſperare veniam poſſent. Denique finem doloris proponit, vt ſcilicet triſtitia peccatum aboleat, Deóque ſatisfaciat, & ipſo placato, in eius gratiam & amicitiam pœnitens redeat. Quam finem certa fides cum ſpe veniæ à Deo conſequendæ ſuggerit, iuxta illud Petri Actor. 2. & 3. *Pœnitemini & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.* Quare virtute pœnitentiæ non aguntur, qui cõmiſſa ſcelera plangunt quidem, ſed propter iacturam nominis, famæ, aut ſolo metu temporalis damni, aut æterni ſupplicij: neque inſuper illi, qui nonnulla peccata deflent, quibus tamen alia placẽt; quoniam vera pœnitentia ſinceram animi conuerſionem ad Deum operatur, ſecundùm illud Ioëlis 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro.* Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, &c.* Qualis pœnitentiæ virtus, poſt hominis lapſum, præter fidem, homini peccatori ad obtinendam à Deo veniam fuit neceſſaria, quamuis ei varia pro temporum diuerſitate adiuncta fuerint ſacramenta vel ſacrificia. De qua Scriptura ſacra loquitur, dum ait: *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Et, *Anima, quæ triſtis eſt ſuper magnitudine mali, & incedit curua & infirma, & oculi deficientes dant gloriam Deo.* Et Manaſſes in oratione: *Poſuiſti pœnitentiam iis, qui peccauerunt.*

Pœnitentia interior eſt virtus.

Gen. 4. Matth. 27.

Pſal. 50.

Baruch. 2.

Præter autem hanc pœnitentiæ virtutem, ſemper fuit quoque ad peccati remiſſionem obtinendam neceſſaria confeſſio quædam, ſeu generalis peccati agnitio. Iuxta illud Pſal. 31. *Dixi, confitebor aduerſum me iuſtitiam meam Domino.* Hinc multa iſtius peccatorum confeſſionis exempla in ſcripturis reperiuntur. Baruch. 2. Danielis 9. 2. Eſdræ 1. Et in lege pro his, & illis peccatis diuerſa erant præſcripta ſacrificia.

Ad peccati remiſſionẽ, neceſſaria ſemper fuit aliqua confeſſio.

Neceſſaria inſuper fuit ad peccati veniam obtinendam, Dei per Chriſtum inuocatio. *Hunc enim propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius. Nec eſt aliud nomen, in quo nos ſaluari oporteat. Accedentem enim ad Deum oportet credere. Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Sed quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?*

Chriſti expreſſa vel tacita inuocatio.

Rom. 3.

Act. 4.

Hebr. 11.

Ioëlis 2.

Rom. 10.

Quia verò neque fides, neque peccati confeſſio, neque nominis Dei inuocatio, neque vindicta ſeu pœna operari natura ſua peccatorum remiſſionem poteſt, ſed ſolùm iuxta gratuitam Dei miſerentis ordinationem; hinc in Lege Naturæ adiuncta pœnitentiæ fuerunt ſacrificia, Dei inſpiratione viſitata. In veteri autem lege, Sacrificia Leuitica; tempore autem Gratiæ, Sacramenta: pro nondum renatis, Baptiſmus, pro relapſis verò, Pœnitentia, quæ animi conuerſionem, peccatorum ſingulorum enumera-

tionem, vindictam, satisfactionémque complectitur: ad quam flagella, saccus, cilicia, cineres, fletus, ieunia, oratio, eleemosyna, similiáque opera pertinent; quæ ex intima animi pœnitentia (quam virtutem diximus) profluunt. In quibus externis actionibus Sacramenti pœnitentiæ materia reperitur.

In externis pœnitentiæ actionibus Sacramenti materia cõsistit.

Sunt autem tres pœnitentis actus, in quibus Sacramenti huius materia consistit: nempe Cõtritio, Confessio, & Satisfactio, qui ad integritatem Sacramenti, plenamque remissionem peccati ex Christi institutione requiruntur, ac eatenus materia & partes Sacramenti pœnitentiæ dicuntur. Fides autem cùm animi cõuersionem præcedere debeat, vt & incussi conscientiæ terrores agnitio peccato, dici pœnitentiæ partes nequeunt, quæ ad absolutionem (in qua veluti forma Sacramenti pœnitentiæ vis potissimùm sita est) ordinem habeant.

Ad plenam remissionẽ peccati tres partes concurrunt.

CAP. LXXIX.

Quòd pœnitentia Sacramentum sit, propriè dictum.

Pœnitentiæ Sacramentum.

CVm Pœnitentia externis rerum verborúmque signis interiorem animi conuersionem, peccatíque detestationem exprimat, absolutióq; sacerdotis verbis enuntiata remissionem peccatorum in anima efficiat, quam significat, luculenter efficitur, quòd Pœnitentia, externis actibus pœnitentis, & verbo absolutionis sacerdotis constans, verum sit nouæ legis Sacramentum: quod Christus post resurrectionem suam instituit, cùm in discipulos insufflans dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Illis enim verbis Christum in Ecclesiâ tribunal spirituale, iudicésque, qui in foro Conscientiæ potestatem haberent, à peccatis absoluendi, & satisfactiones condignas imponendi, fidelésque in peccata post Baptismum relapsos reconciliandi instituisse, illámque potestatẽ Apostolis, eorúmque in sacerdotio successoribus cõmunicasse, vniuersi scriptores orthodoxi senserunt, & Nouatianos inficientes, lapsos per Ecclesiam Deo reconciliari posse, tanquam hæreticos anathematizarunt; ac quidem meritò. Nam potestatem insinuatam Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum: & quod cumque solueris super terram, erit solutum & in cælis* (Matth. 18.) datam esse Ioan. 20. verba Christi apertè declarant: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Clauis enim officium est aperire, impedimenta remouendo, & claudere ostium: eaq; metaphora insinuatur, spiritualis potestatis esse, cælum remittendo peccata reserare, aut non remittẽdo clausum tenere. Et quoniam homines corporei sunt, vt sibi peccata remitti intelligant, voluit Christus id fieri voce sensibili, tanquam externo signo. Et quoniam peccata minimè remittenda sunt, nisi eis, qui se peccata habere agnoscunt, sibique illa displicere testãtur, ex eadem scriptura nõ solùm ritum externum absoluentis, verùm etiam pœnitentis colligimus; putà verbum absolutionis, & signa pœnitentiæ. Nam vt absolui nequit non ligatus, ita nec, qui absolui recusat, qualis est impœnitẽs. Verbo autem absolutionis & pœnitentiæ signis adiuncta est gratiæ iustificantis promissio, sine qua peccatorum nulla fit remissio. Habemus itaque hîc ritum externum cum gratiæ pro-

Tribunal spirituale in Ecclesia.

Nouatiam pœnitentiæ Sacramentum sustulerunt.

Clauis officium.

Voce sensibili absolutionis sententia est proferenda.

Ioan. 20.

Cõcil. Florentinum Tridẽ sess. 14. can. 1. Magister sent. lib. 4. dist. 14. cum vniuersis

doctoribus scholasticis.

missione, ac proinde nouæ legis Sacramentum, vt Concilia & Patres, totáque Ecclesia tradunt. Ac sanè Apostoli vsum potestatis clauium, qua lapsi reconciliantur, diserte cõprobarunt, quãdo post Baptismum relapsos non ad Baptisma semel acceptum reuocarunt, sed pœnitentiam agere iusserunt, vt Petrus Simonem Magum; Paulus Corinthium: Ioannes in Apocalypsi Episcopos negligẽtiores. *Posuit*, ait Paulus, *verbum reconciliationis in nobis. Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo*, ministerio scilicet nostro, quibus potestatem remittendi peccata Christus indulsit. Nouatiani aiebãt, se Domino deferre reuerentiam, ei soli remittendorum peccatorum potestatem reseruantes: contra quos disserit Ambrosius lib. 1. *de pœnit.* cap. 2. Pacianus epist. 3. Tertull. lib. *de pœnitentia* duas agnoscit in Ecclesia ianuas ad remissionem peccatorum: vnam pro intrantibus; Baptismum: alteram pro lapsis pœnitentiam. Similiter Cyprianus. Ambrosius lib. 1. *de pœnit.* c. 7. Hieron. lib. 1. & 2. *cont. Pelagian.* August. epist. 180. lib. 5. *de Baptismo* cap. 20. lib. 1. *de adult. coniugiis*, cap. vlt. & lib. 2. cap. 6. *Quæ baptismatis, eadem est ratio & reconciliationis*, epist. 23. Chrysost. lib. 3. *de sacerdotio*; tradit, concessum, sordes purgare delictorum, sacerdotibus, tam in pœnitentia, quàm in Baptismo. Similiter Cyril. lib. 12. in Ioan. c. 56. Leo epist. 91. *Multiplex misericordia ita lapsibus subuenit humanis, vt non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur aterna.* Victor. lib. 2. de persecut. Vandalica: *Qui baptizaturi sunt paruulos fontibus aquæ perennis? qui nobis pœnitentia munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi? quia vobis dictum est: Quæcumque solueritis super terram*, &c. Epiphanius hæresi 59.

Actor. 8. 1. Cor. 5. & 6. ad Hebr. 6. Apoc. 2. 2. Cor. 5.

CAP. LXXX.

De partibus essentialibus Sacramenti Pœnitentiæ.

PArtes Sacramenti pœnitentiæ intrinsecæ ac essentiales, sunt materia & forma, hoc est, actus pœnitentis, & absolutio sacerdotis: integrales autem sunt, Contritio, Confessio, & Satisfactio, quæ totam pœnitentiam constituunt, plenámque peccatorum remissionem ex Dei institutione operantur. Primariæ autem partes, absque quibus pœnitentiæ Sacramẽtum non consistit, sunt Contritio, & Confessio; sine quibus Absolutio nihil efficit: inter secundarias verò est Satisfactio, absque qua Pœnitentiæ Sacramentum consistere, sed non plenè peccatum delere valet.

Partes essentiales Sacramenti pœnitẽtiæ.

Partes integrales.

Partes primariæ Sacramenti pœnitẽtiæ, & secundariæ.

Sunt autem hæ partes ita coniunctæ, vt Contritio propositum confitendi & satisfaciendi includat; Confessionem verò, & Contritio & satisfaciendi voluntas; & Satisfactionem Contritio & Confessio antecedãt. Quarum trium partium necessitas inde nascitur, quòd animo, verbis, & opere in Deum peccata committamus: quibus eisdem rebus æquissimum est, nos Deum placare; animi scilicet dolore, oris confessione, satisfactionisque operibus, oratione, ieiunio, & operibus misericordiæ; siquidem pœnitentia est veluti quædam peccatorum compensatio, Dei læsi arbitrio constituta. Quare post admissum

Animo, verbis, & opere Deum offẽdimus.

Pœnitentia est peccatorũ compensatio, Dei arbitrio constituta.

peccatum non sufficit desinere malefacere, ac nouum vitæ genus instituere: sed oportet insuper eum qui peccauit, dolere, quòd offenderit, amicitiámque violarit; & errorem suum agnoscere, ac demum prompta voluntate mulctam læsi arbitrio tolerare.

Ex quibus sequitur, falso à Sectariis pœnitentiæ partes constitui, terrores cõscientiæ ex legis minis incussos, & fiduciam remissionis peccatorum, ex Euangelij promissione conceptam. Nam timor & fides pœnitentiam præcedunt, eamque gignunt: siquidem Niniuitæ audita Ionæ commination timuerunt & crediderunt, spéque veniæ erecti, pœnitentiam egerunt; quam deinde iustificatio consequitur. Iuxta illud Act. 3. *Pœnitemini, vt deleantur peccata vestra.* Pœnitentia enim in se peccati admissi odium continet; quod Scripturæ illæ significant: Gen. 3. *Quare hoc feci sti?* Gen. 4. *Quid feceſti?* Iudicum 2. *Quare hoc feciſtis?* Ierem. 8. *Nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: Quid feci?* Iob. vlt. *Vnum dixi, quod vtinam non dixiſſem.* Pſal. 50. *Iniquitatem meam cognoſco.* Isaiæ 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos, &c.* Lucæ 7. Magdalena peccata sua præterita fleuit, & Lucæ 22. Petrus peccatũ admissum defleuit. Et Christus Matth. 23. & alibi sæpe Pharisæorum peccata coarguit, non alio fine, nisi vt peccata sua recolentes detestarẽtur. Similiter Petrus, Paulus, & Stephanus interfectionem Christi ad memoriam Iudæis reuocant, vt de illa pœnitentiam agerẽt; sicut Act. 8. B. Petrus Simoni Mago dixit: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua.* Cyprian. ser. De lapsis: *Pœnitentes ac dolentes peccata veſtra perſpicite, grauiſſimum conſcientiæ crimen agnoſcite.* Ambros. lib. de pœnit. cap. 10. *Dum admiſſa dolemus, admittenda excludimus.* Chrysost. lib. 1. de compunct. cordis; *Semper remordemur mala,* &c. Aug. *Pœnitentiam certam non facit niſi odium peccati, & amor Dei.* Greg. hom. 34. in Euangelia: *Pœnitentia eſt, peccata perpetrata plangere, & plangenda non perpetrare.*

Cõcil. Trident. sess. 14. can. 4.

Act. 2. 3. 7. & 13.

Ieron. in 31 c. Iere. Aug. Enchir. c 65. & Serm. 7. de tempo. Aug hom. 27. inter 50.

Præterea cur vita prior deseritur, nisi quia displicet? Nemo enim vitam nouam eligit, nisi quem veteris pœnitet. Vndè Ambros. in 2. cap. posterioris ad Cor. explicãs sensum illius dicti: *Optima pœnitentia, noua vita,* inquit, *Hæc vera pœnitentia eſt, iam ceſſare à peccato: Sic enim probat ſe dolere ſibi, ſi de cetero deſinat.* Vbi docet, nouam vitam certissimũ esse veræ pœnitentiæ argumentum, non autem nihil aliud requiri; siquidem talis pœnitentia in Scripturis exigitur, quæ auersionem à malo, & conuersionẽ ad Deum includat. Amos 5. *Odite malum, & diligite bonum.* Ps. 33. *Diuerte à malo, & fac bonũ.* Isaiæ 1. *Quieſcite agere peruerſe: discite benefacere.* Ezechiel. 18. *Proiecite à vobis omnes præuaricationes veſtras, & facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum.* Cui Apostolus consonans: *Deponite veterem hominem, & induite nouum.* Et Concil. Trident. sess. 14. c. 4. *Contritio eſt dolor de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero.*

Ephes. 4.

D. Th. 3. p. q 87. ar. 1.

CAP. LXXXI.

De Contritione.

CONtritio, est animi dolor de admisso contra Deum peccato, cum proposito non peccandi de cetero, & confitendi, atque ex Sacerdotis arbitrio satisfaciendi. Quãuis enim dolor, pœnitentiæ comes & effectus sit, non autem peccati

Contritionis definitio.

odium & detestatio; rectè tamen definitur Contritio per dolorē, tanquam per suum effectū, iuxta illud Psal. 6. *Laboraui in gemitu meo*, &c. Et Psal. 12. *Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo?* Isaiæ 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Hinc pœnitentes ad intimum animi dolorem exprimendum, vestes commutare solent, vt de Achab rege legimus, 3. Reg. 21. De Rege Niniue, Ionæ 3. Matth. 11. *Olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.*

Contritionis vox aptè detestationi peccati tribuitur.

Aptissimè verò peccati detestatio nuncupatur *Contritio*, ducta videlicet à rebus corporeis similitudine, quæ materia duriore (veluti grana molari lapide) comminuntur; vt ea voce notetur, quòd superba, dura, & pertinax hominis voluntas pœnitentia humilietur, emolleſcat, Deóque se vltrò subijciat, eiúsque inspirationes, consilia, & præcepta admittat. Nam idem significant *cor molle, carneum, & cōtritum*; vt econtra *cor durū, lapideum, rebelle*, quod videlicet nullo Dei amore vel metu flectitur aut mouetur. De quo Ezechielis c. 11. *Auferam ab eis cor lapideum, & dabo cor carneum.* Et Ieremiæ 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde scribam eam.* Quò alludens Apostolus: *Epistola*, inquit, *estis Christi, scripta non atramento, sed Spiritu Dei viui; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Simili metaphora Ioël ait: *scindite corda vestra.* Quid verò per *scissionem* intelligat, consequenter explicat: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu*; significans, se per cordis scissionem denotare plenā cordis conuersionē, quæ Psal. 50. vocatur, *cor contritum & humiliatum.* Isaiæ 66. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu?* Psalm. 146. *Qui sanat contritos corde.* Act. 2. *Compuncti sunt corde.* Hinc Chrysostomus libros *de compunctione cordis* inscripsit.

Hierem. 23. Ezechiel 11. c. & 36. Ierem. 31. 2. Cor. 3.

Vsu autem Ecclesiastico *Contritionis* nomen ei soli dolori accommodatur, quo propter amissam Dei gratiam contristamur. Displicentia itaque peccati ex solo naturali lumine concepta, vel ex solo metu gehennæ orta, quæ peccandi voluntatem non excludit, contritionis nomen haud meretur; sed is demum & solus animi dolor, qui est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero, ex Dei amore natus; qualis animi cōtritio ad peccatorum remissionem semper necessaria fuit; ac ita demum ad peccatorum remissionem præparat, si ei fiducia diuinæ misericordiæ, cum voto præstandi reliqua, ad remissionem peccatorum ex institutione Dei requisita, coniuncta fuerint: vt sunt Sacrificium & Sacramenta, quæ tempore noui Testamenti à Christo præscripta sunt.

Contritio doloré de amissa Dei gratia notat.

Contritio perfecta.

Duplex autem est Cōtritio: VNA charitate perfecta, includens conuersionem ex toto corde ad Deum, quæ pœnitentem viuificet, & Deo reconciliet, propter votum Sacramenti in illa contentum, iuxta doctrinam Concilij Tridentini sess. 14. cap. 4. & sess. 13. can. 11. ALIA contritio imperfecta est, dolor videlicet de admissis peccatis, ex turpitudinis peccati consideratione, aut ex gehennæ, pœnarúmque futuri seculi metu, cum spe veniæ atque iniquitatis detestatione conceptus. Qui dolor amorem iustitiæ coniunctum habet, quo Deum veluti fontem iustitiæ pœnitens diligere incipit, odioque in peccata fertur; sed tamen per se ad peccati remissionem ne quidem cum Sacramenti voto perducit, sed tantum ad

Contritio imperfecta.

Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Vndè sic præparatum, ex attrito contritum Sacramentum actu susceptum facere dicitur, quia cum remissione peccatorum homo fidem, Spem & Charitatem accipiat, Deo per Christi meritum infundente Christianam iustitiam, qua veluti filius & amicus placeatis, qui ante inimicus erat; iamque Deum ex toto corde, setiò, sincerè ac perfectè diligat, nihil plus, vel æquè diligens atque Deum, quem summo maximóque amore, non intensiuè quidem, sed appretiatiuè diligere oportet. Summum enim bonum est Deus, sine modo & fine diligendus; & summum malum est peccatum, quod à summo bono nos elongat; ideóque ab hominibus maximè detestãdum, & ob nullam causam admittendum est.

Deus summo amore diligendus appretiatiuè, non intensiuè.

Deut. 6. 4. & 30. Ioelis 2.

CAP. LXXXII.

Vtrum Contritionis dolor de singulis peccatis necessarius sit.

SIncera cordis ad Deum conuersio exigit, vt omnia & singula peccata, quæ post diligens cõscientiæ examen occurrunt, detestemur, ab illísque auertamur: quod vnoquo, vel pluribus contritionis actibus fieri potest. Nõnunquam enim pœnitens de omnibus peccatis in genere cogitatis dolet, ita animo affectus, vt de singulis speciatim pœniteret, si menti secundùm numerum, speciem, & circumstantias offerentur, & nec tempore, nec oblitione impediretur. Licet enim tunc non actu, virtute tamen de singulis criminibus & peccatis dolet, ac eadem animi voto Ecclesiæ clauibus subijcit.

De singulis peccatis virtute saltem dolendum.

Quanquam verò non sit absolutè necessarium, singulis peccatis proprium contritionis actum seorsim respondere; attamen vtile ac consultum est, sigillatim peccata recogitare, illóque modo seipsum ad eorum displicentiam & odium excitare, iuxta illud Ezechiæ apud Isaiam: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*; & illud Ezechielis: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis.* Quod tamen quia vnico contritionis actu effici potest, consequitur, peccatorem quouis momento iustificari posse, secundum illud Isaiæ apud 70. *Cum reuersus ingemueris, saluus eris.* Vndè insuper efficitur, nullam in hac vita ferè esse pœnitentiam, nec quantitatem temporis, sed doloris inspiciendam esse, cùm apud Deum nullas veniæ moras vera conuersio patiatur. Nec etiam certus doloris, quoad intentionem, gradus, vt contritio vera sit, exigitur: sufficit enim ex charitate Dei qualicũque promanare. Nam cùm intentio gradus non sit in hominis potestate, neque certò agnosci possit, in illum casu, non electione peruenireturr: & *conuerti toto corde*, non significat dolorem elici intensissimo cordis conatu; sed totum cor à solo Deo velut vltimo fine occupandum esse, ita vt nihil ei præferatur, aut adæquetur, nec de vlla re magis, quàm de Dei offensa pœnitens doleat.

Isaiæ 38. Ezech. 18. Isaiæ 30. Ezech. 18. Eccles. 11. Cyprian. ad Demetrianum. Chrysost. in epist. ad Theodorũ lapsum. Leo epist. 91.

Vt autem diiudicare homo valeat, vtrùm veram, an potiùs fictam pœnitentiam agat, discutiet, vtrùm omnia & singula peccata quæ admisit, detestetur, ac de illis doleat: deinde, an vitæ commutandæ in melius certum & stabile propositum habeat, simul & confitendi atque satisfaciendi arbitrio sacerdotis; & si quid vi, dolore vel fraude alteri abstulerit, tollendo, detinendo, vel

Modus diiudicandi, an veram quis pœnitentiam agat.

damnificando, restituat: statim animum retinendi alienum, vt suum, deponendo; ac etiam oportunitate habita reipsa exequendo restitutionem. Si quoque alicuius famam, dignitatem, aut vitam læserit, dicto factoue violauerit, alicuius officij vel commodi digna compensatione satisfaciat. *Non enim* (ait Aug.) *dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

Aug. epist. 54.

Iniuriarum condamnatio. Matth. 6.

Ac postremò necessarium pœnitenti est, vt quidquid iniuriarum ab altero passus est, id totum ex animo condonet. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum* (ait Dominus) *dimittet & vobis Pater cœlestis peccata vestra: si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet peccata vestra.*

CAP. LXXXIII.

Quæ sit propria vis & vtilitas Contritionis?

Contritionis effectus.

CONtritionis vim in eo consistere, quòd certa, expeditáque sit ægrotantis animæ medicina, Sacræ literæ docent; quia ad iustificationem disponat, & peccatorũ remissionem impetret, ac suo quodammodo mereatur: imò, & quatenus Sacramenti Pœnitentiæ pars, etiam efficiat, vt Concilium Tridentin. exponit iuxta Scripturas, in quibus legimus: *Cùm auerterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam viuificabit*: Et, *Facite vobis cor nouum, & spiritum nouum.* Ionæ 3. *Vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus.* Psal. 50. *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus*; quia Deum placat, & gratiã impetrat, vti sacrificia facere consueuerunt. Pœnitentiam eleemosynas redimere peccata, tradit Daniel c. 4. purgare peccata, Tob. 12. Dilectionem pœnitẽtis, promereri gratiã & veniam, ostendit Christus Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Sic Achab pœnitentia veniam promeruit; Manasses, & alij, vt Tertul. lib. 4. *cont. Martionem*, Cyprian. ser. *de lapsis*, Ambr. lib. 2. *de pœnit.* c. 3. & lib. 10. in Lucam de S. Petro agens, & in præfatione Ps. 37. de Dauide notarunt. Ait enim Ambr. Dauidem pretium lacrymarum pro redemptione peccati sui persoluisse. Hieron. lib. 2. *cont. Pelag. humilitate clementiã Saluatoris merentur.* Aug. in Ps. 50. *Ninuita pœnitentiam egerunt, & veniam misericordiam meruerunt*, Greg. in lib. 1. Reg. c. 4. *Omnipotentis Dei misericordiam facilè meruerunt.* Quæ omnia *de merito congrui*, non autem *condigni* intelligenda sunt. Nam nullum meritum, cui ex condigno merces iustificationis deberur, præcedit ipsam iustificationem.

Sess. 6. cap. 6 Sess. 14. c. 4.

Ezech. 18. cap.

Meremur gratiam iustificationis de congruo, non de condigno.

Iustificatio homini gratuita est.

Iustificatur itaque homo gratis dupliciter. PRIMO, quia nullum hominis meritum solius liberi arbitrij viribus acquisitum, iustificationem promeretur. Vndè rectè concludit Augustinus, gratiam non secundùm merita homini reddit, quoniam homo ex se solo, non præuentus excitante aut adiuuante gratia facit, nullum ad iustificationem habet ordinem, nec rationem seminis vitæ beatæ habere potest. *Quid enim habes* (ait Apostolus) *quod non accepisti?* Si dicas: habeo fidem, per quam mereor iustificationem; quia fidem accepisti, per quam impetras iustificationem; non gratiam aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici. Quare vbi Augustinus nulla ante Iustificationem agnoscit merita, de huiusmodi meritis loquitur, quæ omnem Spiritus

Aug. epist. 107. in præfat.

Psalm. 31. lib de gratia & lib. arbit. c. 6. 7. 8.

sancti inspirationem præcedunt, nec ex semine gratiæ profluunt. Vbi autem aliqua merita iustificationem præcedere dicit, putà fidem, orationem, pœnitentiam, eleemosynas, & huiusmodi, de operibus ex speciali Dei adiutorio excitante vel adiuuante factis agit; vt epist. 105. *Nec ipsa peccatorum remissio sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat: sed fidem, vnde omnis iustitia sumit initium, non humano tribuamus arbitrio, nec vllis præcedentibus meritis, sed gratuitum esse Dei donum fateamur, si gratiam veram, id est, sine meritis cogitamus.* Et ep. 106. *Si quis dixerit, quòd gratiam bene operandi fides mereatur, negare nō possumus, imò gratissimè confitemur.* Et lib. 1. Retract. cap. 23. rectè asseri docet, quòd fides meritum inchoet: quia tamen nullum propriè dictū meritum, cui ex iustitia merces debeatur, præcedit iustificandum, sed iustificatum sequitur; ideo rectè Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 8. dixit: *Iustificari hominem gratis, quia neque fides, neque opera, quæ iustificationem præcedunt, ipsam merentur*, absoluto videlicet perfectóq; mento: neque contritio vi sua naturali peccatorum remissionē operatur, neque etiam sola absque Sacramenti Pœnitentiæ voto (quo nobis pretium sanguinis Christi ad peccatorum remissionem secundùm propositum gratiæ Dei applicatur) sed vt Sacramenti pars. Equidem vera cordis ad Deum conuersio exigit, vt remedia, ad sanitatem animæ constituta, non contemnantur vel negligantur. Vndè non frustra remisso iam peccato Sacramentum actu susciptur, quia per actualem Sacramenti susceptionem conditio tacitè in contritione inclusa completur, gratia etiam adaugetur, ac pœna temporalis, quæ Sacramenti voto remissa non erat, vberiùs dimittitur, iuxta illud Psal. 50. *Amplius lauame Domine.* Denique securitas de obtenta remissione, Sacramento præstatur: *Tunc enim fugit sollicitudo vitæ præteritæ*, ait Aug. Vndè Cornelius Centurio ante visibilem Baptismum Spiritu sancto repletus, nihilominus visibili baptismo ablui voluit, ne contempti Sacramenti reus haberetur, vt notat Augustinus quæst. 33. in Numeros lib. 4. de Baptismo *contra Donatistas*, cap. 21.

Aug lib 9. confess. c 4.

Quod autem Contritio charitate formata, cum voto Sacramenti remissionem peccatorum coniunctam habeat, docet Concil. Tridentinum sess. 6. cap. 6. sess. 13. cap. 7. ex Scripturis, quæ testantur, Dauidi pœnitenti ac dicenti. *Peccaui Domino*, responsum fuisse à Prophetā: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Vndè Psal. 31. *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Et Lucæ 15. filio prodigo dicenti, *Reuertar in domum Patris mei*, pater occurrit, pacisque osculum præbuit. *Deus* enim *diligentes se diligit*: Prouerb. 8. *Vniuersa delicta operit charitas*, 1. Petr. 4. *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus*, 1. Ioan. 3. *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Hoc donum diuidit filios regni à filiis damnationis. Augustinus lib. 15. *De Ciuit.* cap. 18. & tract. 5. in can. Ioan. Eodem pertinet, quòd Ambrosius docet, catechumenos cum voto baptismi excedentes saluari, in Oratione *de obitu Valentiniani Iunioris.* August. lib. 4. *cont. Donatist.* cap. 22. Bernardus epist. 77.

Contritio charitate formata remissionem peccati cōiunctam habet.

Charitas filios Dei à filiis diaboli & dānationis distinguit.

Similia habet Aug. li. de vnit. Ecclesiæ ca. 19. hom. 50. de verb. Dom. Greg hom. 13. in Euāg.

Aug. in Ps. 110 lib. de fide & operibus ca. 14. Lib 1. ad Bonifaciū c. 2. Lib. de spir. & lit. c. 29. & 30. Lib. 1. ad Simplic. q. 2.

Vera contritio includit Sacramenti votum.

CAP.

CAP. LXXXIV.

De cauſis & occaſionibus Contritionis.

Veta pœnitẽtiã à Deo inſpiratur.

QVemadmodum Pœnitentiæ, ita & Contritionis diuerſæ cauſæ ſunt. I. eſt miſericors Deus, intuitu Chriſti, hominis à Deo auerſi cor ſua illuminatione ac inſpiratione tangens, excitans, & adiuuans ad conuertendum ſe ad Deum, & ad peccata deteſtandum. Iuxta illud Ierem. 31. *Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam.* Item illud: *Conuerte nos ad te Domine, et conuertemur.* Et in Actis: *Ergo et gentibus pœnitentiam dedit Deus.* Rom. 2. *Bonitas Dei te ad pœnitentiam adducit.* Vndè Lucæ 22. *Reſpexit Petrum Dominus,* ſignificans, opus eſſe Dei miſericordiã, vt agatur pœnitentia, vt ibi notat Ambroſ. & Enchiridij 82. & libro *de gratiã Chriſti* capite 45. Auguſtin.

Ierem. 31. Thren. 5. Act. 11.

Quamuis autem ſemper à Deo vera pœnitentia inſpiretur, attamen per varia media Deus hoc ſuum opus inchoat & perficit. Quoſdam enim Deus ſubitò in alios viros commutat, vt Paulum, Matthæum, Magdalenam: alios verò paulatim ad cor reuocat, ſuáque interna ſolùm inſpiratione melioris vitæ propoſitum concipere facit: nonnullos verò, acribus monitis, correptionibus, aduerſitatibus, morbis aut periculis, congrua prædicatione, vel piorum exemplis ad iuſtitiæ deſiderium inducit. Quoſdam inſuper per graues lapſus, per inopia ac neceſſitatem, cùm in rerũ omnium affluentiã felicíque ſucceſſu Deum aſpernarentur, ad conuerſionem prouocat. Communiſſimus autem ille modus eſt, aliíſque ferè permixtus, quo ex pœnarum timore ad veram contritionem peruenitur. Equidem rarò contingit, vt veniat fieri volens Christianus, qui non ſit aliquo Dei timore perculſus. Qui enim ſine timore eſt, non poterit iuſtificari. Arbitratur ſiquidem impius, ſibi bonum eſſe, peccato ſeruire, atque ſanitatem reputat, quòd languere ſe neſcit: ac illecebras peccati, felicitatem opinatur. Quam hominis cæcitatem lex tollit, peccati cognitionem & malitiam, ſuppliciáque in altero ſeculo peccatoribus repoſita oſtendo, eáque ratione timorem ingerit, prauúmque hominis affectum, licet non ſanet, comprimit tamen efficiendo, ne ſaltem voluntas in externum opus erumpat, vt ſeruili timore aſſuefacta ad non peccandum foris opere, paulatim iuſtitiam diſcat amare: & non metu ac formidine pœnæ à malo abſtinere, ſed amore iuſtitiæ. Timor enim inſtar ſetæ linum introducentis ac pertranſeuntis, charitatem inducit. Vndè à Tertulliano *Inſtrumentum pœnitentiæ*, à Baſilio *introductorium ad pietatem* vocatur.

Aug. lib. de catechizan. rudibus c. 5.

Aug. in Pſ. 32. & tract. 9. in can. Ioannis. Tertul. lib. de vtil. pœnit. Baſilius in Pſ. 32. Chryſoſt. ho. 7. ſad. Antioch. & 32. in Geneſ. Matth. 3.

Augetur verò hic timor conſideratione atrocium ſuppliciorum gehennæ perpetuæ ignis, & fœditatis peccati (cuius maculæ ſolo Filij Dei Sanguine ablui potuerunt) & ponderando, quantis calamitatibus obnoxios faciat, quibus bonis homines ſpoliet. Vndè Ioannes Baptiſta, pœnitentiæ præco, gehennam ſceleribus repoſitam ob oculos ponebat. Paulus Act. 17. & 24. de iudicio, de iuſtitia Dei, de ſuppliciis impiorum diſſerendo, timorem tantùm incuſſit, vt tremefactus Felix præſes fuerit.

Variis mediis Deus ad pœnitẽtiam inducit.

Timotis vtilitas.

Et quamuis ſeruilis timor contritionis rationem non abſoluat, eſt tamen gradus ab eam introducendam propinquus. Dum enim conſcien-

Timor ſeruilis, bonus & vtilis eſt.

tiam æterni incendij pauore flagellat, voluntas peccata, quæ huius tristitiæ causa sunt, odisse, ac remedium contra tantùm malum quærere incipit. Sic autem amicio Dei misericordia hominem timore perculsum, in spem obtinendæ veniæ erigit ab eo, qui *non vult mortem peccatoris, sed magis, vt conuertatur et viuat*, paulatímque spe timorem pellente, amor Dei succedit, qui seriò ad se conuersum recipere paratus est. Quo tandem amore hominis ánimus imbutus peccandi voluntatem deponit, necnon peccata detestari incipit, non solùm quia pœnis obnoxios reddunt, verùm etiam, quia Deum offendunt, iustitiámq; lædunt. Indè nascitur studiũ placandi Deum, commissámque in eum iniuriam recompẽsandi: ac deinde pœnitens se vltrò diuinæ misericordiæ paterna castigatione flagellandum offert, in quo posita est contritionis consummatio, quæ non sẽper in ea perfectione alias pœnitentiæ partes antecedit. Sæpe enim ad Sacerdotem timore solo adductus, inter confitendum pleniùs immutatur Sacerdotis ministerio, docentis, exhortantis, vel increpantis: nonnunquam verò istud efficitur in absolutione, quæ ceteris pœnitentiæ partibus ad hanc rem efficacior est. Nam operi à se instituto Christus ad est, vt pœnitens verbis Sacerdotis Dei ministri commotus, verè contritus efficiatur.

Aug. epist. 180.

Leo epist. 91.

Ex quibus liquet, quàm falsò Lutherus dixerit, timorem seruilem esse malum, quia efficiat hominem hypocritam, magísq; peccatorem, cùm proprius eius effectus sit, voluntatem à peccando impedire, aut saltem ita coërcere, vt in opus externum non prorumpat. Vndè Sapiẽs: *Timor Domini expellit peccatum*: Et: *Memorare nouissima tua, & in aternum nõ peccabis*. Hinc Deus primum hominem timore mortis à peccando deterruit, Iudæósque suppliciorum comminatione. Imò & Christus: *Timete*, ait, *eum, qui potest corpus & animam mittere in gehennam*. Et Apostolus: *Noli altum sapere, sed time*. Rectè siquidem timor militi, hostes à domo arcenti comparatur, quo adiuti sancti graues tentationes superarunt, vt Chrysost. Basilius, Augustinus, & alij docent.

Cõcil Trident. sess. 14.

eap. 4. Eccl. 1. 27.

Matth. 10. Rom. 11. Chrysost. hom. 15. ad Antioch. Basil. in Ps. 33. Aug. lib. 1. de serm. Domini in monte, c. 9.

Signa verò seriæ pœnitentiæ, conuersionísque sinceræ deprehendes, si opera conuersi facias, si peccandi consuetudinem, & pro re minima transgrediendi mandata Dei facilitatem deponas: si non solùm peccata, sed & peccandi occasiones, si periculà societatésque, ex quibus te aliquando prolapsum nosti, sedulò deuites: si denique à laxioris vitæ genere, quæ absque freno Dei amoris in præceps fertur, caueas. In melius enim commutanda est vita, sed & de præteritis peccatis Deus propitiandus est eleemosinis, oratione, ieiunio, aliísque misericordiæ operibus, cunctáque & singula peccata mortalia in posterum declinare pœnitens proponit.

CAP. LXXXV.

De Confessione, vbi, & à quo instituta.

Cõfessionis peccatorum institutio.

CONfessio interdum Dei laudem, aliàs peccati agnitionem denotat. Cùm autem de Sacramentali confessione disseritur, Confessionis nomine intelligimus peccatorum accusationem, eo fine Sacerdoti factam, vt ab eorum reatu, virtute clauium Ecclesiæ à Christo traditarum, absoluamur.

Quòd autem Christus Apostolis, eorúmque in Sacerdotio successoribus potestatem dederit, lapsorum post baptismum peccata sibi detecta remittendi, atque retinendi, Ecclesia Catholica semper credidit, atq; idipsum negantes, hæreticos cẽsuit, vt de Montanistis attestatur Hiero. in epist. ad Marcel. De Nouat. Ambros. li. 1. de pœnit. c. 2. *Aiunt* (inquit) *se Domino deferre reuerentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reseruent.* Vndè aiebat Acesius, spem remissionis peccatorum à Deo, non à Sacerdotibus esse expectandam. Quos sequutus Vvicleff docuit, confessionem Sacramentalem ex sola Papæ institutione ortum habere: cui Erasmus cõsentit in Annot. ad 19. ca. Act. &: Renanus in li. Tertulliani de Pœnitentia. Quibus Lutherus, Caluinus, & quotquot extant hodie sectarij, adhærent, negantes, confessionem omnium peccatorum esse iuris diuini: quinimo liberum cuique illa vti, ac ea solùm enumerare peccata debere, super quibus solidum consolationis fructum requirit.

Nouatiani potestatem clauium sustulerunt.

Tripart. hist. li. 1. ca. 13.

Vvicleff confessionẽ Sacramentalem negauit à Christo institutam.

Ceterum ex Scripturis colligimus, omnium & singulorum peccatorũ confessionẽ iure diuino fidelibus necessariam esse. Nã Christus Apostolis, eorúmq; in Sacerdotio successoribus iudiciariam potestatem absoluẽdi & retinẽdi peccata in foro cõscientiæ dedit, Ioan. 20. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cũ dixisset, insufflauit, & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Vbi externo insufflationis symbolo, & claris verbis designauit, se potestatem Apostolis spirituálẽ concedere, per quam hominum peccata vice Christi condonarent, aut retinerent, ita vt per eos Spiritus sanctus verè peccata remitteret, aut retineret, vt notat Cyrillus in Ioan. lib. 12. ca. 56. Ambrosius lib. 1. *de pœnitentiâ* c. 2. *Ius Spiritus sancti in soluendis ligandísque criminibus est.* Ipsum munus Spiritus sancti, sit nunc officium Sacerdotis. Iudices enim in causis peccatorũ à Christo Sacerdotes constituti sunt, qui ratámq; cælis eorum sententiam habet: sententiam verò absolutionis aut retentionis, nisi super peccato sibi noto, ferre nequeunt. Quare sequitur, eos qui à peccatis post baptismum solui desiderant, oportere sacerdoti tanquam spirituali medico sua peccata referare. Quæ ignorat enim medicus non curat.

Confessio singulorum peccatorum necessaria iure diuino.

Sententia absolutionis vel retẽtionis exigit peccati notitiam.

Quòd autem per soluendi & ligandi potestatem, nequeat intelligi ministerium annuntiandi peccatorum remissionem pœnitentibus, & iram Dei, condemnationémque impœnitentibus, ex eo patet, quòd remittere atque retinere peccata, non significet, denunciare aut declarare, peccata esse remissa, vel retenta: sed reipsa per Sacerdotis absolutionem efficaciter remitti, & per sententiam retentionis non dimitti. Quid enim aliud est *peccata remittere* aut *retinere*, quàm *peccata soluere*, aut *ligare?* Soluere autem & ligare, significant, reipsa vincula demere aut inijcere, non autem attestari vel obsignare, hominem reatu peccati esse vinctum, aut ab illo solutum. Qui enim à peccato soluit, reatum tollit: & qui ligat aut retinet peccata, imponendo satisfactionem, verè coram Deo obligat, iuxta expressa Christi verba: *Quorum retinueritis, retenta sunt.* Ac dicendo *quorũ*, significat Dominus, quòd sententia peccatum retinens, ligánsque peccatorem, ad ipsum in particulari peccatorem, simúlque ad ipsum in specie peccatum, ídque ex certa & cognita causa destinanda sit. Neque

Hieron. in 10. ca. Eccl.

Sacerdotes peccata soluunt, & retinent.

Potestas ligandi est iudiciaria.

enim quisquam ligandus est, nisi qui tale vinculum promeruit. Nec omnibus indefinitè peccata remittit Dominus voluit sed iis solis, quos Sacerdotes absolutione dignos iudicauerint. Prædicatio autem Euangelica promiscuè omnibus, fidelibus & infidelibus, iustis & impiis fieri consueuit, nec in particulari quemquam ligat aut soluit, nec in prædicante actio ponitur, qua peccatum liget aut soluat, (Euangelium enim annunciare potest etiam mulier:) ex ipsa hominum incredulitate, prauóque affectu condemnatio pœnáque sequitur. Vndè non prædicantis aut pœnitentis esset, ligare aut soluere: at peccatorum retentio, non ex sola peccantium conditione, sed ex ipsorum retinentium iudicio, sententia, & actione promanat. Cõstituit enim Dominus Apostolos, retinentes atque ligantes, retentionémque huiusmodi sic fieri disposuit, vt non esset generalis, sed certarum solummodo personarum, quæ proindè iudicio ac discretione indigeret. Vndè consequitur, particularem delictorum confessionem iure diuino necessariam esse, vt iuxta cuiusque peccati grauitatem iudicium exerceri, satisfactionísque modus præscribi queat. Sic Domini verba Ioan. 20. intellexerunt Veteres, contra Nouatianos, docentes, peccata ex authoritate ac potestate à Christo accepta per Sacerdotes remitti vel retineri. Ambr. lib. 2. *de pœnit.* c. 2. & 7. Hieron. in epist. ad Heliodor. Innocent. I. in epist. ad Decent. c. 7. August. hom. 49. inter 50. & lib. 20. de ciuit. c. 9. *Iudicium datũ nullum melius accipiendum videtur, quàm id, quod dictum est: Quæ ligaueritis,* &c. Greg. hom. 26. in Euangelia, *Principatũ supernæ iudicij sortiuntur, vt vitæ Dei peccata quibusdam retineant, quibusdam relaxent.* Leo epi. 91. Chrysost. lib. 3. *de Sacerdotio*, iis qui in terra sunt, commissum esse dicit, illa, quæ in cœlis sunt, dispensare, ac vice Christi vincula, etiam animam obstringentia, injecere, aut tollere, animásque purgare. Similia habet Nazianzenus in oratione ad ciues timore perculsos. August. verò dicens, *à gemitu columbæ* peccata remitti, nihil aliud vult, quàm nemini peccata remitti, extra Ecclesiæ vnitatem, putà in schismate hærenti.

Peccati cõfessio iure diuino necessaria.

Ioan. 20.

Aug. tract. 121. in Ioan. Li. 3. de bap. cõt. Donat. cap. 17. 18. Lib. 5. ca. 21. Lib. 6. ca. 5. Lib. 7. c. 51.

CAP. LXXXVI.

Quòd singulorum peccatorum confessio vtiliter sit à Domino instituta.

LIcet contritione, charite formata, peccatorum remissio fieri potuerit, attamen, quia pauciſſimi ad eum contritionis gradum peruenissent, vt faciliùs hominum saluti consuleretur, placuit misericordi Deo claues regni cælorum Ecclesiæ ministris dare, quarum vi sua confitentibus peccata cum animi dolore, melioríque vitæ proposito, condonarentur: vt hac facili via Deo reconciliari homines possent, quicúmque post baptismum in peccata relapsi essent. II. Ad prauos mores, corruptámque vitæ consuetudinem emendandam nihil efficacius, quàm prudenti, fidelíque animarum medico interdum occultas animi cogitationes, facta, dictáque omnia patefacere, qui opera consilióq; adiuuare, cõuenientiáque vulneribus pharmaca suggerere possit, quibus & præsens morbus sanetur, & homo in futurum à relapsu præseruetur. III. Confessio prodest ad publicam honestatem, vitæque hominum societatem conseruandam: ea siquidem ablata, occultis

Clauis vis est, aperire cælum.

Confessionis vtilitas.

Confessio peccandi licentiam coërcet.

sceleribus plena essent omnia, quæ tandem peccandi consuetudine depraua ti homines, etiam publicè committere non erubescerent. Nunc verò confitendi verecundia improbitatem coërcet, ac peccandi desiderio & licentiæ frenum injicit.

Confessio superbiam frangit.

IV. Confessio elationis humanæ superbiam frangit, dum hominem homini subijcit, arcanáque sua pandere, occultissimorúmque veniam postulare iubet.

Confessio facit se noscere.

V. Hominem seipsum cognoscere facit, quod perutile est.

Confessio peccata delet.

VI. Ad præteritorum errorum satisfactionem, futurorúmque cautionem pudor hic valet: æternã enim confusionem temporali tollit. Peccata equidem confessione delentur, vt exemplo Latronis declarat Climachus gradu IV. ar. 10. cuius peccata calamo cancellari visa sunt, quæ in terram prostratus confitebatur.

Odium peccati generat.

VI. ad peccata odio prosequenda extimulat.

Noxiam securitatem pellit.

VIII. Noxiam peccandi securitatem depellit.

Desperationem fugat.

IX. Desperandi occasionem remouet, cùm nullum sit tam enorme peccatum, quod per claues Ecclesiæ remitti non possit.

Conscientiarum est consolatio.

Vnde confessio non conscientiarũ (vt sectarij blasphemant) carnificina est, sed afflictarum consolatio, quies & instructio, cùm Dominus se ratam in cœlis habiturum promiserit remissionem peccatorum, quam sacerdotes fecerint in terris.

Occultorũ morborum remedium.

Postremò, conducit plurimùm ista singulorum peccatorum confessio, vt animarum pastores suarum ouium morbos intelligant, eísque priuatim & publicè conuenientia remedia prouideant, illáque potissimùm extirpare vltia enitantur, quibus oues sui gregis obnoxias deprehendunt. Inde fit, vt pleráque facili via per sacerdotes emendentur, quibus in externo foro iudices obuiare nequeũt: dum restituuntur obla-

ta: iniuriæ condonantur: pax conciliatur: contractus iniusti dissoluuntur: malè icta fœdera dissociantur: scandala remouentur: tranquillitas publica conseruatur.

CAP. XXCVII.

Quòd distincta peccatorum confessio in veteri lege adumbrata fuerit.

Confessio peccatorũ olim adumbrata.

QVemadmodum Baptismus, Eucharistia, aliáque nouæ legis Sacramenta magis necessaria, priùs adumbrata fuere, ac postea à Christo instituta; & distincta peccatorum confessio, primùm Gen. 3. & 4. vbi Deus tam ab Adamo quàm ab Eua & Cain peccati confessionem exegit; non solùm cordis, sed etiam oris; non tantùm generatim, sed etiam speciatim; nec solum coram Deo, sed etiam coram angelo, Dei ministro. Nam angelus in forma humana deambulans, illas interrogationes fecit, vt confessionem extorqueret; confessione autem illi delerent, quod transgrediendo commiserant; iam tunc Euangelicam doctrinam initians: *Ex ore tuo iustificaberis, & ex ore tuo condemnaberis*, vt veteres obseruant.

Tertul. li. 2. aduers. Marcionem. Ambr. li. de Paradiso c. 14.

PRÆTEREA Deus nobis confessionẽ in Circumcisione proposuit, vt si cor denudauerimus, id est, si peccata confessi Deo satisfecerimus, veniam consequamur; vt notat Lactant. libr. 4. *de Verâ sapientiâ* c. 17.

Lib. 2. de Cain. c. 9.

Iudicium de lepra figuratè cõfessionem peccati. Leuit. 14.

Confessionem quoque adumbrauit diiudicatio lepræ sacerdotibus commissa: quam comprobauit Dominus Matth. 8. vt Hieron. in 16. c. Matth. admonet, dicendo, ad sacerdotis officiũ pertinere, cognoscere peccatorum varietates. Chrysost. verò lib. 3. *de Sacerdotio*, inde

probat, noui Testamenti sacerdotes non solùm spiritualem lepram diiudicare, sed etiam peccata remittendo curare.

Distincta peccatorũ confessio adumbrata sactif. Leuit. 5. & Num. 5.

Distinctam verò peccatorũ confessionem satis expressérunt varia sacrificiorum genera, pro expiatione cuiusque peccati constituta. Vnde fluxit mox Iudæis, distinctè peccata sua confitendi. Cuius meminit Ecclesiast. cap. 4. *Non confundaris confiteri peccata tua.* Nam de generali confessione facta soli Deo, nemo confundi solet. Quare Matth. 3. & Mar. 1. legimus, *Iudæos ad Ioannis Baptisma confluentes, annunciasse actus suos, ac distinctè peccata sua confessos esse*, vt iuxta peccati cuiusque grauitatem, à Ioanne docerentur pœnitentiam agere.

Ioan. 11.

Lazari à mortuis excitatio, & solutio vinculorum, Sacramentum pœnitentiæ figurauit.

Postremò peccati confessionem, reliquásque Sacramenti pœnitentiæ partes, significauit Lazari à mortuis excitatio. Mortuus enim peccatorem designat: excitatio à mortuis, conuersionem: egressio ex monumento, confessionem: vinculorum solutio, absolutionem à peccatis. A Christo Apostolis dictum est: *Soluite illum.* Sic nunc sacerdotibus: *Quorum remiseritis peccata.* Iren. lib. 5. c. 13. Ambr. lib. 2. *de Pœnitent.* c. 7. August. tract. 49. in Ioan. Gregor. hom. 26. in Euangelia.

CAP. LXXXVIII.

Quòd distincta peccatorum enumeratio Ecclesiæ perpetuo vsu comprobetur

Distincta peccatorũ enumeratio necessaria.

POstquam Dominus Ioan. 20. peccatorum cõfessionem instituisset, fideles post baptismum lapsi, certa spe absolutionis cõsequendæ, sua peccata sacerdoti confessi sunt, eúmq; ritum semper in Christi Ecclesia vsitatum fuisse, comprobat in primis illud Act. 19. *Multi credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus suos.* Cui? sanè Paulo, vel alteri presbytero, cuius iussu curiosos libros post baptismũ retentos exusserunt. Eodem pertinet, quod Apostolus scribit: *Dedit nobis ministerium reconciliationis: pro Christo ergo legatione fungimur, &c.* significans, potestatem Clauium datam esse presbyteris à Domino, ad reconciliandum lapsos Deo. Quod præstare nequeunt, nisi ex reorum confessione didicerint, qua in re diuinam maiestatem læserint, quomodo dispositi, & ad satisfaciendũ parati sint. Non enim pro arbitrio quoslibet reconciliare fas ministris est, sed cognita reorum causa, diiudicare tenentur, quorum peccata sint remittenda, & quorum retinenda. Ideóque Iacobus vult, eos, quos peccati letalis conscientia grauat, confiteri peccata sua, non soli Deo, sed homini Dei ministro: *Confitemini alterutrum*, inquit, *peccata vestra*: qui scilicet absolutione indigetis, confiteamini ijs, qui potestatem absoluendi à Domino acceperunt, Laici presbyteris; peccatorum vinculis obstricti, eis, quibus dictum est: *Quorum solueritis, &c. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ad quam promissionem alludens Ioan. *Si confiteamur*, ait, *peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra.* Non ait, *si confiteamur Deo, nos esse peccatores*: sed, *si confiteamur peccata nostra*; omnia scilicet & singula. De quibus subdit: *Remittet nobis peccata nostra*; non aliqua, sed vniuersa. Nam *fidelis est iustus Deus*, stans nimirum promissis, nec fidem fallens. Proinde iuxta suam promissionẽ & institutionem, si quis post baptismũ relapsus peccata sua presbytero confiteatur, &

2. Cor. 5.

Confitẽda sunt peccata non soli Deo, sed etiam eius ministro. Iacob. 5.

1. Epist. c. 1.

Deus præstat quod promisit, ac ratum habet in cœlis quod presbyter remittit in terris.

absolutionem ab eodem impetret, Deus ratam suorũ habet ministrorum sententiam, quibus dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Nulla verò alia in nouo Testamento extat aperta Dei promissio, de obtinenda peccatorum (à fidelibus post baptismum) remissione, si generatim coram Deo se peccatores agnoscant: frustraque Dominus Ecclesiæ dedisset Claues, si passim alia esset via, per quam homines soluí à peccatis possent: imò falsum esset, quod veritas dixit: *Quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex quibus patet, Ioannem de confessione Sacramentali loquutum, quando fideles ad sua peccata confitendum hortatur. Quod & ex Clemente epist. 1. ad Iacob. colligitur, vbi & confessionem non soli Deo, sed & prælato fieri debere statuit, prout & Dionysius Areopag. in epist. ad Demophilum, obseruatum fuisse testatur, & lib. *Eccles. Hierar.* cap. vlt. Iren. quoque lib. 1. *cont. Haref.* c. 9. & lib. 3. c. 4. Tertul. li. *de Pœniten.* Origen. hom. 2. in Leuit. hom. 2. in Psal. 37. & hom. 17. in Luc. CORNELIVS Papa & Martyr Nouatum, accedẽte totius orbis consensu, quia negaret, sacerdotes posse lapsorum peccata dimittere, hæreticum pronunciauit: cui consentiens Cyprianus in sermone de lapsis ex professo docet, sacerdotibus non solum aperta, sed etiam occultissima peccata esse confitenda, vt pœnitentiæ vita cognosci queat. Lactant. lib. 4. c. 17. & 30. *Sciendum est, illam esse veram Ecclesiam, in qua est confessio, & pœnitentia.* Hilar. in 16. c. Matth. & Hieron. in idem c. 16. dicit, Episcopum & Presbyterum ex officio, audita peccatorum varietate, soluere aut ligare. Basilius *in regalis breuioribus*, regula 229. *Sicut medico detegendus est morbus, vt conuenientem medicinam adhibeat; ita peccatorum confessio sacerdoti facienda.* Eadem similitudine vtitur Gregorius Nyss. sen. in epist. *ad Episcopum Mitylenes*, & oratione *in mulierem peccatricem*; item Pacianus in paræneſi *ad pœnitentiam*. Ambros. lib. 2. *de Pœnit.* c. 6. *Solvit criminum nexus verecunda confessio.* Chrysost lib. 2. & 3. de sacerdotio: *Omne iudicium, quod Christus à Patre accepit, in sacerdotes, communicata potestate transfundit.* August. hom. 50. inter 50. Leo epist. 80. & 91. docet, confessionem pœnitentis non esse differendam, quia Iure diuino sit relapso necessaria. Greg. hom. 26. in Euangelia; Beda in 5. c. Iacob. Bernard. serm. 16. *in Cant.* Magister senten. libr. 4. dist. 17. vniuersíque doctores scholastici tradunt, omnium & singulorum peccatorum letalium, quæ post diligentem conscientiæ discussionem occurrunt, confessionẽ Sacramentalem iure diuino necessariam esse. Quod plurima quoq; Concilia definierunt. Conc. Carthag. III. can. 31. statuens, vt secundùm peccatorum differentias, Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur: quod, sine præmissa, fieri nequit. Idem repetitur in Conc. Laodicen. can. 2. in 6. synodo can. 102. in 1. Cabilon. can. 8. in II. Cabilon. can. 2. in Turonen. cap. 22. in Parisiensi can. 26. in Remensi can. 12. in Mogunt. c. 26. in Vvormac. c. 25. in Lateran. c. 21. Constan. sess. 8. Florent. *in instructione Armeniorum*, in Trident. sess. 14. can. 6. & 7. *Si quis negauerit, confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem esse necessariam iure diuino, anathema sit.* Vnde patet, non ab Innoc. III. (vt calumniantur sectarij) confitendi necessitatem inductam, sed vt singulis annis fideles hoc salubri remedio vtentur, præceptum esse.

Clemens.
Dionys. Areopag.
Irenæus.
Nouati hæresis dãnata per Cornelium Papam.
Euseb. li. 6. histo. c. 44.
Tripart. hist. lib. 9. cap. 35.
Cyprianus.
Cyprian.
Lactan.
Hilarius.
Hieronym.
Basilius.
Nyssen.
Pacianus.
Ambros.
Chrysost.
Augustin.
Leo.
Gregorius.
Beda.
Bernardus.
Conc. Carthag.
Laodicen.
Cabilonen.
Turonen.
Remense.
Vvormac.
Lateran.
Const. Flor.
Tridentin.
Innoc. III. confitendum semel in anno præcepit, non autem confessionẽ instituit.

Nam omnia Concilia vsus confessionis præcessit, qui sanè cùm onerosus atque molestus sit, cùm oporteat in eo hominem sacerdoti peccata sua quantumuis occulta, pudenda, imò exhorrenda detegere, iudicióque ipsius stare, mulctámque ab eo iniunctam luere; numquam populi confitendi legem admisissent, nisi diuina institutio & authoritas ad obedientiam eorum animos inclinasset, vtilitásque ex diuina promissione expectata ad cõfitendum inuitasset. REFERT Climacus, gradu IV. quendam vidisse deleri singula peccata, quæ confitens sacerdoti exprimeret. Bonauentura in vita S. Francisci cap. 10. scribit, eum cuidam militi persuasisse, vt confiteretur, dum esset repentina morte subtrahendus. NEQVE hanc priuatam confessionem Nectarius abrogauit, sed duntaxat publicam, quæ coram testibus fiebat, qui audita exprobrare postea, vel grauiter offendi nonnumquam poterant: vti contigisse refert Socrates, dum quædam mulier publicè sua peccata confitens, longiùs ex indiscreta deuotione progressa, crimen occultum cum Diacono in Ecclesia perpetratum, coram populo declarasset. Nam ex ea flagitij publicatione cùm odium Cleri, scandalum infirmorum, tumultúsque subsecuta fuissent, visum est Patriarchæ Nectario, hunc ritum, qui occasione Nouatianorum post Decij persecutionem inuectus fuerat, abrogare, & vnumquemque pœnitentem suæ conscientiæ permittere, vt videlicet priuatim sacerdoti peccata exponeret, qui altissimo silentio ea tegere deberet, nec illa vllo casu publicare, aut exprobrare posset. Cuius sententiam Chrysost. Nectarij successor, Orientísque totius Episcopi comprobarunt. DVM itaque Chrysost. ait, confitendum esse soli Deo, sine verborum sono; de confessione loquitur, non prout ordinatur ad Sacramentalem absolutionem, quæ pars essentialis pœnitentiæ Sacramenti est; sed de confessione illa publica, vt ordinatur ad confusionem & erubescentiam, per quam pœnitens pro pœna suis peccatis debita satisfaciebat; ac proinde agit de confessione, quatenus ad satisfactionem pertinet. In eundem sensum loquitur Cassianus collat. 20. c. 8. NEQVE maioris ponderis est argumentum ab impossibilitate supputationis peccatorum deductum: *Delicta enim quis intelliget?* Et, *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.* Ea enim solùm peccata enumeranda sunt, quæ post sui diligentem discussionem memoriæ occurrunt. Illa verò diligens discussio vocatur, quam in rebus grauioribus homines ordinariè adhibere solent, ac proinde non minùs facilè sacerdoti, quàm soli Deo confitentur.

Peccata confessione deleri visa sunt.

Nectarius publicam confessionẽ sustulit.

Socrat. li. 5. c. 19. Sozom. lib. 7. c. 16. Niceph. li. 12. c. 28.

Confessio publica ad satisfactionẽ permanens à Nectario sublata.

Greg. lib. 6. epist. 18. Chrysost.

hom. 3. Ad Hebr. Hom. 2. in Psal. 50. Hom. 4. de Lazaro. Hom. de Publicano.

Pſal. 18. 13.

Discussio qualis necessaria.

CAP. LXXXIX.

Vtrùm peccata venialia confitenda sint?

QVia peccata venialia nos à Dei amicitia non diuellunt, variísque modis, præterquam confessione sacerdoti facta, expiari queunt, licet vtiliter, non tamen necessariò confitenda sunt. Circumstantiæ verò, quæ peccati speciem commutant, vel notabiliter aggrauant, quia sine illis peccata non integre exponuntur, neque à Iudice plenè agnoscuntur, aperiendæ sunt, vt Iudex de peccati grauitate censere, condignámque pœnitentiam imponere possit. At circumstantiæ, quæ actus grauitatem non magnopere

Venialia peccata vtrùm confitenda.

Circũstantiæ peccatorum quãdo exprimendæ.

pere adaugent, reticeri possunt; quamquam sibi bene consulant, qui etiam huiusmodi circumstantias Confessario detegunt, vt & illi, qui peccatis solùm venialibus obnoxij sæpe confitentur. Vnde patet, eorum esse temerarium iudicium, qui quoties cernunt aliquem confiteri, toties letaliter peccasse sentiunt. Quid autem sit faciendum, quando circumstantiæ directio in alterius personæ periculum, aut notabilem infamiam vergit, Dominicus Soto in 4. dist. 18. qu. 2. art. 5. tradit.

CAP. XC.

Vtrùm mutila confessio repetenda sit?

Mutila cõfessio an repetenda.

SI quis sponte aliquod peccatum mortale, vel circumstantiam in confessione necessariò exprimendam subticuerit, præterquam quòd se nouo scelere commaculat, repetere confessionem tenetur. At qui ex obliuione, vel ex minùs accurata suæ conscientiæ discussione aliquod peccatum confiteri omiserit, integre tamen omnia detegere proponens, confessionem itemque non tenetur: sufficiet enim per obliuionem omissa, quando in memoriam redierint, opportuno tempore confiteri. Nam peccata, quæ diligenter conscientiam scrutanti non occurrunt, eidem confessioni inclusa esse intelliguntur, pro eisque oratur: *Ab occultis meis munda me Domine.* Quia tamen non remittuntur, nisi per Sacramentum pœnitentiæ, actu vel voto susceptum, licet homo tunc ignorantia, impotentiáque inuincibili excusetur, occurrente nihilominus eorum recordatione, votum exequi debet, tacitámque conditionẽ implere: *Si alia peccata occurrerent, confiterer*; quòd si remoto impotentiæ impedimento hanc anclusam conditionem non compleat, non omnia peccata Deo exponendi studium habuisse videbitur, vt de peccatis, per contritionem cum Sacramenti voto remissis, docet Concilium Tridentinum. VTRVM verò ad communicandum accinctus in Paschate recordatus peccati grauis omissi, teneatur habita confessarij copia statim confiteri, an verò possit illius confessionem in sequens Pascha differre; ambigunt nonnulli: at multò erit tutius quàm citissimè confiteri. Nauarrus in Manuali c. 2. num. 9.

Conc Trident. sess. 14 c. 5. & can. 7.

Tridẽt. sess. 13. c 7 sess. 14. c. 4. Bellar. li. 2. de Pœnitẽt. c. 9. & 14.

CAP. XCI.

Quas conditiones legitima confessio requirat.

CONditiones ad legitimã confessionem requisitæ sexdecim hisce versibus continentur: *Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis: Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda: Integra, secreta, et lacrymabilis, accelerata: Fortis, & accusans, & sit parere parata.* Quorum omniũ hæc summa est, vt confitens nudè, ambagibus fucatisque verbis remotis, sua peccata detegat, exemplo Achan dicendo: *Sic, & sic feci.* Quare certa, pro certis; dubia pro dubijs recenseat. Præterea cum animi submissi, modestiq; signis confiteatur; flexis genibus, nudo capite, demisso in terram vultu, cúmque alijs Christianæ humilitatis indicijs. Purè insuper, sine rerum impertinẽtium admixtione, & & absque mendacio confitendum est. Frequenter quoque, sicut crebrò labimur, absq; excusatione pec-

Conditiones legitimæ confessionis.

Ioſue 7.

cati commissi, verbis honestis, animo prompto & deuoto, narratione verecunda, breui ac modesta, quæ interim fortis ac libera sit, nihil pudore supprimens, quod ad peccati naturam pertineat; nullum crimen, cuius adhibita diligentia debita pœnitens recordatur, omittens, aut inuoluto sermone tegens. Denique confessio secreta sit: adeóque per ipsum peccatorem, non autem per alium: neque scripto, sed verbo fiat; non audiente alio, neque per interpretem, si per se possit, possimùm de peccatis occultis, cùm ordinariè sua peccata occulta publicare, seipsúmque infamare non liceat. Subinde tamen ad culparum castigationem, ad sui humiliationē, ad exemplum disciplinæ, ad imploranda aliorum suffragia, vel ad gratiæ Dei commendationem occulta peccata confiteri palam licebit, vt Augustinus *in Confessio. libris* ostendit. Similiter in extrema necessitate in aquis constituto, in littore stanti presbytero, vel in alia tabula confractæ nauis in mari confidenti, alijs audientibus, confiteri fas erit: prout accidisse fertur, dum plures fodissent puteum, & in imo constituti ruinâ terræ oppressi collo tenus essent, confessi sunt, priusquam omnino terrâ obruerentur. Rursus mos obtinuit, vt peste infecti Confessario procul stanti, & vulnerati in prœlio morte instante, socijs etiam audientibus confiteantur; ac demum vt pœnitens, si Confessario aliter nequeat, saltem per fidum interpretem sua peccata exponat; quia licet Christus publicam fieri confessionem non instituerit, nēc id satis consultè humana lege statueretur, attamen id facere non vetuit, vt Concilium Tridentinum declarat.

Confessio verbo, non scripto fiat.

Cōc. Trid. sess. 14. c. 5.

Publica cōfessio subinde licita. Hentiquez lib. 5. c. 2. & 9.

Nauar. in man cap. 1. nu. 4.

Sess. 14. c. 5.

Confessio

Vtrùm verò per literas, seu internuncium, (quoniam ea ratione nihil occultè agi potest) confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere liceat, aliquando dubitatum fuit: sed non licere, per Clementem VIII. definitum est, qui contrariam assertionem vti falsam, temerariam & scandalosam damnauit, ac prohibuit: nec solùm totam illam propositionem: licere confiteri absenti peccata Sacramentaliter, & absolutionem obtinere, damnauit; sed insuper vtramque partem propositionis (scilicet, licere Sacramentaliter per internuncium vel litteras confiteri peccata; vel etiam ab absente Confessario absolutionem obtinere) falsam esse declarauit, prout successorem eius Paulum V. attestatum fuisse, certissima relatione accepimus: qui etiam addit, Pontificem non intendisse doctrinam ab Augustino & veteribus propositam reprobare, qua tradunt, licere eum absoluere, qui confessarium aduocauit; sed priusquam is veniret, obmutuit, aut repentè loquelâ priuatus fuit. Accusare quidem se (quando potest) debet pœnitens vocali verbo, quod per se ordinatur ad proprij conceptus occulti manifestationem: non tamen id pertinet ad essentiam Sacramenti. Vnde signis & nutibus ægrotus, qui aliter nequit, sicut & mutus præsenti confessario sua peccata detegere tenetur; & per fidum interpretem potest quis confiteri sacerdoti prorsus ignaro idiomatis pœnitentis, vt ex attrito fiat contritus, suæque saluti hac ratione consulat. Nec hîc confessionem omnino deesse putandum est, quandoquidem fiat, quatenus rerum status patitur.

per literas aut per internuncium absenti non est faciēda, nec absolutio Sacramētalis absenti danda.

Catechismus Trid. seu Romanus de pœnitentia. num. 45.

Aug. li. 2. de adul. coniug. c. 9.

Hentiquez lib. 5. c. 11.

Suares dist. 21. de integritate confess. sect. 1.

Ceterùm an repentè loquelam & sensum, ac omnem intelligentiam deperdens, sine vlla præuia

An liceat Sacramētaliter absol-

uere, nullo pœnitentiæ dato signo.

confessione, nullóque signo peccati in ordine ad claues, ne vel in communi dato, absolui possit, maiorem habet difficultatem. Cùm enim absolutionis sententia per modum iudicij ex causæ cognitione proferenda sit, nullaque hîc peccatorũ confessio, vel iudicij materia reperiatur, absolutionis sententia impendi nequit: attamen per modum suffragij absolutionem adhiberi, nihil vetat, inclusa conditione tacita vel expressa, *in quantum possum, & quatenus capax es.* PRÆTEREA confessioni formalis dolor de commisso peccato adesse debet, cum proposito non peccandi de cetero, & voto præstandi cetera, ad ritè suscipiendum pœnitentiæ Sacramentum requisita. Consultum insuper est, statim confiteri, ne vnum peccatum suo pondere in aliud pertrahat. Necessarium verò est, nihil præ timore aut verecundia omitti, vtque pœnitens seipsum accuset, non Deum, non proximum, non carnem, non mundum, non denique principaliter ipsum dæmonem, cùm nemo suæ voluntatis arbiter nisi à seipso lædatur. Postremò, eius animi pœnitentem esse oportet, vt exequi paratus sit, quod pro peccatis Confessarius faciendum iniunxerit.

CAP. XCII.

Vtrum confessa peccata semel, iteratò confitenda sint?

SI confessio nulla fuerit, quia pœnitens non omnia peccata, vel saltem circumstãtias moris speciem commutantes sponte non expresserit, vel quia nullum peccati formalem dolorem, neque satisfaciendi propositum habuerit, aut si confessarius potestate ordinis vel iurisdictionis caruerit, aut impendere absolutionem noluerit, peccata semel expressa, iterum ei Confessario detegenda erunt, à quo absolutio petetur. Si autem peccata semel verè fuerint remissa, non erunt necessariò in confessione iterum repetenda, quia soluto debito tollitur obligatio iterum soluendi. In religionibus tamen quibusdam, ex speciali statuto, regulares omnes subditi in fine anni Prælato suo, peccata omnia quamuis non reseruata, à quibus per singulas hebdomadas aut menses à regulari Confessario delegatam iurisdictionem à Prælato habente absoluti fuerunt, iterum confiteri tenentur, quia iuri suæ libertatis in isto renuntiarunt, statutisque istud disponentibus veluti ex pacto voluntario sese subiecerunt.

An & quãdo peccatorum confessorum repetitio facienda.

Quamuis autem nulla generali lege constitutum sit, vt peccata, à quibus per legitimum confessarium absolutus quispiam est, repetere teneatur; vtrùm tamen semel aut sæpius in vita, generali confessione eadem peccata confiteri expediat, meritò QVÆRI potest. Certum enim videtur, id maximo cum fructu in plerisque religionibus obseruari. Licet ergo non sit præceptum omnibus fidelibus, attamen consultum est, vt cum animi magna præparatione aliquando recogitent omnes annos vitæ in amaritudine animæ suæ, propriasque species atque circumstantias, grauitatémque ac numerum peccatorum recolant, hisque perpensis, atque Dei beneficijs sibi collatis, quibus ingrati sæpe fuerunt, ingentem in se omnium peccatorum detestationem excitare studeant, curentque non solùm vitam emendare, Dei omnia præcepta implendo; sed etiam fructus dignos pœnitentiæ agendo, futuri sæculi pœnas euadere. Monet

Confessio generalis an vtilis.

Soto in 4. dist. 18. q. 4. ar. 3.

attamen sapienter Dominicus Soto, confessionem Sacramentalem non esse passim repetendã, ne Christi Sacramentum efficiatur religionis ludibrium. Secus autem accidit in generali peccatorum confessione Deo facta, in qua laudabiliter peccata olim remissa grato erga Deum animo quotidie recolimus, exemplo Dauidis Psalm. 50. *Peccatum meum contra me est semper*: Ezechiæ, Isaiæ 38. Pauli 1. Cor. 15. c. 21.

CAP. XCIII.

De tempore Confessionis.

QVo ætatis, annísque tempore confiteri oporteat, Dominus lege antiqua non præscripsit; sed Ecclesiæ præfectis determinandum commisit. Vnde Concil. Lateran. langvescente Christianorum feruore decreuit, omnes & singulos, tam mulieres quàm viros, cùm ad discretionis annos peruenerint, semel in anno debere confiteri. Quo autem anni tempore id faciendum sit, mos in vniuersa Ecclesia confitendi, sacro Quadragesimæ tempore hactenus cum ingenti animarum fructu obseruatus, clarè demonstrat: quem Concilium Tridentinum amplectitur. Cuius & Chrysostomus meminit homil. 30. in Gen. & hom. 10. in Matthæum.

Semel in anno confitendum.

Conc. Trident. sess. 14. c. 5.

Quoties insuper mortis periculum imminet, vel rem aliquam tractare aggredimur, quæ hominis sanctitatem exigit; vt, cùm Sacramenta ministrare aut percipere volumus, toties confitendum est. Hinc Tridentina Synodus hortatur futuros coniuges, vt antequam contrahant, peccata confiteantur. Item, si quis metuat, ne toto anno confitendi opportunitatem aliam non habeat, putà si longam nauigationem suscipiat, vel si conscientia dictet, confitendum est. Quandocúmque insuper Eucharistiæ Sacramentum ab illis sumendum est, quos conscientia peccati mortalis grauat, quantumcúmque etiam se contritos existiment, habitá confessoris copiã, necessariò præmittenda est confessio Sacramentalis; vt definit Concil. Tridentinum sess. 13. can. 11.

Confitendum imminente periculo mortis: Item, quãdo suscipiẽda vel ministrãda sunt Sacramenta. Sess. 24 c. 5. Reform.

Quia verò à nonnullis ambigi posset, vtrùm religioso habenti priuilegium confessiones audiendi, confessus teneatur iterum eodem anno suo proprio Parocho confiteri? sciendum est, Romanum Pontificem, totius vniuersalis Ecclesiæ pastorem, religiosis priuilegium audiendi confessiones posse concedere, quatenus expediat potestatem amplam vel restrictam eis tribui, ad eius discretionem pertinet, cui Dominus potestatem in totam Ecclesiam dedit in ædificationem, non in destructionem.

An sufficiat religioso priuilegiũ habenti semel in anno confiteri.

Quin autem præcepto de annua confessione facienda illi satisfaciant, qui etiam in Quadragesima vel Paschæ festo religiosis Apostolico priuilegio delegatis confitentur, incunctanter tenendum est, nec huiusmodi obstrictos esse ad iterandam suo Parocho confessionem: attamen, quia Pastoris est, vultum sui pecoris agnoscere, conuenientissimum est, vt quisque in anno semel ordinario Pastori suo, conscientiæ suæ secreta detegat, vt infirmitatibus ouium congrua medicamenta prouidere queat; vt docet Tapperus art. 5. quem immeritò reprehendit Henriquez lib. 5. capit. 16. *in Glossa*.

Cõsultum, proprio parocho confiteri.

Dominicus in 4. dist. 18. q. 4 ar. 3.

Henriquez lib. 5. c. 16.

CAP. XCIV.

De Satisfactione.

Satisfactio, pœnitentiæ pars.

TErtia Pœnitentiæ pars est, Satisfactio, quæ omni tempore à lapsu medium fuit necessarium ad consecutionem gloriæ. Nam nullus regnum Dei intrat, nisi plenè à pœna ob culpam debita expurgatus. Non tollitur autem totus reatus pœnæ, nisi per satisfactionem compensatâ iniuriâ, Deo per inobedientiam illatâ. Sicut ergo peccatori necessarius est dolor de offensâ Dei, ita & propositum compensandi ac satisfaciendi.

Debitum ex damno vel iniuria.

Satisfactio in cõpensatione iniuriæ cõsistit. Restitutio in reparatione damni rerum.

Voxautem Satisfactionis interdum generatim omnem debiti solutionem comprehendit, etiam restitutionem. Debitum verò nonnumquam ex damno reipsa illato, aliàs ex iniuriosa actione in aliquem cõmissa nascitur; sed vndecúmque debitum promanet, modò tantum fiat, quantum iustitia exposcit, satisfieri dicitur. At strictè accepta satisfactio, est iniuriæ alicui personæ illatæ compensatio, in actionibus consistens, quas ad æqualitatem iustitiæ reducit, in eo à restitutione diuersa, quæ in rebus versatur, iustitiámque, quoad rerum æqualitatem, reparat. Vnde nihil propriè Deo restituimus, cùm damnum pati nequeat, sed pro iniurijs ei satisfacere tenemur, tantum præstando, liberéque luendo, quantum irato ad vlciscendam suam iniuriam satis esse possit. Et quidem huiusmodi cõpensatio vel secundùm perfectam æqualitatem fit, vt dum inter æquales actio contumelioſa per aliam opposita compensatur, qua tantum honoris rependitur, quantum iniuriæ illatum erat: cuiusmodi satisfactio, est plena & absoluta. Talem Christus pro Adæ superbia Deo exhibuit, se humiliando, Patríque obediendo vsque ad mortem Crucis. Hæc enim actio Filij Dei infinitè grati, non minùs Deo accepta fuit, quàm primi parentis elatio displicuerat. Et quia Christus non solùm æqualem satisfactionem, sed etiam ex proprio redemptionis pretium obtulit, ideò rigorosè satisfecit, tantùm honorem Deo sua obedientia præstando, quantum contumeliæ Adam sua inobedientia intulerat.

1. Ioan. 2. Christi satisfactio rigorosa fuit.

Est tamen & alia quædam iustitia, quæ non in absoluta æqualitate, sed imperfecta consistit: nam ab alterius pacto, promissione, donatione, necnon acceptatione dependet, cui satisfactio iusta quidem, sed non rigorosa correspõdet. Tali nos iniuriam Deo peccatis factam compensamus, dum iuxta ipsius beneplacitum satisfacimus. Ad huius generis satisfactionem pertinet sacramentalis & canonica satisfactio, quæ nihil aliud est, quàm pœnæ à sacerdote in foro conscientiæ impositæ, cum proposito vitæ emendandæ, persolutio. Nam solâ illa pœna sacramenti pœnitentiæ pars censenda est, quæ ex potestate clauium sacerdotis decreto pro mensura delicti imponitur. Sublato enim per Contritionem & Confessionem æternæ mortis reatu, plerúmque supereſt pœna temporalis in altero seculo luenda, quam expiamus, redimimus, ac compensamus satisfactione. Id enim Christi dono filiis & amicis Dei præstatur, vt & consecuti gloriam futuræ vitæ promereri, & pro temporali pœna remisso peccato adhuc restante, satisfacere queant.

Satisfacimus Deo pœna restãte, culpa remissa.

Conc. Trident. sess. 14. c. 8. & 9. & can. 13.

Remissa culpa, sæpe luenda pœna remanet.

Porrò quòd remissa culpâ sæpe remaneat pœnæ temporalis reatus,

ex scripturis manifestissimum est. Nam Gen. 2. & 3. atque Roman. 5. *Per peccatum mors.* At remissio originali peccato remanet moriendi necessitas, dolores, conceptus & partus, *iugum graue super filios Adæ.* Quibusdam mors est virtutis exercitiũ, & tamen simul primi peccati pœna: alius verò est tantùm suppliciũ, vt impijs & paruulis, qui exercitij non sunt capaces. Exod. 32. post condonatum vituli adorati peccatum, ait Dominus: *Ego in die vltionis visitabo et hoc peccatum eorum.* Num. 14. dimisso murmurationis crimine, Iudæi in deserto numerati, omnes mortui sunt, exceptis Iosue & Caleb. Num. 20. Moyses & Aaron ob diffidentiam, ad moriendum in deserto condemnantur. Deut. 32. Moysis mors describitur. Ad quem locum alludens Dauid Psal. 98. ait: *Deus tu propitius fuisti eis, vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* Numero. 12. Maria septem dierum leprâ percussa est. 2. Reg. 12. *Transtulit Dominus peccatum tuum: verumtamen filius tuus, qui natus est tibi, morte morietur.* 2. Reg. 24. postquam dimissum esset peccatum, numerando populum commissum, flagellum pestis sequutum est. 3. Reg. 13. Prophetæ propter inobedientiam sibi per pœnitentiam remissam, à leone interfectus est. 2. Corint. 11. *à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Gregor. libr. 9. Moral. cap. 27. *Deus peccatum delet, sed inultum non deserit.* Chrysostomus ho. 5. *De Pœnitentia*, docet, pœnis post remissionem peccati à Deo inflictis, magis intendi nostram vtilitatem, vt scilicet cautiores posteà simus, nec tam facilè in peccata eadem relabamur, vt Augustin. in Psalm. 50. ad versiculum, *Veritatem dilexisti*, tradit, & alibi sæpe.

Ecclesiast. 40.

August lib. 2 de pecca. merit. c. 34. lib. 13. de ciuit. c. 6.

Remissa culpa sæpe remanet pœna in altero seculo luenda.

Quòd verò dimissâ culpa debitum luendæ pœnæ temporariæ non solùm illius vitæ, sed etiam futuræ sæpe remaneat, euincit longum exilium animarũ sanctarum in Limbo & carcere, à quo per Christum ad inferos descendentem eductæ sunt, necnon dilatio resurrectionis corporum, quæ ab animabus expetuntur. Neque tantùm pœnâ damni in futuro seculo peccatum remissum vindicari, sed etiam pœnâ sensus docet Apostolus asserens: *quosdam saluari, sic tamen quasi per ignem:* quo modo Apostolum intellexit Augustinus in Psalm. 37. Enchir. cap. 71. & libr. 21. *de Ciuit.* cap. 13. & communis est totius Ecclesiæ sententia in Conciliis vniuersalibus definita, vt in assertione Purgatorij ostendimus.

Zachar. 9. Apoc. 6.

Purgatorius ignis. 1. Corint. 3. 2. Macha. 12. Conc. Constan. sess. 8. Trid. sess. 25. In symbolũ lib. 1. c. 198. Conc. Triden. sess. 14. c. 8.

Cur autem non statim remissâ culpâ condonetur omnis quoque pœna, plures sunt causæ. I. quoniam diuinæ iustitiæ ratio exigit, vt qui sciens volénsque cælestem patrem offendit, sine castigatione non recipiatur in gratiam. Flagellat enim Deus omnem filium, quem recipit. II. vt peccatum quisque tantò magis detestetur, quantò eius productior est pœna, difficiliórque curatio. III. quia sanato vulnere letali, cicatrices quoque ac reliquiæ plagarum curandæ sunt. Non enim sufficit transfixo sagittam extrahi, sed inflicta quoque mala affectio sananda est: sic remisso damnationis æternæ reatu, prauæ inclinationes emendandæ sunt. Id autem satisfactoriis pœnis efficitur, quæ flagella, exercitia & medicinæ sunt.

Cur pœna remaneat culpa remissa. Aug. Enchir. c. 70. & tract. vlt. in Ioan. lib. 21. de ciuit. c. 15. In Psal. 50. ad versic. veritatem dilexisti.

IV. Propter exemplum aliorum peccator ab Antistite satisfactionis suæ modum accipit, vt hac disciplina peccato offensi discant, quomodo vitam instituere, pietatemque sequi debeant. V. vt quam pec-

Aug. hom. 50. inter 50. cap. 11.

Cyprian. in ser. de lapsis.

cando contristauerat quis Ecclesiam, suo labore, ac doloris testimonio lætificet. Vndè antiquitus pro criminibus publicis indici publica pœnitentia consueuerat, vt ceteri timore disciplinæ perterriti, sedulò huiusmodi lapsus cauerent. VI. ne propter præsentia bona, & euitanda mala, sacramenta quærantur, cùm illa non ad temporalium, sed cælestium bonorum adeptionem præcipuè sint instituta. VII. Vt membra Christo capiti sint conformia in pœnarum voluntaria perpessione. *Turpe* enim *est sub spinoso capite membrum esse delicatum*.

Aug. Enchir. c. 66.

Chryso ho. 8. ad pop. Antioch.

Bernar. ser. 2. de aduentu.

Postremò pœnæ satisfactoriæ à nobis liberè susceptæ, Dei animaduersionem suppliciaque nobis repositа, auertunt. *Dum enim nos punimus, Deus parcit.* 1. Corinth. 11.

Daniel. 4. 1. Cor. 11.

CAP. XCV.

Quibus operum generibus Deo satisfaciamus.

VT opus satisfaciendi vim habeat, oportet, vt à spiritu Christi per gratiam inhabitante profluat. Nam opera, quæ impulsu Spiritus sancti nondum inhabitantis exercentur, rationem dispositionis ac impetrationis, non autem satisfactionis habent. Necessarium insuper est, opus satisfactorium esse pœnale, id est, tale, vt natura sua molestiam dolorémque adferat. Huiusmodi verò triplicia sunt: Oratio, Ieiunium, Eleemosyna, quibus Deo exhibemus animi, corporis, & externa bona, triplicique peccatorum radici, videlicet Concupiscentiæ, Carnis, Oculorum, atque Superbiæ vitæ, totidem medicinas opponimus. Denique peccato Deum, proximum, & nosipsos offendimus: quare congruentissimè Deum oratione placamus, proximo eleemosynis satisfacimus, nosipsos verò ieiunio castigamus, ad quod reuocantur cilicia, humiliationes, cineres, castigationes, & flagella. Ad eleemosynam verò quæcúmque in proximi vtilitatem cedunt, vt omnia misericordiæ opera.

Opus vnde vim satisfaciendi accipiat.

Opus satisfactorium pœnale triplex.

Sub oratione autem comprehenduntur omnia, quibus Deo laudem gratiarum actionem, honorémue deferimus: vt sunt sacrificia, templorum ædificatio, & similia. Vndè contritio, vt pœnalis est, item confessionis actus, nonnihil pœnæ temporalis debitæ abolent: interdum verò sua intensione totam quoque remitti impetrant: vt in latrone, Beata Magdalena, Petro amarè flenti, aliisque permultis. Hinc ab angelo dictum est: *Bona est oratio cum ieunio & eleemosynâ.* Daniel. 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Psal. 49. *Inuocame, etc. eruam te.* prout exaudiuit Manassem 2. Paralip. capite 33. Et quotidie se inuocantes exaudit.

Tob. 12. Ioëlis 2. Ionæ. 3. Prouerb. 19. Lucæ 11.

Sciendum tamen hoc est, quasdam esse temporales pœnas, immobili iudicio Dei decretas, quas nullis precibus auertere, nec vllis operibus redimere possumus: qualis pœna mors est. *Statutum enim est omnibus hominibus semel mori.* Talis fuit pœna, Moysi diffidentiæ decreta. Item filio Dauidis, ex adulterio nato. 2. Reg. 12. Iob 9. *Deus, cuius iræ nemo resistere potest.* Ezechiel. 14. *Et si fuerint tres viri isti in medio eius, Noë, Daniel, et Iob,* &c.

Quædam pœnæ absoluto Dei decreto infligendæ.

Deu. 3. & vl. Greg. lib. 9. mor. c. 30.

Ezech. 14.

CAP. XCVI.

Vtrùm pro temporali pœnâ ex condigno satisfacere possimus?

Satisfacimus ex cõdigno pro temporali pœna.

POst remissionem culpæ, hominem Deo iam reconciliatum, posse ex condigno pro temporali restante pœna satisfacere, Concilium Tridentinum sess. 14. can. 13. & sess. 6. ca. 14. ex scripturis ostendit. Lucæ 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, id est, sufficientes ad compensandam iniuriam peccatò illatam, si non ad æqualitatem quantitatis, saltem proportionis, iuxta offensi acceptionem. Iuxta illud: *Peccata tua eleemosynis redime.* Et 2. Cor. 7. Apostolus inter pœnitentiæ fructus vindictam recenset, hoc est, pœnam, quam ex amore Dei pro admissis peccatis fidelis vltrò assumit, aut à sacerdote iniunctam obedienter suscipit, vt iniuriam Deo factam compenset. Cùm verò certum sit, iustificatum posse vitam æternam promereri operibus bonis, consequitur, eadem opera, dum pœnalia sunt, vim satisfaciendi pro pœna temporali habere: quod omnium ætatum scriptores magno consensu docuère. NEQVE putandum est, istam satisfactionem Christi meritum, vel gratuitam peccati remissionem obscurare, cùm potiùs illam commendet, cuius tanta vis sit, vt etiam actionibus iustificatorum dignitatem tribuat, pro temporali pœna satisfaciendi. Et quemadmodum singula vnius corporis membra suas functiones ad communem omnium partium vtilitatem peragunt: ita qui ad vnius Christi compagem pertinent, possunt mutua onera portare, ac pro se mutuem Deo satisfacere. Iuxta illud Psal. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Et illud Christi: *Facite vobis amicos, qui recipiant vos in æterna tabernacula.* Euseb. lib. 3. hist. ca. 17. refert, Ioannem Euangelistam pro Latrone satisfecisse. Et Apostolus ad Eleemosynas excitans: *In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.*

Sess. 14. c. 8. & can. 13. & 14. sess. 6. cap 14.

Daniel. 4.

Satisfactio nostræ non obscurat, sed illustrat Christi satisfactionẽ. Matth. 10

2. Timot. 4

Tertul li de Pœnitẽtia.

Cyprian. ser. de lapsis

Augu. Enchi. 70.

Chrysost. hom. 41. ad pop. Antioch.

Leo epi. 91.

Psalm. 118.

Lucæ 16.

2. Corint 8.

CAP. XCVII.

Vtrùm viui pro mortuis satisfacere possint?

QVemadmodum viui in præsenti vita sibi inuicem succurrere, ita quoque viuentium suffragiis qui sunt in Domino defuncti, à pœna temporali post hanc vitam luenda possunt liberari. Iuxta illud: *Sancta ergo & salutaris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Vndè pro omnibus in sancta societate defunctis, Ecclesia supplicationes exhibet, vt quibus ad ista desunt parẽtes, aut filij, aut quicumque cognati, ab vna eis succurratur Matre communi. Sacrificia enim pro defunctis, non valdè malis propitiationes sunt, ac quibusdam prosunt, vt plena sit remissio, aut certè tolerabilior, breuiórque fiat ipsa damnatio, seu pœna ibi luenda, vt latiùs in tractatu *De Purgatorio* demonstratum est.

2. Mach. 12.

Aug. lib. de cura pro mor. c. 4. & vlt.

Enchir. cap. 110. & 118.

Lib. de hæres. 53. l. 9.

confess. cap 12. li. 10. de ciuit. c. 9.

Dionys. Areo. lib. de Eccles. Hier. c. 7.

Chrysost. 3. ad Philip.

De Indulgentijs.

MAgno insuper consensu Catholici scriptores tradunt, reatum pœnæ temporalis alterius vitæ per Indulgentias tolli quoque posse, dum videlicet Ecclesiastica potestate obligatio debiti soluitur.

Indulgẽtiæ prosunt viuis & defunctis.

2. Corint. 2.

2. Cor. 2. Chryſ. ho. 4. in poſt. ad Cor.

Conc. Nicen. can. 11. Carthag. 4. can. 76. Conc. Later. Conc. Trident. ſeſſ. 25.

Matth. 16. & 18. Ioan. 20.

Ambr. lib. 1. de Pœnitent. cap. 2.

Conc. Cõſtãn. ſeſſ. 45 & in condem. ar. 42. Vvicleſ. ar. 8. Hus. Leo in condem. ar. 17. Luth.

Aug. hom. 50. int. 50.

Conc. Florent. Satisfactionis vtilitas.

ſoluitur, ſiue condonando, ſiue theſaurum Eccleſiæ, accepta à Chriſto authoritate, alicui diſpenſando & applicando: quomodo Apoſtolus partem iniunctæ pœnitentiæ inceſtuoſo in Chriſti nomine donauit, & Cyprianus nonnullos ante plenam ſatisfactionem reconciliauit; aliique Patres & Concilia paſſim docent, Eccleſiam de iniunctis aut iniungendis pœnitentiis aliquid poſſe relaxare, cuius ſolutionem factam in terris, Chriſtus ratam habeat in cœlis. Ad Clauis enim officium pertinet, cuncta regni cæleſtis impedimenta ſubmouere, ac proinde omne vinculum animam reconciliati peccatoris obſtrictam tenens, ac ab ingreſſu cœli remorans, diſſoluere; vt in Concil. Lateran. Conſtant. ac Tridentino definitum eſt. At viuis indulgentiæ per modum abſolutionis conferuntur; defunctis autem per modum ſuffragij: hoc eſt, iudiciali authoritate viui ſoluuntur; ſed ex ſimplici commiſſione à Chriſto facta, theſaurus Eccleſiæ defunctis diſpenſatur.

Nec putandum eſt, Indulgentias pœnitentiæ ſtudium eneruare, quia digni pœnitẽtiæ fructus aguntur, quando pœnitens iuxta ſacerdotum arbitrium opera pœnalia facit, ab eiſdémque ſatisfactionis ſuæ modum accipit. Dum igitur aliquis præſtat, quod ad obtinendum indulgentias Chriſti vicarius iniungit, tunc pœnitentiæ dignos fructus agere cenſendus eſt. Tertia enim Pœnitentiæ pars eſt, Satisfactio pro peccatis, ſecundùm arbitrium ſacerdotis: qui licet interdum leuia pro aſſequenda plena indulgentia imponere videatur; attamen ſpectato fine ac modo, parua in ſe conſiderata, eximiam quandam pietatis, virtutiſque excellentiam continent. Minima equidem fidei, pietatiſque ſymbola, vt ex obedientia, humili animo, Chriſti & proximorum amore in vnitate Eccleſiæ, ad teſtificandum, quidnam de Petri Cathedra, Romanáque religione ſentiamus, exercentur, plurimum habent momenti apud Deum: vt opera Magdalenæ, Publicani, Latronis in cruce, conuincunt, quorum intuitu plena peccatorum indulgentia à Deo conceſſa fuit; vt grandia petentibus cum ſeruis Naaman Syri dicere poſſimus: *Si rem grandem præcepiſſet Pontifex, facere oportuerat: quantò magis hæc modica, quæ pro animi purgatione requiris?*

Luc. 7. & 15.

CAP. XCVIII.

De formali parte Sacramenti pœnitentiæ.

Abſolutio formalis eſt pœnitentiæ pars. Cõc. Trid. ſeſſ. 14. c. 3: Ambr. lib. de Spiritu ſancto c. 19. Leo epiſt. 80.

FOrmalis Sacramenti pœnitentiæ pars, in qua ipſius præcipuè vis ſita eſt, in illis miniſtri verbis poſita eſt: *Ego te abſoluo ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti:* quibus licet de more Eccleſiæ præces quædam laudabiliter adhibeantur, ad ipſius tamen formę eſſentiam non ſpectant, neque ad ſacramenti adminiſtrationem neceſſariæ ſunt.

Ioan. 20. Matth. 18.

Expedit autem, huius ſacramenti formam eſſe ſimpliciſſimam, & ad Chriſti verba ſacramentum hoc inſtituentis proximè accedentem: *Quorum remiſeritis peccata, &c. Quæcumque ſoluueritis, &c.* vt pœnitens iudicio ſacerdotis peccata ſibi eſſe remiſſa intelligat. Proinde cauendum eſt, ne adiectis clauſulis abſolutionis forma inuoluatur, eiſque efficiatur, vt neque pœnitens, an ſacramentum acceperit, neque Sacerdos, an miniſtrauerit, ſcire

Præcatiunculæ autem adiunctæ: *Misereatur, &c. Indulgentiam, &c.* Item, *Dominus noster Iesus, &c.* licet absolutè non sint necessariæ, attamen tam confitentis, quàm absoluentis sacerdotis animũ in Deum erigunt, ac vtrúmque admonent, vnde peccatorum remissio sperari, & quid homini in hoc reconciliationis ministerio, quid autem Deo tribui debeat. Nam absolutio à peccatis, voce quidem humana, sed ea veluti instrumento vtente Deo, peragitur, cuius virtute principaliter, ac Christi merito peccata dimittuntur.

Præces itaque absolutioni adiunctæ, peccatorum remissionem non efficiunt, sed pœnitenti suffragantur, eique veniam impetrant. Quo & manuum impositio pertinet, quæ iuxta B. Augustinum nihil aliud est, quàm oratio super hominem.

Aug. lib. 3. de baptis. cont. Don. cap. 15. Cyprian. serm. de lapsis.

Præmitti quoque absolutio ab excommunicatione consueuit: si verò quis excommunicationis maioris vinculo sit obstrictus, à quo Sacerdos absoluendi potestatẽ non habeat, ad superiorem remittet, excepto casu extremæ necessitatis; quo occurrente quilibet sacerdos ab omnibus censuris & peccatis quemlibet pœnitentem absoluere potest.

Satisfactio solet ante absolutionem olim peragi.

In primitiua verò Ecclesiâ, priusquam beneficium absolutionis impenderetur, satisfactio imponi ac peragi solet, qua pœnitens ad impetrãdam plenam peccatorum remissionem disponeretur: nunc verò ante quidem reconciliationem Satisfactio iniungitur; sed vt post absolutionem peragatur, qua proinde pro restante temporali pœna ex condigno satisfieri potest.

Trid. sess. 14. can. 9. Absolutio est actus iudicialis, non autem nudum ministerium declarandi, peccata esse remissa. Vndè sequitur, præter ordinis potestatem, sacerdoti necessariam esse ordinariam vel delegatam iurisdictionem, vt validè absoluere queat.

dicialis, requirent iurisdictionẽ.

Ordinariam porrò Episcopi iurisdictionem habent, quibus ex proprio officio animarum cura incumbit; delegatam verò Decani, Parochi, Religiosi, & sacerdotes omnes, qui ad opitulandum Episcopis, hac in parte legitimè sunt assumpti. Pontifex autem Romanus, quia omnium Christianorum pastor est, quibus vult, generalem, omnes omnino confiteri volentes, absoluendi potestatem, tribuere potest. Qualem certis religiosorum personis indultam videmus. Seclusò autem pontificis priuilegio, sacerdotes non latiorem suæ potestatis vsum obtinent, quàm permiserit ille, sine cuius mandato nihil omnino in ipsius populo ligare, aut soluere potuissent. Vnde consequitur, Episcopos ius habere casus certos sibi reseruandi, non solùm quoad externam politiam, sed qua verè fiat, quò minùs sacerdos à reseruatis absoluere possit, eò quòd materia iudicij legitima ei desit.

Pontifex omnium Christianorum pastor.

Reseruatio casuum à Pontifice, & Episcopis vtiliter facta.

Vtile autem visum est olim Ecclesiæ, vt atrociora quædam crimina Pontificis, & Episcoporum iudicio reseruarentur, excepto tamen necessitatis articulo, in quo tam à peccatis quibuscumque, quàm à censuris absoluendi potestatem cuilibet sacerdoti commiserunt: extra quem articulum cùm nihil in reseruatis casibus possint, id vnum agant, vt pœnitentes reseruatis casibus obnoxios, ad legitimos iudices pro absolutionis beneficio accedant.

Cõc. Trid. sess. 14 can. 11. & ca. 7.

CAP. XCIX.

De Censuris Ecclesiasticis.

Censuræ Ecclesiasticæ.

CVm præter sacramentalem peccatorum absolutionem reperiatur in Ecclesia potestas ligandi & soluendi in exteriore foro, quæ etiam clauium nomine continetur, oportunè hîc de censuris Ecclesiasticis nonnulla subiiciemus : quæ sunt, Excommunicatio, Suspensio, Depositio, Degradatio, Irregularitas, Interdictum, & Intrusio in carcerem aut monasterium. Non congruit autem Ecclesiasticæ mansuetudini sanguinis effusio, multò minùs inflictio mortis. Non equidem absque mysterij significatione Petro dictum est : *Recondegladium in vaginam tuam.*

Excōmunicatio maior.

Excommunicatio autem duplex est : maior, & minor. *Maior* censura est, qua baptizatus sacramentorū tam actiua quàm passiua communione, hominum fidelium conuictu, communiúmque Ecclesiæ suffragiorum fructu priuatur. Quod enim in ciuili republica exilium, bonorúmque amissio, hoc in Ecclesia est Excommunicatio, qua prælati

Matth. 18.

authoritate à Christo data refractarios Ecclesiæ filios ab Ecclesiæ compage resecant, vt tanquam ethnici, hoc est, à societate Christiana extranei habeantur. Ac ne quis opinaretur, excommunicationem ad externam tantùm disciplinam pertinere, animámque rei spirituali vinculo non obstringere, subiunxit Dominus : *Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo*, significans, excommunicationis vinculum animam ipsam obligare. Vndè

1. Cor. 5.

Apostolus incestuosum Corinthium Satanæ traditurus, ait, se id non humana, sed authoritate diuina instructum aggredi : *Iam* (ait) *iudicaui, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, tradere huiusmodi hominem Satanæ.* Quibus verbis significat, se hoc iudicium in nomine, virtute, ac authoritate Domini IESV CHRISTI exercere ; atque in Excommunicatione adumbrari aliquousque extremum illud Iudicium, in quo Christus hœdos ab ouibus separabit, ligatísque manibus ac pedibus in infernum trahendos Satanæ tradet. Nam excommunicatio, à fidelium consortio separat, & foris ligat, luporúmque incursibus obnoxiã ouem extra ouile exponit. Vndè *spiritualis gladius* & *mucro* vocatur.

Matth. 25.

Prosper li. 2. de vita contempl. c. 7. Cyprian. li. 1. epi. 11. Aug. q. 39. super Deut. lib. de fide & operibus c. 3.

In veteri lege præfigurata fuit excommunicatio per eiectionem corporalem ex synagoga, Ioan. 9. & 12. Ex quo more Polydorus lib. 4. *de Inuentione rerum* cap. 12. falsò arbitratur, excommunicationis censuram emanasse. Cæsar lib. 6. de bello Gallico scribit, Druydes apud Gallos, rebellibus interdixisse sacrificia. Ac ipsum Ius naturæ dictat, partem corpori noxiam esse resecandam : ciuem pernicioſum vrbe pellendum, ac in exilium transmittendum : contumacem ad obedientiam pœnis compellendum.

Excōmunicationis effectus.

QVANTIS autem bonis excommunicatus careat, intelliget, qui bona ex fidelium cōmunione prouenientia expēderit. Sicuti enim in corpore humano singula corporis membra functiones suas in cōmune conferūt ; nam oculi vident, dentes scindunt, & manducant, venter cibos recipit, &c. ad vtilitatē aliarum partium : ita in mystico Christi corpore à capite Christo, & eius ministris vnicuique membro necessaria dispensantur, cibus videlicet animarum, doctrina, sacramenta, preces, sollicitudo, & cetera Ecclesiæ

bona: his verò excommunicati priuantur. Quibus accedit, quòd Christus populum suum singulari ratione viuificet, regat, protegat, donis varijs repleat, vt exemplo nubis Israëliticum populum contra æstum obumbrantis illustrat Chrysost. Innocen. verò 1. epist. 91. apud August. exemplo pastoris, qui oues scabiosas medicamentis fouet, vrit, secat, pabulo refrenat, vt sanet: ita Ecclesiæ pastor pro subditis etiam improbis, orat, corripit, omnémque operam adhibet, vt ad sanam mentem reuocet: qua pastorali cura non fruuntur, qui excommunicati sunt. Vnde Augustinus hanc pœnã grauiorem esse scribit, quam si quis feriretur gladio, flammis absumeretur, feris subigeretur. Nam *Deum non habebit patrem, qui Ecclesiam non habuerit matrẽ*. Postremò hæc maior excommunicatio à diuinis officiis excludit, ac beneficiis, electionibus, postulatione, nominatione, & gratuitis quibuscumque sedis Apostolicæ rescriptis, à conuictu, commercióque fidelium, qui etiam denũciatos vitare sub eiusdem censuræ pœna (nisi legitima eos causa excuset) tenentur, & post mortem Ecclesiastica sepultura, fructúque suffragiorum Ecclesiæ priuat. Excommunicatio verò minor, est censura Ecclesiastica, hominem omnium sacramentorum passiua participatione priuans: de qua frequenter Canones & Veteres loquuntur. Huius excommunicationis typus fuit, immunditia legalis, ob quam ex castris, & sacrificiorum legalium perceptione aliquis excludebatur. Cuius vinculum tollere potest omnis, qui peccatum letale remittere potest: vt & maiorem excommunicationem generatim latam & non reseruatam. Speciatim verò in aliquem inflictam, solus is, qui eam tulit, aut illo superior absoluere potest, nisi mortis periculum, morbus, ætas, sexus, aut grande aliud dispendium, aliud exigat.

Hom. 5. in 1. ad Tim.

Aug. lib. 1. cõt. aduers. leg. & proph. c. 17. ep. 75. lib. de correp. & grat. c. 15. Hieron. in 4. cap. Micheæ. Cyprian. li. de vnit. Eccles.

Excõmunicatio minor.

Cyprian. in oratio. domi. Augu. Enchir. c. 65.

Quia verò si ex leui causa, temerè, ac promiscuè hæc grauis pœna infligatur, homines eam magis contemnant, quàm reformident; ideo prouidè Concil. Trident. statuit, non esse procedendum per excommunicationem, nisi pro graui & necessaria causa, diligenter ac maturè discussa, potissimúmque, dum in reum neque personalis, neque realis executio fieri poterit: alioqui per mulctas pecuniarias piis locis applicandas, vel per acceptionem pignorum, personarúmue detentionem, aut beneficiorum priuationem, aliaque iuris remedia procedẽdum est. Quibus modis deficientibus, iudex in contumaces excommunicationis mucrone vti poterit, bina tamen præmissa monitione saltem per edictum, vt peccator contumax, qui aliter emendari nequit, hoc tanto periculo commotus, ad pœnitentiam redeat, & spiritus in die Domini saluus fiat. De iniusta porrò excommunicatione sciendum est, quòd, si ex odio vel ira Iudicis subexistente, sed tamen legitima causa, & secundùm iuris ordinem pronunciata sit, effectum sortiatur: prout & si prætermisso Iuris ordine, canonibus præfixo, sed ad essentiam minimè requisito feratur; vti si mõnitio bina vel terna, aut vna saltem cum debitis intervallis, aut non in scriptis pronuntietur: licet talis excommunicatio sit iniusta, non tamen est nulla. Si verò ex parte causæ iniusta excommunicatio sit, quia non feratur pro alicuius proprio peccato, vel non prò mortali, aut non coniuncto contumaciæ, vel in innocentem, falsis testimonijs de crimine convictum; nulla quidem

Sess. 25. c. 3. reform.

est in se excommunicatio coram Deo, nec excommunicatus ea lædituʳ in spiritualibus bonis; attamen, nisi huiusmodi sententia manifestum errorem contineat, propter scandali periculum in exteriore foro ei parendum est, ne potestas Ecclesiastica vilipendi putetur. Vnde Gregorius rectè dixit, Pastoris sententiam, siue iusta sit, siue iniusta, semper esse pertimescendam. 11. quæst. 3.

CAP. C.

Qui excommunicare possint?

Quorum sit excommunicare.

EXcommunicandi potestas Ecclesiasticam regiminis Ecclesiæ Iurisdictionem consequitur: vnde prælatis Ecclesiæ conuenit, quorum officium est, in foro exteriore, de agendis & omittendis, quoad ea, quæ religionem animæque salutem concernunt, iudicare, delicta publica coërcere, iustáq; animaduersione punire. Iuxta illud Matthæi 18. *Amen dico vobis; Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Cuius quidem potestatis plenitudinem, Apostolo Petro, ad omnes in officio pastorali successores, ordinario iure transituram Dominus commisit Ioan. 21. dicens ei: *Pasce oues meas*, id est, *rege, instar boni pastoris, cuius est salubria pascua ouibus prouidere, noxia denitare, morbos ouium curare, contra luporum insidias tueri, urere, secare, morbidam ouem, ne alias suo contagio inficiat, separare.* Non enim in hac pastorali potestate tantum Sacramentorum conficiendorum ac dispensandorum, verbique Dei ministerium continetur; sed insuper condendarum legum iudicandi de vera, falsáque doctrina & moribus, vnáque corripiendi, vindicandi, puniendi, excommunicandique potestas. Quam minimè habent, quibus solùm tributa est conficiendi dispensandique Sacramenta, verbique Dei annunciandi potestas.

Quibus autem à Petro, eiúsque successore Pontifice Romano potestas Ecclesiam regendi, etiam in exteriore foro committitur, eisdem authoritas excommunicandi datur, vt Episcopis, Officialibus, Abbatibus, aliisque Ecclesiæ prælatis. Hi enim subditos excommunicare queunt: eorum autem vicarij ex commissione, in quibus clericalis, non autem ordinis potestas necessaria est. Simplici námque Clerico iurisdictionis authoritas tribui potest. Vndè confirmati post electionem Episcopi, possunt excommunicare, aliósque ad eandem functionem delegare. Qui verò non solùm iudicandi, sed etiam leges ferendi potestatem obtinent, non solùm per sententiam, vt iudices, sed etiam per legem seu constitutionem, vt legislatores, excommunicare possunt. Quare Parochi, aliique simplices, presbyteri, quibus solùm in Pœnitentiæ foro commissa est iurisdictio, censuris vti nequeunt.

Authoritas iurisdictionis clerico potest cõmitti.

Per sententiam & per legem fertur excommunicatio.

Est autem differentia inter excommunicationem ab homine, & à lege latam, quòd illa mortuo, vel à iure suspenso authore non perduret; hæc verò permaneat: deindè à iure & canone, tam pro futuris, quàm præsentibus culpis excommunicatio ferri potest, atque tam specialiter, quàm generaliter; nec solùm purè, sed & sub conditione, qua demum adueniente vires exerat; sed ab homine, non nisi ob præsentem culpam subditi fertur. Nam excommunicare, actus est iudicialis, vim coactiuam inuoluens, proin-

de non in seipsum, neque in æqualem vel superiorem, sed in solum fieri potest subditum.

Ioan. 21. Cum Christus vniuersas suas oues Petro, eiusque successoribus pascendas commiserit; & cùm ligandi soluendique potestatem dedit, nullum omnino fidelem à Petri potestate subduxerit; planè consequitur, Romanum Pontificem ex iustis causis posse quemlibet Christianum Principem etiam, ac Imperatorem excommunicare. Qui enim negat, se vinculo Ecclesiæ ligari posse, negat, vt etiam fateatur, se ab Ecclesia potestate absolui non posse. Quod quisquis senserit, à Christo, eiusque sponsa Ecclesia se abscissum alienúmque ostendit; vt ratiocinatur Gregorius VII. (teste Platina in eius vita) qui Henricum III. Imperatorem excommunicauit, ac Imperatoria regiaque administratione deiecit, eiusque subditos à fidelitatis iuramento absoluit, cui & pœnitenti tandem communionem, sed non regnum restituit. Vrbanus quoque II. Regem Galitiæ, propter Episcopum in carceres coniectum, excommunicauit: & Adrianus IV. Guilhelmum Regem Siciliæ, subditósque à Sacramento ei præstito liberauit: Alexander III. Fredericum II. Imperatorem anathemate percussum, Imperiali dignitate priuauit: cuius sententiam Gregorius IX. comprobauit; Ioannes autem XXIII. Bauaro sacris interdixit: cuius sententiam Benedictus XII. confirmauit. Gregorius XI. Florentinos interdicto subiecit. Alexander V. Ladislaum Regno priuauit: Clemens VII. Henricum VIII. Angliæ Regem ab Ecclesia resecuit: Sixtus V. Henricum III. Franciæ Regem, ob Cardinalis Guisij cædem excommunicauit: & Paulus V. Venetos interdicto subiecit, nec nisi correctos absoluit.

Pontifex ex iusta causa etiam principes excommunicare potest.

Platina in vita.

Quod autem etiam Imperatores excommunicationis vinculo ligentur, piè agnouit Theodotius Magnus, qui ab Episcopo Ambrosio ab Ecclesia separatus ob cædem Thessalonicæ patratam, confessus est, authoritate Sacerdotali cælum sibi clausum, Spiritualiáque vincula iniecta, à quibus humiliter absolui popposcit. Quam Sacerdotum in omnes Principes Christianos authoritatem Apostolus ad Titum subindicat, dum Episcopo scribit: *Argue cum omni imperio; nemo te contemnat.* Vndè sequitur, etiam Imperatorem & Regem fidelem, Episcopum cum Imperio monentem audire, non contemnere debere. Nam & in veteri lege Saul, quia Samuelis verba opere non adimpleuit, à regno excidit. Similiter Ozias, sacerdotale munus inuolans, ab Azaria Pontifice templo pulsus, regnoque exutus est. Ab Helisæo autem Iehu in regem inunctus est, dato ei mandato, vt impiissimi regis Achab & Iesabelis posteritatem deleret. A Ioiada Pontifice, Athalia regno & vita priuata fuit.

Tripart. hist lib. 9. c. 30.

Ad Titum cap. 2.

1. Reg. 15.

3. Reg. 15.

2. Paral. 2.

3. Reg. 9.

3. Reg. 11.

Quod verò hæc iuxta formam reginiinis à Deo tunc institutam, gesta fuerint, inde patet, quòd supremum de cõtrouersiis religionis iudicium Pontifici, non Regi deferatur, Deut. 13. & 17. Vbi necessitas parendi Sacerdotis decreto, Regi omnibúsque aliis imponitur. Cauet enim lex, ne princeps legi se præponat, néue quidquam præter Pontificis Leuiticique magistratus sententiam faceret, à quibus tam librum legis, quàm eiusdem interpretationem accipere iubebatur.

Malach. 2.

Quemadmodum enim Israëliticum populum Deus per Moysen

& Aaron Sacerdotes suos de Ægypto liberauit, legibúsque per eos datis ad pietatem informauit; ita & post illorum obitum, ducem populi Iosue omnia ex arbitrio Eleazari Sacerdotis facere iussit, ac postea Phinees vsque ad Heli: cuius familia reiecta, Prophetas Deus excitauit, qui populum regerent, Deique nutu reges inungerent ac destituerent, consiliisque adiuuarent, necnon à Dei lege aberrantes forti animo increparent; ac si res ita deposceret, etiam regno deturbarent. Huiusmodi fuere Samuel, Nathan, Semei, Micheas, Helias, Elizæus, Ioiadas, Mathatias, Machabæi, qui Antiochum regem ob tyrannidem regno spoliarunt. Hanc legis Dei ordinationem sequutus rex pius Iosaphat, suos ministros de cimilibus causis; Sacerdotes autem de quæstionibus legis iudicare voluit. Quem imitati sunt Imperatores, Regésque omnes Christiani ab Ecclesiæ vnitate, per apertam hæresim aut schisma non diuisi.

1 R. 3. 9. & 15.

2. Paral. 19. Chrys. ho. 4. & 5. de verbis Isaiæ.

CAP. CI.

Cuius sit, absoluere ab excommunicatione.

Quis ab excommunicatione absoluat.

A Minore excommunicatione absoluit, quisquis peccata letalia remittere potest. A maiore verò excommunicatione, ab homine lata, Iudex qui inflixit, eóque superior absoluere poterit: Ab excommunicatione verò à iure lata, nisi absolutio Papæ vel Episcopo reseruetur, ab omni habente iurisdictionem in foro conscientiæ impendi potest.

Quæ autem censuræ soli Pontifici, aut Episcopis reseruentur, ex Bulla Cœnæ Domini, constitutionibúsque prouincialium Concilio-rum discere licet. In articulo tamen necessitatis, cuilibet Sacerdoti pœnitentem ab omnibus peccatis & censuris absoluere fas est, illa tamen adhibita cautione, vt huiusmodi pœnitens se, necessitatis articulo, legitimóque impedimento cessante promittat, ei à quo ligatus fuerat, satisfacturum.

Forma verò Absolutionis ab excommunicatione, non est perinde certa, vt à peccatis: ideóque his aut æquiualentibus verbis fieri potest: *Absoluo te à vinculo excommunicationis. Restituo te communioni fidelium & Sacramentis Ecclesiæ.* Potésque absolutio impendi absenti, quin & per literas, imò etiam inuito & reluctanti. Cùm enim excommunicatio pœna, non culpa sit, & ad Ecclesiæ regimen pertineat, sicut inuito potest infligi, ita etiam tolli quin & absolutio ab excommunicatione, non autem à peccatis, & irretitus pluribus excommunicationibus, ab vna, permanente altera, potest absolui.

CAP. CII.

De minoribus Ecclesiæ censuris.

SVnt & aliæ minores Ecclesiasticæ censuræ, sub excommunicandi potestate comprehensæ: quales sunt, Suspensio, Depositio, Degradatio, Irregularitas, Interdictum, Cessatio à diuinis, Intrusio in monasterium, aut in carcerem.

Suspensio impedit executionem ordinum, officiorum atque iurisdictionis. Vnde si quis suspensus à diuinis vel officio, contrà faciat, letaliter peccat. Dúmque minora interdicuntur, maiora quoque interdicta intelliguntur, non autem vice versa. Potest autem suspendi, quisquis excommunicari potest.

Suspensionis effectus

Suspendere autem is potest, qui per censuram cogere valet. Ferenda est autem suspensio in scriptis; monitione præmissa. Porrò absoluit à suspensione, qui eam tulit, aut eo superior, verbo, *Reuoco*, aut *Remoueo*, vel *Absolno à tali sententia.* Contingit autem suspensio à clerico, per concubinatum notorium, per duelli oblationem: vel susceptionem: item, si quis extra tempora, vel absque legitima ætate, non habita legitima dispensatione ordinetur, vel ab Episcopo non suo absque dimissione, aut ab excommunicato, vel per symoniam, necnon admittendo ad sacramenta interdicti tempore, vel ad professionem, anno probationis nondum expleto.

Interdictū quid.

Interdictum est, Ecclesiastica censura, qua Sacramentorum administratio, aut diuinorum officiorum celebratio, vel aliquorum spiritualium executio, in aliqua terra, vel certa Ecclesia, vel denique quibusdam personis interdicitur. Et si omnia spiritualia, excepto Baptismo & Pœnitentia prohibeantur, *strictum* dicitur: si verò quædam tantùm vetentur, *largum* vocatur.

Triplex interdictum

Triplex autem est interdictum: *Locale tantùm*, quo solus locus interdicitur: *Personale tantùm*, quo Clerus: *Locale & Personale*, quo locus & Clerus interdicuntur. Quodlibet insuper horum, est aut generale, vt cum tota vrbs, populus, aut prouincia; vel speciale, vt cùm aliqua tantùm Ecclesia in vrbe, vel certa persona, pluréue in vno delicto consortes nominantur.

Ad interdicti obseruationem tenetur quis, postquam contra personam, collegium, aut certum locum, populum, aut prouinciam à iudice specialiter & expresse denunciatum est.

Interdicere potest, qui excommunicare atque suspendere; interdici verò Vniuersitas, & vnus insons ob culpam alterius potest.

Irregularitas, est impedimentum canonicum, quo directè ordinum susceptio, vel eorum vsus prohibetur. Contrahitur autem ex delicto, vel defectu corporis, vel ex defectu Sacramenti in casibus à iure, expressis: qui viginti tres numerantur, & explicantur à Nauarro in Manuali cap. 27. numero 191. & sequentibus. Irregularitas. Propriè dicta Censura.

In omni verò irregularitate & suspensione, ratione occulti peccati, & non in iudicium deducti, proueniente (excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario) absoluere potest Episcopus, iuxta dispositionem Concilij Tridentini sess. 24. cap. 7. Qui plura de Censuris desiderat, legat Suarem in tractatu *de Censuris*, in quo docet, Censuram propriè dictam, esse pœnā spiritualem, propter delictum primariò inflictam ab Ecclesiastico iudice, sic, vt ab eodem tolli queat, si homo resipiscat; vnde Irregularitas, Depositio, Degradatio, Cessatio à diuinis, beneficij aut iurisdictionis Priuatio, non propriè sunt censuræ, quia non infliguntur directè pro peccato tanquam pœnæ medicinales & dissolubiles, contumacia cessante. Nam sæpe in irregularitatem propter indecentiam quandam incurritur.

CAP. CIIII.

De Sacramento Extremæ vnctionis.

Extremæ vnctionis Sacramentum.

CVm extremæ vnctionis Sacramentum pœnitentiæ, totiúsq; Christianæ vitæ cōsummatio sit, ex hac mortali vita decedentibus expeditam ad cœlum viam præparans, aptissima

aptissima methodo doctrinæ de pœnitentia subiungitur : vt intelligamus, Deum fidelibus quouis tempore de salutari remedio aduersus omnia hostium tela prospexisse. Et quoniam humanæ salutis inimicus præsertim calcaneo, finíque hominis insidiatur, ideò Christus pro infirmis ex hac mortali vita verisimiliter emigraturis, extremæ vnctionis Sacramentum instituit, quod ita nuncupatur, eò, quòd infirmorum de vita periclitantium nouissimum sit præsidium, eos communiens, ne à fiducia diuinæ misericordiæ per doloris magnitudinem mentis oculos auertant, aut diaboli tentationibus victi succumbant. Quòd verò infirmorum Vnctio, sit Sacramentum propriè dictum, à Marco cap. 6. quidem insinuatum, sed per Iacobum promulgatum, demonstrant omnia ad Sacramenti essentiam requisita, diligenter à Iacobo capite 5. enumerata. Symbolum enim externum, est vnctio olei, cum oratione fidei : promissi autem, alleuiatio infirmi, & peccatorum remissio. Institutio autem Christi, ex constanti promissione Apostoli colligitur. Nisi enim Christus hunc vngendi ritum velut ordinarium conferendæ gratiæ instrumentum instituisset, nunquam Iacobus absolutè fidelibus remissionem peccatorum per vnctionis ritum promisisset. Non enim omnes presbyteri gratiam habent curationum. Atqui Iacobus dicens : *Infirmatur quis in vobis, aduocet presbyteros Ecclesiæ*, significat, hunc ritum tam diu in Ecclesia perduraturum, quamdiu erunt in ea infirmi, & presbyteri ad Sacramentorum ministeria necessarij. Quòd autem Iacobus non de corporum vnctione loquatur, per quam ex dono miraculorum sanentur, vel indè patet, quòd de solis infirmitate decumbentibus loquatur, qui ad presbyteros ire per se nequeunt, sed eos aduocare debeant, cùm etiam cæcis, surdis, claudis curatio necessaria sit. Et non habentes singulare curandi donum aduocari iubet, sed presbyteros: qui nec omnes, nec soli tunc gratiam curationú habeant. Non enim donum curationum ætati vel dignitati alligatum est. Nec probabile est, Apostolum fidelibus iussisse, vt miracula quærerent ; quæ infidelibus potiùs, quàm credentibus fiunt.

Gen. 3. Ioan. 13.

Præterea, si de curandi dono Iacobus loqueretur, non diceret : *Orent super eum, vngentes eum oleo.* Nam qui curationis dono pollet, minimè præscripta quapiam ad curandum materia indiget ; sed inspirata sibi à Deo vtitur. Illa denique verba : *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus*, absolutam salutis alleuiationísque promissionem continent, quæ secundùm corpus ijs, qui inunguntur, non semper præstatur ; ideoque ad salutem animæ potissimùm referenda sunt : vt verba subiuncta euincunt: *Et si in peccatis fuerit, dimittentur ei*, significans, per hoc Sacramentum non tantùm mærorem, negligentiam, & animi soporem depelli, vt ægrotus ab anxietate deprimente liberatus, in Deum liberiùs mentem eleuare possit, sed etiam à peccatorum reliquijs & næuis expurgari. Tunc enim ad remedia supernaturalia recurrendum est, quando deficiunt humana. Sic Iacobum intellexit Innocentius I. epist. *ad Decentium.* cap. 8. Chrysost. lib. 3. *de sacerdotio*, Augustinus *in speculo*, & serm. 215. *de tempor.* Origenes hom. 2. *in Leuiticum.* Beda in 6. c. Marci, & c. 5. Iacobi. Petrus Lombardus Lib. 4. dist. 23. &

vniuersi posteriores Ecclesiastici Scriptores: Concilium denique Florentinum *in instructione Armeniorum*, atque Tridentinum sess. 14. can. 2.

CAP. CIV.

Quæ sit extremæ Vnctionis materia, quæ forma?

Sacramenti extremæ vnctionis materia.

HVius Sacramenti materia est oleum, ab Episcopo benedictum: id est, liquor ex olearum baccis expressus, ab Episcopo consecratus. Non ergo sufficit, oleum esse ex nucibus, glandibus, semine raparum, lini, caulium, vel ex alia quauis pingui materia: sed opus est oleo oliuarum, quo significetur id, quod vi Sacramenti interiùs efficitur in homine. Nam vt oleum corporis dolores mitigat, sanat, vires fessas recreat, lumini pabulum tribuit: ita Spiritus sancti gratia, qua spiritualiter animus inungitur, anxietates repellit, hilaritatem adfert, animum mœrore depressum erigit, illuminat, subleuat. Consecratione autem Episcopi oleum in hunc vsum est præparandum, quòd ad essentiam materiæ istius Sacramenti pertinere Apostolicâ traditione habetur. Cuius testis est Clemens lib. 8. *Constit. Apost.* cap. 35. Basilius lib. *de Spiritu sancto*. c. 27. Innocentius I. epist. *ad Decentium* cap. 8. Beda in c. 5. Iacobi, qui oleum benedictum per illa verba significari dicit: *Vngentes oleo in nomine Domini*. Concilium Florentinum & Tridentinum sess. 24. cap. 1.

Oleum ab Episcopo benedictũ, est materia.

Conuenientissimum autem esse, vt oleum ab Episcopo consecrari debeat, indè potest intelligi, quòd sic doceamur, effectum huius Sacramenti, non ex naturali virtute olei exspectare, sed à Christo, à quo est omnis benedictio & sanctificatio, salus atque curatio.

Forma verò huius Sacramenti est: *Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum*, &c. prout in Ritualibus libris Ecclesiæ fideli Patrum traditione ad nos promanauit. Quòd enim huius Sacramenti forma precationis modo proferenda sit, B. Iacobus expressit: *Orent super eum*: idque admodum conuenienter fit, vt intelligamus, hoc Sacramentum præter spiritualem effectum, quem diuina ordinatione præbet, subindè insuper corporis sanitatem restituere, non tamen id constanti perpetuóque ordine efficere: tum etiam ad commendandam Dei misericordiam, qui remissionem peccatorum infirmis, iam operibus Pœnitentiæ atque satisfactionis minùs incumbere valentibus benignè indulget, eorúmque protectionem suscipit. Vndè iuxta Iacobi consilium assistere comprecatores solent, imò etiam Sancti in cœlo regnantes ad intercedendum pro infirmo inuocantur, ac fideles, presbyteri voce, sonóque campanæ ad orandum pro infirmo excitari consueuerunt, quia instante certaminis fine contendens in agone, patrocinio maximè indigeat.

Forma extremæ vnctionis.

CAP. CV.

De effectu istius Sacramenti, ministro & ritu.

EXtremæ vnctionis duplex effectus est: vnus proprius & ordinarius, videlicet peccatorum remissio, tam letalium, nondum plenè, quoad pœnam remissorum,

Extremæ vnctionis effectus.

quàm venialium: alter effectus conditionatus, si animæ saluti expediat, est corporis sanitas. Et quemadmodum variæ peccato infirmitates iuxta D. Augustinum in vehuntur, ita & hoc Sacramento curantur.

Aug. li. 4. de trinit. c. vlt. lib. 15. c. 27. lib. 2. de visit. in firm. cap. 4. Iac. 5. 1. Timot. 4.

Minister potrò huius Sacramenti, presbyter est, quo nomine Iacobus non prouectiorem ætate, neque principem locum obtinentem in communitate denotat, sed iuxta noui Testamenti phrasim, Sacerdotem, ab Episcopo per manuum impositionem legitimè ordinatum, vt sess. 14. cant. 4. Concilij Tridentini definitum est. Innocentius autem I. epistol. 1. capit. 8. dicens, quemlibet etiam laicum oleo sancto vti posse, non de ministris, sed de vtentibus Sacramento loquitur: quod omnibus Christianis, in vitæ periculo infirmitate constitutis, commune est.

Presbyter. siue sacerdos, minister Sacramenti extr. vnct.

Refert Hieronymus in vita B. Hilarionis, ipsum olei vnctione infirmos sanasse. Sulpitius in vita sancti Martini cap. 21. Ruffinus libro 2. cap. 4. Sed hæc vnctio ad curationum gratiam pertinuit, sicut & illa, de qua Marci 6.

Capaces autem huius Sacramenti sunt, fideles, & grauiter infirmi, vt significatur illis verbis: *Infirmatur quis in vobis, aduocet presbyteros Ecclesiæ*. Leuiter enim ægrotus ad presbyterum ire potest. Item infantes, amentes, rationéque destituti presbyteros vocare non solent: quare hic abusus excluditur, quo differri hoc Sacramentum à plerisque solet, donec infirmus vsu rationis destitu[b]tur, quando nulla pœnitentiæ signa edere valet, cùm ipse infirmus presbyteros aduocare iubeatur interea, dum mentis compos est.

Ritus autem huius Sacramenti in certis precibus & partium inunctione consistit: videlicet oculorum, propter Visum, aurium, propter Auditum; Narium, propter odoratum Oris, propter gustum & loquelam; Manuum; propter instrumenta tactuum; Pedum, propter vim progressiuam, & Renium, propter sedem concupiscentiæ ibi residentem.

Hunc inungendi ritum præscribit Concilium Florentinum, & quidem aptissimè, quia hoc Sacramentum instar medicamenti adhibetur, quod illi parti solet applicari, vndè morbi origo promanat. A sensibus verò peccatum sumit initium, & tanquam per ostia mentem ingreditur. Cognitionem enim sensus consequitur appetitus, postea exsecutio.

An omniũ sensuum instrumenta inungi, ad essentiam Sacramenti pertineat.

Vtrum verò ad Sacramenti essentiam pertineant omnes istæ vnctiones, an solùm ad Sacramenti solennitatem, neque Concilia, neque Scripturæ definiunt. Iacobus enim ait: *Vngentes eum*, insinuans, essentiale vnctionis subiectum, esse hominem fidelem infirmum. Vnde (saluo in hoc & aliis omnibus Apostolicæ sedis iudicio) sufficere in necessitate ad Sacramenti essentiam videtur, vt infirmus quouis loco inungatur, potissimùm in capite, in quo sensuum omnium sedes residet. Vndè plerisque locis pastores vno tantùm loco peste laborantes, in fronte scilicet, inungunt, integra forma pronunciata. Et si ægrotus vna vel altera tantùm parte nuncta extiret, verum vnctionis extremæ Sacramẽtum suscepisse putatur. Vnicum est enim vnctionis Sacramentum, quamuis per plures vnctiones administretur. Vnum autem, non partium continuatione, quæ diuidi nequeunt, sed perfectione, quemad-

modum domus ex diuersis partibus composita, vnâ tantùm formâ perficitur, ita hoc Sacramentum, etsi ex pluribus rebus & verbis constituitur, vnum tamen signum est, & vnius rei, quam significat, efficientiam habet. Accedit, quòd Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 3. dicat, Romanam Ecclesiam non aliud in hac administranda inunctione, quantum ad ea, quæ huius Sacramenti substantiam perficiunt, obseruare, quàm quòd B. Iacobus præscripsit: *Vngentes eum.*

An ergo certæ partes corporis ex vi institutionis Christi inungendæ, sint ita determinatæ, vt nullum sit futurum Sacramentum, si earum vnctio prætermittatur, an potiùs vsu & consuetudine vim legis obtinente (à qua nisi vrgente graui necessitate abscedere non liceat) ritus vngendi oculos, aures, nares, os, manus, renes, & pedes introductus sit, ambigi potest. Nam Concilium Florentinum hunc ritum tradens, dicit infirmum inungendum in oculis, in auribus, in naribus, in ore, in manibus, in pedibus, in renibus. At certum est, postremas duas vnctiones ad Sacramenti essentiam non pertinere, cùm interdum apud honestas matronas omittantur: fieri insuper possit, vt aliquis neque pedes, neque manus habeat, quibus nihil prodesset viciniorem partem inungi, cùm actus ministerij sacerdotis ex sola Christi institutione determinatus sit ad effectum Sacramenti, independenter ab intentione propria ministri, qua nequit facere, vt sit de Sacramẽti essentia, quod non est ex institutione diuina. Proindè in eo, qui organo sensus careret, non sufficeret, aliam vicinam partem inungere. Vide Bellarminum lib. 1. *de extremâ Vnctione* cap. 10. vbi quamuis alteram opinionem esse tutiorem sentiat, hanc tamen non reprobat. Suarez tomo 4. disputatione 42. Sect. 3. & disputatione 41. Sectione 3. hanc eandem quæstionem dubitando proponit.

CAP. CVI.

De Sacramento Ordinis.

SExtum inter nouæ legis Sacramenta locum sibi Ordo, siue ministrorum Ecclesiæ ordinatio, vendicat, spiritualium filiorum propagationi, sicut Matrimonium carnali, deseruiens. Sine hoc enim Sacramento, reliqua vel confici, vel administrari saltem cum ritu solenni nequeunt. Christus itaque secundùm formam hominis, Sacerdos à Deo constitutus, visibilem suam præsentiam ex hoc mundo subducturus, Apostolos, eorúmque legitimos successores, mysteriorum Dei dispensatores constituit, eósque solenni ritu & consecratione sacerdotes, rerúmque spiritualium ministros ordinari voluit: quorum ad eam functionem deputatio, quæ consecratione fit, Ordinis Sacramentum vocatur. Est enim Ordo, parium dispariúmque rerum, sua cuique tribuens dispositio.

Ordinis Sacramentum.

Ordo definitur.

Aug. lib 19. de ciuit. ca. 13.

In sacro autem ministerio varij sunt gradus, certa ratione ita distributi, vt omnes ad Eucharistiæ ministerium ordinẽtur. Cùm enim Christiani sacerdotij functio, res planè diuina sit, vt eius ministerij dignitas intelligeretur, ac maiore cum reuerentia exerceretur, conuenientissimum fuit, vt diuersi ministrorum ordines essent, qui omnes sacerdotio deseruirent. Quia verò hoc Sacramentum Clericos in suas classes distribuit, suóque ordine vnum

Clerici in classes distributi.

quemque collocat, vt alij aliis superiorem locum obtineant, meritóque Ecclesia militans, *Castrorum acies* dicatur; ideo aptissimè *Ordinis Sacramentum* à Latinis nuncupatur; à Græcis verò, à ritu χειροτονία, hoc est, *manuum impositio* vocatur, *quæ cum vocis imprecatione ordinationem perficit*, ait Hieronymus. Vnde Act. 6. Diaconi manuum impositione ordinantur: & Paulus atque Barnabas, Episcopi, Actor. 13. vt Leo epist. 81. ad Dioscorũ, & Chrysost. in Commentario notant Act. 14. vbi legimus: *Cùm constituissent eis presbyteros*; Græcè est, χειροτονήσαντες, id est: *Cùm per manuum impositionem creassent presbyteros.* 1. Timoth. 4. *Cum impositione manuum presbyterij*: & ca. 5. *Nemini citò manus imposueris.* Et 2. Timoth. 1. *Per impositionem manuum mearum.* Quibus locis per impositionem manuum, ordinatio ministrorum Ecclesiæ significatur.

Manuum impositio.

Ieron. in 58. c. Isaiæ.

Quemadmodum autem à ritu illud nomen obtinuit, ita & à fine ac officio *Sacerdotium*, & ἱεραρχία, id est, *sacer principatus* dicitur. Suum enim regnum Christus in duos ordines distribuit; in Clerum & Laïcos. Clero autem tribuit potestatem gubernandi populum fidelem, dirigendique ad spiritualia æternáque bona, constituendo ex delectis ad hoc spirituale ministerium, Pastores, Episcopos Doctores, Præpositos, Sacerdotes, ac dispensatores mysteriorum Dei: quibus Laïcos in his, quæ ad animæ salutem pertinent, obtemperare voluit, dicens: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Vnde liquet, Christum laicos veluti plebem ciuitatis Dei fecisse; Clerũ verò Ecclesiæ suæ tanquam patricios constituisse, penes quos regendi populi Dei authoritas resideret.

Sacerdotiũ à Christo institutum.

Ad Sacerdotium cura rerũ spiritualium pertinet.

Quod partium Ecclesiæ discrimen ex Scripturis sacris euidenter haurimus, quæ tradunt, omni ætate, ac in omni lege Sacerdotium extitisse, cui proprium esset, diuini cultus, rerúmque ad animæ salutem spectantium curam habere: adeóque ista duo inter se coniuncta esse, vt sublato Sacerdotio, legem quoque transferri necesse sit: vnde ortum sit, vt homines Deum naturali instinctu colendum agnoscentes, consequenter in omni republica quosdam sacrorum, diuinique cultus ministros habuerint. Gen. 4. Enos diuino cultui se totum deuouit. Noë Deo sacrificauit, & post diluuium Melchisedech, Abraham, Isaac, Iacob, Iob, alíque fideles spirituali quadam potestate Deo sacrificia obtulerunt. Et Israëlitico populo, in reipublicæ liberæ formam euecto, de cultu Dei & Aaronico Sacerdotio leges à Deo promulgatæ sunt, à quo & discreta sunt officia, necnõ potestates Sacerdotum & regum; vt patet Leuitici 8. vbi Aaronis ad Sacerdotium vocatio, & consecratio describitur. Et c. 16. Core, Dathan, & Abiron, Sacerdotium vsurpare sibi attentantes, igne absumpti sunt. Cap. 17. Aaronis vocatio insigni miraculo à Deo confirmatur.

Discretæ potestates Sacerdotũ & regum.

In quo autem Sacerdotium officia versentur, luculenter Scriptura tradit: *In his quæ sunt ad Deum*: vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, vt populum sanctificet; in Dei lege instruat; de quæstionibus legis & ceremonijs diiudicet, peccantes arguat & corripiat.

2. Paralipom. c. 19.

Regis autem officium proponitur, Deut. 17. & alibi. Consistit autem in iure procurandi & disponendi de omnibus, quæ ad pacem atque tranquillitatem Reipublicæ tẽporaliter necessaria sunt. Inter quæ continentur vniuersa huic mortali

vitæ propria officia. Christiani verò principis est insuper, Christi regno subseruire, legibus & armis Catholicam religionem propugnando; peccata & flagitia, quibus ira Dei prouocatur, cohibendo: nullatenus autem sibi authoritatem supremam in causis Ecclesiasticis vsurpare debet, cùm non regi, sed Petro Christus ouile suum pascendum commiserit. Vnde Oziæ dictum legimus:

Ioan. 21. 2. Paralip. 26. *Non est officij tui, Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, qui consecrati sunt ad huiusce modi ministerium.*

CAP. CVII.

De Sacerdotij dignitate.

Sacerdotalis dignitas.

NObilissima functio omni ætate Sacerdotum habita est, quibus rerum sacrarum cura tributa fuit. Inde Abel, Seth, Henoch, Noë, Abraham, Melchisedech, Iob, & alij commendantur. Quin & Pharao filiam Putipharis, Sacerdotis Heliopoleos, Iosepho Ægypti præfecto vxorem dedit, Sacerdotiumque terram à tributis liberam esse constituit, quibus & cibaria ex publicis horreis præbuit. De Aarone verò à Deo in Sacerdotem electo, scribit Ecclesiasticus: *Excelsum fecit Aaron fratrem eius, & similem sibi de tribu Leui. Statuit ei Testamẽtum aternum, & dedit illi Sacerdotium gentis.* Et postea: *Complenit eum Moyses manus eius, & vnxit eũ oleo sancto. Ipsum elegit ab omni viuente, offerre sacrificium Deo, incensum, & bonum odorem, in memoriam placare pro populo suo, & dedit illi in præceptis suis potestatem, in Testamentis iudiciorum, docere Iacob testimonia, & in lege suâ lucẽ dare Israël.* Quod Sacerdotium non solum Iudæorũ reges in summa veneratione habuerunt, sed etiam externi monarchiæ potentissimi, Cyrus & Darius, qui Deo cœli templum ædificarunt, in quo sacrificia ei pro sua & liberorum salute offerri decreuerunt. Alexander quoque Magnus Iudæorum Pontificẽ sibi obuiam venientem, venerabundus excepit. Similiter Antiochus, rex Syriæ. Pompeius autem capta ciuitate, à direptione templi militem cohibuit.

Ecclesi. 45.

Iosephus lib. 11. antiq. c. 8. Idem li. 19. c. 3. lib. 2. Machab. c. 4.

Quamuis autem Aaronici Sacerdotij dignitas amplissima fuerit, attamen potestati spirituali sacerdotij Legis nouæ à Christo datæ comparata, vmbra dũtaxat fuit. Si quidem Dei Filius, Homo factus, ac *Sacerdos in æternum secundùm ordinẽ Melchisedech*, suam familiarem ac visibilem conuersationem præsentiámque è mundo subducturus, Apostolos, eorúmque in Sacerdotio successores sub panis & vini speciebus corpus & sanguinem suum consecrare, conficiendóque offerre, ac in latriæ cultum Deo sistere instituit, eisdémque potestatem ligandi & absoluendi, peccata remittendi & retinendi concessit. Vtque pro Deo legatione fungentes, tanquam eius vicarij, internuncij, & ministri, legem & præcepta vitæ homines edocerent, per baptismum spiritualiter regenerarent, Sacramentorum dispensatione, verbo, exemplo, orationibus, doctrina, legibus, exhortationibus, correptione ac disciplina pascerent, mederentur, fouerent, iratum Deum hostijs & muneribus placarent, vniuersáque præsenti aut futuræ vitæ necessaria, precibus impetrarent: pacem, tranquillitatem, aëris temperiem, frugum abundantiam, sanitatem; ad bene viuendum, auxilia; ad rectè credendũ, illuminationem ad consequendum vitã beatam, hîc gratiam, postea gloriam.

Iosephus lib. 1. de bello Iudaico, c. 5.

Sacerdotij functio.

Ex quibus patet, noui Testa-

menti Sacerdotium longè Sacerdotio legis naturæ, in quo pecorum carnes, aut frugum incensiones, & aromatum fumitus offerebantur; & Aaronico, in quo similia quoque Deo sistebantur, præcellere, cùm per huius ministerium non solùm typica & carnalis sanctificatio (vt in vetere lege) obtineatur; sed vera cordis & animæ purificatio: nec huius tantùm vitæ bona, sed etiam futuræ; nec solùm temporalia, sed æterna consequamur. Proinde meritò Chrysost. Sacerdotij Christiani dignitatem extollens, ostendit, eam cælestem, diuinam, omnémque non solùm humanam rationem & intelligentiam, sed etiam virtutem angelicam superare. Id enim suo ministerio efficiunt, quo nihil maius excogitari potest. Corpus enim Christi de B. Virgine semel natum, & in ara Crucis passibili, cruentóque ritu oblatum, quotidie incruento ritu reproducunt, Deóque ad impetrandum cuiuscúnque generis bona in sacrificium offerunt. Quare si meritò excellentiæ alicuius diuinæ participes, in Scripturis Angeli, imò & Dij appellantur; quantò maiore ratione illi, qui vim numinis, tanquam vicarij & ministri, eius potestate ac verbis vtentes, exercent? Deóque in sanctis sanctorum proximè assistunt? Quod non solùm ex veteris tabernaculi, & Hierosolymitani templi structura discitur, vbi Sacerdotes loco distincti fuêre à populo; sed etiam ex ritu ædificationis templorum à primis Christianæ fidei exordijs. Nã Chori eam vbique formam obtinent, vt Laïci per cancellos, aut humiliùs subductos muros ea, quæ ibi geruntur, aspicere queant; sed ingredi non permittantur: quod olim tam religiosè obseruari consuenit, vt ne quidem Imperatoris locus in Clerico-

Inli. de Sacerdotio.

Malach 2. Psal. 81. Ioan. 10.

Cleri locus.

rum statione concederetur. Quod Theodotij magni exemplo firmatur, qui ab Ambrosio Mediol. monitus, Chori cancellos postea (inuitatus etiam à Nectario) ingredi noluit, vt Tripartita Historia refert. Quæ vetus obseruatio discrimen inter duo Ecclesiæ membra insinuat; Populũ videlicet, & Ecclesiasticos, seu Clerum. Quo nomine haud designatur, hos potiùs quàm illos ad Domini sortem pertinere: sed inde hæc appellatio vsu inualuit, quòd nutio Ecclesiæ, qui in Ecclesiasticorum assumebantur consortium, patrimonio pauperibus erogato, Christum sibi in sortem eligerent, cuius obsequijs se totos deuouebãt. Non enim clerici nascimur, sed electione ac ordinatione efficimur. Sicut enim non nascitur quis Consul, Prætor, Scabinus, nec de Magistratu: ita nec, vt aliquis in Christo renatus est, simul Clericus, Diaconus, Presbyter, aut Episcopus est: sed vt illic publica electio accedit, ita & hîc ordinatione certa opus est, clericos in stationes distribui, tanquam excubitores castrorum Dei, & gubernatores regni Christi, quod per Ordinis Sacramentum fit, quo perpetua quædam virginea Christi soboles gignitur, & proprijs functionibus singulæ cleri personæ deputantur. Quemadmodum enim Christus non semetipsum clarificauit, vt pontifex fieret, sed à Patre in mundum missus, atque vnctus est, vt esset Sacerdos: nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, sicut Aaron: ita Apostoli à Christo vocati, electi, & in mundum missi sunt, & nunc Sacerdotes, aliique Ecclesiæ ministri eâdem, qua illi potestate præditi, in opus ministerij, ædificationémque corporis Christi, vsq; ad consummationem seculi, mit-

Tripart. Hist lib. 9. c. 30.

Ieron. in epist. ad Nepotianum.

Ministri Ecclesiæ per publicã ordinationem Episcopi vocantur.

Hebr. 5.

tuntur, & à Deo vocantur, dum à legitimus Eccleſiæ miniſtris ordinantur. Nam qui tantùm à populo vel ſeculari poteſtate vocati & inſtituti, ad hæc miniſteria ſe ingerũt, vel propria temeritate vſurpant, non legitimi Eccleſiæ miniſtri per oſtiũ ingreſſi, ſed fures, pſeudoprophetæ, latrones habendi ſunt; ſimiles idolorum Sacerdotibus, qui à Ieroboam, vel à populis commiſſionem ſacrorum accipiebant: quales hodie ſunt hæreticorum miniſtri, quorum officiat vt à populis dantur, ita & auferuntur.

Cõc. Trid. ſeſſ. 23. c 4. & can 7.

Miniſtri hæreticorũ ſimiles Sacerdotibus idolorum li. 3. Regum c. 12. & 13.

2. Machab. 4.

Eſt autem duplex Eccleſiaſtica poteſtas: vna Iuriſdictionis, ad quã pertinet, regere populum Chriſtianum, & ad vitam æternam dirigere; altera Ordinis, quæ ad Chriſti corpus in Euchariſtia refertur. Nam illud conſecrat, offert, ad illud ſumendum præparat.

Eccleſiaſtica poteſtas duplex: Iuriſdictionis, &, Ordinis.

CAP. CVIII.

Quòd Ordo ſit proprij nominis Sacramentum.

Ordo eſt proprij nominis Sacramẽtum.

CVm ritu conſecrationis gratia & ſpiritualis poteſtas ſignificetur, quæ ordinato ſimul confertur, perſpicuum eſt, ordinationem, verum nouæ legis Sacramentum eſſe. Quòd autem impoſitione manuum Epiſcopi cum materiæ exhibitione, certorúmque verborum prolatione poteſtas ordinato tribuatur, cui gratia ad munus illud obeundum neceſſaria coniungatur, luculenter Apoſtolus ad Timotheum tradit: *Admoneo te*, ait, *vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearũ.* Et iterum: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitionem manuum presbyterij.* Similiter Act. 6. *Diaconi manuũ impoſitione ordinantur.* Et Paulus & Barnabas, Epiſcopi, Act. 13. Preſbyteri verò, Act. 14. Quibus locis à manuum impoſitione diſtinguitur oratio: *Et cùm oraſſent, impoſuerunt eis manus.* Actor. 6. Et c. 13. *Ieiunantes, & orantes, imponentéſque eis manus.* Nec de oratione verba illa intelligi poſſunt: *Nemini citò manus impoſueris, ne communicaueris peccatis alienis*: quod fit, indignos ordinando, non autem pro eis orando. Ex quibus palam eſt, Apoſtolos manuum impoſitione miniſtros Eccleſiæ ordinaſſe, ſub qua reliqui ritus adhiberi conſueti (iuxta Hiero. & Ambroſium) comprehenduntur; myſtica nimirum ordinationis verba. Nunquam enim Apoſtoli manuum impoſitioni gratiam alligaſſent, niſi expreſſim Domini de ordinandis tali ritu Eccleſiæ miniſtris inſtitutionem habuiſſent.

1. Tim. 5.

Ieron in c. 58 Iſaiæ. Ambroſ. in 1. Tim. 4.

An verò Dominus eodem ritu Apoſtolos ordinauerit, an potiùs effectum Sacramenti poteſtate excellentiæ abſque Sacramento contulerit; incertum eſt: quia licet non ſit expreſsè ſcriptum, ita Dominum feciſſe, nõ tamen etiam contrarium dictum legitur; multáque Dominum geſſiſſe, quæ non ſunt ſcripta, Ioannes teſtatur. Non deſunt, qui tradant, Chriſtum baptizaſſe Petrum & ordinaſſe; hunc verò Iacobum & Ioannem, à quibus reliqui Apoſtoli deinde ordinati ſint. Porrò à veteribus agnitum fuiſſe ordinationis Sacramentum, locuples teſtis eſt Dionyſius Areopagita, ritum ordinandi deſcribens. Cyprianus ſerm. 5. *de lapſis*; & ſer. *de abſtin. pedum.* Chryſoſt. lib. 3. *de Sacerdotio.* Innocent. I. epiſt. 18. Ambroſ. libr. *de Sacerdotali dignitate*, c. 5. *Homo manuum imponit, Deus largitur gratiam.* Leo epiſt. 81. c. 1. & 87. c. 1. Gregor.

Ioan. vlt. Ioan. de turre cremata. lib. 2. de Eccleſia. c 32.

Li. de Eccl. hier. c. 5. & epiſt. & epiſt. 1. ad Demophilum.

2. Tim. 1.

1. Tim. 4.

Act. 6. 13. 14.

Gregor. lib. 4. ca. 5. in lib. Regum. Aug. lib. 2. *cont. Parmenianum*, cap. 13. *Si Sacramentum est, quod nemo dubitat*, &c. Cyril. lib. 12. in Ioan. cap. 56. Beda libr. 3. *De tabernaculo* cap. 11. docet, Sacerdotibus in ordinatione conferri virtutum ornamenta, per vestes filiorum Aaronis adumbrata: quod & Ambros. epist. 82. notat.

Florent. in doct. de Sacram. Trident. sess. 23. c. 3.

Accedit perpetua, constansque totius Ecclesiæ traditio, in Concilio Florentino, & Tridentino definita. Similiter Apostolorum exemplum probat, Sacerdotij potestatem non temporariam, sed per omnes seculorū ætates permansuram.

Ioan. 10.

Sicut enim illi Spiritum sanctum ad conficiendum & dispensandū Christi Sacramenta, non ad tempus, sed vsque ad consummationem seculi acceperunt: ita & hanc potestatem alijs communicarunt, ordinando Presbyteros, Episcopos, aliósque sacrorum ministros. Quin & eisdem ordinandi consequenter alios potestatem dederunt, iuxta Pauli verba: *Huius rei gratiâ reliqui te Creta, vt constituas per ciuitates Presbyteros.* Et 1. ad Timoth. 5. *Nemini cito manus imposueris.* 1. Cor. 12. *Diuisiones in Ecclesia ministrationum, ab vno spiritu institutas esse* ostendit. Quod ad Ephesios 4. repetit, eiúsque discipulus Dionysius Areopag. integro libro *Ecclesiasticam Hierarchiam* describit; Sacerdotij functionem in rerum sacrarum, hoc est, ad Deum pertinentium, tractatione consistere docens: eiúsque finem esse, homines in Dei consortium & similitudinem transferre, per intentissimam Dei, diuinarúmque rerum dilectionem; addens, functionis Sacerdotalis authorem non esse, nisi Deum, à quo primi Sacerdotes huius muneris plenitudinem acceperunt, idipsum deinceps in alios propagare iussi; vt qui in Deum transissent, posteros quoque ad diuina eueherent, perpetuóque successu, sacrati & sacrantes, illuminati & illuminantes, perfectique ac perficientes euaderent. Magna verò Dei prouidentia factum est, vt Ecclesiæ ministri Sacramento visibili ordinarētur, vt nota certáque omnibus verorum Dei ministrorum vocatio fieret, discerníque possent à Pseudoapostolis, qui se vltrò ingerunt, absque missione, vel ordinationis lege.

Ad Titū 1.

Li. de Eccl. Hier.

Ministri Ecclesiæ visibili Sacramento ordinantur, vt à Pseudo Apostolis discernantur.

Præterea id confert, ad retinendam Ecclesiæ vnitatem, cauendáque schismata, cùm ab vno summo principe totius Hierarchiæ singuli dependeant. Necnon præstat ordinatio securitatem cuique, suum officium exercenti, dum quisque credit, interna Spiritus sancti operatione confirmari, quod foris exequitur. Alijs quoque fidelibus confidentia nascitur, consequendi diuina munera, per ordinati ministerium, dum sperant, Deum suæ ordinationi & promissioni non defore.

Postremò congruit, vt sicuti Deus, præbens alicui potentiam naturalem ad operandum, simul eadat, quibus expeditè illa vtatur; ita per ordinationem conferendo sacram potestatem conficiendi dispensandique Sacramenta, simul tribuat gratiam, perficientem animam, vt legitimè sacro ministerio perfungatur.

CAP. CIX.

De Ordinum numero.

Dionys. Areop. de Eccl. Hier. cap. 6

Epiphan. in

NOmen *Ordinis* interdum omnem functionem, diuinis obsequijs dicatam, comprehendit. Qua generali significatione Mona-

compendiaria doctrina.

Hieron. de muliere septies icta.

chos & Religiosas quoque feminas huius aut illius Ordinis esse dicimus, scilicet S. Francisci, Dominici, &c. quomodo viduas olim diaconissas in templis fuisse legimus. Alio modo strictiùs Ordinis nomen pro Ecclesiastica potestate sumitur, quæ ritu sacro ab Episcopo confertur, & ad certum ministerium in Sacrificio Eucharistiæ exhibendum refertur. Hac significatione Ordines septem enumerantur: videlicet Sacerdotium. Diaconatus, Subdiaconatus, Acolytus, Lector, Exorcista, & Ostiarius. Qui numerus ex Patrum continua traditione ac vsu habetur, & ex ministerijs ad sacrosanctã Eucharistiam conficiendam vel dispensandam necessarijs, confirmari potest. Sacerdotum enim est, Eucharistiam conficere & offerre, quibus solis dictum est: *Hoc facite*. Cooperatio autem ministrorum consistit, vel in dispẽsando hostiam oblatam fidelibus, quod ad Diaconum spectat; vel in materia sacrificij præparanda in vasculis, quod est Subdiaconi; vel in materia sacrificij præsentanda, quod est Acolyti; vel in præparandis hominibus ad participandum Altaris hostiam, à qua nonnulli propter immunditiam arcendi sunt, quæ vel oritur in fidelibus ex dæmonis obsessione, vt in Energumenis, ad quos emundandos ordinatum est Exorcistarũ ministerium: vel reperitur in nondũ plenè de fidei rebus instructis, vt in Catechumenis, ad quos in fidei rudimentis erudiendos ordinatur Lectorum officium: vel postremò sunt quidam à diuinis mysterijs prorsus excludendi, quia infideles, vel persecutores, aut excommunicationis mucrone ab Ecclesiæ communione præcisi sint, ad quod officium seruit Ostiariorum, quorum est huiusmodi repellere.

Ordinum singulorum officia.

Differentia verò inter Ordines est, quòd alij maiores & sacri dicantur, putà Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus: alij verò minores sint, scilicet Acolyti, Exorcistæ, Lectores, Ostiarij.

Ordines maiores & minores.

Sciendum autem est, veteres nonnunquam tres tantùm Clericorum ordines enumerare: scilicet Episcoporum, Sacerdotum, & Diaconorum, quia hi tres ordines reliquos in se contineant; & præterea hi soli regendæ plebi præsint. Reliqui enim ordines Sacerdotibus & Diaconis subseruiunt: vnde & Diaconatus generali nomine comprehendi aliquando solent. Quòd verò ab Apostolorum tempore, singulorum ordinum nomina, & ministeria in vsu fuerint, ostendemus, posteaquam de Clericatu & Tonsura nonnulla præmiserimus.

CAP. CX.

De prima tonsura.

Tonsura militiæ Christi adscribit.

QVi ex Laïcorum grege ad Ecclesiasticorum ordinem transit, in ipso veluti limine Clericus creatur, atque tonsurâ insignitur, quæ non est Ordo (cùm nullum speciale officium annexum habeat) sed ad ordines quædam est præparatio. Qui enim tondetur, se à seculi negotijs ad Ecclesiasticam militiam transiturum profitetur. Vnde laicali veste reiecta, clericalem habitum assumit, eo ritu significans, vitam se commutare velle. Habitus enim hominem suæ professionis admonet, eáque ratione ad rectè viuendum incitat. Ex habitu enim vir dignoscitur, & ab alijs obseruatur; & si quid vocatione sua indignum committat, notatur ab alijs & reprehenditur, atque ita pudore sal-

tem in officio retinetur.

Tonsuræ vsum agnoscit Dionysius Areopagita, scribens, futurum Monachum primùm tonderi, deinde abiectâ priore veste, aliâ indui. Lib. de Eccles. Hier. c 6. Isidorus lib. 2. *de officijs diuinis* c. 4. ab Apostolis institutam esse tonsuram asserit. Beda lib. 5. *Hist. Anglic.* c. 22. refert, S. Petrum omnium primùm gestasse coronam: eius exemplo Clericos, Monachos, & Episcopos eandem suscepisse. Cuius meminit Aug. epist. 147. *Per coronam nostram nos adiurant.* Conc. Cartha. 4. can. 44. vetat clericos alere comam vel barbam. Concilium Toletanum IV. can. 40. iubet clericos, toto capite detonso, solũ circulum capillorum supra aures relinquere. Aug. lib. *de opere Monachorum* c. vlt. monachos crinitos reprehendit. Anicetus in epist. ad Episcopos Galliæ statuit, vt clerici iuxta Apostolum comam non nutriant, sed caput desuper in sphæræ modum radant, seu tondeant. Nam in primitiua Ecclesia tonsuræ potiùs quàm rasuræ vsus viguit, quia supererant idolorum Sacerdotes, qui in honorem suorum idolorum capita radebant: ob quam causam Deus Leuit. 21. Sacerdotibus Aaronicis præcepit, ne capita vel barbam raderent. Quod Ezechiel. 44. & Baruch vltimo repetitur. Ierem. 9. & Leuit. 19. *Non attondebitis comam in rotundum*, in honorem scilicet idolorum, vel in leuitatis & impudentię signũ. Quod Christianis etiam prohiberi, notat Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 83. Rasuram alioqui per se illicitam non fuisse, conuincit Nazaræorum ritus, qui completo suæ consecrationis tempore radi iubẽtur. Num. 6. Quem vsum Iacobus comprobans Act. 21. dicit Paulo: *Sanctifica te cum illis, & radant capita sua.*

Epiph. hæ. Ex Epiphanio & August. colligimus, veteris Testamenti patres & Sacerdotes conuenienter longos gestasse capillos, quia redemptionis mysteria nondum reuelata erant: quod velamine super Moysi faciem posito, & longa sanctorum coma figurabatur; iam verò, qui Christi ministerio consecrantur ablatione comarum, legis velamen sublatum esse annunciant. Accedit, quòd nudatione capitis, vita pura, nulla vitiorum specie fucata exigi à clericis designetur. Et quoniam capilli superfluæ quędam humani corporis partes sunt, eorum amputatione significatur, Clericos & Monachos superfluas mundi cupiditates resecare debere, vt animus liber in diuinas cõtemplationes euehatur, illustrationésque cælestes promptiùs recipiat. Denique coronâ monentur Clerici, cuius capitis membra sint, & quid pro nobis passus sit Christus. resi 80. Aug. lib. de oper. Monach. c. vlt. Dionys. Areopag. lib. de Eccl. Hier. c. 6.

Tonsuræ forma. De tonsuræ forma inter Orientales & Romanos varietas extitit. Illi Paulum sequuti, columnarem figuram in crinibus circa faciem retinebant, Beda teste lib. 4. Hist. c. 1. Romani verò, Apostoli Petri exemplo comam tondebant in coronæ formam, ita vt capillorum circulus reliquis detonsis relinqueretur, in similitudinem spineæ coronæ Christi, idque ad significandum, se Christi seruos esse, cui seruire regnare sit, & perfectioris vitæ genus (nam circulus omnium figurarum perfectissima est) mundique contemptum calcata vanitate sectari. Isid. li. 2. de off. diui. c. 4. Concil. Triburien. c. 20.

Rident hodie sectarij rasos vertices: sed quid mirum, quibus Christi sacerdotem aut religiosum esse, abominabile videatur? & qui malint barbaros radendi modos, quàm pietatis, humilitatisque signa priscorum fidelium vsu commendata, complecti.

Quare meritò reprehenduntur inter Clericos, qui ex vanitate aut lasciuia crines, secularium more crispatos, barbásque alatas gerunt: & qui laudabilem tondendi, vel crines longiores ferendi morem impotentiùs insectantur; cum in adiaphoris mos cuiusque loci rectè probetur.

De tonsione ergo capilli homines Deo consecrantur, & ad Ecclesiastica munia præparantur, & Clerici in Domini sorte cooptantur, ex quo Clericorum seminario cosurgunt, qui sacris Ordinibus imbui desiderant: & quò in altiori gradu deinceps aliquis constituitur, eo latior orbis forma circumscribi debet, vt in Episcopis videre licet.

CAP. CXII.

De Ostiario.

Ostiarij officium.

PRimus post tonsuram gradus est, Ostiarij Ordo, cuius est, templi claues & fores custodire: immundos aditu templi, ne profanorum ingressu polluatur, arcere: curare, ne quis Sacerdotem sacra facientem perturbet; Ecclesiæ supellectilem, vt calices, libros, aliáque vniuersa Ecclesiæ mobilia bona conseruare. Horum olim typum gesserunt Ianitores inter Leuitas, de quibus li. 1. Paralipom. c. 26. & lib. 2. cap. 23.

Hoc ministerium esse sacrum, non autem profanum, testatur Concil. Carthag. 4. can. 9. Ostiarius cum ordinatur, postquam ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei cõuersari debeat, ad suggestionem Archidiaconi tradit ei Episcopus claues Ecclesiæ de altari, dicens: *Sic age, quasi redditurus rationem Deo pro his rebus, quæ his clauibus recluduntur.*

Conc. Florent. Trid. sess. 23. c. 2.

De Lectoribus.

Lectoris officium.

SEcundus ordinis gradus est Lectoris, cuius officiũ est, clarè ac distinctè in Ecclesia veteris & noui Testamenti libros extra sacrificij tempus legere, primáque Christianæ religionis rudimenta fidelibus tradere. In Concilio Carthaginensi 4. can. 8. ritus ordinandi Lectoris traditur. Huius gradus meminit Canon. 27. Apostolorum: Cyprianus lib. 4. epist. 5. Isidorus lib. 2. *de Officijs diuinis*, c. 11.

Hoc officium Christus impleuit, Lucæ 4. clarè populo Isaiam legens: & Prophetæ, iuxta illud Isaiæ 58. *Clama; ne cesses*: nostro autem tempore, Lectorum & Psalmistarum locum, magna ex parte Cantores, Musici, & Organistæ occupant.

De Exorcistis.

Exorcistarum officium.

TErtius ordo, Exorcistarũ est, quibus ab Episcopo potestas datur, inuocandi nomen Domini super eos, qui ab immundis spiritibus obsidentur, vt expurgati participare hostiam oblatam dignè queant. Ritum huius ordinis tradit Conc. Carthag. IV. can. 7. Cypr. in tract. *sent. Demetrianũ*, & in tract. *Quòd idola non sint Dij*, scribit, Exorcistas potestate diuina diabolum flagellare, cædere, torquere. Sulpitius in vita S. Martini c. 4. refert, ipsũ ab Hilario Exorcistam ordinatũ esse. Ignatius in epist. ad Antioch. Cornelius Papa ad Eusebium lib. 6. hist. c. 33. Concil. Laodicenum c. 24. & 26. Conc. Florent. & Trident. sess. 23. hunc ordinem agnoscunt.

Lactan. lib. 4. c. 27.

De Acolytis.

Acolytorũ functio.

QVartus ordo Acolytorum est, qui *ab assequendo* dicti sunt,

quorum est, Subdiacono & Diacono in altaris ministerio, deferendo luminaria, & suo tempore accendendo, vrceolos præparando, subseruire. Vndè & *Ceroferary* vocantur. Isidorus libr. 7. Etymologiarum cap. 12. Amalarius libr. 2. cap. 10. Rabanus libr. 1. *de Instit. Cleric.* cap. 9.

Horum typum gesserunt Leuitæ, qui lucernas in veteri lege curabant: de quibus Exodi 25. & 27. Leuitici 23. & 24. Cyprianus epistol. 55. Gregorius epistol. 19. libr. 3.

De Subdiaconis.

Subdiaconi munus.

INter Ordines, qui ab officij dignitate *Maiores* vulgò nominantur, Subdiaconatus, primus est. Ad quem pertinet, Diacono in Altaris ministerio subseruire: sacra linteа, vasa, panem & vinum ad sacrificij vsum parare: Epistolam cantare: aquam abluendis manibus in altari Episcopo & Sacerdoti præbere: ac denique fidelium oblationes in Templo receptas, ad super ponendum Altari, Diacono deferre. In cuius rei signum, dum ordinatur ab Episcopo, librum Epistolarum, Calicem vacuum, & Patenam accipit, & ab Archidiacono, vrceolos vino & aqua plenos, cum disco & linteo, quo manus absterguntur, vt in Concilio Carthaginensi IV. ca. 5. Toletano IV. c. 27.

Horum typum gesserunt Nathinæi, de quibus 1 lib. Paral. cap. 9. & libr. 2. cap. 2. ac lib. 1. Esdræ cap. 2. & 8. *His in Leuitarum ministeria dati erant.*

Hunc ordinem agnoscit Clemens lib. 8. Constitut. cap. 28. Ignatius in epist. *ad Antioch.* 9. Cyprianus epist. 24. & 42. Concilium Tridentinum sess. 23. c. 2. & can. 2.

De Diaconis.

Diaconi offic.

DIaconorum est, Episcopo seu Presbytero sacra facienti assistere, Euangelium sacrificij tempore, albâ, stoláque indutos decantare, Eucharistiam ad absentes deferre, atque ipsis distribuere, absente Presbytero Euangelium in loco inferiori exponere, baptizare, nomina cathecumenorum atque ordinandorum Episcopo recitare: publicè pœnitentes reconciliare, fidelium oblationes colligere, ac vnicuique iuxta necessitatem distribuere. Ad eos denique pertinebat, fidelium vitam & mores obseruare, ac Episcopo indicare. Quæ omnia ex Scripturis, aut veterum testimoniis elucent. Actor. 6. Apostoli septem Diaconos manuum impositione ordinarunt: quo ritu vsi non fuissent ad instituendum tantùm profanarum mensarum ministros. Et constat, Stephanum, Philippum, & alios Diaconos, populo prædicasse, baptizasse, sacráque munia, non autem tantùm profana exercuisse. Vndè Apostolus Diaconi mores, virtutes & integritatem requisitam seriò exposuit. Et Clemens lib. 2. *Constit. Apost.* cap. 48. tradit, Diaconum Episcopi esse oculum, cuius sit Episcopi esse oculum, cuius sit Episcopi vice, omnia Ecclesiæ negotia curare. Ambrosius lib. 1. Offic. ca. 41. S. Laurentium ita loquentem B. Sixto inducit: *Quò Sacerdos sancte, sine Diacono properas? Tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueueras.* Et infrà: *Cui commisisti consummandorum consortium Sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas?* Vbi luculenter docetur, sacro altari ministrasse Diaconum. Quod etiam Paulus attestatur, volens, ordinari ministros, etiam vbi fideles

Act. 6. & 8.

1. Timo. 3.

Clemens epist. 1. ad Iacobum.

Leo ser. de S. Laurétio. Ierem epi. 48. ad S. binianum. Greg. lib 4. epist. 88.

Paulus Diaconos ordinari volut, etiã vbi fideles nõ viuebant in communi.

non viuebant communiter, scilicet Philippis, Ephesi, Cretæ, vbi mensarum Diaconis opus non fuisset, si tantùm prophanum habuissent ministerium. Diaconi adumbrati per Leuitas fuêre, qui sacerdotibus Aaronis deseruiebant.

CAP. CXIII.

De Sacerdotio.

Sacerdotũ officium est, incruẽto ritu Christi Corpus & Sanguinem offerre.

SEptimus Ordo, Sacerdotum est, quibus specialem Christus potestatem dedit, visibile ac externum corporis ac sanguinis sui, sub Panis & Vini speciebus, sacrificium Deo offerendi. Illud enim sacrificium, quod in nouissima Cœna incruẽto, & in cruce ritu cruẽto Christus per seipsum obtulit, *Sacerdos æternus secundum ordinem Melchisedech*, hoc ipsum per Apostolos, eorúmq; in sacerdotio successores, eodem ritu, quo in Cœna ipse obtulerat, in mortis suæ memoriam vsque ad tempus secundi sui aduentus Deo iugiter offerri constituit illis verbis: *Hoc facite in meam cõmemorationem.* Qui enim semel passibili cruentóq; modo sufficientissimum ad omnia à Deo impetranda, delendáq; peccata sacrificium obtulerat, voluit eiusdem vim & efficaciam nobis per fidem & Sacramenta applicari, inter quæ augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, etiam sacrificium esse instituit, cuius oblatione omnia præsentis, & futuræ vitæ bona consequi possemus. Quemadmodum enim hæc vnica Corporis & Sanguinis Christi oblatio in locum omnium sacrificiorum legis Naturæ & Mosaicæ successit, ita valet ad cuncta ea impetranda, quæ per illa sperari potuerunt, ac insuper Passionis Christi fructus nobis vbertimè applicat, vt ex professo in libro de Sacrificio latè prosequimur, ad quem plura desiderantem remittimus.

Psal. 109.

Luc. 22. Cõcil. Trident. sess. 23.

Per oblationem incruentam applicatur fructus oblationis cruentæ.

Oblatio incruenta pro impetratione cuiusuis boni valet. Lib. 3 de augustissimo Eucharistiæ Sacramento & Sacrificio.

Sacerdotium in Scripturis duplex insinuatur: vnum, spirituale ac internum, omnibus fidelibus commune, quo fide per charitatem inflammata in Altari suæ mentis hostias spirituales Deo immolant, quæ sunt bonæ omnes actiones, ad Dei gloriam relatæ. Ab hoc sacerdotio generali & impropriè dicto, totus populus Christianus vocatur *Domus spiritualis, sacerdotium sanctum.* Item, Reges & Sacerdotes, Deo & Patri exhibentes sua corpora, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem. Sic populus Israëliticus vocatur, *regnum sacerdotale, gens sancta.* Ita *sacrificium Deo Spiritus contribulatus* dicitur: & *sacrificate sacrificium iustitiæ.*

Sacerdotiũ spirituale omni Christiano cõmune.

1. Petri 2.

Apoc. 2. & 20.

Rom. 12.

Exodi 19. Psalm. 50.

Præter hoc generale & Laicum Sacerdotium, est aliud externum & visibile, certis personis, ad offerenda Deo dona & sacrificia, legitimè vocatis proprium: quales in lege naturæ fuerunt, Primogeniti, Patres familias & Prophetæ, speciali Dei afflatu ad hoc munus euocati, vt legimus de Seth, Noë, Patriarchis, Melchisedech, Iob, Moyse, & de Aarone, iussu Dei ad hoc munus inuncto, ad cuius posteros vsq; ad Christi aduentum Deus sacerdotium veteris legis transire voluit. *Nemo enim assumit sibi honorẽ, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Et iterum: *Omnis Pontifex ex hominibus assumitur, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Vndè & Christus non seipsum clarificauit, vt Pontifex fieret: sed dictum est ipsi: *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Nec visibile ac externum sacerdotium sustulit, sed in melius perfectúsque transtulit. Non enim

Sacerdotiũ externum solis legitimè ordinatis proprium.

Psal. 109. Hebr. 7.

Rempublicam suam perfectissimo Dei cultu (qui in sacrificij oblatione consistit) carere voluit, cùm ad deploratissimæ Reipublicæ statũ pertineat, carere sacrificio & sacerdotio. Sed Apostolos, eísque per legitimam ordinationem succedẽtes, noui Testamenti propriè dictos sacerdotes constituit, ad offerendum iugiter incruento ritu sui Corporis & Sanguinis sacrificium. Tales hodie sunt Episcopi & Presbyteri soli, Augu. teste, ac Hieronymo, qui Ecclesiam sine sacerdotibus esse, religionémque absque hostia subsistere posse negat. Vndè Isaias c. 19. Christi Ecclesiam in gentibus predicens: *Assumam*, inquit, *ex eis in sacerdotes & Leuitas*. Quod & Malachias cap. 1. confirmat. Et Christus Matthæi 5. *Cum fueris ad Altare*. Apostolus 1. Cor. 10. Mensam Domini cum altari Iudæorum confert, & ad Hebræos 13. Christianos altare dicit habere, in quo scilicet noui Testamenti sacerdotes, ritu, forma & modo offerunt, quo Melchisedech, Corpus videlicet & Sanguinem Christi, cuius nomine, vice, verbis offerunt. Quod Laicis nefas esse, tradit Clemens lib. 2. *Apost. Const.* c. 10. Socrates lib. 1. histo. c. 27. Ambros. libr. 9. tripart. histor. c. 30. purpuram imperatorem facere, non sacerdotem Theodotio dixit. Cyril. in epist. ad Atticum citata per Nicephorum li. 14. ca. 27. scribit, sacerdotij nomen & rem non esse omnibus communem, sed à Deo vocatis reseruari Tertullian. lib. *de præscript.* hæreticis proprium esse scribit, in sacerdotes assumere non ordinatos. In Ecclesia enim, quæ *castrorum acies ordinata* est, omnia secundùm ordinem fiunt, distinctáque sunt personarum officia. Non enim omnes sunt Apostoli, Episcopi, Doctores, Sacerdotes, Diacon, (hæc enim nomina sunt ministeriorum, non meritorum) sed qui legitimè à Deo vocati sunt tanquam Aaron, siue immediatè, vt Apostoli, siue intercedente ministerio Apostolorum vel Episcoporum eis succedentium, quemadmodum Timotheus, Titus, Clemens, & alij sunt per legitimam ordinationem vocati. *Huius rei gratiâ reliqui te Crete, vt constituas per ciuitates Presbyteros*, ait Apostolus. Vndè patet, ratam esse vocationem, quæ Dei iussu fit, ministerio Ecclesiæ per Episcopos. Quam vocãdi rationem Deus in Ecclesia perpetuam esse decreuit, vt ad Ephesios 4. docet Apostolus: *Et ipse dedit Pastores & Doctores ad cõsummationem sanctorum, in edificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in virum perfectum*: id est, donec Ecclesia cesset ædificari in consummatione mundi: tunc cessabunt typica sacrificia, sacramentorum dispensatio, & reliqua Ecclesiæ in hac mortali vita necessaria ministeria.

Aug. li. 20. de ciuit. ca. 10.
In Dialog. cont. Lucif.
Cyprian. de Cœna Domini.
Aug. lib. 16. cont. Faust.
Aristot. li. 6. Politicorũ.
Cyprian. li. 2. epist. 3.
Chryso. ho. 2. in 2. ad Timoth.
Ambros. li. 4. de Sacra. cap. 6.
Hæreticorum est, assumere in sacerdotes non ordinatos.
Cantic. c. 8.
2. Cor. 4.
1. Cor. 12.
Ephes. 4.
Hiero. lib. 1. cõt. Ioui.
Aug. lib. 2. cont. Cresc. cap. 11.
Item serm. de pastoribus.
Acto. 13.
Rom. 10.
Hierem. 23.
Ad Titum cap. 1.

Sacerdotis nomen sacrarum rerum ministris tribuitur, quia Deo consecrati sint, quoniam ad eos pertineat sacrificia offerre, res sacras tractare ac dispensare, peccata soluere & ligare, verbum Dei annunciare, Deum placare, non vt sectarij volunt, solùm docendo & Sacramenta dispensando, sed potissimùm sacrificium offerendo, & peccata remittendo. Parciùs autem Apostoli Sacerdotis nomen initio Ecclesiæ vsurparunt, ne adhuc stante Iudaico sacerdotio & Templo, rituum communionem habere Christiani cum illis putarentur. Sed euerso Hierosolymitano templo, Apostolorum discipuli rem proprio nomine designarent, vocéque Sacerdotis passim vsi sunt, vt Isaias futurum prædixerat vlt. cap.

Sacerdotis nomen vndè?
Heb. 5. & 8.
Cõcil. Triden. sess. 23. can. 1.
Ioan. 10.
Dionysius Areop. li. de Eccles. c. 1.
Clemens.
Ignatius ad Philadel.
Martialis.
Cyprian. in serm. de vocatione Christ.
Fabianus epist. 2.

Chrysost. li. de Sacerdotio inscripsit. Ieron. in vlt. ca. Is. Aug. lib. 17. de ciuit. ca. 17. & 20. lib. 20. c. 10. Lib. cõt. aduers. leg. cap. 18.

Vocantur etiam *Presbyteri*, hoc est, *seniores*, non solùm ob ætatis maturitatem, quæ ad ordinem hunc requiritur, sed imprimis ob morum grauitatem, doctrinam, & prudentiam. *Cani enim sensus hominis, et ætas senectutis, vita immaculata*, Sapien. 4. 1. Timoth. 5. *Qui bene præsunt Presbyteri.* Epiphanius in epist. ad Ioan. Hierosolymitanum, Presbyteros ad conficienda Sacramenta ordinauit. Hieron. in epist. ad Nepotianum. August. lib. 22. de ciuit. cap. 8. Presbyterum obtulisse sacrificium refert.

CAP. CXIV.

De Variis Sacerdotum gradibus.

Sacerdotum varij gradus.

QVamuis vnus Sacerdotij ordo sit, in varios tamen potestatis gradus est distinctus. Primus autem est simplicium sacerdotum, ad quos pertinet sacrificium offerre, & peccata remittere atque retinere. Secundus Episcoporum est, qui singulis Episcopatibus præsunt, vt Clerum, fidelémque populum regant, spiritualique eorum saluti prospiciant: qui ab officio pascendi, & docendi, Pastores & Doctores etiam appellantur, Ephes. 4. ac Magistri, Præpositi, Antistites, Patres, Lux mundi. Sal terræ, Angeli Dei, Pontifices, Præsules, Ministri noui Testamenti. Per hos enim Deus loquitur, & hominum salutem operatur. Episcopi nomen, *superinspectorem* designat, quia ad Episcopum tanquam sacerdotum principem spectet, gregis sibi commissi vitam explorare. Iuxta illud Apostoli: *Ipsi pernigilant, tanquam rationem pro animabus vestris reddituri.* Initiò cùm Ecclesia communi Episcoporum & Sacerdotum consilio gubernaretur, nomen Episcopi, sicut & presbyteri, omnibus sacerdotibus tributum fuisse legimus; attamen discrimen semper fuisse inter Presbyterum & Episcopum, tam quoad gradum ordinis, quàm iurisdictionis, scriptura luculenter insinuat. Apostolus enim Timotheum & Titum Presbyteros ordinasse scribit, & Apostolis succedunt Episcopi, septuaginta verò Discipulis Presbyteri, vt Anacletus epist. 3. & in c. 10. Lucæ Beda, notant. Episcopos enim de Presbyteris, tanquam inferioribus iudicasse, tradit Paulus 1. Timoth. 5. *aduersus Presbyterum*, &c. Qui autem ordinat, benedicit & iudicat, maior est eo, qui ordinatur vel iudicatur. Quòd autẽ presbyter nunquam alium ordinauerit, Ecclesiæ perpetua consuetudo conuincit. Damasus epist. 3. Epiphanius hæresi 75. & Aug. 53. Chrysost. ho. in 3. & 4. c. ad Timoth. atque Dionysius Areopag. tradunt, supremas actiones Hierarchicas ad solos Episcopos pertinere, quales sunt, Ecclesiæ ministros ordinare, Chrismą, Templa & Altaria cõsecrare, baptizatos confirmare, & huiusmodi aliæ. Nam & in veteri Testamento distincti erant gradus Pontificum, sacerdotum, & Leuitarum, quorum diuersæ consecrationes erant, distincta officia & vestes, vt patet Exodi 28. & 40. Leuit. 8. Numer. 3. & 20.

Philippen. 2. Actor. 20. Ad Titũ 1. 1. Timo. 4. & 5. 1. Petri 5. Lucæ 10. Dionys. lib. de Eccles. Hier. c. 4. 5. Hebr 7. Ieron. epi. 85. Leo epist. 88. Actiones Hierarchicæ ad Episcopos spectant.

Modus autem cõsecrandi Episcopi traditur in Concil. Carthag. 4. can. 2. à Clemente epist. 3. Penes autem summũ Pontificem Iudæorum fuisse supremam iudicandi de rebus ad religionem pertinentibus iurisdictionem, ex capit. Deut. 17. constat. Eodem pertinet, quòd Dionysius Areopag. tradit, à Christo Hierarchiam in Ecclesia institutam, in qua locum primũ obtinent Pontifices.

Li. de Eccl. Hier. c. 1. & 5.

Actor. 20. 1. Petri 5. Hebr. 13. 1. Cor. 4. Matth. 28. 2. Cor. 3. Bernardus epist. 42. Heb. 13. Episcopi presbyteris maiores.

Graduum distinctio ex diuersa participatione diuinæ cooperationis ortur.

tifices, secundum Sacerdotes, tertium Ministri. Quæ graduum personarúmque distinctio, ex diuersa participatione diuinæ perfectionis & cooperationis exoritur, homines purgando, illuminando, perficiendo, Deo assimilando, arctissiméque vniendo. Quemadmodum ergo inter Angelos, Dei ordinatione vnus alium officij nobilitate superat, ita & in Ecclesiastico munere vnus ministrorum alium eminentia functionis. Inde porrò sequitur, Episcopos, quibus sacratior operatio demãdata est, Presbyteris simplicibus iure diuino præstare. Illos enim Christus super familiam suam constituit, vt Hilarius & alij in cap. 24. Matthæi notarũt. Eosdem Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiã Dei, & Presbyterorum Iudices, sine quorum iussu nihil attentare debent: in Constitutionibus Apostolorum, can. 40. Ignatius in epist. ad Philadelphenses. Irenæus lib. 3. contr. hæreses, Apostolos scribit, Ecclesias Episcopis commisisse. Hinc in Concilijs soli Episcopi iudicando decernunt, definiunt, leges ferunt, excommunicant, anathema dicunt. Et hæretici sunt habiti Aëriani, quia sentirent, Episcopũ non esse gradu maiorem Presbytero; necnon Vvicleuistæ, ac postremò nostri temporis Sectarij in Concilio Tridentino damnati. Contra quos Aug. epist. 19. *Quamuis secundum honoris vocabula, quæ nunc obtinuit vsus, Episcopatus sit Presbyterio maior*, &c. quia videlicet soli Episcopi Apostolis in ordinandi Ecclesiæ ministros, regendique potestate successerunt: quarum posterior etiam Presbyteris commissa nonnunquam fuit, ordinandi verò nunquam.

Matth. 24.

Acto. 20. 1. Timot. 5.

Irene. lib. 3. cont. hæreses.

Epiphanius hæresi. 75. Aug. hæres. 53. Thoma Vvalden. lib 2. doct. cap 60. Concil. Trident. sess. 23. cap. 6. & 7. Concil. Hispalen. 2. can. 5.

CAP. CXV.

Quòd inter Episcopos gradus iurisdictionis authoritate distincti sint.

INter Episcopos gradus reperiuntur, non quidem ordine & consecratione, sed officij atque authoritatis ratione distincti. Nam alij maiore sunt iurisdictione aliis præditi: quidam enim sunt Archiepiscopi siue Metropolitani, pluribus Episcopis præpositi, in quos iurisdictionem habent. Rursus alij, Primates sunt, omnibus Episcopis & Archiepiscopis alicuius regni aut Prouinciæ præfecti, vt in Aphrica Carthaginensis; in Hibernia Armakanus. Denique sunt Patriarchæ, his superiores, qui vni orbis parti præsunt; vt Alexandrinus toti Aphricæ: Constantinopolitanus toti Græciæ, & parti septentrionis: Antiochenus Asiæ minoris, & Hierosolymitanus Orienti: & super omnes est Romanus Põtifex, Christi in terris Vicarius, Apostoli Petri in officio pascendi agnos & oues gregis Christi successor.

Diuersi Episcoporũ gradus potestate iurisdictionis distincti.

Archiepiscopi.

Primates.

Patriarchæ.

Summus Pontifex.

De Cardinalibus autem Ecclesiæ Romanæ sciendum est, ipsos neque ordine, neque consecratione ab Episcopis, Presbyteris, & Diaconis differre, sed peculiari quodam dignitatis titulo & munere, quod in eo situm est, vt Romano Pontifici in Ecclesia vniuersali dirigenda & gubernanda, tanquam præcipui consiliarij, assistant, Sedeque vacante Pontificem eligant. Dicuntur verò CARDINALES, quia primarij sunt Ecclesiæ consiliarij apud summum Pontificem, qui est veluti Cardo Ecclesiæ, à cuius prouidentia & firmitate pendet Ecclesia. Horum

Cardinales.

Aug. lib 1. de Baptismo cont. Donat. Leo 9. epi. ad Michael. cap. 32. Concil. Basilien. Sess 25.

enim consilio in arduis Ecclesiæ negotiis summus Pōtifex vtitur. Sunt enim viri scientia, moribus, ac rerum experientia excellentes, ex omnibus Christiani orbis partibus electi, vt rerum omnium in Ecclesia emergentium notitia faciliùs ad supremum Ecclesiæ pastorem deuenire queat.

Cardinalium verò nomen vetustissimum est: cuius meminit Concil. Romanum Siluestri tempore celebratum, can. 6. Grego. lib. 5. epist. 11. & lib. 11. epist. 34. septem Diaconos, Cardinales fuisse scribit. Presbyterorum Cardinalium meminit Ioannes Diaconus lib. 3. vitæ Gregorij c. 7. Episcoporum Cardinalium Concil. Meldense can. 54. Amplitudo Cardinalium insinuatur à Diuo Gregor. lib. 4. Registri cap. 88. quia his Pontifex in Concilijs generalibus conuocandis & dirigendis vtatur. De quibus lib. 4. ad Eugenium Bernardus: *Venistis ad collaterales & adiutores tuos; hi seduli tui, hi intimi tui, eligendi de toto orbe, orbem iudicaturi.* Et epist. 188. ad Cardinales: *Nulli dubium est, quin ad vos pertineat, tollere scandala de regno Dei, surgentes spinas succidere, sedare querelas. Agite pro loco, quem tenetis; pro dignitate, qua polletis; pro potestate, quam accepistis.* Primis Ecclesiæ temporibus Pontifex grauiora Ecclesiæ negotia, cōuocatis Episcopis, tractare solet: sed vsu docente, ac necessitate cogente, postquam temporalis principatus accessit, oportuit aliquos Pontifici semper præsto esse, cum quibus de grauissimis rebus quotidie occurrentibus deliberaret, idque absque detrimento particularium Ecclesiarum, quibus pastorum absentia perniciosa est. Omissis ergo Episcoporum Concilijs, Pontifices ad amplissimum Cardinalium Senatum occurrentia quotidie negotia referre cœperunt, eorúmque operâ vti ad legationes instituendas ad Reges, Principes, & alios, pro communi Ecclesiæ bono, ad conuocanda Concilia generalia, dissidia Principum componenda, bella subinde, potissimùm contra hæreticos & infideles gerenda. Quorum ita creuit dignitas, vt Regum fratres, eorúmque in administrandis prouinciis Vicarij fiant. Horum numerum Concil. Basilienſe moderatum esse voluit, ne superflua numerositate vilescat, vel Ecclesiæ grauis fiat; & constare literatis in Theologia, vel Iure, ac illustrium principum Filius. Sess. 25.

Cardinaliū amplitudo.

CAP. CXVI.

De Chorepiscopis & Abbatibus.

DVplices olim Chorepiscopi fuerunt: quidam Episcopi consecrati, propriam Ecclesiam non habentes; quales hodiè sunt Episcopi titulares, vulgò Suffraganei dicti, quorum meminit Concil. Antiochenum c. 10. alij Chorepiscopi, fuêre simplices presbyteri, Episcoporum vicarij, quales hodie sunt Archidiaconi & Officiales, quibus nullos sacros ordines conferre licet: de his agit Concilium Ancyranum can. 13. Neocesarienſe cap. 13. Damasus epist. 3. Ad hos accedunt veluti medij, Abbates, vsum mitræ & baculi ex Apostolico priuilegio habentes, quibus tonsuram & minores ordines subditis conferre licet: item Presbyterum cum Episcopo solemniter degradare, atque iurisdictionem Episcopalem in suos exercere, vt in Concilio Tridentino legimus. Diuus Bernardus epist. 42. contra exemptionem

Chorepiscopi Abbates.

Concil. Trident. sess. 23. c. 10. reform.

Concil. Trident. sess. 13. c. 4. reform.

Sess. 25. c. 11. reform.

Abbatum, & vsum mitræ, annulli, atque sandaliorum (quasi essent Episcopi) disserit, insinuans, ex ambitione priuilegia hæc à nonnullis magno precio comparata fuisse.

CAP. CXVII.

Vtrum iure diuino Petri successor (qui Romanus est Pontifex) omnibus Episcopis præpositus, ac proinde militantis Ecclesiæ visibile caput sit?

Pontifex Romanus est militantis Ecclesiæ in terris caput visibile.

QVemadmodum ad conseruationem vnitatis, concordiæ ac disciplinæ necessarium est, vnum Episcopum parochis, Metropolitanum Episcopis, Primatem Archiepiscopis, & vnum Patriarcham omnibus sui districtus Primatibus; ita vnum summum Pontificem Patriarchis aliis omnib. præesse oportet, cuius authoritate vnitas fidei, sacramentorum, legúmque Christianorum retineri possit; penes quem plenitudo potestatis sit, ad nouos Episcopatus erigendos, vel ex Episcopis facere Archiepiscopos, Primates, Patriarchas, atque ex iusta causa eosdem gradu deponere, vel ad se euocare: à quo tanquam summo Iudice visibili, omnes de fide ac religione quæstiones exortæ componi, principes Ecclesiæ ad Concilium euocari; inferioresque Ecclesiæ præfecti, ac Christiani vniuersi ad suum munus exequendum cogi possint. Nam alioqui schismatum semina, partium ex religione studia, hæreses & discordiæ in Ecclesia perpetuæ erunt, quas pacis & vnitatis author à suo regno exulare voluit. Ideóque Dei sapientia ante suum in cœlum ascensum Petrum vniuerso gregi suo præfecit, dicens: *Pasce oues meas, pasce agnos meos*; vt capite constituto, schismatis occasio tolleretur. Neque ideo Christus, summus pastor Ecclesiæ desiit esse, quia in terra Vicarium reliquit; nam spiritualiter, inuisibiliter atq; principaliter Christus regit eosdem, quos externo ministerio curat & moderatur Petrus. Quod exemplo Synagogæ illustrari potest, quæ præter Deum, suum inuisibilem rectorem, vnum visibilem habuit summum sacerdotem, cui omnes reliqui sacerdotes, Leuitæ atque Israëlitæ vniuersi in rebus concernentibus religionem parere à Deo iubentur.

Et lib. 1. cont. Iouinian. Christus est primarium caput: Petrus autem Vicarium caput. Deut. 17. Leo epist. 84.

At *quomodo*, inquiet aliquis, *vnus homo vniuersum orbem regere poterit? Tempore Synagogæ vnicus ab vno Pontifice dirigebatur Israëliticus populus: totum orbem gubernare, solius diuinæ virtutis opus est.*

Pontifex regit orbem per adiutores.

Respondeo, vnum Ecclesiæ vniuersalis esse rectorem, qui non solus regit, sicut agricola per se agrum colit; sed per multos sibi subiectos pastores, Episcopos, Archiepiscopos, Primates, Patriarchas, quibus tanquam princeps præest; per quos ad vnam Petri sedem totius Ecclesiæ regimen confluit; sicut Rex vnus multas prouincias per Vicarios, Proreges & Præsides gubernat: quomodo potentissimi Monarchæ magnam orbis terræ partem sibi subiectam felicitet rexerunt, vt de Augusto Lucæ 2. de Nabuchodonozor Danielis 1. de Assuero, Hester 1. de Cyro, Isaiæ 45. & aliis legimus. Et in exercitu quantumuis numeroso, vnius signum expectatur. Ac de se Apostolus Paulus scribit, quòd omnium Ecclesiarum sollicitudinem gesserit.

Hieron. in epist. ad Rusticum Monachũ.

Hinc Ecclesia *exercitui ordinato* comparatur, habenti decuriones, tribunos, duces, aliósque militiæ præfectos, aliisque rebus vnum caput habẽtibus, vt Corpori humano,

2. Cor. 11.

Cantic. 6. Cypria. lib. 4. epist. 9.

Ioan. 21. Ieron. in c. ad Titum.

Cant. 5. & 7. Ioan. 10. Lucæ 12. 1. Timoth. 3.

Sponsę, Regno, Ouili, Gregi, vnum pastorem agnoscenti, vni domui, vnum patremfamilias habenti. Vnde Ambrosius in epistola ad Timotheum: *'Domus Dei est Ecclesia, cuius hodie rector est 'Damasus.*

1 Petri 5. Cyprian. lib. 1 epist. 6. Aug lib. 2. de ciuit. c. 22. Aristoteles lib. 1. Ethicorum. Et lib. 2. Poti c.

Denique naui assimilatur, cuius director est Nauarcha. Præstantissimum enim regiminis genus est, Monarchicum, Augustino teste & Aristotele. Hinc Christus visibilis in terris Ecclesiam, vt summus Pastor, Dominus, Magister & Rector, visibiliter administrauit. Ioan. 13. *Vocatis me, Magister & Domine, & bene dicitis: sum etenim.* Et quam Reipublicę Christianæ gubernandę formam initio elegit, eandem vsq; ad mundi consummationem permanere voluit. Quod apertè Scriptura continet, dicens, Christum Petro Matth. 16. promisisse claues regni cælorum, quodque super ipsum Ecclesiam suam fundaret; metaphorâ *Clauium* & *fundamenti*, significans totius Ecclesiæ principatum. Nam quod in ædificio fundamentum est, id in corpore caput est, in ciuitate rector, in regno Rex, in domo paterfamilias. Et cui traduntur claues domus vel oppidi, talis paterfamilias, Rex aut gubernator instituitur, vt quos vult admittat, & reijciat.

Matth. 16.

Quod autem Petrus fuerit Petra, super quam Christus se ædificaturum suam Ecclesiam dixit, Euangelij textus euincit: *tu es Petrus*, siue Petra, siue Cephas, saxum, rupes: *Et super hanc Petram*, id est, super te Petrum, *ædificabo Ecclesiam meam*, vt sensu communi veteres intelligunt, quorum verba lege apud Bellarminum lib. 1. *de Rom. Pontifice* cap. 10. & 25. Vnius S. Leonis verba hîc referam, Serm. 2. de Aniuersario suæ assumptionis: *Beatus Petrus in accepta fortitudine Petræ perseuerans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ cæteris est ordinatus, vt dum Petra dicitur, dum fundamentum pronũtiatur, dum regni cælorũ ianitor constituitur, qualis ipsi cum Christo societas esset, per ipsa nomina cognosceremus.* Neque his aduersatur, quòd nõnulli fidem dicant esse fundamentum Ecclesiæ, iustitiæ, omniumque virtutum. Nã per fidem intelligunt, non quamlibet, sed Petri fidem, & fidei confessionem, vt Pastor est Christi Ecclesiæ, de qua dixit: *Non deficiet fides tua: Confirma fratres tuos*; vt Ambr. ser. 47. Basil. Nazianzenus, Cyrill. & alij declarant.

Ambros in Hymno, & serm. 47. August. lib. 2. tract. c. 21. Cyril. in Ioan. lib. 2. cap. 2. Leo serm. 2. de sua assumptione.

Aug. serm. 22. de verbis Apostoli. Hilar. in 16. cap. Matth. Lucæ 22.

Similiter Eminentiæ potestatis B. Petri non repugnat, quòd Aug. tract. 50. & vlt. in Ioan. & alibi scribat, B. Petrum, quando claues accepit, Ecclesiam significasse. Nam ea phrasi nihil aliud intendit Augustinus, quàm B. Petrum verè in sua persona claues accepisse; proinde historice, non autem parabolicè tantùm Ecclesiæ figuram gessisse, sicut duo Abrahæ filij, Apostolo teste, duo Testamenta figurarunt. Quod luculenter exponit Aug. in Psal. 108. dicens: Petrum ita Ecclesiæ figuram gessisse, sicut Iudas figura ingratorum Iudæorum fuit, quando Christum prodidit. Petrus igitur Claues, id est, supremam regiminis Ecclesiæ potestatem in Ecclesiæ persona dicitur accepisse, quoniam tanquam caput, princeps, & supremus Ecclesiæ ordinarius pastor, non ad priuatã, sed ad communem totius Ecclesiæ vtilitatem accepit; sicut regno dari censetur, quod Regi ad totius regni bonum confertur; vt Aug. docet serm. 23. *de verbis Domini*, & tract. 50. in Ioã.

Basil. lib. 2. contr. Eunomium. Nazianzenus de moderatione in disputatione seruanda. Cyril. lib. 2. in Ioan. c. 2. Grego. lib. 4. epist 32.

Matth. 28.

Neque insuper prærogatiuæ Petri derogat, quòd Christus etiam aliis Apostolis dixerit: *Ite, docete*

omnes gentes. Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis, &c. Nam extraordinariam potestatē eis Dominus tribuit, quos legatos sui vice misit, quæ ad illorum successores non transiret; at Petro ordinariam pascendi, ligandi, Ecclesiam regendi, fratres in fide confirmandi potestatem dedit, quam vsque ad consummationem seculi perdurare voluit, in ædificationem corporis sui, quod est Ecclesia, iuxta Paulum ad Ephes. 4. Vndè colligit Leo, quòd omnes propriè regat Petrus, quos principaliter regit Christus.

Leo serm. 3. Anniuers. suæ assumptionis.

S. Petri prærogatiuæ.

Petri supra ceteros Apostolos, totiúsque Orbis Christianos eminentiam ostendunt variæ prærogatiuæ, ipsi singulariter indultæ: quarum I. est, nominis commutatio. Ioan. 1. *Tu es Simon, filius Iona, tu vocaberis Cephas*: in qua nominis commutatione mysterium latere solet, vt de Abraham, Sara, Israël, ex Genesi constat.

I. Nominis cōmutatio.

Gen. 17.

II. Nomen. Petræ.

II. Prærogatiua est, quòd nomen ei Dominus à se deriuatum indidit: (Petra enim erat Christus) dicens: *Tu vocaberis Cephas*, id est, Petra; Græcè, caput, vt Hieron. in 2. cap. ad Galatas notat. Leo epist. 89. serm. 3. de Aniuers. suæ assumpt. *Quæ mihi potestate sunt propria, facio tibi participatione communia.*

III. Primo loco nominatur Petrus.

III. Prærogatiua est, quòd licet Petrus nec vocatione, nec senio primus Apostolorum fuerit, attamen vbique primus nominetur. Matth. 10. *Primus Simon, qui dicitur Petrus*. Marci 3. Lucæ 6. Actor. 1. Quibus verbis Matthæus significauit, primatum, de quo Apostoli sæpius contenderant, diuina sorte obtigisse tandem Petro, qui primus Christianorum Pontifex fuit.

Eusebius in Chronico anni 44. à Christo nato.

IV. Petrus passim vti reliquorum Apostolorum caput proponitur.

IV. Est, quòd in Scripturis passim describatur vt paterfamilias, vt dux, & princeps ceterorum. Marci 1. *Simon Petrus, & qui cum eo erant.* Marci 16. *Discipulis eius & Petro.* Lucæ 8. *Petrus, & qui cum eo erant.* Lucæ 9. Actor. 2. *Stans Petrus cum vndecim.* Actor. 5. *Petrus & Apostoli dixerunt.* 1. Cor. 9. *Et Cephas:* vbi seorsim tanquam caput & princeps nominatur, sicut de Michaële dicitur: *Michaël & angeli eius*: Item, *Diabolus, & angeli eius.*

Apoc. 12.

V. Est, quòd omnium Apostolorum Petrus, tanquam eorum os, passim loquatur. Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia.* Luc. 2. *Ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* Ioan. 6. *Ad quem ibimus?* Matth. 16. *Tu es Christus, filius Dei viui.* Cyril. lib. 12. in Ioan. cap. 64.

V. Petrus os Apostolorum. Chrysost. hom. in Matth. vocat os Apostolorum.

VI. Solus super aquas ambulat, in typum, quòd omnes populos tanquam Christi vicarius regeret. Bernardus lib. 2. *de consideratione ad Eugenium.*

VI. Petrus super aquas ambulat. Matth. 14.

VII. Solus se in mare misit, in typum, quòd solus gubernandum acciperet seculum, per mare designatum. Barnardus ibidem.

VII. Petrus in mare se demittit.

VIII. Quòd primus Apostolorum Christi diuinitatem, & VERBI incarnationem intellexerit, & confessus sit. Hilarius hoc notat in Psal. 131. & lib. 6. *de Trinit.* vocans Petrum *primum confessorem.*

VIII. Primus confessor Diuinitatis Christi. Matth. 16. Leo serm. 2. de nat. Petri & Pauli.

IX. Quòd ipsius cathedræ perpetua stabilitas promissa sit: *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Quibus verbis non solùm Ecclesiæ, sed etiam Petræ, supra quam fundatur Ecclesia, firmitas dicitur. Qualem promissionem quia reliqui Apostoli non habuerunt, sedes eorum atque successio defecerunt.

IX. Cathedræ stabilitas Petrò promissa. Aug. in Ps. contr. part. Donati.

X. Est, quòd Dominus pro se & Petro tributū soluit: vnde Apostoli collegerunt, sibi antepositum esse Petrū, vt Chrysostomus ibi notat.

X. Tributi solutio. Matth. 17.

XI. Quod Christus Petri naviculā ingressus fuerit, ex ea docuerit, vt

XI. Christus in naui Petri

ingressus. Lucæ 5.

intelligeremus, Christi doctrinam in ea Ecclesia tradi, cuius gubernator est Petrus. Ambros. serm. 11.

XII. Oratur pro Petro. Lucæ 22.

XII. Soli Petro dictū est: *Orani pro te, vt non deficiat fides tua:* Item: *Confirma fratres tuos.* Quibus verbis Dominus significauit, Petrum fore caput, & principem fratrum. Aliorum enim status est certior futurus, si mens principis victa non fuerit. Leo serm. 3. *de Anniuersario suæ assumptionis.* Theophylactus in Lucam.

XIII. Primus Christum redituum inter Apostolos vidit. Lucæ 24. 1. Cor. 15.

XIII. Est, quòd Petrus virorum primus Christum resuscitatum viderit. *Visus est Cephæ, & post hoc vndecim.*

XIV. Primò eius pedes lauantur. Ioan. 13.

XIV. Est, quòd primùm Dominus Petro lauerit pedes. Ioan. 13. Augustinus ibidem.

XV. Consortiū crucis et prædictum. Ioan. 21.

XV. Est, quòd Dominus soli Petro mortem, & genus mortis prædixerit; vt sicut consors nominis, ita & crucis socius esset.

XVI. Soli dicitur: Tu me sequere.

XVI. Soli Petro Dominus ait: *Tu me sequere*, tam in officio pastoris, quàm in genere mortis.

XVII. cœtum fidelium conuocat.

XVII. Est, quòd Petrus, velut Dominici gregis princeps, cœtum fidelium cōuocat, & in locum Iudæ alium eligi curat. Chrysost. ibidem.

XVIII. Primus Euangelium accepto Spiritu sancto promulgat. Actor. 2.

XVIII. Est, quòd primus accepto Spiritu sancto Euangelium promulgat, multáque hominum millia Ecclesiæ incorporat, astantibus vndecim, & quæ ab illo dicebantur, comprobātibus, quorum omnium os erat. Chrysost. in 2. c. Act.

XIX. Primus miraculum edit post Domini ascensionem.

XIX. Est, quòd primus in fidei Christianæ confirmationem, post Domini Ascensum fecerit miraculum, & quidem solidando bases Paralitici, vt sic totius Ecclesiæ vicæ Christi fundamentum esse demonstraret. Ambros. serm. 69.

XX. Tanquam Iudex hypocrisim punit.

XX. Est, quòd tanquam summus Ecclesiæ, loco Christi, Iudex, Hypocrisim Ananiæ & Saphyræ detexit, & morte puniuit. Act. 5.

XXI. Omnes fideles visitat. Act. 10.

XXI. Est, quòd Petrus omnes visitarit, singulorum curam gerens, vt Chrysost. in cap. 9. Actor. obseruat.

XXII. Primus audiuit, gentibus Euang. præd. Act. 10.

XXII. Est, quòd speciali visione ostendatur ei, gentibus esse prædicandum Euangelium: eique tanquam capiti dicatur: *macta, & manduca.* Hieron. in epist. *ad Saluiam* scribit, Cornelium primum ex gentibus salutem dedicasse. Idem ait Chrysost. hom. 22. in Acta.

XXIII. Ecclesia pro ipso orauit. Act. 12.

XXIII. Est, quòd Ecclesia pro Petro captiuo sine intermissione orauerit, sollicita de suo pastore: quam Deus exaudiuit, insigni miraculo Petrum liberans, vt Chrysost. ibi notat.

XXIIII. Petrus Cōcilij caput. Act. 15.

XXIV. Est, quòd Petrus in Concilio primus loquitur, & quæstionem de legalibus institutis, velut supremus in Ecclesia iudex dissoluit, excitatámque contentionem terminat: Iacobus & alij sequuntur, vt obseruat Hieron. epist. 11. inter Augustini epistolas.

XXV. Cōcilij sententiam firmat & promulgat.

XXV. Concilij decreta confirmat & promulgat.

XXVI. A Christo baptizatus est.

XXVI. Est, quòd Christus Petrum suis manibus baptizauerit, & per illum Andream, Iacobum, & Ioannem, qui deinde alios Apostolos baptizarunt, Euodio teste in epistola sua; Euthymio in 3. cap. Ioan. Nicephoro, lib. 2. hist. cap. 3.

XXVII. Pastoris supremi officiū à Christo accepit.

XXVII. Est, quòd Petrus solus à Christo sit Episcopus ordinatus: cæteri autem per Petrū, Episcopalem consecrationē acceperunt, vt ostendit Ioan. *de turrecrem.* lib. 2. *de Eccl.* c. 32. de Iacobo refert Anacletus ep. 2. Eusebius lib. 2. hist. c. 1. Vnde passim veteres aiunt, ordinem sacerdotalem à Petro cœpisse. Anacletus epist. 1. Cyprianus lib. 4. epist. 8 lib. 1. epist. 3. Leo epist. 89. & serm. 3. *de sua assumpt.*

XXVIII. Simonem Magum vicit. Act. 8.

XXVIII. Est, quòd Petrus Simonem Magum, patrem omnium hæreticorum primus detexit, posteáque Romæ extinxit, vt refert Clemens lib. 6. Constit. cap. 7. Egesippus lib. 3. *Excidy Hieros.* c. 2. Ambros. oratione *in Auxentium.*

XXIX. Romam venit, ibiq; sedem fixit. Leo serm. 1. de natali Sanctorum Petri & Pauli Maximus ser. 1. & 5. Grego. lib. 6. cap. 37.

XXIX. Est, quòd Petrus tanquam Ordinis Apostolici princeps, ad arcem Romani destinatur imperij, ac in omnium regina vrbe sedem, admonitus à Deo, collocauit, vt Lex Euangelica, quæ in omnium salutem reuelabatur, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet.

XXX. Christi apparitio. Gregor. in expos. Psal. 4. pœnitentialis.

XXX. Est, quòd Christus Petro fugam capessenti apparuit, eíque dixit: *Venio Romam, iterum crucifigi*, teste Egesippo, lib. 3. *de Excidio Hieros.* cap. 2. Ambros. oratione *in Auxentium* Athanasio *in Apologia de sua fuga.*

XXXI. Patriarchales sedes instituit. Concil. Nicenum can. 6. Anacl. epi. 3. Leo epist. 53. Gregor. lib. 6. epist. 37.

XXXI. Est, quòd illæ solæ Patriarchales sedes habeantur, quas Petrus fundauit: quarum I. est Romana, in qua Petrus sedit & obiit: II. Alexandrina, in qua Petrus per se (iuxta Nicephorum lib. 14. cap. 5. primùm, deinde per Marcum. Aphricæ præsedit: III. est Antiochena, in qua B. Petrus resedit 7. annis, & postea per Euodium, Asiæ & Orienti præsedit. Hierosolymitanus Episcopus, Patriarcha nomine habebatur potius, quàm re: nam Cæsariensi, tanquam Metropolitano suberat, vt patet ex Concilio Niceno. can. 7.

Accessit postea Constantinopolitanus (Imperatorum sollicitatione) Patriarchatus, vt ex Concilio Constantinopolitano I. & Chalcedonensi constat. Ex institutione igitur Petri, veteres illæ Patriarchales sedes dignitatem, authoritatémque suam acceperunt.

XXXII. Festum cathedræ Petri. Aug. serm. de sanctis. Bedæ in Martyrologio. Aug. lib. 2. de Bapt. cap. 1. Matth 16. Lib. 2. contr. Petilian. cap. 51. Optatus lib. 2. cont. Parmenianum.

XXXII. Est, quòd celebretur festum institutionis Episcopatus Petri, sub nomine cathedræ Petri, ex qua tota Ecclesia docetur, in fide confirmatur, aduersus quam neque infidelium vis, neque Paganorum sæuitia, neque hæreticorum aut schismaticorum perfidia, rebellio, neque inferorum portæ vnquam præualuerunt, aut præualebunt. Hanc cathedram vniuersæ hæreses oppugnarunt, sed per eandem contritæ sunt, damnatæ, oppressæ, sepultæ. Donatistæ vocabant *Cathedram pestilentiæ*, Augustino teste.

Sed Catholici omnes tam Imperatores, quàm Reges & Princeps, & Patriarchæ, Episcopi, ceterique Christiani Petri cathedram, velut Ecclesiæ matrem, summis honoribus prosecuti sunt, vt videre licet in libro Charissimi Confratris D. Thomæ Stapletoni, *De magnitudine Romanæ Ecclesiæ.*

Thom. Stapleton de magnitudine Ro. Ecclesiæ.

Postrema prærogatiua sit, quòd olim in literis, quæ *Formatæ* appellantur, post nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Petri nomen apponi soleat. Et hodie quoque in Notariorum instrumentis annus Pontificatus, & nomen Pontificis exprimi consueuit.

XXXIII. Anni Pontificatus in litteris expressio. Optatus lib. 2. contr. Parmenianum.

Quod autem primatus Petri, atq; prærogatiuæ supradictæ præcipuæ ad Petri quoque successores pertineant, vel inde conuincitur, quòd Ecclesia militans vno summo pastore ac duce, quamdiu in lucta & via est; indigeat. Non enim potest ouile sine pastore esse, nec ædificium sine architecto. Non enim Christus fideles cum Petro viuentes solos curauit, qui seusque ad finem seculi cum suis futurum esse promisit. Manet equidem dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine Petræ perseuerans, susceptæ Ecclesiæ gubernacula non

Concil. Mileuit. can. 20. Primatus Petri in successoribus perseuerat. Aug. lib. de Pastor. c. 1. Leo serm. 2. de anniuers. suæ assumpt. Petrus Rauen. in epist. ad Eutych.

reliquit. In successoribus enim viuit, & in propria sede præsidet, fideiq; veritatē quærentibus præstat.

Accedit, quòd vnitas Ecclesiæ omni tempore vnum visibile caput requirat. Non enim vna esset, si reguminis forma cōmutaretur. Quòd autem Ecclesia vnum corpus sit, habens visibile caput, insinuat Apostolus dicens: *Non potest dicere caput pedibus: non estis mihi necessarij.* Quòd autem Petro aliquis successerit electione, non minùs quàm in Synagoga Aaron Pontifex carnali generatione, luculenter ex Pontificum Romanorum continua serie demonstratur. Dum enim ex Christi instituto ac iure diuino aliquis in Episcopatu legitima electione Petro succedit, à Christo pontificatum immediatè accipit, summámque potestatem ordinariam gubernandi totam Ecclesiam. Hinc Romana sedes, *Apostolica*, & Romani Episcopi potestas, *Apostolatus* nuncupatur, quia solus Episcopus Romanus, Apostolo Petro, in Episcopatu & Apostolatu, quantum ad totius Orbis curam, munus docendi omnes gentes, fidemque propagandi, succedit. Quare per antonomasiam Papa, quasi patrum pater, & vniuersalis Patriarcha, Princeps Sacerdotum, sanctissimus Pater, Vicarius Christi, caput & fundamentum Ecclesiæ nuncupatur. Primarius quidem Ecclesiæ sponsus est Christus, qui Ecclesiam spiritu tuo fœcundat, & semine suo (quod est verbum Dei) filios generat: attamen Doctor & Magister Christianorum secundarius est, qui generationi filiorum Ecclesiæ, tanquam verbi Dei & Sacramentorum minister, extrinsecus cooperatur.

Cùm itaque Romanus Pontifex, Christi vicarius, Petrique successor summum in Ecclesia dignitatis gradum, amplissimámque in omnes cuiuscunque gradus & conditionis fideles habeat iurisdictionē, non à synodicis aut humanis constitutionibus, sed à Christo immediatè acceptam: consequitur, non solùm Imperatores, Reges, Episcopos & Patriarchas singulos, sed etiam vniuersos in Concilio quantumuis generali cōgregatos, eidem tanquam vniuersali Ecclesiæ pastori subesse, atque ipsum Concilij acta, decreta, & definitiones posse irritare, vel confirmare; vt Concilium Chalcedonense in epistola ad Leonē confitetur. Concilium Lugdunense, Florentinum, & Constantiense definierunt, Romanum Pontificem totius Ecclesiæ caput & fundamentum esse, Christique vice eidem præsidere, qui non ab hominibus, sed à Deo factus est Rex super Sion, Ecclesiæ sponsus, totius ouilis pastor, caput super omnem Ecclesiam, à quo promanat omnis, quæ in Ecclesia est, authoritas.

1. Cor. 12.

Numer. 20. Iudicum 20.

Pontifex à Christo immediatè pontificatum intercedente legitima electione accipit.

Aug. epi. 162. Bernardus epist. 190.

Pontifex rectè caput & fundamentum Ecclesiæ secundariū dicitur.

Ioan. 3.

Belarm. li. 2. de Rom. Pontifice, cap. 31.

Pontifex super Concilijs seorsum considerandus.

Psal. 2. Ephes. 5. Ioan. 10.

CAP. CXVIII.

De Ministro Sacramenti Ordinis.

EXpositis variis ministeriorum Ecclesiasticorum gradibus, in quibus Sacramentum Ordinis velut sedem obtinet, nunc de legitimo huius Sacramenti ministro differendum est, ad quem videlicet electio, ordinatio, vocatio, missio & institutio pertineat. Electio autem, est designatio certæ personæ ad ecclesiasticum ministerium. Ordinatio, est ritus sacer, quo persona ad Ecclesiasticum ministerium initiatur. Vocatio, Missio, seu Institutio, reipsa ministrandi ius tribuit, præsulem atque pastorem facit.

Rursus, Electio fit aut à solo Deo, quomodo Abrahā, Moyses, Aaron, Prophetæ,

Minister ordinis.

Electio.

Ordinatio.

Institutio.

Electio aliquando à solo Deo,

ubinde & ordinariè à Deo per homines.

Prophetæ, atque Apostoli electi sunt, ac inter eos Petrus in Christianorum Pontificem, vel à Deo per homines: idque vel naturali propagatione, quomodo Aaronis filij ad Sacerdotium perueniebant:

Electio ministrorum Ecclesiæ.

aut voluntaria hominum electione. Et quidem aut vnius, quomodo Clementem Petrus, Timotheum & Titum Paulus elegit: aut plurium, quomodo Diaconi in Actis electi fuere. Et si à pluribus electio fiat, aut fit à populo, vel à principe nomine populi, aut à Clero, vel ab vtrisque. Ioannes

Ioannes Hus art. 8. 22. & damnatus in Cõcil. Cõstantiens. sess. 8. & 15.

Vvicleff & Hus à Deo solo pastores eligi posse docuerunt, quia pij & prædestinati esse debeant, qui soli Deo noti sunt. Quorum doctrina in Concilio Constantiensi damnata est, quia ex Scriptura notorium est, non solùm prædestinatos eligi, vt constat de Saule, Ieroboam,

1. Regum. 10. Ioan. 6. Acto. 6.

Iuda proditore, Nicolao Diacono, & aliis, perpetuúsque Ecclesiæ vsus attestatur, Deum Apostolis, eorúmque successoribus commisisse ministrorum Ecclesiæ delectum. Non enim decuit, Sacerdotes iuxta ritum Melchisedech offerentes, carnaliter nasci, sed iuxta

Isaiæ 66.

Isaiæ vaticinium *ex omnibus gentibus elegi*, vt probi & sapientes haberentur, qui continere, spiritualibúsque rebus vacare deberent, quales facilius electione, quàm carnali propagatione reperiuntur.

Christus propria authoritate ministros Ecclesiæ elegit.

Quòd autem electio ministrorum Ecclesiæ ad populum iure diuino minimè pertineat, Christi exemplo euincitur, qui primùm XII. Apostolos, ac deinde LXX. Discipulos absque populi suffragio elegit, ipsósque ad gubernandum Ecclesiam, fundandum, instruendum, & pascendum

Ioan. 20.

authoritate sua misit, dicens eis: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Matth. 28.

Rursus: *Ite, docete omnes gentes.* Et Petro singulariter: *pasce oues meas.* Ioan. 21.

In veteri denique Lege Deus per Moysen absque populi consensu Sacerdotes elegit; & obmurmurantes insolita morte damnauit. Legitimus autem Sacerdos est, qui à Deo vocatur, tanquam Aaron. Longè siquidem alia ratio est regiæ, aut cuiuscúnque terrenæ potestatis, & Ecclesiasticæ. Nam cùm omnes naturaliter sint liberi, politica potestas in populo residet eligendi magistratum sibi necessarium, donec eam in vnum, aut plures transtulerit: at Christiana Respublica nunquam huiusmodi libertatem, Regem sibi eligendi habuit, cùm non ipsa Regem Pastorémque suum præcesserit, sed à Christo Rege suo instituta fuerit, qui visibilem præsentiam è terris subducturus, Vicarium suum Apostolum Petrum esse voluit, cui vni pascendi oues curam demandauit, ad quem proinde ipsiúsque successores ius eligendi ministros Ecclesiæ ordinatione diuina pertinet. Modum autem eligendi, opitulatores in officio pascendi dominicum gregem præscribere, ad summi Pontificis authoritatem spectat; quod agnoscens Petrus, absque populi aut cleri Romani consensu, sibi Clementem successorem designauit; & Rauennam Apollinarem; Treuiros autem Maternum, & Aquileiam, Hermagoram transmisit. Similiter Paulus & Barnabas per ciuitates authoritate Apostolica Presbyteros & Episcopos, Diaconos, aliósque Ecclesiæ ministros ordinabant. Si quid ergo Laicis vnquam in cleri electione competijt, id ex Pontificis, aut Episcoporum concessione acceperunt, quomodo Petrus Diaconorum designationem fidelibus commisit, quos ta-

Politica potestas naturaliter in populo residet, ad eligendum sibi magistratum.

Ecclesiastica potestas immediatè à Christo est deriuata in Petrum.

Apostoli Ecclesiæ minist. suæ authoritate ordinatũt.

Act. 14. 1. Timo. 4. Ad Titũ 1.

Laicis ius eligendi competit.

men ipse ordinauit, ne, inquit Chrysostom. *alicui videretur gratificari*. Vndè Cyprianus in plebis præsentia sacerdotes eligi consueuisse scribit, vt publico testimonio idonei comprobarentur: populi verò desiderium, publicúmque testimonium, erat veluti postulatio, non autem ordinatio. Quibusdam locis consuetudo inualuit, vt etiam Laici suffragium in electione haberent, quæ aliquamdiu tolerata, sed propter incommoda subsequentia, mox improbata fuit, vt patet in concilio Laodiceno cant. 13. in Concilio Niceno II. cant. 3. Concilio IV. Constantinopolitano cant. 28. vbi prohibetur, ne quis secularium se immiscerat Episcoporum delectui, quia popularis electio tumultibus plena esse soleat, vt Chrysosto. libr. 3. *de Sacerdotio* conqueritur. Et August. epistola 110. & 125. Ruffinus libr. 11. cap. 10. & 11. Ammianus libr. 27. in electione Damasi, refert, cæsos fuisse viros centum triginta septem. Nunc verò, plerisque locis, populi vice princeps sic electiones moderatur, vt nemo ad primariam dignitatem, nisi gratus illi promoueatur. Quod ex Apostolica concessione, aut vsurpatione obtinuit. Nam Carolo Magno Adrianus primus, ius eligendi Romanum Pontificem indulsit: quod priuilegium Leo VIII. ad Othonem extendit: sed tandem post multas contra Germaniæ Reges & Imperatores controuersias decretum est, Romani Pontificis electionem à solis Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus fieri debere, qui mos nunc permanet.

Act. 6. Chrysost. hom 1. in acta. Cyprian. li. 1. epist. 4. Leo ep. 89. Concil. Carthag. 4. can. 12.

Theodoretus lib. 4. hist. c. 6.

Princeps vice populi suffragium dat.

Gratianus dist. 63.

Alexan. III. in Cōcil. Lateranen. cap. Licet, extra de electione.

CAP. CXIX.

De Ceremoniis, quibus Minister ordinando vtitur.

EPiscopus ministros Ecclesiæ ordinando, duplici Ceremonia vtitur, instrumentorum porrectione, & manuum impositione, sub qua inunctio continetur. Quarum ceremoniarum vtraque ad Sacramenti ordinis essentiam pertinet, suúmque peculiaremque effectum producit. Nam presbytero in ordinatione duplex potestas confertur, quæ vnam sacerdotalem absoluit. Et quidem hæ duæ potestates duabus etiam distinctis Ceremoniis conferuntur. *Prior*, conficiendi Eucharistiam, dum Episcopus Presbytero futuro patinam cum hostia, & calicem cum vino porrigit, dicendo: *Accipe potestatem offerendi sacrificium*, &c. *Posterior* autem, absoluendi à peccatis, per manuum impositionem Episcopi accipitur, dum post Missam ait: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata*, &c. Christi enim exemplo, qui has duas potestates diuisit, quando Apostolos sacerdotes ordinauit, vnamdando in Cœna, alteram verò post Resurrectionem Ecclesia similiter duabus Ceremoniis duas has potestates, vnam absoluentes sacerdotalem tribuit. Ideoque Concilia subindè prioris Ceremoniæ, aliquãdo posterioris mentionem faciunt, supponẽtes, vna parte essentiali cõmemorata, subintelligenda esse reliqua omnia, vsu recepto adhiberi cõsueta. Quod etiam significant Innocent. III. & Gregor. IX. *de Sacram. non iterandis*, cap. *Pastoralis*, & cap. *Presbyter*, docentes, Ceremoniam rite semel peractam non esse

Ceremoniæ ordinũ.

Sacerdotiũ duplicem potestatem complectitur.

Concil. Florent. Cõcil Carthag 4.

repetendam, sed si quid omissum sit, esse supplendum.

Cypria. ser. de chrismate. Vngitur caput episcopis, manus autem Presbyteris. Quæ inunctio Sacramentalis est, accidentaria tamen, non essentialis. Cuius meminit Dionysius Areopag. libr. *de Eccles. Hier.* cap. 4. Gregor. lib. 4. in lib. Regum c. 5.

Christus materiam singulorũ. ordinum genetatim instituit. Si quis inquirat, vtrùm Christus materiam singulorum Ordinum instituerit? RESPONDEO instituisse generatim, vt Apostoli ordines conferrent per Ceremoniam instrumentorum, quibus collata potestas significaretur.

CAP. CXX.

De qualitatibus Ordinandorum.

Qualitates ordinandorum. 1. Timot. 3. ad Titum 1. SAcris initiandi tales sint, quales Apostolus esse debere ad Timoth. & Titum describit, & Concil. Trident sess. 23. cap. 11. & 12. scilicet ætate, scientia, pietate, vitæ ac morum integritate conspicui, vt aliis vitæ exemplo præfulgeant: innocentiæ, virtutis, atque doctrinæ lumine aliis præeant; Christianæ fidei mysteria, diuinæque legis præcepta tradendo, fideles ad cultum Dei excitando, & à vitiis reuocando. Sunt enim duo præcipua Sacerdotũ munera: prius est, Sacramenta conficere ac dispensare: posterius est, populum sibi commissum in rebus ad salutem pertinentibus erudire. *Labia* Malach. 2. enim *Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius.* Non tamen in omnibus par scientia exigitur, sed tanta, quanta ad suscepti officij exsecutionem sufficiat.

Quæ verò in singulis ordinibus ætas necessaria sit, decernit Concil. Trident. sess. 23. ca. 12. Subdiaconatus annum XXII. Diaconatus XXIII. Presbyteratus annum XXV. requirit. Vnusquisque autem à proprio Episcopo, vel illo permittente, ab alio ordinandus est: suspensionem alioqui tam ordinans ab ordinum collatione, quàm ordinatus ab ordinum exsecutione incurret.

A Sacerdotio repellendi. A Sacerdotio repellendi sunt pueri, furiosi, amentes, mulieres, sanguinolenti, homicidæ, spurij, illegitimi, mutili, corpore notabiliter deformes, infames personæ, & quæcũq; habent, ob quòd ab aliis meritò sperni posse videantur. Sacerdotem enim decet, ministerium suum corporis maiestate, habitu, verbis, gestu, omnique vitæ actione commendare. Si enim ad carnalis Sacerdotij munus, corporis integritas Leuitici 21. tanta cura exigebatur, quanto magis ad spirituale Sacerdotium insignis munditia morum? vt Gregor. lib. *de curâ pastorali* parte 1. cap. 11. admonet, ostendens, per corporis vitia, significata fuisse animæ peccata.

Et quia Ecclesiæ præsules oportet non solùm à vitiis immunes esse, sed præterea idoneos ad virtutes eximias celebrandum, ideò bigami à sacris ordinibus arcentur, sicut Apostolus viduam eligi decernit, quæ vnius tantùm viri fuerit vxor. Vbi manifestum est, non de polygamia (quæ nunquam apud Christianos licita fuit) sed de bigamia sermonem esse. Qui enim plures habuit vxores, normam Sacramenti amisit: non enim idoneus est ad significandum Christum, vnius Ecclesiæ sponsum.

1 Timot. 3. Ad Titũ 1. Epiphan. hæresi 59. 1. Timo. 5. Ambro. li. 10. Epist. 82. Aug. lib. de bono coniugali. 18.

Triplex autem est bigamia: *vera et propria*, dum quis pluribus vxoribus commiscetur: *interpretatiua*, vt dum viduam quis in vxorem ducit: & *metaphorica*, dum quis post emissum solenne votum vxorem accipit.

Leo epi 88. Chrysost. hom. 2. ad Titum. Bigamia triplex.

CAP. CXXI.

De Cælibatu, seu continentiæ voto, sacris ordinibus annexo.

Cælibatus sacris ordinibus annexus.

CVm naturalis ratio dictet, sancta esse à sanctis tractanda, iure optimo sacris ordinibus ad sanctissimum mysterium peragendum institutis, Ecclesiastica lege annexum est continentiæ votum, ita vt neque antea ductis vti, neq; postea vxorem habere liceat. Nam si populus ille carnalis, legem à Deo accepturus, ab vxorum amplexu continere iubebatur, quantò æquibus est, noui Testamenti Sacerdotibus, & ministris Altaris, in quo Virginis corpus offertur, continentiam imponi? vt Ambros. libr. 1. offic. ca. vltimo colligit. Et comesturis agnum Paschalem præcipitur, vt renes accingant, in typum, quòd carnis voluptates edomare debeant, qui corporis Christi participes futuri sunt, iuxta Gregor. hom. 22. in Euang.

Exodi 19.

Exodi 12.

Aaron & filij tabernaculum ingressuri, feminalibus lineis à renibus vsque ad fœmora tegi debent, in typum, quòd noui Testamenti Sacerdotes continentes essent, interprete Beda, libr. *de tabernaculo* cap. 9.

Exodi 28.

Achimelech propositionis panes Dauidi edendos tradere distulit, donec ab eo intellexisset, vasa puerorum ab vxorum amplexibus esse munda, figurans, Sacerdotibus perpetuam esse necessariam continentiam, qui Christi Corpus quotidie conficiunt, edunt, & dispensant, vt notant Hieronymus in cap. 1. ad Titum.

1. Reg. 21.

Adhæc Sacerdotes ministerij sui tempore in tabernaculo versari solent, ab vxoribus semoti: vnde colligunt doctores, noui Testamenti Sacerdotes, qui non per vices, sed quotidie, altari deseruiunt, semper ab vxoribus abstinere debere.

Lib 1. Paralipom. c. 24.

Luce 1. Beda in 1. c. Lucæ.

Denique Apostolus etiam coniuges, vt orationi vacent, ad tempus continere statuit: quantò magis Sacerdotes orationi continuò insistentes, ab omni nuptiarum opere vacuos esse decet?

1. Cor. 7. Hieron. in 3. c. ad Titum.

Recte proindè Apostolus dixit: *Oportet Episcopum esse sanctum, continentem*, scilicet ab vxoris amplexu. Nam episcopus Deo strenuè militare tenetur, quòd negotiis secularibus implicitus minùs potest, Basilio teste *in proœmio constitutionem Apostolicarum*. Nam orare, docere, exhortari, Sacramenta ministrare, pauperum curam gerere, liberalitatem hospitalitatis exercere, coniugatis pro liberis & familia sollicitis, minùs integrum esse solet.

Ad Titū. 1

CAP. CXXII.

De Horis Canonicis.

Septem horæ Canonicæ.

QVemadmodum Ecclesia maioribus ordinibus cælibatum, ita & certam orandi formulam annexit, septem Canonicis Horis contentam, quam Paulus Samosatenus, veluti superfluam, Eusebio teste, atque Vigilantius, Hieronymo, Vvaldenses autem, veluti Christianæ libertati derogantem, improbarunt: quos Hussitæ, nostríque seculi hæretici sequuti sunt. At Deo acceptissimum esse, quòd certis hymnis & canticis, Psalmorúmque lectione vel decantatione laudetur, ex illo Apostoli ad Ephesios 5. patet: *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobis metipsis in Psalmis & hymnis,*

Eusebi. li. 7. histor. c. 25. Isido. lib. 2. de offic. ca. 22. Hieron. in epist. ad Ripariū cont. Vigilātium Thom. Vvaldens. tom. 3. c. 21. Æneas Sylvius lib. de orig. Bohemorum c. 35.

& Canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino; gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & Patri. Nobis inetipsis autem loquimur, quando alternatim Psalmos canimus, & hymnis laudes Dei personamus, exemplo Angelorum, alternatim clamantium: *Sanctus, Sanctus*, &c. Quin & Domini exemplum imitamur, qui cum Discipulis hymnum dixit; & Dauidis de se affirmantis: *Vespere, & manè, & meridie narrabo & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.* Et: *Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi.* Et: *Prauenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* Quin & 7. horas canonicas adumbrans: *Septies*, ait, *in die laudem dixi tibi.* Similiter Danielem, aliósque Sanctos constitutis temporibus, certóque precandi modo orare solitos, Scriptura tradit: quem vsum etiam Apostolos obseruasse, ex Actis liquet: *Petrus & Ioannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam.* Paulus & Silas circa medium noctis Deum laudant. Iacobus in Ecclesia Hierosolymitana, vsum certi officij diuini constituit, Beda teste in c. 4. Lucæ 9. Clemens lib. 8. *Constit. Apost.* c. 34. horarũ septem canonicarum meminit. Tertullianus *in Apologetico* c. 2. Cyprian. *in expos. orationis Dominicæ*, Basil. *in regulis* fusiùs disputatis ad interrogationem XXXVII. Ambros. lib. *Hexaëm.* in expositione V. diei, exẽplo auium manè & vesperi cantillando laudes suo creatori deferentium, confirmat, homines debere vesperi & manè orare. Beda in c. 18. Lucæ illum semper orare docet, qui horis canonicis Deum quotidie laudare non desistit.

Isaiæ 6. Psal. 118. Daniel. 6. Act. 3. Act. 16.

Quando Clerici peccent, omittendo Horas Canonicas, prosequitur latè Nauarrus *in Enchiridio confessariorum* c. 25. nu 97. 107.

CAP. CXXIII.

De Clericorum stipendio.

Sacerdotũ stipendia.

SIcuti Regibus, Militibus, Iudicibus, Magistratibus, & alijs Reipublicæ ministris, stipendia vitæ sustentandæ necessaria, ex publico constitui cernimus: ita iure diuino, naturali, & positiuo ijs, qui populo in spiritualibus rebus deseruiunt, animarum salutem, communéque Christianæ Reipublicæ bonum promouent, à populo necessaria eis tribui rectissimè constitutum est. Id præfigurãs Abraham, Sacerdoti Melchisedech decimas omnium obtulit, suo facto principes edocens, quantumuis victoriosos, vt ministrorum Christi, Sacerdotis æterni, secundùm ordinem Melchisedech, intercessione se indigere agnoscentes, liberali rerum suarum oblatione honorent.

Gen. 14.

Decimæ ministris Ecclesiæ conuenienter assignatæ.

Et quia Deo summa perfectio est tribuenda, eidem conuenientissimè in suis ministris decimæ offeruntur, cùm denarius numerus perfectionem denotet. Vnde Iacob etiam decimas Deo vouit; & per Moysen Sacerdotibus decimas ipse Deus assignauit. Et à regibus Ægypti, alimenta ex publico Sacerdotibus tributa fuisse legimus. Quin & Dominus ordinauit, eos qui Euangelium annuntiarent, de Euangelio viuere: & qui altari seruirent, de altari participare.

Gen. 28. Leui. in vlt. Numer 18. Malach. 3. Matth. 10. 1. Cor. 9.

Quamuis autem præceptum de decimis præstandis, vt iudiciale fuit in veteri lege, Christianos non obliget; attamen vt præceptum morale includit, alimenta videlicet Ecclesiæ ministris à populo esse submini-

stranda, etiam in nouo Testamento locum habet: imò tantò magis, quantò iustitia Christianorum excedere debet iustitiam Pharisæorum, vt docet Clemens lib. 2. *Constit. Apost.* cap. 29. 38. 39. & lib. 8. c. 36. & alij scriptores Ecclesiastici. Videatur Augustinus in Psal. 146. lib. 50. hom. 48. serm. 219. *de Tempore*. Concilium Lateranense sub Innocent. III. c. 54. & sequentibus docet, ante omnes census & tributa, decimas esse persoluendas. Concilium Constantiense sess. 8. damnat articulum Vvicleui, asserentis, decimas esse puras eleemosynas. Concilium Tridentin. sess. 25. c. 12. reform. excommunicat eos, qui decimas Ecclesiæ subtrahunt, aut dare impediunt.

Hier in 3. c. Malach. Aug. serm. 219. de tẽp. Chrys. ho. 43. in 1. ad Cor. & ho. 35 in Gene. Greg. hom. 16. in Euãg. S. Tho. 2. 2. q. 87. ar. 1.

Accedunt Pontificum decreta, 16. quæst. 1. *& extra, de Decimis*, necnon VI. & *Clementinis*, & *Extrauagantibus*. Quibus locis traditur, decimas Clericis deberi, tanquam laborum stipendia. Vnde sequitur, non solùm pauperibus, verùm etiam abundantioribus Ecclesiæ ministris eas rectè persolui, vt Christus Matth. 22. docuit, cùm Iudæorum sacerdotibus opulentis decimas reddi iussit.

Decima quoad quãtitatẽ sunt iuris Eccl.

Matth. 18.

Obligatur autem populus Christianus ad soluendũ decimas, quoad quantitatem, non præcepto diuino, sed Ecclesiastico, cui Dèus obediri voluit, dicens: *Qui Ecclesiã non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. Vnde sequitur, hoc de soluendis decimis præceptum, qua parte diuinum & naturale est, consuetudine vel lege contraria tolli non posse; sed qua parte humanum est, mutari, & contra illud præscribi posse.

S. Tho. 2. 2. q. 87. ar. 1. Item quod-lib. 2. ar. 8. Sylvest. verbo Decima. q. 4. Nauarrus in Enchir.

Triplices verò decimæ reperiuntur: scilicet *Prediales*, quæ ex fructibus terræ solui consueuerunt: *Personales*, ex lucro, vel industria personæ, modo licito acquisito, quæ deductis expensis soluuntur. Ex lucro autem restitutioni obnoxio, vel per notorium peccatum quæsito, decimæ accipi non debent, ne peccatum approbari videatur. *Mixta* est, quæ partim *ex prædijs*, partim *ex industria* prouenit: qualis est agnorum, pullorum, halecum. Præstanda verò est decima secundùm loci cuiusque laudabilem consuetudinem: non quidem optima iure debetur, sed mediocris pars fructuum. Quia tamen in recognitionem supremi dominij Deo exhibetur, cuius *est terra & plenitudo eius*, grati animi testimonium in Creatorem est, optima largiri, prout fecit Abel. Quare instar Cain reprobantur, qui Dei ministris deteriora tribuunt, sibi reseruantes selectiora. *Maledictus* (ait Propheta) *dolosus, qui habet in grege suo masculum; & votum faciens immolat debile Domino, quia Rex magnus ego.*

c. 21. num. 28.

Triplices sunt decimæ.

Psal. 23.

Malach. 3.

2. Paralip. 31.

Prosper lib. 2. de vita contemp. c. 9.

CAP. CXXIV.

Quibus solui debeant decimæ?

Decimæ quibus debitæ.

DEcimæ illi persoluendæ sunt, cui iure aut præscripta legitima consuetudine debentur. Summus enim Pontifex, omnium Ecclesiæ bonorum dispensator, ex causa decimales fructus, iure communi debitos Episcopis, Pastoribus, aliisque cuiusque Ecclesiæ ministris, potest alijs concedere propter obsequium, quod Ecclesiæ præstant, non solùm Canonicis, & Religiosis, verùm etiam Laicis, relinquendo tamen Episcopo, & Pastori loci, competentem portionem. Quia verò Ius percipiendi decimas, spirituale est, nunquam in Laicos

transfertur, sed temporale solùm Ius eis datur percipiendi decimarum fructus, titulo Priuilegij, Feudi, Donationis, Emptionis, Locationis, aut alio simili. Ideo Concilium Lateranense prohibet, deinceps laicis vel tale ius concedi perpetuum. De quo si controuersia incidat (quia spirituale est) ad Iudicem Ecclesiasticum cognitio pertinet.

CAP. CXXV.

Qui ad soluendas decimas obligentur.

Qui decimas soluere teneantur.

OMnes illi ad præstationem decimarum iure communi obligantur, qui Sacramenta in aliqua Ecclesia percipiunt, aut in eius territorio prædia obtinent, nisi Priuilegio, Consuetudine, Præscriptione, Condonatione, aut Pactione rationabili cum Clero initia excusentur. Quare non minùs principes terreni, quam plebeij, ad decimarum præstationem, sepositio priuilegio Apostolico tenentur, cũ Deo subiectionem, à quo cuncta sua accepta, seque Christi, sacerdotúmque patrocinio & intercessione indigere profiteri debeant. Imò, quò vberiùs à Deo temporalia receperunt, eò ampliùs, quæ Ecclesiastici iuris sunt, obseruare, aliósque suo exemplo ad præstandum sacerdotio honorem excitare conuenit; in eo imitantes Abraham, (qui victoria de Amraphel rege Senaar, & Arioch rege Ponti, & Godorlahomor rege Elamitarum, & Thadal rege Gentium, reportata, occurrenti sibi Melchisedech, Sacerdoti Dei Altissimi decimas de omnibus obtulit, vt Genesi 14. refertur; Gen. 14. Ezechiam, Nehemiam, (2. Esdræ 13.) Artaxerxem (1. Esdræ 7.) Demetrium (1. Machabæorum capitulo 10.) sanctissimum Regem Canutum, ob hanc causam martyrio affectum, Comitem Hannoniæ, qui pro defensione iuris decimarum bello decertauit (vt Iacobus Meyerus in histor. Fland. commemorat) memor vaticinij Isaiæ: *Erunt reges nutritij tui, & reges eorum ministrabunt tibi.* Vndè Leo epist. 73. ad Leonem Augustum: *Incunctanter aduertere debes, regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam.* Quod agnoscens Iustinianus, *Nos*, ait, *omni prouidentia curam Ecclesiarum gerimus, per quas & imperium nostrum sustineri, & publicas res per Dei clementiam & gratiam muniri credimus.* Quod Rabanus in Concilio Maguntino capit. 6. Ludouico Regi inculcat: *Quantò Deus excellentior est homine, tantò præstantior est diuina causa mortalium possessione.* Quocirca diuinarum rerum defensor & custos diuinitus constitutus, diligenti curâ non solùm eas seruare, sed etiam multiplicare debet, magisque illa præstantiora, quàm sua defendere illum oportet. Diuus Bernardus epistol. 39. hortatur Theobaldum Comitem, vt se benevolum Ecclesiasticis præbeat, vt eius exemplo vicini discant, religioni debitam exhibere reuerentiam, nec Ecclesiæ res inuitè contingere audeant, cùm fiscus principum, non sacerdotum damnis, sed hostium spolijs augendus sit, deceátque illos thesaurizare in cœlis, quibus nihil deest in terris; vt Sophiam Tyberio Imperatori respondisse legimus.

2. Para. c. 31.

Sapo gramm. lib. 11. hist. Danic.

Isa. c. 49. & 60.

Reges sunt Ecclesiæ, defensores.

Nouella 42.

Paulus diac. lib. 7.

Præterea ad decimas fideliter, plenè & libenter persoluendum,

incitare debet promissa talibus benedictio Malachiæ 3. *Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam, &c.* Ob defraudatas verò decimas, famem, fructuúmque sterilitatem consequi solere, Propheta subnectit. Cuius rei notabile exemplum in historia Ioannis Magni extat. Refert enim, à furente plebe occiso rege Canuto, quia decimas Ecclesiæ persolui vellet, frumentorum penuriam tantam in Dania fuisse obortam, vt populi magna pars inedià periret, nec fertilitatem agris fuisse redditam, donec populus fateretur, se iustissimè nouē partes fructuum amisisse, quia decimam nollet Deo, eiúsque ministris tribuere. Augustinus hom. 49. inter 50. *Nolumus cũ Deo partiri decimas: modò autem totum tollitur. Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus: quia discessit deuotio Dei, accrescit inditio fisci.* Refert & Bernardinus Scardeonius lib. 3. Antiquit. vrbis Patauij, quòd Thomas Capuacius Episcopum loci occiderit, quia decreuisset, ipsum ad decimas agrorum, sub illa diœcesi sitorum, persoluendas obligari: sed iusta Dei vindicta cum priùs opulentissimum, ad inopiam tantam fuisse redactum, vt ære alieno oppressus, in carcere miserrimus interierit.

Lib. 18 hist. Gothorum c. 13.

Ioannes Molanus oratione de decimis c. 7. & 10.

CAP. CXXVI.

Quòd fructuum decimam partem Deo tribui, aquissimum sit.

IN veteri lege Deus sibi, tãquam proprio Israelitarum regi, decimam partem fructuum terræ promissionis, tributi loco dari præcepit, & 48. ciuitates cum suburbanis suis. Quæ omnia Leuitis, vix sexagesimam populi partem constituentibus, assignauit, eosdémque per omnes tribus dispergi iussit, vt facilùs omnes Iudæos in Domini lege instituere possent. In noua similiter lege cùm Clerus copiosor multò sit, quàm in veteri, vbi vnicus erat Pontifex, & pauci Leuitæ ac sacerdotes, in vnico Templo per vices ministrantes; nunc verò innumera Templa, sumptu Ecclesiæ conseruanda, plurimi Episcopi, Prælati, Sacerdotes, Religiosi, Diaconi, aliique infiniti Dei obsequio, rebúsque tantùm spiritualibus pro totius corporis salute vacantes; æquissimum Ecclesiæ visum est, decimam fructuum terræ portionem Cleri sustentationi assignare. Multis equidem singularis excellénsque doctrina necessaria est, ad quam comparandam ingenti studio & sumptu opus est; nec per vices, sed perpetuo Ecclesiæ ministerio incumbendum est: quos quidem omnes pro statu sui conditione est bonis Ecclesiæ viuere iustissimum est. Nam & Dominus ordinauit eos, qui Euãgelium annunciant, inde viuere, & *dignus est operarius mercede sua.*

Num. 1. & 3.

In veteri lege Deus solui decimam partẽ fructuum terræ constituit.

Accedit, quòd spiritualia serentibus, temporalia debeantur; & quòd longè, imò incomparabiliter sacerdotium, ministerúmque noui Testamenti dignitate vetus præcellat, ideóque ampliorem honorem mereatur. Cùm ergo Iudæi, teste Pharisæo, omnium decimas exactissimè soluerint, indignum est, Christianos hac in parte ab illis vinci. *In exultatione* (ait Sapiens) *sanctifica decimas: secundum datum eius, da Altissimo.*

Matth 10. 1. Cor. 9.

Luc 18. Matth. 23.

Eccles. 35. Malach. 3.

Quare commendanda est Principum Christianorum liberalitas, qui non solùm decimas, sed possessiones

Principum in Ecclesiã liberalitas.

Bellar. lib. 1. de Cler. c. 4.

siones insuper amplissimas, dominia, principatus, regnáque Christi Ecclesiæ donarunt, subiecerunt, aut in feuda teneri ab Ecclesia per suos posteros constituerunt.

Cur initio Ecclesiæ possessiones fideliũ in Iudæa venditæ? Act. 4. 5. 6.

Initio quidem Ecclesiæ, dum Apostoli per omnes gentes Euangelium annunciaturi, certas sedes in certis locis figere impedirentur, destruendáque esset (iuxta Christi prædictionem) Ierosolyma; fideles, possessiones suas ibidem vendebant, earumdémque pretia in Ecclesiæ pauperúmque sustentationem Apostolis offerebant: ceterùm postea expedientius iudicatum est, vt possessiones ipsæ donarentur Ecclesiæ, nec solùm præsentibus, sed etiam futuris prouideretur. Vnde plurium Conciliorum decretis cautum est, ne possessiones Ecclesiæ alienentur: earúmque cura Episcopo committitur, qui non nisi de proprijs testari permittitur, can. 40. Apost. Agathen. Concil. can. 48.

Vrbanus 1. in epist. ad omnes Epis. Pius 1. epist. 2.

Possessiones Ecclesiæ vendi prohibentur. Conc Antioch. c. 25. Ancyra. cap. 15. Toletan. 4. c. 32.

Episcopos & Sacerdotes etiam in Primitiua Ecclesia, qui communem vitam non erant professi, secularia bona possedisse, ex Apostolo constat, qui Episcopum hospitalem esse vult, ac qui suæ domui bene præsit. Qualem fuisse Philemonem notat Hieron. & post eum Anselmus. Euseb. lib. 3. hist. c. 19. idem de Christi cõsanguineis refert. Ambrosius epist. 33. Augustinus sermone 1. *de Moribus Clericorum*, Prosper lib. 2. *de Vit. contempl.* c. 12.

Episcopi & sacerdotes nonnulli proprias possessiones Apostolorum tempore habuerunt.

CAP. CXXVII.

De immunitate Clericorum.

Clericorum immunitas.

INter annexa Ordinibus sacris est Clericorum immunitas à secularium Principum iudicijs, quæ partim iure diuino, partim humano inducta est, quoad causas merè Ecclesiasticas, quæ dependent ex Euãgelio, aut Conciliorum decretis (quales sunt controuersiæ de Fide, de Sacramentis, de ritibus sacris, de peccatis & huiusmodi) iure diuino Clerici à secularium Principum potestate liberi sunt. Nam regimen Ecclesiæ, seu rerum spiritualium, à Dei Filio, Homine facto commissum est, non Tyberio Imperatori, sed Petro, & Apostolis, eorúmque successoribus, qui pluribus seculis Ecclesiam feliciter sine Principum secularium patrocinio administrarunt. Cùm enim Apostoli ne quidem Laïcos iudicio apud infideles contendere de negotijs secularibus permitterent, quantò minùs de rebus spiritualibus Clericos? Imò ne quidem ad Imperatorem Christianum, causam Ecclesiæ veteres deferri passi sunt, vt constat ex Concil. Mileuitano can. 13. Matisconensi can. 8. Ambros. epist. 78. August. epist. 162. Sulpitio libr. 2. hist. sacræ. Iustiniano Nouella 83. Gelasio in epistol. ad Anastasium Imperatorem. Gregor. libr. 1. epist. 14. Concil. Chalcedonensi can. 9. Carthaginensi III. can. 13.

Regimen Ecclesiæ à Christo cõmissum est Petro, non Imperatori Tyberio.

1. Cor. 6.

Causæ spiritualium rerum ad forum Ecclesiasticũ pertinent.

Quoad causas verò politicas, & res ciuiles, tam quoad personas, quàm bona, Cleri exemptio iure humano inducta est. Conueniebat enim, ouem de pastore non iudicare, Patrésque spirituales terrenis potestatibus non subesse; nec hominem de Dijs iudicare, quibus Deus claues regni cœlorum concessit: vt Constantinum I. Imperatorem piè exclamasse, Russinus testis est. Iustinianus in nouellis, Clericorum bona à tributis exemit, vsque ad cuius tempora, exempta non fuerant, vt constat ex Theodor.

Exemptio Cleri, quoad bona, & res politicas, est iuris humani.

Li. 10. hist. c. 2. Nouel cõstit. 79. 83. 127.

In codice, lege Sanci-

mus tit. de Sacrosanctis Ecclesijs.

libr. 4. histor. c. 7. Chrysostomo in 13. c. ad Roman. Ambrosio in oratione *de traden. Basilicis.*

Greg lib. 4. epist 75.

Clerici legibus ciuilibus, quæ hominum actiones dirigũt, quando obligẽtur?

Sciendum tamen, clericos ab obligatione legum ciuilium, quæ humanas actiones dirigunt, in rebus temporalibus non eximi, modò sacris canonibus vel officio clericali non repugnent, vt docet Nicolaus I. in epist. ad Michaëlem. Cùm enim Clerici etiam ciuilis Reipublicæ partes sint, vt ciues legibus ciuũ viuere oportet, ne perturbatio Reipublicæ inducatur, vt etiam docet S. Thom. in 13. c. ad Rom.

Clerici per Ecclesiasticum magistratum puniendi.

Si tamẽ in aliquo delinquant Clerici, non per ciuilem magistratum, sed à suo iudice Ecclesiastico punẽdi sunt. Iuxta Concilium Carthag. III. can. 9. Chalcedonense, can. 9. Agathense can. 31. Toleta. III. can. 13. Matiscon. c. 8.

Matth. 17. Ibidẽ Hieronym.

Congruentissimum verò esse, vt Clerici hac immunitate gaudeant, patet ex c. 17. Matth. vbi Christus filios regum libertate frui dicit à tributis, & Gen. 47. idem concessisse Pharaonem sacerdotibus Ægypti legimus. Cuius exemplum pijssimi principes Christiani sequuti sunt, vt

Conc. Trident. sess. 25. c. 20. Priuilegia Eccles. conseruanda.

patet in Conc. Lateranensi sub Innoc. III. c. 46. Concil. Trident. sess. 25. c. 20. decernit, priuilegia & libertates Ecclesiæ, personarúmque Ecclesiasticarum conseruari ac protegi debere.

CAP. CXXVIII.

De Simonia.

Simoniæ definitio.

POstremum sacris ordinibus annexum, est Simonia, quæ in sacrorum ordinum susceptione vel administratione, necnon in omni Ecclesiastica functione cauenda est. Definitur autem Simonia, studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale, aut spirituali annexum. Studiosa verò intelligitur, voluntas consentiens. Emptionis autem nomine intelligendus est, omnis contractus non gratuitus, in quo scilicet pro re aliquid principaliter & immediatè veluti pretium datur aut acceptatur. Si enim temporale acceptetur vel detur, tanquam causa impulsiua, excitatiua, remota, & accidentaria, sine vitio Simoniæ accipi & dari poterit: vt si quis ob honestum finem alicui prælato inseruiat, adiuncta spe beneficij potiundi, per hoc, quòd hac ratione innotescet; vel horas canonicas legat, Ecclesiam frequentet, vt Deo inseruiat, secundariò intendens beneficij fructus, quotidianásque distributiones consequi.

Res spiritualis.

Res autem spiritualis, censetur omne donum supernaturale, ad animarum salutem à Deo indultum: hoc est, res, quam Spiritus sanctus gratiosè & misericorditer operatur. Suntque huiusmodi res multiplices. Quædam purè spirituales: vt potestas ordinis & iurisdictionis Ecclesiasticæ, gratia siue iustificans, siue gratis data, Spiritus sancti dona, effectus Sacramentorum, ius ministrandi altari, vel Ecclesiæ, orandi, psallendi, ac in cœnobio Deo famulandi.

Alia spiritualia quidem sunt, sed temporalibus annexa: vt calix consecratus, actus spiritualis potestatis, beneficia, esse Canonicum, religiosum huius loci. Et inter hæc quædam plus spiritualitatis, quàm temporalitatis habent, vt administratio Sacramentorum, in qua effectus spiritualis potiùs quàm actus labore constans temporali, consideratur: alia verò plus temporalitatis quàm spiritualitatis continent, vt calix aureus. Neutra verò ito-

rum, quoad spiritualem partem, æstimari pretio queunt; attamen, quæ posterioris generis sunt, ratione partis temporalis licitè vendi possunt; prioris verò non, quia labor temporalis per se accessorius est rei spirituali, nec pretio æstimabilis, in posteriori secus. Nam aurum per se pretio æstimabile est, cui accessoria est consecratio. Vasa sacra ex iusta causa diuendi posse docet Ambrosius lib. 2. offic. cap. 28. priùs tamen confringi debent, ne ad vsus profanos transferantur.

Vasa sacra in casu vendi possunt.

Præterea sciendum, inter merè spiritualia, quædam interna, à solo Deo absque humano ministerio diffundi: qualia sunt, Fides, Spes, Charitas, Humilitas, & aliæ virtutes: alia verò non nisi per hominis ministerium dari, vel accipi: cuiusmodi sunt Ordines sacri, Episcopatus, Sacramentorum effectus, sanationes & huiusmodi. Circa prioris generis spiritualia, non committitur Simonia, sed circa posterioris, si pretio vendantur aut emantur. Contractus enim de ijs solùm iniri solent, quæ humanâ operâ acquiri possunt.

Act. 5.

Item sciendum, nonnumquam temporalia sese antecedenter ad spiritualia habere, vt aurum in calice aureo consecrato, ager Cœmiterij, dominium aut castrum, cui ius præsentationis annexum est. Hîc possunt temporalia per se pretio æstimabilia vendi. Aliquando autem temporalia spiritualibus annexa sese consequenter habent, nec nisi spiritualium acquisitione obtineri queunt, vt Præbendæ iuri Ecclesiæ seruiendi annexæ, ius ex bonis monasterij viuendi. In his rebus spiritualibus omnis contractus emptionis & venditionis illicitus est, quia temporale tradi nequit, nisi mediante iure spirituali, quod gratis dandum est. Quibus autē vnum vendit, sine quo alterum non habetur, vtrumque vendere censetur.

Quando Simonia committatur?

Ne autem velo paupertatis Simonia committatur, vetat Conc. Trident. plures in monasterio recipi, quàm commodè ali possint. De ijs verò, quæ in electione, collatione, siue admissione ad possessionem cuiuscúmque beneficij recipi solent, Conc. Trident. generatim statuit, vt quęcúmque in vsus pios nō conuertuntur, tolli debeant; putà, si non cedant in vsus fabricæ, ornamentorum Ecclesiæ, in eleemosynas pauperum, ad Seminarij auxilium, vel similem pium vsum, qualem esse scribit Driedo defensionem iurium Ecclesiæ.

1. Quæst.

Sess. 25. c. 3. reform. Cōc. Lateran. can. 64. Trid. sess. 24. c. 14. Nauarrus in Enchir. c. 23. num. 101.

Driedo lib. de libert. Christ. fol. 55.

Quid autem à Notarijs pro litteris ordinum, sigillis & similibus tradi possit, Conc. Trident. decreuit sess. 21. c. 1. Reform. Pro examine verò concurrentium ad Parochialia beneficia nihil recipi posse, constituit idem Concil. sess. 24. c. 18. reform. pro Dispensationibus quoque nihil accipiendum, sess. 25. c. 18. neque pro actu spiritualis potestatis.

Pro litteris ordinum.

Pro examine concurrentium.

Qui tamen Sacramentorum, dispensationi, & spirituali Ecclesiæ ministerio vacant, stipendia vitæ accipere possunt, quæ similitudine quadam, non sermonis proprietate *Merces* dicuntur. Nam pastor sustentationem necessitatis accipit, mercedem verò à Deo expectat.

Stipēdium vitæ absque Simonia exigitur.

Aug. ser. de pastor. c. 2.

Cauendum tamen pastoribus est, ne auara & rigorosa stipendiorum exactione infirmos scandalizent. Nam ob eam causam Apostolus iure suo cessit, 1. Cor. 9. Si verò ex malitia quis iura dari consueta deneget, contra eum secundùm canones agendum est.

Cauenda exactio scandalizans.

Si quis roget, cur Episcopis, quando conferunt beneficia, ordinant, dispensant, suas vices committunt,

nihil accipere liceat? RESPONDENDVM est, illis de stipendio vitæ abundè prouisum esse; ideóque non censerentur vitæ subsidium necessarium petere, sed vsum spiritualis potestatis vendere. Quando tamen visitant, licet eis constitutum stipendium sumere: item peccantes in summas pecuniarias mulctare, dummodo tamen inde nihil ad eos redeat, nec fordidæ auaritiæ speciem habeat.

CAP. CXXIX.

De Simoniæ fœditate ac enormitate.

Peccati Simoniæ grauitas.

MAgnitudo peccati Simoniæ ex eo colligitur, quòd res nullo precio æstimabiles, vilissima pecunia comparari posse quis existimet, vt Simoni Mago Petrus dixit: Act. 8. *Quia existimasti, donum Dei pecunia possideri*; cũ de Sapientia legamus: Prou. 8. *Vniuersa quæ desiderantur, non valent ei cõparari.* Dei enim dona non auro & argento, sed Filij Dei precioso sanguine coëmpta sunt, pro quibus gratias Deo perennes debemus. At precij natura est, vt eo persoluto ab vlteriore gratiæ agnitione liberemur.

Præterea iniquissimum est, alteri precio vendere, quod in tua plenè non est potestate: at dispensatores mysteriorum Dei in sua functione ministri sunt, non Domini, quibus 2. Cor. 4. à Christo iniunctum est: *Gratis accepistis, gratis date, vt sitis similes Patri vestro*, qui scilicet dona sua precio non vendit, sed gratis indulget. Christus autem emisse nos tropo intelligendus est, quia satisfecit pro nobis, debitáque luit pœnas.

Triplex Simonia: mẽtalis, conuentionalis, realis.

Tripliciter verò Simonia cõmittitur: mente tantũ, conuentione solùm, & reipsa. I. MENTALIS VO-catur, quæ citra omnem conuentionem expressam vel tacitã, sola mente concipitur: & si nulla res quæ tradatur, interueniat, peccatũ quidem letale admittitur, sed ad restituendum nulla cadit obligatio.

Conuentionalis est, quando expresso vel tacito pacto, nondum tamen executioni mandata est, neque ab vtráque, neque ab altera parte. Propter hãc commissam, beneficio quis priuandus est, non tamen est ipso iure priuatus, vt docet Nauarrus in Enchirid. c. 23. num. 103.

Pœna Simoniæ.

Realis est expressè vel tacitè conuenta, ex vtráque parte, vel saltem aliqua promissorum parte completa. Hæc Simonia non solum est letifera, sed etiam ad restitutionem obligat, irregularitatem inducit, & beneficij translationẽ impedit. Hinc nominatio, præsentatio, electio, confirmatio, & quælibet alia beneficij cuiuscúmque per Simoniam realem facta dispositio, iure nulla est; ideóque sic prouisi beneficia relinquere, fructúsque perceptos restituere obligantur.

Simonia confidentialis.

In Simonia *Confidentiali*, qua quis alieni beneficij custodiam accipit, cum pacto, vt alteri cedat, præter excommunicationem, aliæ grauissimæ Iuris decernuntur pœnæ, quæ continentur in Extrauagante Pij IV. & V. apud Nauarrum in Enchirid. c. 23. num. 105. & 110. De accipientibus aliquid ante vel post examen in concursu, pro animarũ cura, Conc. Trident. sess. 24. c. 18. reform. sic statuit: *Caueant, ne quidquam prorsus occasione huius examinis, nec antè, nec pòst accipiant: alioqui Simoniæ vitium, tam ipsi quàm alij dantes incurrant, à qua absolui nequeant, nisi dimissis beneficijs, quæ quomodocúmque etiam antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur.*

Conc. Trident sess. 24. c. 18. reform.

Pœna eorum, qui aliquid occasione examinis in concursu accipiunt.

CAP. CXXX.

De Matrimonio.

Matrimonij sacramentum.

SEptimum nouæ legis sacramentum est, Matrimonium, cuius sanctitatem fideles intelligere conuenit, ne vago concubitu, nefariisque libidinibus se commaculent, sed matrimoniali nexu sibi vir & vxor sanctè adhæreant. Vocatur autem hæc maritalis coniunctio, *Matrimonium*, quia mulier potissimùm eo fine iungi viro debeat, vt mater fiat, & concipere, parere, educare, matris proprium munus sit. *Nuptiæ* verò dicuntur, eò, quòd puellæ obnubere seu velare pudoris causa se cõsueuerint, vt de Rebecca conspecto sponso suo Isaac legimus. Et secundùm Apostolum (1. Corinth. 11.) velamen signum est obedientiæ ac subiectionis. *Coniugium* verò appellatur, ab indiuiduo & indissolubili nexu, quo vir & mulier sibi coniunguntur, ita vt duo sint in carne vna, & commune iugum sustineant onerum matrimonij, vt communia sint læta & tristia, sibique inuicem ardentissimo amoris affectu adhæreant, vt de Sichem, Gen. 34. & de Salomone, 3. Reg. cap. 11. legimus. Verbo enim *adhæsionis* arctissima coniunctio (qualis est carnis & cutis, & ossium) significatur, iuxta illud Iob. *Cutí mea, & carni adhæsit os meum.* Et dum glutino inter se duo committuntur, aut insertione duo in vnum coalescunt.

Aug. li. 19. cont. Faust. cap. 26.

Nuptiæ vnde dictæ.

Gen. 24.

Ambr. li. 1. de Abrahã cap. 9.

Isidor. li. 2. de Eccl. offic. c. 19.

Coniugiũ.

Iob. ca. 19.

Matrimonij vox rebus variis attribuitur.

Matrimonij porrò siue *Coniugij* vox recepta consuetudine variis rebus tribui solet: quibusdam principaliter, aliis verò per analogiam. Primùm ipsi actui contrahendi, qui consistit in mutuo viri & fœminæ consensu, verbis de præsenti expresso. II. mutuæ coniugum obligationi ad matrimoniales actus, ex dicto contractu natæ. III. vnioni animorum coniugum, seu vinculo, quo vnum fiunt coniuges ad officium procreandi prolem & educandi. IV. potestati mutuæ, seu iuri ad coniugales actus resultanti ex supradictis. V. vsu dictæ potestatis, ipsique societati vitæ communis ad liberorum procreationem & educationem ordinatæ.

Ex quibus propriè matrimonium est, ipse viri & mulieris contractus, per verba aut æquiualentia signa de præsenti expressus, significans sacram vnionem, qua per charitatem vxor viro iungitur, sicut Ecclesia Christo. Et in hoc sacræ coniunctionis signo propriè Sacramentum consistit, quod eandem significat & efficit, nisi obex ponatur, vt docet August. libr. *de Bono coniugali* cap. 18. & lib. *de Nuptijs & concupiscentia* cap. 10.

Matrimonium propriè consistit in contractu viri & mulieris.

Interdum tamẽ etiam Sacramenti vox ad inuisibile ac indissolubile coniugum vinculum transfertur, quod non tam Sacramẽtum, quàm res Sacramenti est, Augustino teste, libr. 1. *de Nuptijs et concupisc.* cap. 10.

Rursus, Sacramentum bifariam considerari potest, vt scilicet est in actu, dum fit; aut vt postea remanet, vsque ad vitæ finem inter coniuges: & ab hoc permanete vinculo, coniugalíque societate à Doctoribus definitur: *Matrimonium* est viri & mulieris coniunctio maritalis, inter legitimas personas indiuiduam vitę consuetudinem retinens. Alia enim pactionum genera, quibus viri & mulieres obligantur, vt sibi mutuam præstent operam, vel pretij aut rei alterius causa hîc impertinentia sunt. Legitimæ verò

Glos. in 7. c. 1 Cor. lib. 4. sent. dist. 27.

Alexander. 3. cap. Illud de præsúpt. Iustin. instit. de patria potest.

personæ sunt, quæ neque iure diuino, neque humano inter se coniungi nuptiarum fœdere vetantur, & quæ sui corporis & sexus liberam habent potestatem, ita vt neq; à natura, neque à lege dare & accipere impediantur. Consensus autem, efficiens coniugium, per se pro obiecto habet coniugalem societatem, seu corporum mutuum dominium, quo liceat vniuersa obsequia, quæ coniuges sibi inuicem præstare solent, exigere, inter quæ sunt habitatio, & carnalis copula: quæ licet exposci queant, non tamen sunt de essentia coniugij, quoniam nuptias non concubitus, sed maritalis consensus facit, Ambros. *de Institus. Virg* ca. 6.

CAP. CXXXI.

De Matrimonij institutione.

Mattimonium ab initio in officium naturæ institutum est.

MAtrimonium bifariam considerari potest: vt est officium naturæ, & vt nouæ Legis sacramentum. Priore modo est prima & antiquissima societas inter homines, ad propagandum genus humanum, Deo authore instituta, duplici benedictione commendata, semel ante Diluuium Gen. 1. & post Diluuium Gen. 9. idque ne in suspicionem mali veniret, ex eo, quòd vsus eius in castissimis etiam coniugibus omni turpitudine nõ careat. Nam sine turbido ardore nec fit cõceptus, nec absque dolore partus. Vt ergo intelligeremus, per peccatum nec fœcunditatis donum, nec maritalem coniugij societatem sublatam esse, nec vetitam, sed in remedium vitiosæ naturæ conuersam esse, vt honestate nuptiarum incontinentium excipiatur infirmitas, ideò peculiari benedictione Deus post Diluuium eandem comprobauit. Et quod Adam Deo inspirante dixerat: *Erunt duo in carne vnâ*, declarauit, ad omnium temporum nuptias pertinere, Deúmque omnis matrimonij authorem esse atque conciliatorem. Quemadmodum enim Euam adduxit ad Adamum, ita hodie à Deo vxor prudens donatur, præparatur, adducitur, tum ad propagationem speciei humanæ seruiens, tum in remedium concupiscentiæ, vinculum amicitiæ, humanæque miseriæ solatium. Et ante quidem peccatum, ac tempore legis Mosaicæ, coniunctionem Christi & Ecclesiæ per modum figuræ adumbrabat: in lege verò Euangelica etiam, tanquam proprium nouæ Legis sacramentum, vt in Concilio Tridentino definitum est.

Cen. 9. Gen. 2. Matth. 19.

Vxor à Deo datur. Gen. 24. Tob. 7.

Prouer. 19. Eccles. 26.

Matrimoniũ olim figura coniunctionis Christi & Ecclesiæ, nunc verò sacramentum. Sess. 24. can. 1.

CAP. CXXXII.

Quòd Matrimonium sit nouæ legis Sacramentum.

DEus ab initio vnius viri & mulieris indissolubilem nexum instituit, naturalémque ad se inuicem propensionem amorémque indidit, suaque benedictione hanc vnionem communiuit, nec solùm eis fœcunditatis donum dedit, sed insuper terræ, bestiarúmque omnium Dominos, ab omni culpæ atque miseriæ malo liberos fecit. Sed postquam diaboli fallaciâ decepti primi parentes, non, nisi contagio peccati infectas proles generare possent, Christus humani generis instaurator, abrogata polygamia, libello repudij, aliísque Mosaicis permissionibus, ad primæ institutionis normam matrimonium reuocauit, mitigatáque per peccatum inuectâ maledictione, qua

Gen. 1. Aug. lib. 13. confess. ca. 24.

mulier partus ærumnis, virique tyrannidi subijcitur, nuptias multiplici benedictione respersit, (vt significauit conuersione aquæ in vinum in nuptis facta,) ac eisdem Sacramenti nouæ Legis dignitate adauxit, constituendo, vt immensi amoris, & vnionis, qua *Verbum* adhæsit Ecclesiæ per Incarnationem & Charitatem, matrimonio exprimeretur, quo vir & vxor arctissimo dilectionis & amicitiæ vinculo constringuntur. Et vt Christianorum connubium veteribus præstaret, contractum viri & fœminæ, ad propagandum, educandúmque proles, ab initio institutum, etiam externum religionis symbolum esse voluit, per quod significaretur, efficeretúrque vnio non solùm corporum, verùm etiam animorum, nec qualiscumque, sed per diuinam charitatem, ita vt vxor viro iungatur ac subijciatur, sicut Ecclesia Christo. Proindè hæc coniunctio animas sacrat & sanctificat, efficiens, vt liberi ad veri Dei cultum procreentur. Per gratiam enim à Christo huic contractui nuptiali adiectam, naturalis coniugum amor perficitur, indissolubilisque nexus confirmatur. Hac enim gratia fit, vt vir & vxor mutuæ charitatis vinculo coniuncti, in mutua benenolentia perpetuò conquiescant, nec alienum thorum, vetitósque amores aut concubitus appetant, sibi mutuò ardenti amore cohærentes, spe filiorum, in quibus Christi benedictionem consequantur, vt latè Apostolus ad Ephes. 5. deducit, exhortans viros & vxores, vt se inuicem casto amore diligant, sicut Christus dilexit Ecclesiam, concludens: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesiâ:* q. d. Sacramentum hoc, quòd homo relinquat patrem & matrem, & adhæreat xori, ac sint duo in carne vna, non est vulgare mysterium, quia Christi & Ecclesiæ indissolubilem coniunctionẽ denotat. Sponsus enim de cœlo veniens per Incarnationem, quodammodo Patrem deseruit, & abiecta veteri synagoga, matrem, & Ecclesiæ potissimum ex gentibus euocatæ adhæsit. Visibilis ergo viri & fœminæ coniunctio, quæ stipulatione verborum, arrha data, iunctis dextris, aliisque solennibus ceremoniis fit, sacramentum est inuisibilis ac indissolubilis coniugum vnionis, quæ per gratiam internè infusam firmatur, vt naturalis amor ita roboratus stabilem concordiam efficiat, vt facilius vniuersa coniugalis vitæ incommoda tollerentur, nec diuortia quærantur; similiter adumbrans Verbi cum natura humana coniunctionem, pro qua seipsum tradidit, vt eam omni vitiorum genere pollutam, suo sanguine mundatam, glorioſam, sanctam, non habentem rugam vel maculam, Patri suo cælesti exhiberet.

Quare fatendum est, inter Christianos matrimonium non solùm esse contractum ciuilem, & officium naturæ, sed etiam proprium nouæ Legis sacramentum, vt Augu. docet, libr. *de Bono coniugali* cap. 18. & 24. Libr. *de fide & operibus.* cap. 7. Huc accedit, quòd ad officia naturæ vires superantia, Deus auxilium gratiæ suæ superaddat, vt, quẽadmodum oportet, exerceantur. Vt autem vir vni indissolubiliter adhæreat, liberósque in Christi fide ac religione instituat, opus est diuina opitulatione, quam Deus per matrimonium impertit. Vndè Apostolus: *Vnusquisque donum suum habet à Deo.* Et: *Vnusquisque vas suum possideat in sanctificatione.* Et mulieri coniugatæ permanendum esse

Ioan. 2.

Matrimonium est nouæ legis sacramentũ.

Sacramentum vnionis & amoris Verbi.

Contractus coniugum est religionis symbolum.

Ephes. 5. Quam gratiã conferat matrimonium.

Li. de nupt. & cõcupis. cap. 10.

1 Corint 7.

1. Thessal. 4.

1. Timot. 2.

Quatuor coniungij bona, quibus superãtur quatuor contraria mala.

monet in fide, dilectione, sanctificatione, & sobrietate, ad superandum videlicet quatuor mala, quæ in coniugio vnius cum vna, sine Dei gratia vitari nequeunt: quorum I. est, violatio fidei coniugij per adulterium, vel alium illicitum concubitum, aut per repudium, vel debiti obnegationem, cui medetur fidelitas, seu promissorum obseruatio. II. Malum est, odium, rixæ, asperitas, quando maritus tyrannum potius agit, quam sponsi officium, vel vxor molesta, rebellis, inofficiosa erga virum est: cui malo succurrit dilectio, per quam alter alterius infirmitates supportat. III. Est immunditia, turpitudo, & membrorum rebellio, corruptio in conceptione, fastidium in gestatione, dolor in partu, sollicitudo in educatione: contra quæ seruit sanctificatio, honestatisque
1. Corin. 7. studium, de quo Apostolus: *Sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.* Et: *Filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* IV. Malum est, intemperantia, qua interdum coniuges nefarios inter se coitus, vel intempestiuos quærunt, altérque alterius incontinentiæ seruire cogitur. Huic malo Apostolus sobrietatem, temperantiámue opponit, qua infirmitas in continentiam honestate nuptiarum excipitur, & vxor coniuge vtitur causâ sobolis, aut cuitandæ fornicationis.

rit, simúlque coniunxerit, addens: *Erunt duo in carne vnâ*, non tres aut quatuor. Et dicendo, *Adhærebit vxori suæ*, repudium sustulit, vt Marci 10. clarè continetur: *Quicúmque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit. Et si vxor dimiserit virum suum, & aly nupserit, mœchatur.* Vndè Apostolus parem mulieris & viri potestatem esse in corpus mutuum docet, vt neuter absque iniustitia se alteri tradere possit. Quod prosequitur Aug. lib. *de Adulterinis coniugiis* cap. 8. lib. *de Bono coniugali*, cap. 17. Lib. 3. *de Doctrinâ Christ.* ca. 12. vbi demonstrat, omnem principatum naturâ suâ diligere singularitatem, ideoque numquam fuisse admissum, vt plures viros vna mulier haberet, sed contrà, vir plures vxores, quia vir caput est mulieris. Pugnare tamen polygamiam cũ domestica pace, sanctarum etiam mulierum exempla conuincunt Sarę & Agar, Liæ & Rachelis, quarum rixas, æmulationes, & iras implacabiles scriptura proponit. Quare naturali iuri Polygamia repugnat. Hinc si infidelis polygamus ad baptismum accedat, prima vxore retenta, alias reijcere cogitur.

1. Corint. 7. Roman. 7.

Principatus omnis singularitatẽ diligit.

Gen. 16. & 30. 1. Reg. 1.

Quamuis autem Monogamia iuri diuino & naturali, finique tam primario quàm secundario sit accommodatissima, ideóque inter pios vsque ad diluuium polygamiam fuisse non legamus, sed introductam à Lamech, imitatore Cain homicidæ, attamen post diluuium inspiratione diuina Patriarchis innotuit, Deum propter multiplicationem generis humani (tunc penè deleti) ad tempus dispensasse, ac permisisse polygamiam, quam Christus, ad primam institutionem reuocando matrimonium, prorsus sustulit.

Polygamia ex Dei inspiratione permissa olim fuit. Genes. 4. Aug. lib. 22. cõtra Faust. c. 47. lib. 3. de doct. Christ. cap. 12. lib. de bono coniug. c. 18. Christus polygamiã sustulit.

CAP. CXXXIII.

De Polygamiâ.

Polygamia primæ institutionis contraria.

VXorum pluralitas à prima matrimonij institutione, & à Christiani Sacramenti significatione aliena est, vt Dominus Matt. 19. ostendit ex eo, quòd Deus vnum virum, vnámque mulierem creauerit,

CAP.

CAP. CXXXIV.

De Matrimonij materia & forma.

Sacramenti matrimonij materia.

SAcramenti Matrimonij, dum fit, materia est persona viri, & mulieris, consensum mutuum signis externis exprimentes. Sacramenti verò permanentis, materia est, indissolubilis coniugum societas & coniunctio. Forma verò matrimonij, contrahentium verba sunt, mutuum consensum de præsenti exprimentia, nulla euentus exspectatione suspensum. Matrimonium enim in contractu & mutua corporum donatione consistit, vnius quidem donantis, alterius verò acceptantis. Quæ mutuæ voluntatis expressio fieri debet verbis, nutibus, aut literis, quia sacramentum visibile signum est. Et cùm matrimonium sit libera sui corporis donatio, per quam vtrique contrahentium potestas datur exigendi vniuersa obsequia, quæ sibi inuicem coniuges præstare solent, consequitur, verba foris absque interno consensu prolata, non efficere matrimonium. Et quoniam obiectum consensus non est copula, sed mutua corporum potestas, qua fit, vt ad reddendum sibi mutuò debitum ex iustitia æquè coniuges obligentur, potest coniugium subsistere absque copula: imò licet vtrique coniugi saluo matrimonio huic suo iuri renunciare, vt patet in coniugo B. Virginis cum Ioseph, in quo fuit coniugalis societas, absque carnali copula. Non tamen licet continentiæ votum habentibus, matrimonium inire, quia licet primò & per se consensus sit in coniugalem societatem, attamen secundariò est incohabitationem & copulam carnalem, si exigatur. Nefas autem est, voti extractionem in alterius arbitrio collocare.

Matrimonij forma.

Obiectum consensus non est copula, sed mutua corporum potestas.

Matrimonium continentiæ votum habentibus illicitum.

Porro de B. Virgine non est communi lege iudicandum, cùm diuino potiùs, quàm humano consilio desponsata sit, omnino secura, quòd sponsus Ioseph Virginitatis eius propositum non esset violaturus, sed protecturus.

B. Maria Virgo, Dei cõsilio despõsata fuit. Ambr. li. de Instit. Virginis c. 2 & lib. 2. in Luc. cap. 2.

CAP. CXXXV.

Quis matrimonij minister sit?

AD sacramenti ministrum propriè spectat, verba formæ pronuntiare, & per ea materiæ applicata sacramentum conficere. Et quia matrimonium in contractu consistit, ea verò contractuum natura est, vt mutui consensus expressione contrahentes illum efficiant, sequitur, etiam in matrimonio ipsos contrahentes, proprios esse sacramenti ministros. Hi enim soli cõtrahunt, & se ligant. Et quia contractus etiam cum absentibus, & per procuratores fieri possunt, intelligimus, matrimonia similiter contrahi posse. Dominus enim instituendo matrimonium in sacramentum nouæ legis, non nouum symbolum, sed humanũ vsitatúmque contractum ad sacramenti dignitatem euexit, attribuens illi contractui nouam significationẽ, & gratiæ promissionem. Et quãquam Ecclesiasticâ lege Concilij Tridentini, præsentia Parochi requiratur, vt coniugum consensum exquirat, eundemque approbet, benedictionéque sacerdotali confirmet, non tamen ipse, sed contrahentes sacramentum efficiunt, coram ipso, aut eius Vicario, tanquam

Aug. li. 1 de nupt. & cõcupisc. c. 11. lib. 2 de cõsensu Euãg. cap. 1.

Ministri matrimonij sunt ipsi contrahentes.

teste necessario, vt contractus sit validus.

Parochus est testis necessarius in contractu matrimoniali.

In aliis porrò sacramentis ista locum non habent, quia eorum naturæ aduersatur, vt idem sit causa efficiens & materia: neque enim ratio permittit, vt quis seipsum generet, aut absentem lauet, aut vt vnus baptizetur pro alio: at natura contractus de personis contrahentium exigit, vt ipsi contrahentes sui contractus causa sint; veluti quando seruus seipsum vendit, est contractus materia, & simul efficiens causa.

Canus li. 8. de loc. theol. c. 5. Inter Christianos idē est minister contractus, & sacramenti matrimonij.

Proindè improbanda est eorum opinio, qui formam & ministrum contractus matrimonij, differre putant à forma & ministro Sacramenti matrimonij, cùm inter Christianos nullum celebretur matrimonium legitimum, quin id continuò etiam sit verum Ecclesiæ sacramentum annexum habens indissolubile vnius cum vna vinculum. Siquidem verba illa: *Ego te accipio in meam*, apud fideles aliam, quàm apud infideles vim obtinent. Nam apud Gentiles solùm contractum ciuilem operantur; apud Christianos verò, non prophana, sed verba sacra sunt, ipsos contrahentes ex Christi institutione sanctificantia, quia vnionem significant, non tantùm corporum, sed etiam animorum, ad similitudinem spiritualis vnionis Christi & Ecclesiæ, quæ consistit in mutua charitate, necnon conformitate naturæ.

Aug. lib. de bono coniugali ca. 7.

CAP. CXXXVI.

De Sponsalibus.

PRiusquam coniuges verbis de præsenti mutuam corporis potestatem tradant, pacta solennia futurarum nuptiarum præmittere solent, quæ à sponsione futuri matrimonij, *Sponsalia* dicuntur. Rectè autem hæc præambula matrimonij contractum præcedunt, vt maiore cum reuerentia, maturáque deliberatione præmissa matrimonium ineatur, ac inter ea de personarum contrahentium statu, moribus, conditione inuestigatio fieri queat; & an legitimum aliquod impedimentum occurrat; simúlque, ne maritus vilem habeat datam, quam non suspirasset sponsus dilatam.

Aulus Gellius lib. 4. Noct. Attic. c. 4.

Sponsalia matrimonio præmittuntur.

Fiunt Sponsalia interdum pura, absolutáque futuri matrimonij promissione, quæ nonnumquam arrha vel iuramento confirmatur; aliquando verò nuptiæ sub conditione promittuntur, & quidem vel absoluta: vt; *Accipiam te in meam, si parentes consenserint: Si talem dotem habueris*: vel sub conditione suspensa, vel multiplicem sensum admittente, vt si quis dicat: *Accipiam te in meam, si cælibem vitam non elegero, si vxorem duxero.* In quibus promissionibus veritas contractus à dicentis affectu æstimari debet, & ad communem verborum intelligentiam recurrendum est. Si verò honesta conditio apponatur; illa eueniente subsistit contractus, non autem eueniente corruit. Si autem inhonesta conditio apponatur, repugnans bonis matrimonij, putà insolubili vinculo, sobolis propagationi, educationi, institutioni, aut denique fidei coniugali, contractus sponsalium impeditur, vt si dicat: *Accipiam te in meam, dummodo cum alia congredi patiaris.* Si verò inhonesta quidem conditio, sed non aduersans matrimonio apponatur, pro non appositа habetur: vt, si quis dicat: *Accipiam te in meam, dummodo furari constituas.*

Aug. lib. 8. confess. c. 3.

Conditio repugnans essentiæ matrimonij, impedit.

Porrò conditiones necessariæ,

Conditio necessaria vel impossib. pro non adiecta habetur.

aut impossibiles etiam pro non adiectis habentur, nisi fortè animo consensum excludendi fuerint appositæ: nam tunc Sponsalia, & matrimonium impedirent.

Qui de futuro matrimonio contrahunt, infantiæ tempus excessisse debent, in quo ea, quæ rationis sunt, fari nequimus. Quòd si parentes pro liberis contraxerint, Sponsalia non obligant, nisi postea liberi parentum factum ratum habeant.

De obligatione sponsalium.

Quoniam verò in re graui fidem violare nefas est, denunciationibus inter Missarum solennia rite peractis, si nullum obstet impedimentum, ad matrimonij celebrationem in Ecclesiæ facie procedendum est. Nihilominus ex causa rationabili, sponsalia dissolui possunt, ac de facto dirimuntur, si alter contrahentium religionem ingrediatur, aut cum alia persona verbis de præsenti contrahat. Et quia infelices successus coacta coniugia sortiuntur, non nihil indulgendum est illis, qui honesto prætextu resilire cupiunt. Ideoque mulctas pecuniarias sponsalibus apponere non expedit, ne extortus potiùs, quàm liber consensus subsequi videatur.

Sponsalia dissolui ex causa possunt.

Ex sponsalibus validis iustitiæ publicæ honestatis impedimentum nascitur, quod primum gradum non excedit. Ex inualidis autem sponsalibus, nullum prorsus impedimentum oriri Synodus Tridentina constituit.

Conc. Trident. sess. 24. cap. 3.

CAP. CXXXVII.

De Matrimonij firmitate.

Matrimonia infidelium dissolui possunt. 1. Corin. 7.

QVatuor ex ordine quæstiones, omnem de Matrimonij firmitate tractationem complectentes, discutiemus.

Prima sit: vtrùm vinculum coniugij etiam consummati inter infideles aliquo diuortio tolli queat? Ex Apostoli doctrina constat, fidelem per baptismum in nouam vitam translatum, non remanere obstrictum infideli ad conuiuendum in tam arcta vitæ consuetudine, quàm est coniugalis. Ideoque non tantùm coniugi ab infideli deserto, aliud coniugium permittit Deus, interprete Paulo, sed etiam infidelem cohabitare volentem simpliciter dimittere iubet. Nam solùm consulit, non autem præcipit, vt coniux fidelis non dimittat coniugem infidelem, etiam cohabitare volentem. Si ergo dimiserit, non peccabit: cuius ratio est, quia infidelium matrimonia rata sunt, vt naturales contractus & ciuiles, qui tamen ex causa dissolui possunt: omnimoda verò indissolubilitas ex sacramenti ratione à Christo adiuncta Christianorum matrimonio accessit, dum ciuilem contractum in sacramentum noui testamenti euexit.

Aug. lib. de adul. cõiug. cap. 2. & 3. Innoc. 3. Extra de diuortij capit. Quanto.

Indissolubilitas omnimoda vnde matrimonijs fidelium acceserit? Per religionis ingressum quãdo soluatur matrimonium ratum, &c.

Secunda quæstio est, vtrùm Christianorum matrimonium ratum, sed nondum consummatum per religionis ingressum dissoluatur, ita vt in seculo remanenti, aliud coniugium inire liceat? Clara nunc exstat Concilij Tridentini definitio: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solennem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit.* Idipsum Innocentius III. & Alexander III. in capit. *Verum extra de conuersione coniugatorum*: & cap. *Ex publico*, eodem titulo declarauerant, mensibus duobus concessis ad deliberandum de religionis ingressu. Accedunt sanctorum exempla, vt Sanctæ Teclæ, quam Paulus ad castitatem inuitauit, Epipha-

Sess. 24. can. 6.

Innoc. 3. li. 3. decretal. tit 32. de conuers. cõiug. cap. Ex parte.

27. Quæst. 2. can. Desponsatam.

teste, hæresi 78. Ambrosius lib. 2. *de Virginibus*, Alexij, cuius vitam Metaphrastes scribit, & Ecclesia in officio publico recipit. Diuus Augustinus milites duos, Antonij perlectâ vitâ, mox sponsis relictis, vota monastica suscepisse refert.

Aug. lib. 8. confess. c. 6.

Quo porrò iure vinculi dissolutio per religionis ingressum fiat? respondemus, eam diuina fieri dispensatione, cuius Ecclesiastica traditio est testis. Quàm Dominus quoque insinuauit Matth. 19. promittendo, vxorem dimittenti, ac se in statu perfectionis sequenti, centuplum, & vitam æternam. Et sanè cùm scriptura doceat, Christianum per translationem in corpus Christi per Baptismum, liberari à lege Moysis, & fidelem à seruitute coniugij in infidelitate contracti (propter spiritualem quandam mortem, & status prioris commutationem, & religionis professio, quædam sit mors, qua mundo, & ciuili statui moriens viuit Deo, renuncians seculo; possessionibus, propriæ voluntati, vsuique coniugij:) admodum conueniens fuit, vt arctissimum hoc spirituale vinculum Deo vniens, dissolueret minùs spirituale vinculum, quo vxori obstringebatur. Duplex enim in matrimonio vinculum reperitur: *Spirituale*, quod adumbrat vnionem Christi cum anima per charitatem; *Carnale*; per copulam carnalem, adumbrantem vnionem Christi cum Ecclesia per naturæ conformitatem. Posterius hoc vinculum corporali morte dissoluitur: decuit itaque aliud spirituale vinculum, spiritualem tantùm vnionem Christi significantem, etiam tolli ac dissolui per ciuilem mortem; & status secularis permutationem, in eum, qui non compatiatur vsum matrimonij, imò directè aduersetur ex ipsius status natura. Quare potiùs religionis professio hanc prærogatiuam obtinuit, quàm Ordinum susceptio; quia castitas ex decreto Ecclesiæ, non ex rei natura ordinibus sacris annexa est. Quia verò matrimonium Christianorum consummatum, significat Christi vnionem cum Ecclesia per naturæ conformitatem, quam semel assumptam nunquam deseruit: ideo post consummationem matrimonij non licet vni coniugum, altero inuito religionem ingredi, neque per ingressum potest huiusmodi vinculum dissolui. Ibi enim locum habet illud Christi: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Et, *Qui dimiserit vxorem suam, facit eam mœchari.*

Greg. lib. 3. dial. 14.

Roman. 7. 1. Corin. 7.

Duplex vinculum, spirituale & carnale.

Matrimonium consummatum solâ morte dissoluitur. Alexander. 3. de conuers. coniugat.

Matth. 19. 1 Corint. 7. Hieron. ep. 74. ad Celantiam. Aug. ep. 45. 199. lib. de bono coniug. c. 7. 15. 18. 23. lib. de fide & operibus.

Vtrum autem Pontifex etiam possit matrimonium ratum, non consummatum dissoluere, ita vt alteri ad nuptias alias transire liceat, disputant Canonistæ & Theologi doctores. Et quamuis variè sentiant, conformius est Pontificum decretis & factis, posse authoritate Pontificia vinculum matrimonij rati, non consummati, dissolui: & ita passim Canonistæ tradunt, multique Theologi.

Tertia quæstio est, vtrùm matrimonium consummatum, quoad thorum & cohabitationem, dissolui, manente coniugij vinculo possit? RESPONDENDVM est, variis ex causis id fieri licere. I. Si vterque coniugum ex mutuo consensu perpetuò continere deligat, vt Apostoli fecerunt, à Christo commendati, quòd Euangelicæ perfectionis amore vxores reliquissent. II. Ob crimen adulterij diuortium fieri potest. III. Propter hæresim, iuxta illud Apostoli: *Hæreticum hominem de vita.* Et:

Bellarm. li. 1 de monach. ca. 28. Glossa in c. Ex publico. extra de conuers. coniugat. Matrimonium consummatum quoad thorum, dissolui potest. Matth. 19.

Matth. 5. ad Titum 3. Lucæ 14.

Si quis non odit vxorem, &c. IV. si absque ingenti salutis dispendio cohabitare nequeat: secundum illud: Matth. 18. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum:* id est, si coniunctissimus ruinæ tuæ causa sit, ab eo recede. Idem decernit Concil. Trident. sess. 24. can. 8.

Paritas Iuris viri & mulieris in dissol. matrimonij.

Sciendum verò, parem esse viri & mulieris hac in parte libertatem, vt Apostolus 1. Corinth. 7. significat, dum ait: *Præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, & vir vxorem non dimittat.* Concilium Mileuitanum can. 17. Innocent. I. epist. 3. c. 4.

Aug. li. 1. de adult. coniugijs, c. 8.

Diuortiū, quoad cohabitationem, publico iudicio faciendum est.

Diuortium autem, quoad thorum tantùm, ob notum coniugis adulterium, propria fieri authoritate potest: at quoad habitationem, quia reipublicæ statum & quietem concernit, sine publico Ecclesiæ iudicio fieri nequit; iuxta c. *Porrò de diuortijs.*

Pluribus insuper ex causis diuortium, admissa fornicatione, illicitum est. I. Si adulterium inculpatè admissum sit, vt si mulier vim passa sit, aut ex inculpabili ignorantia, putans suum esse maritum. II. si vterque coniunx adulterij reus sit. III. Si post agnitum adulterium ipsam acceserit. IV. si coniugi author adulterij fuerit, vt lenones.

Quod porrò liceat innocenti, propter fornicationem aut aliam iustam causam, coniugem, quoad thorum & cohabitationem dimittere, Christus Matthæi 5. & 19. tradit, & Apostolus 1. Corinth. 7. Sed obseruandum est, quòd propter fornicationem, fidei coniugali repugnantem, coniunx amittat ius repetendi debiti & coniugalis societatis per omnem vitam: per alia verò crimina solùm perdit ius, quamdiu illa perdurant. Suspensum enim ius coniugij, non deperditum erat. At secus in adulterio, quod perpetuum diuortium efficit. Augustinus lib. 1. *de serm. Domini in monte*, capit. 26. 27. 28. & lib. 1. retract. c. 19.

Aug. li. 1. de adult. coniug. c. 1. & sequent.

Consummatum fidelium cōiugiū quoad vinculum, nō dissoluitur.

Quarta quæstio est, vtrùm consummatum fidelium matrimonium, quoad vinculum, dissolui queat? Sectarij hodie docent, propter hæresim, adulterium, molestam cohabitationem, vel affectatam à coniuge absentiam, vinculum coniugij posse dissolui, ita vt ad alias transire nuptias liceat. Quam sententiam anathemate ferit Concil. Tridentinum sess. 24. can. 5. & 7. manifestè si quidem pugnant cum Christi verbis: *Omnis qui dimiserit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur*, Lucæ 16. Qualia repetuntur Marci 10. & Matth. 5. Ex quibus Domini verbis Augustinus sic colligit: *Qui sumus nos, qui dicamus: Est qui mœchatur vxore dimissa alteram ducens; & est qui hoc faciens non mœchatur, cùm Euangelium dicat, omnem mœchari, qui hoc facit?* Nec aliud Matth. 19. significatur, quàm capit. 5. dictum erat, scilicet, omnem, qui dimiserit vxorem suam, excepta causa fornicationis, reum esse adulterij vxoris iniustè dimissæ; & similiter omnem illum, qui aliam duxerit, mœchari, quia perduret vinculum coniugij cum dimissa etiam ob fornicationem. Vnde ait Christus: *Et qui dimissam duxerit, mœchatur*, apertè docens, vinculum minimè per adulterium esse dissolutum. Quod etiam luculentissimè Apostolus tradit ad Rom. 7. & 1. Corinth. 7. Cuius verba expendit August. lib. 2. *de adult. coniugijs* c. 4. atque concludit: *Licèt dimittitur coniunx propter causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod manet reus adulterij, qui dimissam duxerit, etiam ob causam fornicationis.*

Lib 1. de adult coniug c. 9. Lib. cont. Adamāth. c 3.

Idem docent Hieronym. in epist. ad Amandum, Chrysostomus, Ambrosius, & vniuersi Pauli interpretes in c. 7. prioris ad Corinth. & 7. c. ad Rom.

Deut. 24. Malach. 2. Ierem. 3.

Sed obijcitur, quòd in veteri lege permissus fuerit libellus repudij, post quem datum, vxori non minùs quàm viro nubere licuit. RESPONDEO, Augustinum cum plerisque alijs Doctoribus sentire, repudium fuisse ob cordis duritiam Iudæis permissum, non tanquam bonum, sed tanquam minùs malum: & quamuis secundùm alios Doctores repudium iuxta legem Mosaicam factum, ex diuina dispensatione matrimonij vinculum dissoluerit, vt non minùs licuerit vxori dimissæ, alteri nubere, quàm viro plures accipere vxores, (idque, ne inuita perpetuum cælibatum obseruare, illo tempore insuetum, cogeretur;) attamen noui Testamenti tempore, quia Sacramenti ratio accessit, quæ omnimodam indissolubilitatē consummato matrimonio adfert, non dissolui per dimissionem (etiam ex causa fornicationis) coniugij vinculum. Veteri enim populo propter infirmitatem & imperfectionem multa Deus permisit, quæ per Christum reuocauit, vt polygamiam & repudium: de quo Marci 10. ait: *Qui dimissam duxerit, mœchatur. Ab initio non fuit sic. Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Quibus verbis repudium in lege permissum sustulit, coniugiúmque ad primam originē reuocauit. Nec mirum, cùm tantam fidelibus præstet gratiam, vt non solùm coniugij molestias æquo animo ferant, sed cælibem vitam perpetuámque castitatem spontè amplectantur, vt non nisi planè incontinentibus Christi lex displicere possit.

Aug. li. 19. cont. Faust. cap. 26. Li. 1. de ser. Domini in monte. Iero. in 19. c. Matth. Author operis imperfecti ho. 32. in Mat. Durandus in 4. dist. 33. Paludanus ibidem. Bellarm. de matrimo. Sacram. c. 17.

Mat. 5. 19. Marci. 10.

CAP. CXXXVIII.

Quòd expediat, diuortio non dissolui coniugij vinculum.

NE Christi lex cuiquam durior videatur, quia diuortia quoad vinculum non permittat; obseruandum est, matrimonij hanc indissolubilitatem plures secum adferre vtilitates. I. enim plurimis iniustis repudijs locum præcludit. Nam vix causæ diuortij cuiquam deessent, quæ ab antiquo pacis & pudicitiæ hoste suggererentur, aliarum vxorum desiderio: multæque priori vxori struerētur insidiæ. Nunc verò Christiani, scientes alterius vxoris ducendæ spem priore superstite non esse, cuncta matrimonij incommoda leuiùs ferunt. Accedit, quòd multi vltrò in adulteria proruerent, vt facto diuortio propter fornicationē, ad alia coniugia transirent. Præterea repugnant diuortia rectæ prolis institutioni, familiæ administrationi, reipublicæ tranquillitati: quod Gentiles ductu naturæ agnoscentes, repudia vitarunt, adeò vt Tertullianus in Apolog. c. 6. Romæ per D C. annos ab Vrbe condita nullum fuisse repudium scribat: cuersa verò disciplina cum alijs vitijs irreptisse repudia, quæ Aristoteles quoque damnat lib. 7. politic. c. 16. Valerius lib. 2. c. 1. Aulus Gellius Noct. Attic. lib. 4 c. 3. Aug. lib. 2. *de adult. coniugijs* c. 8. *Tandemque legibus Romanis permissa sunt repudia viris, non autem fœminis, exemplo Iudæorum.* At Christiana lex, quę adulteria nō minùs in viris, quàm in feminis detestatur, parē vim & mulieris conditionem hīc constituit, nullámque prærogatiuam, vt in 1. Cor. c. 7. hom. 19. notat Chrysost.

Diuortio non dissolui cōiugij vinculum, vtile est.

Diuortia iuri nat. aduersantur.

Repudia viris permissa lege Mosaïca & Roma.

Ambr. in 7. c. 1. ad Cor. Hieron. in epist. ad Amandum. Aug li 1. de nupt. & cōcup. c. 10. Lib 2. de adult. coniug c. 10.

Montanistæ & Anabaptistæ coniugia dissolui posse sentiunt.

Posse dissolui coniugia, sensit Montanus hæreticus, Eusebio teste lib. 5. hist. c. 18. Anabaptistæ alteri suæ sectæ nube re licitum docent, Pauli doctrinâ 1. Cor. 7. suum errorem velantes: ceteros enim infideles esse prætendunt, ideóque licere fratri recedere ab infideli sustinent: hoc est, licere Anabaptistæ alteri suæ sectæ viro aut mulieri coniungi.

Lib. 2. de adult. coniug. c. 6. & 9.

Ob adulterium dimissus an si pœnitunt, recipiendus. Prou. 18.

An porrò dimissus ob adulteriũ, si pœniteat, recipi possit, disputat Aug. & resoluit, recipiendum eum, quem recipit Christus: ignoscendum ei, cui Christus ignoscit. Stultum quidem vocat Sapiens eum, qui tenet adulteram, sed à turpitudine desistere nolentem.

CAP. CXXXIX.

De impedimentis coniugij.

Impedimẽta matrimonij.

ABsolutis quæstionibus de coniugij firmitate, ordine congruo de Impedimentis contrahendi coniugij differemus. Sunt autem duo impedimentorum genera. Quædam reddunt matrimonium inualidum; alia tantùm illicitum.

Impedimẽta dirimentia matrimonij contractum.

Prioris generis, dirimentia vocantur, quia non solùm impediunt matrimonium contrahendum, sed etiam de facto contractum iure dissoluunt. Alia sunt impedimenta non dirimentia, quæ scilicet impediunt contrahendum, sed non dirimunt contractum; quia non efficiunt, vt de facto coniuncti iure separari debeant. Priora impedimenta matrimonij essentiæ aduersantur; posteriora verò solennitati, aut ornamento tantùm accidentario; ideóque priora matrimonij veritatem tollunt; posteriora verò solùm sic contrahendo peccatum inducunt. Comprehenduntur autem impedimenta dirimentia his versiculis:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus, disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas:
Si sis affinis, si fortè coire nequibis.
Hæc sociandæ vetant connubia, facta retractant.

Impedimẽta non dirimentia cõtractũ, sed tantùm impedientia contrahendum.

Impedimenta verò, quæ tantùm impediunt, sed non dirimunt, his versibus denotantur:

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Quòd verò impedimenta dirimentia essentiæ matrimonij aduersentur, ad cuius veritatem liber consensus personarum legitimarum exteriori signo expressus, requiritur, facilè intelliget, qui animaduerterit, ignorantiam, & coactionem reddere consensum inuoluntarium, non liberum, neque deliberatum. Vnde qui circa personã errat, in eam non consentit. Similiter, qui circa personæ conditionem errat, non censetur liberam sui corporis potestatem ei tradere, qui vicissim libere tradere nequit. Vnde pueri, furiosi, & amentes validè contrahere nequeunt, quia vsu liberi arbitrij destituuntur. Ad coactionem pertinent vis & metus, quæ libertatem consensus quoque impediunt. Reliqua impedimenta dirimentia, ex parte contrahẽtium personarum sumũntur, quorum aliqua personam omnino inhabilem ad contrahendum reddunt; & sunt vel naturalia, vt frigiditas, & perpetua coëundi impotẽtia, siue innata, siue maleficio procurata; vel sunt voluntaria, vt solenne votum continentiæ, ordo sacer, vinculum matrimonij. Nonnulla verò impedimenta non absolutè

hominem ad contrahendum matrimonium inhabilem reddunt, sed respectu solùm certæ personæ, vt crimen adulterij, mixti homicidio in ordine ad futurum matrimonium, cultus disparitas, cognatio, siue naturalis siue spiritualis, siue legalis, qualis est affinitas.

Circa primum impedimentum dirimens, notandum est, quòd error personæ tollat consensum, non error qualitatis, an diues, pulchra, nobilis, &c.

Circa secundum seruilis conditio alteri ignota, tollit consensum, non autem præcognita.

Circa tertium votum, triplex genus: solenne, per professionem in approbata religione; vel per susceptionē sacri ordinis; vel per emissum in societate IESV post biennium. Hoc impedimentum iure constat Ecclesiastico, quo matrimonium postea attentatum fit inualidum & nullum, vt à Conc. Trid. definitum est sess. 24. can. 9.

Cognatio triplex: naturalis, spiritualis, legalis.

Circa quartum sciendum est, cognationem esse triplicem: naturalem, spiritualem, & legalem. Naturalis, est propinquitas per carnalem propagationem contracta duarum personarum, quarum vna est ex altera, vel ambæ ex eâdem promanant: & reddit hæc propinquitas inualidum coniugiū vsque ad quartum gradum inclusiuè, vt patet, c. *non debet*, *Extra de consanguinitate & affinitate*: olim verò ante Conc. Lateranense vlq; ad septimum gradum impediebat, vt constat. 35. q. 5. can. *ad sedem*. Coniuncti paterno sanguine, *agnati* vocantur: materno autem, *cognati*: & hi omnes *consanguines* appellantur. In eo autem consanguinitas ab affinitate distinguitur, quod consanguinitas eorum sit vinculum, qui ab vno per sanguinis participationem descendunt: affinitas verò eorum sit, qui non per propagationem, sed per vnionem duorum in carnem vnam coniunguntur. Vnde consanguinei vnius coniugis, efficiuntur affines alterius, non autem consanguineis eiusdem. Et quidem affines sunt in eo gradu alteri coniugum, in quo sunt consanguinei vni. Est autē consanguinitatis gradus, distantia maior vel minor vnius personæ ab altera, secundùm consanguinitatis lineam.

Agnati ex paterno sanguine. Cognati ex materno sang. Consanguinitas.

Affinitas.

Gradus cōsanguinitatis.

Est autem linea hæc duplex: scilicet recta inter eos, quorum vnus est ab altero mediatè vel immediatè; & transuersalis inter eos, quorum neuter ab altero, sed vterque à tertio, vel immediatè descendit, vt fratres; vel mediatè, vt patrueles, & consobrini.

Linea recta, & trāsuersa.

Vt autem constet, quoto gradu consanguinitatis vna persona distet ab alia, tres regulæ obseruandæ sunt. I. est. In linea recta tot gradus numerandi sunt, quot numerantur personæ, omisso stipite. II. In linea transuersali æquali, in eodem gradu consanguinei distant à se, quo eorum quilibet secundùm lineam rectam distat à stipite. Itaque fratres, consanguinei sunt in linea transuersali in primo gradu, quia illorum quilibet in linea recta distat à stipite, vno gradu: consobrini duobus. III. regula. Qui sunt in linea transuersali, gradu inæquali, eo gradu inter se distant, quo remotissimus illorum secundùm lineam rectam distat à stipite. Itaque patruus & nepos distant in secundo gradu.

Palud. in 4. dist. 40. q. vnica.

Gradus cōsang. & affinitatis quomodo numerandi.

Sciendum tamen hîc est, in linea transuersali gradus aliter numerari à Iure Ciuili, aliter in Iure Canonico. Ius enim Ciuile personarum numerum respicit. Ius autem canonicum distantiam à stipite, vt docet Alexander can. *ad sedem*, qu. 5. &

In pandectis tit. de gradibus.

5. & Canoniſtæ circa caput: *Quòd dilectio, de conſanguinitate & affinitate.* & cap. *Finali, eodem.*

Ius canonicum reſpicit diſtantiam à ſtipite.

Ratio autem canonicæ ſupputationis eſt, quia perſonæ in ordine tranſuerſo non coniunguntur, niſi ratione ſtipitis, à quo procedunt. Vndè inter ſe magis aut minùs diſtare nequeunt, quàm à ſtipite, cùm eo gradu inter ſe coniungantur, vel diſtent, quo ſtipiti vniuntur, vel ab eo diſtant. Hinc idem gradus eſt Patrui & Filij fratris, qui eſt duorum Patruelium: ſiquidem non minùs diſtat filius Fratris à Patruo, quàm ab Avo, in quo vtérque coniungitur, ſicuti patrueles in auo ſuo coniunguntur, à quo diſtant ſecundo gradu.

Si quis interroget, cur graduum ſupputatio non ſe in infinitum extendat, ſed certo graduum numero terminetur? RESPONDEO, virtutem paternam in filium traductam, per quam ſimilis ei redditur, non ſolùm in ſpecie, ſed etiam in individuo, complexione, moribus, colore, lineamentis, ob quæ peculiaris inter conſanguineos affectio naſcitur, paulatim diminui, tandémque poſt aliquot generationes euaneſcere, quod poſt quartam generationē fieri plerúmque ſolet. Ideo legiſlatores certum graduum numerum cōſanguinitati præfixerunt. Moyſes quidem in Leuitico duos gradus in recta linea prohibuit: coniugium ſcilicet patris cum filia, & cum nepte: & matris cum filio, & nepote. In tranſuerſa verò prohibuit coniugium fratris cum ſorore, ſiue ex vno, ſiue ex vtróque parente, & nepotis cum amita, vel matertera: non tamen prohibuit coniugium patrui vel auunculi cum filia fratris aut ſororis.

Leuit. 18. Quos gradus Moyſes prohibuerit.

Quoad affinitatem verò, in recto ordine prohibuit coniugium filij nouerca, & patris cùm nuru, & cum priuigna vel eius filia. In ordine autem tranſuerſali, prohibuit coniugium cum vxore fratris, & cùm ſorore vxoris viuentis, & cum vxore patrui: vbi duo gradus prohibiti reperiuntur, tam in conſanguinitate, quàm in affinitate. Nam filia priuignæ eſt in ſecundo gradu cum patre; & vxor patrui in ſecundo gradu cum nepote.

Quanquam verò lex diuina hos paucos gradus matrimonia impedire conſtituerit; lex tamen ciuilis, & Eccleſiaſtica plures addiderunt, & quidem olim vſque ad ſeptimum gradum, nunc verò vſque ad quartum tantùm prohibentur coniugia. Quia enim matrimonium ſuper contractu politico fundatur, qui ſecundùm tempora & hominum conditiones mutationem admittit, ſimúlque in naturæ officium, humanæque fragilitatis remedium inſtitutum eſt: Ideo Chriſtus circa materiam huius Sacramenti in genere poſitam, Eccleſiæ poteſtatem dedit, prohibendi aut admittendi plures aut pauciores gradus conſanguinitatis, & affinitatis, ad validè contrahendum, prout beneuolentiæ, amicitiiſque multiplicandis expedire ſenſerit.

Coniugia vſque ad quartū gradum prohibita.

Gradus prohibiti ob reuerentiam ſanguini exhibendam & ad amicitiā dilatādam.

Quia verò nunc hominum vita breuis eſt, nec vltra quartam generationem vulgò protenditur; ad amicitiam veluti fugientem reuocandam, prohibitio iuſta ratione ad quartum gradum reſtricta eſt, cùm ſufficiat ad reuerentiam conſanguineis exhibendam, & confœderationes dilatandas. Ob quas cauſas, certos gradus fuiſſe vetitos conſtat: vt Auguſtinus docet lib. 15. *de ciuit.* ca. 16. & 22. Ambroſ. epiſt. 66. Greg. lib. 12. epiſt. 31.

Concil. Laterauenſ. c. 50. Ariſtot. lib. 2. politic. Aug lib. 2. de ciuit. c. 4. Lib. 22. cōt. Fauſt. c. 35. S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 9.

CAP. CXL.

Vtrùm præcepta de gradibus cognationis & affinitatis, sint Iuris naturalis, in quo Ecclesia dispensare nequeat?

Deus in omni gradu dispensare potest.

IVre naturali prohibetur, quod fini matrimonij repugnat, siue primario, qui est prolis generatio, siue secundario, qui est liberorum educatio, adiutorium, infirmitatis solatium, aliáque coniugalia officia: quæ omnia cùm in omni gradu cognationis & affinitatis subsistere queant, sequitur, nullum gradum esse, in quo coniugium ita sit intrinsecè malum, in quo Deus author naturæ dispensare nequeat, scilicet etiam, vt filia cum patre coëat, quod in extrema propagandi generis humani necessitate sibi licitum esse, filiæ Loth crediderunt, quæ ex patre liberos conceperunt. In quo licet peccarint, decipiendo patrem, nec eius requirendo iudicium; attamen in eo casu non repugnare humanæ rationi constat. Vndè illas omni crimine Chrysostom. & Ambros. liberant Augustinus verò peccasse dicit, non tam ardore libidinis, quàm amore nimio posteritatis.

Chrysost. hom. 44. in Gen. Ambro. lib. de Abraham cap. 6. Aug. li. 22. cõt. Faust. ca. 49.

Quamuis ergo Deus in omni gradu absoluta potestate dispensare possit: attamen ex prima coniugij institutione luculenter discimus, non conuenire, vt pater filiæ coniungatur. Ideo enim masculum & fœminam creauit Deus, illósque matrimonio iunxit, ac de futuris reliquis matrimoniis dixit: *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Quibus verbis apertè innuitur, omnia coniugia inter ascendentes & descendentes esse vetita, tùm propter nimiam propinquitatem, tum propter ætatis inæqualitatem.

Omnia cõiugia inter ascendẽtes & descendentes vetita.

Accedit, quòd vxor viro naturaliter subiici debeat, mater verò liberis præesse, cui etiam obedientiam, reuerentiam, subiectionémque exhibere tenentur, quæ in vsu coniugij filij cum matre stare nequeunt; iuxta illud Leuitici 18. *Turpitudinem Patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies*: id est, filia non cum patre; nec filius cum matre coibit. Quod præceptum ius naturæ continet, vetans coniunctionem in primo gradu in linea recta. Vndè Ambros. *Ne pater filiam suam accipiat vxorem, interdictũ est naturæ iure; interdictum est lege, quæ est in cordibus singulorum: interdictum est inuiolabili præscriptione pietatis, titulo necessitudinis.* Hinc ab huiusmodi connubus naturaliter Gentes abhorrent: & Persæ, qui huiusmodi coniugia inter proximos admittunt, ab aliis feri & barbari habentur: quos reprehendit Tertullianus in Apologetico cap. 9. Chrysostom. hom. de Pentecoste, Augustinus quæst. 61. in Leuiticum, Theodoretus in lib. *de legibus*. Quin & Aristoteles lib. 2. Politic. vxorum communionem ex eo cõfutat, quòd liberi parentibus misereantur; quod adeò naturæ aduersatur, vt dicat, camelos nolle matribus misceri. In quo consentit Plinius lib. 8. Histor. cap. 42. Inde nostro seculo prodigiosum Henrici VIII. cum Anna Bolena, ipsius ex adulterio filia coniugium: de quo Nicolaus Sanderus de Schismate, fol. 64. 65. 86. & 88.

Ambros. epist. 66.

Persæ coniugia inter proximos ad mittentes feri habentur.

Vxorum cõmunionẽ repudiat Aristoteles. Li. de hist. animalium. cap. 47. Camelus non miscetur matri. Prodigiosum patris & filiæ coniugium.

Quare nullo Iure homo in hoc primo gradu in linea recta dispensare potest. Similiter iure naturæ in primo gradu transuersali consanguinitatis coniugia vetita sunt, puta inter fratres & sorores, siue ex

In primo gradu nulla dispensatio cadit.

vtroque, siue ex altero parente. Nam id semper & vbique apud omnes homines, recta vtentes ratione iudicatum est malum, nisi extrema cogente necessitate obligatio cessaret, vt accidit filiis Adæ, qui sorores accipere debuerunt, vt notat Augustinus lib. 15. *de ciuit.* cap. 16. Hinc talia coniugia morte puniuntur; nec vlla sanctorum exempla, qui in hoc gradu contraxerint, reperiuntur. Neque vnquam dispensatio in hoc gradu ab vllo Pontifice facta legitur, etiamsi non defuerint, qui eam instantissimè petierint, vt de Comite Armeniaco refert Æmilius in Ludouico vndecimo. Suetonius inter Caij flagitia enumerat, quòd Drusillam sororem, vxoris loco habuerit.

Leuit. 20. Caius sororem in vxorē accepit.

Si quis obijciat, Abraham duxisse Saram, quam sororem allegauit: RESPONDEO, Saram fuisse consanguineam; videlicet neptem, ex fratre Abrahæ Aran progenitam, vt constat ex cap. 11. Genes. vbi Thare genuit Abraham, Nachor, & Aran. Aran verò genuit Melcham & Ieschan, quæ alio nomine *Sarai* vocabatur, teste Iosepho libr. 1. Antiquit. cap. 14. Hieronymo *in quæst. Hebraicis* in cap. 11. Gen. & in libr. *cont. Heluidium.* Augustinus lib. 16. *de ciuit.* cap. 12. & 19. & libr. 22. *cont. Faust.* cap. 35. Et quidem illo tempore non licuisse sororem accipere vxorem, ex cap. 12. Genes. 20. & 26. liquet., vbi Abraham & Isaac occultare suæ coniugia volentes, dixerunt: *Soror mea est*, vt Palæstini audito sororis nomine, vxorem non esse crederent. Quod locum non habuisset, si gentium more coniugium cum sorore licitum fuisset.

Gen. 20. Sara fuit neptis Abrahæ, filia Aram fratris.

Scripturæ Sacræ consuetudo est, patrueles & neptes vocare fratres & sorores. Genes. 13. Abraham, Loth fratrem suum vocat. Genes. 26. Isaac, Rebeccam vocat sororem. Tobiæ 8. *Non luxuriæ causâ accipio sororem meam vxorem.* Præterea, quòd inusitatum fuerit, vt frater sororē acciperet in vxorem, euincit Historia Thamar & Amon. 2. Reg. 13. Nec obstat, quòd illa turbata dixerit: *Pete à regē, & non negabit me tibi.* Nam illud repentè illi occurrit effugium, vt impetum eius retardaret, sperans, eo modo incestum euitare.

Patrueles & neptes, vocantur in scripturis fratres & sorores.

Coniugiū inter fratrē & sororem illicitum.

Quare patet, primum consanguinitatis gradum tam in recta, quàm in transuersa linea, iure naturæ vetari: similiter primum affinitatis gradum in linea recta, priuigni cum nouerca, vitrici cum priuigna, generi cum socru, atque soceri cum nuru. Ideóque contrà facientes morte mulctantur. Ruben propter agnitam Patris concubinam, primogenitura caruit. Apostolus nec inter Gentes audiri scribit, quòd nouercâ quis abutatur. Hinc Antoninus Caracalla notatur, quòd à Iulia nouerca non abstinuerit. Adonias morte punitus fuit, quia Abisag petuit in vxorem.

In primo gradu consang. vel affinit. cōtrahentes in linea recta, morte mulctantur.

Leuit. 20. 1. Cor. 1.

Eutropius in vita Antonini.

Cæterum primus affinitatis gradus in linea transuersa, minimè iure naturæ prohibitus est. Nam lex Moysis permittit coniugium cum vxore fratris defuncti, sicuti & cum sorore vxoris defunctæ; & in hoc gradu per Ecclesiam sæpius dispensatum esse legimus, vt habetur cap. *Finali de diuortio.* Alexander VI. cum Catharina, Arthuri Principis Valliæ coniuge, dispensauit, vt defuncto marito, Henricum VIII. acciperet, anno MDIX.

3 Reg. 2. In primo gradu affinitatis, in linea transuersalis dispensatio locum habet. Deut 25.

Sāderus de schism. Anglicano fol. 3. & sequēt.

Primus ergo affinitatis gradus in linea transuersa, & secundus ac tertius quoque gradus cōsanguinitatis in eadem transuersa linea, non iure naturæ, sed Mosaico Iudæis vetа-

Gen. 29. 38. bantur: siquidem Iacob vir sanctus, duas sorores in vxores accepit, & Iudas vxorem filij defuncti alteri suo filio tradidit. Et Amram Iochabed amitam suam vxorem habuit. Num. 26. Hi tamen gradus postea sunt Iudeis prohibiti, non sub mortis pœna, sed tantùm sterilitatis, quia non iuri naturæ, sed positiuo Mosaico repugnaret, in illis gradibus coniungi. Leuitici 18. Leuit. 20. Cùm ergo hi gradus vsque ad quartum tantùm iure ecclesiastico nunc prohibeantur, ex causa in eis dispensari potest iuxta Concil. Tridentinum sess. 24. cap. 5. reform. & can. 3.

CAP. CXLI.

De cognatione spirituali & legali.

PRæter supradictos consanguinitatis & affinitatis gradus, Ecclesia spiritualem cognationem & legalem, necnon affinitatem ex iustitia publicæ honestatis, & ex coitu fornicario exortam adiecit.

Cognatio spiritualis contrahitur ex Baptismo & Confirmatione, ac intra primum tantùm gradum coniugia dirimit: similiter & iustitia publicæ honestatis, quæ ex validis sponsalibus contractis nascitur. Affinitas verò contracta ex fornicatione, vsque ad secundum gradum dirimit, iuxta Concilium Tridentinum sess. 24. c. 2. 3. & 4. reform.

Cognatio legalis per adoptionem nata, dirimit in primo gradu tam cognationis, quàm affinitatis, inter ascendentes & descendentes. Inter collaterales verò impedimentum cessat, adoptione per emancipationem vel mortem sublatâ.

Cognatio spiritualis intra primũ gradũ coniugia dirimit.

Iustitia publicę honestatis similiter.

Affinitas ex fornicatione vsque ad secundum.

Cognatio legalis in primo dirimit gradu.

CAP. CXLII.

De reliquis Matrimonij impedimentis.

QVintum cõiugij impedimentum est, Adulterij crimen, cum matrimonij contractu de facto attentato. cap. *Super hoc, Extra de eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.* Adulterium.

Sextum impedimentum, est cultus disparitas, id est, contractus coniugalis baptizati, cùm non baptizata, vel contrà. Iure enim naturæ vetatur, quod fini matrimonij aduersatur: atqui finis est non solùm generatio prolis, sed & educatio, quæ vtrique parenti incumbit. Ne autem infidelis ad suam perfidiam inducat prolem, monet Apostolus: *Nolite iugum ducere cum infidelibus:* & Ecclesiasticus: *Amicus stultorum similis efficietur:* Et, *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ.* Quanquam verò talia matrimonia iure naturæ & diuino tanquam periculosa prohibeantur, ideóque sint illicita; non tamen sunt nisi iure positiuo irrita: vnde permissa huiusmodi matrimonia, piam ob causam, legimus. Isaac Rebeccam duxit, Iacob Liam & Rachelem, Ismaël & Ioseph Ægyptias, Esau Chananæam, Moyses Madianitem, Salmon Raab, Booz Ruth; Dauid, filiam regis Gessur, Salomon filiam Pharaonis, Samson Dalilam, Hester nupsit Assuero. Hortatur & Apostolus, vt si infidelis consentit habitare, non dimittatur. Sic Monica nupsit Patritio. Concil. Chalcedonense permittit coniugia cum infidelibus, spem conuersionis præbentibus. Sic Clotildis Clodoueo infideli nupsit, teste Gregorio Turonensi lib. 2. histor. cap. 28. Filia regis Francorum,

Cultus disparitas.

2. Cor. 6. Eccles. 13. Prouerb. 13.

Coniugia cum infidelibus iure positiuo vetita.

Gen. 24.

1. Cor. 7.

Aug. lib 9. confess c. 9.

Concil. Chalced. cap. 13.

Regi Angliæ, teste Beda lib. 1. histor. c.35. lib.2.cap.9. & 10. Et Petrus 1. epist. cap. 3. hortatur mulieres fideles, viris infidelibus subesse.

Quoad legem Moysis, ambigi potest, vtrum omnia matrimonia cum infidelibus, prohibita fuerint Israelitis: an solùm cum illis gentibus, cum quibus nulla inire fœdera poterant, quia interfici ac deleri ad internecionem iubantur; vt patet Deut. 7. cum aliis enim gentibus permissa fuisse coniugia legimus, Deut. 21. Et multi sancti viri ex aliis gentibus vxores acceperunt, vt Dauid filiam regis Gessur; Salomon initio regni sui, filiam Pharaonis. Esdras tamen lib.1. cap.9. & 10. generaliter intellexisse videtur legis prohibitionem. Nam huiusmodi coniugia separauit, natósque filios vti spurios abiecit. Vide Augustin. lib. 1. *de adult. coniugiis.* cap. 18. & 25. vbi ostendit illud Apostoli: *Cui vult, nubat, tantùm in Domino*, posse variis modis intelligi: primum, *in Domino*, id est, ad honorem Domini, cum pudicitia & honestate. Tertullian. lib. 2. *ad vxorem*; & lib. *de corona milit.* coniugium fidelis cum infideli, vocat *adulterium*. Cyprian. serm. 5. *de lapsis*, *Prostitutionem membrorum Christi*. Ambros. lib. 1. *de Abraham*, cap.9.epist.70. Hieronym. lib. 1. *cont. Iouinian.* cap. 5. Concil. Arelatense I. can.11. Aurelianum II. can.18. & III. can. 10. *separari fidelem ab infideli* iubet. Coniugia cum hæreticis inire, vetatur in Concilio Elibertino can.15. & 16. Concilio Laodiceno, can.31. Concilio Chalcedonensi can. 13. Toletano III. can. 14. Cuiusmodi connubia cum hæreticis, quamuis illicita sint, attamen valida sunt: Can. *Caue.* 28. quæst. 1. Et Innocent. III. lib.4. Decret. tit. *de diuortiis*, cap. *Quanto*. Concil. Trullan. can. 72. decernit irrita taliamatrimonia, sed nullius authoritatis est.

Aug. lib. de fide & oper. c.19.

Coniugia cum hæreticis prohibita.

Septimum Impedimentum est, Vis: quæ si externa verba sine interiore consensu extorquet, contractus matrimonij est nullus; si autem metu in virum constantem cadente consensum extorqueat, Ecclesiastico iure matrimonium irritatur. Si autem metu iusto, vel in virum constantem non cadente consensus extorqueatur, matrimonium sic contractum subsistit. Vis & iniustus metus.

Octauum Impedimentum est, Ordo sacer, adiunctum habens ex statuto Ecclesiæ votum solenne castitatis. Ordo sacer.

Nonum est, ligamen, id est, prioris coniugij vinculum. *Erunt enim duo in carne vna*, non plures. Coniugiũ.

Decimum est Honestas, quæ affinitatis inchoatio est: de qua Cõcil. Tridentinum statuit: *Iustitiæ publicæ honestatis impedimentum, vbi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, sancta synodus prorsus tollit: vbi autem valida fuerint, primum gradum non excedant.* Publica honestas. Sess. 24. c. 3. reform.

Vndecimum est affinitas, id est, propinquitas duarum personarum, ex copula carnali cum alterius consanguinea orta. Cuius gradus per ordinem graduum consanguinitatis distinguuntur, siue per rectam, siue per transuersam lineam. Impedit autem affinitas, ex legitima copula exorta, vsque ad quartum gradum inclusiuè: ex illicita verò copula orta, vsque ad gradum tantùm secundum, iuxta decretum Concil. Tridentin. sess. 24. capit. 4. reform.. Affinitas.

Affinitas in primo gradu lineæ rectæ, naturæ iure prohibetur, nouercæ cum priuigno. Nam quæ vna caro fuit cum patre, debet priuignum regere, non autem ei subesse.

Accedit, quòd ei materna quædam reuerentia debeatur.

Impotentia perpetua.

Duodecimum Impedimentum est, impotentiâ perpetua coëundi, siue ex impotentia naturali, quæ *frigiditas* dicitur, dum vir in loco naturali feminæ veram seminationem exercere nequit, aut mulier ita arcta est, vt marem admittere nequeat: siue ex causa accidentaria superueniat, vt ex castratione, aut membri genitalis abscissione, vel præstigiis, quæ impotentia maleficij nomine generaliter comprehenditur. Censetur autem impotentia perpetua, quæ absque miraculo, vel notabili corporis aut animæ damno tolli nequit: tunc porrò censetur, tolli non posse, quando per triennium durasse probatur. cap. *Laudabilem* & cap. *Litera*, *Extra de frigidis & maleficiatis.*

Frigidi, maleficiati.

Præterea sciendum est, solam impotentiam matrimonium dirimere, quæ præcedit: nam subsequens, cõiugium nec impedit, nec dirimit, August. teste lib. 1. *de serm. in monte*, cap. 32. & refertur 32. q. 5. can. *Si vxorem.* &, *His qui*, 32. q. 7. Nam qui potestatem ad coniugalẽ actum non habet, alteri tradere sui corporis potestatem ad eum actum nequit: at superueniens impotentia eum actum solummodo suspendit. Possunt tamen, qui post coniugium impotentiam deprehendunt cohabitare, tanquam frater & soror, iuxta cap. *Consultationi. Extra de frigidis & maleficiatis.*

Impotẽtia præcedens dirimit, nõ subsequẽs.

An verò hi letaliter peccent, si actum coniugalem attẽtent, etiamsi non ignorent, se perfectum coitus actum (qui in seminatione constit) elicere non posse, tractat Nauarrus in Enchir.

Senes & steriles validè cõtrahunt.

Senes insuper & steriles, qui non habent expeditam generandi facultatem, cùm habeant facultatem exercendi perfectũ coniugij actum, per veram seminationem ex natura sua generationi aptam, validè matrimonia contrahere possunt.

Masculi ante XIV. annũ feminæ ante XII. non contrahũt.

Sed pueri impuberes, masculi scilicet, ante decimum quartum annum expletum; feminæ autem ante duodecimum; (nisi malitia ætatem suppleat) validè non contrahunt, quia non posse coire præsumuntur.

Clandestina matrimonia irrita.

Sess. 24. reform. ca. 1.

Postremum coniugij impedimentum est, clandestinus contractus, non coram parocho & testibus, neque coram alio ordinario factus: qualia matrimonia Concilium Tridentinum non solummodo prohibuit, sed etiam irrita esse decreuit.

CAP. CXLIII.

De impedimentis, quæ impediunt contrahendum matrimonium, sed non dirimunt contractum.

Impedimenta cõtrahendi.

DVo sunt impedimenta, coniugium, ne contrahatur, prohibentia, sed tamen actu contractum non dissoluunt. Prius est interdictum, siue prohibitio Canonis, Episcopi, Iudicis, aut parochi ex iusta causa. Tale impedimentum est

Raptus.

Raptus: vnde si puella post raptum loco tuto constituta, libero consensu contrahat, validum est matrimonũ, secus minimè, iuxta Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 6. reform. Simile quoque impedimentum, est votum simplex. 1. Timoth. 5. August. lib. *de bono viduitatis* cap. 9. & 10.

Votum simplex.

Secundum impedimentum est

Tempus feriarum.

tempus Feriarum: quo vetantur solennitates matrimonij, nempe solennis in Ecclesia benedictio, & sponsi ac sponsæ cum pompa deductio: item conuiuia publica, saltationes, & huiusmodi, quæ fidelium

deuotionem, quietem, ieiunia, & commodam præparationem ad sumendam Eucharistiam impediunt: de quo impedimento Gratianus agit 35. q. 4. Concil. Agathense can. 18. Laodicense, can. 25. Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 10. reform. ad duo tempora hanc prohibitionem redigit, scilicet ab Aduentu Domini vsq; ad Epiphan. & à die Cinerum vsque ad octauam Paschæ, quia his temporibus passim fideles se ad communionem præparant, & tempora sunt luctui magis accommoda, quàm lætitiæ. Quibus tamen temporibus, licet Ecclesia solemnitates coniugij prohibuerit, non tamen inhibuit celebrari matrimonia per verba de præsenti, neque matrimonij consummationem; quamuis id congruat, vt fideles certis temporibus orationi, & præparationi ad communicandum deputatis, ab officio coniugali abstineant, vt ex Apostolo 1. Cor. 7. colligitur, & Exodi 19. Iudæi legē à Deo accepturi, triduo præparari iubentur, nec accedere ad vxores. Ac 1. Reg. 21. continere debuerat, panes propositionis manducaturus: multò ergo magis panem cælestem, panem Angelorum sumpturus; vt argumentatur Hieronymus lib. 1. *cont. Iouinianum*, & in Apologia.

Ab aduentu vsque ad Epiphaniã.

Adie cinerum vsque ad 8. Paschæ.

Solemnitates prohibet non nuptias.

CAP. CXLIV.

Vtrum matrimonia inuitis parentibus contracta, nulla sint?

QVamuis parentum directionem in statu eligendo liberi ordinariè sequi teneantur, peccéntque, si absque rationabili causa insciis, aut inuitis parentibus matrimonia contrahant: attamen solus liberorum legitimus consensus matrimonium efficit, ita vt neque à parentibus, neque à magistratu irritari possit aut debeat, mitum à filiis coniugium absque parentum consensu. Nam in iis, quæ ad naturæ officia spectant, filij adulti sui iuris sunt: similiter in eis, quæ certi vitæ status electionem concernunt. Nihilominus eum honorem filij parentibus debent, vt absque illorum consilio, minus inuitis & repugnantibus, in tanti momenti negotio nihil attentent, cùm parentes communiter sint filiis prudentiores, eisque optimè consultum velint, quos naturaliter impensissimè diligunt.

Filij validè absque parentum consens. cõtrahunt.

Concil. Trid. sess. 24. c. 1. reform.

Parentum insuper est, filiis thesaurizare, ac de conueniente vxore prospicere, vti Abraham Isaaco prouidit de Rebecca. Ambros. lib. 1. *De Abraham* cap. vlt. Similiter Iacob à parentibus ad Labam est missus, cuius filias ipso consentiente accepit. Item parentes, Saram Tobiæ tradiderunt. Item Deuter. 7. & Exodi 22. & 34. *Non accipies filio tuo filiam illius, nec dabis filiam tuam filio eius.* Eodem illud Eccles. 7. pertinet: *Trade filiam tuam, & grande opus feceris: homini sensato da illam.* Et 1. Cor. 7. *Qui tradit virginem suam bene facit.*

Gen. 24.

Gen. 28.

Tob. ca. 7.

Parentum est de coniuge prouidere.

Æquum verò planè fuit, vt matrimonij cura parentibus relinqueretur, quorum interest scire, quænam loco nurus, & quisnam loco filij domum seu familiam sit ingressurus. *Venturam in locum filiæ tuæ*, inquit Ambros. *debuisti eligere iudicio, cui fieres pater.* Nam plerúmque filij parentum indigent auxiliõ, consiliõ, & solatio: inhumanum autem est, alendam loco filiæ parentibus obtrudere, quæ inuisa sit, iurèque displiceat.

Epist. 43.

Liberi Parentũ consilio acquiescere debent.

Denique cum mueniles amor

sæpe cæco feratur impetu, securius per parentes vxor filio quæritur. Vndè vituperatur Esau, quòd inuisas parentibus vxores duxerit: Iacob verò laudatur, quia patris matrisque consilio acquieuerit. Iustam enim patris esse indignationem, si filius eo reclamante vxorem acceperit, Ambrosius agnoscit. Attamen si post annos pubertatis filius aut filia, insciis vel nescientibus etiam parentibus, coniugium contrahat, validum erit. Nam à contrahentis libero consensu hic contractus dependet, iuxta illud Gen. 24. *Inquiramus voluntatem eius.* Et 1. Cor. 7. *Cui vult, nubat.* Vndè Isaac dispicentia filij Esau matrimonia non dissoluit. Et Iacob vnam quidem parentum consensu, alias verò incontultis eisdem accepit. Tobias quoque Angeli suasu, non expectato parentum consensu, vxorem accepit.

Gen. 26.

Epist. 43.

Gen. 26. 28.

Tobiæ. 7.

CAP. CXLV.

Cuius sit, in matrimonij impedimentis dispensare?

Causæ matrimoniales ad Ecclesiæ forũ pertinent.

IN omnibus impedimentis matrimonij Ecclesiastico iure, vel Christiani populi more constitutis, Romanus Pontifex dispensare potest; ad cuius tribunal & iudicium matrimoniales causæ pertinent; putà de Sacramenti partibus, de Sacerdotali benedictione, de Cognationis gradibus, de Diuortiis, de Impedimẽtis contractus. Nam hæc omnia ad res conscientiæ ac spirituales spectant. Non enim apud Christianos contractus legitimus matrimonij à Sacramento Matrimonij separatur: de Sacramentis autem, rebúsque conscientiæ, quæ ex legibus diuinis pendent, iudicare, pastorum Ecclesiæ est, quorum summus est Romanus Pontifex, Christi Vicarius, qui diuortij & repudij causam, non ad politicum Magistratum remisit, sed ipse iudicauit. Similiter & Apostolus de coniugiis leges tulit, sempérque vsu in Ecclesia recepto, de causis matrimonialibus non reges, sed Pontifices consulti sunt, vt meritò Concilio Tridentino anathema dictum sit eis, qui asseruerint, causas matrimoniales ad iudices Ecclesiasticos minimè pertinere. Attamen causæ matrimoniales, merè politicæ, quales sunt de dotibus, de successione, de hæreditatibus, politico magistratui subsunt: mixtæ verò eidem quoque subsunt, cum subordinatione tamen ad Ecclesiasticum iudicem, ita vt si lex ciuilis Ecclesiasticæ aduersetur, eidem cedere debeat; prout in Iustiniani lege consobrinorum, permittente coniugia euenisse conspicimus; quam D. Greg. in epist. *ad Augustinum Anglorum Episcopum*, reiecit, vniuersa comprobante Ecclesia.

Matth. 5. & 19. 1. Cor. 7.

Sess. 24. can. 12.

Parag. Denunciationes sponsalium.

CAP. CXLVI.

De Ceremoniis Sacramenti matrimonij.

QVia inter Christianos non res humana, sed diuina, est matrimonium, ad illud cum summa pietate, religione, atque sanctimonia accedendum est. Proinde confessio Sacramentalis rectissimè præmittitur; & à proprio contrahentium parocho, tribus continuis festis diebus, inter Missarum solennia publicæ denunciationes personarum desponsatarum fiunt: quibus peractis, si nullum obstet impedimentum, ad celebrationem matrimonij in Ecclesiæ facie proceditur; vbi parochus intellecto contrahentium

Duorum Instit. de nupt. 35. q. 2.

trahentium mutuo consensu, eis benedicit, dicendo: *Ego vos in matrimonium coniungo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; aut verbis aliis vtitur, iuxta receptum cuiusque Prouinciæ ritum. Cuius benedictionis typus extat Tobiæ 7. *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob vobiscum sit, & ipse coniungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis.* Hæc benedictio significat, nuptias esse à Deo, quibus videlicet ab initio benedixit, & Christus sua præsentia honorauit, eisque primam benedictionem, aquam in vinum conuertendo, restituit.

Ioan. 2. Prou. 19.

Cõcil. Carthag. 4. can. 13.

Postquam verò coniuges à sacerdote in Ecclesia benedictionẽ consequuti sunt, oblatione sacrificij Eucharistiæ fœdus cõiugale firmatur, ac pro eiusdem felici successu preces Deo funduntur: cuius ritus meminit Tertull. lib. 2. *ad Vxorem.*

Ceremoniæ coniugij.

Velaminis significatio.

Postea velamine sponsæ obnubuntur, in typum subiectionis, verecundiæ, ac humilitatis, exemplo Rebeccæ. Ambros. epist. 70. & lib. 1. *de Abraham.* cap. vlt. Isidorus lib. 2. *de Offic. Eccles.* c. 19.

1. Cor. 11. Gen. 24.

Vitæ applicatio.

Deinde vita partim candida, partim purpurea coniunguntur, ne cõpagem vnitatis coniugalis dissipent, moneantque interdum orationis causa continere, aliàs verò posse liberis procreandis vacare, nec debitum exigenti negare.

1. Cor. 7.

Annuli traditio.

Quibus peractis sponsus annulum, à sacerdote benedictum, sponsæ donat, in signum mutuæ fidei, & in pignus amoris perpetui.

Cohortatio.

Postremo, sacerdotali cohortatione cõiuges officij sui admonẽtur, vt se in matrimonio, Christiano more gerãt; qualiter parẽtes Saræ, vxoris Tobiæ, ipsam admonuisse legantur, vt socerũ honoraret, maritũ diligeret, familiã regeret, domũ gubernaret, seipsam in omnibus irreprehensibilem exhiberet.

Tob. cap. 10.

CAP. CXLVII.

De officio coniugum.

IN eligendis maritis quatuor potissimùm spectari solent: I. Virtus. II. Genus. III. Pulchritudo. IV. Oratio. In feminis autem tria: si generosa, si bene morata, si pulchra: magis enim genus & mores, quàm diuitiæ quæri debent; ac pudica, formosæ præferẽda est.

Isid. lib. 2. de offic. Eccl. c. 19.

In coniugibus eligendis attendenda.

Præcipua verò mariti officia sunt, vxorẽ liberaliter ac honorificè tractare, illam veluti sociam, carnémq; suam diligere. Ideo enim non ex pedibus, nec ex capite facta est mulier, sed ex latere viri, vt intelligatur, quòd vxor non viri domina sit, neque famula, sed socia, vxorio affectu complectenda, etiamsi deformis, sterilis, ætate vetula, fœtida, temulenta, iracunda, malis moribus prædita, luxuriosa, gulosa, fatua, vaga, iurgatrix, maledica.

Mariti officia.

Mulier ex latere viri, tanquam socia producta.

Alterum viri officium est, domui suæ prouidere, filiis thesaurizare, honestę rei studio incumbere, vt necessaria familiæ acquirantur: proinde ab inerti otio caueat, à lusu & aliis, quibus opes exhauriuntur, vitiáque omnia profluunt.

Gen. 30.

Viri est, domui prouidere.

Postremum viri officium est, familiã in Dei cultu rectè instituere, omniúmq; domesticorũ mores obseruare, corrigere, singulósq; in officio sollicitè continere. Iuxta illud Gen. 18. *Scio quòd præceperit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viã Domini.* Et Tobias filium timere Deũ ab adolescentia docuit, & abstinere ab omni peccato.

Familiam in Dei cultu instituere.

Tobiæ 1.

Vxoris officium est, viro tanquam Domino subijci, ei placere, ac in omnibus honestis & honestis obedire, secundùm S. Petri doctrinã 1. epist. c. 3. & B. Pauli 1. Cor. 7. ad Ephes. 5.

Gen. 18. Vxoris officium. 1. Petri 3. Ephes. 5.

Placere verò studeat mulier viro pietate, prudentia, sobrietate, ornatu mētis, non fuco faciei; neque superfluo corporis ornatu. Pulchritudo enim animæ stabilis est, stabilémq; marito conciliat amorē: corporis autem, morbo vel ætate, aut mutilatione facilè perit, vt Chrysost. ostendit hom. 20. in epist. ad 2. Tim. 2. Ephes. & hom. 4. in epist. ad Timot. in morali; & ho. 48. in Gen. Ambr. lib. *de Abraham* 1. cap. 2. dicit, *vxorem ornandam moribus, non monilibus; nec in capillatura aut auri & argenti*, vt ait Petrus 1. epist. cap. 3.

Deinde vxoris officium sit, filios in pietate, continentia, sobrietate, aliusque virtutibus educare, domesticas res industriè curare, domi se Tobiæ. 10. continere, à vago discursu & garrulitate abstinere, in silentio discere. 1. Tim. 5.

Postremo vxoris est, mariti iugum patienter ferre, asperos inconditósque eius mores, iracundiam, ac omnes coniugij tribulationes animo infracto superare, ac maritum errantem obsecrando blandè monerè, non intempestiuè; sed oportuno tempore, sicut Abigail Nabal admonuit, & Monica viri sui feritatem patientiâ vicit. 1. Reg. 25. Aug. lib. confess.

CAP. CXLVIII.

De Matrimonij bonis.

Matrimonij bona: Proles, Fides, Sacramentum. Aug. lib. de bono coniugali cap. 24. lib. 1. de Gen. ad lit. cap. 10. Ad Hebr. cap. 13. 2. Tim. 2.

TRiplex est Matrimonij bonū: Fides, Proles, Sacramentum. Horum bonorum compensatione, Coniugij miseriæ subleuantur, sexuúmque coniunctiones extra coniugium damnandæ, honestæ laudabiléque redduntur.

Prolis bonum tanti facit Apostolus, vt dicat, mulierem saluari per filiorum generationē, si tamen exemplo Saræ, Annæ, quæ Samuelem Domino obtulit, aliarúmque sanctarum exemplo seminarum, filios in omni sanctitate instituant. *Filij tibi sunt; erudi illos*, &c. Eccl. 7.

II. Matrimonij bonum est *Fides*, non habitus, quoad credendū Deo imbuimur, sed mutua fidelitas, qua coniugij fœdus inuiolatum conseruatur, sibique inuicem præter domestica obsequia cōiuges debitum reddunt, ita, vt neuter vnquā extraneo sui corporis potestātē exhibeat.

III. Coniugij bonum est, *Sacramentum*, id est, insolubile vinculum, significans, Christum nunquam Ecclesiam sibi per Incarnationem & amorem desponsatam, repudiaturum, vt ad Ephesios 5. Apostolus deducit.

Hæc tria matrimonij bona effi- Hebr. 13. ciunt, vt *Cōiugium sit honorabile, thorúsq; immaculatus*, imò apud Deum meritorius. Nam congressus matrimonialis, solo prolis ad Dei honorem educādæ desiderio factus, actus est religionis. Studio autem reddendi debiti susceptus, iustitiæ actus est. Fornicationis verò euitandæ causa, secundùm indulgentiam permittitur, & id quod extra coniugium foret dānabile, reddit veniale; vt Aug. 1. Cor. 7. docet lib. *de bono coniugali*, cap. 10.

CAP. CXLIX.

De malis, bono Matrimonij contrarijs.

Mala, bonis Matrimonij contraria.

PRolis bono aduersatur, sterilitatis vel abortus procuratio: & si quidem animato fœtu depellendo, homicidiū est: Aug. in Exodum q. 80. lib. 1. *de nupt. & concup.* cap. 15. Enchir. c. 85. 86. Basilius epist. ad Amphilochium cap. 2. Innoc. III. lib. 3. Decretaliū tit. 12. *de Homicidijs*. cap. *Sicut ex literarum*. Lege ciuili dantes amatoria pocula, ad metalla damnantur. In digesto nouo. lib. 48. tit. de pœnis. Lege 38. Paulus.

An verò prægnantis fœtum extinguere liceat, vt eius vita conseruetur? RESPONDENDVM est, *non esse facienda mala, vt eueniant bona*, Rom. 3. nunquam verò fas esse medico, innocentem interficere.

Bono Fidei repugnat adulterium, & negatio debiti, quando coniunx petit, & commodè ac licitè reddi potest, absque videlicet notabili damno animæ vel corporis. Nam indiuiduo saluo speciei consulendum est.

Bono Sacramenti contrarium est diuortium, contentiones, pugnæ, iræ, dissidia, separatus coniugum conuictus.

CAP. CL.

De Matrimonij vsu.

Obseruanda in vsu Matrimonij.

DVo in Matrimonij vsu potissimùm obseruanda sunt: *Prius* est, vt non libidinis exaturandæ causa, sed propter supradicta bona conueniatur. Vxor enim amanda est iudicio, non affectu; non vt adultera, in quam aliquis præcipiti fertur impetu, sed vt socia, propagationi generis humani necessaria; iuxta illud Tobiæ 8. *Tu scis Domine, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam coniugem, sed solà posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in secula seculorum.*

Posterius est, vt coniuges certis temporibus, orationis causa, vel percipiendæ Eucharistiæ reuerentiâ à cõplexu abstineant: nam si Israëlitæ legem accepturi, continere iussi sunt; quantò æquius est, Christianos id obseruare?

Exod. 19.

Greg. lib. 1. cap. 1.

Cauendum insuper est, ne cum graui corporis læsione debitum exigatur vel reddatur; aut in loco sacro, vel propatulo, Cynicorum more, aut menstruo tẽpore. Nam tunc proli nocetur, quæ nasci leprosa, vel elephantiaca, infirma vel deformis ex corrupto illo semine consueuit. Vndè prohibetur huiusmodi concubitus Leuit. 18. & 20. Ezechielis 18. Vidè Aug. q. 64. in Leuitic. Hieron. in dictum cap. Ezechielis. Admonendum tamen est, secundùm probabiliorem Doctorum sententiam, tantùm committi veniale peccatum, quando menstrui tempore debitum redditur, aut exigitur.

Vide Greg. de Valétia, to. 4. disp. 10. q. 7. p. 2.

Leprosus verò, aut sanguinis perpetuum fluxum patiens, absque peccato debitum reddere ac exigere potest, quia prolem generare, miseram futuram, sicut peccato obnoxiam licet, quando aliter nequit.

Præterea si coniunx spiritualem cognationem, vel affinitatem cum vxore contraxerit, aut votum continentiæ habuerit, ei non licebit absque dispensatione debitum exigere, sed bene reddere. Si autem vterque coniunx mutuo consensu vouerit, neutri fas est debitum exigere aut reddere. Quòd verò liceat mutuo consensu vouere, tradit August. *de bono coniugali* cap. 25. epist. 45. lib. 1. *de serm. Domini in monte capite* 14.

Coniuges mutuo cõsensu vouere possunt.

Deinde viro abstinendum est ab vxore grauida, & prægnante, maximè si periculum sit abortus. Nam & pecudes, postquã venter intumuit, masculum non admittunt, exceptis nonnullis. Qua de re August. lib. *de bono coniugali*, cap. 6. Hieron. lib. 1. *contr. Iouinianum*. Ambros. in fine lib. 1. in Lucam, lib. 5. Hexaëm. cap. 10. Lactant. lib. 6. *Diuin. instit.* cap. 23. Clemens lib. 6. *Constit. Apost.* cap. 28.

Postremo abstinendum est ab vsu coniugali post partum, donec Purgationis tempus transierit, quia tunc concipere nequit, & lac ad infantem alendum necessarium per

Purgationis tempus. Leuit. 12.

concubitum corrumpitur, & acescit. Vndè hortatur Greg. vt mariti vxores non tangant, donec infans ablactetur; quamuis post tempus purgationis congressum fieri posse admittat, ad fornicationem vitandam.

Gregor. ad Aug. Angl. Episcopū.

CAP. CLI.

De purgationis tempore.

TEmpus purgationis puerpere, à tempore partus, vsque ad ingressum Ecclesiæ, quo mulier enixa solet à menstrui fluxu, superfluisque humoribus emundari, nuncupatur. Et quidem in veteri lege, certa in mysterio Purgationis erant definita tempora: nimirum pro masculo, triginta tres dies; pro femina verò, sexaginta sex. Certis insuper ceremoniis mulier emundabantur à peccato, & à profluuio sanguinis sui, & legalis immunditia tollebatur. Nunc verò non ex obligatione alicuius legis, sed ex obseruatione pie consuetudinis, puerpera se domi continet, donec valetudinem recuperauerit. Nam si vires permitterent, & scādali occasio desit, mox à partu mulier Ecclesiam ingredi posset, Deoque gratias agere. Non enim humoris superfluitas, quam inuita patitur, in culpam ei potest imputari. Quare Ceremonia, quæ nunc à puerperis Ecclesiam ingressuris obseruatur, non est alicuius immunditiæ purgatio, sed tantùm gratiarum actio, qua B. Mariam, offerentem Deo Christum imitatur. Candela enim cerea, quam manu gestans ingreditur, adumbrat puerperam Deo gratias agere pro enixa prole, à Christo illuminata, cui maiorem indies illuminationem imprecatur.

Leuit. 12.

Pro masculo 33. dies. Pro femina 66.

Purificatio nunc est gratiarum actio.

Candelę significatio.

CAP. CLII.

De Prolis lactatione.

COngruentissimum proli natę, lac maternū esse, naturæ prouidentia demonstrat, quæ feminis vbera dedit, in quibus sanguis sistitur infanti familiaris, vt cibo assueto foueatur, vt notat Plinius lib. 28. hist. cap. 9. & Aulus Gellius lib. 12. cap. 1. Noctium Attic. vbi addit, quòd sicut plurimùm ad fingēdam corporis & animi similitudinem proprietates feminis conducunt, ita & lactis. Vnde Ambrosius lib. 1. *de Abraham* cap. 9. scribit, matres eos magis liberos diligere, quos ablactauerint; similiter & filios ardentius matres amare, quarum vbera suxerint: quod & in pecoribus locum habere videmus: notanter in agnis & ouibus; & exemplo filiorum expositorū, arborúmq; transplantatarum illustrat Gellius. Quare non immeritò in Scripturis matres, quæ propriis vberibus filios lactauerunt, collaudantur: vt Annæ, Samuelis mater, item generosa Machabæorum genitrix; necnon B. Virgo, de qua Lucæ 11. cap. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Vnde Paulus se comparat nutrici, proprios filios educanti; & patri, non pædagogo, alienos filios instituenti. Damasus epist. 4. ad meretricium pertinere morem scribit, infantes proprios extraneis nutricibus alendos exponere, vt liberiùs suas libidines expleant. Idipsum prauæ consuetudine fieri Greg. asserit, nisi lactis inopia, vel naturæ infirmitas matrem excuset. Quo casu piam, sanam, vigentémque annis nutricem assumere fas erit, vti factum legimus Gen. 25. & Ruth. vlt.

Lactatio prolis.

Lib. 12. c. 1.

1. Reg. c. 1.

1. Mach. c. 7.

1. Thess. 2.

1. Cor. 4.

Responso. ad Aug. Angl. Episcopum.

FINIS.

INSTITVTIONVM DOCTRINÆ CHRISTIANAE LIBER TERTIVS.

CAP. I.

De Decalogo, diuinisque Legibus.

Cur Decalogi expositio fidei symbolo, & Sacramẽtis subiungatur.

QVIA præter fidem & Sacramenta homini Christiano, volenti salutem consequi, necessaria est mãdatorum Dei obseruatio, ideo post explicationem Symboli, & Sacramentorum, aptissimâ methodo Decalogi tractatus subiungitur. Hunc enim catechizandi progressum Dominus Apostolis præscripsit: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; docentes eos seruare omnia, quæcumque mandaui vobis.* Non enim in scripturis commendatur fides sterilis & mortua, sed viua, quæ per charitatem operatur. Quid enim prodest, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum? producúque Abrahæ exemplo probat Iacobus, fidem eius ex operibus fuisse consummatam. *Vides* (ait) *quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est? & quoniam ex operibus iustificatur homo, non ex fide tantùm?* Et Dominus iuueni de salute quærenti respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, hoc est, vitam tuam compone ad normam decalogo comprehensam. Quo Domini exemplo pastores docentur, sedulò fidelem populum adhortari ad legum diuinarum obseruationem, scientiam, & meditationem. *Labia* enim *Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius*: quæ norma est discernendi bonum à malo, honestum à turpi, iustum ab iniusto. Vt autem legum origo, vis, præstantia, & vsus intelligantur, facilius, priusquam Decalogi explicationem aggrediamur, de Legibus nonnulla præmittemus.

Matth. 19.

Matth. 28.

Fides viua commendatur.

1. Cor. 7. & 13.

Matth. 19.

CAP. II.

Quòd Theologi & Iurisperiti leges diuersâ ratione considerent.

Leges à Theologo qua ratione considerentur?

THeologi leges considerant, quatenus homines ad æternam beatitudinem, quæ in Dei clara visione consistit, dirigunt: Iurisperiti verò, secundùm quod communi & externæ Reipublicæ, paci fouendæ necessariæ sunt. Rursus illi præcipuè leges attendunt, vt à Deo suam originem, vimque habent, rectéque homines viuere, in ordine ad ipsum Deum, beatam immortalémque vitam ab eo consequendam docent: Iurisperiti autem leges expendunt, vt ab hominibus constitutæ sunt, aut ad exteriorem Reipublicæ tranquillitatem conseruandam; (in quem finem ius ciuile prodiit:) aut ad Rempublicam Christianam rectè ordinandam, cui fini Ius Pontificium deseruit.

Ius ciuile.

Ius Pontificium.

Sectarij, Luthero authore persuasi, Christianum hominem solùm teneri ad credendum, reliqua verò esse libera & indifferentia, legum necessitatem tollunt, arbitrantes iustum, quia spiritu libertatis, non lege agatur, minimè obligari ad legis alicuius obseruationem, contra Domini loculentam doctrinam: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Libertini quoque legum necessitatem tollunt, sed ex alio capite, quia videlicet sentiant, peccatum nihil esse præter inanem & falsam opinionem, cùm Deus omnia in omnibus operetur, nihilque mali facere queat: sed quia has næuias & prodigiosa commenta refutat celeberrimus scriptor Robertus Bellarm. lib. 2. *de statu peccat.* cap. 1. ad eum mitto lectorem. Leges equidem necessarias esse, mundus ipse, rerúmque vniuersitas, quæ certis legibus gubernatur, proclamat: nec minùs ipsa hominum societas idipsum euincit: sine legibus enim nulla respublica, nullum regnum, non gens, non ciuitas, imò ne domus quidem vlla consistere potest. Nam vbi lex nulla, ibi nulla est iustitia, nullum peccatum, nulla bonis præmia, nulla sceleratis supplicia decernuntur; ac proinde, licet cuique pro suo arbitratu viuere, adulteria, latrocinia, omnísque generis flagitia impunè patrare. Denique, vbi nulla est lex, non est obedientia, neque ordinis obseruatio: vbi autem nullus ordo, ibi rerum omnium perturbatio. Sublatis ergo legibus, quid aliud erunt homines, quàm animantia bruta, sine Deo, sine ordine, sine obedientia, sine iustitia, sine virtutibus, absque vitus culpabilibus. Nam per legem cognitio peccati: & vbi non est lex, ibi præuaricatio. Per legem Dei voluntas nobis innotescit: cognitio legis, est hominis in Deum directio, disciplina virtutis, coërcitio malorum, ordinis demonstratio. Lex enim suapte natura euincit, dominij potestatem esse in mandante, obediendique necessitatem in his, qui mandata recipiunt, illum maiorem, hos esse inferiores; illum esse dominum, hos esse subditos. Hinc in paradiso, natura existente adhuc integra, licet homo per omnia secum, & cum suo conditore optimè, perfectissimèque consentiret; attamen præcepto indiguit, vt per immobile decretum præcepti Dei euidenter constaret, plenitudinem dominij omnium rerum vsque ad pomum vnum, cunctásque res minimas penes conditorem remanere: eásque in hominis vsum

Rom. 7. 1. Cor. 14.

Lex est testimonium domini.

Deo etiam minima præcipienti obediendũ.

Iustus lege obligatur.

2. Cor. 3.

Matth. 19.

Libertini tollunt leges.

Legum necessitas.

sola Dei beneficentia, gratuitáque voluntate cedere: simul etiam, vt homo admoneretur, se tanta necessitate legislatori Deo subiectũ esse, vt in omnibus (ne quidem vel vno excepto pomo) ei parere teneretur. Quare Christus, Iudex & Legifer appellatur. Vndè patet, Christi regnum non esse sine legibus; falsóque ac impiè à sectariis asseri, Christum esse hominibus à Deo datum in redemptorem, cui fiderent, non autem in legislatorem, cui obedirent. Quod dogma cõdemnat Concilium Tridẽtinum. Nam Christus mandata tulit: *Mandatum nouum*, ait, *do vobis vt diligatis inuicem*: & Matth. 5. *Ego autem dico vobis*. &c. & cap. 28. *Docentes seruare omnia, quæcunque mandaui vobis*. Et Apostolus: *Legem destruimus per fidem? absit: sed legem statuimus; quia per fidem gratia impetratur, qua lex impleatur*. Et ad Hebr. 7. *Translato sacerdotio necesse est, vt legis translatio fiat*, significans, Christũ veterem legem abrogasse, vt nouam legem institueret, quæ veteri succederet, non vt suum regnum absque lege, sine ordine, absque præmiorum & suppliciorum constitutione relinqueret; nam & in cœlo beata vita sine lege non ducitur. Nam & Angeli, & homines beati eadem lege Dei æterna in finem diriguntur, & in eius felici adeptione conquiescunt.

Isaiæ 33.

Sess. 6. can. 21.

Ioan. 13. 14.

Matth. 5.

Matth. 28.

Rom. 3.

Hebr. 7.

CAP. III.

De nomine Legis.

Legis nomen vnde?

NOmen Legis Cicero ab *eligendo* deducit, eò quòd per leges rerum agendarum electio fiat.

Aug. q. 80. super Leuiticum.

Quam Etymologiam B. Augustinus comprobat. Isidorus lib. 5. Etymolog. cap. 5. Legem à *Legendo* deriuat, quia publico scripto leges mandari, legíque soleant. Diuus Thom. à *Ligando* dici putat, eò, quòd instar vinculi obliget, secundùm illud Hieremiæ: *A seculo confregisti iugum, rupisti vincula, dixisti: non seruiam*. Et Psalm. 2. *Dirumpamus vincula eorum, & proiciamus à nobis iugum ipsorum*. Græci deducunt à *tribuendo*, quia suum vnicuique tribuat: Hebræi verò à *docendo*, eò quòd doceat, quid agendum, quid vitandum sit. Iuxta illud Psal. 118. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*. Vbi à variis conditionibus & effectis lex diuersa nomina sortitur. Appellatur equidem *Lex, Præceptum, Testimonium, Mandatum, Iudicium, Iustificatio, Iustitia, Semita, Veritas, Eloquium, Sermo*, & *Verbum*.

1. 2. q. 90. art. 1.

Ierem. c. 2.

CAP. IV.

De vi, causis, atque conditionibus legis.

Lex vim habet dirigendi & obligandi.

OMnis lex vim duplicem habet: directiuam scilicet, ostendendo, quid agendum, quid vitandum sit, & ad hoc in conscientia obligando: & coactiuam, inferendo pœnas; & comminando. Ideo lex, ignita dicitur; quia sicut ignis vim illuminandi & comburendi habet, ita lex docendo illuminat & dirigit, propositóque supplicio, aut præmio mouet atque coërcet.

Deut. 33.

Lex à ratione.

Et quia dirigere ac ordinare, ad intellectum, non autem ad voluntatem pertinet, sequitur, legem ad rationem siue intelligentiam spectare. Nam rationis speculatiuæ officium est, cognoscere veritates; practicæ verò, dirigere ad studiosas actiones, rectè imperando. Quare lex in ratione practica consistit, & ad prudentiam gubernatiuam (cuius est, multitudinem

legibus regere) pertinet. Quia tamen non sufficit ad legem ferendam, vt Princeps aliquid fieri debere iudicet, & quòd sic fieri velit, sed præterea necessarium est, vt quod iudicat, fieri oportere, & quod fieri vult, etiam statuat, non solùm consulendo & hortando, sed quoque imperando: ideo ad legem constituendam, vtriusque potentiæ, intellectus & voluntatis actus concurrunt. Nam intellectus fieri debere iudicat: voluntas autem, quod fiat, approbat; ac tandem sequitur legis imperium, regula, lux, ordinatio. Concurrentibus verò ad vnum actum duabus potentiis, illi tribuendus est, à qua secundùm substantiam & perfectionem emanat. Atqui lex secundùm suam substantiam est imperium, regula & ordinatio, quæ rationis sunt; simul tamen voluntas approbando concurrit. Vndè lex vim mouendi obtinet. Voluntas enim in finem tendit, appetendo, desiderando, aliásque potentias efficienter ad proprias operationes applicando. Intellectus porrò etiam in finem tendit ac mouet, sed illuminando, præcipiendo; vetando; quæ legis propria sunt officia, directè à ratione promanantia. Vndè patet, genus legis, subiectum, seu causam materiale nil esse aliquid, quod ad rationem seu intelligentiam pertineat.

Lex ob intellectum & voluntatem.

Causa materialis legis.

Vt autem iusta sit lex, quatuor conditiones adesse oportet. I. Ex parte materiæ, vt sit possibilis, nec prohibeatur virtus, aut præcipiatur vitium. II. Ex parte causæ finalis, vt ad commune bonum ordinetur. Finis enim legis, est bonum commune. Dirigit enim lex actus humanos in vltimum finem, qui Deus est, eiusque fruitio. Nam actuum humanorum principium est ratio, quæ actiones in suos fines dirigit, respiciendo ordinem ad felicitatem communem. Vndè leges non ad priuatum alicuius commodum, sed ad communem Reipublicæ vtilitatem, pro conditione hominum & temporum accommodandæ sunt, quia lex potestatis publicæ opus est; potestas verò publica in bonum commune Reipublicæ ordinata est, vt eam scilicet tueatur & conseruet: siquidem reges, principes & magistratus, non domini, sed ministri regni Dei sunt, in hoc ipsum seruientes, vt luculentis verbis Scriptura commonet. Quod & ex analogia potentiarum naturalium colligi potest. Nam sicut illæ ad totius suppositi conseruationem, bonúmque ipsius procurandum institutæ sunt, ita potestas publica in commune bonum Reipublicæ, vt ei conducentia sollicitè curet, noxia verò arceat, bonos defendat, improbos pœnis cohibeat, & puniat. Rex enim propter regnum est, non regnum propter regem. Deiecti equidem animi est, de subditis non profectum, sed quæstum proprium quærere: excelsi autem animi est, cum Apostolo dicere: *Non requiro datum, sed fructum*; significans, eum, qui præest, non affectu & voluntate, sed ratione ac iudicio agi oportere; nec sua, sed subditorum lucra sectari debere. Quod in parabola Nathan Prophetæ notatur, de homine centum oues habente, qui vnicam pauperis concupiuit. Et in Achab rege, qui rerum summam tenens, vineam Naboth affectauit. Idipsum confirmat, quòd regnum hominibus, sicut corpus ex membris, & domus parietibus, & grex ex ouibus constat. Vnde consequens est, reges & principes tanquam populorum pastores; homines

Conditiones legis. 1. vt sit possibilis.

2. Vt ad cõmune bonum.

Sapien. 6. Rom. 13. Isaiæ 51.

Rex est propter regnum.

Eum qui præest non affectu, sed ratione ac iudicio agere oportet.

1. Reg. 12.

Rex priuata lucra nõ sectetur.

homines sibi subditos, tueri, pascere, ac propugnare debere: vt sicut Deus *Rex regum, & Dominus dominantium*, (cuius prouidentia reges imperant,) nos moderatur, omniáque non propter suam, sed nostram vtilitatem tribuit; ita Reges & Principes in suis legibus non priuata commoda, sed bonum commune promouere studeant. Neque 1. Regũ 8. plus iuris principi in subditorum bona tribuitur, quia ibi prædicatur, quid per violentiam & insolentiam nonnunquam facturi essent reges nonnulli, non autem quid iure possent. Quod alibi à Moyse explicatur, & ab Ezechiele cap. 46.

Lex in cõmune bonum ferenda.

Tyrannus à rege differt.

Deut. 17.

3. Conditio legis, vt ex authoritate feratur.

Tertia conditio ex parte efficientis causæ est, vt qui legem fert authoritatem in personas, quibus leges imponit, habeat. Legis enim est, præcipere, punire, comminari; quod non priuati hominis, sed publicæ authoritatis est. Authoritatem verò in alios quispiam, vel à Deo immediatè datam obtinet, vt Homo Christus, Moyses, Petrus, Dauid, Iehu, aliique nonnulli: vel hominum electione, consensu, ac constitutione; quomodo passim nunc Reges & Principes suam potestatem habent: vel à maiori potestate sibi commissam, vt Legati, Proreges, Magistratus, & similes. Priuatis autem hominibus, quibus aliquid statuendi vel iubendi potestas competit (vt patribus, maritis, senatoribus, magistris, & similibus) obediendum est, si quid præcipiant, quia eorum præcepta non minùs, quàm leges obligant; quamuis veræ legis rationem non habeant, tum, quia in commune Reipublicæ bonum non ordinentur, sed in particulare familiæ: tum, quia vim coactiuam & coërcitiuam per seueriores pœnas non obtineant.

Pfal. 2. Prou. 8. Rom. 13.

Præcepta parentum non sunt propriè leges, tamen obligant.

Nam parenti, magistro, & similibus, domesticam solùm pœnam, (quæ leuior disciplina est) infligere licet. Exilium enim, mutilatio, mors, tortura, & huiusmodi seueriores pœnæ, soli publicæ potestati (quæ non frustra gladium accepit) reseruantur. Rom. 13.

Quarta & postrema conditio legis, ex parte formæ requiritur, vt scilicet lex debito modo & ordine constituatur, locisque & temporibus debitis promulgetur. Adeò enim promulgatio legis necessaria est, vt absque illa nullum lex obliget, nec legis quidem mereatur nomen. Tunc enim lex instituitur, quando promulgatur. Vnde ait Dominus: *Si non veniissem, & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Et Apostolus: *Quomodo audient sine prædicante?* Cùm enim lex actuum humanorum publica sit norma, sic proponi debet, vt ad omnium notitiam peruenire nata sit. Quod tunc fieri censetur, quando in loco celebri & publico per ministrum publicum edicitur, tempore congruo & consueto. Tunc enim vim præcepti obligantis sortitur, licet, qui eam inuincibiliter ignorant, etiam postea à præuaricatione excusari queant. Si autem in lege tempus, quo lex obligare incipit, exprimatur, nemo eam seruare tenetur, nisi præscriptum tempus effluxerit.

4 Legis cõditio est, vt publicetur.

Can. in istis. dist. 4. Ioan. 15.

Qualis publicatio necessaria.

De legibus autem Pontificijs, an sufficiat Romæ publicari vt obligent, communior sententia est affirmans, ita tamen, vt qui absque culpa leges Romæ publicatas ignorent, à præuaricatione immunes sint. Et si leges priuilegia nonnullis concessa reuocent, aut quosdam hominum contractus irritent, non obligant, nisi ad eorum notitiam perueniant, quorum interest: aut saltem, nisi tantum intercesserit

An sufficiat, quòd Romæ publicatio fiat?

temporis, vt commodè innotescere potuerint: alioqui contrauenriens à culpa & pœna excusandus est. Hinc Pontifices, leges, quas vniuersali Ecclesiæ scribunt, iubent publicari in omnibus diœcesibus prouinciarum, ne damnum sentiat, qui culpa vacat. Et piè licet præsumere, non intendere Pontificem, suis legibus obligare constitutos in dissitis prouincijs, nisi legitima promulgatione præuia. Diuersa quoque ratio est legis præceptoriæ, quæ obligationem faciendi aut vitandi adducit; & reuocatoriæ, quæ solùm obligationem tollit.

Legis definitio.

Lib.7.nat. hist.c.56.

Ex quibus absoluta legis definitio colligi potest ista: *Lex est ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam multitudinis habet, promulgata.* Quisnam verò primus hominum leges tulerit, disputant nonnulli. Plinius Cererem, vel Rhadamanthum primas leges tulisse arbitratur. Iosephus lib.1. contra Appionem contendit, Moysen primum fuisse legislatorem. Eusebius in Chronico (cui August. consentit) refert CCC. annis ante Moysen, extitisse Phoroneum, secundum Regem Argiuorum, viuente Iacob, qui leges tulerit, iudiciáque illis populis instituerit, à quo *Forum* aliqui dictum putant. Ceterùm probabilius videtur, primum generis humani parentem, suis posteris leges edixisse; & ciuitates ac regna, ex quo tempore cœperunt, etiam leges habuisse, tam ante diluuium, quàm postea. Nam de Abraham Deus ait: *Scio, quòd præcepturus sit filijs, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam.* Et Gen 34. filij Iacob dicunt, illicitum & nefarium esse apud eos, sororem suam homini incircumciso tradere. Cur verò illicitum, si nulla hoc lex tunc vetabat?

Quis primus leges tulerit.

Li.18.de ciuit. c.3.

Phoroneus.

Ludouicus Viues in comment. 3. c.li.18.de ciuit. Dei.

Adam primus legislator.

Gen.18.

CAP. V.

De legum distributione.

Legis diuisio in æternam, naturalem, diuinam, & humanam.

LEx vniuersim in quatuor partes seu differentias distribuitur, scilicet in *Legem æternam*, *Legem naturalem*, *Legem diuinam*, & *Legem humanam*. Quod hac ratione ostenditur. Lex omnis regula est, qua homo ad actiones studiosas dirigitur. Ordinatur autem vel in finem supernaturalem; quod fit lege diuina: vel in finem naturalem; idque aut per legem hominum animis inditam, quod lex naturalis præstat; vel per legem humano ingenio excogitatam, quæ vocatur *lex humana*. Et quia hæ omnes leges ab aliqua superiore ac immobili oriuntur, *æterna lex constituitur*.

Aristot.lib. 5. Ethic.c. 7.

Aristoteles ius omne in *naturale* & *positiuum* diuidit, quia supernaturalem finem ignorabat. Iurisperiti verò, considerantes leges, quibus homo in Republica gubernatur, Aristotelem imitati, ius omne diuidunt in *naturale* ac *positiuum*: & positiuum in *ius Gentium*, *Ciuile*, atque *Ecclesiasticum seu Pontificium*. Nam quemadmodum ex principijs suapte natura cognitis, per humanam ratiocinationem lex ciuilis deducitur: ita ex principijs à Deo reuelatis, Ecclesiastica lex colligitur.

Ius naturale, & positiuum diuiditur in ius gentium, ciuile, Pontificium.

Lex per metaphoram dicta, Fomitis.

Sunt autem & impropriè per metaphoram dictæ leges: vt *Lex fomitis*, quæ *lex carnis & concupiscentiæ* appellatur, quia hominem inclinet ac sollicitet in obiecta sensibus grata; quæ in pœnam inobedientiæ, & priuationem originalis iustitiæ consequuta est. Huiusmodi quoque est *lex spiritus*, seu *lex mentis*, quæ in-

Lex Spiritus.

clinatio est ad opera spiritualia, rectæque rationi consona. Quam legem Spiritus Sanctus in nobis per regenerationem operatur, hominisque interioris renouationem.

Lex diuina & humana.

Quidam legem in duo genera diuidunt: scilicet in *diuinam & humanam*: diuinam verò in *æternam, naturalem*, & *positiuam*. Et positiuam quidem subdiuidunt in *legem veterem & nouam*. Humanam verò diuidunt in *Ecclesiasticam* (id est, quæ ab authoritate seu potestate Ecclesiæ constituta est) & in *secularem, seu ciuilem*, quæ à potestate seculari constituitur. Vocatur autem vtráque, *Lex humana*, quia hominum authoritate à Deo accepta constituitur.

Diuina, naturalis, positiua, æterna.

Positiua diuina, est lex vetus, & noua.

Humana lex Ecclesiastica, vel ciuilis.

Legis porrò humanæ conditiones nouem ab Isidoro enumerantur: vt sit honesta, iusta, suum cuíque tribuens: vt sit possibilis, secundùm naturam, secundùm patriæ morem, loco & tẽpori congruens, vtilis & necessaria ad Reipublicæ bonum promouendum: vt sit perspicua & manifesta: postremò, vt non proprio commodo Principum, sed omnium seruiat; quæ ad tres reuocantur: vt lex sit religioni congruens, disciplinæ morum, Reipublicæ vtilis.

Legis humanæ 9. cõditiones.

CAP. VI.

De Lege æternâ.

Nihil Deo casuale.

TOta rerum vniuersitas, instar vnius magnæ Reipublicæ, ab vno Deo, velut Imperatore summo gubernatur, ita vt nihil casu aut fortuitò accidat, quin in aula cælesti dispositum sit, vt sic fieret, aut ita euenire permitteretur. Dei enim est, statuere, quibus legibus mundum gubernari velit, ac rei cuiusque numerum, pondus, & mensuram. Illa verò æterna ratio, qua Deus ab æterno cuncta gubernare, ac in suos fines dirigere constituit, *Lex æterna* dicitur. Nihil enim in Deo nouum est. Ideo conceptus ille diuinæ prouidentiæ, lex æterna est: siquidem ordinatio rationis est in bonum vniuersi, ab omnium rerum Domino promulgata. Verbum enim Dei æternum est.

Lex æterna quid?

Ab hac æterna lege profluit *Lex naturalis*, quę illius vestigium quoddam est: nempe propensio & instinctus naturalis, per quem res vnaquæque in suum finem tendit. Hanc igitur legem Deus instituit, quando singulis creaturis propensionem in suum finem impressit. At longè nobilius æternæ legis communicationem hominibus, quàm irrationabilibus creaturis dedit. Loco enim naturalis instinctus, rationis ei lumen & dictamen tribuit. Nam legem sibi à Deo datam homo agnoscit, & sic diuinæ particeps est prudentiæ, vt quamuis à Deo regatur, attamen etiam se atque alia regat: nec necessariò, sed libere legem obseruet, ac bene vel malè operetur. Vnde ipsius opera laude aut vituperio, mercede vel pœnâ digna sunt, non autem brutorum actiones.

Lex naturalis quid?

Dictamen rationis.

CAP. VII.

De Lege humana.

Legis humanæ definitio.

EX naturali lege nata est lex humana, quæ nihil aliud est, quàm determinatio quædam legis naturæ, per ratiocinationes humano ingenio collecta: quæ si ex principijs sua natura notis, in bonum temporale ciuium, per modum determinationis principij communis

Ius gentium.

deducatur, *Ius gentium* dicitur: si verò tanquam conclusio ex principijs deducatur, *Ius ciuile* appellatur. Rursus, quia diuersæ formæ sunt reiminum: scilicet Monarchia, Aristocratia, Oligarchia, Democratia, & mixtum genus; lex ab authoribus varia sortitur nomina. Dicitur enim *Cæsarea*, *Senatusconsultum*, *Plebiscitum*, *Tribunitia*, *Prætoria*. Rursus, à priuatis, *lex Iulia*, *Falcidia*, &c. Itē ex varietate actionum, de quibus leges feruntur, nomina sortiuntur, vt *lex Iulia de adulterijs*, *lex Cornelia de sicarijs*, &c. Præterea ex conditione personarum, dictum est, *Ius Sacerdotum*, *Magistratuum & militum*. Si verò ex principijs à Deo reuelatis conclusio deducatur, *lex Ecclesiastica*, *Canonica & Pontificia* nuncupatur. Vtraque verò lex, Ciuilis, & Canonica ab æterna Dei lege deriuantur, ac eatenus iustæ sunt, quatenus cum illa consentiunt, quia rectitudo humanæ rationis & voluntatis à Deo veluti regula dependet.

Ius ciuile.

Lex Cæsarea, Senatusconsultum, Plebiscitum.

Lex vocatur ex actione & personarum conditione.

Lex Ecclesiastica vnde?

Porrò lex diuina immediatè à Dei æterna lege dependet. Est enim ordinatio rationis à Deo facta, hominem in supernaturalem finem dirigens: quæ licet multa explicet, in lege naturæ contenta; nonnulla tamen superaddit, quæ lege naturæ non sunt comprehensa, quamuis illi non repugnēt: vt, legem credendi, legem de Baptismo, de Eucharistia quandóque sumenda, de inimico diligendo, de omnino non iurando, de mutuo absque recuperationis spe dando, de audienda Ecclesia, & de nonnullis alijs.

De lege diuina.

Fuit autem necessarium, dari legem hominibus diuinam, præter humanam. I. quia leges humanæ omnia peccata vetare ac punire nequeunt. Opus itaque est lege, quæ id præstet. II. lex humana prohibere actus merè internos nequit, quia de ignotis homo iudicare non potest. III. Hominum iudicia incerta sunt, tam propter ingenij humani debilitatem, quàm rerum mutabilitatem. Vt autem in rebus ad salutem necessarijs, certam & infallibilem regulam haberemus, Deus legem, quæ falli aut fallere nequit, misericorditer adiecit. IV. Deus hominem ad finem condidit, ad quem viribus solius naturæ pertingere nō potest: debebat ergo in illum finem sufficienter dirigi. Quas rationes Psalm. 18. insinuat: *Lex Domini immaculata: conuertens animas: testimonium Domini fidele: sapientiam præstans paruulis.*

Præter legem humanam opus est diuina.

Diuiditur autem lex diuina in veterem, & nouam: non tanquam in diuersas species, sed in vnam legem, differentem secundùm perfectum & imperfectum. Nam eadem lex diuina, pro temporum varietatem, & hominum conditione mutationem accepit; sicut eundem hominem puerum esse dicimus & senem, licet diuersimodè affectus sit: & vnam ab initio mundi Ecclesiam vsque ad finem asserimus, quæ tamen suas ætates atque commutationes habet: quarum prima ab Adam vsque ad Moysen *Infantiæ* comparatur, quæ legis, nisi naturalis, capax non est. II. A Moyse vsque ad Christum, quæ *Pueritiæ* assimilatur, quia tunc homines metu pœnæ instar puerorum à malo abstinuerunt; ideóque Moysis legem, tanquam pædagogum coërcentem acceperunt. III. A Christo vsque ad seculi finem, quæ *virorum* est *perfectorum*: vnde tunc Christus legem perfectissimam hominibus annuntiauit, quæ EVANGELIVM dicitur, quia Christi aduentum, vitam, gesta, dicta, doctrinam & præcepta continet, quibus ad

Diuisio legis diuinæ in veterem & nouam.

Vna Ecclesia ab initio mundi.

vitam beatam perducimur.

Lex vetus triplicia præcepta cõtinebat. Moralia. Iudicialia.

Lex vetus triplicia præcepta continebat: Moralia, Iudicialia, & Ceremonialia. Moralia verò, quia legem naturæ continent, omni tempore obligant. Iudicialia autem, quia soli populo Israëlitico per Moysen data fuere, solos Israëlitas perdurante statu veteris legis obligarunt. Si tamen eorum aliqua per modum legis ad vtilitatem populi à principe statuantur, obligabunt, non vi legis Mosaicæ, sed humanæ.

Ceremonialia.

Ceremonialia verò legis præcepta, quia futuræ passionis Christi, & reuelationis gratiæ noui Testamenti figuras & signa præcipiebant, obligare desierunt, quando veteris legis figuræ adimpletæ fuerunt. Nam tunc officium & vim significandi amiserunt, ac rectè tunc mortuæ fuisse dicuntur. Id autem accidit, quando Christus opus nostræ salutis consummauit, & Spiritu sancto in Apostolos cælitus misso, Euangelicam doctrinam sufficienter Mundo promulgauit. Quare in passione Christi, ceremoniæ Mosaicæ rectè dicuntur fuisse mortuæ, ac desiisse obligare: at postquam Euangelica doctrina sufficienter Orbi innotuit, mortiferæ obseruatoribus effectæ sunt, quia superstitiones & falsi Dei cultus exstiterunt, annunciando scilicet venturum, quem oportebat credere iam venisse, & veteris legis figuras re ipsa compleuisse.

Ceremoniç vet. legis quandò mortuæ, & quando mortiferæ?

CAP. VIII.

De legum effectu & obligatione.

Legis officium.

LEgis effectus est, hominem bonum facere, putà obedientem, eius actiones dirigendo; quarum aliquæ ex suo genere bonæ sunt, vt actus virtutum: aliæ malæ, vt furari: nonnullæ verò indifferentes, vt ambulare. Legis autem officium est, imperare, prohibere, permittere bona, mala, indifferentia. Et quia lex non solùm vim directiuam habet ostendendo; sed etiam coactiuam, pœnæ metu inducendo ad obediendum: ideo ad eius quoque munus pertinet, transgressiones punire.

Leges humanæ obligant in cõscientia.

Vtrùm verò leges humanæ solùm ad temporalem pœnam obligare queant, an verò etiam ad pœnam in altero seculo luẽdam, vt non solùm ad opus externum, sed etiam conscientias ad obediendum obstringant, à nonnullis ambigitur; sed contra luculentam Scripturæ doctrinam, quæ tradit, *superiori potestati obediendum* esse, *non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*; id est, non solo metu pœnæ tẽporalis, sed etiam, ne Deum offendamus. Vbi Apostolus duplex legũ vinculum assignat: *prius*, iræ seu vindictæ, quod est externum, ad politicum regimen pertinens: *alterum*, conscientiæ, id est, metu offendendi Dei, quod est internum, ad Ecclesiæ claues spectans. Vnde patet, sectarios impiè prætextu suæ fidei solius iustificantis, & prærogatiuæ libertatis fidelium conscientiis Christi beneficio datæ, obligationem in conscientia legum tam Ecclesiasticarũ, quàm Principum secularium tollere, dicendo, Christianos humanis legibus solùm obstringi respectu hominum, ne scilicet malo exẽplo aut scandalo illos offendant; & quoad externum regimen, quoad ciuilitatis officia homo eruditur. Nã Apostolus docet fideles, *obedire omni potestati sublimiori, non solùm propter iram* (id est, metu præsentis vindictę à potestate infligendæ:) *sed etiam propter conscięntiam*, ne Deum offen-

Rom. 13.

Caluinus lib. 3. Instit. c. 19. nu. 14.

Rom. 13.

dant, reiq; ad eius tribunal pertrahentur, cuius diuini iudicij sensum, veluti testem sibi adiunctũ, omnes habeãt. Si autem Apostolus fideles, politicis legibus magistratuum, ad huc infidelium, propter conscientiam obedire voluit; quantò magis Christianos Ecclesiasticis legibus propter conscientiam parere iussit? cùm potestas Ecclesiastica immediatè à Deo sit, & qui præsunt, certò Sacramento diuinitus instituto, acceptáque à Christo potestate præsint; quia illorum potestas non solùm vt politica, est à Deo, sed etiam per Deum, vt Ecclesiæ principes non solùm Dei ministri, sed insuper locõ & vice Christi legatione fungentes. Quemadmodum enim Deus Pater Christum misit, ita Christus Apostolos, eorúmque successores spiritu suo in mundum mittit, vt Apostolus verè pronuncier: *Spiritus sanctus vos posuit regere Ecclesiam Dei.* Et Dominus secum Apostolis eorúmq; successoribus vsque ad seculi finem futurum dixit. Hinc alibi Apostolus *seruos* vult *obedire Dominis in simplicitate cordis, sicut Christo, non ad oculum seruientes, voluntatem Dei ex animo facientes.* Vbi non solùm opus externum, sed & promptam animi obedientiam requirens, non tyrannidem in cõscientias exercuit (vt loquitur impiissimus Caluinus:) sed absque hypocrisi & fictione, animo lubenti & prompto, parẽdum esse mãdatis superiorum docuit. Quod ad Hæbræos 13. luculentis verbis expressit: *Obedite præpositis vestris: ipsi enim pernigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri,* &c. Vbi sicut alacrem præfectorum sollicitudinem, ita spontaneam subditorum obedientiam exigit ne scilicet animæ coram Deo præuaricationis reæ habeantur, si metu solùm opus externum à præpositis imperatum exerceatur.

Prælatorũ leges in cõscientia obligant.

Act. 20.

Matth. 28.

Ephes. 6.

CAP. IX.

Cur sectarij potestatem condendarum legum Ecclesiæ præpositis adimant?

SEctariorum fundamentum est, quòd Pontificem in tota Ecclesia, Episcopos verò in suis diœcesibus principes esse non agnoscant, qui sua authoritate leges in cõscientia obligantes ferre queant; vel in causis Ecclesiasticis iudiciali authoritate sententiam ferre, aut denique transgressorem punire possint. In qua hæresi olim Vvaldenses fuere, teste Antonino: item Marsilius de Padua in libro, quem inscripsit, *Defensorem pacis*: quem confutat Pigius lib. 5. Eccles. hier. quos secutus est Vvicleff, vt patet in Concilio Constantiensi sess. 8. art. 38. & Ioannes Hus, ibidem artic. 15. & Ioannes de Vvesalia, Moguntiæ damnatus 1479. Lutherus, qui anno MDXX. corpus Canonicum publicè combussit, Cochlæo teste in vita, sustinens, velanum esse, cognoscendis Pontificum decretis operam dare, cùm ad eum duntaxat pertineat exhortari, monere, orare, reprehendere, non iudicialiter transgressores punire. At Scriptura sacra manifestè continet, Petro datas esse claues Ecclesiæ: hoc est, pascendi potestatem, ligandi, & soluendi: ad quam pertinet, leges in conscientia obligantes condere, legum transgressores excommunicatione, irregularitate, suspensione, interdicto, aliísque pœnis iudicialiter punire. Nam qui maiorem pœnam suo iure imponit, etiam minorem infligere poterit; exemplo Petri, qui votifragum morte mulctauit. Non enim debuit minor esse potestas Pontifi-

Pontifex & Episcopi sunt Ecclesiæ Principes, legislatores & iudices.

Anton. 4 p. tit 11. c. 7. paragrap. 2.

Bellarm. li. 4. de Pontifice cap. 15.

Lutherus Ius Canonicum cõbussit.

Clauium potestas.

Act. 5.

cis Ecclesiæ, quàm fuerit Pontificis Synagogæ. At illius præcepta, erant vera imperia: vt Deut. 17. illud cuincit: *Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, &c. morietur.* Vbi enim est imperandi authoritas & obediendi necessitas, ibi sanè legum condendarum quoque potestas. Et quòd leges in conscientia etiam obligent, inde liquet, quòd iubeatur occidi nolens obedire. Neque dici potest, solùm hîc puniri contemptum & scandalum, quia sine culpa nemo debet occidit.

Nolens obedire Sacerdotis imperio, interficiendus.

Cùm ergo ex hac Scriptura constet, in Pontifice authoritatem esse præcipiendi; sequitur, eum posse actum indifferentem præcepto suo bonum ac necessarium facere: at omittere actum talem, necessarium etiam, citra scandalum & contemptum, esse peccatum culpabile, quia iustè pro tali omissione punitur, non minùs, quàm qui contra Dei legem peccat, qua rem ex se indifferentem, prohibendo vel iubendo necessariam facit: vt non comedere de pomo, carnes suillas, & huiusmodi.

Actus indifferens, fit præcepto necessarius.

Sunt igitur Episcopi veri principes in regno Christi, habentes potestatem obligandi, legem ponendo, damnandi per sententiam, corrigendi, ac puniendi transgressores, adeò, vt illorum mandatis non obtemperans, non solùm contra Pontificem peccet, sed etiam contra Christum, qui ratum habet in cœlo, quod Petrus in terra ligat aut soluit.

Matth. 23. alligant onera grauia.

Christus ratũ habet in cœlo, quod Petrus in terra ligat.

Denique pastores sunt, ad quorum officium pertinet, oues regere, præcipere, vtere, secare, non minùs, quàm ad reges, populorum pastores spectat, leges ferre, punire, cogere, vt confirmat illud Ioan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Ibi enim Dominus Apostolis suum reliquit ministerium, vt ipsius authoritate regnum Ecclesiæ administrarent, non solùm prædicando, sed etiam præcipiendo atque iudicando, vt compleatur illud Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* Quod non solùm omnibus Apostolis, sed singulis quoq; à Christo dictum est. Nam singuli Apostoli prædicauerunt, Sacramẽta ministrarunt, præceperunt, ac iudicarunt, vt apertè Scriptura de Paulo testatur, quando fornicarium Christi authoritate iudicauit, ac Sathanæ tradidit. Et in promptu habuit potestatem, vlciscendi omnem inobedientiam, (2. Corinth. 10.) ac seueriùs agẽdi secundùm potestatem sibi datam in ædificationem: qua vsus est excommunicando Alexandrum & Hymenæum.

Ioan. 21.

Singuli Apostoli præcepta tulerunt & iudicarunt.

1. Cor. 5.

2. Cor. 13.

Neque verò Apostoli solùm iudicia exercuerunt: sed leges quoque tulerunt. *Visum est* (inquiunt) *spiritui sancto & nobis, nihil vltrà imponere oneris, nisi hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, à suffocato, & sanguine.* Quæ tria per se erant indifferentia, nec à Christo prohibita: sed vt faciliùs gentes & Iudæi coirent, Apostoli hæc vtilia pro tempore iudicãtes, ab omnibus Christianis obseruari præceperunt; non tanquam ex lege Moysis ad hęc obligarentur, sed Apostolica pôtestate ad certum tempus fideles ad ista obligarunt. Cessante verò vniuersaliter legis ratione, lex illa abrogata fuit. 1. Timoth. 3. Apostolus legem de bigamis non ordinandis tulit, quam adhuc Ecclesia retinet. 1. Timoth. 5. Episcopum tribunal habere scribit, in quo more iudicum accusationes & probationes audiat, & secundùm allegata & probata iudicet.

1. Timot. 1.

Act. 15.

Apostoli indifferentia præceperunt.

Cõcil. Carthag. 4. can 69.

Accedit vsus omnium Concilio-

Præcepta & iam citra contemptum & scandalum obligant.

rum, quæ decreta & leges tulerunt, quæ etiam citra contemptum & scandalum in conscientia obligarunt, vt ex lege ieiunij Quadragesimæ, quatuor temporum aut vigiliarum conuinci potest. Nam can. 68. Apostolorum iubet Clericum deponi, & laicum excommunicari, qui ieiunia indicta soluerit. Vnde Chrysost. hom. 6. ad Antioch. ait, fidelem quiduis perpeti malle, quam ieiunium violare. Et hom. 2. in Gen. legem Quadragesimæ ait, omnium conscientiam, etiam Imperatorum ad obedientiam inflectere. Ambros. serm. 25. *Non leue peccatum est, indictam fidelibus Quadragesimam violare.* August. serm. 62. de tempor. *Aly diebus ieiunare remedium est, aut præmium: in quadragesimâ non ieiunare, peccatum est.* Leo serm. 3. de Ieiun. 10. mensis: *Pium est agere non indictum: impium est, negligere prædicatum.* Denique Epiphanius hæresi 75. & Augustin. hæresi 63. Aërium ideo hæreticum dicunt, quia ieiunare ex præcepto Iudaicum esse assereret, atque libertati Christianæ aduersari. In quo ei consentiunt nostri sectarij, non intelligentes, quòd libertas Christiana non consistat in liberatione ab obedientia legum aut prælatorum, sed à seruitute peccati, à timore legis comminantis pœnam, ab obseruatione Mosaicæ legis. Christus enim non venit legem destruere, sed adimplere, diffundendo charitatem in fidelium cordibus, per quam libenter adimpleant, quod lex iubet. Vnde Petrus & Paulus fideles crebrò ad obedientiam superioribus etiam Ethnicis exhibendam cohortantur, quasi præuidentes eos, qui prætextu libertatis, nullis superiorum legibus necessitate præcepti obediendum esse inculcarent: *Vos in libertatem vocati estis, tantum, ne libertatem in occasionem detis carnis.*

Lex ieiunij sub excommunicationis pœna. Concil. Gangren. can. 24. Toletanũ 8. c. 9.

Quadragesi. Ieiuniũ etiam Imperatores obligat.

Ad Hebr. 13. Rom. 13.

1. Petri 2. 2. Petri 2. Galat 5.

q. d. Licet per Christum à peccato liberati sitis, non tamen à concupiscentia & passionibus, quæ cum ratione pugnant, secundùm quam viuendum est. Ideóque legibus, nihil præter rationis iudicium continentibus, opus est, vt eas sequendo, corporis & sensus affectu postposito, spiritus & rationis ductum homo consectetur.

Leges iudicium rationis continent.

At obijcit Sectarius: Christiani legem Euangelicam habent, quam sequantur. RESPONDEO, illam quidem eos habere, sed veluti regulam vniuersalem, quæ sola non sufficiat ad dirigendum particulares actiones, nisi Principum Ecclesiæ authoritate conclusiones ex ea deducantur, singularibus fidelium actionibus accommodatæ. Nam in Republica ciuili, non obstante lege naturali, quæ dictat, hæc amplectenda, illa esse fugienda, non sunt superfluæ leges deductæ, tanquam conclusiones ex iure naturæ. Exempli gratiæ: Euangelium sumi iubet Eucharistiam: sed quomodo, aut quando; nõ determinat. Hinc Apostoli lege sanxerunt, à ieiunis sumi debere, & saltem in Paschate. Rursus Euangelium dicit, fideles ablato sponso ieiunaturos: sed Ecclesia determinat tempus Quadragesimæ, quatuor temporum, vigiliarum; non relinquens libertatem, sepositio contemptu & scandalo non ieiunandi; sed necessitatem imponit non minorem, quàm si per seipsum Christus hoc edixisset. Nam *qui vos spernit, me spernit.* Quemadmodum enim Deus per hominem Christum loquebatur: ita Christi vicarius, non authoritate propria, sed à Deo accepta, nomine ac vice Dei iustas leges fidelibus imponit; quas qui violat, Deum potestatis authorem offendit, vltorémq; sentiet. Lex enim humanarum

Obiectio.

Præter legem Euangelicam, opus est particularibus legibus.

Aug. epist. 118. c. 6.

Sapient. 6. Deũ spernit, qui homines leges ferentẽ contemnit.

humanarum actionum regula est, à Deo immediatè, vel mediatè constituta, à qua deuiare, peccare est:

1. Ioan. 3. (*& peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem:*) non enim minùs contemnitur Deus in suo ministro, quàm Rex in Prorege, Legato, Consilio, vel Magistratu à se constituto. Quod agnoscens Moyses ait: *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Et Samuëlis ait Deus: *Non te abiecerunt, sed me,* à quo scilicet ministeriũ habes. *Per me enim* (ait Sapientia) *reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Quibus consonans Apostolus: *Sic existimet homo, vt ministros Christi.* Et, *Pro Christo legatione fungimur.* Et cum varia præcepta dedisset, concludit: *Si quis videtur Propheta esse, aut spiritualis, cognoscat, quæ scribo vobis, quoniam Domini sunt mandata. Et perambulans Syriam & Ciliciam, confirmabat Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum.*

Exodi 16.

1. Reg. 8.

1. Cor. 4.

1. Cor. 14.

CAP. X.

Vtrùm naturalis lex amitti possit.

Act. 15. & 16. Lex naturalis.

QVemadmodum in disciplinis theoricis communissimum principium est vnicum; scilicet: *Omne est, vel non est*: ex quo multa (quæ prima quoque principia sunt) deducuntur: vt, *omne totum est maius sua parte*: ita & in practicis communissimum & absolutè primum præceptum est vnicum: scilicet: *bonum est per se prosequendum, & malum fugiendum*: ex quo alia similiter multa præcepta (quæ naturalia quoque appellantur) profluunt, quæ ad tria reuocare possumus, iuxta triplicem hominis naturalem inclinationem; quarum I. ei communis est, cum omnibus rebus etiam inanimatis, nempe inclinatio conseruandi proprium esse; ex qua naturale præceptum emanat: *Vitam esse conseruandam.* Ex quo principio iterum conclusiones multæ ducuntur: putà, esse comedendum, bibendum, vestitum necessarium, domum, &c. II. Inclinatio est homini cum animantibus communis, ex qua præceptum fluit conseruandæ speciei: ex quo iterum deducuntur matrimonia, educatio prolium & similia. III. naturalis inclinatio homini cum Angelis est communis: nempe ad intelligendum veritatem, & viuendum secundùm virtutem: ex qua præceptum naturale oritur: *Viuendum esse secundùm rationem.* Ex quo rursus alia præcepta scaturiunt, videlicet, *Deum esse colendum*: quod fundamentum est primæ tabulæ: Et, *Alteri non feceris, quod tibi fieri non vis*; quod est fundamentum secundæ tabulæ. Vnde sequitur actus omnium virtutum, secundùm generalem quãdam rationem, quà boni, honesti, & secundùm rationem sunt, ad legem naturæ pertinere, dictantem, esse viuendum secundùm rationem. Sed quatenus particularium virtutum actus sunt, ad naturæ legem non pertinent, quia non statim à quolibet tales agnoscuntur. Hoc sensu dixit Augustinus, *omne vitium esse contra naturam.*

Principium actionum generale ac primarium.

Triplex naturalis inclinatio. I. conseruandi esse.

II. Conseruandi speciem.

III. Intelligẽdi veritatem viuẽdi secundũ virtutem.

Deus colẽdus est: fũdamentum I. tabulæ.

II. Tabulæ fundamentum.

Actus omnium virtutum quadã generali ratione ad legem nat. pertinent.

Ex quibus sequitur, legem naturæ, quoad prima & cõmunissima principia, eandem apud omnes esse, nec omnino aboleri posse; quãuis nonnullos ita excæcari contingat, vt fornicationes, furta, imò contra naturam peccata esse licita sibi persuadeant; vt Apostolus Rom. 1. ostendit, & Hieron. in 1. c. Ezechielis, ac lib. 2. *cont. Iouinianum* peccandi consuetudine cognitionem præceptor-

Lib de spir. & lit c. 27. Enchir. c. 11. lib 11. de ciuit. c. 1. Omne vitium cõtra naturam.

Theodoretus lib. 9. de curat. Græc. affect.

rum naturalium obscurari docet. Qualis ignorantia licet crassa sit, non tamen est inuincibilis, nec probabilis, excusans à peccato: *Dixit enim insipiens in corde suo: non est Deus.* Psal. 52.

CAP. XI.

Quòd sit discrimen inter legem naturalem, æternam, & positiuam.

Discrimen inter legem æternam & positiuam.

QVòd æterna lege præcipitur, ideò bonum est, quia præcipitur, non contrà, & sic de prohibitione. Quod verò naturali lege mandatur, ideo iubetur, quia bonum est, non contrà: idem de prohibitione. Id autem, quod lege positiua statuitur, vel quia bonum est, mandatur, aut vt ex indifferenti bonum fiat: similiter de prohibitione.

Lex positiua statuit supplicia & præmia.

Leges autem positiuas necessarium fuit legi naturali superaddi, quia hæc nullà præuaricatoribus supplicia statuebat, quæ lege positiua diuina, similiter & humana determinantur. In lege quidem veteri supplicia temporalia potissimùm inculcantur, sub quibus tamen etiam æterna intelligebantur, quemadmodum & tẽporalibus promissionibus apertè ac frequenter ad præceptorum obseruationem Iudæi prouocabantur: spiritualia verò bona per illa temporalia latenter adumbrabantur. Ideo Iudæis tanquam pueris, qui pædagogi metu coërcentur, non est data lex, quæ interiores animi motus expressè sub æternæ mortis interminatione vetaret, de illisq; palam & perfectè disponeret; neque insuper, quæ internos charitatis, humilitatis, patientiæ, mansuetudinis, continentiæ, paupertatis, & obedientiæ motus expressè sub cælestis & regni æterni spe proponeret: sed id lex noua per Christum annunciata plenissimè, noua superaddendo legi Mosaicæ præcepta, non tãtùm fidei & Sacramentorum, sed & moralia, præstitit. Cuiusmodi sunt: non aspicere mulierem: omnino non iurare: pro inimicis & persequentibus orare: non resistere, sed iniurias patienter ferre: animas pro fratribus ponere: omnia propter Christum relinquere: semper orare: & sic orare: *Pater noster*, &c. dare mutuò absque vlla recuperandi spe. Denique adiecit Christus mandata de ieiunio, eleemosyna, oratione, de vitanda sollicitudine circa diuitias acquirendas, circa vestes, circa curiositatem de factis aliorum, circa temeraria iudicia. Item modum fraternæ correptionis tradidit, cõsilia quoque paupertatis, castitatis & obedientiæ, quibus homo armetur contra impetus luxuriæ, superbiæ ac auaritiæ, quibus à deuotione erga Deum potentissimè reuocatur. Vnde sapienter admonet Augu. non rectè dici, omnia nouæ legis præcepta (de moralibus loquens) in veteri lege reperiri: sed dicendum est (ait) penè omnia: quod repetit lib. contra Adamanthũ c. 3. & lib. 19. cont. Faustum cap. 28. Nam pleraque à Christo expressè præcepta vel prohibita reperiuntur, quæ non omnino, aut nisi implicitè in veteri lege inueniuntur: qualia sunt, quæ non solùm opera exteriora secundùm se mala, sed etiam interiores affectus & occasiones peccatorum vetant: vt non iurare omnino; nec ex bonis, quæ agimus humanam gloriam, vel opes quærere. Item vt de cibo, vestitu & potu non simus solliciti; vt de proximo, quantum fas est, rectè semper existimemus, nec inimistè aut temerariè de quoquam iudicemus, ita tamen, vt

Matt. 5. 6. 7. Luc. 6. Præcepta moralia, Item fidei, & Sacramẽtorum Christus dedit.

Matth. 18.

Aug. lib. 2. retract. c. 22. Non omnia, sed penè omnia moralia præcepta nouæ legis in veteri reperiuntur.

Christus occasiones peccatorum vitari mandauit.

nullam Sacramentis iniuriam, neq; detrimentum Ecclesiæ inferamus. Eódem pertinent, quæ auxilium Dei ad implenda mandata necessarium docent, nec sufficere fidem solam, vel quòd quis bona & vera profiteatur; sed præterea necessariũ esse, vt opere Dei præcepta impleat: quærendos tamen esse doctores veritatis, ac sedulò vitandos esse propagatores falsitatis, quales sunt pseudo Prophetæ, qui sub velamine verbi Dei & reformationis falsam doctrinam proferunt, animásq; simplicium hominum, tanquam lupi rapaces dilaniant. Decuit enim, legem nouam ea iubere ac prohibere, per quæ in gratiam introducimur aut conseruamur, aut in gloriam perducimur. Hoc autem fide, Sacramentis, & bonis operibus fit. De illis proinde Christum præcepta dare oportuit. Et quamuis in Euangelica lege noua fides de Deo ac Mediatore Christo instituta non sit: attamen quod implicitum erat antiquis, hoc fidelibus noui Testamenti explicatum est. Vnde nunc plura Christiani explicitè tenentur credere, quàm olim Iudæi.

Præcepta, & Sacramẽta pauca Christus per se instituit.

Sacramenta verò pauca Dominus per seipsum instituit, quia legem libertatis onerari signorum multitudine noluit. Præcepta quoque moralia pauca addidit, falsásque & erroneas legis interpretationes reiecit. Præcepta verò, quibus homo in ordine ad proximum dirigitur, similiter pauca dedit: vt de correptionis ordine, de contumacis ab Ecclesia electione: Præceptaq; super ceremonialia, quibus per Sacramentalia quædam homo in Deum ordinatur. Nam hæc dispositioni præfectorum Ecclesiæ commisit, quibus amplissimam quoque ligandi, & soluendi, necnon pro temporum & personarum varia conditione, leges ferendi potestatem dedit: quod in noua lege fieri maximè decuit, in qua Spiritus sancti copiosior gratia, maiórque sapientia, quàm antiquæ legis tempore promissa fuit. Accedit, quòd vicariorum Christi authoritas, illustrior gratiórque reddatur, quia eorum prudentiæ ac discretioni gubernationem Ecclesiæ per omnes gentes diffusæ reliquit, vt pro diuersitate gentium ac ingeniorum populis credentibus leges accommodarent. In veteri autem lege, quia tempus illud seruitutis, non libertatis erat, & lex Mosaica non viris per se optima sapientibus, sed pueris sensu, carnalique vni tantùm populo edebatur, congruebat, singula præcepta, cerimonialia iudicialiáque determinari, paucissimáque arbitrio & dispositioni præfectorum illius Reipublicæ committi.

Præfatio. Ecclesiæ amplissima potestas leges ferendi data.

CAP. XII.

Quòd lex vetus à Deo, & bona fuerit.

QVamuis lex Mosaica perfectionem nouæ Legis non attigerit, attamen bona, & à Deo fuit data, licet per Angelos promulgata, quibus à Deo potestas leges ferendi non est concessa, sed tantùm promulgandi ministerium iniunctum. Vnde lex vetus non Angelica, sed *diuina* nuncupatur, per quam accipiebatur spiritus timoris, non amoris. A malo enim coërcebat, metu, impediebatque opus externum, licet non sanaret diffusa charitate interiorem affectum. Iustam itaque veram per se non præstabat, sed à Christo dari significabat.

Lex vetus à Deo data, bona fuit.

Angeli legum promulgatores.

Et bona temporalia paulisimum suis obseruatoribus promittebat: multitudine verò præceptorum & signorum onerabat; figurarum insuper obscuritate fatigabat. Et non omnibus hominibus, sed vni Israëlitico populo iuxta promissa eorum patribus facta, indulta fuit. Illum enim populum Deus præ ceteris specialibus priuilegiis exornare voluit, ex quo Christus nasciturus erat, ad quem lex illa veluti pædagogus adducebat. Finis enim legis, Christus. Nam dum peccatum cõmonstraret, sed non efficaciter adiuuaret, hominem de sua infirmitate conuictum, adiutorem atque medicum quærere docebat, quæ liberum hominis arbitrium efficacis gratiæ adiutorio dirigeret. Tempore autem Moysis data est, quando populus antea captiuus & seruus, iam liber erat, ac in certam Reipublicæ formam erigendus.

Lex vetus, imperfecta.

Aug. tract. 4. in Ioan. Lib. 15. de ciuit. 15.

Scopus autem omnium præceptorum, est charitas Dei & Proximi: hoc est, amicitia hominum cum Deo, & inter se. Quia verò præcepta non de fine, sed de mediis dantur, ideo varia & plura sunt: quædam *Moralia*, quædam *Ceremonialia*, alia verò *Iudicialia*. Moralia sunt, quæ ratio dictat pertinere ad bonos mores, etiamsi scripta non essent: Ceremonialia & Iudicialia, sunt determinationes moraliũ præceptorum, quoad ritum colendi Deum, & quoad modum conseruandi inter homines iustitiam. Quæ triplex præceptorum diuisio Deut. 6. indicatur: *Hæc sunt præcepta, & cæremonie, atque iudicia.* Et c. 7. *Custodi præcepta*, &c. Eandem diuisionem indicat Apostolus, dicens: *Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, iustum & bonum*, quia per se à malo coërcebat, bona & sancta opera imperabat: tẽporalia bona obseruatoribus, & mala transgressoribus denunciabat; per quæ tamen æterna & spiritualia bona, & similiter mala, quandoque reddenda vnicuiq; secundùm ista opera, figurabantur.

Scopus legum, charitas.

Aug. lib. 3. cont. 2. epi. Pelag. ca. 4. Lib. de nat. & grat. c. 29.

1. Timot. 1.

Moralia præcepta quæ?

Deut. 6.

Rom. 7. Lib. 2. Esdræ c. 9.

Ibid. 1.

Quare omnino confitendum est, legis obseruatores, qui veteres illas figuras non pro rebus, sed pro typis accipiebant, & iuxta morem illius temporis Deum verum colebant, Christique aduentum significatiuis typis prænunciabant, saluatos fuisse. Non enim lex Mosaica sublata est, quia mala, veluti ritus Gentilium; sed quoniam ad tempus data erat, ad prænunciandum futura Christi mysteria, quibus adimpletis vim & vtilitatem suam perdidit. Rectè igitur Augustinus contra Manichæos, legem veterem fuisse bonam & sanctam; eiúsque obseruatores Deo placuisse docet, simúlque illos fuisse liberos, non seruos, qui signa vetalia, non tanquam res per se Deo placentes obseruabant: quales permultos in Israëlitico populo fuisse certum est, qui fide ac spiritu Christi vixerunt: vt Prophetæ, Samuël, Dauid, Isaias & alij, qui Euangelica mysteria non tam prædixisse, quàm oculis conspexisse, præteritáque narrasse videntur.

Obseruatores legis Mosaicæ secundùm Dei institutionem Deo placuerunt.

Aug. lib. 19. cõt. Faustũ. c. 14. 17. lib. 15. c. 7.

Lib. 2. cõt. aduers. legis & Proph. cap. 7.

Lib. 3. de doct. Christi.

CAP. XIII.

De gradibus moralium præceptorum.

MOralia præcepta vocamus, quæ ad mores bonos pertinent, siue aliqua lege posititia, diuina vel humana constituta sint, siue naturali lege sola. Tres autem gradus huiusmodi moralium præceptorum reperiũtur. PRIMVS eorum est, quæ ex primis principiis naturaliter cognitis, tanquam conclusiones

Præcepta moralia, sunt triplicia.

absq; labore deducuntur: cuiusmodi sunt præcepta secundæ Tabulæ.

Secundus gradus eorum est, quæ ex primis quidem principijs, sed non absque hominum industria deducuntur: qualia sunt extra Decalogum multa, vt assurgendum senioribus, &c.

Tertius eorum est, quæ ex primis principijs etiam, sed non absque diuino lumine, humanam rationem adiuuante deducuntur; vt præcepta Fidei, & de colendo Vno & Trino Deo.

Ad moralia ergo præcepta spectant omnium actus virtutum, similiter & prohibitio peccatorum: quia talium mandatorum finis est, coniunctio cum Deo, ad quam perfecta bonitas & iustitia necessaria est. At lex humana, cuius proprius finis est Reipublicæ tranquillitas, per se actus iustitiæ præcipit, aliarum autem virtutum non nisi in ordine ad iustitiam. Hinc intemperãtiam simplicem non punit, vti nec fornicationem. Licet insuper omnium virtutum actus ad moralia præcepta (vti dictum est) pertineant; non tamen omnes præcipiuntur, at illi soli, absque quibus conseruari virtus nequit. Ceteri, qui non tam ad virtutem, quàm ad eius perfectionem concurrunt, non sub præcepto, sed consilio cadunt: vt multa in Prouerb. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, &c.* Exp. 25. 24. & alijs.

Vniuersa tamen moralia præcepta ad Decalogum reduci possunt, vel tanquam principia in eis cõtenta, vel tanquam conclusiones, aut veluti determinationes eius. Manifesta verò legis naturæ præcepta, ex quibus veluti principijs lex Decalogi promanat, (qualia sunt, bonum consectandum, malum vitandum esse, conseruandum esse proprium, propagandam esse speciem, colendum esse Deum) scribi in tabulis non oportuit, quia nemo illa ignoret. Alia verò moralia præcepta augustiora, quæ ex Decalogo veluti conclusiones fluunt, Deus non scribi in tabulis, sed per viros sapientes, ac diuinæ legis interpretes ex Decalogo deduci, populisque tradi voluit: quomodo ex primo præcepto, quo vetatur idololatria, deducitur, prohiberi superstitiones, omnémque cultum dæmonum. Ex secundo præcepto deducitur prohibitio blasphemiæ, omnisque falsæ doctrinæ. Ac ex singulis præceptis in Decalogo expressis deducuntur varia alia, passim in scripturis contenta. Ne quis autẽ miretur, grauiora quædã peccata reduci ad leuiora; sciendum est, in Decalogo ea fuisse expressa, quæ manifestiorem iniustitiæ ac iniuriæ rationem præ se ferunt, & prohibita esse leuiora, vt ex illis coniectura facilior esset de maioribus. Dum enim prohibetur, assumere Dei nomen in vanum, facilè colligitur, maiore ratione prohiberi blasphemiam: & dum prohibetur falsum testimonium, sequitur, nefas esse falsum iudicium. Deut. 18. Leuit 24.

August. in Exodum quæst. 140.

CAP. XIV.

De Decalogi nomine ac præstantia.

DEcalogi nomine decem præcepta, in duabus tabulis lapideis digito Dei scripta, populóque Israëlitico in monte Sinai proposita intelligimus, siue legem, decem præceptis comprehensam. Scriptura *decem verba*, *sententias*, aut *sermones* appellat. Vnde vates: *In Psalterio decachordo psallã tibi.* Clemens Alexandrinus composito nomine *Decalogum* vocauit: qua voce Origenes Decalogus. Deut. 4. & 10. Iosephus lib. 3. antiquit. c. 4. Clem. li. 6. Strom.

genes, aliíque Græci, & Hieronymus, Augustinus, aliíque Latini scriptores postea vti leguntur: & aptè quidem, latenter insinuantes, quòd Christus, Patris Verbum, verus sit legislator, qui suis cultoribus legem angelico ministerio promulgauerit. Est enim denarius numerus perfectionis index. Hinc decimas fructuum Deo largimur, in argumentum, quòd *omne donum perfectum*, atque ipsa Decalogi adimpletio, *descendat à Patre luminum.* Iac.1.

Decalogi præstantia.

Præstantia Decalogi ex authore Deo, & promulgatoribus Angelis ostenditur. Tanta enim inter leges has & humana ratione adinuentas intercst, quantum inter Deum & homines, diuinámque & humanam sapientiam. Accedit, quòd omnes scriptas, & ab hominibus in omni æuo sancitas leges, antiquitate & origine, diuina hæc lex superet: cui tandem omnium in vniuerso terrarum orbe gentium atque populorum vetustissimæ leges cum suis latoribus, non secus ac clarissimo solis exorientis iubari, noctis caligo solet, cessere, Apostolorum buccinâ in Mundo personante, & eam vbique promulgante, teste Theodoreto lib. 9. *de Græcarum affectionum curatione*; vbi legis huius vtilitate, innocentia, iustitia, sanctitate conspectâ, populos, spretis abiectisque auitis suis legibus, ad diuiniorem hanc amplexandam, salubriori facta permutatione, protinus incensos fusse refert.

Ex fine quoque huius Legis, eius dignitas perspici potest: nam obseruatores ad beatam & immortalem vitam perducit, iuxta illud Christi: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et: *Factores legis iustificabuntur.* Ad hæc amicos Dei facit, illíque homines in hac, & futura vita coniungit. Hinc *beatus* prædicatur, *qui in lege Domini nocte & die meditatur.* Vnde Sapiens: *Quæ præcepit tibi Deus, cogita semper.* Et: *Deum time, & mandata eius obserua; hoc est, omnis homo.* Ad hanc enim normam omnis homo vitam componere debet, ac de peccatorum genere, modo, & grauitate, nec non de quacumque actione, officiíque prætermissione sententiam ferre. Matth.19. Rom.2. Psal.1. Eccles.3. Eccles.12.

Præterea Legis huius excellentia ex rerum contentarum perfectione colligitur. Hominem enim, quoad interiora & exteriora, in Deum & hominem officia disponit, succinctè fontes legis naturalis exprimens. Primùm enim Deo creatori, supremóque Domino fidelitatem, reuerentiam, & famulatum, seu cultum & obsequium deberi commonstrat. Exinde Proximis honorem debitum reddendum, nec eis in persona propria, vel ad propagandum coniuncta: nec in bonis, aut fama: nec opere, nec verbo, aut corde, nocendum esse tradit: quin potiùs alium hominem tanquam seipsum esse diligendum, nec ei faciendum, quod sibi quis fieri nollet. Proinde meritò Augustinus Decalogum *omnium legum epitomen* vocat, quia ad eam reliquæ leges ad bonos mores pertinentes reducuntur, omnes virtutum actus, sine quibus iustitia haberi aut conseruari nequit, præcipiantur, & peccata, vitiosæque hominum actiones detegantur ac vetentur. Cuius legis cùm finis sit amicitia Dei, perfectam iustitiam præcipere oportuit.

Decalogi præcepta Deo & proximo debitum amorè reddendum conuenent.

Decalogus omnium legum Epitome. Aug.q.149. super Exodum.

Accedit, quòd scriptura Decalogi præstantiam variis encomijs celebret, duodecim ei nomina tribuendo. Dicitur enim *Lex*, quia homines obliget: *Præceptum*, quia

Duodecim nominibus exornatur Decalogus. Deut. 11.

Deus per se tulerit: *Mandatum*, quia per hominem dedit: *Eloquium*, *Sermo*, *Verbum*, quia per Filium à Deo Patre data sit: *Judicium*, quia summa Dei sapientia constituta, tanquam regula, secundùm quam homines iudicabuntur: *Justitia*, & *æquitas*, quia lex rectissima sit, vnicuique suum attribuens, aut vetans: *Justificatio*, quia iustitiæ opera imperet, quæ factores iustificant: *Via*, quia norma sit bene viuendi, & absque errore ad Deum perueniendi: *Semita*, quia incipientibus August. in Psal. 76. angusta & arcta videatur: *Testimonium*, quia testis sit operum bonorum & malorum, illiusque testimonio conuincendi sint peccatores. Rom. 2. *Per illam enim iudicabuntur.* Denique vocatur, *Lex diuina, spiritualis, sancta, iusta, bona, immaculata, oculos illuminans, Liber man* Rom. 7. *datorum Dei, Lex vitæ, Lex manens* Baruch. 4. *in æternum.*

Decalogi antiquitas.

Postremo Decalogi commendationem adauget, quod omnium conscriptarum legum sit antiquissima, ad quam quantò posteà Legislatores propriùs accesserunt, tantò diuiniores habiti sunt. Cui vni legi Apostolis illam tandem vbique publicantibus, vniuersarum gentium leges cesserè, Assyriorum, Babyloniorum, Ægyptiorum, Persarum, Græcorum, Latinorum, aliarumque gentium, quæ huius legis perspecta sanctitate, iustitia, & vtilitate, libenter patrijs legibus reiectis, istam amplexi sunt, vt Theodoretus lib. 9. *de curat. Græc. affect.* latè prosequitur, ostendens, nullam aliarum legum continere regulam diuinitus constitutam, ad quam hominum actiones, laude aut vituperio dignæ examinari debeant: hanc autem Dei voluntatem explicare, cui nos conformando recti simus. Vnde Scriptura *beatum* canit *populum, cui Deus eloquia sua credidit. Non fecit taliter omninationi, & iudicia sua non manifestauit eis*: Et, *Hac est sapientia vestra &* Psal. 147. Deut. 4. *intellectus coram populis, vt audientes vniuersi præcepta hæc, dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna!* Et alibi: *Beati sumus Israël, quia quæ Deo placent, manifesta sunt* Baruch. 4. *nobis.* Et: *Audi Israël mandata* Cap. 3. *vitæ, auribus percipe, vt scias prudentiam. Disce, vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus, vt scias, vbi sit longitudo vitæ & victus, vbi sit lumen oculorum & pax. Filij Agar exquirunt prudentiam, quæ de terra est, fabulatores, & exquisitores prudētiæ & intelligentiæ: viam autem sapientiæ nescierunt, neque commemorati sunt semitas eius, fontem sapientiæ delinquerunt. & viam disciplinæ ignorauerunt.* Quibus consonans Vates regius: *Narrauerunt* Psal. 118. *mihi*, ait, *fabulationes, sed non, vt lex tua.*

CAP. XV.

Cur opus fuerit descripta lege?

Lex scripta cur data?

CVm homines legem naturalem à Deo singulorum cordibus in prima hominis institutione insculptam, longa peccandi consuetudine obscuratam legere nollent, multi quoque ignorarent, nec scire curarent, vt securiùs malum agerent, nec stimulis conscientiæ, pudore aut verecundiâ diuexarentur: Deus singulari misericordiâ, lege hominum oculis obiecta, illam renouauit, hominémque ad interiora veluti redire compulit, admotâ voce: *Redite prauaricatores ad* Isaiæ 46. *cor. Quæ lex in cordibus vestris* Rom. 2.

Hominū actiones secundū Dei legem examinabuntur.

Theodoretus lib. 9. de cur. Græc. affect.

scripta exigit, præstate. Deinceps nullam ignorantiam prætendere valebitis, dicendo: feciſſem ſi ſciuiſſem. Habes enim ô homo legem externam, à Deo propoſitam, quæ te inſtar pædagogi aſſiduè de agendis & vitandis inſtruat, officiique tui te admoneat, quæ obſeruatoribus præmia, & tranſgreſſoribus ſupplicia decernat.

Ambroſ. epiſt 71. Aug. lib. 14. de Trin. c. 15.

Seruiuit ergo lex ad oſtenſionem peccati, & ad hominem conuincendum de ſua ignorantia & infirmitate. Priùs enim opinione ſcientiæ & potentiæ inflatus, ſe ſibi ad omnia ſufficere perſuadebat, idololatriam, nefandáque ſcelera, etiam contra naturam, tanquam licita frequentabat. Acceptâ vero ſcriptâ lege, didicit, præter legem naturæ, potentiarúmque naturalium ſubſidia, opus eſſe doctrinâ, magiſtro ac pædagogo, qui vitanda, ſectandáue oſtenderet: ſed dum lege accepta eandem implere non valuit, non ſolùm de priore ignorantia, ſed etiam de ſua infirmitate conuictus fuit, intellexítque, non tantùm ſibi opus fuiſſe Doctore, ſed etiam medico, qui ſanaret, & vires ſuppeditaret, quibus faceret, quod lex iuberet.

Lex hominem cõuincit ignorantiæ ac infirmitatis.

Ad Chriſtum itaque lex tranſmittebat, cuius gratiâ lex adimpleri poterat. Data eſt autem quinquageſimo die ab egreſſu ex Ægypto, in typum, quòd 50. die poſt Reſurrectionem Chriſti lex charitatis, miſſo cœlitus Spiritu Sancto, fidelium cordibus inſcriberetur.

Lex data 50. die quia figurauerit?

Magna inſuper cum maieſtate Deus illam legem populo, ad eam ſuſcipiendam præparato dedit, in typum, quòd Chriſtianis per Chriſti mortem liberatis, qui ſe à mundi carníſque illecebris abſtraherent, lex ſpiritus in tabulis cordis per Chriſtum danda foret.

CAP. XVI.

Quos obliget Decalogus?

Decalogus quatenus Chriſtianos obliget.

QVamuis lex Decalogi, vt à Domino in monte Sinai per Moyſen Iſraëlitis data, Chriſtianos non obliget; attamen quatenus legem naturæ omnibus hominibus communem, animíſque ſingulorum impreſſam complectitur, eatenus omnium ætatum homines obſtringit. Ideóque Chriſtus eandem legem explicauit, obſeruandámque docuit. Alia enim ratio eſt Moralium præceptorum, quæ naturæ legem ſolùm manifeſtant: Alia Ceremonialium, quæ ritum colendi Dei pro temporum varietate congruentem ſtatuunt: aut etiam Iudicialium, quæ modum inter homines iuſtitiam conſeruandi determinant. Nam Ceremonialia & Iudicialia præcepta certo tempori & populo accommodantur; ideo eam ſolùm Rempublicam obligant, cui imponuntur: ſed Moralia, quia legem naturæ ſolùm referant, omnibus communia ſunt. Quare impiè admodum nonnulli contendunt, decem præcepta nihil ad Chriſtianos pertinere, aſſerentes, nihil in Euangelio præcipi, niſi fidem; cetera eſſe indifferentia & libera: quos anathemate ferit Concilium Tridẽtinum, quia Chriſtus non ſolùm quid credere, ſed etiam quid oporteat facere ad ſalutem conſequendam docuit: *Nolite*, ait, *putare, quoniam veni legem ſoluere* (tollendo ſcilicet obligationem) *ſed implere*, opere factorum, non adiectione verborum. Iuxta illud: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Et: *Hoc fac* (ſcilicet quod lex iubet) *& vines.* Et: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra, &c.*

Matth. 5. Matth. 19. Sess. 6. can. 19. & 20. Aug. li. 19. cõt. Fauſt. c. 26 Matth 19. Luc. 10. Matth. 5.

&c. Vbi Decalogi præcepta quædam Dominus proposuit, exposuit, & confirmauit, non autem abrogauit. Imò adultorum nullus iustificatur, nisi animum paratũ exhibeat, ad omnia Dei mandata suo loco & tempore implenda. *Factores enim legis iustificabuntur.* Et, *factor operis, beatus in suo facto erit.* Vbi manifestè Iacobus tradit, bona opera non solummodo signa & fructus esse iustificationis adeptæ, sed etiam ipsius augendæ causam, conditionem & meritũ. Verè siquidem bonum opus iustitiam & salutem operatur, iuxta illud Apostoli: *Cum tremore salutem vestram operamini.* Et: *Tristitia, quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Et rursus: *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Et: *Ore confessio fit ad salutem.* Et Iacobi scopus est, docere, hominem ex operibus iustificari, & non ex fide tantùm; sicuti & Petri, Ioannis, & Iudæ, vt notat Augustinus. Authorem illius hæresis, quòd sola fides iustificet, Simonem magum fuisse tradit Irenæus libr. 1. c. 10. *de hæresibus*, & post eum Theodoretus de Hæret. fabulis. *Iubebat* (ait) *Simon suos legis minus nõ timere sed tanquam liberos facere quod vellent: non enim per bonas actiones, sed per gratiam salutem consequuturos.* Eandem hæresim amplexus est Eunomius, Augustino teste hæresi 54. *Fertur* (ait) *adeò bonis operis inimicus fuisse, vt asseueraret, quòd nihil cuiquam obesset quorumlibet perpetratio et perseuerantia peccatorum, si hominis, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset.* Quem Hieron. in c. 4. Oseæ confutans, dicit eos, qui reiectis operibus sola fide nituntur, Dei misericordia in suum interitum abuti.

Iac. 1. & 2.

Philip. 2.

2. Cor. 7.

2. Cor. 4.

Rom. 10.

Simõ Magus obseruationem Decalogi reiecit, sola fide contentus.

Aug. lib. de fide & operibus, c. 14.

Lib. de vnico baptismo cont. Petilianũ. c. 10.

Aug. hæresi 54.

Eunomius bonis operibus inimicus.

Ieron. in c. 4. Oseæ.

Clemens Alexandrinus lib. 5. strom. *Gratiâ saluamur, sed non absque operibus.* Origen. libr. 2. in Epist. ad Rom. *Ne putent fideles, hoc sufficere quòd credunt; sed sciant, iustum Dei iudicium vnicuique reddere secundum opera sua.* Gregor. Nazianzenus oratione in sanctum lauacrum: *Fides sine operibus mortua est, quemadmodum & opera sine fide.* Chrysost. hom. 30. in Ioan. *Si rectè credideris, non autem rectè vixeris, nulla tibi ad salutem vtilitas.* Idem sentiunt Augustinus, Cyrillus, Prosper, Fulgentius, & reliqui Catholici scriptores.

Sola fides non iustificat.

Lib. de fide & operibus, c. 14. Li de gratia & lib. arb. c. 7. In præfat. Psal. 31. Cyril. lib. 10. in Ioan. c 18. Prosper lib. 1. de vita contempl. c. 19. Fulgent. li. 2. de pec. merit. c. 1. Rom. 1.

Quare Christus Decalogi obligationem non sustulit, quin potiùs illius adimpletionem maximè ad Christianos pertinere demonstrauit, quibus dilectionis præceptum tam sedulò inculcauit, in quo totius Decalogi obseruatio continetur: *Plenitudo enim legis est dilectio.* Quod Apostolus insinuans ait: *Legem ergo destruimus per fidem? absit; sed legem statuimus.* Ideo enim Deus Filium suum misit in mundum, vt iustificatio legis impleretur in nobis, per Spiritum Sanctum diffusum in cordibus nostris. Dei enim iudicium non erit solùm de fide cuiusque, verùm etiam de operibus. *Referet* enim *vnusquisque prout gessit, siue bonum, siue malum.* Et damnabuntur multi non propter fidei defectum, sed operum, quibus iudex dicet: *Esurini, & non dedistis mihi manducare, &c.* Quare B. Augustini verbis concludo: *In illis decem præceptis, excepta Sabbati obseruatione, dicatur mihi, quod non sit obseruandum Christiano?* Et consonans Leo scribit, præcepta ad morum regulas pertinẽtia, nulla esse cõmutatione variata: saluat ergo fides non sterilis & mortua, sed per dilectionẽ operans, viua, fœcunda operum.

Matth. 25. Aug. lib de spir. & lit. c. 14.

Li. 10. cõt. Faust. c. 2. Tract. 3. in Ioan. In Psal. 73. Leo ser. 14. de Pass & 6. de Ieiu. 10. mensis.

CAP. XVII.

An lex Decalogi ab homine impleri possit?

Lex gratia adiuta facilè seruatur

PRæcepta Dei non solùm obseruatione possibilia, sed etiam facilia per vires gratiâ Christi adiutas Dominus attestatur: Matth. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* 1. Epist. c. 5. Et Ioannes: *Mandata eius grauia non sunt.* Perfecta enim charitas foras mittit timorem, facitque præcepti sarcinam leuem; non solùm non prementem onere ponderum, verùm & subleuantem vice pennarum. Ioan. 14. Gal. 5. Rom. 13. Psal. 118. Quid enim facilius, quàm Deum amantissimum Patrem, suâque in fratribus carnem diligere? At qui Deum & proximum diligit, legem impleuit. Philip. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat*, ait Apostolus. *In via mandatorum tuorum cucurri* (ait Dauid) *cùm dilatasti cor meum*, diffusione scilicet charitatis. Ezech. 36. Iuxta Ezechielis vaticinium: *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis.* Ioan. 14. 15. *Qui diligit me, sermonem meum seruabit*, ait Dominus. Et rursus: *Vos amici mei eritis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Quod si Dei præcepta obseruare non possemus, nec amici Christi esse valeremus: at scriptura docet, multos Deo amicos fuisse, iustos, & perfectos. Gen. 6. *Noë vir iustus fuit, atque perfectus.* Gen. 17. Abraham, *Esto perfectus.* Matth. 5. *Estote perfecti.* Matth. 19. *Si vis perfectus esse.* Philip. 3. *Quicumque perfecti estis.* 1. Ioan. 5. *Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est.* Psal. 118. Et Dauid de seipso: *In toto corde meo exquisiui te.* Ac ne id falsò iactasse putaretur, Deus ei testimonium perhibet: 1. lib. 3. Reg. *Non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo.* De Iosue ait Scriptura: *Non præteriit de vniuersis mandatis, nec vnum quidem verbum, quod iusserat Dominus Moysi.* De Asa legitur: *In tota voluntate sua quæsiuit Dominum.* De Iosia: *Reuersus est ad Deum in omni corde suo, in tota anima sua, et in vniuersa virtute sua.* De Apostolis Christus: *Sermonem tuum seruauerunt.* Eosdem vocat *amicos.*

c. 14. 15. Act. 13. Iosue c. 11. 2. Paralip. 15. Lib. 4. Reg. c. 23. Ioan. 17. Ioan. 15. Luc. 12.

Ne quis verò arbitraretur, Sanctos propter inchoatam quandam obedientiam, dici legem obseruasse, addit Ezechias (Isa. 38.) se in veritate, & in corde perfecto coram Deo ambulasse. Et Apostolus: *Ego ipse seruio mente legi Dei*, significans, legem homini dari, non carni, aut sensui, vel parti, in qua proprij nominis peccatum absque voluntatis consensu reperiri nequit. Vnde Concil. Trident. *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam iustificato, & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia, anathema sit.* Concilium Arausicanum 2. can. vltimo: *Hoc secundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, implere.* Hieron. *Deus possibilia præcepit.* Et in c. 5. Matth. *Christus non impossibilia præcepit, sed perfecta, qua fecit Dauid.* Aug. *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis.* Quæ verba Concilium Tridentinum sua fecit: Sess. 6. cap. 11. & cap. 69. *Eo ipso, quo firmissimè creditur, Deum iustum & bonum impossibilia non posse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus*

Rom. 7. Sess. 6. can. 18. Præcepta Dei sunt obseruatu possibilia. Hieron. lib. 3. cont. Pelag. Aug. lib. de nat. & grat. c. 43. & 69. Li. de grat. & lib. arbit. c. 16. Lib. 1. de peccat. merit. c. 3. & 6.

In Psal. 56. *quid agamus, & in difficilibus quid petamus: omnia quippe facilia sunt charitati, cui vni sarcina Christi leuis est.*

Deus impossibilia non præcipit.

Idipsum Ratio conuincit. Nam stultum & crudele foret, ab amico exigere, quod ei penitus est impossibile. Cur denique oraremus: *Fiat voluntas tua?* &, *da quod iubes, et iube quod vis.* Vnde Leo serm. 16. De pass. Domini, *Iustè instat præcepto, qui præcurrit auxilio. Ideo enim dat præceptum, vt excitet desiderium, & præstet auxilium.* Serm. 5. de Quadragesima disputat quidem August. vtrùm omnia Dei mandata obseruari possint: & vtrùm homo sine omni peccato viuere queat? sed clarè affirmantem partem resoluit:

Aug. li. 10. confess. c. 29. 31. & 37. de bono perseu. c. 20. Li. 3 ad Bonifacium c. 7.

Homo sine peccato viuere Dei gratia succurrente, potest.

Dubitare non possum, ait, *nec Deum impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum, quo fiat quod iubet, impossibile aliquid esse: ac per hoc potest homo, si velit, esse sine peccato, adiutus à Deo.* Hanc autē quæratur, vtrùm aliquis viuat sine omni peccato, etiam veniali? Respondet August. (lib. 2. de peccat. merit. c. 7. 14. & 20. & lib. de nat. & gratia cap. 34.) *Excepto Christo, eiusque beatissima matre Maria, nullum adultum, qui diu vixerit, omni peccato veniali carnisse.* Et quærenti, cur homo cùm possit, vitam absque peccato non ducat? respondet, *quia non vult.* Si rursus quæratur, cur nolit? respondet: *Nolunt homines facere, quod iustum est, siue quia latet, an iustum, siue quia non delectat.* Ignorantia ergo & infirmitas, vitia sunt, quæ voluntatem impediunt, ne moueatur ad faciendum opus bonum, vel ne à malo abstineat. Vnde lib. *de perfect. iustit.* cap. 16 scribit, non esse quæstionem, an homo peccata omnia vitare possit? sed an vitet? quando? per quem? Cùm autem omnia mandata imputantur facta dicit, quando quidquid non fit, ignoscitur, insinuare tantùm vult, hominem, etiamsi aliquando labatur, certam salutis spem concipere posse, ideóque nulli desperandum esse.

Libr. 2. de peccat. de merit. c. 17.

Ignorantia & infirmitas fontes sunt peccatorum.

Lib. 1. retract. c. 19.

Lib. cont. 2. Epist. Pelag c. 7.

CAP. XVIII.

Quos fructus obseruatio legis pariat?

COntra Sectarios asserentes, legis obedientiam, seu bona opera, fructus solùm, signáque adeptæ iustificationis esse, non etiam ipsius augendæ causam, neque salutis æternæ merita, causas, & conditiones in promissione contentas; iam superiùs ostendimus, obseruationem mandatorum Dei, operáque bona homini adulto esse in re, aut voto necessaria, non solùm ratione præsentiæ, sed etiam ratione efficientiæ, quia verè salutem operentur. Iuxta luculentissima Apostoli verba: *Salutem vestram operamini. Salutem stabilem operatur. Æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Ore confessio fit ad salutem. Factor operis, beatus in facto suo erit. Iustificatur homo ex operibus, & non ex fide tantùm.* Quamuis enim supremus omnium Dominus, tam creationis, quàm redemptionis iure, ab homine potuisset exigere, vt absque vlla spe præmij suæ maiestati seruiret, legésque ac mandata obseruaret; attamen voluit gloriam suam cum vtilitate nostra coniungere, multiplicesque benedictiones, cùm temporales, tum spirituales, ingentáque præmia, tam in hac, quàm in futura vita suarum legum obseruatoribus proponere. *In custodiendis illis* (ait regius vates)

Supra c. 16.

Obedientia legis, est vitæ æternæ meritoria.

Philip. 2. 2. Cor. 7. 2. Cor. 4. Rom. 10. Iac. 1. & 2.

Psal. 18.

retributio multa. Benedictiones & maledictiones recenſet Moyſes Deut. 27. & ſequentibus capitibus: & Chriſtus mercedem copioſam in cœlis repromittit, & menſuram bonam, confertam, coagitatam, & ſuperefluentem, facientibus voluntatem Patris. Cùm enim homo ſit liberi arbitrij, poſſitque ad bonum vel malum flecti, propoſuit ei Dei legem; cui ſi obtemperarent, beatus; ſi prævaricaretur, miſer fieret. Cúmque res vniuerſæ inanimatæ legem ſibi à Deo conſtitutam promptiſſimè obſeruent, (vt patet in Solis, Lunæ, Siderúmque reuolutione: Vere, Æſtate, Autumno, Hieme, ciconiarum receſſu & acceſſu, aliarúmque rerum ordinatiſſima perſeuerantia;) quàtò æquius eſt, hominem ratione præditum, ſui Conditoris legem ſeruare, cuius vt punienda tranſgreſſio, ita remunerãda ſit obedientia. *Oportet* enim *omnes nos ante Chriſti tribunal ſiſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* Quia enim magis honorificum eſt, aliquid ſuo merito, quàm ſola donatione conſequi; ideo Deus à ſuis filijs vitam æternam duplici titulo acquiri voluit; putà, hæreditatis, & mercedis. Promittitur enim vita æterna laborantibus, ſub pacto & conditione operis, quod eſt mercedis proprium: & non niſi filijs, quod hæreditatis eſt. Vtrúmque ſcriptura frequenter inculcat: *Si filij, & hæredes. Si filius, & hæres. Regenerauit nos in ſpem viuam, in hæreditatem incorruptibilem, conſeruatam in cœlis. Elegit hæredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe. Gaudete, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Voca operarios, & redde illis mercedem.* Imò tradit ſcriptura, præmium in futura vita vnicuique reddendum ſecundùm propoſitionem operum & laborum: *Reddes vnicuique ſecundum opera ſua.* Quod repetitur. Matth. 16. Lucæ 6. ad Roman. 2. 1. Corinth. 3. 2. Corinth. 5. Galat. 5. Apoc. vlt. Et quidem poni rationem meriti in bonis operibus, perſpicuum eſt ex illis Chriſti verbis: *Poſſidete regnum. Eſurij enim, & dediſtis mihi manducare.* Galat. 6. *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet.* 2. Timoth. 4. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus iudex.* Ad Hebr. 6. *Non eſt iniuſtus, vt obliuiſcatur operis veſtri.* Qui enim dixit: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*, nos de præmio ſecuros reddit. Certa ergo fide credendum eſt, nos obſeruatione mandatorum Dei, coronam gloriæ promereri.

Deut. 27. & ſequentibus.

Matth. 5.

Deus vitam æternã duplici titulo proponit: hæreditatis & mercedis.

Matth 19. 1. Cor. 9. In quo cõſiſtat ratio mercedis?

Rom. 8. Galat. 4. 1. Petr. 1.

Iac. 2.

Matth. 5.

Matth. 20.

Pſal. 65.

Bona opera verè merentur.

Præterea per opera bona in hac vita fiduciam, ſpémque firmam concipimus, vocationémque noſtram, electionémque certam facimus. *Si* enim *cor noſtrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Vndè Cyprianus ſermon. de Eleemoſyna: *Salutaris operatio, ſolatium grande credentium, ſecuritatis noſtræ ſalubre præſidium, munimentum ſpei, medela peccati.* Chryſ. *Sicut oleũ lumen lucernæ, ita & bona opera excitant fidem cordis, & dant confidentiam animæ.* Ambroſ. in 17. c. Lucæ. *Ex fide charitas, ex charitate ſpes, rurſuſq; in ſe ſancto circuitu reuoluuntur.* Et in cap. 3. poſt. ad Corinth. *Opus eſt, vt in nobis creſcat fiducia, bonis operibus comparata.* Auguſt. in Pſal. 31. *Vt quis ſperet regnum, habeat bonam conſcientiam, credat & operetur.* Ser. 16. de verb. Apoſtoli: *Quæ ſpes, niſi de aliquâ cõſcientiæ bonitate?* Hinc ſancti nonnunquam ad fiduciam in ſeipſis excitandam, obſeruationem mandatorum Dei

1. Petr. c. 3.

1. Ioan. 3.

In opere imperfecto. hom. 15.

Bona opera fiduciam generant.

Aug. Enchir. c. 117. Li. 5. Esdræ. cap. 5. Psal. 117. Isa. cap. 28. Hester. ca. 14.

allegare solent, vt Nehemias, Dauid: *Retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam*: Ezechias: *Memento, quomodo ambulauerim coram te*: Hester: *Tu scis necessitatem meam.* Denique Apostolus: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, &c.* Sic Hilarion teste Hieronymo: *Egredere anima mea. Quid times? 70. annis propè seruisti Christo, & mortem times?* Et B. Martinus, teste Sulpitio, morituros astanti diabolo cum magna fiducia dixit: *Quid hîc astas, cruenta bestia? nihil in me funestum reperies.* Et nouissima S. Francisci verba fuêre: *Educ de custodiâ animam meam: me expectant iusti, donec retribuas mihi.* Quanquam igitur in Dei misericordia præcipuè spes reponenda sit; ne videatur quis inaniter in suis meritis confidere; attamen secundariò in bonis actionibus ex Christi gratia promanantibus confidere licet, vt Ambrosius morituros hîcce verbis significauit: *Nec sic vixi, vt me pudeat inter vos viuere; ne mori timeo, quia bonum Dominum habeo:* docens, magis de bono Domino, quàm de suis meritis confidendum. *Magis* (ait Augustinus) *à Deo effluentem misericordiæ largitatem, quàm indicis summum examen expectat.* In eandem sententiam Gregor. *Recta, quæ agimus, sciendo nesciamus, vt hæc & recta æstimemus, & minima.* Bernardus: *Felix Ecclesia, quinec merita sine præsumptione, nec præsumptio absque meritis deest.* & Epist. 42. *Vtile coram Deo, non iustitiam prætendere, sed misericordiam postulare.* Epist. 310. *Orate saluatorem, vt tempestiuum iam exitum non differat, sed custodiat: curate munire votis calcaneum meum, nudum meritis.* Quare meritò Sapiens concludit: *Deum time, & mandata eius obserua: hoc est, omnis homo:* id est: Hic sit omnis hominis scopus, maiestatem Dei non offendere, ac quæ facienda & vitanda mandauit, studiosè præstare. Nam cuncta Deus in Iudicium vocabit, etiam verbum otiosum, vt recipiat vnusquisque, prout gessit, siue bonum, siue malum. Quod vtique meritò ad obseruationem Dei mandatorum acriter exstimulare vnumquemque deberet.

Hieronym. in vita Hilarionis. Sulpitius in vita S. Martini. Bonauentura in vita eiusdem. Paulinus in vita. Possidonius in vita B. August. Aug. lib. 3. cont. Cresconium, ca. 80. Lib. 9. Moral cap. 17. Bernar. 68. in Cantica. Chrysost. homil. 38. ad pop. Antioch. Matth. 12. 2. Cor. 5.

CAP. XIX.

Vtrùm intuitu mercedis bene operari fas sit?

Mercedis intuitu operari licet.

LIcere fideli bene operari propter Dei gloriam, simúlque propter æternæ vitæ retributionem, scriptura manifestè tradit: *Inclina cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem. Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adycientur vobis.* Et Dominus suam prædicationem à promissione regni cælorum exorsus est: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Similiter Ioannes Baptista suam prædicationem orsus est, & Apostoli; quin & Dominus: *Facite*, ait, *vobis amicos de mammonâ iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Et Ecclesiasticus: *Ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Et, *Moyses in remunerationem aspiciens, prætulit improperium Christi thesauro Ægyptiorum. Sic currite*, ait Apostolus, *vt comprehendatis. Bonum facientes non deficiamus tempore enim suo metemus. Ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis.* Ad Coloss. 3. *Ex animo operamini, scientes,*

Psal. 118. Matth. 6. Matth. 4. & 5. Matth. 5. Matth. 10. Luc. 17. Eccles. c. 18. Hebr. 11. 1. Cor. 9. Galat. 6. Philip. 3.

quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis. 1. Petri 1. *Vt reportetis finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum.* Hæc spes inuictos Martyres reddidit, Virgines, & Confessores animauit. *Bonum opus propter vitam æternam fac, & securus facies*, ait Augustinus; *hoc enim Deus mandauit.* Non enim charitas mercenaria est, quæ primo loco Deum, eiúsque gloriam quærit; mercedem verò non nisi vt finem secundarium, quo homines beati effecti, Deum cautò ardentiùs securiúsque diligant. Sed mercenaria, seruilis, & sordida est affectio, qua merces ipso vilior opere quæritur, vt faciunt, qui propter temporalia lucra præcipuè Deo seruiunt, vel Spiritualia, Ecclesiasticáue munia obeunt. Amor enim temporalis mercedis, Dei amorem impedit: à Deo reuocat; terrennis rebus animum implicat: Amor verò mercedis æternæ (quæ in Dei visione consistit,) Deo vnit, à rebus terrenis animum auellit, à prauis cupiditatibus expurgat, ad mandatorum Dei sollicitam obseruationem excitat, & ad Deum ardentissimè appetendum impellit. Quare dum Ecclesiastici scriptores mercenarium amorem detestantur, de amore commodorum temporalium, quæ primo loco quæruntur, agunt; vt patet ex Ambrosio in 15. cap. Lucæ, & aliis. In quem sensum Bernardus ait, *Amans Deum, aliud præter Deum præmium non requirit.* Similiter D. Thomas, *Deum amore amicitiæ diligi* tradit, hoc est, potissimùm & primariò propter ipsum; quanquam secundariò mercedem ab ipso expectare liceat. Ille autem amore concupiscentiæ diligere censetur, qui aliud propter seipsum primarie amat; cuiusmodi amor mercenarius est, nec cum vera charitate consistit.

Cyprian. li. de exhortat. Mart. c. vlt.

August. in Psal. 120.

Amor mercenarius primo loco mercedem quærit.

Ambr. li. 7. in Lucam. Ieron. in c. 6. Isa. Aug. tract. 46 in Ioan. Greg hom. 14 in Euag. Bernard. li. de dilig. Deo. a. 2. q. 19 art. 4. ad 3.

CAP. XX.

De Præceptorum Decalogi numero & distinctione.

EX Scripturis certum est, decem præcepta fuisse à Deo data, & in duabus lapideis digito Dei conscripta: ceterùm quomodo illa distincta fuerint, quótque in prima, & quot in secunda descripta extiterint, non est expressum. Vnde plures Doctorum sententiæ hac de re obortæ sunt, quas ad tres reducemus. Prima est Hebræorum, opinantium, in prima tabula fuisse quinque præcepta, ad Deum pertinentia: & in secunda similiter quinque ad homines. PRIMVM, autem esse volunt: *Non habebis Deos alienos coram me.* SECVNDVM, *Non facies tibi sculptile.* TERTIVM, *Non assumes nomen Dei tui vanum.* QVARTVM, *Memento vt diem Sabbati sanctifices.* QVINTVM, *Honora patrem*, &c. In secunda verò tabulâ constituunt: *Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Et duo vltima in vnum contrahunt. Quam opinionem (quoad præceptorum distinctionem) sequitur Origenes, & Author *libr. quæstionum vet. & noui Testamenti*: Saluo, quòd Origenes in prima tabula quatuor; in secunda verò sex præcepta fuisse arbitretur.

Secunda opinio est Hesychij in 26. cap. Leuitici, ponentis IV. præcepta ad Deum pertinentia, & VI. spectantia proximum: videlicet. I. *Honora patrem & matrem.* II. *Non occides.* III. *Non mœchaberis.* IV. *Non furtum facies.* V. *Non falsum testimonium dices.* VI. *Non*

Decē præcepta quomodo distincta? Exodi 31. Deut. 9. & 10.

Iosephus lib. 3. antiq. c. 6. & 8. Philo. lib. de decal. ante mediū.

Origen. homil. 8. in Exodum. Author quæstio vet. & noui Testamenti apud Aug. q. 7.

concupiſces. Sed I. conſtituit primæ tabulæ præceptum: *Ego ſum Dominus Deus tuus*. II. *Non habebis Deos alienos coram me*. III. *Non facies tibi ſculptile*. IV. *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*. Præceptum verò de ſanctificatione Sabbati, tanquam ceremoniale à Decalogo ſecludit, in quo à S. Thoma, aliisque meritò reiicitur.

1.2.q.100. art.4. Li.6.ſtrom. Aug. q.71. in Exodū. Lib. de decem chordis ca 5.6. Epiſt.119. cap.11. Cōtione 1. in Pſal.31. Magiſter li. 3.diſt.37.

Tertia verò ſententia eſt Clementis Alexandrini, Auguſtini, Magiſtri ſententiarum, S. Thomæ, ceterorúmque Scholaſticorum Doctorum. Docet hæc opinio, in prima tabula tantùm fuiſſe deſcripta tria præcepta, quæ homines in Deum dirigant: in ſecunda verò tabula, ſeptem, quæ hominis officium erga proximum contineant. I. Autem primæ tabulæ mandatum conſtituit: *Non habebis Deos alienos, &c.* II. *Non aſſumes nomen, etc.* III. *Memento vt diem Sabbati ſanctifices*. Reliqua in ſecunda tabula ponit, nouúmque præceptum ſtatuit: *Non concupiſces vxorem proximi tui*. Decimum verò: *Non concupiſces domum, non agrum, non ſeruum, & vniuerſa, quæ illius ſunt*: quia non minùs differunt concupiſcentia vxoris alienæ, quàm adulterium & furtum. Quam ſententiam non parum confirmat editio LXX. interpretum, in qua verbum: *Non concupiſces*, bis repetitur. Iuxta hanc diſtinctionem prima tabula nobis Trinitatem commendat, tribus præceptis: ſiquidem in Patre vnitas, in Filio veritas, in Spiritu Sancto ſanctitas elucet.

In prima tabula tria præcepta Deum concernentia ſunt.

In ſecunda tabula ſeptē præcepta dilectionē proximi dirigentia cōtinentur.

Præterea in duobus præceptis vniuerſa Decalogi implicitè continentur, videlicet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: & diliges proximum, ſicut teipſum. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ*. Conueniens proinde fuit, vt in prima tabula illa tantùm præcepta ſcriberentur, quæ hominis in Deum amorem diſponerent: in ſecunda verò, quæ hominis officium erga ſuum proximum dirigunt. Deo autem tanquam Regi & Domino tria debemus; ſcilicet fidelitatem, reuerentiam, & famulatum. Porrò ad fidelitatem pertinet, vt ſeruus honorem principatus ac Domini ſui alteri non deferat, nec cum eius inimicis ſocietatem vllam ineat, quod primo præcepto cauetur. Reuerentia verò poſtulat, vt nihil iniurioſum in Dominum committatur, quod ſecundo præcepto vetatur. Denique famulatus ratio exigit, vt ſeruus in compenſationem acceptorum beneficiorum obſequium Domino exhibeat, quò ſpectat tertium præceptum de ſanctificatione Sabbati, in memoriam beneficij creationis, redemptoris, & aliorum.

Matth.22. Luc.10.

Deo fidelitas, reuerētia, & famulatus debentur.

Dilectio autem proximi requirit (quæ in ſecunda tabula continetur) vt quibus ſpeciatim obſtricti ſumus, iis debitum reddamus; in quo verſatur præceptum de honorandis parentibus: deinde, vt nulli proximo nocumentum inferamus, neque opere, neque ore, neque corde. Opere quidem nocemus proximo, vel in eius perſona, (quod vetatur præcepto: *non occides*) vel in perſona ei, quod prolis generationem coniuncta: quod prohibetur illis verbis: *Non mœchaberis*: vel in bonis & poſſeſſionibus, quod illis: *Non furtum facies*. Nocumentum autem oris coërcetur præcepto: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*: ac poſtremò cordis nocumentum remouetur vltimis duobus præceptis: *Non concupiſces, &c.*

Ne quis verò admiretur, cur potiùs vetita sit vxoris alienæ vel rei concupiscentia, quàm homicidij aut mendaciorum, consideret, voluptatem & diuitias speciem per se boni delectabilis & vtilis habere, ideóque homines ad hæc appetenda pronos, expresso præcepto instruendos fuisse: sed homicidium & mendacium per se nihil expetendum continere, cùm contraria potiùs naturaliter diligantur, putà similis ac eiusdem naturæ consors, & veritas.

CAP. XXI.

Vtrùm Decalogus ex charitate impleri debeat?

Præcepta quoad substantiam sine charitate seruátur.

NVllum opus Deo gratum, æternæque vitæ meritorium est, nisi ex charitatis radice prodeat; ideóque, vt obseruatio mãdatorum huiusmodi sit, ex charitate præcepta implenda sunt. Cetertim vt solùm euitetur præcepti transgressio, non est opus, ex charitate præceptum obseruari. Nam legislator duo intendit, scilicet medium, & finem. De medio seu de actu virtutis præceptum dat, finem verò intendit, sed non præcipit: finis autem præcepti, est charitas.

Præceptum de medio datur.

Finis intenditur, non præcipitur.

Sciendum tamen est, modum charitatis speciali præcepto de diligendo ex toto corde Deo iuberi, quatenus respectu gloriæ, medij rationem obtinet charitas: sed quia duorum ceterorum præceptorum non medij, sed finis conditionem retinet, modus eius in aliis præceptis non includitur. Ideoque ex vi solius præcepti: *Honora patrem*, non obligatur ad honorandum ex charitate: sed vi tamen alterius tenetur, scilicet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c.* Quia verò ad obtinendam salutem, omnium præceptorum obseruatio necessaria est (iuxta illud; *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*) ideò recte veteres dicunt, non esse fructum boni operis, qui non procedit ex radice charitatis: & mãdatum Dei, si ex timore fiat, non amore iustitiæ, non adimpleri, nec fieri quemadmodum oportet; quia videlicet hominem necesse est bene agere, non solùm amore recti officij, sed etiam amore Dei, vt præmium & laudem ab eo consequatur æternæ vitæ.

S. Thom. 1.2. q 100. ar 10. ad 2.

Aug. li. 1. de doct. Christi. cap. 22.

Enchir. ca. 121.

Lib. 19. de ciuit. c. 25.

Lib 4. cõt. Iulian. c. 3.

CAP. XXII.

Vtrùm præcepta Decalogi dispensabilia sint?

PRæcepta Decalogi propriè nullam dispensationem admittunt, quæ tunc solùm habet locum, cum in aliquo casu verba legis cum intentione Legislatoris pugnant, quod in Decalogi præceptis accidere nequit, quæ ipsam Legislatoris intentionem, ordinémque iustitiæ immutabilem (quo bonum commune seruatur, in quod Legislatoris intentio semper fertur) contineant. Præcepta quidem primæ tabulæ ordinem iustitiæ ad bonum commune & finale, quod Deus est; præcepta verò secundæ tabulæ ordinem iustitiæ inter homines obseruandæ, vt cuique debitum reddatur, nec vlli noceatur.

S. Thom. 1.2. q. 100. art. 8.

An præcepta Decalogi omnino sint indispensabilia.

An tamen omnia Decalogi præcepta ita absolutè diuina æternaque ratione firmata sint, vt nulla ex causa possint ab ipso Deo immutari, dubitationem habet. Nam licet D. Thomas omnia, etiam Deo indispensabilia sentiat; attamen D. Bernardus præcepta secundæ tabulæ Deo esse dispensabilia scribit, ac

Lib. de præcepto & dispens.

exemplis

exemplis comprobat, Deum quando voluit dispensasse in tribus præceptis, v. VI. & VII. quem sequutus Scotus, aliique nonnulli præcepta secundæ tabulæ consona quidem iuri naturæ confitentur, sed in eis tamen Dominum Deum posse dispensare sustinent, negantes, esse conclusiones ex naturæ iure necessario deductas. Imò verò addunt, in præceptis secundæ tabulæ non præcipi bonitatem, necessariò ad vltimum finem conuertentem: neque prohiberi malitiam, necessariò ab vltimo fine auertentem. Quis enim negare audeat, Deum posse vsum communē feminarum (quod faciunt Anabaptistæ) concedere? sanè cui hoc faciendo iniuriam inferret? nonne ad omnia, quæ extra ipsum sunt, Deus liber est?

Exodi 5. Osee 1. Iudic. 16.

CAP. XXIII.

De primo Decalogi præcepto.

Religionis præceptū.

PRimo Decalogi præcepto, Religio vera statuitur, & falsa prohibetur. Vni enim soli vero Deo latriæ cultum exhuberi iubet: quem vt agnoscamus, & vt agnitum Legislatorem ampliùs reuereamur, eiusque mandatis promptiùs obediamus; à sui notitia, suæque maiestatis insinuatione Deus Legem suam exorditur. *Loquutus est autem Dominus cunctos sermones hos*, ait Scriptura; sed per Angelum, (Act. 7. ad Galat. 3.) qui Deum repræsentabat, (Augustin. lib. 2. de Trinit. c. 13.) & cui verba quæ loqueretur inspirabāt, Gregor. *in præfatione lib. Mor.* cap. 2.

Exod. 20.

Et antequam sua mandata proponeret, admonere voluit, quis, quantus, quàm potens esset, quo iure ac titulo hominibus leges ferret; quemadmodum Principes initio legum nomen suum, titulumque Domini explicare solent: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi de terrâ Ægypti, de domo seruitutis.* Hoc exordium non est pars primi præcepti, (vt Iosephus & Philo volunt) sed est quædam præfatio: Legislatoris authoritatem commendans.

Quatuor verò iusti domini causæ proponuntur. PRIMA illis verbis: *Ego sum Dominus*: Hebraicè, IEHOVA; significans fontem essendi, à quo cuncta in esse, viuere ac moueri pendeant, cuique omnia creationis iure subiecta sint, à quibus proinde vt seruis obedientiam exigere possit.

Secunda exprimitur verbo: *Deus*, Hebraicè ELOHIM; quod est iudicis & gubernatoris: vt intelligamus, nos legislatorem habere, qui natura sit creator, simúlque iudex, conseruator, ac gubernator, cuius præcepta nemo impunè contempserit.

Tertia explicatur verbo, *tuus*. Licet enim Deus omnium sit ratione creationis, & Iudex ratione gubernationis; attamen peculiari pacto Deus erat Israëlitarum, sicut nunc est fidelium, qui per Baptismum in filios Dei sunt adoptati, Christo desponsati, incorporati, specialique promissione ipsius cultui obstricti. Gen. 17.

Quarta ibi redditur: *Qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis*, vt scilicet deinceps mihi seruires. Cúmque hæc liberatio adumbrauerit Christianorum liberationem à Diaboli, Peccati & Mortis captiuitate, per Christum impletā; multò magis Christianos, quàm Iudæos ad parendum Dei legibus incitare debet.

Obseruandum hîc, quòd Deus per opera visibilia homines ad se agnoscendum inducat. Ab initio

enim à Creatione se nominauit: *Deus, qui creauit cælum & terram:* postea verò: *Deus Abraham, Isaac, & Iacob* dici voluit. Post liberationem verò Israëlitarũ ex terra Ægypti, ab eo beneficio nominatus est. At post missum Filium in mundum, ad redimendum genus humanum, vocatur *Pater Domini nostri Jesu Christi, redẽptoris mundi:* quod ita euenturum, Hieremias & Isaias prædixerunt: *Deus omnis terræ vocabitur*, id est, Ecclesiæ Catholicæ, per vniuersum orbem terræ diffusę. Cunctos enim Dei filios in vnum ouile, in vnam fidem, pietatémque Christus aggregauit.

Gen. 14. Exod. 3. Ieiem. 23. Isaiæ 54.

Non *habebis Deos alienos coram me*. Septuaginta, *alios*. Interpres Chaldæus: *Non erit tibi Deus alius præter me*. Sensus est: *Me pro Deo habebis, & nullum alium*: me, vnum solum Deum, in personis quidem trinum, sed in natura vnicum agnosces, adorabis, coles, super omnia diliges, timebis; fide, spe, charitate, cultúque latriæ honorabis. Sub negatione enim affirmatiuam intelligi, docet Moyses, & Christus ipse: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Vbi partim iubendi, partim prohibẽdi vim habere istud mandatum, demonstrat, ac sententiam hanc includere: *Me latriâ tanquam verum Deum: & nullum alium pari cultu honorabis.* Est enim Latria, seruitus Deo propria, qua summũ eius dominium, nósque & omnia nostra ab ipso esse ac pendere agnoscimus, quam corde per fidem, spem, & charitatem exhibemus, corpore verò per adorationem, genuflexionem, pectoris tunsionem, laudem Dei vocalem, templorum erectionem, per sacrificia, vota, iuramenta, ieiunia, alióque huiusmodi ritus.

Ioan. 10. Expositio primi præcepti. Deut. 6. & 10. Matth. 4.

Datur autem istud præceptum negatiuè, vt significetur, quòd *lex non sit iusto posita, sed iniustis*; & quoniam se latiùs extendit negatiuum, quàm affirmatiuũ præceptum: vetat enim cum vero Deo alios coli; vt fecere Samaritani, quod non facit affirmatiuum: *Deum cole.* Ideo à Romanis Deum Israëlitarum non fuisse cultum, tradit Augustinus, quia reliquorum Deorum sacra reijcere debuissent, quibus tamen etiam adiuuari suum imperium putabant. Denique congruenter Deus primùm contraria charitati extirpat, vt illis reiectis charitas Dei succedat.

1. Timot. 1. 4 Reg 17. Aug. lib. 1. de consen. Euang. cap. 12. 14. & 18.

Obseruandum autem hîc est, vnicum esse Deum natura, nuncupatione verò & nominis participatione, etiam sublimes personas, Deos dici, propter aliquam diuinæ perfectionis & eminentiæ communionem. Sic dictum est Moysi: *Constitui te Deum Pharaonis.* Et, *Ego dixi, Dij estis.* Et, *Sunt dij multi.* Et: *Si illos dixit Deos, ad quos Dei sermo factus est, &c.* Sed hi quia non aliunde, quàm à Deo vero accepta potestate diuinum quid in terra exercent, non sunt alieni à Deo cœli, sed eius ministri & vicarij: sicut Reges & Domini terrarum non sunt contrarij, sed ab illo, & per illum, qui est *Rex regum & Dominus dominantium.* Etsi enim sunt, qui dicantur dij, siue in cælo, siue in terra; *Nobis* tamen (ait Apostolus) *vnus est Deus Pater, ex quo omnia, & nos per illum. Scimus, quia nullus est Deus, nisi vnus:* docens, Deum non esse in turbam Deorum diuidendum, vt stulto errore Gentiles fecère, Dei nomen & gloriam variis creaturis ingẽti cæcitate communicantes: I. quidem cælo, sideribus, elementis, ob commoditates, quas se ab eis percipere sentiebant. II. In Deorum numerum retulere

Vnus est Deus natura, nuncupatione plures. Exod. 7. Psal 81. 1. Cor 8. Ioan. 10. 1. Cor. 8. Sapien. 14.

homines, qui genus humanum peculiari beneficio affecissent. III. Reges & Principes adulatione vel tyrannide in Deos extulerunt. IV. Nonnulli Poëtarũ fabulas sequuti, Deos ex diis ortos arbitrati sunt, & malignos spiritus sub nomine hominum defunctorum coluerunt. V. Alij vires ipsas animæ, hominúmque vitia in Deos consecrarunt, vocantes Priapum, Martem, Venerem. VI. Artium magicarum professores discipuli pro diis venerati sunt, vt de Simone Mago legitur: *Hic est virtus Dei magna.* Postremò non pauci eò dementiæ prolapsi sunt, vt diuersa volucrum, quadrupedum, serpentium; necnon imagines corruptibilis hominis, vituli, pisces, statuas, ligna, lapides, imò Idola, id est, rerum existentis, sed commentitiæ simulacra, pro diis habuerint, eis latriæ cultum detulerint, immolando, inuocando, salutem suam eis commendando, dicentes ligno; *Pater meus es*; vitulo, imò similitudini vituli comedentis fœnum: *Hi sunt dij tui.*

Act. 8.

Baruch. 6. & Ierem. in epist. Sap. 13. & 14. Danielis 5. Bellarm. li. 2. de Imaginibus ca. 13.

Porrò neque Philosophi ab eorum ignorantiâ, qui in multa numina vnum Deum partiti sunt, recesserunt. Nam ex eis quidam athei fuêre, nullum agnoscentes Deum: alij multos Deorum ordines fabulati sunt: alij cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed accommodantes se aliorum errantium moribus, aliud in scholis docuerunt, aliud in templis obseruarunt. Rursus Gentiles plurium Deorũ cultũ necessarium putarunt: quidam propter huius vitæ commoda; alij propter vitæ futuræ præmia. Diabolus autem variorum Deorum cultum induxit, sicut nunc diuersas pugnantésque hæreses excitat, quia perinde ipsi est, quomodo erretur, dummodo homines à vera religione abducantur, & in damnatæ societatis consortium pertrahantur.

Aug. lib. 6. de ciuit. ca. 1. lib. 18. c. 51. Theodor. lib. 3. de cur. Græc. affect.

Inter plurium autem Deorum cultores, quidam absque Imaginibus; alij per sculptilia & similitudines Deos colendos senserunt. Priorem errorem prima huius præcepti parte Deus excluſit, posteriorem verò consequentibus verbis: *Non facies tibi sculptile*, id est, statuam ex auro, ære aut metallo, vel marmore, ligno, aliáue materia non facies tibi in Deum. *Neque omnem similitudinem*: id est, nec vllam aliam imaginem, siue pictam, siue insisam in ære aut alio quouis modo: *Quæ est in cælo desuper*: id est, siderum. Nam gentes aliquæ Solem, Lunam, & Stellas colebant, quas etiam Iudæi aliquando imitati sunt: *Et quæ in terra deorsum*: id est, nullius animalis in terra degentis similitudinem tibi in Deum statues: non Iouis, Beli, Veneris, &c. non etiam Vituli, Serpentis, &c. *Nec eorum, quæ sunt in aquis sub terrâ*: id est, nec facies similitudinem piscis, aut alterius cuiuslibet animantis in mari vel aquis degentis, tibi in Deum. Nam quidam crocodylos colebant, aliáque piscium monstra. *Non adorabis ea*: id est, non incuruabis te eis, vt latriâ colas. *Adorare* siquidem est, reuerentiam corporis inclinatione præstare, sub quo ritu ceteri externi latriæ subintelliguntur.

Sculptile in Deum, fieri prohibetur.

4. Reg. 17. & 21.

Psal. 105.

Quatuor itaque negationibus primo præcepto contentis, quatuor latriæ actus prohibentur. I. *Non habebis Deos alienos*, actus internus latriæ vetatur creaturæ tribui. II. *Non facies tibi sculptile*; prohibetur actus externus latriæ, consistens in fabricandis idolis. III. *Non adorabis*

prohibetur omne genus latriæ, consistens in actu externo honoris & reuerentiæ. IV. *neque coles*, inhibetur omne genus famulatuum diis exhiberi solitorum, oblationibus, sacrificiis, ludis, & similibus, quæ in honorem Idolorum exerceri solent. Hæc enim seorsim admissa peccata sunt.

Non autem Deus absolutè sculptilia & imagines fieri prohibuit; alioqui artem sculpendi, pingendi, dolandi, fundandi sustulisset; nec ænei serpentis similitudinem, ac Imagines Cherubim fieri iussisset: sed vetat, ne quis Gentilium more, sibi statuam vel quamcunque similitudinem in Deum constituat, néue latriæ cultum, soli Deo vero debitum, alicui creaturæ tribuat.

Imago nō prohibetur.

CAP. XXIV.

Qui in hoc præceptum impingant.

CONtra hoc primum præceptum peccant, qui primæ veritati non credunt: vt athei, qui Dei prouidentiam negant, Apostatæ, Iudæi, Turcæ, Heretici. Item, qui falsis Prophetis attendunt, hæreticas conciones audiunt, suáque præsentia schismaticorum animositatem roborant, vel dogmata fidei discere negligunt, aut fidem verbo aut signo negant; ac denique hîc ita viuentes, vt Deum non timeant, nec de vltimo iudicio solliciti, post mortem nullam aliam superesse vitam putare videantur.

Psal. 13. Iob. 21. Quibus modis contra primum præceptum peccetur.

Peccant insuper, qui per obseruationes superstitiosas; vel artis Magicæ, aut diuinatoriæ vsum, expressè, vel tacitè dæmones inuocant, per auguria, somnia, vanásque obseruationes. Instar enim linguæ, qua vtitur pacisceus cum dæmone, præsumptio est, quòd res aliqua vt signum valeat, ad occulta sciendum, aut certum effectum consequendum, ad quem producendum, nullam vim res illa naturali proprietate, aut Dei vel humana institutione habet. Nam tunc expectari censetur effectus ab aliqua assistente secreta virtute, meritóque vanæ curiosæque huiusmodi præsumptionis diabolus se ingerere solet, vt homines in talibus signis confidant, & pestifera societate dæmoniis iungantur, vt docet Augustinus. *Nolo autem*, inquit Apostolus, *vos socios fieri Dæmoniorum*. Quare hîc omnis magia, & vanæ obseruationes vetantur: putà expectare sanitatem per verba certo modo, vel tempore prolata, vel in hac aut illa materia descripta confidere, quòd gerendo super se certa verba vel signa nunquam vulnerabitur, prosperè omnia successura esse. Similiter, quòd Reliquiæ gestatæ in trigono aut rotundo vase proderunt, secus minimè: quòd occursus leporis, vlulatus lupi, mingitus bouis certò malum portendat: quòd quidam dies fausti sint, aliis verò infausti: item, certis ieiuniis polliceri scientiam infusam; credere musicam, herbas, lapillos, signaue certa per se in dæmones operari: sortibus ad rei occultæ indagationem vti: item superstitione aquæ feruentis, ferri candentis, prunarum ardentium, ingressu fornacis, immersione aquæ, nocentiam vel innocentiam comprobare: maleficium alio maleficio vel incantatione dissoluere. Nam naturali operatione in cōtemptum Diaboli maleficium amouere, frangere ac dissoluere licet: prout & Exorcismis ab ordinario probatis, aqua benedicta, sanctorum precibus & reliquiis, ac sacrosancta oblatione

Aug. lib. 2. de doct. Christi. ca. 20.

Deut. 18.

Corporis & sanguinis Domini contra maleficia vti fas est. Pertinent enim ista ad veræ religionis exercitia.

Hic autem vetatur falsa religio & superstitio, ad quam in primis spectat cultus perniciosus, qui ceremoniis mendacibus Deo exhibetur (qualis nunc est Iudæorum:) necnon superfluus, qui eiusmodi ritibus defertur, qui neque ad Dei gloriam, neque ad subiiciendum carnem spiritui, vel spiritum Deo quidquam conferant; aut quo diuinus cultus creaturæ impenditur, siue intentione honorandi, siue opem aut qualemcunque directionem assequendi.

CAP. XXV.

De cultu & veneratione Sanctorum.

Sancti colendi. Hieron. cont. Vigilantium.

QVia post veteres hæreticos nostri sectarij venerationem Sanctorum Angelorum, beatorumque hominum, huic præcepto aduersari contendunt, ostendemus, illos grauiter hîc cæcutire. Quod facilè aduertet, quisquis intellexerit, varias esse species cultus seu adorationis, sicut & excellentiæ. Honor enim seu cultus, personæ ob excellentiam debetur.

Excellentiæ variæ, quibus honor varius correspondet.

Sunt autem tres excellentiæ species, huic instituto congruæ. I. est excellentia diuina & infinita, cui summus honos & cultus latriæ, Deo proprius, respondet. II. est excellentia creaturæ rationalis, in naturalibus virtutibus, scientia, ministeriis, gradibus, & huiusmodi constituta, cui obseruantia ciuilis correspondet, pro excellentiæ varietate diuersa. Nam alius honor Patri, alius Regi, Magistratui, Magistro prudenti, aut philosopho debetur. III. Excellentia est gratiæ & gloriæ, donorúmque supernaturalium, in qua primum locum obtinet Christi Humanitas propter vnionem ad Verbum: deinde B. Virgo Maria, Christi veri Dei Mater. Eatenus enim, *Regina cæli & Domina fidelium* vocatur. Huic excellentiæ, hyperduliæ; sanctis verò, duliæ cultus assignatur. Quemadmodum ergo non vniuocè, sed per analogiam excellentia Deo & creaturæ tribuitur; ita & respondens ei cultus. In quo tres actus notare oportet: scilicet intellectus, quo excellentiam apprehendimus; deinde actum voluntatis, quo nos ei inclinamur, volentes actu interiore aut exteriore quippiam agere, quo excellentiam eius, nostrámque subiectionem protestemur; ac denique actum exteriorem, quo veluti signo declaramus interiorem animi subiectionem, & opinionem excellentiæ contestamur: veluti dum caput inclinamus, genua flectimus, dona vel sacrificia offerimus.

Ex his actibus, primus ab honore separari potest, quia possum alicuius excellentiam concipere, simúlque nolle ei subiici: secundus, essentialis est honoris; tertius, etiam cum irrisione fieri potest, vt Iudæi, Christo flectentes genua, illuserunt.

Ex quibus species cultus seu honoris distinguere, facile est. Nam prima species, quam *Latriam* vocamus, est quædam summa voluntatis submissio, cum apprehentione Dei, rerum omnium primi principij, & finis vltimi, adeóque summi boni: qualis adoratio soli Deo conuenit. Latria in quo consistat.

Secunda species, consistens inciuili quodam cultu, est quædam inclinatio voluntatis, cum apprehensione cuiusdam excellentiæ humanæ. Ciuilis cultus.

Tertia, media est inter diuinam & humanam; inclinatio Religiosus cultus.

scilicet voluntatis cum apprehensione excellentiæ plus quàm humanæ, minoris verò quàm diuinæ. Quantùm ad exteriores honorum actus, omnes (excepto Sacrificio, & quæ ad illud referuntur, Templis, Altaribus & Sacerdotibus, quæ sibi soli reseruauit Deus) cultu Dei & creaturæ communes sunt. Vndè Abraham Deum adorauit & angelos. Et quia eisdem vocabulis latinis cultus Dei & creaturæ significatur, hinc Scripturæ ecclesiasticique scriptores nomen adorationis & religionis, cultus, honoris, gloriæ, seruitutis, nunc attribuunt creaturis, nunc adimūt, prout variè accipiuntur. Deut. 6. scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Attamen Gen. 27. Isaac dixit filio Iacob: *Seruiant tibi populi, & adorent te filij matris tuæ.* Et Apostolus: *Per charitatem, seruite inuicem.* 1. Timot. 1. *Soli Deo honor & gloria.* Rom. 2. *Gloria et honor omni operanti bonum.* Imò cùm Scriptura vnum esse tantum Deum pronunciet, attamen Psal. 81. legimus. *Ego dixi, dij estis*: quam phrasim Christus Ioan. 10. comprobat. Quando igitur Scriptura adorationem, seruitutem, & cultum admit creaturæ, de certo adorationis, seruitutis, & cultus genere loquitur, quod soli Creatori Deo, Redemptori, atque beatitudinis largitori debetur. Quod cultus genus nomine *Latriæ* vsu ecclesiastico designatur, vt notat Augustin. & Cōcil. Nicen. II. in Act. 3. 4. 6. & 7. Damasc. oratione 1. & 2. *De Imag.*

Gen 17
Gen. 18. 23.
Galat. 5.
1 Timot. 1.
Isaiæ 44.
Aug. qu. 61. in Gen.
Lib. 10 de ciuit. cap 1.
l. 1. 20. cōt. Faustum c. 21.
Beda in c. 4. Lucæ.

Quod autem cultus quidem honorarius & religiosus, minor quidē latriā, sed maior tamen ciuili, Angelis & hominibus beatis debeatur, Scriptura conuincit. Abrahā enim pronus in terram angelum adorauit. Loth Gen. 19. Balaam Num. 22. Iosue, c. 5. Similiter animam Samuelis Saul adorauit 1. Reg. 28. nec in eo à Scriptura reprehēditur. Abdias vir sanctus Heliam prophetam adorauit, 3. Reg. 18. Filij prophetarum Helizæum adorant 4. Reg. 2. Nabuchodonozor Danielem, vt virum Dei spiritu plenum, adorauit: quin & Alexander Magnus Iaddum Pontificem, teste Iosepho lib. 11. *Antiquit.* cap. 8.

Accedit perpetuus Ecclesiæ vsus, à Christi tempore vsque ad nos receptus, qui ex Iacobi Liturgia, Basilij, & Chrysost. necnon ex vetustissimo Missæ canone latino patet: nam ibidem Sancti inuocantur. Et priscis seculis vsitatissimam fuisse sanctorum inuocationem, attestatur Iustinus Apologia II. communem omnium Christianorum sensum explicans: *Deum*, inquit, *bonorumque angelorum exercitum, & spiritum propheticum colimus atq; adoramus, verbóque & re veneramur.* Tertullianus lib. *de coronâ militis* festa in Natalitiis martyrum celebrari scribit. Idem asserit Cyprianus epist. 5. Eodem pertinet, quòd tam Ethnici, quàm Iudæi, & veteres hæretici, Christianos propter sanctorum cultum idolatriæ accusauerint, vt de ethnicis testatur Eusebius lib. 8. histor. Eccles. cap. 6. Theodoretus lib. 8. *de curatione Græc. affect.* De Iudæis idem Eusebius lib. 8. hist. cap. 15. De Iuliano Apostata Cyrillus lib. 6. & 10. in Iulianum. De Porphyrio, Eunomio, & Vigilantio, Hieron. *contra Vigilantium.* De Manichæis Augustinus lib. 20. *cont. Faustum* cap. 21.

Gen. 18.

Quibus à Catholicæ fidei propugnatoribus responsum est, quòd Christiani non pro Deo, aut Dis Martyres colerent, sed tanquam Dei seruos, & amicos venerarentur & diligerent: quódque non eis, sed soli Deo sacrificium offerrēt, quan-

Rectè honor sanctis defertur.
Euseb. lib. 13. de præpar. Euang. Epiphan. hæresi 79.

quam honorem illis tribuerent: Cyril. li. 6. *Martyres* (ait Cyrillus) *non quidem Deos esse factos, sed omni honore dignos, vt Dei amicos.* Theodor. lib 8. curat. Græc. affect. Theodoretus: *Nos martyribus nec hostias, nec libamina vlla deferimus, sed vt sanctos homines, Deique amicissimos honoramus.* Damascenus lib. 4. *de fide* cap. 16. *Honorare decet sanctos, vt amicos Christi, & filios & hæredes, Judicijque consortes.* Apoc. 3. Augustinus Fausto criminanti, quòd Christiani vertissent Idola in Martyres; RESPONDET, à Christianis Martyres coli, sed non cultu latriæ, qui Deo proprius est. *Plus honoris* (ait epist. 42.) *tribui Romæ Petro, quàm Romulo.* Li. 20. cõt. Faust c. 21. epist. 44. & 42. Item in Ps. 96. serm. 1. de sanctis Petro & Paulo.

Quod autem Sanctorum honor, Christi cultum non diminuat, sed augeat, Hieronymus asserit: *Honoramus*, ait, *sanctos, vt honor seruorum redundet in Dominum.* Basilius oratione in XL. Martyres: *Honor, quem bonis conseruis exhibemus, benevolentiæ erga communem Dominum significationem præbet.* Ambrosius serm. 6. *Qui honorat martyres, honorat & Christum: qui spernit sanctos, spernit & Dominum.* Augustin. epist. 42. *In Petro quis honoratur, nisi ille defunctus pro nobis?* Bernardus de Aquæductu: *Votis omnibus Mariam veneremur, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Hieron. in epist ad Ripatium.

Denique cùm Deus sanctos honoret, cur homines illis honorem denegabunt? *Qui vicerit* (inquit Deus) *dabo illi sedere mecum in throno. Ego*, ait Christus, *dispono vobis regnum meum. Qui honorificauerit me, glorificabo eum. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus. Gloria & honor omni operanti bonũ.* Vnde Vates regius exclamat: *Mihi nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* Hinc sanctos laudibus cõcelebrat Ecclesiasticus, & similiter Apoc. 3. Luc. 12. Ioan. 12. 1. Reg. 2. Psal. 138. Eccles. 44. & sequen.

Apostolus Paulus: at sectarij in Deum impij, in amicos & seruos eius ingrati, quibus æternam felicitatem extorquere nequeunt, honorem saltem ac venerationem, quantum fieri potest, eripiunt: vt notat Bernardus serm. 66. in Cantica. Hebr. 11.

CAP. XXVI.

Quod sancti rectè inuocentur.

QVia verò sectariorum nonnulli sanctos veluti iudices à Deo constitutos, honorandos quidem confitentur, attamen neutiquam inuocandos esse affirmant, ideò, quòd post mortem nullius pro altero exaudiatur oratio; simul &, quia defuncti viuorum preces agnoscere nequeant; ostendendum est, neque illicitum esse, sanctos inuocare, neque inutile aut superfluum. Ac primò id Scriptura manifestè conuincit, Genes. 48. vbi Iacob Angelum disertis verbis inuocat: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Et Iob: *Ad aliquem sanctorum conuertere.* Et cap. 33. *Si fuerit angelus, loquens pro eo, vnus de millibus, miserebitur eius.* Et quòd Sancti post mortem pro viuis orare possint & soleant; docet illud Ieremiæ: *Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Et Iudas Machabæus conspexit Ieremiam & Oniam orantes pro Iudæorum populo. Quem librum Concilium Carthagin. III. inter Scripturas canonicas recenset, & Catholica Ecclesia pro tali recipit. Et Petrus: *Dabo operam, & frequenter habere vos post obitum meum.* Non enim sancti minore cura salutis fratrum tanguntur, quàm Epulo, qui pro fratribus suis fuit sollicitus: nec De inuocatione Sanctorum. Genes. 48. Iob. c 5. Hierem. 15. Lib 2. Machab. c. 15. 2. Petr. c. 1. Luc. 16.

similes ingrato pincernæ Pharaonis sunt, qui oblitus fuit Ioseph in miseriis constituti; sed de sua salute securi, de nostra sunt solliciti. Non enim eorum charitas per mortem extincta vel imminuta est, quin potiùs adaucta erga fratres adhuc periclitantes, quibus parem secum beatitudinem exoptant. Cùm enim ad eandem Dei ciuitatem cum viuis pertineant, eiusdémque Christi corporis membra sint, procul dubio pro eis solliciti sunt, & ipsis quacunque ratione opitulantur. Nam cum Christo tempore intermedio inter mortem & resurrectionem Ecclesiæ curam gerunt, pascunt, regunt, mundo præsident, vt Apoc. 2. & 3. dicitur: *Qui vicerit, dabo ei potestatem super gentes, & reget eas in virgâ ferreâ, sicut & ego accepi à Patre meo.* Et rursus: *Dabo ei sedere mecum in throno meo*; vt videlicet Ecclesia eisdem rectoribus gubernetur, quos operis sui vicarios Christus elegerat, & veluti pastores præesse constituerat, vt Ecclesia in præfatione de Apostolis canit. Cuius meminit Pelagius Papa II. in epist. 4. decretali. Quò & pertinet, quòd XXIV. Seniores in terram cadere describuntur, coram throno Dei, habentes phialas plenas orationibus Sanctorum. Non enim minùs Angelis, hominum in terris viuentium causam apud Deum agunt: at Angeli pro hominibus orant, de vnius peccatoris conuersione gaudent, hominum preces Deo præsentant: cur igitur Sancti de sua immortalitate securi, de nostra incolumitate non erunt solliciti?

Apoc. 2. & 3.

In præfat. de Apost.

Apoc. 5.

Gen 18. 19. Daniel. 10. Psal. 40. Tob. 12. Zachar. 1. Matth. 14. Apoc. 8.

Præterea rectè sanctos inuocari, docet Scriptura, dum eorum merita in patrocinium assumenda, nominémque illorum esse inuocandum tradit, vt Genes. 48. *Innocetur nomen tuum super eos.* Exodi 32. *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Israël, seruorum tuorum.* Similiter Exodi 34. Hierem. 32. Danielis 3. Et propter Dauid seruum suum parcit Deus.

Psal. 131. Lib. 3. Reg. cap. 15. Lib 2. Paralip. cap. 6. Exod. 32.

At obiiciet quispiam: quòd licet sancti orent pro nobis, & per eorum merita exaudiri rectè poscamus, non inde sequi, quòd eos rectè inuocemus: nam in veteri Testamento nusquam legi, *S. Abraham ora pro nobis.* RESPONDEO, Sanctos ante Christi aduentum neque in cælum ingressos, neque Deum vidisse, ideo non potuisse ordinariè supplicantium preces agnoscere; quibus proinde non dicebatur, *Orate pro nobis*: sed coram Deo eorum merita allegabantur, per que viuentium orationes iuuarentur: quomodo orauit Moyses: *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Iacob, seruorum tuorum.* Quia verò nunc per Christi Ascensionem patefacta est via in cælum, ibíque sanctorum animæ Deum omnia videntē contemplantur, in eóque omnia ad se pertinentia nôrunt, regniq; Christi participes, Ecclesiam sub eo regūt, nostrique curam gerunt; rectissimè illos inuocamus, eorúmque patrocinium & intercessionem implora-mus. Si enim viuentes incarne à viuentibus rectè ad intercedendum apud Deum interpellantur; cur non potiùs jam beati à miseris, regnātes in cælo secutè, à militantibus in terra, inuocari poterunt? de quorū pia voluntate, ac quod voluerint, obtinendi facultate ambigere non debemus? Paulus adiuuari Romanorum precibus petit. Ephesiis idem scripsit, Thessalonicensibus, Colossensibus & Hebræis. Quòd si viui seinuicem orationibus iuuāt, cur matori charitate præditi, & de sua immortalitate securi,

Exod. 32.

Rom 15. Ephes. 6. 1. Thess. 5. 2 Thess. 3. Coloss. 4. Ad Hebr. 13.

& de

& de nostra salute adhuc solliciti, tanquam eiusdem corporis Christi membra, vt nos suis orationibus adiuuent, inuocari non poterunt? iuxta illud Iacobi cap. 5. *Orate pro inuicem.* Quòd verò id non tantùm inter viuos locum habeat, sed piè, sanctos in cœlo agentes etiam à viuis in terra existentibus inuocari, perpetuus Ecclesiæ vsus comprobat; cuius testes sunt, Eusebius libr. 3. de præpar. Euang. cap. 7. Athanasius in serm. *de Annuntiatione*: *Intercede Hera, & Domina, & Regina, et Mater Dei pro nobis.* Similia habet Ephrem *in sermone de Deiparâ* Basilius oratione in XL. martyres: *Quis aliquâ premitur angustiâ, ad hos confugiat, hos oret, vt à malis liberetur.* Nazianzenus in oratione *de Cypriano, Athanasio et Basilio*, in fine inuocans eos ait: *Tu autem è supernis propitius nos respice, & nos in pace foue, in certamine dirige, & cum teipso statue.* Chrisostom. homil. 66. ad Antioch. dicit, *amictum purpurâ stare ad sepulcrum Piscatoris, et fastu deposito supplicare sanctis vt pro se apud Deum intercedant.* Nyssenus oratione in S. Theodorum: *Intercede*, ait, *& deprecare pro patriâ apud communem Regem et Dominum: & si maiore opus sit deprecatione, Martyrum cege chorum, adhibe Petrum, excita Paulum*, &c. Cyrillus Catech. 5. *Cùm sacrificium offerimus, mentionem facimus eorũ, qui ante nos obdormierunt, Apostolorum, Martyrum*, &c. *vt Deus illorum orationibus nostras preces suscipiat.* Hieronymus libr. *contra Vigilantium* ex professo sanctos rectè inuocari docet: & in Epitaphio Paulæ: *Orationibus cultorem tuum iuua: præsens facilius quod postulas impetrabis.* Rufin. libr. 2. hist. cap. 33. de Theodotio Magno scribit: *Circuibat cum Sacerdotibus et populo orationum loca, ante Martyrum & Apostolorum thecas iacebat cilicio prostratus, et auxilia sibi fida sanctorum intercessione poscebat, cui in somno Joannes & Philippus apparentes, victoriam promiserunt*, Theodoreto teste libr. 5. ca. 24. Quòd enim sancti præsentes orationibus adiuuent, constat ex Moysis oratione, & libr. 2. Machab. cap. 10. Augustin. tract. 84. in Ioan. *Martyres ad mẽsam commemoramus, vt orent pro nobis.* Quod repetit serm. 17. *de Verbis Apostoli.* libr. *de curâ pro mortuis*, ca. 4. Victor Vticensis libr. 3. de persequ. Vandalica: *Estote Apostoli suffragatores.* Leo serm. 5. de Epiphania. Gregor. libr. 2. Dialog. cap. vlt. 4. Beda lib. 4. in Cantica. Anselmus libr. *de excellentiâ B. Virginis*: *Rogamus te Domina.* Bernardus sermo. 2. *super* ✠ *Missus*: *In periculis* ✠ *Mariam inuoca*: quibus consentiunt reliqui posteriores scriptores Catholici.

Accedit, quòd sancti frequentet miraculis comprobauerint, se viuentium præces audire, ac posse & velle illos adiuuare, à quibus inuocantur. Vide Theodoretum libr. 5. cap. 4. & libr. 8. *ad Græcos.* Ambros. serm. 60. Augustinus libr. 22. *de ciuit.* cap. 8. Gregor. lib. 3. Dialog. cap. 22. Gregor. Turonensis, in libris *de gloriâ martyrum.*

Ex his liquet, Sanctorum inuocationem neque esse inanem, neque inefficacem, Deóque acceptam; quia sanctos non inuocamus vt Deos, vt dent quot petimus, tanquam bonorum authores primarij; sed vt Dei amicos, qui nobiscum supplicent, notique exemplis, precibus & meritis suis apud Deum adiuuent: qui licet per se omnia videat, & intelligat, accediteque immediatè possit attamen ei quoque pergratum est, quòd eius amicos honoremus, eorumque auxilium non des-

piciamus, sicut regibus grata est Legatorum missio, & familiarium intercessio.

1. Timot. 2. Aug. lib. 2. cont. Parm. cap. 8.

Nec Christo Mediatori sanctos inuocando facimus iniuriam, quia non vt Christi vice fungantur, inuocamus, neque vt Christum adiuuent; sed vt nobis patrocinium impendant, quo facilius per Christum à Deo quod poscimus impetremus. Quæ suffragiorum imploratio non magis officio mediatoris Christi aduersatur, quàm dum viui mutuas orationes expetunt. Prærogatiua Mediatoris Christi est, quòd solus redemptionis pretium persoluerit, quod solus pro omnibus, & nullus pro ipso interpellet, solúsque ad omnia per se sufficiat, aliique non nisi per ipsum exaudiantur.

Christi prærogatiua.

Ex quibus Sectatorum argumenta facilè dissoluuntur, quæ contra Sanctorum inuocationem contexũt. Nam singulari modo Christus, Mediator, Aduocatus & Intercessor dicitur: inferiore autem gradu, sancti. Nam Moyses se sequestrum ac mediũ fuisse inter Deum & Israëlitas asserit; sed orando, non redimendo, quomodo & Sancti mediatores sunt inter Deum & nos. Apostolus verò ad Colossenses reiicit hæresim Simonis Magi, & Philosophorum, qui Angelos quosdam, veluti minores Deos sacrificiis adorandos esse tradebant, quia non nisi per illos, summum Deum placari vel adiri posse arbitrarentur.

Deut. 5.

Coloss. 2.

Cõcil. Laodicen. c. 35. Hieron. 4. 20. ad Alg.

CAP. XXVII.

Quòd sancti nostras preces cognoscant.

Sanctos nostras orationes agnoscant.

QVòd sancti viuentium preces ad se directas cognoscant, siue voce, siue mente sola factas, ex eo patet, quòd sub Deo nobis præsint, nostrique curam gerant, & quòd eos, veluti orationes audientes, inuocantes exaudiantur, votorúmque suorum compotes efficiantur. Non enim generatim tantùm sanctos inuocamus, sed speciatim etiam hunc, vel illum Sanctum, tanquam audientem, nostráque curantem. Nam ad illius auxilium confugere, qui nec audit, nec agnoscit, quod ab ipso petitur, risu dignum censet Helias. Si autem Sancti, quæ ad suum honorem & gloriam pertinent, nesciunt; profectò nec beati sunt, cùm ad veræ felicitatis statum requiratur, vt omnia, quæ naturali propensione desiderantur, adsint: inter quæ sunt ea, quæ ad se pertinẽt cognoscere, amicis opem implorantibus succurrere. Nam infirmitatis est, honorantes se non agnoscere, & eis opitulari non posse. *Cùm autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur id, quod ex parte est.* Videbimus tunc non in ænigmate, sed facie ac faciam. Et quidem omnia tunc sciemus multò euidẽtiùs, quam hîc Prophetæ cognouerint. Cùm autem illi occulta cordis, & quæ procul ab ipsis gerebantur, agnouerint, (vt de Samuele, Helia, Helizæo, Petro & Paulo Scriptura testatur:) dubitari nequit, quin Sancti perfectiùs omnia ad se pertinentia cognoscant.

Concil. Trid. sess. 25.

3. Reg. 18.

1. Cor. 13.

1. Regum 9. 4. Regum 5. & 6. Act. 5. 1. Cor. 5.

Accedit, quòd Sancti nunc Angelis similes sunt, videntes faciem Dei: at illi vident cordis pœnitentiam, (de qua gaudent,) hominum actus, dicta, facta, orationes. Iacob enim Angelum velut audientem invocat: *Angelus*, ait, *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis. In conspectu Angelorum psalam tibi*, ait vates regius. Tobias: *Angelus eius comitetur vobiscum.* Ioannes Angelos inuocat Apocal. 1.

Matth. 18. Luc. 15.

Psalm. 137. Tob. 5. Apoc. 1.

Quòd verò Angeli exactissimè hominum actus perspectos habeãt, liquet ex cap. 12. Tobiæ, vbi Raphaël singulos eius actus commemorat. Similiter Gabriel Danielis orationes, desideria, ieiunia sibi nota declarat. Centurionis orationes, eleemosynas, piáque alia opera non latuisse Angelum, Acta Apostolica continent. Quam Angelorum scientiam Apostolus præoculis fidelibus esse voluit (1. Cor. 11.) præcipiens, velari mulieres propter Angelos. Et Timotheo scribit: *Testor coram Christo, & electis Angelis.* Et ad Cor. *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus.* Et Sapiens: *Ne dicas coram Angelo, non est prouidentia.* Item preces hominum Deo præsentant, suáque commendatione adiuuant, nec solùm generatim hominum necessitates, sed in particulari norunt, aspiciunt hunc peccatorem conuerti, de cuius etiam pœnitentia gaudent, Deóque offerunt hanc pœnitentiam, has orationes, eleemosynas, ieiunia.

Danielis 9. & 10.

Act 10.
1. Cor. 11.

1. Timo. 5.
2. Cor. 4

Apoc. 5. 11. & 19.

Luc. 15.

Similiter ergo sancti non solùm in genere pro hominibus orant, sed etiam in particulari pro hoc homine, pro hoc vel illo beneficio impetrando: sicut Iudam protectum fuisse in prælio, & pro Israëlitico populo & sancta ciuitate oratum fuisse legimus. Vnde Basilius libr. *de sancta Virginitate* circa medium: *Recurreatur ipsum sponsum vbique præsentem, & huius Patrem ac Spiritum sanctum. Et quid singula dico? Angelorum innumerabilem multitudinem, & cum his patrum sanctos spiritus: nullus enim horum est, qui non vbique omnia videat.* Et oratione in XL. Martyres: *O communes generis humani custodes, optimi curarum socij!* Cui consonat Ambrosius lib. de Viduis: *Isti sunt Dei martyres, nostri præsules, speculatores vitæ, actúmq; nostrorum.* Nazianzenus: *Tu ab alto nos respice, nostrúmque sermonem ac vitam dirige.* Prudentius Ecclesiæ sui temporis communem sententiam expressit:

2. Machab. 15.

Oratione in S. Cypria.

Prudent. in hymno de S. Cassiano.

Audit, credit, preces martyr prosperimus omnes:
Ratásque reddit, quas videt esse probabiles.

Victor Vticensis: *Sancte Paule, magister gentium cognosce, quid Vandali faciunt.* Gregor. lib. 2. moral. cap. 2. *Quid de his quæ scienda sunt nesciunt, qui scientem omnia sciunt?* Quam sententiam repetit libr. 12. Moral. cap. 14. *Qui intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid, quod ignorent.* Nam in Verbo, seu in sapientia Conditoris, tanquam in arte quadam, qua vniuersa fiunt, aut permittuntur, rationes causásque principales rerum omnium conspiciunt; vt Augustin explicat lib. 4. *De Trinit.* c. 17. lib. 9. *De ciuit.* c. 22. Et li. 22. c. 29. docet, in Verbo stabiliter esse volumina temporalium omnium rerum, & pro suo arbitrio (quia liberum speculum est) ea quæ in se latent, beatis aperire.

Victor li. 3. persec. Vandalicæ.

Greg. li. 4. dialog. c. 33.

Aug li. 22. ciuit. ca. 29.

Sancti in Deo cuncta vident.

An verò cuncta vno intuitu simul hauriant, (quod fieri posse docet Augustin.) an successiuè illis Deus reuelet; item, an celeritate quadam animæ orantibus præsentes adsint, vt sentire videtur Hieron. an Angelorum ministerio innotescant viuentium preces, eísque sancti opitulentur, (vt sentire videtur Augustinus) in disputationem cadit. Probabilior sententia est, quòd omnia ad suam felicitatem spectantia, sciant in beatifica Dei visione, idque statim à principio suę beatitudinis; iuxta Gregorium, D. Thomam, & communem Scholasticorum doctrinam.

Aug. lib. 15. de trinit. c. 16.

Aug. lib. de cura pro mort. c. 15.

Greg. li. 12. mor. c. 14. Thom. 3 p. q. 10. ar. 2. & 2. 2. q. 83. ar. 4.

CAP. XXVIII.

Virtum à diuersis Sanctis varia dona rectè poscatur.

In 4. dist. 44. Diuersa dona per varios sanctos Deus largitur.

ANtiqua hostium Ecclesiæ querimonia est (Iuliani Apostatæ apud Cyril. lib 6. *In Iulianum*, Manichæorum apud Augustl. lib. 2. *contr. Faust.* Vigilantij apud Hieron. libr. *cont. eundem*) quòd Christiani commutassent idola in Martyres, quódque ethnica imitatione votis similibus colerent, & à diuersis sanctis beneficia diuersa expeterent, cùm vnus omnium donorum author sit Deus. Quam veterē calumniam nostro seculo renouarunt sectarij: quibus cum Aug. respondemus, vnum quidem Deum esse omnium beneficiorum authorem, eundémque posse (si velit) absque sanctis quodlibet bonum dare; sed tamen velle, nunc per se solùm, interdum huius Sancti, vel illius intercessione (& non aliter) miraculum operari; sicut Abimelech Regi dixit: *Abraham orabit pro te, et viuet*: ac amicis Iob: *Ite ad seruum meum Iob: Iob seruus meus orabit pro vobis: faciē eius suscipiam.* Similiter ad Iolius Heliæ intercessionem, pluuiam dare cōstituit. Ezech. 20. Deus populo non nisi per vnius preces, qui se iræ ipsius opponeret, ignoscere decreuit: quemadmodum plagas à Pharaone, non nisi Moyse intercedente, Deus auferebat; & Israëlitis eodem orante placatus reddebatur. Quare pro hoc vel illo consequendo sanationis bono, rectè illum Sānctum inuocamus, per quem Deū huiusmodi beneficium præstare cōspicimus. Neq; scrutari oportet, cur Deus ita faciat: nam & in hac vita non omnes sancti gratiā habent curationū: imò videmus, per vnum miracula fieri, per alterum fortè sanctiorem nulla: & in quibusdā locis plurima, in aliis pauciora, vel omnino nulla patrari. Non enim in omnibus Sanctorum memoriis fieri miracula ille voluit, qui iuxta Apostolum *diuidit sua dona vnicuique, sicut vult. Sic enim honorabitur, quemcunque Rex voluerit honorare.* In cuius rei testimonium, rectissimè in Sanctorum memoriis collocantur signa miraculorum, sanitatum, beneficiorúmq; obtentorum, ex auro, argento, ligno, vel terracocta, vt Scriptura disertis verbis attestatur: *Facietis similitudines anorum vestrorum, et similitudines murium, qui demoliti sunt terram, et dabitis Deo Israël gloriam: et quæ exsoluistis ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus Arcæ*, &c. Similiter Dauid gladium, quo Goliath trucidarat, Deo consecrauit, quem in necessitate ab Achimeleh Sacerdote recepit. Similiter Iudas Machabæus suspendit Nicanoris caput in summa Arcæ, vt euidens esset signum auxilij Dei. Eusebius refert, mulierem à sanguinis flux liberatam, imaginem Christo viuo erexisse in signum accepti beneficij. Et receptissimum apud priscos fideles fuisse, collocare ex cera vel alia materia, in memoriis Sanctorum signa curationum, luculentus testis est Theodoretus.

Iac. 1. Aug. epist. 138.

Iob. 42.

3. Reg. 17. Iac. 5.

2. Cor. 12.

Esther. 6. Signa miraculorum rectè in memoriis sanctorum collocātur.

1. Regum 6.

1. Reg. 21. & 22.

Euseb. li. 7. histo. c. 14.

Theodoretus lib. 8. contra Græcos.

CAP. XXIX.

Reliquiis Sanctorum quis honor debeatur.

CVltum sanctarum reliquiarum post Iulianū Apostatam, Eunomium, Vigilantium, Constantinum Copronymū, Claudium Turinensem, & Vvicleuistas, Lutherus, Caluinus, & reliqui nostri tēpo-

Reliquiæ sanctorum rectè honorentur.

Nazianzen. oratione 1. in Iulian.

Hieron. li. cõt. Vigilã. Suidas in vita. Ionas lib. 1. de cultu Imaginũ. Euseb. li. 5 hist. c. 3. & lib. 4. 15. Ruffinus lib. 11. c. 28.

ris sectarij ad idololatriam pertinere tradunt; ideóque, vbicúnque possunt, sanctorum corpora, cineres, ossa, & reliquias, exurunt, & in flumina conjciunt: quod & olim Ethnicos fecisse testatur Eusebius *De corpore Polycarpi*, & Ruffinus *de reliquijs Ioannis Baptistæ*.

Cõc. Trid. sess. 25. Deut. vlt. Exodi 13. Act. 7. 4. Reg. 13.

Econtra verò Catholici ab initio nascentis Ecclesiæ sanctorum cum Christo regnantium corporibus & reliquijs venerationem atque honorem detulerunt, eorúmque, opitulationis impetrandæ causâ memorias frequentarunt. Quod rectè fieri Scriptura confirmat, referens, Deum ipsum Moysis corpus honorasse, dum per Angelos sepelirì curauit. Et Moyses ossa Ioseph magnificè transtulit. Per ossa Helizæi tacta Deus mortuum suscitauit. Iosias verò idololatriam exterminans, Pseudoprophetarum ossa combussit; sancti autem Prophetæ conseruauit. Denique Isaias de Christi sepulcro vaticinatus est: *Et erit sepulcrum eius gloriosum.* Præmium insuper fidei retulit, quæ contactu fimbriæ Domini fluxum sanguinis reprimendum sperauit: nec superstitiosi fuerunt, qui Petri vmbram contigére; aut Pauli semicinctia, vel sudaria ad ægros sanandos detulerunt. Cúmque sanctorum corpora, Christi membra templáque Spiritus sancti fuerint; & ab ipso excitanda glorificandáque sint; necnon animarum sanctarum organa ad omne bonum opus exercendum, simúlque Dei instrumenta ad patrandum miracula, sintque pignora & exuiæ charissimorũ patronorum; cur non à fidelibus magnifiant, & debito cultu honorabuntur? cùm Deus ipse illa ad summum honorem destinet, vt quandóque soli præfulgeant, & hîc in terris sæpe miraculis eadem exornet?

Isa. 11.

Matth. 9.

Act. 5. & 19.

Accedit, quòd sanctorum reliquiæ animis viuentium memoriam virtutum illorum renouent, patientiam, constantiam, charitatem, castitatem, pietatem, aliasque huiusmodi; vt meritò dicat Leo, *Sanctos nobis dedisse exempla patientiæ*: Et cõfirmat ipsem futuræ gloriæ, quòd eorum corpora videamus honorari in terris, quorum animas iam gloria in cœlis frui credimus. Et cùm Deus per sanctorum reliquias diuina exerceat opera, eo ipso nos ad earum venerationem inuitat. Resplenduit facies Moysis, similiter & Stephani. Refert Sulpitius in vita S. Martini, in ipsius defuncti corpore, glorificati hominis apparuisse figuram, carnem fuisse vitro puriorem, lacte candidiorem. Legimus & diuersorum sanctorum corpora diutissimè integra permansisse, odorémque suauissimum emisisse. Hieronymus testis est de Hilarionis corpore: August. de Gerualij & Protalij: Surius de Eduardi, Anglorum Regis corpore scribit, quòd flexibile, plenum succo, & integrum perstiterit. Corpus S. Vincentij à coruis defensum, Prophetæ à leone: quin & Paulo primo Eremitæ à leone sepulcrum scribit Hieronymus fuisse exstructum. Cyrillus Hierosolym. Catechesi 18. & Theodoretus lib. 8. ad Græcos, *Sanctorum defunctorum corpora laborantibus animis, ægrotisque corporibus salutaria* cõtentur. Basilius in Psal. 115. ad versiculum: *Pretiosa in conspectu Dei mors sanctorum eius: Quæ nunc ossa Martyris attingit, quandam sanctificationis societatem assumit.* Oratione in XL. Martyres, ait, *securitatem ab hostium incursu præstare*: Oratione in Mamantem dicit, *alijs sanitatem, alijs vitam reddidisse.* Gregor. Nyssenus oratione in S. Theodorum asserit, *contactu corporis S. Martyris benedictionem con-*

Vtilitas venerationis reliquiarũ. Ambros. serm. 95. Leo epist. 83.

Exodi 34. & 2 Cor. 3. Actor. 6.

Hieron. in vita Hilarionis. Aug. lib. 9. cõfess. c. 7. Surius in vita.

3. Reg. 13.

Hieron. in vita Pauli Erem.

4. Reg. 13.

trahi. Nazianzenus oratione I. in Iulianum, idem posse martyrum corpora, quod animas affirmat. Chrys. hom. 32. in epist. ad Rom. & hom. 61. ad Antioch. *Imperatoribus honori esse*, ait, *quòd apud sanctorum reliquias sepeliantur*. August. Epistola 42. *Impery culmen ad Piscatoris sepulcrum supplicat*. Epiphanius in vita Isaiæ, Ezechielis, & Ieremiæ, commemorat beneficia in sepulcris horum Prophetarum hominibus conferri solita. Ad Helizæi, Ioannis Baptistæ, & Abdiæ sepulcra rugire dæmones scribit Hieronymus. August. lib. 22. *de ciuit.* c. 8. plura accidisse miracula apud S. Stephani reliquias, & quidem in sua præsentia, testatur. Libros de huiusce rebus integros conscripserunt Gregorius Turonensis, Palladius, & Euodius, quos videre licet.

Chrys. lib. cõt gẽtiles. Babylæ martyris recensẽt miracula.

Hieron. in epi. ad Eustochiũ de vita Paulæ.

Li. de gloria Martyrum.

In histor. Lausiaca.

Quod insuper gratus sit reliquiarum cultus Deo, ex reuelatione corporum diuinitus facta eunci potest. Nam dum laterent, cur ea reuelaret Deus, si cultus reliquiarum ei displiceret? & quidem viris sanctissimis, vt Ambrosio corpora Gerualij & Protasij, Nicodemi, S. Stephani, & aliorum sanctorum. Sozom. lib. 5. hist. c. 8. lib. 7. c. vlt. libr. 9. c. 2. Beda *de sex ætatibus* in Martiano. caput Ioannis Baptistæ: in Zenone corpus S. Barnabæ reuelatum fuisse prodit.

Aug. lib 9. confes. c. 7.

Eodem pertinet Reliquiarum translatio, de loco in locum celebrari solita. Hieron. *contr. Vigilant.* scribit, Constantini tempore translatas fuisse reliquias Constantinopolim Andreæ, Lucæ, ac Timothei: & sub Arcadio Samuëlis ex Iudæa in Thraciam; sub Theodotio iuniore Chrysostomi: Babylæ verò translationem describit Chrysost. libro *contra gentes*.

Exodi 13.

Theodoretus lib. 5. hist. c. 36.

Honorandas insuper reliquias sanctorum insinuat scriptura, dum ait, illas sub altaribus condi. Quod ita vsu receptum in primitiua Ecclesia fuit, vt Concilium Carthaginense V. can. 14. prohibeat erigi aliqua altaria, vel martyrum memorias, in quibus nullæ martyrum essent reliquiæ conditæ.

Apoc. 6.

Ex vsu cereorum & lampadum; quibus sacræ reliquiæ honorari solent, idem colligitur. Lumen enim signum est honoris, & gloriæ, atque vitæ. Hinc Imperatoribus lumẽ ignis vbique præferri solet, Herodiano teste libr. 1. *Videmus*, aiebat Vigilantius, *moles cereorum sole fulgente accendi*: Respondet Hieronymus, *Martyres non egere lumine cerorum, nec illuminari; quasi sint in tenebris; sed gratam esse mentis deuotionem, placere fidem, honoris officia*; sicut Christo non egenti vnguento grata fuit Magdalenæ fides & deuotio. Vnde in vita Siluestri legibus, Constantinum candelabra & lucernas obtulisse, quę perpetuò ante Petri & Pauli reliquias arderẽt, quemadmodum ante Arcam Testimonij semper lumen esse debuit. Inde patet, coram re non vidente piè ac sanctè lumen accendi posse, sicut in Natali III. Felicis Paulinus canit:

Vsus cereorum.

Hier. cont. Vigilantiũ.

Lumen signum est honoris, gloriæ, ac vitæ.

In Epist. ad Ripuarium.

Exodi 25.

Paulinus.

Clara coronantur densis altaria lychnis.

Hieron. in vita Paulæ scribit, in eius funere accensos cereos etiam Episcopos gestasse. Theodoretus lib. 5. c. 36. hist. in translatione reliquiarum Chrysostomi multa fuisse prælata lumina refert.

CAP. XXX.

Vtrùm sacræ ædes in honorem Sanctorum rectè ædificentur et dedicẽtur?

Templa & Altaria Deo consecrantur.

TEmplum & Altare bifariam considerari possunt; vno mo-

do, vt ad sacrificia offerenda erigantur: sic Deo soli templa & Altaria ædificamus, cui soli sacrificamus, vt ex professo docet Augustinus lib. 8. *de ciuit.* c. vlt. *Nec tamen nos eisdem Martyribus templa, sacerdotia, sacra, et sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum, nobis Deus est.* Et lib. *contr. serm. Arian.* c. 20. & lib. 1. cont. Maximinum argu. 11. docet, *Templi erectionem ad latriæ cultum pertinere.*

Templa vt monimēta sanctis erigūtur.

Alio modo considerantur Templa & Altaria, vt thecæ & tumuli reliquiarum sanctorum, aut vt ornamenta sepulcri sancti, vel vt memoriæ & monimenta, vt conseruentur ibi corpora sanctorum, reliquiæ, cineres, vestes; aut vt Sancti habeatur memoria per impositionē nominis, per repræsentationē operum, miraculorum, per imaginem Sancti. Dum enim quis Basilicam ingreditur, admonetur ipso templi nomine, vel depicta ibidem imagine, illum sanctum, cui Basilica dedicata est, tanquam in eo loco patronum delectum colere ac deprecari. Hac consideratione Templa & Basilicæ (quia nullum ad sacrificia respectum dicunt) recte Sanctis exstruuntur. Sunt enim tantummodo ædes sacræ ad ornandam Sancti memoriam erectæ, ac veluti thecæ magnæ, in quibus res sacræ conseruantur; & Oratoria, in quibus populus fidelis congregatur ad orandum, ad verbum Dei audiendum, & Sacramenta participandum; vt explicat Augustin. lib. 22. *de ciuitat.* capit. 10. *Nos martyribus nostris, non templa, sicut Dijs, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus*; quod alibi sæpe repetit. Et idem tradunt vniuersi Catholici Scriptores.

Lib. 1. de ciuit. c. 1. Lib. 8 de ciuit. c. 26. Lib. 22. cōt. Faust. c 21. Cyril. Catechesi 18. Chrysost. hom. 21 & 66. ad pop. Ant.

Ex quibus sequitur, alio sensu *Basilicam* vel *Altare S. Petri* dici, alio *Missam S. Petri*. Nam *Missa* non dicitur *S. Petri*, quia sacrificium ei primariò vel secundariò offeratur, sed quia Deo in gratiarum actionem pro gloria S. Petro collata; simulque, vt S. Petrus tanquam patronus & intercessor interpelletur: at Basilica, seu memoria, sancto Petro, vel alteri, verè ac piè erigitur ac dedicatur, si nō primariò, attamen secundariò, non minùs quā templum Salomonis primò ad sacrificia offerenda, secundariò ad arcæ custodiam est erectum. Psal. 131.

Theodoret lib. 8 ad Græcos. Damas. lib. 4. de fide c. 16. ex profes. Basil in Psal. 114. Hier. cont. Vigilan. 1. Paralip. c. 28. & lib. 25. c. 5. Psal. 131.

CAP. XXXI.

De Peregrinationibus ad Sancti reliquias aut memoriam.

Peregrinationes.

PEregrinationes ad sancta loca rectè institui, patet ex Deuteronomio, vbi Deus Israëlitas ad tabernaculum Domini ter in anno peregrinari constituit. Quod à pijs studiosè obseruatum fuisse probat exemplum Helcanæ & Annæ, Tobiæ, Mariæ, & Ioseph, atque Christi, Eunuchi Gentilis; necnon Apostoli Pauli, qui festinauit, vt in Ierusalem celebraret Pentecosten. Quo loco vtitur Hieronymus epist. 17. ad Marcellam. Refert Eusebius, Alexandrum Hierosolymam adorandi causâ properasse. Ambrosius laudat Helenam, quòd religionis causâ Ierosolymam profecta sit. Chrysost. laudat reges, qui ad Apostolorum sepulcra peregrinati sunt. Hieronymus scribit, viros claros existimatle, minus se religionis habere, nisi Christum in illis locis adorassent, de quibus primò coruscauit Euangelium. Prudentius in Hymno de S. Hermiterio & Celidonio:

Deut. 16.

1. Reg. 1. Tobiæ c. 2. Lucæ 2. Ioan. 12. Act. 8.

Euseb. li. 6. hist. c. 9. Ieron. de viris illust. Euseb. li. 3. de vita Cōstant. Ambros. in orat. de obitu Theodosij. Chrysost. hom. 66. ad Antioch. Hier epist. 17. 27 154. Aug. epist. 137.

Exteri necnon & orbis: Huc colonus aduenit.

Paulinus epist. 11. ad Seuerum, & Natali III. S. Felicis, innumerabiles turbas ex remotissimis locis ad corpus Sancti venisse commemorat. Socrates lib. 7. c. penult. Eudoxiam Ierosolymam ex voto peregrinatam scribit. Beda lib. 5. hist. c. 7. consuetum Regibus in Anglia fuisse ait, ac nobilibus & ignobilibus, Clericis & Laïcis, viris & feminis peregrinari Romam, ad Apostolorum sepulcra. Pertinet equidem ad Sancti honorem, quòd eius visendi gratia laborem, sumptum, & itinerum pericula suscipiamus. Cúmque peregrinari, sit opus laboriosum & pœnale, sequitur, esse satisfactorium: & quia religiosum est, auget in Deum deuotionem, in Sanctum reuerentiam. Præsentia námque sancti corporis efficacissimè ad virtutum Spiritus sancti admirationem, imitationémque prouocat. Et quamuis vbique loca reperiantur, ad quæ peregrinari vtile sit; attamen occurrit alia, in quæ peculiari amore ferimur, ipsáq; nouitate ad singularem pietatis affectum excitamur.

Sciendum insuper, quòd licet peregrinari ad loca laudabile sit, nõ tamen ad perfectionem, aut salutem necessarium; imò neque omnibus personis expediens. Sanctimonialibus enim atque religiosis, quibus professio & sexus cautionem indicit, quies & stabilitas monasterij magis conuenit. Hinc Hieron. Paulinum Monachum à peregrinatione dehortatur.

CAP. XXXII.

Vtrùm Sanctos votis honorare liceat?

Vota Deo, & sanctis fiunt, sed diuerso modo.

VOtum Ecclesiæ vsu generaliter sumitur, vt de promissione Deo facta, vel sanctis dicatur, sicut nomen orationis & cultus. Longè tamé aliter vouemus Deo, quàm sanctis. Deo enim in testimonium gratitudinis erga primum omnium bonorum authorem, ac in recognitionem beneficiorum, quæ ab ipso veluti fonte promanant, ac proinde hæc vota ad latriæ cultum pertinent. At Sanctis aliquid promittimus in sinum gratitudinis erga mediatores & intercessores, per quos videlicet adiuti, quippiam à Deo consequuti sumus. Cuiusmodi promissio ad cultum pertinet dulię, non latriæ. Quòd verò sanctis aliquid promittere liceat, ex eo patet, quòd sanctis ædificare sepulcra, ornamenta, basilicas, honorare reliquias, accendere cereos; pium sit. Quod autem fas est efficere, licitum est promittere.

Votum nõ fit viatori.

Sed hîc obseruandum, quòd promissio beatis facta, votum nuncupetur, nõ autem facta viatori, quantumuis iusto, quia votum significet promissionem, quæ in signum honoris & gratitudinis, non autem vtilitatis alterius causa fiat. Deo autem & beatis promittere vel offerre, non ipsis, sed nobis vtile est. Ita Eusebius: *Nos pietatis milites, vt Dei amicos honorantes, ad monumenta illorum accedimus, votáque illis facimus tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum adiuuari profitemur.* Theodoretus lib. 8. *ad Græcos*, loquens de beneficijs Martyrum intercessione obtentis: *Testantur illa*, inquit, *quæ vestrorum persoluunt.* Prudentius in Hymno de S. Hemiterio:

Euseb. li. 3. de præpar. Euang. c. 7.

Aug. li. 20. cont. Faust. c. 5.

Illitas cruore sancto,
Nunc arenas incolæ
Confrequentant, obseruantes
Voce, votis, munere.

CAP.

CAP. XXXIV.

De Imaginibus.

Imaginum vsus statuitur.

IVdæi post Christi aduentum superstitiosi docent, Christianis iure diuino omnem imaginum vsum Exodi 20. esse prohibitum: *Non facies tibi sculptibile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo, & quæ in terrâ deorsum, neque eorum, quæ sunt in aquis sub terrâ. Non adorabis ea, neque coles.* Quibus verbis non pingendi, fingendi, & sculpendi ars vetatur, sed ea tantùm similitudo vel imago, quæ idolum dici potest, seu quæ pro Deo habetur. Nam quemadmodũ priore primi præcepti parte: *Habebis Deos alienos coram me*, interior actus idololatriæ prohibetur, ita in posteriore: *non facies tibi sculptile*, exterior, vt Clemens, Origenes, Augustinus, & Theodoretus notant.

Clemens lib. 6. strom. Origenes hom. 8. in Exodum. Theodor. quæst. 38. in Exodum. Aug. q. 7. in Exodum.

In eo autem differunt Imago & Idolum, quòd Imago sit rei alicuius veræ similitudo, *ab imitando* dicta; Idolum verò, sit rei falsæ similitudo, vt statua Veneris aut Mineruæ, repræsentans Deos generis feminini, quales nulli sunt. Vnde Synodus VII. Acto. 5. & VII. ijs, qui Christi & sanctorum Imagines vocant Idola, dicit anathema. Nam Idolum, est rei fictæ, inanis & vanæ repræsentatio, quæ Habacuc 2. vocatur *Imago falsa* Et Apostolus: *Scimus, quia nihil idolum est in mundo*, scilicet formaliter, quia licet constet materia, attamen repræsentat, quod non est. Iuxta illud Hester 14. iuxta LXX. *Ne tradas sceptrum tuũ his, qui non sunt*: id est, Idolis, quibus nihil in re correspõdet: qualia sũt spectra & vmbræ mortuorum. Idolum ergo vsu scripturarum & Ecclesiæ, appropriatum est statuis falsorum Deorum, vt & simulacrum, quod *à simulando* deducitur, vt Auth. notat. in Psal. 135. Vnde Latinis idem significat nomen *Simulacri*, quod Græcis vox *Idoli*. Proinde Latinus interpres pro *Idolo* vertit passim *Simulacrum*. Et Hieron. in c. 7. Oseæ notauit, *Simulacrum* opponi Deo, sicut mendacium veritati. Quare minùs rectè Lactantius simulacrum *à similitudine* deducit; & imagines, imò hominem, *Dei simulacrum* nominat. Quare vbi simulacra prohibentur fieri, non vetantur imagines pingi, fundi, aut sculpi. Nam Exodi 25. Deus imagines Cherubim fieri iussit, & Numerorum 21. Serpentem æneum: & rursus 3. Regum 6. & 7. Cherubim, Boues, & Leones. Et Dei munere infusa fuit sapientia & scientia sculpendi Beseleel & Ooliab. Et Christus imaginem Cæsaris non reprehendit, sed reddi Cæsari voluit. Neque à quoquam fuit reprehensum, quòd imagines in pecunia habeantur. Quin & Deus Filium genuit ad imaginem suam; & hominem quoque creauit ad imaginem suam: omniáque naturaliter sibi aliquid simile producunt; adeò, vt nostra etiam corpora vmbram sibi similem in Sole reddant.

Imago quid? Idolum quid?

1. Cor. 8.

Simulacrũ à simulãdo dictum.

Acto. 15. Psal. 113. 1. Ioan. vlt.

Lact. lib. 2. de Origine erroris lib. 6 de vero Dei cultu, c. 10. & 13.

Exodi 31. & 35.

Matth. 22.

Sciendum verò, aliquid depingi, aut similitudine repręsentari posse variis modis.

Primo, ad exprimendum formę ac naturæ perfectam similitudinem. Hoc modo Deus exprimi nulla creata similitudine potest, cùm neque colores, neque lineamenta habeat, quia spiritus incorporeus est. Hac intẽtione fieri prohibetur omnis Dei similitudo in Scripturis: & nullum esse ponendum Deo simulacrum, vel imaginem aut similitudinem, & Scriptura & Ecclesiastici Doctores tradunt, & definitum

Nulla imago Dei naturam repræsentat.

Exodi 20. Deut. 4. Isaiæ 30. & 46.

Act. 17.

Synd. VII. Act. 4. 5. 6.

est in VII. Synodo, Nicena II.

Secundò, modo potest similitudo fieri, picturâ vel sculpturâ ad exhibendum oculis historiam, quam alius posset repræsentare auribus, recitando Scripturam. Hoc modo licet oculis repræsentare Deum in ea forma, in qua Scriptura narrat, quòd seipsum demonstrauerit. Pater quidem instar Viri senis; Spiritus autem sanctus in forma Columbæ, vel in specie linguarum igniearum: Filius autem in forma humana, in qua Mundo apparuit. Qualem igitur Scriptura Deum apparuisse depingit, talem & pictura exhibere poterit, cùm nihil aliud sit pictura, quàm idiotarum liber, qui ibi vident, quod docti in libris legunt. Et instituendi sunt rudiores, non propterea Deum depingi aut figurari, quali eius Diuinitas exprimi possit; sed vt ab idiotis historiæ & narrationes scripturæ sacræ oculis videri queant, & proprietates, vel actiones, quæ Deo in Scriptura tribuuntur, oculis obiectæ faciliùs memoriæ occurrant.

Imago repræsentat historiam, vel apparitionem.

Daniel. 7. Matth. 3. Act. c 2.

Loan. 1.

Imagines exprimunt, quod Scriptura narrat.

Et quemadmodum membra Deo in Scriptura metaphoricè tribuuntur, ita & in pictura. Visus est enim Deus Adæ, tanquam homo deambulans: Abrahæ in specie hominis: Iacob, vt scalæ innixus: Moysi, vt habens terga & humeros: Isaiæ & Michææ in forma Regis in solio sedentis: Amos, vt stans in Altari: Danieli, vt residens in throno. Cur verò non liceret picturâ exprimere, quod verbis nobis indicat Scripturæ historia?

Gen. 18. Gen. 28. Exodi 31. Isa. 6. 3. Reg. vlt.

Amos c. 9. Daniel c. 7.

Tertiò, depingi aliquid potest, ad explicandam rei alicuius naturam, non per immediatam & propriam similitudinem, sed per analogiam & metaphoricas significationes: quomodo pinguntur Angeli & Virtutes; Angeli quidem, vt iuuenes formosi, alati, nudis pedibus, ad designandum propensionem eorum in genus humanum, viribus pollere, citissimè moueri, promptissimos esse ad exequenda Dei mandata, suâque ministeria; splendore insuper gratiæ, virtutum, atque gloriæ fulgere; vt Dionysius Areopagita tradit. Sic etiam Virtutes & Artes depingimus in forma Virginum: Euangelistas in figura Leonis, Bouis, Hominis, & Aquilæ.

Angeli & virtutes

qua ratione pingantur.

Cap. vlt. de Cæleſt. Hierarchia.

Cauendum autem monet Concil. Tridentinum, ne in templis collocentur imagines scandali, vel erroris occasionem præbentes: quales sunt monstrosæ Trinitatis picturæ, quæ magis offendunt deformitate, quàm adiuuant similitudine. Vnde patet, quomodo Scriptura poni Deo similitudinē vetet: nempe tanquam ipsius naturam repræsentet, vel in ea Deus inhabitet, vel in ea virtus aliqua insit, ob quam timeri, obseruari, vel ab ea aliquid peti, aut spes vel fiducia collocari possit, aut debeat. Nam Gentiles, statuas suas aut Deos esse, vel saltem eas inhabitare opinabantur; vt ex Israëlitarū acclamatione liquet: *Hi sunt Dy tui, Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Et Apostolus dicit, Gentes mutasse gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem volucrum, quadrupedum atque serpentum: & quòd seruierint creaturæ potiùs quàm Creatori, dicentes ligno: *Pater meus es.* Et, *In adiutorium inuocarunt fragile lignum, eique vota & sacrificia obtulerunt.* Huiusmodi idololatriam prohibet ista posterior pars primi præcepti, non autem imaginum vsum legitimum, qui Dei cultum non diminuit, sed plurimùm auget. Nam historiæ & mysteria nostræ fidei & redemptionis per imagines, picturas, aliásue similitudines nobis assiduè

Sess 25. Imagines monstrosæ non ponendæ in templis.

Nulla virtus inest imagini.

Exodi 32. Psal. 105. Rom. 1.

Sapien. 13. & 14. Idololatria prohibetur.

recolenda proponuntur, simul impensa à Christo beneficia, sanctorum miracula, salutariáque exempla: vt de ijs Deo gratias agamus, & ad sanctorum imitationem, constanter contra fidei hostes decertemus, vitam, morésque componamus, Deum colamus, & diligamus. Etenim picturæ sunt compendiosæ quædam historiæ. Dum enim crucem videmus, statim crucifixi IESV CHRISTI Saluatoris nostri recordamur: dum claues Petri, gladium Pauli, crucem Andreæ, craticulam Laurentij, vel aliud insigne imagini appositum conspicimus; mox in mentem venit potestas in vtilitatem fidelium data Petro, & quidnam Sancti, quos veneramur, egerint, aut passi sint.

Greg. Nyssen. oratione in Theodorum.
Greg lib. 7. epist. 109 li. 9. epist. 9.
Damas. lib. 4. c. 17.

Sunt ergo imagines I. loco historiæ. II. Charitatem erga Deum, & eius amicos sanctos adaugent. Nam amici chari inspecta imago animum inardescere facit, Gregor. lib. 7. epist. 53. Vnde refertur in Synodo VII. quòd Gregor. Nazianzenus conspecta imagine Abrahæ immolantis Isaac, lacrymas temperare non valuerit. III. Imago ad imitationem excitat Constat enim experientiâ, lasciuas imagines vehementissimè prouocare ad libidinem; pias econtra, ad continentiam aliásque virtutes: Synodus VII. Act. 6. Basilius oratione in *XL. Martyres*. IV. Imagines conseruant memoriam Christi & Sanctorum, & admonent, quos inuocare debeamus patronos. V. Imagines sunt fidei nostræ professio: attestantur enim, nobis eorum vitam & doctrinam placere, quorum imagines diligimus & honoramus; ac proinde detestari nō solùm idololatriam, sed omnem quoque impietatem & hæresim, cùm sancti repræsentati pro Dei cultu, iustitia & veritate tuenda vsque ad mortem decertauerint. VI. Imagines ad Christi & Sanctorum honorem pertinent. Magnos enim & celebres viros statuis & picturis honoramus, teste Euseb. lib. 7. histor. cap. 14. Plato lib. 11. *de legibus* vult, imagines proponi virorum præstantium. Si autem terreni Regis, Ducis, aut Philosophi imago honoranda sit, quantò magis Christi, & Sanctorum? VII. Imagines Christi & Sanctorum in templis prosunt, vt fidelium mentes ab inani euagatione præpediant, in pijs meditationibus foueant, ac denique vt locum sacrum exornent.

Vtilitates imaginum.
Syn. 7. Act. 2. & 4.
Cyril. Catech. 12.

CAP. XXXV.

De Imaginum cultu.

POstquam Imagines vtiliter haberi ostendimus, superest, vt indagemus, An aliquo cultus & honoris genere venerari eas liceat, & quo?

Imaginibus quis cultus impendi possit?

Duo autem hîc extremi cauendi sunt errores. PRIOR eorum, qui diuinum honorem Imaginibus tribuendum senserunt: vt *Carpocrates*, de quo Irenæus, Alexander Seuerus; de quo Lampridius. ALTER eorum est, qui nullo cultus genere Imagines honorandas contendunt, ideoque vbi possunt, eas confringunt, demoliuntur, euertunt, comburunt. Contra hunc errorem Ecclesia, cùm in Synodo VII. tùm in Trident. Sess. 25. definiuit: *Imagines Christi & sanctorum honorandas esse, modo tamen in ijs non collocetur fiducia, nec ab eis quidquam petatur, nec in eis vlla ineſſe Diuinitas credatur: sed tantùm propter eos, quos repræsentant*: quemadmodum in veteri populo honorabatur Arca, &

Iren li. 1 de hær. c 24. Epiphanius hæresi 29. Aug. hær. 7.

Exodi 25. Psal. 93. Numer. 21. Ioan. 3. Aug. li 3. de doct. Christ. c. 9.

Mensa propitiatorij, & Serpens æneus. Rectè enim signa vtilia honorari docet Augustinus, quia eorum honor in prototypum transeat: & passim in Scriptura res dicitur sancta, venerabilis, & sacra propter relationem ad res sacras. Exodi 3. *Locus in quo stas, terra sancta est*, propter angelorum præsentiam. Exodi 12. dies Paschæ vocatur *Sancta & venerabilis*, quia cultui Dei dicata. Exodi 28. Sacerdotum vestes, *Sancta* appellantur. 2. Timoth. 3. Scripturæ, *Sacræ* vocantur, propter significationem. Nomen IESV tanto honore dignum est, vt ei omne genu flectatur: ad Euangelij lectionem caput aperitur, lumina teste Hieronymo accenduntur. Cùm igitur etiam Imagines res sanctas significent, & repræsentent, cur non similiter honorandæ, sacræ, & venerabiles erunt? cùm res sancta eo ipso religiosè venerabilis sit, iuxta illud Exodi 12. *Dies prima erit sancta, & septima eâdem religione venerabilis.* Sic igitur & Imagines Christi, & Sanctorum sunt venerabiles & honorandæ; non quidem cultu latriæ, sed honore illo, quo litteras sacras, & vasa sacra prosequimur, vt in VII. Synodo act. 7. & in Synodo VIII. act. vlt. can. 3. in Trident. 25. Sess. definitum legimus. Et ab Apostolorum tempore vsum Imaginum à fidelibus receptum fuisse, constat ex Tertulliano in Apologetico cap. 16. vbi refert, Christianos à Gentilibus accusatos fuisse, quòd Crucem colerent. Lactant. in carmine de Passione Domini: *Flecte genu, lignúmq; crucis venerabile adora.* Ambrosius in oratione *de obitu Theodosij* dicit, Helenam crucem Christi in capite Regum locasse, vt adoretur: & lib. *de Incarnationis dominicæ Sacramento*, c. 7. *Crucem veneramur.* Hieron. in vita Paulæ: *Prostrata ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, honorabat.* Damas. lib. 4. *de fide* c. 17. dicit, esse Apostolicæ traditionis. Similiter Basil. in Synod. VII. act. 2.

Philip. 2.

Hieron. li. cõt. Vigilã.

Imagines sanctas res significant, & repræsentat.

Aug. lib. 3. de Trinit. c. 10. lib. 2. de doct. Christ. c. 9. Li. 10. confess. cap. 34.

Anno 788.

Ambros. in Psal. 118. Serm. 10.

Accedit, quòd ipse Deus Imagines Christi & Sanctorum honoret, multa per illas & coram illis miracula operans, vt refert Eusebius de Imagine Christi per hemorrhoissam erecta: cuius loco dum Iulianus Apostata suam collocasset, statua igne cælesti discerpta est, teste Sozomeno lib. 5. hist. c. 20. sicut Dagon corruit. 1. Reg. 5. Athanasius lib. *de passione Imaginis confossæ à Iudæis*, refert ex ea sanguinem fluxisse, qui infirmos curaret.

Eusebius li. 7. hist. c. 14. Theophylact. in c. 9. Matth.

Præterea Imago capax est iniuriæ & contumeliæ: igitur & honoris atque cultus. Solent enim Imperatorum statuæ adorari, teste Nazianzeno in Oratione I. *in Julianum.* Et in odium Imperatorum, solent eorum, vel coniugum Imagines deijci, vel fœdari; vt de statua Maximini refert Eusebius lib. 9. histor. c. 9. de Imagine Domitiani, Suetonius: de Iuliani, Sozom. lib. 5. c. 20. de Imagine vxoris Theodorij, Chrysostomus serm. 2. & 3. *ad Antiochenos*: de confractione omnium Idolorum, Theodoretus lib. 5. c. 20.

CAP. XXXVI.

Quo cultus genere Imagines honorandæ sint?

IMagines religioso quodam cultu venerandæ sunt, quo Euangeliũ & sacra vasa honoramus, non tamẽ latriâ: quia Imago vt Imago, est signum & creatura; & motus animi, qui in eam vt signũ fertur, differt ab

eo, quo in signatum & prototypum fertur, tanquam in rem per se, absolutè, ac independenter honore dignam. In Imaginem verò fertur, vt in signum prototypi, ratione cuius honor exhibetur quidem Imagini, sed imperfectior, quàm sit personæ intelligenti proprius, qui vocatur *Latria*, *Hyperdulia*, vel *Dulia*. Hic enim cultus solùm analogicè & reductiuè pertinet ad speciem cultus prototypi. Deus enim per se, absolutè, ac ratione sui est colendus: similiter sancti. Imago verò non absoluto, sed respectiuo cultu, qui alterius gratia impenditur, veneranda est. Propterea omnis honor Imaginis in exemplar transit, quanquam mediatè atque consequenter, non immediatè ac formaliter. Docet enim Concilium Tridentinum, Imaginibus deberi honorem & venerationem, non solùm quia in eis, coram illis, aut per illas exemplar honoremus; sed etiam, quia honoris officia in se immediatè terminēt. Imaginem enim osculamur, gestamus, loco honorifico collocamus, coram ea caput aperimus, genua flectimus, procumbimus, aliáque honorum officia exercemus, quia Imago verè *Sancta* dici potest, tam propter significationem, quàm rei sanctæ repræsentationem, & Ecclesiæ consecrationem, quæ Imaginem Dei cultui dedicat, ad excitandam fidelium pietatem, & Sanctorum memoriam & amorem. Quia tamen omnis excellentia Imaginis in relatione ad rem sacram consistit, sequitur, non absolutum, & independentem, sed relatiuum honorem ei deberi.

Imagini non absolutus, sed respectiuus cultus impenditur.

Obseruandum tamen est, exemplar subinde considerari, vt in Imagine relucet, & sic repræsentatum, per accidens eodem genere cultus cum imagine honorari: veluti si quis Regem vestitum honoret, simul regem & vestem adorat: si quis Christum in cruce vel in Imagine sua relucentem adoret, simul Christum & eius signum adorabit; sed Christum per se latriâ, Imaginem verò ipsius non nisi per accidens. Alius enim honor debetur Christo, considerato vt principale obiectum; & alius honor eius signo, quod non est nisi secundarium obiectum, nec per se, sed per accidens, ratione significati.

Sed quæret aliquis: Cùm sit par in Imaginibus alicuius sancti officium repræsentandi, nec plus virtutis in vna sit, quàm in altera; cur vni Imagini eiusdem Sancti plus honoris tribuatur, quam alteri? RESPONDENDVM est, absque superstitione id fieri, ob plures causas. I. Quia Deus per vnam miracula operatur, non per aliam, sicut per vnum sanctū, nō per alium. II. Quia peculiarem quandam deuotionem imagines merentur, quæ non solùm sanctę sunt propter significationem, sed etiam propter artificem, quia à S. Luca, Nicodemo, vel ab ipso Domino, factæ sint: aut denique quia sanctæ personæ illis vsæ sint, & beneficia, quæ Deo placet, inuocantibus in hoc loco dare potiùs, quàm in alio, per interceſſionem Sancti obtineantur.

Vni Imagini eiusdē sancti plus honoris quàm alteri cur impendi possit.

CAP. XXXVII.

De adoratione Crucis.

CRux, in qua Dominus pependit, propter contactum sacri corporis & sanguinis peculiarem venerationem meretur, non solùm integra, sed & singulæ ipsius particulæ, quæ inter preciosas Reliquias iure habentur. Illa enim crux fuit instrumentum humanæ redemptio-

Crucis adoratio.

nis, monimẽtum virtutis & amoris. Per eam enim Dominus diabolum vicit, spoliauit, ligauit, vires enerauit, de hoste triumphauit. Apostolus enim *Triumphi* metaphorã vtitur, vt indicaret, Christi Crucem esse instar currus triumphalis, in cuius suprema parte Christus triumphans sedeat, & inima diabolus alligatus, & quasi in pompa ad sempiternum opprobrium inuitus ostendatur, & huc illúcque trahatur.

Coloss. 2. Origen. hom. 8. in Iosue.

Cùm autem Dominus non casu, nec inuitus, nec propter sua, sed nostra peccata crucifixus sit, lignúmq; Crucis sibi tanquam altare delegerit, in quo seipsum Patri in sacrificium placationis ferret, vt scalam, per quam in regnum suum ascenderet, vt instrumentum liberationis generis humani, vt arma, quibus diabolum vinceret; sequitur Dominum crucem plurimùm honorasse, nobisque amabilem & venerabilem reddidisse. Vnde Apostolus: *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*: addit Ecclesia, *in quo est salus, vita, & resurrectio nostra.*

Hebr. 7. Coloss. 1. Ioan. 12. Philip. 2.

Galat. 6.

Hanc crucem figurauit Lignum vitæ, Arca lignea Noë saluans: Virga Moysis: Lignum aquas dulces reddens: Æneus serpens. Crux adumbrat perfectionem vitæ humanæ, consistentem in Fide, Spe, Charitate, & Perseuerantiã; iuxta Paulum ad Ephesios 3. *Vt positis comprehendere, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas et profundum*: id est, perfectionem in cruce adumbratum, quæ in Fide, Spe, Charitate, ac Perseuerantia consistit, vt notant August. Iren. Nyss.

Crucis figuræ. Gen. 1. Gen. 7. Exodi 14. Exodi 15. Numer. 21. Ioan. 3.

In Cruce perfectio adumbratur.

Crux insuper passionis effectum designat: cælum videlicet Christi passione apertum, Deum placatum, inferum euacuatum, diabolum deuictum, ac totum orbem terratum redemptum. Vnde Christum crucifixum adorant cælestia, terrena, & infernа.

Aug. epist. 216. & 120. cap. 26. Greg. Nyss. oratione I. de resur.

Duo Crucis brachia sub vno titulo, significãt, duos populos sub vno capite Christo inter se connexos esse, iuxta illud Ioan. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me.* Ambros. serm. 65. obseruat, Crucis figuram naturaliter esse salutarem. Nam aues volando crucis figuram imitantur: & Ægyptiis Crux vitam futuram notauit, Ruffino teste lib. 2. histor. cap. 26.

Ioan. 12.

Accedit, quòd singulari prouidentia Deus crucem Christi non permiserit absumi, sed vsque ad Christianorum Imperatorum tempora occultari; & tunc reuelata est, euidenti adiuncto miraculo resuscitationis mortui, vt Hieron. in Chronico Eusebij à se verso testatur, & Ambros. oratione in Theodosium. Hinc fideles, Crucis particulas per orbem terræ dispersérunt, vt refert Cyril. Catechesi 10. & 13. Socrat. li. 1. ca. 13. Eutropius lib. 11. Greg. Nyssenus in vita Macrinæ sororis scribit, eam crucem argenteam, in qua crucis particula inclusa esset, in collo gestasse. Paulinus epist. 11. loco magni doni transmittit particulam crucis, auro inclusam. Idem natali X. Felicis narrat, se incendium ostentâ crucis particula restrinxisse. Chrysost. hom. *Quòd Christus sit Deus*, ait, homines particula crucis auro inclusa ornari & custodiri. Procopius libr. 2. & Euagrius libr. 4. cap. 26. referunt, hostem ostensâ crucis particula fugatum. Gregor. libr. 7. epistol. 126. Recharedo Regi crucis particulam dono misit.

Crucis inuentio.

Ruffinus lib. 10. hist. ca. 8. Socrates li. 1. cap. 13. Theodoretus lib. 1. cap. 18. Nicepho. li. 8. cap 29. Paulinus epist. 11. Seuerus li. 2. histor.

Crucis particulæ per mundum dispersæ.

Ad eiusdem crucis honorem pertinet, quòd à Persis ablata, fuerit ab Heraclio diuinitus adiuto recupera-

ta, suóque loco non absque miraculo reposita. Vnde Festum Exaltationis S. Crucis, de quo Beda in Martyrologio.

Exaltatio S. Crucis, Aug. li. 22. de ciuit. c. 8.

Postremo si terra montis Caluariæ meritò honoratur (Augu. teste:) & locus sanctus dicitur, in quo Angelus apparet; & sudaria atque semicinctia Pauli propter contactum honorantur; ipsáque Sacramenta, tanquam gratiæ instrumenta sanctè veneramur: cur non potiùs Christi crucem, precioso ipsius sanguine tinctam, nostræque salutis instrumentum à Deo delectum? De quo Sibyllæ carmen extat.

Exodi 3. Act. 19.

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit!

Sibyl. li. 6.

Et Hieron. illud Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius*, de cruce intelligit. Et epist 17. ad Marcellam: *Ergone illa dies erit, quando licebit crucis lambere lignum?*

Quemadmodum verò Crux ob Christi contactum, religiosa veneratione digna est; ita & claui, quibus eiusdem corpus confixum fuit, quorum vnum Helena in Constantini diademate collocauit, iuxta Ambro. oratione in Theodotium. *Ecce clauus in honore est* (aiunt Iudæi) *& quem ad mortem impressimus, remedium salutis est, atque inuisibili potestate dæmones torquet.*

Claui, quibus confessus fuit Christus, honorantur.

CAP. XXXVIII.

De veneratione Imaginis Crucis.

Imago crucis.

HActenus de Cruce Domini, vt inter sacras reliquias constituitur, disseruimus: nunc de eâdem, prout imago est, repræsentans crucifixum, agendum est, ac eidem rectè à fidelibus quatenus venerationem seu cultum aliquem religiosum deberi, ex eo liquet, quòd Christus ipse illam honoret. Nam *in cælo apparebit signum filij hominis, quod non minùs Imperatorum labaro honorari debet, cùm sit Angelorum ministerio tunc gestandum*, Augustino teste.

Matth. 24. Sozom. lib. 1. cap. 4. Aug. serm. 130. de tem.

Porro adueniente ad vniuersale iudicium Domino, Crux sole splendidior in aëre apparebit, vel illa ipsa lignea, in qua Dominus passus est (vt opinantur nonnulli) aut Crux ex aëre vel igne condensato, vt Origenes, Hilarius, Hieronymus, Beda, & alij in 24. cap. Matthæi sentiunt, & Cyril. Catechesi 15. Augustin. sermo. 130. *de tempore*.

Sibylla lib. 6. carm. Chrysost. hom. de cruce & latrone.

Accedit perpetuus Ecclesiæ vsus: semper enim *fideles crucem venerati sunt*, vt scribit Iustinus Apol. II. Tertullianus in Apolog. cap. 16. Eusebius lib. 9. histor. cap. 9. & lib. 1. de vita Constantini refert, eum vertisse labarum in formam crucis, vt milites assuescerent, Crucis figuram venerari. Item Romæ loco celebri crucem erexit, & decreto cauit, ne deinceps facinorosi crucifigerentur, vt non horror, sed honori Crux esset. Theodotius vetuit crucem humi pingi aut sculpi, ne sacrum signũ pedibus conculcaretur. Arcadius monetam cum crucis signo excudi iussit, teste Prospero lib. *de pradict.* parte III. cap. 34. Lactant. in carm. de Cruce scribit, hodierno more crucem in templis erectam fuisse: ingresso enim limina templi: *Flecte genu* (ait) *ligniúmque crucis venerabile adora.*

Tho. Vvalden. tom. 3. tit. 20. c. 158. Sozom. li. 1. cap. 4. Li. 1. Codicis tit 8. lege Cùm sit nob.

Cur verò potiùs Crucem, quàm spongiam aut virgam honoremus, explicat Athanasius quæstio. 16. ad Antiochum, vt Christiani intelligant, nõ lignum, neq; materiam, sed Christum repræsentatum coli. Vbique verò in vrbibus, in domibus, in cubiculis, in vasis, in solitudine,

Crux in omnibus locis erigi solet.

Ruffinus li. 2. hist. c. 29.

&c. Pingi aut erigi crucem solere, attestatur Chrysost. in lib. *Quòd Christus sit Deus*; August. tract. 36. in Ioan. August. in Psalm. 36. *Qui tantùm honorem tribuit supplicio, quid seruat fidelibus suis?* Beda libr. 1. hist. Anglic. c. 5. refert, Augustinum à B. Gregorio ad Angelorum conuersionem missum, prætulisse crucem argenteam, & Imaginem Christi in tabula depictam. Gregor. lib. 7. epist. 5. crucis venerationem commendat. Leo serm. 8. *de pass. Domini*, signum salutis adorandum populis omnibus inferebat. Sedulius in Carm. paschali: *Speciem* (ait) *crucis esse colendam, quæ Dominum portauit onans.*

Cyril. lib. 6. in Iulianũ.

Crucis signum in aëre sæpius apparuit.

Præterea Deus crucem honorat per apparitiones & miracula. Constantino enim Magno apparuit in aëre cum his verbis: *In hoc vince*, Eusebio authore lib. 1. de Vita Constantini. Et lib. 2. refert, vexillo cruce insignito ad partem exercitus laborantem delato, mox victoriam obtinuisse. Cyrillus in Epistola ad Constantinum scribit, in monte Oliueti crucem lucidissimam apparuisse. Rursus apparuit crux in aëre Ierosolymis, tempore Iuliani Apostatæ, de qua Nazianzenus oratione II. in Iulianum. Iterum apparuit crux, tempore Arcadij, dum in Persas exercitum esset ducturus, & vicit. Prosper libr. *de Prædict.* p. 3. cap. 34.

Miracula per signum crucis edita.

Miracula verò per crucem effecta quis enumeret? Hieronymus refert. Hilarionem signo crucis mare intumescens suis finibus continuisse: Beda lib. 3. c. 2. hostes cruce lignea erecta profligatos fuisse.

Quod verò etiam crucis signum digito, siue manu in fronte, aëre, vel super quacumque alia re expressum, sacrum & venerabile sit, ostendit sanguis agni in postibus domorum, significans crucis signum in frontibus Christianorum: Item signum Tau in frontibus gentiũ, iuxta Hieronymum in commentario cap. 9. Ezechielis, & Cyprianum, *contra Demetrianum*. Idipsum insinuat nomen in frontibus scriptum, Apoc. 14. iuxta Bedam & alios. Idem figurauit Iacob, benedicens filiis Ioseph manibus cancellatis, in typum, quòd benedictio per Christi crucem danda foret. Vnde in omnibus Sacramentis adhiberi crucis signum, monet Dionysius Areopag. lib. *Eccles. Hierarch.* cap. 4. 5. & 6. Chrysostom. homil. 55. in Matth. Augustin. tract. 118. in Ioan.

Exodi 12. Aug. lib. de Catech. rudibus. c. 20. Ezech. c. 9.

Gen. 48.

Dextera verò manu crucis signum exprimi solet, quia Deo potiora danda sunt. Tertullian. *de corona militis* scribit, ad omnem progressum & actionem Christianos vti crucis signo. Idem ait Cyrillus Catech. 4. & 13. Ambros. serm. 43. hortatur, vti omnia nostra opera à crucis signo inchoemus. Hieronym. ad Eustochium: *ad omnem incessum manus pingat Domini crucem.* Prudentius in hymno ante somnum:

Inst. q. 118.

Signi crucis virtus.

Fac, cùm vocante somno,
Castum petis cubile,
Frontem, locúmque cordis,
Crucis figura signet.

Porrò signi crucis maxima virtus & vtilitas est. Arcet enim Diabolum; fugat dæmones; omnia magica compescit. Athanasius lib. *de Incarn. Verbi*, & in vita S. Anthonij, solo crucis signo nos aduersus omnes diaboli terrores fore tutos docet. Vnde August. *Signabar iam*, ait, *signo crucis.* Sulpitius de B. Martino: *Ego signo crucis, non clypeo protectus, hostium cuneos penetrabo securus.* Prudentius in hymno ante somnum: *Crux pellit omne crimen.*

Euseb li. 6. hist. ca. 33. Cyprian. ser. de lapsis. Orig. hom. 6. in Exodum. Aug. lib. 1. cõfes. c. 11. Paulinus in natali 8. S. Felicis.

Argumenta

Argumenta sectariorum contra venerationem crucis dissoluuntur.

Argumenta verò, quibus sectarij crucis venerationem impugnēt, futilia sunt. I. est: *Quia crux dolorem & ignominiam Christo attulit.* RESPONDEO, etiam attulisse gaudium & gloriam, propter mundum redemptum, & diabolum deuictum: ideoque crucem tanquam victoriæ instrumentum, & virtutis insigne meritò honorari.

II. Argumentum. *Filio ignominiosum esset, patris sui patibulum venerari.* RESPONDEO: eos, qui per legitimam iudicis sententiam suspenduntur, pro suis culpis etiam inuitos mori ad pœnam & infamiam; at Christum sponte, vt Patri obediret, humanúmque genus saluaret, absque vllo suo peccato, seipsum morti obtulisse, vt Dei gloriam, hominúmq; salutem procuraret. Qui autem pro Deo & patria moriuntur, omni honore digni sunt, instrumentáque passionis eorum, tanquam virtutis monimenta conseruari solent.

III. Argumentum. *Honorare crucem, est lætari de morte Christi.* RESPONDEO: fideles de Christi morte lætari, non more Iudæorum, qui de ipsius supplicio & ignominia gaudebant, & sacrilega actione eiusdem authores erant: sed de Christi triumpho, sanctissimáque ipsius passione toti mundo salutari exultamus, quam voluntariè Dominus sustinuit, vt eum destrueret, qui mortis habebat imperium, iratúmque Deum humano generi propitium redderet.

IV. Arg. *Superstitiosum videtur, signa crucis vti, quia characteres & figuræ non sunt operatiuæ, sed prosigno fœderis tantùm seruiunt.* RESPONDEO: Signum crucis non operari tanquam figuram, nec aliqua virtute naturali, sed vt signum diuinitus institutum, Apostolica traditione acceptum, quod energiam suam habeat ex diuina institutione, simúlque ex vtentis deuotione. Est enim crucis efformatio, quædam realis oratio, qua Domini crucifixi merita inuocātur. Loquimur enim non solùm voce, sed etiam corde, nutibus, & actione. Vndè hoc crucis signum potiùs valet ex fide, fiducia, & interiore deuotione, quàm ex figura: quæ tamen ex Domini instituto etiam valet contra dæmones. Nam Iudæos & Paganos quoque crucis signo fugasse dæmones, legimus: *Cedunt enim sceptro summi Regis, sicuti homines militibus ferentibus signum Imperatoris*, Augustinus lib. 83. quæst. 79. Non tamen est crucis signum aliquod Sacramentum, quia non confert gratiam iustificantem, nec effectum habet certum & infallibilem: operatur enim per modum orationis signo expressæ. Vnde Aug. lib. 2. *de peccat: merit.* cap. 26. *Catechumenos secundùm quendam modum suum, per signum Christi & orationem sanctificari puto.*

Nazianz. oratione I. in Iulianū. Epiphan. hæresi 30. Greg. lib. 3. dialog. c. 7.

CAP. XXXIX.

De præmiis & suppliciis huic primo mandato adiectis.

Præmia & supplici proponuntur.

EGO sum Dominus Deus tuus, fortis, Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia iis, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.

Postquam summus Legislator Deus, iterato sibi iure Dominij, amorem, cultum, obedientiámque deberi monuit, tunc homines pœna & præmio ad sua præcepta seruandum exhortatur; transgressoribus graues minas, obseruatoribus

verò remunerationem proponens. Et quod hîc præuaricatoribus comminatur, & obedientibus repromittit Deus, ad reliqua Decalogi præcepta extenditur. Communis enim quædam appendix omnium præceptorum est, declarans, quid vnicuique obuenturum sit, Dei præcepta obseruanti, vel contemnenti. Quia enim hominum aliqui pœnæ metu, nonnulli magis virtutis amore ducuntur; ideo curam omnium gerens Deus, omnes ad sui venerationem ob oculos positis supplicijs, & præmijs impellit.

Et ne quis sibi, quantúmuis diues & potens, impunitatem polliceatur, se *Deum fortem* & *zelotem* vocat, à cuius spiritu fugere nemo queat, manum euadere nemo possit, qui neminem reueretur, à quo *potentes potenter tormenta patientur*. Hæc igitur verba timorem ineuitabilis supplicij carnalibus ingerunt; amorem verò & fiduciam spiritualibus, qui diuina ope freti, omnia se in Deo posse credunt, cum Dauide canentes: *Dominus illuminatio mea, & salus mea; quem timebo?*

Psal. 138.

Psal. 26.

Zelus Dei quia?

Dionys. de diui nom. c. 4. p. 2.

Aug li cõt. Adymãth. c. 11. & 13. Item quæ. 78. in Exo. & quæst. 32. inter 83.

Zelus *Dei* vocatur prouidentia, qua hoc agitur, ne anima falsis opinionibus, vel prauis cupiditatibus corrumpatur, nec vllam animi perturbationem, vel cruciantem amorem, sed diuinum amorem & tranquillissimam sincerissimamque iustitiam, stabilémque peccata vindicandi denotat voluntatem, qua nullam animam patitur impunè à se fornicari, hoc est, à se auerti, & ad temporales illecebras conuerti; siquidem religiosa cum Deo coniunctio, vocatur *Desponsatio*.

2. Cor. 11.

Deus zelotes. Exod. 34. Psal. 68.

Et quia nullus amor arctior vel ardentior est, quàm coniugum; ideo Deus se crebrò Marito, vel Sponso, comparat, ac eadem phrasi se *Zelotem* vocat, quia non patiatur alium Deum secum coli. Vnde & ipso quoque Helias: *Zelo Zelatus sum pro Domino Deo exercituum*. Hinc Romani sacra Dei Iudæorum suscipere non voluerunt, qui solus coli volebat, ne omnia cogerentur dimittere numina, quæ priùs colenda susceperant, quorum religionibus stulto errore imperium suum creuisse arbitrabantur.

3. Reg. 19.

Aug. lib. 2. de consensu Euang. c. 12. 14. & 18.

Subiungit deinde Legislator, se notum facere zelum suum, non patiendo inultam esse impietatem, ne quidem à maioribus acceptam; sed vindicando in filijs, quantumlibet longa serie descendentibus; si tamen patrum imitatores fuerint in malo, vt Gen. 4. Chananæi, ob impij patris Cham scelus, maledicto subiecti sunt: filij Saulis, patibulis affixi: postea Manasses in Babylonem abducti.

Filij quomodo pro patribus puniantur. Gen. 9.

2. Reg. 22. 4. Reg. 24.

Diuus Hieronymus in 18. c. Ezechielis admonet, Deum comminando, vltionem inferendam filijs præuaricatorum, non significare, quòd innocentes pro aliorum flagitijs puniat (quod alienum à Dei iustitia est, Sapientiæ 12.) sed quòd visitet iniquitatem patrum in filios, qui patrum iniquitatem sectantur. Filij enim vocantur hic, non tam propagatione carnis, quàm imitatione sceleris.

Deut. 5. Exod. 21. 34.

Aug lib 2. cõt aduersarium legis cap. 5.

Author *quæst. vet. & noui Testamenti* q. 14. apud Augustinum obseruat, Legislatorem hac cõminatione parentes à peccando deterrere voluisse, saltem affectu filiorum, scientes, impietatem non solùm authori nocere, sed in omnes imitatores redundare. Et quia filij vsque ad quartam generationem Patrum vitam scire ac imitari consueuerunt, ideo vsque ad illos vltio extenditur, qui viderunt, quod malè sequerentur. Et in primos authores malorum, redundat impietas omnium ipsos

Lib. contra Adymãth. cap. 7.

Greg. li. 15. mor. c. 22.

Cur in III. & IV. generationẽ?

Aug. tract. in Psal 108. imitantium. Hinc Pseudoprophetę, falsitatúmque magistri, qui pernicioſa doctrina, exemplo, aut ſcandalo ſuo in exitium plurimos induxerunt, pro ſuis,& illorum, quos ſeduxerunt peccatis, graues luent pœnas. Et quemadmodum iactatum per eos malum ſemen vſque ad mundi finem fructificat: ita quoque ſupplicia eis debita creſcunt. *Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet.*

Basil. lib. de virginitate.

Peccata imitãtium redundant in primum Authorem.

D. Anſelmus lib. *de conceptu virginali* c. 24. & 25. docet, parentũ peccata nocere filiis, non quia illa imputet innocẽtibus, ſed quia propter illa Deus filios deſerat in peccatis, pro quibus iuſtè illos damnat & punit, quorum alioqui miſertus fuiſſet. Sicut propter Abraham, Dauidem, & alios pios patres, filiis multa beneficia impenſa legimus.

Li. 2. Reg. 12.

1. 2. q. 87. art. 8.

D. Thomas intellligit, filios pro peccatis parentum temporalibus pœnis inuolui, non autem ſpiritualibus vel futuri ſeculi: ac proinde hanc Dei comminationem de huius vitæ pœna intelligit; dictum verò Ezechielis de ſpirituali & futuri ſeculi pœnâ, vbi *vnuſquiſque recipiet ſecundum opera ſua*, nec alienis grauabitur. Quæ ſententia ſcripturis comprobatur, quæ dicunt, propter Dauidis peccatum, eius filium morte mulctatum, & alios gladio periiſſe; multa quoque ſubditorum millia peſte occubuiſſe: propter ſacrilegium Achan, populum fugatum, propter peccata Manaſſe, populum in captiuitatem abductum fuiſſe.

Ezechiel. cap. 18.

2. Reg. 12
2. Reg. 24.

Ioſue 7.

Hinc patet, cur Deus præceperit Iudæis, vt ſuas & maiorum iniquitates confiterentur, & cur pij ſua & patrum peccata deprecati ſint. Psal. 105. *Peccauimus cum patribus noſtris.* Tob. 3. *Ne reminiſcaris delicta mea vel parentum meorum.* Hæc confeſſio non ſolùm indicta eſt in deteſtationem paternarum iniquitatum, ſed etiam, vt filij agnoſcerent, parentum delicta ad ſe aliquouſque pertinere.

Li. 4. Reg. 24.
Leuit. cap. vlt.
Daniel. 9.
2. Eſdræ. cap. 1.

Verba ſequentia: *eorum qui oderunt me*, ſignificant eos, qui mandata Dei contemnunt, qui obſequio idolorum, dæmonum, vel hæreſeon ſe addicũt, cenſeri, ſummam Dei bonitatem & primam veritatem odiſſe; quo peccato nullum deteſtabilius eſt. *Et faciens miſericordiam in millia his, qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea*: id eſt: Sicut impietas parentum in filios redundat, ita obedientia pietáſque parentum, non ſolùm in tertiam & quartam generationem, ſed vſque ad milleſimam, hoc eſt, in æternum, ſeu in omnes generationes, ſiue, in ſeculum ſeculi. Nam pro eiſdem in Scriptura ponuntur. *Memor fuit in ſeculum teſtamenti ſui, verbi, quod mandauit in mille generationes*: Et, *miſericordia Domini vſque in æternum ſuper timentes eum, & iuſtitia illius in filios filiorum, his, qui ſeruant teſtamentum eius.* Psal. 104. Psal. 102.

Vocatur autem beata & immortalis vita, *miſericordia*, quia gratuita eſt iuſtitia, per quam gloriam meremur, iuxta illud Apoſtoli: *Gratia Dei, vita æterna.* Et inſuper hîc inſinuatur, quòd miſericordia Dei iudicium ſuperet, vt in Abrahæ, Dauidis, ac Chriſti potiſſimùm obedientia elucet, propter quam, omnes in eum credentes miſericordiam conſequuntur. Rom. 6. Iac. 2.

Præterea, quòd multorum millium hominum Deus propter paucorum bonorum obedientiam miſereri conſueuerit, documento eſt Sodoma, cui propter decem iuſtos Deus peperciſſet: & vnus Moyſes, ne Iſraëliticum populum Genes. 18. Exod. 32.

Deus euerteret, impetrauit: atque propter vnum facientem iudicium propitius fuisset Ierusalem: nec terram dissipasset, si vnum pro ea stantem reperisset. Huc pertinet, quod ait: *Protegam vrbem hanc propter me, & propter Dauid seruum meum.*

Ierem. 5. & 22. Ezech. 22. 4. Reg. 19.

His qui diligunt me, & seruant præcepta mea. His verbis insinuat Deus, parentum iustitiam prodesse filiis, modò Dei leges & præcepta custodiant; alioqui iustitia patris filio non proderit: *anima enim quæ peccauerit, ipsa morietur*, Ezechielis 18. Porrò Deum censentur diligere, qui eius leges & ceremonias obseruant, qui Dei volũtatem charitate ac opere complent. Iuxta illud Christi: *Si diligitis me, mandata mea seruate. Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me.*

Psal. 131. Ioan. 14.

CAP. XL.

Secundum præceptum.

Secundum præceptũ.

NOn *assumes nomen Dei tui in vanum*: id est, non vteris nomine Dei frustra, temere, absque graui causa & necessitate, ad confirmationem falsi, cum incuria vel irreuerentia: sed vbi necessitas exegerit, per Dei nomen sanctè iurabis, adhibita conuenienti veneratione; atque verbis decentibus de summa maiestate, rebúsque diuinis loqueris, vt sacrosanctum Dei Nomen habeatur. Sicut enim primo Præcepto latriæ cultum sibi tribui voluit: ita hoc Secundo præcepto verbis gloriam sibi deferri constituit.

Nomine verò Dei omnia, quæ Deo tribui solent, intelliguntur, & ad eius notitiam, famam, gloriam inter homines promouendam tendunt. Hæc omnia irreligiosè tractare vetamur. Hoc ergo præceptum negationem & affirmationem includit, putà religionem iurãdi, eiusque abusum. Nam Deum in testem fidei faciendæ causa reuerenter inuocare, ipsum laudare est, quia est quædã professio, qua Deum agnoscimus, summam esse veritatem, perfectissimè cuncta scientem, quæ nec falli, nec fallere possit, rebúsque humanis prosit, consulat, mundum gubernet ac iudicet. Hac enim fide imbuti homines, Deum in testem, atque promissorum fideiussorum adhibent, cui nolle acquiescere, impium est.

Iuramentum per se licitum.

Inuocatio autem Diuini nominis in eo sita est, quòd homo, quantum in se, velit & cupiat Deum id manifestare, quod iuramento confirmat, tanquam ab eo infallibiliter scitum; & hoc quidem quando sibi placuerit, siue in præsenti, siue in futuro seculo. Quod Dei testimonium viris prudentibus ad fidem parãdam meritò sufficere debet, cùm præsumendum sit, hominem nolle in rei falsæ confirmationem Deum omniscium & iudicem inflexibilem, verum, bonum, iustum, omnis mendacij vltorem, producere, séque illius iræ obnoxium facere. Cúmque ista diuini testimonij inuocatio ad Dei gloriam pertineat, consequitur, iuramẽtum per se bonum & licitum esse. Iuxta illud Psalm. 62. *Laudabuntur omnes, qui iurant in eo.* Vnde ipsum Deum iurasse nonnunquam scriptura tradit: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum.* Et Angelus iurauit per viuentem in secula. Apostolus quoque Paulus: *testem inuoco Deum in animam meam.* Quare meritò reprobatus est Pelagius asserens, Iuramentum per se malum esse, nec vnquam licitum, Aug. teste epist. 89. Quem proinde confutat serm. 28. de Verbis Ezechie-

Psal. 109. Apoc. 10. 2. Cor. 1. Iero. 15 in c. Ezechie-

Iis ad illud: viuo ego, dicit Dominus.

de verbis Apostoli, & lib. 19. *contra Faust.* c. 23. Eundē errorem tempore S. Bernardi amplexi sunt Apostolici, contra quos serm. 66. in Cantica; & postea Vvicleſ, cuius articulus XLIII. damnatus est in Concilio Constantiensi sess. 8. ac nostro seculo Anabatistæ.

Quamuis autem iuramentum per se licitum sit, eius tamen frequens vsus non est appetendus, vti laudabilis; quia sit veluti medicina, qua non passim, sed in necessitate vti expediat, ne alioqui non prosit, sed absit. Hinc Dominus Iudæos redarguit, qui nihil in iuramento præter mendacium cauendum putabant: ideoque rebus leuissimis, ac in quotidiano sermone iuramenta, veluti orationis flosculos adhibebāt. Quē morem improbans Dominus ait: *Sit sermo vester: Est Est, Non Non:* id est, sit assertio vel negatio simplex, nec in familiari colloquio, aut rebus exiguis iuramentum apponatur, quia illo vti citra necessitatem non oporteat.

Matth. 5.

Proinde fideles Dominus à Iuramento dehortatur, non tanquam à re mala, sed periculosa; ne iurandi consuetudine in periurium quis labatur. Est enim iuramentum, quoddam humanæ imbecillitatis remedium, ad fidem dictis conciliandam; proinde à malo proueniens, scilicet iurantis inconstantia, perfidia, leuitate: vel eius, cuius causa iuratur, incredulitate, peruicacia, credēdique tarditate. Sic Aug. lib. 1. *de serm. Domini in monte*, cap. 30. *Nemo, sicut bonum, appetat iuramentum, ne assiduitate iurandi ad periurium consuetudine labatur. Qui intelligit, non in bonis, sed in necessariis iurationem esse habendam, refrenet se quātum potest, vt ea non vtatur nisi in necessitate, cùm videt, homines pigros esse ad credendum, quod eis vile est credere, nisi iuratione firmetur.* Idem variis locis tradit. Chrysost. hom. 26. ad Antioch. & alibi sæpe, consuetudinem leuiter iurandi reprehendit, imitatus Ecclesiasticum, dicentem: *Iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa.* Item: *Vir multùm iurans, replebitur iniquitate.*

Lib. 19. cōr. Faust c. 23. serm. 30. de verbis Apostoli. Lib. 1. de mendac. c. 15. epist. 89. Eccles. cap. 23.

Cur verò Deus iuret, exponit ad Hebr. 6. Apostolus; vt nobis certum reddat, immobiliter euenturum, quod absolutè & sine conditione promisit.

Hebr. 6. Epiphan. hæres. 29.

CAP. XLI.

De Iuramento per Creaturas.

CHristus Iudæos arguit, opinantes, iuramenta per creaturas facta non obligare, ac in Iuramēto solùm esse cauendum periurium: & in quo non inuocaretur expressè nomen Domini, esse nullum, contrà docens, iuramenta per creaturas facta, per Deum fieri, cuius eæ sunt, & cuius summa veritas & perfectio in omni creatura elucet. *Cælum*, inquit, *thronus Dei est, & terra scabellum pedum eius.* Idem de reliquis creaturis iudicium esse, notat Aug. lib. 1. *de serm. Domini in monte*, cap. 31. Iacob per timorem Isaac patris sui iurauit: Moyses cælum & terram in testes inuocat: Exploratores iurant Raab per animam suam. Est igitur verum iuramentum, quando ad faciendam fidem per res creatas iuratur. Sic Nabuchodonosor iurauit per thronum suum.

Iuramentum per creaturas. Matth. 5. & 23.

Deut. 30. Iosue 2.

Cauenda porro sunt iuramenta, Deo vel sanctis iniuriosa; qualia sunt per caput Dei, ventrem, vulnera, sanguinem, & per alia Christi, aut sanctorum membra impudentissimè facta: pertinent hæc equidem ad blasphemiam, & maximam Dei sanctorumque iniuriam.

CAP. XLII.

De iuramento per falsos Deos.

Iuramentū per falsos Deos.

QVemadmodum falsos Deos colere, nefas est: ita & per illos iurare. Nam iurando, illis omnium rerum cognitionem, infallibilémque veritatis attestationem tribuimus. Quare meritò Dominus statuit: *Per nomen externorum Deorum non iurabitis, neque audietur ex ore vestro.* Et per Oseè dixit: *In die illa ait Dominus, vocabit me vir meus, & non vocabis vltrà Baalim. Et auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltrà nominis eorum.* Et Zachariæ 13. *Disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltra.*

Exod. 23. Isaiæ 19. Oseè 2.

Quare se ad filios Noui Testamenti minimè pertinere demonstrant, qui spretis sacris litteris, hoc vnum agunt, vt superstitiones gentilium, & fabulæ Deorum fictorum, Poëtarum carminibus decantatæ, mentibus teneris instillent, quibus hominum corda sic inficiunt, vt ne vel in senio Christi Crux locum in eis reperiat. Contra quales disserit Hieron. in epist. ad Damasum, *de filio prodigo.* Aug. lib. 1. confess. ca. 16. lib. 2. *de ciuit.* c 7. & 14. docet, homines concitari ad vitia, quasi cælesti magisterio, dum exemplis falsorum Deorum ad flagitia inuitātur. Hinc Gregorius Titi Liuij libros, in quibus Idolorum superstitiones continebantur, exuri iussit, omnemque Idolorum memoriam abolere studuit, prout Deus Israëlitis præcepit Deut. 7. *Aras eorum subuertite*, &c. *nec inferes quidquam ex Idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut & illud est:* non quòd Idoli materia prauа in se esset, sed vt nulla falsi Dei memoria super esset.

Antonius p. 4. summæ tit. 11. c. 4. par. 3.

Quanquam enim fidelibus liceat, veritatem & facundiam à Gentilibus, tanquam iniustis possessoribus in vsum suum vendicare (sicut Israëlitæ aurum & argētum ab Ægyptijs Deo iubente abstulerunt;) superstitiosa tamen Poëtarū figmenta, confictorúmque Deorum laudes & facinora perdiscere, noxium est pietati, & infirmis animis periculosum, qui ex scriptoribus Christianis citra periculum discere possunt, quidquid boni ex Idolorum cultoribus percipiunt.

Huc etiam reduci potest, quòd sidera, dies, & menses falsorum Deorum nominibus infamentur: dum Sidera vocantur, *Mars, Mercurius, & Saturnus*, &c. Menses autē, *Martius, Iulius, Augustus*; Dies verò, *Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris.* Quem loquendi vsum corrigi exoptauit Augustinus, præfatione in Psal. 93. ac Christianos iuxta ritum loquēdi Ecclesiæ vocare, *Diem Dominicum, Feriam, II. III.* &c. vt tam ore, quàm corde, Gentilium vanitatem improbent: nec quidquam laudis aut honoris, vel memoriæ diis Gentilium, vel tyrannis, huiusmodi nominibus tribuere, aut certis illis diebus vel mensibus aliquid eos posse significare videantur.

Nomina Deorum Gentilium exulens à Christianis.

Obseruandum hîc insuper est, quòd licet ad idololatriam pertineat, per Deos falsos iurare, non tamen illicitum sit vti iuramento per Deum falsum præstito; quia is, qui fide per Deos falsos iurantis vtitur, non se peccato eius, quo per falsos Deos iurat, consociat; sed bono tantùm pacto, quo fidem seruat.

Licet vti iuramento per falsos Deos.

CAP. XLIII.

Quotuplex sit iuramentum?

IVramentum duplex est: *assertorium, & promissorium.* Illo de re-

Iuramentū assertoriū,

& promissorium.

præsenti aut præterita quippiam religiosè affirmamus, aut negamus; vt ad Galat. 1. Apostolus: *Ecce coram Deo, quia non mentior:* Isto, rem futuram confirmamus, aut negamus; sicut Dauid iurauit Sauli & Ionathæ, quòd semen eorum non deleret: & coniugi, quòd Salomon in suum regnum succederet.

1. Reg. 20. & 24.
3. Reg. 1.

Plurimum verò differt Assertio futuri, à Promissione. Nam si futurum non eueniat, assertio falsa censetur: at sine falsitate promissio non completur, si ab eo cui facta est, remittatur; vt Genesis 24. *Si noluerit venire*, &c. Ad has species reducitur Iuramentum *comminatorium*, quo pœnam alicui minamur: similiter & *execratorium*, quo sibi affirmando vel negando pœna imponitur. Duplici equidem modo iuramus: Deum simpliciter in testem inuocando, aut nos eius iudicio, tanquam mendacij vltori, subijciendo, qualiter iurauit Dauid: *Hæc faciat Deus inimicis Dauid.* Et Ioseph: *Per salutem Pharaonis.* Sic quidam iurant *per caput suum:* quibus iurandi modis illa Deo obligantur, per quæ iuratur.

Iuramentum cõminatorium.
Iuram. execratorium.
1. Reg. 25.
Aug. serm. 30. de verb. Apostoli.

CAP. XLIV.

Iuramenti legitimi conditiones.

Iuramenti conditiones. Ieremi. 4.

LEgitimi iuramenti conditiones Ieremias tres esse significat, dũ ait: *Iurabis: Viuit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitia.* Tũc verò *in Veritate* iuramentum præstatur, quando is qui iurat, id ita esse, non temere, nec leui cõiectura, sed argumentis certissimis arbitratur. Nam periurus est, qui putans verum esse, quod falsum est, temere iurat: similiter qui quod falsum est, pro vero iurat: necnon qui id, quod verum est, falsum esse sentiẽs, iurat. In promissorio quoq; iuramẽto, qui promittit, quod implere nõ proponit, periurus est: necnõ & ille, qui licet promissa complere intendat, non tamen opere præstat. Omne siquidem mendacium iuramento firmatum, periurium est, secundùm se ad proximum decipiendũ tendens, contra illud Ps. 14. *Qui iurat proximo suo, & non decipit.* Qui enim Deum in falsitatis testimonium inuocat, quantũ in se est, Deum ignorantem aut improbum facit.

Secunda condito *Iudicium*, id est, discretionem & prouidentiam requirit, vt consultò, maturè, non præcipitanter, non temere, nec leuiter citra necessitatem, aut piam vtilitatem, sed cum maxima Dei reuerentia iuretur. Accuratè igitur attendendum est, vtrùm res proposita iuramento indigeat? Obseruandæ insuper circũstantiæ sunt loci, temporis, ne odio, amore, fauore vel perturbatione quis impellatur; sed ipsius rei vi, necessitate ac pondere: alioqui iuramentum irreligiosum erit, quale illorum est, qui pro re leuissima, prauæ consuetudine iurant: vt sæpe mercatores & emptores cum iuramento res venales laudare vel etiam vituperare consueuerunt, vt pluris vendant, aut viliùs emant: quos prauæ consuetudo non excusat, sed potiùs eorum iniquitatem aggrauat.

Discretè iurandum.

Ob prudentiæ iudiciique defectum, à iuramento præstando arcentur paruuli; item semel in notorio periurio deprehensi, ne peierando Dei nomen expresse polluant: quod sedulò cauendum esse monet Augustinus dicens, Apostolum nunquam in sermone, sed in epistolis tantùm scriptis iurasse, vbi est consideratio maior atque perpensior.

2. 2. q. 5. c. Honestũ.
Aug. epist. 154. lib. 19. cõt. Faust. cap. 23.

Tertia iuramenti conditio, est *Iustitia*, id est, vt actus iurandi nulli

Iurandum iustè.

nocent, sitque id, quod iuratur, licitum, honestum, & iustum. Nam qui malum iurat, & iurando peccat, & promissa complendo scelus scelere cumulat: quemadmodum Herodes caput S. Ioannis Baptistæ, in tripudij præmiũ dando puellę, iurisiurandi prætextu. Tale quoque fuit Iudæorum iuramentum, quo se deuouerunt nihil gustaturos, donec Paulum occidissent: item Dauidis, quo domum Nabal euertere iurauerat; & Regis Israël, se occisurum Elizæum.

Matth. 14. Marci 6.

Act. 23. 1. Reg. 25. 4. Reg. 6.

Huiusmodi etiam sunt eorum iuramenta, qui se pro nullo fideiussuros, nulli quidquam mutuò daturos, nunquam fore patrinos, ad nullas ituros nuptias, ad nulla conuiuia, non amplexuros Euangelica consilia, non religiosum, vel ecclesiasticum statum, aut se his & illis nihil vnquam beneficij præstituros, quantumuis indigeant, iuramento firmant. In qualibus iuramentis illud Isidori locum habet: *In malis promissis recinde fidem. In turpi voto, muta decretum. Vim enim criminibus Sacramenta non addunt.*

Isid. lib. 2. de syno. nim. Ambros. li. 3. offic. c. 12. Bern. epist. 219. Æneas Siluius li. hist. Bohemi. cap. 18.

Huc insuper eorum iuramenta referri possunt, qui artificiosis verbis proximo imponunt, vt is lõgè aliud intelligat, quàm iurans intendat, vel quàm iurantis verba exactè discussa significent. Sed quacunque verborum forma dolosus iuret, Deus conscientiæ testis est, ac ita iuramentum accipit, prout is, cui iuratur, rationabiliter intelligit. Dupliciter autem, huiusmodi deceptor, reus constituitur, quia Dei nomen in vanum assumendo polluit, & proximum dolo capit. At si quis citra fraudem iurans, aliter à proximo intelligatur, quàm ipse intendat, ad hoc tantùm obligatur, quòd iurare voluit. Si verò aliquem iurare contingat aliquid, de quo ambigatur, an liceat: vel quod ab initio quidem vtile fuerat, sed ob superuenientẽ casum improuisum satiùs omittatur; locum habebit superioris dispensatio, vt iuramentum relaxet aut commutet.

Iuramenta dolosa. Ioan. Molanus lib. 1. de fide hæret. seruanda cap. 31. Isido. lib. 2. de summo bono ca. 31.

At quæritur, vtrùm Iuramentum coactum, seu timore exortum obliget? RESPONDEO, Iuramenta coacta in foro conscientiæ obligare, modò seruari absque dispendio salutis æternæ queant; vt definiuit Alexander 7. cap. *Si quis*, *Extra de Iureiurando*. Ideoque iuramenti talis relaxatio petenda est, aut impleri debet. Certum in foro iudiciali, huiusmodi iuramenta per vim extorta, non obligant. Si autem vis abfuerit, etiamsi per iniuriam iuramentum extortum sit, cogitur is, qui iurauit, in foro exteriore iuramentum adimplere: vt si quis vsurario, vltra sortem exigenti, vsuras soluere iuret, vt patet ca. *Debitores*, *Extra de Iureiurando*. Datur tamen postea tali actio repetendi, quod eo modo dedit.

Iuramenta coacta quatenus obligent.

CAP. XLV.

Quando iuramentum falsum, incautum vel iniustum, letale peccatum sit?

IVramentum assertorium, veritate destitutum, in materia tam leui, quàm graui, mortale peccatum est, quia Deum facit mendacij testem, quod religioni eidem debitæ aduersatur. Similiter iuramentum promissorium ex defectu veritatis, consistentis in cõcordia vocis, cum animo interiori faciendi, quod promittitur, semper mortale peccatum est quia Deum testem falsi efficit. Letale quoque peccatum est, violare iuramentum promissorium etiam

Iuramentum quando peccatum.

etiam in re leui promissa, & iuramento confirmata. Similiter peccat, quisquis Deum in testem adducit mendacij cuiuscunque, siue in re leui, siue graui: quia maxima irreuerentia est, primam veritatem in falsitatis adducere testimoniũ. Propter defectum iustitiæ mortaliter peccat, quisquis se aliquod peccatum admissurũ iurat; quia quodlibet malum culpæ grauiter cum diuina bonitate pugnat: nullius enim mali Deus author esse potest. Si quis verò iuret, se Domini consilia non impleturum, & iuramenti religione ductus, Christi cõsilia implere non audeat, superstitione peccabit, existimando, Deum malo, aut turpi promisso coli. Quoad iudicij defectum, si in iurando tantùm desit iudicium, quantum ad necessariam iurandi causam, communiter veniale peccatum committitur. Si autem defectus adsit necessariæ inquisitionis de veritate rei iurandæ, pro ratione negligentiæ notabilis, aut paruæ, mortale, aut veniale peccatum erit. Si quis verò aduertat, se id iurare, quod non sufficienter discussit, graue peccatum admittit. Quare merito culpantur, qui iurare ad singula consueuerunt, quia nomen Domini in vanum assumunt, & sæpe in periuria incidunt. Vnde Sapiens: *Iurationi non assuescat cor tuum.* Et Dominus: *Dico vobis non iurare omnino*, scilicet frustra, temere, absque iusta necessitate. Quod ex pretiosarum vestium vsu illustrat Chrysostom. quibus non passim, sed cum delectu vtimur. Idipsum alij ex pharmacis confirmant, quæ absque necessitate sumpta non prosunt, sed obsunt.

Iurandi cõsuetudo culpanda.

Eccles. 23. Matth. 5.

Chryso. ho. 9. ad Antiochen.

Iuramentũ instar est pharmaci.

CAP. XLVI.

De Voto.

QVemadmodum in iuramento, ita & in voto nomen Domini assumitur: sed alio, & alio modo. Iurãs enim Deũ testem inuocat, & proximo iuramentum præstat: at vouens, Deo aliquid promittit; & si Deo iurat, etiam ei promittere ac vouere censetur. Iuxta illud Numerorum 30. *Mulier si quippiam vouerit, & se iuramento constrinxerit,* & Psalm. 131. *Iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob.* Iurat in eo pollicetur ei, qui vouet illi & reddit. Est enim votum, deliberata voluntatis promissio, Deo facta. Proinde in voto nomen Domini assumitur: vel sola mente, putà quando solo animo aliquid Deo promittitur: vel etiam voce, dum vota nostra distinguunt labia nostra. Vouemus autem Deo, non vt certior fiat, neque vt voti executione ei prosimus; sed vt felici quadam necessitate animam nostrum à bono proposito labilem ad meliora constringamus, ac quodammodo compellamus.

Voti natura.

Augus. in Psal. 62.

Voti definitio.

Aug. ep. 45. Cur Deo fiant vota?

Vota fiunt aut absolutè, vel sub conditione: vt Numerorum 31. *Si tradideris populum istum in manu mea, delebo vrbes eius.* Rursus quædam sunt vota de necessariis ad salutẽ, quale fuit Iacob: *Si fuerit Deus mecum, & custodieris me in viâ per quam ego ambulo, erit mihi Dominus in Deum.* Talia quoque fuerunt Iudæorum vota, qui se in via Domini ambulaturos polliciti sunt & iurarunt. Sic etiam Christiani in baptismo vitam secundùm Dei voluntatem agere generali quadam ratione vouent, abrenunciando Satanæ, omnibúsque pompis eius. Iuxta Augu.

Gen. 28.

Exodi 19.

4. Reg 23.

2. Esdræ 9.

in Psam. 75. & Gregor. hom. 29. in Euangelia.

Actor. 5. Alia sunt vota de his, quæ non præcipiuntur, sed consuluntur: quale fuit votum Ananiæ & Saphyræ.

Deut. 32. De tali voto ait Dominus: *Si nolueris polliceri, absque peccato eris.* De hoc voto differit Augustinus in Psalm. 75.

Præterea votorum quædam soli Deo fiunt: alia Deo in sanctis habi tanti: vt vouens Sanctæ Mariæ, vel S. Petro, censetur Deo vouere in honorem B. Virginis, aut S. Petri. Hinc nefas est, irrationabili creaturæ vouere, quia honoris capax non est. Quia verò summæ maiestati optima quæque debentur, ideo etiam optima Deo sunt offerenda & vouenda. Malachiæ 1.

Vota fiunt Deo in sanctis.

Iterum votorum quoddam est simplex, priuatum, occulta promissione factum: aliud est solenne, quod fit in conspectu Ecclesiæ, per actualem sui traditionem ad cultum Dei acceptantis per suos vicarios personæ dominium. Est autem solennitas voti ex sola Ecclesiæ constitutione inuenta, iuxta Bonifacium VIII. libr. 6. *de voto & voti redemptione.*

Votum simplex.

Voti solennitas ex cõstitutione Ecclesiæ.

Insuper votum diuiditur in personale, reale, pœnale, conditionatum, & absolutum. Porrò votum obligat vouentem ad reddendum Deo, quod promisit; alioqui non solùm irreuerentia Deo infertur, sed insuper fides ei data violatur. *Displicet autem Deo stulta & infidelis promissio.* Et, *cùm voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere.* Et, *vouete, & reddite.*

De obligatione voti.

Eccles. 5. Deut. 23.

Si tamen rem vanam quis, inutilem, malam, vel Dei consilijs aduersantem vouerit, corrigenda est temeritas potiùs, quàm adimplenda promissio. *Neque pium esse debemus ad vouendum, quia teneamur ad reddendum, siquidem Dei ope vota perficiuntur.* Et, *quæ à Deo accipimus, ei reddimus,* 1. Paralip. 29.

Psal. 175.

Aug. in Ps. 75.

Concil. Arausican. cant 11.

Gratius insuper Deo esse opus, ex voto factum, quàm sine illo, hinc intelligi poterit, quòd pus tribuat is, qui arborem cum fructibus offert, quàm qui fructus solos donat. At qui vouet, non solùm opus bonum, sed & liberam facultatem Deo consecrat. Quia verò alieni oblatio ingrata est Deo, ideo qui alterius potestati subsunt, absq; illius consensu firmiter vouere nequeunt, vt de filio & filia Numer. 30. traditur: de vxore, continentiam absque mariti cõsensu vouente, Augu. epist. 45. De seruis, de religiosis, pupillis, & omnibus, qui plenum suæ voluntatis dominium non habent, par est ratio: qualium proinde obligatio, si voueant, ab eorum consensu dependet, quibus subiecti sunt.

Opus ex voto factũ, Deo gratius.

Tolli autem quatuor modis voti obligatio solet. I. per circunstantiarum mutationem, putà, vt si voti materia impossibilis fiat, vel bona esse desinat, vtilis, aut melior; tunc enim naturalis æquitatis interpretatione tollitur. II. per irritationem ab eo factam, cui vouens subiectus est. III. per dispensationem authoritate superioris factam. Potest autem Episcopus omnia subditorum vota ex iusta causa relaxare, sepositâ Papæ reseruatione, qui soli sibi dispensationem seruat in voto simplici religionis, perpetuæ castitatis, peregrinationis S. Iacobi, in Ierusalem, S. Petri Romæ, ac in voto solenni. IV. per commutationem in aliam rem, authoritate superioris factam. Iuxta illud Matt. 16. *Quodcunque solueris super terram, solutum erit & in cælis.* Quare dispensatio non efficit, vt licitum sit, non exsequi votum; sed vere tollit voti vinculum, quod ad promissa reddenda obstringebat.

Quibus modis voti obligatio tollatur.

Dispensatio tollit vinculum.

In solenni voto fieri dispensatio potest.

Sed non immeritò QVÆRITVR, Vtrùm Ecclesia in omni voto, etiam solenni religionis, atque continentiæ Ordinibus sacris annexo, dispensare queat? Diuus Thomas opinatur, religiosum ex sui status natura, Deo solenni benedictione consecratum, iteratò profanari non debere: sed communior doctrina est, Pontificem in religionis solenni voto, & continentiæ, sacris ordinibus annexo, dispensare posse; quia Christus à potestate data Petro nullum voti vinculum excepit: ac non sufficienter Ecclesiæ prouisum esset, si aliquod voti vinculum, quantumcunque reipublicæ Christianæ noxium, tolli nequiret.

Leuitici vltimo.

In dist. 38. 4. li. senten.

Quare omnino tenendum est, per Ecclesiæ dispensationem Deum simul relaxare promissionem sibi factam, quàm secundùm Ecclesiæ iudicium acceptat & soluit. Prælatis enim Ecclesiæ commisit, vt ipsius vice ac nomine hominibus suam voluntatem, quasque promissiones ratas vel irritas habeat, explicent.

CAP. XLVII.

De Blasphemiâ.

Blasphemiæ grauitas.

SEcundo præcepto insuper vetatur quæcunque verbalis Dei irreuerentia: qualis est Blasphemia, qua sermone Deo tribuuntur, quæ ipsi non competunt, aut negantur ea, quæ conueniunt. Estque tantò grauior, si non solùm de summa maiestate falsùm pronuntiet, sed & maledicendo exoptet, vt diuinæ bonitati derogetur. Cuius exempla habentur in vxore Iob; & 3. Regum 21. *Benedixit Deo & Regi.* Vbi Scriptura huius impietatis turpitudinem honestiore voce tegendam duxit. Et Dominus Matthæi 12. tantùm hoc esse peccatum asserit, vt non non remittatur. Matth. 12.

Iob. 2. 2.

Huc referenda est impietas Hæreticorum, qui aduersantia veritati docent: quos veluti lupos rapaces fugiendos Dominus tradit, Matth. 7. Eodem reuocanda est doctrina superflua, qua incerta vel friuola hominum mentibus instillantur miracula, vel confictæ sanctorum historiæ, aut suppositiciæ sanctorum Reliquiæ, adorandæ proponuntur; aut vnus sanctus præ alio, carnali affectione extollitur. Christus enim mendacio nostro haud eget. Thom. kempensi li 3. de Imit. Christi cap. 63.

Inuenimur insuper falsi testes Dei, attribuendo, quod non est; aut dicendo fecisse, quod non fecit. 1. Cor. 15.

Tentatio Dei secundo præceptoretur.

Contra secundum quoque præceptum peccant, qui Deum expressè, aut tacitè tentant: hoc est, qui aliquid agunt, vel dicunt, ad explorandam Dei potentiam, scientiam, iustitiam, patientiam, aut pietatem: quomodo Israëlitæ *tetenerunt Deum in cordibus suis, & malè loquuti sunt de Deo, dicentes: Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Hic etiam Deum tentat, qui ab eo extraordinarium aliquid sine vtilitate, vel necessitate præstolatur: vt si quis neglecto graduum vsu, se deorsum præcipitet, Angelorum fretus auxilio. At si quis omni humano destitutus medio, ad Deum recurrat; non tentare, sed sperare censendus est. *Cùm ignoremus, quid agere debeamus,* aiebat Iosaphat *hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te, Deus noster.* Attamen etiam tunc exsequenda sunt, quæ orantibus, vt exaudiantur, iniuncta sunt; putà, vt in se peccantibus igno- Psalm. 77. Exodi 16. 17. Numer. 20. Matth. 4. Deut. 6. 2. Paralipo. 20.

Eccles 18. Aug. li. 22. cont. Faust. cap. 36.

scant, se humilient, animam tuam præparent. *Ad sanam pertinet doctrinam* (ait Augustin.) *vt quando habet quod faciat, homo, non tentet Dominũ Deum suum: ita Christus & fugiendo, & latendo hominis instruxit infirmitatem, vt Deum tentare non audeat, quando habet quod faciat, vt quod cauere oportet, euadat.*

Tentare Deum cur sit peccatũ?

Ideo autem Deum tentare, peccatum est, quia ex dubitatione vel ignorantia scientiæ Dei, potestatis, iustitiæ, aut misericordiæ procedit, de quibus ambigere nefas. Ideo iustè puniti sunt Israëlitæ, Deum tentantes in deserto, & Zacharias Lucæ 1. Quando autem ex diuina inspiratione ad gloriam Dei signum petitur (vt Abraham Genes. 15. *Vnde sciam*, &c. Achaz Isaiæ 7. *Pete tibi signum*, Ezechias Isaiæ 38.) Deus non tentatur.

1. Cor. 10.

CAP. XLVIII.

De Sacrilegio.

Sacrilegiũ quid?

AD secundum præceptum, etiam Sacrilegium reuocatur, quo res sacra, vel Dei cultui dicata violatur, aut irreuerenter tractatur; prout ab eis fit, qui res sacras profanant; Clericos odio persecutiunt; verbi Dei præcones subsannant; virgines Deo consecratas constuprant; nomine sanctissimo IESV, aut signo Crucis, tanquam admirationis noti vtuntur: Sacramentis, sanctorum reliquis, Imaginibus, vasis, aut vestibus sacris tractatione indigna iniuriam inferunt, conculcando, frangendo, ad potationes vtendo, sicut Rex Baltazar: aut demum, qui in Templo consecrato profana exercent; quæ per seipsa orationem, Dei laudes, piam doctrinam, meditationem, aliaque fidelium religiosa officia impediunt, etiamsi alioqui in se bona & licita forent: vt sunt emere atque vendere, causas forenses agere.

Danielis 5.

Quinam sacrilegi?

Vnde insuper colligimus, Sacrilegium admittere illos, qui carnali commixtione, aut voluntaria seminis, vel sanguinis effusione locum sacrum polluunt, similiter & eos, qui in loco sacro furantur, inebriantur, libertatem loci violant, Sacramenta conculcant, Diuorum imagines confringunt, aut res sacras, eisue annexas expressè vel latenter vendunt, aut emunt, vel ad superstitiones vtuntur: Item &, qui Ecclesiæ censuras (quæ sunt Ecclesiasticæ disciplinæ neruus) contemnunt: decimas, aliaque ministris Ecclesiæ pro sua sustentatione debita, subtrahunt, imminuunt, vel defraudant.

Matth. 10. Malach. 1.

CAP. XLIX.

De violatoribus secundi præcepti.

Violator 2. præcepti quis censendus?

EX prædictis consequitur, I. eos omnes debitum Deo honorem denegare, irreuerentérque sanctum eius nomen polluere, qui scientes, leuiter, temere, aut falsò iurant, vel peierant. II. Qui se aliquid facturos iureiurando promittunt, quod tamen animo non implere intendunt, aut reipsa non implẽt. III. Quicunque se Deo voti sponsione obligant, & quod vouerunt, non præstant. IV. Qui iuramento confirmant id, de quo dubitant. V. Qui iuramentis, in Scriptura & Ecclesia inusitatis, vti præsumunt: qualia sunt, per vulnera, sanguinẽ, caput, aut alia Christi membra. VI. Qui per falsos Deos iurant, per Iouem, Herculem, &c. VII. Qui Deum blasphemant vel

execrantur, vel abrenunciant Deo & Sanctis. VIII. Qui Deo in veritate, aut certitudine aliquid comparant, dicendo: *Hoc est tam verum, aut certum, quàm quòd Deus sit in cœlo, aut in Sacramento.* IX. Qui contra Deum indignantur, obmurmurant, eius facta reprehendunt. X. Qui Deum tentant, volentes experiri, vtrùm Deus hoc sciat, aut possit. XI. Qui res sacras absque iusta causa profanant. XII. Qui Scripturas sacras à germano sensu ad falsa dogmata, seu hæreses detorquent, ad suam ipsorum perditionem. XIII. Qui Scripturæ sacræ verba omni veneratione colenda, ad scurrilia, fabulosa, vana, assentationes, detractiones, libellos famosos, illicitas sortes inflectunt: quales puniri vult Conc. Tridentinum. XIV. Qui de rebus sacris in conuiuijs, curribus, aut nauibus irreligiosè disputant. XV. Qui in necessitate ad Deum inuocandam non recurrunt, sed ad magos, & diuinos: de quibus ait Psalmista: *Deum non inuocauerunt.*

2. Petri 3.

Libelli famosi. Cõc. Trid. sess. 4.

Psal. 13. & 52.

CAP. L.

Cur mine secundo præcepto addita?

NE homines leuem huius præcepti transgressionem esse sibi persuaderent, maiorémque in eo obseruando cautionem adhiberent; ideo minæ additæ sunt polluentibus nomen Domini his verbis: *Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.* Vbi generatim Deus comminatur, se irreuerentiam nominis sui non impune laturum, hoc modo iurandi temeritatẽ (ad quam mortalium plurimi sunt prochiues) refrenare volens, saltem calamitatum timore, quas propter huius præcepti violati inem immitti credendum est. Vnde fideles omni studio pollutionem nominis Dei fugiant, animo recolentes, *de omni verbo otioso reddendam esse rationem in extremo iudicio.* Neque verò solùm in futuro seculo; sed etiam in præsenti, grauiter à Deo vindicari periuria, docet punitio Saulis, & Sedechiæ: sacrilegia quoque morte temporali punita fuisse legimus. Nam Aaronis filij, qui alienum ignem Deo obtulerant, repentè mortui sunt: filij quoque Heli eodem die occisi: ac Bethsamitæ, qui curiosiùs Dei Arcam inspexerant; nec non Osa, qui Arcam non à bobus vehendam, sed à Leuitis ferendam, ausu temerario attigisset: & Baltazar regnum perdidit, sacris vasis abutens. Quin & Christus ipse sacrilegos è templo flagellis eiecit. Paulus multos propter indignam Sacramenti sumptionem infirmari ac mori asserit.

Pollutio nominis Dei, & Sacrilegia, etiam temporaliter puniuntur.

Leuit. 19. Matth. 19.

1. Reg. 21.

Ezech. 17.

Leuit. 10.

1. Reg. 4.

1. Reg. 6.

Danielis 5. Ioan. 2. Marci 11. 1. Cor. 11.

Blasphemiæ pœna Leuitici 24. est lapidatio. Et 4. Reg. 19. exercitus Sennacherib interitus, & regis Syriæ, 3. Reg. 20. dicentis: *Deus est montium, non vallium.* Apostolus blasphemos tradidit Satanæ, 1. Timoth. 1. Moyses Deut. 13. Pseudoprophetas, falsam doctrinam adferentes, interfici iubet: Christus veluti lupos rapaces, arcendos monet: Apostolus è medio tolli, vitari, anathema esse vult. Nam propter falsam doctrinam, cultúsque diuinitus instituti commutationem, Deus Israëlitas in captiuitatem eiecit; ob hæreses orbem terrarum concuti, euerti imperia, transferri regna, immitti bella, famem, pestem, omnisque generis miserias experientia conuincit.

Blasphemiæ pœna.

Galat. 1.

Hæresis pœna.

Propter tentationem verò Dei, prostrata in deserto sunt Israëlita-

Tentationis Dei punitio.

rum multa millia, Numero 14. & 21. vbi à serpentibus icti perierunt: quorum exemplo à Dei tentatione omnes fideles dehortantur Dauid & Apostolus.

Psal 94. 1. Cor. 10. Hebr. 3.

Quantum autem Deus voti violatione offendatur, initio nascentis vitæ monasticæ in Anania & Saphyra declarauit (Actor. 5.) quos confestim morte mulctauit.

CAP. LI.

Vtrum religionis causa peierare liceat?

Peierare causa religionis non licet.

EX dictis patet, quàm olim Ebionitæ, Priscillianistæ, & nunc Caluinistæ (Bolseco teste) senserint, religionis causa peierandum; vtentes hoc stimulo: *Fura, periura, secretum prodere noli.* Quibus nihilo sanctiores censendi sunt,

Fides data conseruanda.

qui fidem hosti (quantumuis hæretico) datam, & iureiurando confirmatam, impune violari posse tradunt, cùm nihil Rempublicam validiùs fide, constantiáque veritatis contineat. Ob quam causam Iosue Raab meretrici, & Gabaonitis fidem seruauit: & Dauid Semei, homini seditioso & maledico: sentientes ac scientes, Principis etiam simplex verbum aut promissum constanter adimplendum, nec spem in mendacio vnquam reponendam esse.

Iosue 2. & 9.

Isaiæ 28. Ierem. 7.

Quare admodum impiè Libertini post Machiauellum docent, fidem quantumlibet iureiurando firmatam, quando ex vsu Principis erit, violari posse: quomodo sensit etiam Cicero lib. 3. offic. *Si prædonibus paſtum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est, ne si iuratus quidem id non feceris.* Aliud enim Dei reuerentia postulat, cuius nomen nullo casu polluere fas est, vt quinque libris Ioannes Molanus (mihi pridem amicissimus) luculenter ostendit: in quorũ quinto tradit, victos Tyranno victori posse iurare subiectionem, & in omnibus rebus & mandatis honestis ac licitis obedientiam.

Bernardus Epist. 38.

Principi fidē violare non licet.

Ioannes Molanus.

Victi quid tyranno iurare queant.

Sunt autem honesta & licita, quæ nullam inuoluunt cooperationem in malo, qualia si exigantur, cum Apostolis dicendum erit: *Oportet magis Deo, quàm hominibus obedire.* Act. 4.

CAP. LII.

De vsu Iuramenti.

Iuramenti vsus.

VSum iuramenti Apostolus ad Hebr. 6. indicat, dicens: *Omnis controuersiæ eorum finis, ad confirmationem est iuramentum*: id est, iuramento lites, conflictationésque hominum finiuntur, & veritas alioqui ambigua & incerta, resque seriæ ac vtiles confirmantur, sine quibus hominum conuictus subsistere nequit. Ad Reipublicæ siquidem conseruationem, necessarium est iuramentum in iudicijs, item ad inquisitionem veritatis, ad fœdera stabilienda, ad controuersias omnes terminandas: ad obligandum Principem populo, & vicissim ad subijciendum magistratibus subditos, ad omnes denique res necessarias confirmandum. Est enim Iusiurandum humanæ imbecillitatis remedium, iurantis inconstantiam excludens, ac veluti instrumentum, quo id quod asseritur, probatur; vel quod promittitur, firmatur. Cùm enim hominis voluntas imbecillis sit ac lubrica, contra fidei lapsum, aut morum naufragium, sapientissimè iuramenti vinculo, tanquam nauis

Iuramentum est humanæ inconstantiæ remedium.

Vincula animorum.

anchorâ firmatur. Vt enim corporum, sic & animorum vincula sunt, quæ in eo ab illis differunt, quòd corporibus etiam inuitis extrinsecus injici queant, atque similiter vi externa disrumpi; animis verò non nisi spontaneâ obligatione. At cùm semel animus sibi vinculum iniecerit, nulla purè humana potestate dissolui potest. Liberum enim vnicuique est, se iureiurando obligare; sed posteaquam iuraueris, iam necessitatis est id, quod iurasti, reipsa præstare. Felix autem necessitas, quæ ad meliora compellit. Quemadmodum enim vites, teneraque arbores stipitibus validioribus, quibus sustententur, alligamus: ita homines suæ naturæ inconstantiam agnoscentes, saluberrimo consilio debilem, ac huc illuc mobilem voluntatem obstringunt vinculo, ne postea casu vel perturbatione à proposito reflectatur: quod non formidinis, sed fortitudinis est; nec remissæ, sed promptæ voluntatis, sic velle, vt simul prouideas, quò semper velit, nec fas sit aliquando non velle. Vnde in grauioribus negotijs huius vinculi nexus ferè adhiberi consueuit: vt dum milites colliguntur, magistratus creantur, matrimonia vel fœdera contrahuntur, vendendo item ac emendo. *Iurani, & statui* (ait regius vates) *custodire iustificationes tuas.* Et Sapiens: *Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum. Subyce humerum tuum, & porta illam, & ne accideris in vinculis eius.* Cuius consilium sequutus Pius IV. Pontifex, Apostolica authoritate decreuit, vt in generalium studiorum Academijs, tam Doctores, quàm Scholares, se in Catholica fide, doctrina, & religione permansuros iurarent. Quod Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 12. Reform. comprobat, statuens, vt omnes Cathedralium Ecclesiarum Canonici, & beneficia curam animarum habentia possidentes, simile iuramentum præstent. Quali se Imperator quoque in sua inauguratione, aliique Christiani Reges & Principes deuincire solent: vt de Hispaniæ Regibus patet ex VI. Synodo Toletana capit. 3. de Imperialibus præfectis Nouella Constit. 80.

Vinculum iuramenti vile.

Psal. 118.

Eccles. 6.

Iuramentum fidei hominem confirmat.

Iuramenta principum, & subditorum.

Quod porrò huiusmodi iuramenta *De religione verâ cõseruanda* Deo placeant, exemplo Iosaphat euincitur 2. Paralipom. 34. & Nehemiæ apud Esdam lib. 2. c. 10.

Vidi Ioan. Molanum de Iuramẽto tyranni lib. 5.

CAP. LIII.

De tertio Decalogi præcepto.

Memento, vt diem Sabbati sanctifices.

Serui Dominis fidelitatem debent.

DOminis tria à seruis debentur: I. fidelitas, vt nullũ alium præter suum verum Dominum agnoscant, neque cum hostibus eius societatem ineant: quæ primo præcepto à Deo exiguntur. II. Serui Dominis suis honorem ac reuerentiam re atque verbis debent, quod secundum præceptum continet, vt ore ac verbis nomen Dei sanctificemus. III. Serui Dominis famulatum, obsequium, externis operis cultum debent, quæ tertio isto præcepto iubentur, vt Deo plenam seruitutem animo, ore ac opere, priuatim & publicè exhibeamus. Quia verò humanarum rerum occupatione detenti, non facilè ista præstare solent; certum tempus, quo hæc commodè fieri queant, deputatur hoc tertio præcepto, cuius obseruatio literalis, quoad diem

Secundo, Honorem & reuerentiam.

Tertio, Famulatum, seu obsequium.

Sabbati, ad Mosaicas ceremonias pertinuit, quæ Christi morte antiquatæ Christianos non obligant. E quidem Apostolus vetat *obseruare dies, & menses & tempora, & annos.* Sed cultus Dei, & religio exhiberi iussa hoc præcepto, ad ius naturæ moréque spectat. Cuius rei argumentum est, quod apud omnes nationes, statas quasdam ferias publicas, sacris diuinisque rebus obeundis consecratas fuisse reperiamus. Est enim hominu naturale, singulis functionibus necessarijs, tam corporis quàm animi, certum aliquod tempus deputare: veluti cibo, somno, quieti, aliisque corporis necessitatibus certa tempora assignantur. Itaque quoque menti hominis aliquid temporis concedendum est, quo se in Dei, rerúmque diuinarum contemplatione reficiat & exerceat. Itaque ad mores pertinet, vt aliqua temporis portio diuinis obsequijs dicetur.

Galat. 4. Coloss. 2.

Festorum dierum institutio.

Morale præceptum est, aliquod tempus Dei obsequio dicare.

Ne verò esset in Ecclesia confusio, si delectus temporis vnicuique liber esset, placuit Spiritui Sancto per Apostolos ex septem diebus primum eligere, quem ad Dei cultum consecrarunt, atque *Dominicum* appellarunt. Cuius mentio fit Apocalyp. 1. 1. Corinth. 16. *Per vnam Sabbati* (id est, die Dominica, interprete Chrysost.) *collectam fieri* iubet Apost. vt intelligamus, iam tunc in Ecclesia diem Dominicum, sanctum fuisse habitum.

Dominica dies.

Chrys. homil. 42. in 2. ad Cor.

Cur autem dies Sabbati Iudæis, Christianis verò Dominicus, sacer sit; & quidnam eo die, aliisque festis diebus agere, vel non liceat; deinceps ordine prosequemur.

CAP. LIV.

De Sabbati voce.

Sabbati vox quietē signat.

SAbbatum Latinè *quies* aut *cessatio* dicitur, à qua significatione dies septimus, in quo Deus à nouarum rerum speciebus creandis requieuit, Sabbati nomen accepit, & ob eius dignitatem, ipsa etiam hebdomada eo nomine vocata est. Iuxta illud Lucæ: *Ieiuno bis in Sabbato.* Sabbatizare ergo idem est, quod *cessare, requiescere.* Et ex septem diebus vltimam hanc Deus Iudæis religiosam, diuinisq; actionibus consecratā esse voluit, vt se à Deo sanctificari, ac pietatis & religionis officijs, se eidem sanctos præbere oportere intelligerent. Vnde Scriptura: *Videte, vt Sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me et vos in generationibus vestris, vt sciatis, quia ego Dominus, qui sanctifico vos.* II. Vt Iudæi assiduum haberent monumentum conditæ huius admirandæ mundi machinæ. III. Vt semper recordarentur, se Dei beneficio ex grauissima Ægyptiaca seruitute liberatos, ad quietam possessionem terræ promissæ inductos fuisse. IV. In typum futuræ Christi quietis in sepulchro tota die Sabbati, quo sicut Deus antea quieuerat ab opere creationis, ita Christus eodem die quieuit ab opere redemptionis. Sexta enim die Spiritum emissurus dixit: *Consummatum est.* V. Ad significandam quietem vitæ futuræ, post decursum sex mundi ætatum. Septenario enim numero cursus volubilium temporum, ex reuolutione septem dierum constantium, adumbratur: de quo Sabbato loquens Apostolus (Hebr. 4.) *Festinemus*, ait, *ingredi in illam requiem.* VI. Iudæis

Cur Deus septimam diē Iudæis sanctam esse voluerit.

Exodi 20.

Exodi 21. Ezech. 20.

Ad Heb. 4.

Aug. in explicat. tituli Psalm. 5. Cyril lib. 4. in Ioan. c. 31.

dæis Sabbati obseruatio imposita est, in signum perpetui Sabbati spiritualis, quo à peccatis abstinere
1. Cor. 5. monerentur, & feriari *in azymis sinceritatis & veritatis*, ac in sancta conscientiæ quiete in Deo requiescere, in actionibus pietati conuenientibus studiosè se exercendo, nec operibus infructuosis tenebrarum
Ephes. 5. communicando. VII. Ad commen-
Aug. tract. 30. in Ioan. dationem operum misericordiæ in proximos, quos assiduis laboribus ex auaritia vel Dominorum crudelitate Deus affligi noluit, sed alterna requie perfrui constituit.

Postremo septima dies religioni delecta fuit, vt Iudæi ex operibus sex dierum incitarentur ad laudem Creatoris, simul & ad orandum, gratias agendum; beneficia Dei commemoranda, ad Scripturas sacras audiendum, legendum, ac vt exemplo creatoris, qui septimo die ab opere creationis rerum cessauerat, ipsi quoque ab omni opere seruili abstinerent, remotáque corporis fatigatione, animo à rerum temporalium curis abducto, in officijs ad animæ salutem pertinentibus liberiùs versarentur, omnéque
Ephes. 5. otium consumerent, *non communicantes operibus infructuosis tenebrarum.*

Aug. tract. 30. in Ioan. Porro solius Sabbati mentio fit in Decalogo, quia præstantissimum antiquissimúmque apud Iudæos Festum extitit, institutum in memoriam primi communissimique be-
Philo in libro de opificio mundi. neficij Creationis mundi. Nam (vt scribit Philo) *sicuti reges diem natalem filiorum suorum coli iubent: ita Deus natalem operis sui, mundi, peculiari festo assiduè recoli voluit, ad excludendum errorem Philosophorum, omniúmq; infidelium, qui dicturi erant, Mundum non habuisse principium.*

Varia festa apud Iudæos, ad recolēda Dei beneficia.

Rom. 14. Galat. 4. Colos. 2.

Præter diem septimum, alios sacros dies lege diuina constitutos, populus Iudaicus habuit, in quibus maxima Dei beneficia recolerent, (vt festum Paschæ, Tabernaculorum, Consecrationis templi, & alia:) sed quia vniuersa Testamenti Veteris festa cum Sabbato, tanquam vmbræ futurorum, Christi Euangelio cesserunt, vt nunc Christianis illa festa celebrare nefas sit; ideo ad noui Testamenti festa transibimus, & cur Apostoli non septimum, sed primum diem cultui diuino consecrarint, exponemus.

CAP. LV.

De Dominicâ Die.

Apostoli diem Dominicā obseruari constituerunt.

CElebritatem Sabbati in Dominicam diem Apostoli transtulerunt, quia primus dies significatione rerum cùm præteritarum, tum futurarum Sabbato longè præcellat. Prima enim die, mundi creatio principium habuit; Christus natus fuit, resurrexit; & Spiritus Sanctus visibiliter aduenies Ecclesiam quodammodo genuit. Vnde
Iustinus Apolog. 2. prima dies nobis mundi ortum, Christi Natiuitatem, Resurrectionem, ac Ecclesiæ propagationem
Leo Epist. 81. repræsentat, & fidelibus spem resurgendi cum Christo præbet. Vnde primum & antiquissimum est
Dei Dominicæ mysteria. Christianorum festum, Dominica dies, quæ impletis omnibus nostræ redemptionis mysterijs, in festo Pentecostes incepit, quando Euangelium palàm promulgari cœpit, & omissis Iudæorum festis, Christianæ solennitates illis substitutæ sunt: ac proinde primus festus dies occurrens, fuit Dominica dies. Nam festum Natiuitatis & Resurrectionis Christi, non nisi post complures menses celebrari potuerunt: at *primâ Sabbati conuenisse fideles ad fi an-*

gendum panem, refert Lucas Act. 20. Apostolus 1. Corinth. 16. Marci 16. *Surrexit Dominus vnâ Sabbatorum.* Apoc. 1. *Ego Ioannes fui in Spiritu in Dominicâ Die.* Clemens can. 65. Apost. eiusdem diei meminit, item Ignatius, Iustinus, Tertullianus, & posteriores.

Quadruplex ritus diei Dominica.

Quadruplex autem ritus solet antiquitus obseruari in die Dominica. I. Fideles conueniebant in Ecclesia ad lectionem, concionem, sacrificium, communionem, orationem, & ad cætera officia diuina, teste Iustino Apologia secunda. II. Vacabant à seruilibus operibus, & eleemosynas in pauperum vsum colligebant, teste Hieronymo & Gregorio. III. Non ieiunabant in die illa, quæ *gaudij & lætitiæ est*, vt patet ex Tertulliano lib. *de corona militis.* IV. In die Dominica non flectebant genu, sed stantes precabantur: ibidem Tertullianus, Hilarius præfatione in Psalmos, Augustinus Epist. 119. Alexander III. c. *Quoniam extra de feriis.*

Ieron. ad Fustochiũ de Virginit. Greg li. 11. Epist. 3.

De Pascha.

De festo Paschæ.

VOx *Pascha*, primaria significatione *Transitionem* denotat, vt ex cap. 12. Exodi constat: *Transibo* (ait Dominus) *per terram Ægypti nocte illâ.* Traducitur autem ad significandum Agnum Paschalem, qui per immolationem transibat à vita ad mortem. Lucæ 22. *Necesse erat occidi Pascha.* 1. Corinth. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Imò etiam extenditur ad significandum transitum populi, qui liberatus à seruitute Pharaonis, transiuit mare rubrum, proficiscens in terram promissionis: Nazianzenus oratione 2. De Pascha, August. tract. 55. in Ioan. Quæ quatuor nunc apud Christianos reipsa existunt. Agnus enim immolatus, saluans suo aspersos sanguine, Christus est, pro nobis oblatus. Transitus per mare rubrum, est Baptismus catechumenorum, in quo liberantur à seruitute diaboli & peccatorum: ideo in Paschate fontes benedicuntur, & catechumeni solenniter baptizantur. Denique festum Paschæ celebramus, in gratam Resurrectionis Christi memoriam, quæ in Paschate Iudæorum adumbrata fuerat. Non itaque Iudæorum festum, sed quod illo in nouo Testamento fore prænunciabatur, obseruamus, vt contra Aërium Epiphanius ostendit.

Iosephus lib. 2. Antiquit. c. 15. Ieron. in c. 26 Matth.

Epiphan. hæresi 75.

De tempore autem festi Paschæ, quo die celebrandum esset, maxima olim controuersia extitit. Multi enim Asiæ minoris Episcopi censebant, Pascha obseruari debere à Christianis ritu Iudaico, videlicet XIV. Luna primi mensis, siue Dominica dies esset, siue non. A quibus exorta est hæresis *Quartodecimanorum*, de quibus Eusebius lib. 5. hist. cap. 24. & 25. Epiphan. hæresi 50. August. hæresi 29. Theodoretus, Damascenus *de hæresibus*. Contra quos in Concilio Niceno I. definitum est, Pascha celebrandum esse à Christianis Dominicâ die proxima Lunæ XIV. post æquinoctium vernale, iuxta traditionem B. Petri Romanis factam, vt scribit Beda lib. 3. Histor. Anglicanæ capit. 25. Nonnulli verò senserunt, Pascha semper celebrari debere 25. Martij, sicut festum Natiuitatis Christi 25. Decemb. sed refellit eum errorem D. August. dicens, festum Natiuitatis Christi solùm obseruari ob memoriam ortus Christi: at Pascha celebrari etiam propter Sacramentum, ideo non semper eodem die posse celebrari, cùm Dominica dies proxima XIV. Lunæ post æquinoctium

Pascha quando celebrandum.

Tertullian. lib. de præscript. refert Blastum idem sensisse.

Bellarm. li. 3. de cultu Sanct. c. 12.

Aust. Epist. 119.

vernale non semper eodem certo aliquo die recurrat. Nouatiani, teste Socrate (lib. 5. cap. 20.) voluerunt vnicuique liberum esse, Pascha celebrare, quando vellet: sed Concilium Nicenum aliud decreuit; cuius constitutionem Concilium Antiochenum cap. 1. comprobauit, & Deus ipse miraculo confirmauit, replendo per se aquâ fontem ipsa nocte Paschatis, qua catechumeni baptizandi erant, vt refert Paschasinus apud Leonem Epist. 63. & Sigebertus in Chronico Anni D. LXIII.

Can. Apost. 8.

De Pentecoste, Natiuitate Domini, Ascensione, &c.

Pentecoste.

FEstum Pentecostes ab Apostolis institutum est, in memoriam aduentus visibilis Spiritus Sancti in Apostolos & primos fideles, quando Lex noua data fuit, *non in charta, nec in lapide; non atramento scripta, sed Spiritu Dei viui, in cordibus fidelium diffusa charitate.* Huius festi meminit Lucas, Act. 20. Apostolus 1. Cor. 16. vbi de Christianorum festo agi docet Epiphanius, hæresi 75. August. Epist. 118. & de hoc eodem festo plurimi veterum conscriptos sermones reliquerunt.

2. Cor. 3. Rom. 5.

Natiuitatis Christi festum.

Festum Natiuitatis esse vetustissimum, ex Clemente liquet, lib. 5. cap. 13. & ex veteribus, qui sermones *de Natiuitate* scriptos posteris dedere. Ambrosius, Nazianzenus, Augustinus, Leo, Maximus, & alij.

Ascensionis festum.

Festum Ascensionis ab Apostolis quoque institutum fuisse, tradit Clemens lib. 5. cap. 20. Aug. Epist. 118. De hoc festo extant sermones Nysseni, Leonis, & aliorum.

Epiphaniæ festum.

Festi Epiphaniæ meminit Chrysost. de S. Philogonio, Nazianzenus oratione *in sancta lumina*, Augustinus, Leo, Maximus, & alij.

Circumcisionis festū.

Festi Circumcisionis Domini meminit Bernard. & Iuo Carnotensis.

Dominica in Albis.

Dominicæ in Albis meminit Clemens lib. 5. cap. 20. August. lib. 22. *de Ciuit.* cap. 8. & serm. 1. *de octaua Paschæ.*

Trinitatis festum.

Festum sanctæ Trinitatis in octaua Pentecostes institutum est, vt Deo speciales gratiæ pro Trinitatis mysterio, Orbi terrarum Apostolorum ministerio patefacto, agerentur. Recentius est hoc festum: siquidem tempore Alexandri III. nondum Romæ celebrari consueuisse, patet ex cap. *Quoniam de feriis*; & ex Micrologo lib. *de obseruationibus Ecclesiasticis* c. 60. vbi admonet, præfationem de Trinitate omnibus Dominicis diebus cantatam fuisse.

Corporis Christi festum.

Festum Corporis Christi ab Vrbano IV. institutum est, circa annum Domini M. C C. ad recolendam institutionis tanti Sacramenti memoriam, & ad confirmandam fidem corporalis præsentiæ Christi in Sacramento, contra Berengarianos.

Transfigurationis festum.

Festum Transfigurationis Christi, tempore Leonis fuisse celebratum, ex sermone ipsius constat.

Præterea instituit Ecclesia celebres septem Dominicas, quibus in memoriam reuocaret spiritualem humani generis captiuitatem: quarum septem Dominicarum I. vocatur *Septuagesima*, II. *Sexagesima*, III. *Quinquagesima*, IV. *Quadragesima*: aliæ verò, Dominica. I. II. III. & IV. Quadragesimæ; quibus succedit Dominica Passionis, cuius apud veteres mentio frequens est. Vide Rupertum *de diuinis officijs*, & Guilielmum Durandum in *Rationali diuinorum officiorum.*

CAP. LVI.

De Festis Sanctorum.

Sanctorum festa.

AD recolendum Dei erga sanctos beneficia, rectè Deo festum diem in Sancti memoriam consecramus: quo facto non latriæ, sed duliæ cultum sanctis deferimus. De illorum enim victorijs, & beata consummatione, Dei potentiam & bonitatem laudamus, ac illos debito honore prosequimur, tanquam Principes cælestes, Deique amicos, qui Ecclesiæ militanti virtutum exempla reliquerunt, ad quorum imitationem populus fidelis incitatur: & quia iam de sua salute securi, de nostra sunt adhuc solliciti, (cum plurimùm posse credendum sit apud Deum) ipsorum patrimonia iustè imploramus.

Aug. li. 10. de ciu. c. 4.

Noua festa instituere licet.

Quod autem Ecclesiæ fas sit, noua quædam festa instituere, ad commemoranda peculiaria Dei beneficia; ex institutione variorum festorum à Iudæis ob noua quædam Dei beneficia memoranda, euincitur. Nam festum *Dedicationis Templi*, decretum fuisse legimus lib. 2. Paralip. cap. 6. & 7. & festũ *Renouationis templi* à Machabæis institutum, Christus ipse obseruauit Ioannis 10. Festum sortium apud Hester c. 9. Festum ob victoriam Iudith, c. 16.

Esdræ lib. 1. c. 3.
Lib. 3. c. 9.
1. Machab. 4.

Festa Martyrum.

Quod verò festa Apostolorum & Martyrum, primo Ecclesiæ Christianæ seculo apud fideles in vsu fuerint, ex Clemente patet lib. 8. *Constit.* c. 39. Eusebio libr. 5. hist. c. 15. Origene, Homilia 3. in diuersos Euangelij locos. Tertullian. lib. *de corona militis*; Cypriano lib. 2. Epist. 6. lib. 4. Epist. 5. Hieron. *contra Vigilantium.*

Bellarm. li. 3. de cultu sanct. c. 16. Clemens li. 5. c. 16. Tertul li. 2. ad vxorem.

Vigiliarum in honorem Sanctorum, mentionem faciunt Clemens, Tertullianus, Eusebius, Basilius, Hieronymus & alij.

Eusеb. lib. 6. c. 7. Basilius in Psal. 114. Ieron. cont. Vigil.

Festi Assumptionis B. Mariæ, meminit Gregorius in *Antiphonario.*

Festi Annunciationis B. Mariæ, Athanasius in oratione *de Deipara.* De festo Purificationis extant orationes Nysseni, Chryso. Cyrilli.

Festa B. Mariæ.

Festum Natiuitatis B. Mariæ agnoscit Gregor. in *Antiphonario.* Conceptionis festum incepit D. Bernardi tempore, vt ex Epist. 174. liquet: nec passim receptum fuit ante *Extrauagant.* Sixti IV. *Cum præcelsa, de reliquijs & veneratione Sanctorum.* Celebratur autem festum Conceptionis matris Dei futuræ, 8. Decembris, siue in peccato concepta fuerit, siue non; cùm vtrúmque liceat tenere, iuxta Bullam Pij V. qui excommunicat eos, qui alterutram partem, vt hæreticam, insectantur.

Paulus Diaconus libr. 16. *rerum Romanarum*, & Nicephorus libr. 17. capit. 31. referunt, Imperatores legibus etiam ciuilibus dies festos ab Ecclesia sancitos confirmasse, adiuuisse, ornasse. Eorum autem Sanctorum memoriam Christiani potissimùm recolunt, qui Christi aduentum & doctrinã mundo annuntiauerunt. Hinc B. Mariam, in cuius vtero Incarnationis mysterium perfectum est, crebrò libentérq; honoramus. Et quoniam Ioannes Baptista Christi aduentum ex matris vtero, & postea palàm testatus est, diem eius natalem celebramus. Apostolorum verò festa, per quos veluti Christi legatos, de infidelitatis tenebris eruti, in fidei lumen peruenimus, nunquam satis dignè celebrare possumus. Inter quos tamen Petrum & Paulum, qui ad Occidentales populos missi sunt, & sanguinem cum doctrina

Imperatores confirmarũt dies festos ab Ecclesia institutos.

Eorũ potissimùm Sãctorũ festa colimus, qui Christi fidem annunciarunt.

Petri & Pauli festũ.

Romanis tradiderunt, speciali honore prosequimur; eorum non solùm diem natalem, sed etiam singulares prærogatiuas recolentes: vtpote Pauli *Conuersionem miraculosam*. Petri in cathedra primarum & summum Pontificatum, ac à vinculis liberationem.

Martyrum festa.

Inter Martyres autem præcipuè lætitia solenni celebrantur Stephanus & Laurentius, qui priùs misericordiæ operibus insignes, Christi fidem passione fortissima & charitatis plena illustrarunt.

Innocentium festũ.

Innocentes quoque pro Christo necatos commendat Ecclesia, vt omnis ætas salutis & martyrij capax esse agnoscatur.

Confessorum festũ.

Inter Confessores autem Nicolaus & Martinus, qui in Ecclesia Orientali eleemosynis & continentia excellentes pastores floruerunt, à populo Christiano potissimùm celebrantur.

S. Magdalenæ festũ.

Denique Magdalena, fidei ardore atque pœnitentia laudabilis, & Catharina zelo, virginitate ac martyrio admiranda, festi solennitate commendantur.

S. Catharinæ.

S. Michaëlis.

S. quoque Michaëlis, omniúmque Angelorum memoriam colimus, vt Deo gratias agamus, quòd illos nobis reconciliarit, nostræque salutis adiutores constituerit, qui nos aduersus dæmonum insidias protegant, Deo nostras preces offerant, bona suggerant, animásque hinc emigrantes in sinum Abrahæ deducant.

Omnium Sanctorum festum.

Quia verò innumerabilis Sanctorum est multitudo, quorum singulorum merita certo aliquo peculiari die recolere non possumus; Ecclesia vnum diem omnibus dicauit, quo pro collatis omnibus eis muneribus Deo gratias ageret, eorum patrocinia imploraret, ac ad eorum imitationem populos excitaret.

CAP. LVII.

Quæ festa obseruari debeant?

CVm omnia Christianorum festa iure humano introducta sint, & Concilium Tridentinum declarauerit, festos dies, quos in sua diœcesi Episcopus obseruari præceperit, ab omnibus subditis, quin & à religiosis, quantumuis exemptis, seruari debere, consequitur, in singulis locis illa festa celebranda esse, quæ constitutio synodalis vsu recepta, vel consuetudo legitimè præscripta, ibidem obseruari iusserit. Et quidem eo modo seruari dies festi debent, quem vsus receperit. Vnde cùm à media nocte, vsque ad sequentem mediam noctem opera seruilia exerceri vetantur, & subinde vsque ad meridiem, aut vsque ad tempus, quo Missarum solennia peracta sunt, cuiusque loci consuetudo seruanda est. Quoad officium verò diuinum, à primis vesperis vsque ad secundas, ius commune festum terminat. Eius porrò loci festa quis celebrare tenetur, vbi degit: quod & in ieiuniis aliisve abstinentiis retinendum est.

Sess. 25. cap. 12.

Festa vsu recepta celebranda sunt.

Cap. 1. de feriis.

Semper equidem Dei beneficia recolere foret æquissimum, sed cùm ea res non huius vitæ, sed futuræ sit, in qua Deum absque vllo fastidio semper laudabimus: ideo Ecclesia Deum imitata (qui non perpetuam animi tranquillitatem, nec ab omnibus operibus seruilibus cõtinuam vacationem exegit, sed certis tantùm diebus à se institutis) dies quosdam selegit, quibus homines beneficia Dei tranquillis animis recolerent, gratias agerent, hymnis, precationibus, sacræ doctrinæ, sacrificiis, eleemosynis, & aliis exercitiis,

Festa quomodo celebranda.

quæ Fidem, Spem & Charitatem excitant, piè vacarent.

Præcipui articuli fidei populo in festorum celebratione proponuntur.

Conuenientissimum autem fuit, ordine aliquo præcipua fidei mysteria populo per annum proponi, quod factum est anno toto per certa festa distributo, quibus fideles conuenirent, erudirentur in dogmatibus fidei, omnibus curis reiectis, meditationi rerum cælestium insisterent. Inter quos festos dies celeberrimi habentur, qui ob redemptionis nostræ mysteria religioni consecrati sunt.

CAP. LVIII.

Diebus festis quid agendum? quid vitandum?

Quæ ad sanctificationem dies festi requirantur.

SAnctificare diem festum iubemur, hoc est, sanctis operibus transigere, nullis indignis operibus prophanare. Quæ autem censeri debeant sancta opera, tradit Concilium Agathense, præcipiens, vt integrum Missæ officium reuerenter audiatur, ita, vt ante nouissimam sacerdotis benedictionem egredi quis non præsumat. Item ad diei sanctificationem pertinet, diuinis laudibus, solennibus precibus, religiosisque aliis officiis interesse, sacramentis ad animæ curationem institutis vti; templum frequentare, ibi salutis monita haurire, confiteri, sacram communionem accipere, eleemosynis, charitatique operibus vacare, immaculatúmque à peccatis se conseruare.

Exodi 31. Leuit 23.

Opus seruile prohibetur in die festo.

Prohibetur autem hoc præcepto, ne aliquod opus seruile die festo peragatur. *Opus* verò *seruile* dicitur, quod propriè seruienti conuenit, ac victum quærendo, præsentique tantùm vitæ seruit: vt sunt opera mechanicarum artium, agricolarum, colere, serere, ac similia. Mysticè autem omne peccatum, quod hominem diaboli ac pœnæ seruum constituit, prohibetur. Anagogicè verò, vt ad quietem futuræ vitæ anhelemus, iubetur.

Opera religiosa in die festo licita.

Ex dictis colligitur, plura operum genera diebus festis esse licita. I. illa, quibus Deo seruimus: qualia sunt, pulsare campanas, ornare templa, portare Crucem, Reliquias, Imagines, & quæcunque suapte natura, in Dei honorem immediatè tendunt, aut præambula sunt, nec ante diem festum cõmodè fieri possunt. II. Licet exercere spiritualia: vt docere, scribere libros pro explicanda veritate. III. Licita sunt opera ad propriam, vel Reipublicæ salutem necessaria: vt bellare, ac inuadentes repellere. IV. Quæ ad proximi corporalem salutem necessaria sunt: vt parare medicinam. V. Quæ ad euitandum imminens damnum necessaria sunt: vt extrahere bouem ex puteo, vehere messem in horreum, si verisimile periculum subsit iacturæ, nisi recondantur, propter pluuias, aut iustas alias causas. VI. Quæ ad parandos quotidie cibos exiguntur, nec priùs commodè fieri queunt. Nam si absque incommodo præmitti festo possint, illicita sunt: vt coquere ceruisiam, aut panem pinsere, boues & porcos mactare, & alia huiusmodi. VII. Opera licet exercere, quæ propter quandam necessitatem publicam Ecclesiæ consuetudine permittuntur: vt nautis piscari haseca certo anni tempore, nunciis proficisci, agasonibus & aurigis merces de prouincia vna in aliam vehere. Item, fabris ferrariis equos iter agentium calceare: macellariis & tabernariis cibum & potum hospitibus necessarium vendere. Po-

Nauarrus in Enchir. c. 13. nu. 12.

Opera spiritualia.

Opera Reip. necessaria. 1. Machab. 4.

Opera sanitati necessaria.

Ad euitandum præsens periculum & damnum.

Vitæ necessaria.

Opera necessitati publicæ seruientia.

Instante graui necessitate.

strem̃o, propter instantem aliquam grauem necessitatem, omnia in vniuersum opera seruilia die festo exercere absque peccato licet: putà, si hostis obsidionem paret, fas erit ciuibus mœnia reparare, terram ferre, ligna cædere, omne armorum genus præparare. Quæ autem alio tempore commodiùs fieri possunt, vt sternere plateas, reficere pontes, fontes, puteos, & huiusmodi, non licet pietatis velo die festo exercere. Sed gratis, in pauperum fauorem atque subsidium ligna subuehere post auditam Missam, laudabili more apud fideles receptum videmus. At quòd opulenti à subditis, vel aliis idipsum exigant festo die fieri, improbandum est, cùm non affectu misericordiæ, sed auaritiæ, cum aliorum grauamine, tales sibi consulant.

Gratis in pauperum fauorem ligna ferre.

Opulentis nõ licet die festo gratuitas vecturas lignorum exigere à colonis.

Cap. 1. de feriis. Prohibitæ festo die, Nundinæ. Iudicia.

Sunt insuper opera quinque generum non seruilia, quæ festis diebus fieri prohibẽtur: videlicet Nundinæ; Iudicium ciuile aut criminale: Iuramenti præstatio, nisi pro pace, grauique necessitate instante: Causarum prosecutio in iudicio, nisi necessitas aliud exposcat: processuum insuper quæstus causa discussio. Vnde consequi videtur, non licere in die festo consultationes laboriosas aduocatis conscribere, nisi gratis in fauorem pauperum. Violant enim tertium præceptum, quicunque ex prædictis operibus Iure diuino, vel Ecclesiastico vetitis, aliquod festo die exercent.

Nauarrus in Enchir. c. 13. num. 5. & 14.

Diem festum prophanant.

Item diem festum prohanant, qui totum tempus insumunt in venationibus, torneamentis, lusibus, choreis, fabulis, spectaculis, conuiuijs, compotationibus, ebrietatibus, rixis & pugnis, otio ad nequitiam abutentes.

Sciendum tamen est, licitam esse honestam animi & corporis die festo recreationem. Nam Iudæos Dominus epulari & lætari in suis festiuitatibus voluit: quin & seruos & ancillas, imò & iumenta die sabbati quiescere iussit, cultores suos ad humanitatem instituens erga illos, quorum operâ & industriâ vterentur. In quo peccant Domini & Heræ, qui seruos, aut ancillas die festo à Dei cultu auocant, ita eos operibus implicantes, vt sacris officiis & concionibus interesse nequeant.

Serui & ancillæ cultui diuino vacare permittantur.

CAP. LIX.

Quæ vtilitas obseruationis festorum dierum?

Dei cultus gratos homines reddit.

DEus honorantes se honorificat: ideo quò aliquis diuino cultui ampliùs se ad dixit, eò gratior acceptiórque Deo exstitit. Vnde à sincero Dei cultu in Scriptura Abel commendatur, Enos, Henoch, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Iob, Moyses, Aaron, Eleazar, Iosue, Samuel, Dauid, Ezechias, Iosias, Tobias, Iudith, Machabæi, Simeon, Anna vidua, *quæ nõ discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens die ac nocte.* Ac denique Christus ipse in templo & Synagogis assiduè versatus fuit, veteriſque Testamenti festa sedulò coluit. Et post eius ascensionem Apostoli noui Testamenti præcipua festa Spiritus Sancti directione instituerunt, eadémque solemni veneratione obseruarunt. Quorum exemplo Christiani Imperatores, Reges, ac Principes summa cautione Deum, eiúsque festa coluerunt: & quò ampliùs Dei cultum exornarunt, non solùm Deo acceptiores, sed & in hac vita feliciores

Gen. 4. 5.

Lucæ 1.

Festi dies ab Apostolis instituti.

extitisse rerum experientia comprobat. De Constantino Magno id refert Nicephorus histor. lib. 8. cap. 3. & 4. de Theodotio seniore libr. 12. cap. 39. de Theodotio iuniore libr. 14. cap. 2. & sequentibus, vbi ardentem pietatem, maximum imperij præsidium esse ostendit, quia hostium insidiæ, exortáque bella sponte, Deo adiuuante dissoluantur. Frequenter equidem ille Imperator templa visebat, assiduis precibus Deum placare studebat: pro auertenda calamitate, impetranda serenitate, litanias cum processionibus instituebat: inter cantantes hymnos medius incedebat: si bellum commouebatur, ad Deum tanquam ad asylum (æmulatus in eo Dauidem) confugiebat; nec spe sua frustratus est. Dum enim Roilas Scytharum rex ingenti exercitu Thraciam intrasset, violento tonitru & fulmine cælitus demisso, confestim vnà cum copiis extinctus fuit. Aliàs verò contra Persarum excursiones, grandine ac imbribus propugnatus fuit.

Constantini pietas.

Pietas imperij præsidium.

Theodotij spes in Deo.

Quid verò festi diei violatio mereatur, ex c. 15. Numerorum liquet, vbi lapidari iubetur, qui Sabbato ligna collegerat. Esdræ lib. 2. cap. 13. reprehenduntur à Nehemia, conculcantes torcularia in Sabbato, portantes aceruos, onerantes asinos vino, vuis, ficubus, aut aliis mercibus, simul & vendentes ac ementes, vel importantes quælibet onera in Ierusalem: quos omnes diem Sabbati profanare dicit. *Nunquid*, ait, *non fecerunt hæc Patres nostri, & adduxit Dominus Deus noster super nos omne malum?* Vnde zelatores legis præelegisse mori potiùs, quàm diem Sabbati polluere (1. Machab. 2.) legimus.

Numer. 15.

Violator Sabbati lapidatur. Lib. 2 Esdræ cap. 3.

Vendere ac emere in die festo nefas.

1. Mach. 2.

CAP. LX.

De quarto Præcepto.

PRiora tria primæ tabulæ præcepta homines de iis, quæ Deo præstare tenentur, instruunt: verum scilicet cultum interiorem & exteriorem, corde, ore, ac opere, priuatim & publicè. Reliqua verò secundæ tabulæ mandata hominis erga proximum officium explicant, hoc est, ea, quæ charitas proximo tribuenda dictat. Inter proximos autem maximè coniuncti sunt parentes, per quos secundùm Deum sumus & viuimus: quos ideo Deus quarto præcepto honorari iubet his verbis: *Honora patrem tuum, & matrem tuã, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi*: hoc est, pietatem, reuerentiam, venerationem, obedientiam, & subuentionem exhibe parentibus, per quos in lucem editus, ingentique cura educatus es, vt huius officij merito acceptum ab eis vitæ beneficium prolongetur à Deo, cui displicet ingratitudo. Æquum enim apparet, vt acceptum vitæ beneficium amittat, qui in eos, à quibus accepit, ingratus ac impius est.

Quartum præceptum.

Secundæ tabulæ præcepta hominis erga proximum officia continent.

Parentes honorandi.

Honor est testimonium excellentiæ, vel solo corde coram Deo per humilem sui submissionem, aut signo externo coram hominibus exhibitum. Magna verò excellentia est, vnum esse alterius hominis principium, causam, originem. In eo siquidem Deo Patri altissimi datur, à quo est omnis paternitas in cælo & in terra. Vnde Sapiens: *Deus honorauit patrem in filys.* Honor autem in Scripturis nõ solũ in salutationibus & officijs deferendis, sed etiam in subuentione,

Honor est testimoniũ excellẽtiæ.

Eccles. 3.

Honor subuentionem includit.

subuentione, ac munerum oblatione intelligitur, iuxta illud Numerorum 22. *Paratus sum honorare te.* Tobiæ 1. *Cùm ex his, quibus honoratus fuerat à rege, habuisset decem talenta argenti.* Prouerb. 3. *Honora Dominum de tua substantia.* 1. Timoth. 5. *Viduas honora: & qui bene præsunt præsbyteri, duplici honore digni habeantur.*

Honoris itaque vocabulo amor, obseruantia, cultus, reuerētia comprehenduntur, quæ assurgendo, venerando, inclinando, caput aperiendo, manificè sentiendo & loquēdo, munera exhibendo, pro parentibus orando, ac sedulò, ne verbo aut opere offendātur, cauendo, præstantur.

Honor obedientiam continet.

Et insuper Honoris voce continetur obedientia in eis, quæ ad mores, & vtilitatem rei familiaris pertinēt: auxilium quoque consolationis, ac supportatio senij, morositatis, & defectus aliquando iudicij vel sensuum. Aptissimè verò in hoc præcepto vox *Honoris* posita est, non amoris aut metus, quia eum, quem ex animo honoramus, etiam amamus & veremur: non autem qui amat, continuò obseruat & veneratur; nec qui metuit, semper diligit. *Patris* nomine, parens qui nos genuit; *Matris* autem illa, quæ nos in lucem edidit, significantur. Hos à liberis percuti aut lædi, sub pœna mortis vetat Deus. Et de his primū hoc præceptum loqui, docet Christus Matth. 15. Marci 7. & Apostolus Ephes. 6. Colos. 3. Deinde parentum nomine cōtinentur cognati, patria, amici, pastores, Episcopi, ac vniuersi, quorum ministerio & cura in Christo regeneramur, & ad beatam vitam dirigimur: Item, Magistratus, Reges ac Principes, quorum sollicitudine conseruamur in vita & quiete. Item grandæui & senes, Heri, Magistri, Pædagogi, tutores, curatores, Domini, fautores ac Mæcenates, & quotquot potestatis, vel dignitatis, aut vtilitatis, siue præstantis alicuius officij causa parentum loco colere iubemur. Inter quos principem locum obtinent, qui mores & ingenium excolunt: quibus debetur amor, obedientia, honor, corde, verbo & opere, vt Ethnici quoque agnouerunt scribendo, parentibus & magistris à filiis & discipulis paria non posse reddi. Quod significat etiam Apostolus ad Heb. 12. colligens ex reuerentia parentibus carnis debita, multò magis obtemperandum patri spirituum: id est, salutarem doctrinam tradenti.

4. Reg. 5. Naaman à seruis Pater vocatur: Helias & Elizæus à filiis Prophetarum 4. Reg. 2. & 13.

Cur verò parenti carnis honor debeatur, explicat Sapiens Ecclesiastici 7. *Memento, quòd nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis;* qui scilicet tibi corpus, educationem, fortunæ bona, per anxietates, labores ac pericula dedere. Vnde Tobias filio dixit: *Memor esse debes, quæ & quanta pericula* (matet) *passa sit propter te in vtero suo.* Et Sapiens: *Gemitus matris tuæ ne obliniscaris.* Qui matrum dolores ex Scriptura noti sunt: *In dolore concipies & paries filios, &c.* & in natiuitate, ablatione, sollicita educatione satis apparent. Nec minor est patris labor & anxietas in curando, vt filij in moribus & litteris erudiantur, vel artem mechanicam addiscant, statum se dignum assequantur, parem ducant vxorem: in quibus procurandis, sæpe videmus parentes ad extremam paupertatem redigi.

Ecclesi. 3.

Ecclesi. 7.

Sollicitudo parentum pro liberis.

Exodi 21. Leuit. 20.

Parentum nomine qui contineantur?

Leuit. 19. Sapien. 4.

Exemplum obseruantis filij præbuit Ioseph, qui Regi honore ac amplitudine proximus, patrem senem, & frumentis egentem honorificè excepit: & Salomon in regio solio, matrem ad se venientem, ad dexteram suam collocauit. Obe-

Gen. 46. 47. Obseruantiæ parentum exempla. 3. Reg. 2.

Gen. 22. dientiæ verò exemplum in Isaac relucet, qui se à patre sene in sacrificium præparari admisit, seque vinciri absque contradictione passus est: & Rechabitæ ad patris iussum vino abstinuerunt. Christus denique Patri vsque ad mortem, quin & Ioseph nutritio ac Matri subditus fuit. Iacob item parentum arbitrio mores at vitam instituit, iisque non inuitis vxorem duxit: & contrà Esau animam parentum offendisse legitur.

Hieron. 55.

Gen. 24. & 28.

Gen. 26.

Sicut autem in vita parentes honorandi sunt; ita & in morte, corpora sepeliendo, exequias cohonestando, sacrificium offerri pro eis curando, legata, vltimamque ipsorum voluntatem fideliter exsequendo, ac denique tumulos & memorias eis exstruendo.

CAP. LXI.

Qui filij hoc Præceptum violent?

Violatores quarti præcepti.

HOc præceptum violant filij, qui odio parentes prosequuntur, eis detrahunt, maledicunt, graue damnum exoptant, verbo aut cogitatione malè imprecantur: qui eis obmurmurant, asperiùs obloquuntur, nec non ad iram prouocant, contristant, irritant, irrident, contumelia afficiunt, nullum, aut saltem non debitum honorem deferunt, parentum nuditatem vel defectus propalant, imitantes impium Cham. Contra quales ait Sapiens: *Ne glorieris in contumelia patris tui, &c.* Ad immanitatem verò pertinet, insidiari, persecutere, vel occidere parentes. Vnde Absolon suspendio periit: Nero sibi ipsi manus violentas intulit.

Genes. 9. Cham. Eccles. 3.

Absolon pauè persequutus est 2. Reg. 15.

Peccant denique in hoc præceptum filij, qui in eis, quæ patriæ potestatis sunt, non obtemperant; qui parentes pauperes erubescunt, & agnoscere nolunt; qui parentum bona inutiliter consumunt, aut diripiunt. Contra quos Sapiens: *Qui subtrahit aliquid à patre vel matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.* Quibus affines sunt, qui habita parentum hæreditate, ipsos egestate perire sinũt: cui malo prouidens Ecclesiasticus: *Filio, inquit, & mulieri, fratri & amico, non des potestatem super te in vita tua; & non dederis alteri possessionem tuam, ne forte pœniteat te, & deprecaris pro illis.* Delinquit quoque in parentes, qui pro eis viuis, aut mortuis non orat: item, qui à restituẽdis bonis alienis auertit; aut ex hæreditate paterna obuenientia bona, quæ scit iniustè parta, retinet: similiter, qui debita parentum legitima, aut pia legata, non persoluit.

Prouerb. 28.

Eccles. 33.

CAP. LXII.

De Officio Parentum erga filios.

Officia parentum in liberos.

QVemadmodum filij parentibus honorem, ita parentes filijs amorem & educationem debent; juxta illud Apostoli: *Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros; sed educate illos in disciplina, & correptione Domini.* Quocirca parentum est curare, ne infantes in vtero suffocentur; ne nati opprimantur, ne in ignem, vel aquam prolabantur; ne manci, gibboli, lusci, aliasue vitiosi reddantur. Qua in re peccant, qui studio fœtum conceptum enecant, vel abortum procurant, aut conceptionem impediunt, vel natos

Ephes. 6.

liberos crudeliter exponunt, aut sine iustâ necessitate aliis mulieribus ablactandos tradunt: quo fit, vt sæpe natus filius intereat, vel debilior existat, matrémque minùs amet. Quod agnorum exemplo Basilius illustrat, quorum singuli in copioso grege maternam vocem agnoscunt, ad eámque properantes, lactis proprios fontes rectà petunt, papillisque maternis contenti sunt.

Hom. 9. Hexaem.

Commendantur, qui filios ablactarunt. Sara Gen. 22. Anna Samu. 1. Reg. 1. B. Virgo. Mater septem Machabeorũ. 2. Mach 2. Greg. ad interrog. Aug. Anglo. Epist. c. 10. Gen. 20. 2. Timot. 5.

Ex incontinentiæ autem vitio exortum videtur, quòd sine iustâ necessitate liberi exteris mulieribus lactandi exponantur. *Dum enim* (ait Gregorius) *continere nolunt, despiciunt lactare, quos gignunt.* Parentum insuper est, substidia vitæ necessaria filiis prouidere, ac eis thesaurizare, 1. Corinth. 12. Quod præstant, dum eis fundos aut reditus relinquunt, opificium, honestam artem, vel disciplinam, qua vitam tueantur, edocent. Qua in re grauiter peccant, qui neglectis prolibus, sua bona dilapidant, vel extraneis conferunt, (iuxta Augustinum Epistola 199.) aut sine causa legitima filios exhæredant, vel propter secundarum nuptiarum fœdera, primi thori liberos abigunt, negligunt, & defraudant. Reipublicæ insuper noxij sunt parentes, qui liberos pauperes nulla curant arte instrui, ad conquirenda præsentis vitæ substidia, permittentes, vt assuescant otio, mendicitati, vagationi, fornicationi, aliisque vitijs: ex quibus plerúmque non solùm inutiles, sed etiam aliis graues ac pernicioli prodeunt. Vnde meritò Apostolus monet, vt patres educent filios *in disciplina, & correptione Domini.* Qui enim *docet filium suum, laudabitur in eo. Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se, defensorem domus contra inimicos.* Vnde Moyses: *docete filios vestros verba mea, vt illa meditentur, quando sederis in domo tua, & ambulaueris in via, & accubueris atque surrexeris.* Qua de re Abraham commendatur: *Scio, quòd præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iustitiam & iudicium.* Quod etiam adimpleuit Tobias, qui filium ab infantia Deum timere docuit, & abstinere ab omni malo. *Adolescens* enim *iuxta viam graditur: cum senuerit, non recedet ab ea.* Sed in filiorum educatione prudentiâ opus est, ne ad iracundiam, pusillanimitatem, aut indignationem prouocentur. Quare cauendum, ne magis ira, quàm ratione parentes in filios sæuire videantur; nec tam correctos quàm punitos velle: nec iuxta parentes maledicant, ne in vtriusque perniciem id cedat, vt Augustinus exemplo comprobat à se viso, allegans etiam illud Eccles. 3. *Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Neque decet, parentes impari affectus demonstratione, vel inæquali hæreditatis distributione, odia inter liberos suos serere, quibus multò vtilior est concordia, quàm parentum fauor. Quali fratres inuidiâ Ioseph prosecuti fuerint, quia plus à patre ceteris diligeretur, scriptura non tacuit. Quemadmodum autem pusillanimes nimia reddit austeritas: ita liberos corrumpit licentia, & major æquo indulgentia. Vnde Sapiens: *Qui parcit virgæ, odit filium suum. Curua cervicem eius in iuuentute, & tunde latera eius, dum infans est, ne fortè induretur, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.*

Filiis prouidendum. Aug. epist. 219.

Ephes. 6.

Eccles. 30.

Deut. 11.

Gen. 18.

Tob. 1.

Prou. 22.

Ephes. 6.

Aug. serm. 95. in Louani impressis.

Maledictio parentum nocet.

Gen. 37.

Prou. 23.

Eccles. 30.

Disciplinæ neglectus.

Quantopere verò displicea: Deo neglectus paternæ in filios disciplinæ, docet exemplum Heli, qui à Deo reiectus fuit cum posteritate à sacerdotio, quòd filios peccantes mansueto nimis sermone monuerit, nec competenti seueritate ipsorum peccata coërcuerit. Nec impunita Dauidis indulgentia remansit, dum incestuosum Ammon filium contristare acerbiore correptione noluit. Nec Adoniam, regnum ambientem, corripuisse dicitur, vnde in mora postea sequuta est.

1. Reg. 4.

Fulgen. ep. 1. cap. 10.

1. Reg. 13.

3. Reg. 1.

Filij ad meliora excitandi, nō cogendi. Lib. 1. confes. cap. 2. & 3.

Peccant & in filios parentes, qui eorum infirmos animos per vagas libidines proruentes, non curant honestarum cancellis nuptiarum coërceri; vt de se confitetur Augustinus, ardens epist. 199. filios esse ad meliora excitandos, non tamen cogendos, cùm vnusquisque donum suum habeat. Hinc Sapiens: *Filia tibi sunt? serua corpus illarum. Trade filiam, & grande opus feceris; & homini sensato da illam.* Væ itaque parentibus, qui filias prostituunt, ad hæreses, flagitia, Magiam, omnémque impietatem impellunt, docentes liberos furari, mentiri, decipere, obscœnè loqui, peierare, inebriari, Dei cultores persequi, vt de Athaliâ legimus.

1. Cor. 7.

Eccles. 7:

4. Reg. 11.

Præterea in liberos peccant illi parentes, qui sufficientis ad deliberandum ætatis vi aut dolo à meliore bono religionis reuocant, aut astutia, dolo, vi, minis aut metu ad matrimonium vel religionis ingressum cogunt. Quales anathemate ferit Concilium Trident. sess. 24. cap. 9. reform. Huc insuper reducuntur eorum peccata, qui vxorem & familiam verberant, malè tractant, domui & familiæ malè præsunt, sibi commissos perperam instruunt & gubernant.

CAP. LXIV.

De Officio & honore Episcopis & Presbyteris debito.

Honor Episcopis & Sacerdotibus debitus.

HOnorandi sunt non solùm, qui nos carnaliter genuerunt, sed imprimis spirituales patres, qui nos in Christo regenerarunt, & ad spem immortalis vitæ perduxerunt, iuxta illud Ecclesiastici: *Honorifica Sacerdotes, & propugnate brachiis. Sunt enim Deslegati: quos qui audit, Deum audit; qui eos spernit, Deum spernit.* Vnde aiebat Moyses: *Non contra nos, sed contra Dominum est murmur vestrum.* Et Samuelis Deus: *Non te abiecerunt, sed me.* Et Apostolus: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Item: *Pro Christo legatione fungimur.* Atque Christus: *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos.*

Eccles. 7.

Luc. 10.

Exod. 16.

1. Reg. 8.

1. Cor. 4.

2. Cor. 5.

Ioan. 20.

Quantopere autem amandi sint Ecclesiæ prælati, declarat Apostolus, dum ait: *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Et de Galatis: *Si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.* Et ad Hebræos scribens: *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim pernigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Itémque prælatos vice Dei reges ferre, quibus propter conscientiã obedire oporteat, edocet; sua mandata vocans *Dei mandata.* Nihil enim interest, vtrùm Deus per se, an per suos ministros, siue homines, siue Angelos, voluntatem suam innotescere faciat.

1. Timot. 5

1. Thess. 5.

Galat. 4.

Hebr. 13.

Præcepta Episcoporum in cõscientia obligant.

1. Cor. 14.

Sacerdotibus insuper debentur vitæ necessaria. *Dignus est enim operarius mercede sua.* Et, *qui altari de-*

Bernardus li. 1. de præcepto & dispen.

Matth. 10. 1. Cor. 9. 1. Timot. 5. *seruit, debet de altari viuere. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Nec solum bonis, sed & malis sacerdotibus ratione ministerij honor, obedientia & vitæ necessaria debentur, vt Christus exemplo suo confirmat, leproso mandans: *Vade, & monstra te Sacerdoti.* Et alibi: *Quæcunque dixerint vobis, seruate & facite.* Alapâ verò percussus nihil contumeliosè in Pontificis personam dixit: sed suam innocentiam humiliter tutatus est. Quem imitatus est Apostolus, iuxta scripturam: *Principi populi tui non maledices.* Non enim aliunde hæreses & schismata oboriri Cyprianus asserit, nisi *quia Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia Sacerdos, ad tempus iudex vice Christi cogitatur.*

Matth. 8.

Matth. 23. Ioan. 18.

Act. 23.

Schismata oriuntur, quia Christi Vicarius non agnoscitur. Cyprian. li. 2. epist. 3. Et lib. 3. epist. 9.

Quare in hoc quartum præceptum, quatenus Sacerdotes honorandos continet, impingunt, qui Sacerdotibus, Religiosis, Ecclesiasticis maledicunt, eos irrident, spernunt, detrahunt, contemnunt, infamandi occasiones captant. Contra quales disserit Augustinus epist. 137. & in Psalm. 106. vbi eos comparat existentibus in medio maris in nauicula; qui gaudent, si nauclerus in scopulos impingat, nauémque malè dirigat, non aduertentes, quantum inde periculi sibi ipsius immineat. Et lib. 50. ho. 50. eos, qui prauos mores prælatorum sequi malunt, quam bona eorum monita, viatori assimilat, qui remeandum sibi opinatur, si conspexerit in itinere tabulas lapideas, litteris plenas, viam docere, nec tamen ambulare.

In Christi ministros iniurioſi.

Prælatorũ cura grauis.

Et in Regula cap. 43. Prælatis compatiendum monet, qui quantò in superiore loco, tantò in maiore periculo versantur. *Ars* enim *artium est, regimen animarum.* Et licet Pastor vitam propriam bene dispensauerit, sibi verò commissorum diligentem curam non habuerit, cum perniciosis in gehennam ibit.

Chryso in 20. c. Ioan.

Peccant etiam in hoc præceptum, qui prælatorum legibus non esse obtemperandum sentiunt, quia fideles liberati sint à iugo legis; vt docuit Aërius teste Epiphanio; & Ioannes Huss articulo decimoquinto, in Concilio Constantiensi damnato, quem sequutus est Lutherus articulo vigesimoseptimo. Tales occidi iubet Deus cap. 17. Deuteronomij: & terra absorpsit in Aaronem insurgentes, Numerorum 16. Denique Christus non audientes Ecclesiam (hoc est, Ecclesiæ prælatos) tanquam Ethnicos & Publicanos haberi decreuit.

Inobediẽtes Ecclesiæ.

Epiphan. hæresi 75.

Aug. hæresi 53.

Num. 16.

Matth. 18.

Adhæc peccant in hoc præceptum, qui Clero decimas adimunt, fundationes defraudant, soluere recusant, temporalia vi auferunt: contra quos Martinus V. Bullam edidit, quæ habetur post 45. sess. Concilij Constantiensis: item, qui veræ doctrinæ propagationem impendiunt, de qualibus Amos cap. 2. *Prophetis mandabatis, ne prophetetis*: & Isaias cap. 30. *Dicunt videntibus; nolite videre: & aspicientibus; nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Sic Iudæi Christum, & Apostolos veritatem annuntiantes, persecuti sunt & occiderunt.

Peccant, qui Clero bona adimunt.

CAP. LXV.

De officiis, patriæ & consanguineis debitis.

Officia patriæ & parentibus debita.

IN quartum Præceptum quatenus consanguineorum & patriæ cultum continet, peccant, qui consanguineos vel conciues spernunt,

Gen. 4. 27.

famâ vel bonis spoliant & persequuntur, vt impius Cain, & Esau, Abimelech, Absolon, Ioram, Alcimus, & similes, à quibus fluxit prouerbium: *Fratrum quoque gratia rara est.* Item, qui patriam produnt, opprimunt, conciuibus inuident. *Non est enim Propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua*; vt patuit in Ioseph venditio à fratribus, in Prophetis, & capite omnium Prophetarum Christo, & Apostolis eius.

Indic. 9. 2. Reg. 13. Matei 6.

Peccant insuper, qui patriæ vastatione gaudent (vt Nero) nec conciuium damnis commouentur, (vt Alcimus) cùm econtra pij afflictiones patriæ ac conciuum defleant, mala orationibus, ieiunijs, misericordiæ operibus auertere studeant, exemplo Ieremiæ, necem Iosiæ, atque expugnationem vrbis Ierusalem; Nehemiæ, combustionem portarum; & Machabæorum, prophanationem templi, & patriarum legum contemptum lamentatium. Ad hoc præceptum referûtur etiam mutua coniugum officia, de quibus in tractatu *De Matrimonio* disseruimus, quò lectorem remittimus.

Esdræ lib. 2. c. 1. & 2. Lib. 1 Machab. ca. 2. Cap. 147. de Sacram.

Huc quoque reducuntur seruorum & dominorum officia, quibus iuxta Paulum cum timore in simplicitate cordis, tanquam Christo seruire tenentur. Quod præceptum D. Petrus non tantùm ad bonos & modestos, sed etiam ad morosos & dicolos dominos extendit. Proinde in hoc præceptum peccant serui, committentes furta, loquentes mendacia, rebelles, inobedientes, obmurmurantes, absente Domino otiantes, ad oculum seruientes, conditionem suam iniquius ferentes: qualibus proponendum est iusti, fidelis, ac pudici Ioseph exemplum, cui Dominus omnia crediderat; & patientis ac laborioſi Iacob, Danielis, atque trium puerorum, quibus nihil ad virtutem seruitus obfuit; cùm in igne, inter leones, inter barbaros insidiantes, orare Deum non desiterint.

Dominorũ & seruorum officia. Ephes. 5. 1. Petr. 2. Ad Titum 2. 1. Cor. 7. Gen. 39.

Peccant verò in famulos & ancillas Heri plagosi, crudeles, amari, quos Apostolus *id quod iustitiam & æquum est facere* iubet, *scientes, quòd communis omnium in cœlo Dominus sit.* Aliter tamen cum pigro, refractario & rebelli seruo agendum est, quàm cum industrio & voluntario, vt Sapiens tradit. Ephes. 6. Eccles. 7. & 33.

Peccant insuper Domini in seruos & ancillas, si eorum fidem, mores, conscientiam, & vitam negligant, parui ducentes, an præscriptis temporibus templa frequentent, confiteantur, communicent, Sacramenta reliqua suscipiant, Confirmationis (& si ægrotent) Extremæ vnctionis; an fornicentur, assiduè iurent; si matrimonia eis necessaria prohibent; tempore diuini officij, aut prædicationis verbi Dei sic operibus seruilibus occupant, vt animæ curam gerere nequeant. De quibus ait Apostolus: *Qui suorum & maximè domesticorum curam non habet, est infideli deterior.* Et Psalmista: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabit.* Vnde Abraham cunctos suos domesticos, tanquam eiusdem secum religionis, eodem die circumcidit, ac præcepit sequi viam Domini. Dominis sit curæ, vt serui pij sint. 1. Timot. 5. Psal. 100. Gen. 17. 18.

CAP. LXVI.

De honore, Magistratui seculari deferendo.

REgibus, Principibus, & reliquis, quorum potestati tem-

Magistratus honorandus.

poraliter subijcimur, debemus honorem, obedientiam, amorem, fidelitatem, tributorum solutionem: orare insuper tenemur, vt in pace ac tranquillitate sub eis quietam in omni pietate vitam agamus, quos

Rom. 13.

1. Timoth. 2.

1 Petri. 2.

Matth. 22.

Deus sui regni atque potestatis ministros constituit. *Non est enim potestas nisi à Deo: & qui resistit potestati, Deiordinationi resistit.*

Quare Apostolus eis tribui vult Obedientiam, Timorem, Tributa, *non solum propter iram*, id est, metu pœnæ ab eis infligendæ; *sed etiam propter conscientiam*, hoc est, ad cui tandum peccati reatum, cui supplicium in futuro seculo reddetur. Hinc Christus: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.*

Obediendi necessitas extendit se ad omnia licita.

Extenditur autem obediendi necessitas ad omnia, quæ à legitima potestate imperari queunt. Principis autem est, subditos ad hostium violentia protegere, publicam tranquillitatem, ciues, vxores, liberos, bona subditorum tueri, inuasores coërcere, leges vtiles condere, noxios supplicijs, benemeritos præmijs afficere, suum cuique tribuere, de bello suscipiendo vel omittendo consultare, vniuersáque ad communem subditorum salutem spectantia, mediáque ad hunc finem necessária imperare: vt, milites colligere, tributa imponere, aliáque, sine quibus Respublica consistere nequit, prouidere: vt sit iusta pecuniæ mensura, non falsata materia, iusti ponderis numismata.

Principis officia.

Aug. lib. 22. cont. Faust. c. 75.

Peccant in Principes.

Quare grauiter peccant subditi, qui Principibus aut magistratui suo detrahunt, maledicunt, eorum facta & iudicia calumniantur, ipsos contristant, iussis eorum parere recusant, vel manifesta vi rebellant, iuxta Scripturam: *Principi populi tui non maledices.* Et: *Non iudices contra iudicem.* Et, *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Parricidium autem perpetrat, qui patrem patriæ trucidat.

Exod. 22. Eccl 10 30. Rom. 13.

CAP. LXVII.

De officio Principis Christiani.

Principis Christiani officium. Eccles. 10.

VEriſſima est Sapientis illa sententia: *Secundum iudicem populi, sic & ministri eius: Et qualis rector ciuitatis, tales inhabitantes in ea.* Vnde meritò *beata* vocatur Respublica, cuius Princeps heroicas virtutes Dei prouidentia consequutus est putà religionis obseruantiam, doctrinæ puritatem, Catholicæ veritatis amorem, pietatis zelum, benignitatem, animi moderationem, æquitatem, fortitudinem, magnanimitatem, clementiam, prudentiam; cui adsit in re militari virtus & felicitas, ad Rempublicam belli & pacis tempore administrandam sapientia, morum integritas, temperantiæ studium, iustitiæ amor, humilitas, ne corde super fratres eleuetur; iuxta illud Sapientis: *Rectorem te posuerunt: noli extolli.* Et cap. 10. *Sedes Ducum superborum destruxit Deus.* Principis insuper est, tanquam Patris & Pastoris, consulere subditis; eos imitar filiorum amare, fouere, complecti; cogitare, in magna se domo, Patrem; in magna familia esse Oeconomum, cui omnium pariter cura incumbat, omnium salus sit cordi: & eorum potiùs quàm propria quærere commoda: tondere pecus, non deglubere; ab omni iniuria tutas & immunes conseruare oues suas; pro iis excubare, & à violenta luporũ irruptione protegere: studiosè à Rep. damna, concussiones, iniustitiam &

Noli regibus dare vinum. Eccles. 32.

Prou. 31. Cap 10.

Princeps tanquam pastor & pater subditorũ commoda quærat.

oppressiones auertere : iustitiam vnicuique absque personarum acceptione ministrare : viros sapientes & fortes in suam familiaritatem asciscere, illos libenter audire, colere, ex eisdem Legum, patriarúmque consuetudinum gnaros in adiutores diligere, qui Rempublicam pace ac otio constitutis, omnibus bonis affluentem reddere conentur. Pacem verò & tranquillitatem Princeps conseruare poterit, si rectum ordinem, id est, suo quemque loco constituerit, idque ei curæ sit, vt Deo suus cultus, Principi obedientia debita, legibus sua authoritas, æquabilis iustitiæ administratio cunctis; Ecclesiasticis sua dignitas, Nobilibus suus honos, plebeiis & infimis suæ immunitates & priuilegia, delinquentibus pœnæ, bene merentibus præmia, ipsi denique Reipublicæ amplitudini, quod suum est, tribuatur. Quia verò Christianus Princeps etiam regni Christi minister est, ac Ecclesiæ filius; ideo non solùm temporalem pacem (quæ terrenæ ciuitati sufficit) curare tenetur, sed præterea suo cùm exemplo, tum authoritate præmio & pœna, subditos ad virtutes, ad honestatem & immortalem vitam dirigere, necnon totis propriæ personæ, & authoritatis publicæ viribus Christo inseruire tenetur, idque niti, vt in omni pietate subditi quietam & tranquillam vitam agant, Deóque in timore ac tremore seruiant. Tunc enim Princeps propriè Christo seruire censetur, quando potestate sua vtitur ad dilatandum Christi regnum, ad tuendem Christi Ecclesiam contra impios, sacrilegos, blasphemos, hæreticos, schismaticos, aliósue hostes. Denique, quando legibus & armis, Dei cultum exornat, auget, Sacerdotij Clerique dignitatem propugnat, Ecclesiæ immunitatem, iura, bona, & priuilegia conseruat. *In hoc* enim *Reges* (ait Augustinus) *inquantum Reges sunt, Deo seruiunt, si in regno suo bona iubeant, mala prohibeant, non solùm quæ pertinent ad humanam societatem, verùm etiam quæ ad diuinam religionem.* Aliter enim seruit quis, quia homo est: aliter, quia Rex est. Quia homo est, Deo seruit, viuendo fideliter: quia verò etiam Rex est, seruit, leges justa præcipientes, & contraria prohibentes, conuenienti vigore sanciendo: sicut seruiuit Ezechias, lucos & templa idolorum & excelsa destruendo: & Iosias, talia & ipse faciendo. Seruiuit Rex Niniuitarum, vniuersam ciuitatem ad placandum Dominum compellendo: seruiuit Darius, mandando populis, vt paueret Deum Danielis: seruiuit Nabuchodonozor, à blasphemando Deo lege terribili prohibendo: seruiuit Artaxerxes, omnes Iudæos ad custodiam legis Dei sub graui commination compellendo: seruierunt Machabæi, leges & ritus patrios armis propugnando: seruiuit Constantinus Magnus, religionem Christianam alacriter propaganda: seruiuit Gratianus, idolorum cultum abolendo: seruiuit Theodotius, leges contra hæreticos ferendo: seruierunt alij Christiani Principes, similia & ipsi faciendo, Templa, Collegia, Monasteria, Vniuersitates studiorum generalium erigendo, variisque aliis modis Christianam religionem illustrando. Quod Reges Christianos futurus esse facturos, prænunciauit Isaias: *Reges eorum ministrabunt tibi: affertur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducentur. Gens & regnum, quod non seruierit*

Pacis conseruandæ media.

Principis Christiani officium.

Princeps Christi seruiat bona iubendo, mala prohibendo.

Aug. cont. Crescon. c. 51. epi. 50. ad Bonif.

4 Reg. 18.

4. Reg. 23.

Daniel. 6. & 14.

1. Esdræ. 7.

1. Mach. 5.

Isa cap. 60. Regum officia in Eccles.

seruierit tibi, peribit. Et suges lac gentium, & mamillà Regum lactaberis.

Psalm. 2. Et Psalm. 2. Dauid: *Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore.*

Act. 25. Quin & Apostolus contra vim Iudæorum, Romani Cæsaris nondum Christiani poscens auxilium, satis ostendit, quid Apostolorum successoribus agendum in simili necessitate foret, quando Principes Christianos Ecclesia reperiret.

Aug. ep. 50. *Quis* enim *sobriæ mentis dicat Regibus Christianis? Nolite curare in regno vestro, à quo Ecclesia Dei vestri oppugnetur: non sit vobis curæ in regno vestro, quis quid esse velit, siue religiosus, siue sacrilegus, pudicus, aut impudicus.* Nam *Iustitia eleuat gentem: miseros autem facit populos peccatum.* Et Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos. Felices itaque Principes censendi sunt, si iustè imperant, si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur; sed homines se meminerunt: si Deum timent, diligunt, colunt; si tardiùs vindicant, facilè ignoscunt: si vindictam pro necessitate regendæ tuendæque Reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odijs exserunt: si veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent: si, quod asperè plerumque coguntur decernere, misericordiæ lenitate compensent: si luxuria tantò eis castigatior est, quantò pollet esse liberior: si malint cupiditatibus prauis, quàm quibuslibet gentibus imperare: & si hæc faciunt non propter ardorem gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ: si prò suis quoque peccatis opera misericordiæ, orationisque sacrificium Deo offerre non negligant.

Iustitia florere regna facit. Prouer. 24.

Eccles. 10.

Reges se homines esse, meminerint.

Denique Principum Christianorum est, non quidem de fidei dogmatibus iudicare, sed Ecclesiæ decreta obseruare, exsequi, propugnare, Deum eiúsque ministros honorare, colere; quam via re perennem sibi gloriam in hac & futura vita comparant. Sicut econtra sempiternam nomini suo ignominiam relinquunt, qui cum Ægyptiis pastores ouium execrantur, cum Herode Christum spernunt, eius ministros cum sociis Iehu insanos proclamant, præcones veritatis subsannant, religionis habitum, sacerdotium, Pontificis Romani communionem aduersantur. Et quia primùm quærenti regnum Dei & iustitiam eius, temporalium adiectio promittitur; atque gloriam Dei procurranti, honor & gloria; diligentíque sapientiam, regnum perpetuum, paritérque omnia bona: ideo insipientissimè Politici quidam persuadere Regibus nituntur, quod religio eorum intentioni seruire debeat. Nam cùm Princeps omnipotenti Deo militet ac seruiat, militiæ autem primum Sacramentum sit, eius salutem, commoda, & dignitatem tueri, cui militamus: consequitur, Principem loco primo Dei honorem promouere debere, vt ad Valentinianum scribit Ambrosius: *Cùm omnes homines, qui in ditione Romanâ sunt, vobis Imperatoribus terrarũ militent, tum ipsi vos omnipotenti Deo, & sacræ Fidei militatis.* Et Augustinus: *Pertinet ad Principes seculi Christianos, vt temporibus suis pacatam velint habere Matrem suam Ecclesiam.*

Principum ex iudicata per Ecclesiã tueri & exequi.

Luc. 23. 4. Reg. 9. 4. Regũ 1.

Matth. 6.

1. Reg. 2. Sapien. 6. & 7.

Politici religionem principis intentioni seruire volunt.

Ambros. in epist. ad Valentinianũ.

Reges Christo militant. Aug. tract. 21. in Ioan.

CAP. LXVIII.

De præmijs obseruatoribus quarti præcepti à Deo propositis.

Vita præsens & futura obseruatoribus quarti præcepti promittitur. Ephes. 6. Exodi 20. Deut. 5.

QVarti præcepti obseruatoribus longam, felicem, atque iucundam vitam Deus repromittit, quoniam æquum videtur, vt grato beneficium conseruetur, ab ingrato autem tollatur: & sub beneficio vitæ ac felicitatis terrenæ, continetur etiam promissio vitæ beatæ ac sempiternæ in futura vita. *Pietas* enim (inquit Apostolus) *ad omnia vtilis est, habens promissionem vitæ, quæ nunc est, et futuræ.* Et, *Qui honorificat patrem suum, iucundabitur in filijs, & in die orationis suæ exaudietur.*

1. Tim. 4.

Eccles. 3.

Quantum verò filiis emolumenti paterna benedictio conferat, & maledictio quantùm nocumenti; Scriptura docet, ostendens, Deum confirmare patris benedictionem, atque maledictionem. *Benedictio patris firmat domum filiorum, maledictio matris eradicat fundamenta*, vt patet in Noë, qui Sem & Iaphet benedixit, Cham verò in filio Chanaam maledixit. Isaac Iacob, & Iacob filiis benedixit. Et quantum obsit paterna vel materna maledictio, in Chananæis, in Esau, in patris persequutore Absolone, in Iuda Christi proditore, visum est; & in viduæ liberis, qui horribili membrorum tremore diuinitus coërciti sunt, vt scribit B. Augustinus.

Gen. 27. & 49.

Aug. lib. 2. de ciuit. c. 8. & ser. 95. in Louanij impressis.

Quemadmodum autem præmia cultoribus parentum à Deo sunt proposita, ita & parentum contemptoribus supplicia. *Qui maledixerit Patri suo, vel matri suæ, moriatur*, ait Dominus. Et de affligente patrem aut matrem, ait Sapiens: *Comedant eum filij aquilæ.*

Exodi. 9.

Prouer. 19. 20. 30.

Sed non immeritò hîc QVÆRET aliquis: quomodo cum hoc diuino promisso consistat, quòd sæpe filios parentibus immorigeros ac degeneres, in hac vita diu felices, & in rerum omnium abundantiâ, positos videamus; contrà verò parentum obseruantissimos repentè tolli, aut in summa calamitate vitam agere? RESPONDEO, altiore Dei consilio misericordiæ aut iræ, hæc ita dispensari temporalia bona & mala, vt cedant in salutem electorum, & maiorem damnationem reproborum. *Rapitur* enim *iustus, ne malitia mutet intellectum eius*: vel, *à facie malitiæ colligitur*, ait Isaias. Dum itaque pios nonnullos Deus in ætate immatura tollit, eis consulens ad potiora bona transfert: impios autem sinens diu viuere (quos scit patientiâ Dei, ac temporali felicitate ad maiorem peccatorum cumulum abusuros) iudicio suo reseruat, in quo vindicta dilata supplicij grauitate compensabitur.

Eccl. 9. Sapient. 4.

Isaiæ 57.

CAP. LXIX.

De quinto Præcepto.

Non occides.

POst præcepta religionis tria, & quartum pietatis, quibus Deo & parentibus debitũ reddere iubemur, aptissimè deinceps nocumenta proximis infern vetantur: inter quæ summum est, hominem vitâ priuare: ideoque quinto Præcepto homicidium expressè prohibetur; implicitè verò iniuriosa vis, ira, odium, rancor, indignatio, & quilibet internus affectus ad proximi læsionem tendens, vt

Homicidium prohibetur contra iustitiam & rectam rationem.

conciliatis hominum voluntatibus concordiam & pacem inter se vnanimi consensione obseruent.

Sensus autem præcepti: *Non occides*, est: contra iustitiam, & rectam rationem, nullum hominem, quantumuis abiectissimæ conditionis, neque teipsum, neque alium ex electione interficies, siue publica, siue priuata authoritate. Vox *Occides*, communi notione ad omnium animantium cædem extenditur: at hîc non nisi ad hominis occisionem pertinet. Decalogi enim præcepta ratione iustitiæ tradunt, quomodo videlicet homines cum Deo & inter se viuere oporteat. Non ergo hîc occisio pertinet ad herbas & arbores, in quibus nullus est sensus; nec ad irrationabilia animantia, quæ nulla ratione nobis sociantur, iustissimáque creatoris ordinatione hominum vsibus subduntur: iuxta illud Geneseos, *Omne quod viuit, erit vobis in cibum.* Si ergo animalibus irrationabilibus vesci concessum sit, pro culdubio & occidere fas est, vt contra Manichæorum deliria ostendit August. qui lib. 1. *de ciuit.* c. 17. & 20. euincit, hominem non posse occidere seipsum, quia se vnusquisque plus amare debet, quàm proximum; & qui se occidit, non aliud quàm hominem occidit. Vnde confutat circumcelliones, qui genus Martyrij esse putabant, seipsum enecare, atque facta gentilium, qui sibi ipsis violentas manus intulerũt: *Non fecerunt hoc*, ait, *Patriarchæ, non Prophetæ, non Apostoli: quin et ipse Dominus fugere persequentes docuit. Qualibet ergo exempla ponant gentes, quæ non colunt Deum, manifestum est, hoc non licere colentibus vnum verum Deum.* Hinc in Scripturis cum exectatione commemorantur, qui seipsos interemerunt; vt Achitophel & Iudas.

Gen. 9. 1. Cor. 10.

Lib. 6. cõtra Faust c. 6. & 8. lib. de ciuit. c. 20. & hæresi 46.

Augu. hær. 69.

Lib. 1 de ciuit. cap. 23.

2. Regũ 17. Matth. 27. Acto. 1.

Accedit, quòd nobiliores etiam Philosophi senserint, iniussu dominantis Dei non esse hinc demigrandum; supplicióque dignos, qui se interimerent, vt Augustinus ex Virgilio citat. Et cùm non homo, sed Deus vitæ author ac Dominus sit, ipséque occidat & viuere faciat: absque eius iussu nemini seipsum occidere licet. Vnde Samson, Eleazarus, Razias, & alij, qui se in aquas vel ignem iecerunt, non errantes, sed Deo obedientes hoc fecisse credendi sunt, vt lib. 1. *de ciuit.* c. 26. scribit Augustinus.

Deut. 32. Li. 1. de ciuit. cap. 19. Aristot. lib. 5. Ethic. c. vlt. Cicero in q. 1. Tuscul.

Iudicum 16. 1 Macha. 6. 2. Macha. 14.

Quod autem Deo iubente hominem occidere liceat, siue data lege iubeat, siue ad personam pro tempore, expressa iussione docet Scriptura. Nam Abraham volens immolare filium, non solùm non est culpatus crudelitatis crimine, verũ etiam laudatus est nomine pietatis, quòd filium voluit obedienter occidere. Et Saul, cui dictum erat: *Interfice peccatores Amalech*; quia non occidit, reprobatus est. Vnde contra hoc præceptũ non faciunt, qui Deo authore bella gerunt, aut personam gerentes publicæ potestatis, secundùm eius leges, hoc est, iustissimæ rationis imperium sceleratos morte puniunt: quales tanquam Dei ministros commendat Apostolus: *Si malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est; vindex in iram ei, qui malum agit.* Cui Deus dixit: *Maleficos non patieris viuere*, hoc est, publico iudicio tales comprobatos. Modum autem iudicij Deus præscripsit: *In ore duorum aut trium testium stet omne verbũ.* Nemo occidatur, vno contra se testimonium dicente. Vnde constitutio iuris promanat, vt accusatus locum sese defendendi habeat, nec absque causæ cognitione interfici possit. Quod etiam Romanos

Deo iubẽte hominẽ occidere licet.

Aug. li. 1 de ciuit. c. 21. & epist. 61.

Maleficos occidere licet.

Rom. 13.

Exaudi 22.

Deut. 17. 19. Ioan. 18. Acto. 22 & 24.

adhuc infideles obseruasse Scriptura testatur. Quemadmodum enim medicus sola membra, quæ sua tabe totum corpus ad interitum perducerent, abscindit: ita Princeps eos solos tollit, quos Reipublicæ noxios reperit, qui pacem atque tranquillitatem publicam turbant; quales pro varietate populorum ac regionum leges interfici iubent. Apud Iudæos adulter morte puniebatur, non autem fur apud Christianos verò fur, non adulter.

Noxios tollere licet.

Exodi 22. Deut. 22.

Si autem ciuilis concordiæ perturbator iustè vitâ priuatur, quantò magis falsæ religionis disseminator, cùm nihil validiùs animorum concordiam dissipet, quàm partium studium, quod religionum diuersarum zelo fouetur. Vnde Pseudopropheta occidi iubetur, & nolens parere summi sacerdotis imperio, in oborta de lege quæstione. Vnde patet, hæreticos & schismaticos, Ecclesiæ Catholicæ rebelles, iustè occidi posse.

Deut. 13. & 17.

CAP. LXX.

Vtrùm priuato homini liceat aliam morte dignum interficere?

OCcisio malefactorum ei soli est licita, cui boni communis cura demandata est, hoc est, publica potestate fungenti. Nam *qui gladium acceperit, gladio peribit*: hoc est, qui nulla superiori ac legitima potestate iubente vel concedente, in sanguinem alicuius vsum gladij vendicat, gladio perire meretur. Vnde miles cùm obediens potestati hominem occidit, non est reus homicidij; imò nisi fecerit, reus est imperij deserti. Numerorum 35.

Matth. 26.

Aug. li. 22. cont. Faustum, c. 70. lib. 1. de ciuit. c. 26.

propinquo cæsi permittitur homicidam interficere, sed causa priùs in iudicio ventilata.

An verò tyrannum ciuis priuato ciui occidere liceat, disputatur. Communis doctorum sententia est, duplicem esse tyrannum: videlicet per legitimæ potestatis abusum, & per vsurpatam iniustâ violentiâ potestatem. Prioris generis tyrannum nulli priuato tollere fas est, quin teneatur patienter tolerare, ac pro ipso orare, vt docet Concil. Constantiense sess. 15. Et Dominus iubet reddere Cæsari, quæ Cæsari sunt. Hinc Dauid occisores Isboset interfecit, nec manus in Saul mittere voluit.

An tyrannũ occidere liceat? 1. Petri 2.

De posterioris generis tyranno, cùm respublica tota censeatur iustum cum eo bellum gerere, cuilibet ciui tanquam Reipub. militi, fas erit violentum potestatis occupatorem tollere, Aod exemplo, qui Moabitarum regem Israëlitici imperij inuasorem, Deo probante trucidauit. Qua de re Cicero: *Num se obstrinxit scelere, qui tyrannum occidit? Populo quidem Romano non videtur, qui ex omnibus præclaris factis illud pulcherrimum existimat.*

Iudicum 3.

Cicero li. 3. Offic.

De vxore in adulterio deprehensa, num liceat marito absque sententia illam occidere; sciendum, id leges seculi permittere, sed non legem Euangelij, cùm authoritate publica talis iniuriam sibi factam vindicare possit.

Vxorem in adulterio deprehensam occidere non licet.

Vtrùm autem vitæ tuendæ causa, inuasorem occidere liceat, disputatur. Communis resolutio est, cum moderamine inculpatæ tutelæ vnicuiq; vitam suã defendere fas esse; ac si modus defensionis exigat, etiam alterũ occidere, si aliter repelli nequeat; ita tamen, vt propriũ voluntatis obiectum nõ sit mors alterius, sed propria defensio. Quã sententiam

Inuasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ repellere licet.

Aug. epist. 154 li. 1. de lib. arb. c 5. S Tho. 22 q. 64. ar. 7.

tradit Augustinus, D. Thom. & Concil. Trident. sess. 14. c. 7. *Reform.* docens, incurri irregularitatem ob voluntarium homicidium, vim vi repellēdo commissum. Nam aliàs in voluntariè admissum, nullam irregularitatem incurrit, iuxta Clementinam vnicam *de homicidio*.

An verò teneatur inuasus consulere saluti inuasoris, si periculum damnationis æternæ subsit, amittendo vitã corporalem suam? RESPONDEO, non teneri, cùm nulla hîc extrema necessitas subsit: propriâ enim malitiâ se inuasor in tale periculum conijcit, à quo sola voluntatis mutatione seipsum eximere potest. Si tamen inuasor, persona Reipublicæ admodum necessaria foret, magnæ charitatis opus esset, vitam propriam negligere pro conseruatione vitæ illius.

An pro defensione rerum temporalium vitam inuasori eripere liceat? Aug. li. 1. de lib. arb. c. 5. Li. 22. cont. Faust. c. 70.

An verò pro defensione rerum temporalium vitam inuasori eripere liceat, maiorem dubitationem habere videtur. Ait enim Augustinus: *Consulta lege Dei aeterna reperio, non debuisse hominem ab illo, qui nullam ordinatam potestatem gerebat, quamuis iniuriosum & improbum occidi.* Et pro rebus, quas inuiti amittere possumus, nullum humana cæde pollui debere asserit. Attamen Scriptura manifestè permittit, furem nocturnum occidi: non autem diurnum, quia potest aliter auerti, clamore scilicet, aut viâ iuris sua re petere licet. Si verò de re momenti exigui agatur, non debet fur leuiter occidi.

Exodi 22.

An pro defensione honoris interficere liceat?

Vtrum autem pro defensione honoris interdum alium occidere fas sit, vt si nobilis aut miles inuasus fugâ euadere queat, sed non absque infamiæ nota; sentiunt Doctores, eo casu licitum esse huiusmodi nobili viro in pugna perseuerare, quamuis alterius mors sequutura sit, nec obstringi ad fugam: secus autem, si Clericus, Religiosus, aut Mercator inuadatur, qui absque notabili ignominia fugere potest. In quam sententiam inclinat Ambrosius, scribens, in fortitudine bellica honestum esse, quòd mortem seruituti ac turpitudini præferat.

Amb lib 1. offic. c. 41.

CAP. LXXI.

De bello, vtrùm sit licitum?

Bellū principi supremo licitū.

QVemadmodum vnicuiq; priuato homini vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ fas est: ita iure diuino & naturali, summo Reipublicæ moderatori licitum est, iniurias à se, suáq; Republica propulsare, bellóque iusto improborum audaciam reprimere, ac illata damna vindicare, vt ea ratione ciuium suorum vitæ salutíque consulat. Iustum enim bellum est, non solùm defensiuum, quo inferri prohibentur iniuriæ; sed etiam vindicatiuum, quo illatæ iniuriæ vindicantur, quo Princeps vlciscitur, ac satisfactionem pro accepta iniuria deposcit, si gens aut ciuitas, quod à suis improbè gestum est, vindicare, aut per iniuriam ablatum reddere noluerit, vel neglexerit.

Hoc ergo per bellum agitur, vt incolumis ac tuta sit ab improbis hominum vita. Sunt enim Principes, Dei ministri, legum eius atque salutis publicæ defensores, scelerum vice Dei vltores. Non itaque in bello homines perimendo, contra hoc præceptum milites faciũt, quia non ipse occidit, qui ministerium debet iubenti, sicut gladius adminiculum est vtenti. Ideóque nec contra hoc præceptum fecerunt, qui Deo iubente bella gesserunt, quem mali

Aug. q. 10. lib. 4. super Iosue. Lib. 1. de ciuit. c. 21. Li. 22. cõt. Faust. c. 74. & 75.

aliquid iubere non posse, nemo fidelis ignorat. Vnde consequitur, non solùm delirasse Manichæos, qui cuncta bella veluti per se mala damnarunt; & Vvicletistas; sed & illos, qui arbitrantur, Christianis non licere iniurias sibi factas propulsare aut vindicare: qualiter sensisse Iulianum Apostatam scribit Gregorius Nazianzenus; cuius errorem probauit Cornelius Agrippa lib. *de Vanit. scientiarum*, cap. 79. & Erasmus *in Annot.* in cap. 3. & 22. *Luc.*, atque alibi. Idem placet Anabaptistis, teste Fero in c. 26. Matth ad illud: *Omnis qui acceperit gladium*, &c. Lutherus verò etsi generatim bellum non improbauit, attamen contra Turcas bellum geri damnauit. Contra quos errores scriptura tradit, quædam iusta & licita bella, ipso Deo authore gesta esse: putà contra Chananæos, contra Madianitas, Num. 5. *Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos.*

Thon. Vvaldem. tom. 3. de Sacram. c. 169.

Greg Naz. oratione 1. in Iulian.

Act. 34.

Deut. 20.

Et Sauli præceptum à Deo est: *Vade, interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos vsque ad internecionem.* Imò scriptura Deum ipsum pugnare asserit: *Deus*, ait, *qui ductior est vester, pro vobis ipse pugnabit.* 2. Paralip. 20. *Non est vestra pugna, sed Dei.* Psal. 17. *Qui docet manus meas ad prælium.* Vnde Abrahæ reuertenti ex pugna, benedixit Melchisedech. Et Dauidi Abigail inquit, *Prælia Domini tu prælaris.* Dominus verò Centurionis fidem laudauit, non militiæ desertionem imperauit. Similiter Cornelius Centurio religiosus, ac timens Deum, ad se militem Deum timentem vocauit. Et Apostolus, Sanctos collaudans: *Per fidem*, ait, *fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.* Et Ioannes militibus, *Quid faciemus & nos?* interrogantibus, respondit: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.* Non ait, Arma abijcite, militiam deserite, neminem percutite, neminem vulnerate, & prosternite; quia sciebat eos, cùm hæc militando facerent, non esse homicidas, sed legis ministros. Quam Ioannis Baptistæ doctrinam Christus confirmauit; iubens reddi tributa Cæsari, quæ Regibus præstantur, vt bella necessaria gerantur, ac militi stipendia persoluantur; vt Apostolus docet ad Rom. 13. & Petrus 1. epist. c. 2. Adhæc bella esse nonnunquam iustissima, euincunt stupenda miracula, quibus nonnunquam Deus præliantium conatus adiuuat: vt, cùm ad sonitum tubarum muri Hiericho corruerunt: extendente manus Moyse, hostes deuicti sunt: ab vno Samsone Philistæi cæsi: ad strepitum fugati Syri: per Angelum, centum octoginta quinque millia cæsi: cum Machabæo equites de cœlo pugnãtes. Et Constantino ab Angelis ostenso crucis signo, dictum est: IN HOC SIGNO VINCES, teste Euseb. libr. 9. cap. 9. Et Theodotio ab Apostolis Ioanne & Philippo, de Eugenio tyranno victoria promissa & parta est, teste Theodoreto lib. 5. histor. cap. 24.

1. Reg. 15.

Exodi 17. Deut 1. Deut. 32.

Gen. 14.

Matth. 8.

Act. 10. Hebr. 11.

Luc. 3.

Aug. li. 22. cont. Faust. c. 74. Item epist. 5. & 207. Matth. 22.

Iosue 6. Exodi 17.

Iudicũ 15. 4. Reg 7. 4. Reg. 19. 2. Machab. 10.

CAP. LXXII.

Belli iusti conditiones.

Ad iustum bellum requisita tria. Cypr. lib. 2. epist. 2.

REmota iustitiâ, bella non nisi magna sunt latrocinia. Vt autem iusta sint, tria requiruntur. I. est legitima belli indicentis authoritas. II. belli iusta causa. III. est intentio recta. Iure siquidem in bello culpantur, nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus, feritas rebel-

landi, libido dominandi. Ordo enim naturalis mortalium paci accommodatus, hoc expoſcit, vt ſuſcipiendi belli authoritas & conſilium penes Principem ſit; exequendi autem iuſſa bellica miniſterium, paci ſalutique communi milites debeant. Principis autem nomine intelligimus, penes quem totius Reipublicæ authoritas eſt. Nam ſoli Reipublicæ perfectæ, ſeu magiſtratui ſuperiorem non agnoſcendi in ſua iuriſdictione, ius indicendi belli competit. Quando enim per recurſum ad legitimum ſuperiorem iniuriæ compenſatio fieri poteſt, bellum non eſt neceſſarium. Abſque verò euidenti neceſſitate, cùm plurima ſecum trahat bellum mala & incommoda, non debet inferri. *Pacem* enim *habere debet voluntas, bellum neceſſitas*, ait Auguſt. At quando per recurſum ad ſuperiorē compenſatio damni vel iniuriæ procurari nequit, pro compēſanda vel etiam vindicanda iniuria bellum ſuſcipere licet. *Non* enim Princeps *fruſtra gladium portat: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum facit*, ſiue iniuriam Reipublicæ inferendo, ſiue compenſationem iuſtam denegando. At iniuriam oportet non eſſe minorem damnis, quæ bellum paſſim adferre ſolet: cuiuſmodi iniuriarum plura ſunt genera. I. Si denegetur, quod omnibus iure naturæ debetur: vt innoxius tranſitus, qui omnibus iure humanæ ſocietatis patere debet. II. Licitum eſt bellum, pro rerum propriarum detentione aut recuperatione. Sic bellum geſſit Dauid aduerſus Iſboſet, pro regni ſibi diuinitus conceſſi adeptione III. Pro Reipublicæ contra tyrannos defenſione. Ita Iudices & Machabęi bella geſſere. IV. Aduerſus eos, qui opem inimicis ferunt: quomodo Dauid pugnauit cōtra Syros, qui auxilium filiis Ammon præbebant V. Ad vlciſcendam publicam iniuriam, vel contumeliam principi factam; vt contra filios Ammon Dauid, quia nuncios eius ignominia affecerant. VI. Aduerſus rebelles ſubditos, eorúmque fautores; quomodo pugnauit Dauid contra Abſolonem & Sebam. Vnde colligimus, rectè bella ageri contra hæreticos rebelles, vt Theodotio Imperatori ſuaſit Damaſus, teſte Theodoreto lib. 5. hiſtor. cap. 23. & Gennadio Gregor. lib. 1. epiſt. 72. VII. Contra eos, qui malefactores tuentur, ac impediunt, quò minùs puniantur, vt contra Beniamitas populus Iſraël. VIII. Propter violatum fœdus aut pactum: vt Ioram contra Moabitas, denegantes tributum: Babylonij contra Sedechiam. IX. Ad liberandum ſocios iniuriâ affectos. Sic Abraham quatuor Regibus bellum intulit ad liberandum Loth: Ioſaphat in gratiam Ioram, conſulto priùs Domino, 4. Reg. 3. Quemadmodum verò licet iuſtum ſociorum bellum promouere: ita in iuſti belli ſubſidium, fas eſt alios etiam infideles aduocare (modo tamen religionis periculum & ſcandalum abſint) ſicut Machabęi Romanorum infidelium auxilium contra Alexandri poſteros inuocarunt.

Ceterum experientiâ conſtat, ferè tandem ab huiuſmodi ſocijs maximè Hæreticis, Apoſtatis, Mahumetanis, Tartaris ac Scythis, Chriſtianos Principes opprimi, ſicut ipſi Iudæi à Romanis tandem prorſus euerſi fuerunt, & Chriſtiani in Palæſtina, necnon Græci & Hungari à Turcis, initiò in belli ſocietatem aſſciti. Nec ignotæ ſunt clades, quas ſimili occaſione pertulerunt Aphrica, Hiſpania, Italia, Galia, Anglia, quibus hiſtoriæ refertæ

Aug. li. 22. cont. Fauſt. c. 74. & 75.

Ius indicēdi belli penes principem, aut magiſtratū ſuperiorem non agnoſcentem.

Aug. epiſt. 207.

Numer. 21. Aug. q. 43. in Numer.

2. Reg. 2.

2. Reg 8.

2. Reg. 1.

1. Reg. 20.

Iudicū 20. Aug. q. 10. in lib. Ioſue.

4. Reg. 3.

Gen. 14.

Infideles vocare in auxilium quatenus liceat.

sunt: quarum depulsione generosi Principes, Carolus Martellus, Pipinus, Carolus Magnus, aliique Catholicæ fidei defensores, gratam sui nominis ad posteros memoriam transmiserunt.

Accedit, quòd Asa grauiter culpetur, quia idololatras in auxilium aduocasset, & Amasias Prophetæ consilio centum millia Israëlitarum schismaticorum pecuniâ conductorum remisit. X. Vt bellum iuste geratur, æquitas causæ discutienda est; nec leuis persuasio, sed certa, vel admodum probabilis necessaria est; alioqui temere bellum indicitur. Cuius rei indagandæ cura Principi atque Consiliarijs incumbit, non autem militibus. His enim sufficit, non scire causam belli esse iniustam. Disparr tamen causa est subditi, cui necessitas obtemperandi suo Principi inest, & stipendiarij liberi: ille siquidem ciuicæ pacis ordinem seruans, bellare tenetur Principe suo iubente, cui quod iubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel vtrùm sit, certum non est: at stipendiario necessaria est persuasio, quòd belli causa iusta sit. Nam qui omni stipendium offerenti, audito tubæ clangore, aut sono tympani, militare paratus est, damnationi obnoxius est. XI. Princeps, antequam bellum indicat, dignam satisfactionem exigere debet, eamque, si offeratur, acceptare. Nam bellum ex necessitate suscipiendum est. Si autem inchoato bello hostis damna resarcire offerat, & res adhuc integra sit, eóq; statu, vt oblatam satisfactionem acceptare pars læsa queat, compensationem admittere tenetur; secus autè inchoato iam conflictu, aut dato in ciuitatem insultu. XII. Cauendum, ne ex bello plura & maiora dãna Respublica patiatur, quàm commoda sperari queant. Nam priuatis commodis, publicum communitatis bonum anteferendum est. Postrema liciti belli conditio est, vt recta intentione geratur, studio scilicet boni communis & pacis, ad recuperandum suum vel rei ablatæ compensationem, aut ad vindicandam, secundùm culpæ proportionem, iniuriam, stabiliendam pacem, non cupiditate nocendi, non vlciscendi crudelitate, non implacabili animo, non feritate rebellandi, aut libidine dominandi; quæ omnia in bellis iure culpantur.

2. Paralip. 16.
2 Paralip. 25.
Belli causa iusta esse debet.
Aug li.22. cont. Faust. c.75.
Seipẽdiarij milites an cuilibet militare possint?
Satisfactio exigenda.
Deut.20:
Bellum seruare debet bono publico.
Aug.lib.22. cont. Faust. c.74.

Sciendum tamen, quòd licet bellum mala intentione gestum, illicitum sit, attamen, si alioqui iustum sit, minimè obligationem restituendi damna illata pariat. Præterea, sicuti ex iusta causa bellum suscipere fas est, ita & cuncta media necessaria vel accommodata fini belli amplecti licet. Damna verò inferre proximo, ad finem belli nihil conducentia, nefas est. Vnde Deuter. 20. prohibitum Iudæis fuisse legimus, ne arbores frugiferas resecarent.

Media fini belli accõmodanda.

Vtrum autem palàm vel ex insidijs iustum bellum geratur, nihil interest, modò tamen fides hosti data non violetur.

Aug. q. 10. in Iosue. Ambr.li.1. offic.c.9.

An autem singulare certamen ab hoste oblatum acceptare fas sit, tractat Nauarrus, ac resoluit, licitum esse acceptare, vt victoria promoueatur, & honor atque fortitudinis reputatio conseruetur; non autem ad ostentationem virium, artisue pugnandi.

Nauarrus Enchir. c. 15.num.24. Certamen singulare quando licitum.

CAP. LXXIII.

De homicidio fortuito, & intento.

FOrtuitum homicidium ab eo, qui rei honestæ ac licitæ incumbit,

Homicidiũ fortuitum. Deut.19.

bit, admissum, non efficit reum: at si rei illicitæ vacans, quempiam aliquis interemerit, culpâ non carebit: vt, sit grauidam mulierem percutiendo, abortus causa fuerit; si mater infantem opprimat, incautiùs dormiendo.

Aug. epist. 254.

Si autem mulier infantem in vtero potionibus exstinguat, aut procurarit, vt nec concipere, nec generare possit, rea homicidij est. Neque verò solùm homicida est, qui sua manu, ferro, lapide, baculo, laqueo, aut veneno cuipiam eripit vitam; sed insuper, quisquis iussu, consilio, ope, suffragio, vel alia quacunque ratione cooperatur, sicut Dauid Vriam occidit, Iesabel Naboth, Caiphas & Iudæi Christum. Cooperatur insuper morti alterius, qui societate & comitatu alium ad occidendum animant, qui potest & tenetur impedire cædem, & negligit: qui liberos sua incuria in ignem, aquam, puteum ruere, aut à bestijs vorari, fame ac miserijs tabescere sinunt. Rei quoque sunt Principes, Senatores, & alij Reipublicæ ministri, quorum socordia, dissimulatione, aut conniuentia latrones, grassatores, imbellium oppressores impunè sæuiunt. Vnde Achab dictum à Domino est: *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tuâ, erit anima tua pro animâ illius.*

Homicidium intentum.

2. Reg 12. 3. Reg. 14. Ioan. 11. & 19.

Thren. 4.

Magistratus negligens.

3. Regũ 20.

Neque verò solùm externo opere cædes committitur, sed etiam animo, vt Christus contra errantes Iudæos ostendit, Matth. 5. tradens, omnem iniquum animi motum, ad proximo nocendum, hoc præcepto vetari; & varios gradus in culpa & pœna constituit: PRIMVM quidem in occulta ira animo retenta, nec aliqua significatione expressa. *Omnis*, ait, *qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Ad quam iram omnes prauæ de proximo cogitationes, inuidiæ, odia, dissensiones, æmulationes, suspiciones malæ, amaritudines, desideria mortis proximi, occulta gaudia de alterius miseria, & huiusmodi prauæ affectiones reducuntur. *Qui odit fratrem suum, homicida est*, ait Ioannes.

Matth. 5.

Animi motus ad nocendum prohibiti.

1. Epist. c. 13

Secundus iræ gradus est, quando indignantis commotio vocem extorserit, non quidem aliquid significantem, sed animi motum ipsa eruptione testantem. Id enim vox *Racha* significat, quæ Hebræis interiectio irascentis est. Huc pertinent vniuersa irati animi signa, quibus latens in animo maleuolentia detegitur: vt, labia torquere, caput quassare, frontem contrahere, vultu excandescere, naribus sufflare, toruè intueri, non salutare, aut salutationem non reddere.

Irati animi signa.

Tertius iræ gradus est, cùm in voces iniuriosas seu conuitia erumpit, dicens fratri suo, *Fatue*. Ad hunc gradum reducuntur minæ, & alia linguæ mala, quam Iacobus plenam esse scribit veneno mortifero; Dauid autem comparat gladio acuto, nouaculæ, aspidum veneno, & sagittis pestiferis.

Vox iniuriosa.

Iacobi 3. Psal. 51. & 56.

Quartus iræ gradus est, dum homini vita adimitur, vel dum quis mutilat, grauiter ferit, vulnerat. Hunc solum Iudæi gradum agnoscebãt prohibitum: ideóque Dominus sedulò inculcat, non solùm manus puras exigi, sed & animum à cunctis animi affectibus in proximi læsionem tendentibus castũ ac sincerum; imò virtutibus contrarijs imbutũ, benevolentia, mansuetudine, patientia, lenitate, beneficentia, similibúsque dotibus, adeò, vt qui proximũ lædit, omisso quolibet ópere, etiam altaris ministerio, ei satisfacere ac reconciliari, læsus autem veniam poscenti citò ignoscere debeat, si à Deo sibi peccata remitti velit.

Homicidium mutilatio.

CAP. LXXIV.

De iniurijs verborum.

Verborum iniuriæ.

MVltipliciter linguâ proximo nocetur: I. Contumeliâ siue conuitio, dum quispiam alteri peccatum vel miseriam coràm improperat, eáque ratione honorem ei adimit. Cuius peccati grauitatem intinuans Dominus ait: *Si quis dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Et Apostolus contumeliosos morte dignos affirmat. Si verò disciplinæ, emendationis, aut correctionis causa defectus alicui proponatur, non erit culpabile improperium; quomodo Apostolus dixit: *O insensati Galatæ!* Et Dominus: *O stulti, & tardi corde!* Et Ioannes Baptista Pharisæis: *Progenies viperarum!* Est enim quædam iusta & salutaris ira, quæ non affectu lædendi, sed corrigendi suscipitur; qua non homini, sed ipsius vitio irascimur, odio habentes in homine non quod Deus fecit, sed homo. Qua ira Christum aliquoties commotum fuisse legimus, euertendo mensas nummulariorũ, ac flagello vendentes & ementes è templo ejiciendo; vt notat August. lib. 1. *de serm. Domini in monte* c. 19.

Rom. 1. Galat. 3. Luc. 24. Matth. 3. Ira salutaris & iusta, disciplinæ causa suscepta.

Contumelia patienter ferenda.

Contumeliam patienter ferendam esse, Christus verbo, exemplóque docuit, nisi improperantis, aut circumstantium saluti expediat responderi, vt contumelios frangatur audacia, honorque alijs necessarius conseruetur: tunc fas erit contumeliam repellere, non alio conuitio, sed responso discreto. Porrò contumelios obligatur ad reparationem bonæ opinionis quam diminuit, per exhibitionem honoris, reuerentiæ, satisfactionis, flagitationem veniæ, iuxta Christi doctrinam: *Vade, reconciliare fratri tuo.* Proinde meritò Augustinus in Regula dicit: *Vobis à durioribus verbis parcite: quæ si emissa fuerint ex ore vestro, ne pigeat proferre medicamenta, vnde facta sunt vulnera.*

Detractio quid?

Detractio est occulta denigratio alienæ famæ, verbis, dictis, signis, cantilenis, scripto famoso libello. Et quidem subinde fit, directè falsum imponendo, peccatum alterius augendo, vitium occultum alterius reuelando, intentionem eius peruertendo: indirectè verò, alterius bona negando, reticendo, minuendo. Si fama proximi notabiliter lædatur in his, quæ vitæ honestatem concernunt, peccatum erit letale, iuxta Pauli doctrinam, qui detractores ait, non possessuros regnum Dei. Tales Sapiens comparat serpenti, virus suum occultè inferenti; quia lingua ad benedicendum Deo, & ædificandum proximum creata, instar serpentis ad spargendum venenum, inficiendúmque proximum abutitur. Nocet autem detractor tollendo vel minuendo nomen bonum; quo inter res externas nihil est præstantius.

Rom. 1. Eccles. 10. Prou. 22.

Ceterum qui obseruato iuris ordine crimen alterius occultum detegunt, aut superiori ad emendandum denunciant, Detractores habendi non sunt: nec illi, qui alicuius, cui nihil bonæ famæ superest, crimen ob aliquam vtilitatem commemorant: putà, si octauum eius latrocinium referatur, quem palàm constet, septem patrasse.

Sicut autem non alium, ita nec seipsum infamare quis debet: boni enim nominis cura habenda est. Attamen si alijs infamia minimè noceat, poterit quis pati sibi detrahi, sicuti membra vel vitam tolli pate-

Eccles. 41. Aug. li. 2. de bono viduit. c. 22.

retur. Qui insuper detractione oblectatur, detrahenti sociatur, reusque efficitur, non tamen ad famæ per alium ablatæ restitutionem tenetur, nisi fortè ipse ad detrahendum inducat, efficaciter moueat, aut ex officio proximi famam tueri, & detractorem cohibere obligetur, nec id faciat. Tunc enim ad famæ sic ablatæ restitutionem tenebitur. Vnde Dauid Princeps æquissimus: *Detrahentem proximo suo persequebar*: & de viro iusto: *Opprobrium aduersus proximos suos non accepit.* Et Sapiens: *Cum detractoribus non commiscearis*: & Ecclesiasticus: *Sepi aures tuas spinis, et linguam nequam noli audire.*

Pſal. 100. Pſal. 14. Prou. 24. Eccleſ. 28.

Detrahere communitati crimen.

Quemadmodum autem vni personæ detrahere, crimen est, ita familiæ, domui, ciuitati, religioni, patriæ; & tantò grauius, quantò bonum communicatis præstantius est priuato. Quare summum scelus hæretici committunt, dum Catholicis errores falsò affingunt, aut crimina mendaciter impingunt: vt dum persuadere conantur, Catholicos Principibus insidiari, humanâ carne vesci more feratum, & similia.

Suſurratio.

Susurratio, est obloquutio mala de proximo occultè facta, ad turbandam amicitiam vel concordiam aliquorum. Quantò autem amicitia & concordia maius bonum est honore & fama: tantò deterior est Susurro detractore atque contumelioso. *Amico fideli nulla est comparatio*, ait Sapiens, *& non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius.* Vnde Prouerb. 26. detestatur eum, qui inter fratres discordias seminat. Et Eccl. 28. *Susurro & bilinguis maledictus*: & c. 5. *Susurronem odium & inimicitia.* Obstringitur verò susurro ad reconciliandam, quam disoluit amicitiam: quam si nequeat, ad aliam compensationem præstandam obligatur.

Eccleſ. 6. Prou. 26.

Aliud linguæ peccatum est, Derisio, quando verborum prolatione alterius defectus in iocum vel risum proponitur, vt erubescat, paruipendatur, contemnatur. Tantò autem grauius est hoc peccatum, quantò maior irrisæ personæ reuerentia debetur. Tollit autem derisio quietem conscientiæ, de qua Sapiens: *Secura mens quasi iuge conuiuium.* Apostolus ad Ephes. 5. *Scurrilitatem* siue *iocularitatem* inter scelera numerat, quam tunc Hieronymus ibidem admittit scribit, dum consultò quædam verba vrbana, vel rustica, turpia vel faceta ad risum auditoribus mouendum vsurpantur. Qualia verba ex fidelium ore Apostolus Paulus exulare vult, quia hîc deceat magis lugere quàm ridere, nec seria debeant ioculariter tractari.

Deriſio, ſcurrilitas. Iob 12. & 31. Prou. 15. Epheſ. 5.

Subſannatio.

Derisioni affinis est Subsannatio, dum non verbis, sed factis alicui illuditur: de qua Sapiens: *Oculum, qui subsannat patrem, suffodiant eum corui.* Augetur verò hoc peccatum ex personæ, circa quam versatur, dignitate. *Deridetur iusti simplicitas*, ait Iob. Sic Christus à vilissimis seruis Pontificum, à cohorte Pilati, quin & à damnato latrone irrisiones ac ludibria sustinuit.

Prou. 30. Iob c. 12. Sapien. 2. Pſal 21. Matth. 27.

Blaſphemia.

Blasphemia verò est, quando verbis Deo iniuria fit, tribuendo ei, quod non conuenit: aut negando, quod ei conuenit; vel ei irreuerenter tribuendo, quod habet: vt si quis per Christi vulnera, caput, genitalia iuret. Huiusmodi peccatum commiserunt Sennacherib, Nicanor, Antiochus, & alij, dicēdo, non posse Deum conatus illorum impedire.

4. Reg. 19. 1. Macha. 7.

Maledictio.

Maledictio est, malum alicui, sub ratione mali, verbis imprecari, aut vt inferatur, imperare. Conuenit autem propriè rationali creaturæ;

Creaturæ irrationali vsus non nisi in ordine ad Deum, vel creaturam rationalem, quatenus hominis auferre subuentionem. Sic Deus terræ maledixit, vt per eius sterilitatem homo puniretur. Et Christus sicui maledixisse legitur, in significationem maledictionis populi Iudaici, quia nullos virtutum fructus proferret. Interdum etiam ratione contenti maledicitur: vt diei natiuitatis suæ Iob, in detestationem originalis peccati, in quo natus erat: & Dauid montibus Gelboæ, propter cædem Israëlitarum ibi commissam. Qua maledictione propriè malum à rationali creatura deprecabatur: sic tempori, loco, instrumento peccati aut miseriæ maledicimus. Tantò autem grauius est hoc peccatum, quantò plus amoris vel reuerentiæ debemus personæ. Hinc Exodi 20. *Si quis maledixerit Patri aut Matri, morte moriatur.* Et Apostolus: *Maledici regnum Dei non possidebunt.*

Creaturæ irrationali quatenus maledicatur. Gen. 3. Matth. 21. 2. Reg 1. Deut. 5. 1. Cor. 6.

Adulatio.

Adulatio linguæ peccatis inngitur, quia per eam verbis aliquem nimiùm oblectare, eique placere quis studet, laudando vltra modum, vbi, quando, quomodo, quo fine nõ decet; scilicet propter inanẽ gloriam, vel temporale lucrum. Cum debitis verò circumstantijs aliquem laudare, fas est: putà, vt in aduersis constantiam retineat, in bono proficiat, vt eius exemplo alij fortia & gloriosa ipsius facta imitentur: quomodo laudata est Iudith, Debora, & alij in Scripturis.

Laudare quempiam aliquando licet.

CAP. LXXV.

De Remedijs contra linguæ peccata.

Remedia contra linguæ peccata.

AD euitandum peccata linguæ, hominem sanctis cogitationibus occupari oportet, nec verba profundere, nisi præmeditata, honesta & vtilia: iuxta illud Sapientis: *Verbis tuis facito stateram. Nam in multiloquio non deest peccatum.* Qui moderatur labia sua, prudentissimus est. Fugienda sunt insuper loquacium consortia, & seniorum conuersatio ambienda est, quorum prudens narratio audienda. *Ab illis enim disces intellectum, & in tempore dare responsum*, & domare linguam, iuxta Iacobum, eius auxilio qui dixit: *Vos non estis, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Hinc, *Pone* (aiebat Dauid) *custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labys meis.* Qualia repetit Ecclesiast. c. 22. & Apostolus: *Sermo vester semper gratia sit conditus, vt ædificet.*

Prou. 28. Prou. 10. Prou. 13. Iacobi 3. Matth. 10. Psal. 140. Eccl. 22. & 8. Colos. 4.

CAP. LXXVI.

De remedijs contra peccata, quinto Præcepto vetita.

Amicitiæ conseruandæ.

QVia proclines sunt homines ad inferenda proximis nocumenta, animo recolendum est, non solùm prohiberi, ne quacumque ratione proximo noceamus, sed etiam præcipi eodem præcepto, vt concordiam, & mutuam amicitiam conseruemus, omnésque homines charitate complectamur, eisdémque cuncta charitatis officia exhibeamus. *Charitas autem patiens est, benigna, non suspicatur malum*, &c. Hæc igitur & alia charitatis officia proximis impendenda sunt; & si ad inimicos extendantur, illustriora fient: tunc enim vincitur in bono malum, quando bene fit ijs, qui oderunt nos. Hoc autem facilè præstabit, qui sibi persuasum habet, omnia quæ nobis accidunt, nõ nisi Deo prouidente ac iustissimè permittente euenire, vt exerceamur, aut

1. Cor. 13. Rom. 12.

Remedia cõtra iram, & iniurias.

flagellemur, aut ad imitationem patientiæ aliis proponamur, maioríque præmio ac gloriâ digni simus. Quod perpendens Iob, erupit in laudatissimam illam vocem: *Sicut Domino placuit, ita factum est.* Et Ioseph fratrum in se conspirationes æquo animo ferens: *Num Dei, ait, possumus resistere voluntati?* Et Dauid iniuriam sibi à Semei irrogatam, patienter tulit, dicens: *Deus ei præcepit, maledicere Dauid.* Ex quibus sequitur, hominem non tam ab extrinseco aliorum facto, quàm à seipso lædi, cùm animum odio, cupiditate, inuidia nefariè contaminat, qui afflictionum patienti tolerantia nævos peccatorum suorum expurgare, sibique merita futuræ vitæ adaugere poterat.

Iob. 1. Gen. 45. & 50. 2. Reg. 16.

Conducit insuper ad iniuriarum obliuionem inducendam, Christi exemplum sequi, B. Stephani, & similium, qui pro suis interfectoribus preces ad Deum fuderunt: item meminisse nouissimorum, ac quòd iudicium illi sine misericordia fiet, qui hîc vlciscendi studium non exuit. Huc etiam pertinet, quòd odij ac homicidij primus author sit diabolus, qui ad retinenda odia homines instigat, ex quibus malæ suspiciones, temeraria iudicia, iræ, inuidiæ, æmulationes, obtrectationes, rixæ, homicidia pullulant; quæ adeò Creatori displicent, vt etiam bestiis pœnam cædis hominum statuerit. Cùm enim hominem ad suam imaginem plasmauerit, sibi quodammodo violatas manus iniici reputat, quando sua imago læditur. Vnde Cain se dignum morte agnoscens, *Omnis*, ait, *qui inuenerit me, occidet me.* Quem Lamech secutus, grauissima punitione scelus suum vindicandum prædixit. Hinc Exodi 21. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, ab altari meo auelles eum, vt moriatur.* Quam legem Christus approbans: *Omnes*, inquit, *qui acceperint gladium, gladio peribunt:* id est, digni sunt, qui pereant. Nullo enim pretio vita liberi hominis æstimari potest. Quare homicida non tenetur ad pretium pro vita ablata restituendum, sed ad mortem iuxta leges ferendam. Quam non sibi inferre tenetur, nec se morti offerre, vinculis & carceribus; sed obligatur ad resarciendum filiis, coniugi ac hæredibus (iudicio boni viri) damnum, interesse ac iacturam, quam per occisi mortem passi sunt; quin & ad expensas funeris, iuxta qualitatem personæ, atque consuetudinem loci. Nec ab hoc debito absoluit homicidam pœna mortis ei inflicta, quia illa solùm ad publicam vindictam seruit, compensans iniuriam Reipublicæ factam; non autem est solutio damni aut interesse partis. Similiter, qui aliquem lesit iniustè, ad compensandum expensas in medicos, damna, & interesse obstringitur.

Pretium pro vita ablata dari nequit.

Homicida ad quid teneatur.

Iure autem Ecclesiastico qui voluntariè hominem occidit vel mutilat, irregularitatem contrahit: imò & qui causæ sanguinis directè cooperatur, ab altaris ministerio arcetur, in quo mansuetissimi Agni passio repræsentatur, *qui percussus non repercussit.* In cuius rei typum Dauid, qui multum sanguinem fuderat, Deo Templum ædificare non est permissus, sed pacifico eius filio id reseruatum fuit. Attamen si furiosus, infans, dormiens, aut cum moderamine inculpatæ tutelæ sese defendendo quis alium occiderit aut mutilauerit, nullam censuram incurret; iuxta Clementinam lib. 5. c. *de Homicidio.*

Pœna. Homicidij

Ioan. 8.

Gen. 9.

Gen. 4.

Exodi 21. Numer. 35. Matth. 26.

1. Paral. 22.

CAP. LXXVII.

De sexto præcepto.

Non mœchaberis.

Adulterij VI. Præcepto vetitū.

LEgem, hominis vitam ab iniusta cæde tuentem, prolubitio Mœchiæ siue adulterij congruenti ordine subsequitur, quia post vitam nihil coniuge charius est; cùm per sanctam & honorabilem matrimonij coniunctionem duo fiant vna caro, vt neuter sui corporis liberam potestatem habeat, sed iniustitiam committat tam vir quàm vxor, si alteri quàm coniugi corporis sui vsum præbeat. Est enim Mœchia legitimi tori violatio, quam Deus voluit expressè vetare, quia præter turpitudinem cum aliis intemperantiæ generibus communem, etiam iniustitiam non tantùm in coniugem, sed etiam in ciuilem societatem contineat. Sub hoc tamen adulterij interdicto implicitè omnis illicitus concubitus, & inordinatus ad venereæ delectationis procurationem membrorum contactus & vsus prohibetur, iuxta Christi doctrinam: *Dictum est antiquis: non mœchaberis: ego autem dico vobis: Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo*: docens, hoc præcepto in vniuersum omnia impuræ libidinis genera vetari. Quod nec in lege naturæ latuit. Nã Iudas nurum ob fornicationẽ morte punire voluit. Et Moyses lege cauit, ne vlla esset meretrix de filiabus Israël. Et Tobias filium monet, vt ab omni fornicatione sibi attendat. Ecclesiasticus verò etiam oculos à muliere fornicaria, & studiosè compta, diuertendos esse docet. Et Dominus in Euangelio: *De corde exeunt adulteria & fornicationes, quæ coinquinant hominem.* Apostolus verò fornicationem, adulterium, omnemq; immunditiam carnis non solùm cauendam, sed ne quidem nominandam scribit, addens, non decere sanctos, effutire turpitudinem, stultiloquium, vel scurrilitatem. *Neque enim fornicarij, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt.*

Illicitus cõcubitus.

Ambr. li. 5. offic. c. 30. Aug. q. 71. in Exod.

Gen. 38. Deut. 23.

Tob. 4.

Eccl. 9. & 41.

Matth. 15.

Ephes. 5.

1. Cor. 6.

CAP. LXXVIII.

De varijs libidinum generibus.

VEnerea lues non solùm in se fœda, sed etiam adeò contagiosa est, vt ab auribus expeditum iter ad cor reperiat, ideóque de illa coram hominum cœtu, non nisi summa cum prudentia loqui expediat, ne simplices praua docea-mus, aut ad experienda sibi ignota libidinum genera prouocemus, quæ ad septem species reduci solẽt: quarum prima est Fornicatio simplex; hoc est, viri soluti cum muliere soluta cõcubitus extra matrimonium. Nam talis concubitus iuri naturali & diuino repugnat, cùm non fiat à duobus, indissolubili nexu in vitæ societate copulatis, ad procreandam sobolem rectè instituendam. Vnde inter mortifera peccata ab Apostolo censetur: *Neque fornicarij, neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Et: *Fornicatores & adulteros iudicabit Deus.* Cuius grauitatem Apostolus argumentis tribus ostẽdit. I. Quia membra nostra sint Christi membra, Deo cõsecrata, suo tempore ab eo suscitanda, quæ coniunctione meretricia cõspurcare sit indignum. II. Quia membra nostra templa Spiritus sancti sint, non profananda, nec vilissimo

Fornicatio.

1. Cor. 6.

Hebr. 13.

scortorum vsu conspurcanda. III. Quia simus Christi sanguine redempti, vtin corpore atq; animo Deum glorificemus. Æquissimũ est enim, vt magno pretio à seruitute redemptus, suum Dominum obsequio honoret, non autem corporis inquinatione offendat.

Adulteriũ.

Secunda species, est Adulterium, cùm alter cõcumbentium, vel vterque alteri coniunx est; licet Græci solos viros, mœchos appellent; attamen non minùs feminis quàm viris sextum præceptum datum est: sub nobiliori enim sexu vterque comprehenditur. Et notius est, adulterium mulieris esse peccatũ, quàm viri, cui aliquando licuit plures simul hãbere vxores; nunquam verò mulieri concessum fuit, plures simul habere viros. Occulta enim lege naturæ singularitatem amant, quæ principantur. An verò, permittente viro, liceat vxori alteri concumbere, aut contrà; dubitari possetab Abrahæ & Iacob exemplis, qui rogantibus vxoribus ancillis earum fœcundarunt: at sicut nemo ita sui corporis Dominus est, vt se occidere aut mutilare possit; ad eundem modum non sic vxoris aut mariti coniunx Dominus est, vt corporis eius vsum alteri cõcedere queat. Adulterium in lege naturæ, ac in veteri Mosaica, morte puniebatur. Gen. 20. Deuteronomij 22. Leuitici 20. Ioan. 8. *Qui sine peccato est, primus in eam lapidem mittat.* Hierem. 5. & alibi. Etiam lex Iulia capite adulteros plectebat. Pœna quoque futuri seculi, mors æterna est, vt Malachiæ 3. & 1. Corinth. 6. continetur: *Adulteri regnum Dei non possidebunt.*

Aug. lib. de bono coniugali c. 17. Lib. 1. de nupt & cõcupisc. ca. 9. Lib. 2. de adult. coniug. cap. 8. Lib. 1. de serm. dom. in monte cap. 29.

Quãtum etiam proli noceat adulterium, ex eo liquet, quòd certo patre destituatur, qui curam institutionis eius habeat, similiter hæreditate, qua se honestè sustentet; denique à sacris ordinibus, honestioribúsque Reipublicæ functionibus excluditur. Et quando pro legitima prole ex adulterio nata supponitur, omne damnum marito, illiúsque hæredibus recompensandum est. Si autem ex adulterio nati exponantur, parentes damnum & grauamen Reipublicæ aut hospitalibus alimentatione illatum resarcire tenentur, ac filios nosse, curámque illorum gerere obligantur.

Deut. 23.

Infantes exponentes ad quid teneantur.

Incestus.

Tertia species, Incestus est, dum quis cum consanguinea vel affine, in gradu prohibito, citra legitimam dispensationem commiscetur; de quo Leuitici 18. *Omnis homo ad propinquam sanguinis sui non accedet, vt reuelles turpitudinem eius.* Verecundus enim honor propinquæ debetur, vt ab ea contineat libidinem, de qua erubescere videmus & ipsam pudicitiam coniugalem.

Aug lib. de ciuit. c. 4. & lib 15. cap. 16.

Stuprum.

Quarta Species, Stuprum est, quando virgo defloratur. Quod peccatum inde peculiarem contrahit deformitatem, quòd muliebre corpus vulneret, quòd virginale signaculum tollendo, ad honestum coniugium minùs aptam reddat, patríque virginis (in cuius tutela est) iniuriam faciat. Vnde lege Moysi stuprator virginis nondum desponsatæ iubatur eam ducere, nec permittebatur ei libellum repudij dare, ac patri quinquaginta siclos argenteos pendere. Si verò pater filiam stupratori dare in coniugem nollet, pecuniam iuxta modum dotis reddere cogebatur.

Amos c. 2. Ezechiel c. 22.

Exodi 22. Deut. 22.

Raptus.

Quinta species, Raptus vocatur, dum contra voluntatem copula viâ mulier extorquetur; vel contra suam aut patris voluntatem ex domo patris femina educitur, etiamsi intentione eam in

Gen. 34. vxorem accipiendi, vt ex raptu filiæ Iacob apparuit, cuius occasione Sichem euersa fuit. Lege ciuili raptor capite plectitur.

Sacrilegiū. Sexta species, Sacrilegium est, dum persona Deo consecrata coitu polluitur: aut dum concubitus fit in loco sacro, Ecclesia scilicet aut cœmiterio. De quali peccato loquitur

2. Timot. 5. Apostolus: *Cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Quarum imitatores sunt Lutherus & Apostatæ omnes, qui continentiæ voto obstricti, audaciâ impudentissimâ, Orbe spectante, cum velatis virginibus nuptias contraxerunt.

Septima Libidinis species est,

Aug. epist. 109. Sodomia. peccatum contra naturam, in quo non solùm contra naturalem rationem, sed etiam contra naturæ ordinem & vsum peccatur. Nam co-

Aug. lib. 3. cōt. Iulian. cap. 20. pula carnalis ad hoc ordinatur, vt natura humana seminando crescat & subsistat, cui fini repugnat hoc peccatum, vt Apostolus ad Rom. 1. deducit. Et ad Ephesios 5. *Quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere.* Vnde Gen. 37. *Crimen pessimum* vocatur. Pluribus autem modis contra naturam peccatur.

Mollities. I. Mollitie: hoc est, voluntaria seminis extra vas mulieris effusione.

Gen. 38. Ob quod peccatum Deus Onan morte puniuit. De quo Apostolus (1. Cor. 6.) *Molles regnum Dei non possidebunt.* Et ad Ephesios 5. *Omnis immundus non habet hæreditatem in regno Christi.*

II. Inordinato feminæ vsu, quo-

Iudicū 20. modo peccauerunt Gabaonitæ cum vxore Leuitæ, Romani, & Philosophi Rom. 1.

III. Concubitu Sodomitico,

Gen. 19. Sapien. 10. Iudas in epist. masculi cum masculo, propter quod peccatum igne & sulphure Sodoma cum vicinis oppidis perierunt. Ad idem peccatum pertinere docet Apostolus, quòd feminæ in in feminas exardescant, & impudicè se tagant, Augustinus epistol. 109. Rom. 1.

IV. Concubitu cum bestia, siue coitu: quod peccatum morte punitur. Bestialitas.

V. Coitu cum dæmone succubo vel incubo. Quod peccatum est sagis & magis familiare, ac ad idololatriam pertinet, & igne confueuit expiari. Succubi & incubi.

Præter vitia supradicta, sexto præcepto vetantur, quæ ad inordinatam libidinem præparant & deducunt: vt oculus impudicus, oscula inhonesta, tactus, amplexus, verba turpia, impura, & lasciua musica, lusus, cantus, cantilenæ, instrumentorum soni, libríque obscœni, nutus, choreæ, omniáque huiusmodi, quæ ad veneream libidinem inducunt. Et si hæc animo deliberato perfruendi delectatione carnali fiāt, letalia peccata sunt, iuxta illud Christi: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo*: id est, qui oculos in mulierem inijcit, affectu & desiderio fruendi eius complexu, cum eáque coëundi, reus est Mœchiæ. Sicut illi senes, qui Susannam discooperiri iusserunt, vt vel sic eius decôre satiarentur. Non autem malum est per se, mulierem videre aut aspicere, sed eam contra Dei legem appetere. Quod non solùm tactu & affectu, sed etiam aspectu fieri potest, quia *impudicus oculus impudici animi est nuncius.* Et *fornicatio mulieris in extollentiâ oculorum, & in palpebris eius agnoscetur*, inquit Ecclesiasticus. Et Isaias cap. 3. *Filiæ Sion ambulauerunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & pedibus suis composito gradu incedebant.* Et Petrus: *Oculos habent plenos adulterij.* Oculus impudicus. Matth. 5. Ad Eph. 5. Hieron. in epist. ad Damasum de filio prodigo. Aspectus mulieris quatenus illicitus. Danielis 13. Aug. epist. 109. Eccl. c. 26. 2. Epist. c. 2.

Lib. 1. epi. 21. *adulterij*. Cyprianus verò: *Ipse concubitus, ipse complexus, ipsa confabulatio, & conjacentium turpis & fœda condormitio, quantum dedecoris & criminis confitetur?* Ex oculis enim, aut contactu libidinoso in animantibus, veneris initium exoritur. At si amicitiæ vel honestatis causa tantùm fiat osculum, vel manuũ cõtactus, nihil vituperij habet.

Osculum, contactus libidi nosus.

Quam verò efficax sit mulieris aspectus, patuit in Dauide, Salomone, Samsone, qui per mulieres ruerunt. Hinc Ecclesiasticus: *Ne audias saltatricem, ne pereas in efficacia illius. Colloquium mulieris aliena, quasi ignis exardescet: Ne vestimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Vnde Iob: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Et Esdræ lib. 3. cap. 2. describitur, quanta sit mulieris efficacia ad pertrahendum in sui amorem virum. Ex quibus elicitur, non decere sacerdotem sponsas, procósque curiosè spectare, nec de formis & pulchritudine mulierum disputare; multò autem fœdius, pellices & scorta fouere, aut in concubinatu viuere. De quo Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 14. Refor. Et de laicis agit sess. 24. cap. 8. Reform.

Eccles. 9. & 42. 19.

Iob. 31.

Quantũ autem ista inordinatæ libidinis genera Deo displiceãt, patet ex plagis cælitus inflictis. Nam in deserto propter fornicationem à serpentibus perierunt, quin & generali diluuio has sordes emundandas Deus iudicauit; Chananæos per Israëlitas interfecit: ac tandem & ipsos propter similia peccata è sua terra ejecit. Ac postremò intemperantes & per vagas libidines ruentes, ferè conspicimus lepra vel scabie fœdissima, (quæ dolores grauissimos infert,) plecti; à qua immunes sunt continentes, & conjugali thoro contenti, quibus non dominatur dæmonium, sed iis, qui suæ libidini vacant, *sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus.*

Gen. 19. Sapientiæ 6.

Num. 25. 1. Cor. 10.

Tob. 6.

CAP. LXXIX.

De Remedijs libidinum.

Remedia libidinis.

QVemadmodum inter bella, ciuile ac intestinum difficilimũ est, ira & inter fidelium certamina periculosus est conflictus cum malo in eis habitante, *cuius virtus est in lumbis, & inumbilico ventris* hominis; hoc est, cum carnis innata concupiscentia. Contra quam qui obtinere vult securam victoriam, certis armis & remediis vti debet. Inprimis verò declinanda sunt mulierum consortia, quarum visus, auditus, & tactus virorum corda in sui amorem exardescere facit; maximè si formæ ac ornatus venustas adsit. Vnde Sapiens: *Auerte faciem tuam à muliere compta.* Et Petrus atque Paulus mulieres hortantur ad cultum mentis potiùs, quàm corporis. Quantùm autem sermones, cantus, saltationes, & mollia feminarum verba in virorum corda valeãt, ex Syrenum cantu disci potest, qui nihil aliud, nisi mulcentia feminarum verba designat. Cauendæ sunt insuper occasiones, quæ tentationes suggerunt: vt, dona, literæ, salutationes, ac vniuersa, quæ libidinis ardorem excitant. A planta enim pedis vsque ad verticem capitis non est in muliere locus, in quo non reperiatur laqueus. Hæc enim Paradisi colonum è sua possessione eiecit, diluuij causam præbuit, ciuitates & regna euertit, fortissimum Samsonem deiecit, sanctissimum Dauidem in homicidium & adulterium præcipitauit; sapientissi-

Fuga mulierum.

Eccles. cap. 9. & 42.

1. Petr. 3. 1. Timot. 5.

mum Salomonē in scelus idololatriæ pertulit: multos in amentiam mulierum amor perduxit. Non ergo pudicitia inter feminas tuta est: & multò securior est in hoc perniculoso conflictu fuga, quàm lucta. Præterea verò cauēdum est otium, crapula, ebrietas: *In vino* enim *luxuria*: & plenus venter libidinem parit, & mero æstuans facile despumat in Venerem. *Spectа* (inquit Hieron.) *ventrem & genitalia: pro qualitate vitiorum, ordo membrorum.* Et quamuis tentationis motum homo superare possit, cùm ipsius sit dare, vel negare consensum; quia tamen, etiamsi Spiritus promptus sit, caro infirma est, simúlque castitas à Deo petenda est, veluti singulare donum; ideo ad carnis vim reprimendam conducunt frequens oratio cum eleemosynis ac ieiuniis, vigiliæ, ad sancta loca peregrinationes, castigatio corporis, aliáque afflictionum genera, quibus animæ imperio corpus subiicitur; iuxta illud Apostoli: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Et, *Carnis curam ne feceritis in desideriis.* Insuper libidinis stimulos reprimunt pię occupationes, lectio scripturarum, assiduum studium, sanctæ meditationes, exercitium bonorum operum, labor quoque corporis. Nam ociosæ menti ignita prauorum desideriorum tela diabolus immittere solet, quibus occludendum est inuitò cordis ostium, ne semel infixa mentem igne cupiditatis inflamment. Quibus repellendis profuerit, Angelum sui custodem proponere sibi præsentem esse, atque dæmonem accusatorem, ipsum denique iudicem Deum omnium, quæ agis aut cogitas inspectorem ac testem, coram quibus exequi pudebit, quod coram vilissimo homine non auderes. Expendendum quoque, quàm breuis sit voluptas, & quàm protensa pœna, quàm grauis culpa, quæ mox conscientiam admissa ferit, superata verò lætam securámque reddit. Sicut enim clauus clauo pellitur, ita diuini iudicij metu, ignísque æterni recordatione ardor luxuriæ. Nec inutile fuerit, aliorum exempla mente reuoluere, qui per voluptates & mulierum amores in summam infelicitatem se præcipites dederunt: qui si vilitatem carnis muliebris adamatæ considerassent, ea videlicet, quæ formosa cute teguntur, quæ intra nares, intra fauces, in ventre, & aliis partibus latent, horrorem potiùs, quàm ardorem conciperent. Quid enim aliud, quàm sordes & immunditias decora pelle cōtectas, reperirent? Non ergo aliud, quàm cutis venustas adamatur: ea siquidem ablata, quale monstrum superest? Accedit, quòd voluptatis sensus famem potiùs quàm satietatem generet, cùm insatiabilis sit amor mulieris, animum virilem effeminans, rationem adeò absorbens, vt cælestia meditari non sinat, Templum Deo consecratum polluat & profanet, nomen bonum eripiat, vires corporis eneruet, pulchritudinem corporis offuscet, valetudinem offendat, iuuentutis florem deturpet, ingenij acumen obtundat, senectutem acceleret, vitam abbreuiet, nullum virtuti locum relinquat, *Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei:* sed hæreditatem amplissimam, diuitias, vectigalia; thesauros exhaurit & dilapidat: vt exemplo filij prodigi Christus declarat, qui vsque ad porcorum siliquas redactus fuit, & incipientibus animantibus similis per voluptates effectus. Contrà verò continentiæ studium, hominem Angelis Dei assimilat, cum Spiri-

Cauēdum otium, crapula, ebrietas. Ephes. 5.

Ieron. in 1. c. ad Titū. Lib 2 cōt. Iouinian.

Frequens oratio.

Corporis afflictio. 1. Cor. 9. Rom. 13.

Pię occupationes.

Meditatio præsentiæ Dei, angeli boni, & dæmonis accusatoris.

Voluptas breuis pœna longa.

Vilitas reè adamatæ in muliere.

Voluptatis sensus famem potiùs quàm satietatem parit.

Voluptatis effectus, miseriæ.

Continentię studium Deo & Angelis hominem assimilat.

tus sancti Templum, ac Christo Virgini similem reddit, ac futuræ in cœlis vitæ hîc in terris quandam experientiam præbet; tandémque ei aureolam, hoc est, singularem aliquam in cœlis gloriam comparat, vt meritò incorruptionis carnis agnum sequatur, quocunque ierit.

Apoc. 14.

CAP. LXXX.

De septimo præcepto.

Non furtum facies.

Furti prohibitio.

POstquam Deus hominum vitam & pudicitiam communiuit, paterna cura etiam res externas hoc præcepto tueri dignatur, expressè vetans, ne rem alienam inuito domino clàm auferamus: implicitè verò, ne rem alterius quoquo modo iniustè vēdicemus, & ne quouis modo damnum in tēporalibus, vi, fraude, clam vel apertè inferamus. Furtum enim propriè definitur *occulta & dolosa rei alienæ contrectatio inuito Domino, ad eius proprietatem, possessionem, vel vsum acquirendum*. Estque duplex furtum: *Reale*, atque *Mentale*: quorum prius ad restitutionem obligat, non autem posterius, quo dānum quis inferre voluit, sed tamen non intulit: cuius meminit Dominus: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, furta, falsa testimonia*. Vbi furtum inter letalia peccata recensetur: tale liquidem est, quando notabile proximo nocumentum infert. Zachariæ 5. *Omnis fur iudicabitur*. Osee 4. *Adulterium & furtum inundauerunt*. Et Apostolus: *Fures regnum Dei non possidebunt*.

Furti definitio.

Furtum reale ad restit obligat.

Furtum mentale. Matth. 15.

Furtum notabile, est peccatum letale.

1. Cor. 6.

Excusat verò à mortali paruitas rei & vilitas, nisi rem huiusmodi tollendo notabile damnum euenturum Domino constet: vt si quis acum sartori, aut fibulā sutori, aliam non habenti auferat, qua occasione operari nequeat: vel si quis fructū, florem, aut simile quid auferat, quo Dominus sit magna molestia & perturbatione afficiendus, quia rem magni æstimet, vt aliis ostendat. Quando autem nocumentum censeri notabile debeat, prudentis viri arbitrio definiendum est. Repugnat verò furtum charitati, quæ benigna est, nec vlli nocens; simul etiam aduersatur iustitiæ, quæ suum cuique tribuit. Bonorum autem distributio ad retinendam in pace & concordia humanam societatem, iure gentium primùm instituta est; quam postea diuinæ humanæque leges confirmarunt, vt scilicet quisque obtineret, quod ei iure obueniret; alioquin omnia perturbanda vis, ratióque naturæ ostendit. Innocentes opprimerentur: omnia rixis, odiis, inimicitiis plena forent, quæ nunc etiam ex furtis, & iniqua rerum distributione sequi videmus.

Rei paruitas excusat à mortali.

Furtum repugnat iustitiæ & charitati.

Rerum diuisio est Iuris gētium.

Porro furtum committit non solùm, qui rem alterius aufert; sed etiam qui scienter emit, vel inuentam retinet; iuxta illud Augustini: *Si inuenisti & non reddidisti, rapuisti*. Quòd si verò Dominus rei agnosci nequeat, res inuenta pauperibus danda, vel in pium vsum conuertenda est. Reperto autem Domino, nihil inuentori debetur pro restitutione, nec illi, qui debitum suum exoluit; putà receptori Principis aut alterius, quia tenetur ad id, quod facit.

Lib 50 ho. 9. de verb. Apostoli serm. 19.

Res inuentæ cui restituendæ?

Receptori debitū soluenti nihil debetur.

Ad furtum quoque pertinet, vendere pluris quàm res valeat, aut fraudulenter minoris emere. Pretij verò iusti æstimatio ex communi hominum iudicio dependet: estque

Pretium triplex.

triplex: precium infimum, moderatum, & summum, siue rigosorum. *Est alius atque alius* (inquit Augustinus) *pro suo cuiusque vsu à æstimationis modus: & malum est, dicit omnis emptor; & cùm recesserit, tunc gloriatur.* Vnde sciendum, in contractu venditionis tripliciter fraudem admitti, etiamsi res non pluris vendatur quàm valeat. I. Si defectus in rei substantia sit, veluti quando vinum sit aqua mixtum: iuxta illud Isaiæ: *Vinum tuum mistum est aqua.* II. Si defectus sit in rei qualitate, vt si ruinosa vendatur pro firma. III. Si defectus in quantitate sit, numero, pondere vel mensura: quam iniustitiam variis locis Scriptura condemnat.

Aug. lib. 13. de Trinit. c. 3.

Prouer. 20.

Venditio quando iniusta?

Isaiæ 1.

Leuit. 19. Deut. 25. Prou. 11. & 20.

Amos 8.

Committunt insuper iniustitiam, quæ ad hoc præceptum de non furando reducitur, I. Qui monetam adulterant, rodunt, minuunt, scientérque huiusmodi aliis tradunt. II. Qui alterius lucrum impediunt, aut damnum, cùm possint & debeant, non auertunt. III. Qui limites agrorum suo loco dimouent. IV. Opifices & operarij mercede conducti, qui mala fide operam præstant, attamen integram mercedem recipiunt. V. Qui ad publica munia conducti, putà ad præfecturam, consilium dandum, ad professionem artium liberalium, suum officium negligunt, mercede stipendióque liberali perfruentes. VI. Qui operariis mercedem negant, aut æquo tardiùs persoluunt, defraudant, imminuunt. *Ecce* (ait Iacobus) *merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat.* VII. Qui soluere nolunt iustè debita, vel ex torquent quippiam vt soluant, vt sæpe aliorum receptores. VIII. Serui, custodésque rerum Domini sui perfidi, & infideles, aut etiam occultè fures, quos Apostolus monet, vt Dominos suos non defraudent. IX. Qui simulata paupertate eleemosynas corradunt, ac dolosè extorquent. X. Qui fraude vel malitia damnum inferunt: vt iniqui iudices, testes falsi, patroni sua imperitia vel astutia clienti, siue aduersæ parti nocentes; item lites iniustas intentantes, aut scientes fouentes. XI. Iniustitiam committunt Principes, qui sua dissimulatione & incuria permittunt, Reipublicæ suisque subditis à militibus damna inferri; cum ad eos pertineat, illis stipendia numerare, vim, furta, & insolentiam militum cõpescere. XII. Ad furtum pertinet defraudatio iustorum tributorum, vectigalium, exactionum, Principi ad sustinendum sua & Reipublicæ onera concessarum. *Reddite*, ait Apostolus, *omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Et Christus: *Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris.* XIII. Huc reducitur defraudatio decimarum, stipendiorum, Ecclesiastico aut ciuili Magistratui assignatorum. Item similiter neglectus officij, ob quod beneficium datur & recipitur. XIV. Si Religiosus contra voti professionem quippiam vt proprium retineat, aut possideat. XV. Huc quoque reducitur auaritia, quæ immoderatus est rerum temporalium amor, eò hominem perducens, vt tandem suum finem in pecunia constituat: quam idcirco Apostolus *simulacrorum seruitutem, & omnium malorum radicem* vocat. XVI. Huic præcepto etiam prodigalitatis vitium annectitur, quo sua immoderatè quis dissipat, quod vix absque aliorum damno fieri potest. XVII. Huc etiam Simonia reducitur, per quam pro rebus spiritualibus aut eis annexis aliquid pretio æstimabile accipitur vel da-

Monetæ adulteratio.

Operarij mercede conducti.

Iac. 5. Leuit. 9. Deut. 24. Malach. 3.

1. Tit. 1. Ephes. 6. Coloss. 3.

Tributa soluenda.

Defraudatio stipendiorum.

1. Timot. 6.

cat. XVIII. Ad hoc præceptum insuper reducitur infidelis dispensatio, & personarum in conferendis officiis acceptio, in dignatibus, gradibus, & muneribus, siue secularibus, siue Ecclesiasticis. XIX. Hoc præcepto vetatur vsura, hoc est, lucrum solius mutui titulo acceptum: quod Lucæ 6. à Domino prohibetur: *Date mutuum, nihil inde sperantes*; sicut fecit Tobias, qui pecuniam solam chirographo contentam, verèque mutuo datam repeti iussit. Iniustum est enim, pro re non sua pretium exigere, & rei sterilis atque infructuosæ vsumfructum deposcere, cùm nemo propter vsum rei propriæ aliquid pendere alteri debeat: at quod mutuo datur, eius fit, cui mutuo datur. Et cùm vsu consumatur, non potest idem reddi, sed in simili specie, numero, mensura, valore, aut quantitate: cuius generis sunt pecunia, frumentum, vinum, oleum, aliaque huiusmodi, quæ post vsum non habentur. Quamuis autem ex mutuo lucrum expectari debeat, attamen fauorem, amicitiam, & beneuolentiam, quæ precio æstimari nequeunt, sperare licet. Si verò quippiam accipiatur, ratione damni emergentis, aut ratione lucri cessantis (vt fit inter mercatores) aut ratione solius laboris, qui in pauperum vtilitatem suscipitur vt (in mõtibus pietatis) vsura non est.

Vsura quid? & cur prohibita? Lucæ 6: Tob. 1. Esdræ lib. 2. cap. 5. Aug. cont. 2. in Psal. 36. Basilius in Psal. 14.

Ex mutuo fauorem expectare licet.

Qui insuper secundùm leges & patriæ consuetudinem, censum vel redditum, siue pecuniarium, siue olei, vini, frumenti, &c. emit, nullam vsuram committit, cùm pecuniæ numeratæ proprietatem, & ius omne, quod in sortem habet, in alium transferat, nec ad libitum repetere possit; sed ius emit solùm percipiendi annuè censum, remanente sortis dominio penes eum, qui vendit redditum, siue realem, siue personalem, siue perpetuum, siue vitalem. Quando autem res vsu non consumitur, & ex se vtilis ac frugifera est, elocare vsum, atque conducere precio licet. Quia verò vsura, furti species est, consequitur, quòd sic parta restitutioni sint obnoxia, quódque hæres vsurarij ad faciendam restitutionem obstrictus sit. Vnde à manifesto vsurario per vsuram acquisita emere, aut dono accipere, nefas est: nec licet Notariis vsurarios contractus in publica instrumenta referre, nec testibus huiusmodi contractus suo patrocinio firmare. Principi verò, propter maiora mala deuitanda, licet in Republica vsurarios tolerare, sicut & prostibula permittere. An verò mulctæ nomine princeps ab vsurario aliquid exigere possit, consulta Facultas Theologica Louaniensis respondit, quòd Principi non liceat mulctæ nomine summam annuam à fœneratore accipere, permittendo ei, vt vsuras illa occasione adaugeat, quia mulcta seu pœna, limes esse peccati, non fomes debeat, & ad suum finem ordinanda sit, quem exponit Apostolus: *Si malum feceris, time*; vt nimirum cohibeatur homo à perpetrando malo, non vt foueatur in peccato, concessa ei pretio impunitate, ac peccandi libertate. Accedit, quòd tali mulcta non grauetur vsurarius, sed contra iustitiam inops & innocens, qui necessitate pressus ab vsurario mutuum petere cogitur. Si autem occasione mulctæ vsurarius consuetum fœnus non augeat, neque periculum sit, vt impotens ad restituendum imuitè accepta reddatur, eo casu Principi liceret vsurarij iniustitiam mulcta punire, sicut quoduis aliud crimen Reipublicæ noxium.

Res quæ vsu non consumitur, elocari potest.

Per vsuram parta sunt restituēda. Vsurarij à

Principe tolerari possunt.

Rom. 13.

Quando liceat mulctæ titulo aliquid ab vsurario accipere.

Redditũ emptio licita.

Si autem vlterius QVÆRATVR,

cæ ciuiúmque damno: ac insuper, qui iniustis exactionibus populum onerant, nec stipendus suis contenti sunt: quales plerúmque sunt Nobiles, qui à suis subditis indebita, vi aut metu extorquent; Prætores, Officiati, Publicani, Receptores, Milites, aliena calamitate gaudentes. Neque ab hoc vitio tuti sunt, qui Episcopatus, Abbatias, vel alia Ecclesiæ amplissima bona, nullum vel exiguum præstantes Ecclesiæ seruitium, detinent. Contra hos & similes illud Apostoli audiendum est: *Rapaces regnum Dei non possidebunt.* Et, *Qui ferabatur, iam non furetur.*

Isaiæ 1.

1. Cor. 6.

Ephes. 4.

CAP. LXXXII.

Quæ septimo Præcepto iubeantur?

Septimo præcepto quæ fieri iubeantur.

POstquam hoc septimo præcepto vetita exposuimus, superest, vt ad ea, quæ iussa hic sunt, progrediamur: in quibus I. loco restitutio facienda occurrit ab omnibus, qui alienum iniustè abstulerunt, vel iussu, consilio, auxilio, consensu, taciturnitate, damni efficax causa fuerunt; item, furum receptatores, custodes, patroni, socij. Nec filij à restitutione liberi sunt, qui parentibus; neque vxores, quæ viris surripiunt. II. hic iubetur liberalitas, beneficentia, seu eleemosyna, qua pauperũ inopiæ succurritur, quæ omnibus fidelibus adeò commendatur, vt Christus in extremo iudicio exprobraturus sit operum misericordiæ neglectum, & collaudaturus beneficos, & eleemosinarum largitatores; quibus non solùm in hac, sed & in futura vita Deus præmia pollicetur. *Date, & dabitur vobis.* Et, *Nemo est qui reliquerit, &c. qui non recipiet cẽtiesiantum nunc in tempore hoc, & in futuro seculo vitam æternam.* Et, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiãt in æterna tabernacula.* Et, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et, *Sicut aqua ignem extinguit, ita eleemosyna peccatum.* Vnde Regi Daniel ait: *peccata tua eleemosynis redime.* Nam *Misericordia redimitur peccatum.* Et, *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Vnde nundinis eleemosynæ comparantur, in quibus magna paruo pretio emuntur: frusto panis, Regnum cœlorum; vili tegumento, imò calice aquæ frigidæ, immortalis vitã, sempiternáque gloria.

Reſtitutio ablati neceſſaria.

Aug. epiſt. 54. Chryſ. hom. 33. in Gen.

Eleemoſynæ dandæ.

Matth. 35. Lucæ 6.

Operum miſericordiæ ingens merces.

Marci 10. Lucæ 16.

Matth. 5. Eccleſ. 3. Daniel 4. Tob. 4. Prou. 16. Prou. 19.

Ex quibus etiam discimus, neminem adeò esse pauperem, quin misericordiæ opera exercere possit, cùm paululum saltem aquæ indigenti elargiri queat. Pietatis insuper Christianæ fuerit, labore, operæ & manibus cõquirere, vnde tribuat necessitatem parienti (vt fecit Apostolus,) quòd etiam otij vitandi causa expedire tradit: prout & hortatur, vt frugales simus, aliorum bonis non inhiemus, ne graues ac molesti eis simus.

1 Theſſ. 4. 2. Theſſ. 3.

2. Theſſal. 2. & 3.

CAP. LXXXIII.

De octauo præcepto.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Octaui præcepti expoſitio.

POstquam prohibitæ sunt iniuriæ operum, rectissima methodo iniuriæ verborum inhibentur, & quidem post Furtum, vetatur Mendacium, quia *fur, mendax* esse solet. Præcepti verò huius est sensus: *Nullum in proximi nocumentum proferes mendacium, sed veritatem loqueris.* Tribus autem modis violatur hoc Præceptum. I. testimonij

Iniuriæ verborum. Eccleſ. 20. Mendacij vetatur.

Falsum te-

Falsæ accusationes & calumniæ.

dum à iurato falsum testimonium in iudicio contra proximum dicitur, in quo maxima iniustitia, Deique contemptus inest, ideoque huiusmodi mendacium explicitè prohibetur, ad quod fallæ accusationes & calumniæ, quibus falsò aut iniustè crimen alicui impingitur, reducuntur. Item studium, causam proximi in iudicio iniustè subuertendi, siue per corruptionem iudicis, siue accusatoris, siue rei dolosè respondentis, aut veritatem fateri nolentis; siue demum corrumpendo aduocatum, procuratorem, assessorem, scribam. Huc quoque reducuntur fallæ ac iniquæ iudicum sententiæ, malæ causæ defensio, dare testimonium indoctis, aut criminosis, vt ad sacros ordines, vel ad alia publica officia promoueantur.

Corruptio. Iudicum.

Iniquæ sententiæ.

Mẽdacium perniciosũ.

II. Prohibentur falsa testimonia extra iudicium, omniáque pernicioſa mendacia, quæ ad falsa testimonia pertinere docet Apostolus, dum ait: *Inuenimur autem & falsi testes Dei.* Vbi mendacium, quod ad laudem profertur, vocat *falsum testimonium*. Inter pernicioſa verò mendacia primum locum occupant mendacia in fidei doctrina, quia in illis falsum contra vitam æternam dicitur, quæ vita temporali quantò est pretiosior, tantò detestabilius est mendacium, ab illa homines abducens, Augustino teste libr. *de mendacio*, cap. 12. & 13. Et luculenta Christi doctrina est: *Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Vnde sequitur, nefas esse, fidem cordè retentam ore negare. Quod licere, olim docuere Basilides, Priscillianistæ, & Helchesaitæ, iuxta Eusebium libr. 4. histor. cap. 8. & libr. 6. cap. 28. Aug. hæresi 10. Et Caluinum, eiusque sequaces, quando de religione agitur, sentire licitum esse mentiri, Hieronymus Bolsecus in vita Caluini scribit. At nefariam esse in negotio religionis vel simulationem, ex facto Eleazari probat Cyprianus lib. *de exhortatione martyrij*. Et Augustinus libr. 6. *de ciuit.* cap. 10. contra Senecam, qui arbitrabatur, licere idolis sacrificare, dummodo quis meminisset, eorum cultum ad morem, non ad rem pertinere. Contra quem disserens Augustinus ostendit, martyres non solùm à colendo, verùm etiam à confitendo Christo nullis tormentis dimoueri potuisse. Hinc Cyprianus *Libellaticos* reprehendit, qui volebant videri paruisse, quamuis non ipso facto legibus tyrannorum iniquis paruissent.

1. Cor. 15.

Mẽdacium falsę doctrinæ.

Non licet fidem ore negare.

Caluinus mendacij patronus.

1. Mach. 6.

Simulatio in religionis negotio illicita.

Aug. lib. 8. de ciui. c. 19 lib. 2. c. 6. Libellatici.

Latissime igitur patet mendaciũ, & locum in omni pene negocio habere potest, tam sacro, quàm profano: in tractatibus, pactis, fœderibus, litteris, sigillis, iudiciis, periuriis, falsis testimoniis, doctrinis: in detractionibus, calumniis, adulationibus, in quibus fictis laudibus gratia captatur; in hypocrisi, temerario iudicio, suspicionibus, in criminatione, susurratione; ac denique in simulatione, vt hoc vnum sit peccatum, ad omnes pene homines subrepens, iuxta illud Psalmistæ, *Omnis homo mendax*, & Iacobi: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.*

Mendacij latitudo.

Psal. 14. Iacob. 3.

Tertio prohibentur hoc mandato iocosa & officiosa mendacia, quæ proferentis animam quoque lædit. Nam si de omni verbo otioso reddenda erit ratio, quantò magis de mendacio, licet iocoso? *Omne enim mendacium à diabolo est*, qui primus author (Christo teste) mendacij fuit. Vnde Sapiens: *Nolli velle loqui omne mendacium.* Et Leuitici 19. *Non mentiemini, nec decipiet vnusquisque*

Officiosum & Iocosum mẽdacium. Aug. lib de mendacio cap. 12. Lib. cont. mẽdacium. cap. 15. In Exod. q. 1 & 71. Matth. 12. Aug. in Ps. 5.

Lib. 2. retract. c 60. Ioan. 8. Eccl. 7. Matth. 5. 2. Cor. 1. Quis proximus?

quisque proximum suum. Et Dominus: *sit sermo vester: est est, non non*, id est, verax affirmatio vel negatio; quod amplius est, à malo est. Et Apostolus: *Deponentes mendacium, loquimini veritatem*. Quare non licet ex humilitate peccata sibi falsò ascribere, vel negare virtutes, quas habet quis; neque mentiri, vt prosis alteri vel tibi: Proinde valeant mendacij patroni. Cassianus collat. 17. & Rupertus in Exodum cap. 7.

Cassianus mendacij patronus.

Rom. 14.

Proximus est, quicunque nobis natura, religione ac beatitudinis spe coniunctus est, cui opus misericordiæ ac dilectionis impendere possumus: hunc decipere vetamur. Et sublatis omnibus fallaciis, vult Deus dicta factáque nostra simplici veritate niti. In iudiciis obseruari iustitiam, & legum constitutiones, non vsurpari in non subditos iudicia, non ferri sententiam causa incognita, non condemnari innocentes, nec absolui nocentes: item ne Iudex precio, gratia, odio vel amore moueatur; sed quod iustum est, absque vlla personarum acceptione, proferat. Similiter hoc præcepto iubetur, vt rei & fontes ex iudicicij formula rectè interrogati, veritatem confiteantur, ad cuius gloriam pertinet veritatis testimonium. Iuxta illud Iosuæ: *Da gloriam Deo*. Et quia de occultis & nobis ignotis dubij hærere possemus: duorum aut trium testium testimonio nos Deus stare decreuit. Et quemadmodum personis iudicia exercentibus, atque illis subseruientibus, (vt sunt iudices, testes, accusatores, rei, patroni, procuratores, scribæ; aduocati) prohibetur omnis fallacia & deceptio; ita eisdem iubetur, vt sua opera & patrocinio

Reus à Iudice rogatus, respondere tenetur.

Iosue 7. Duorum aut trium testimonio standum. Deut. 18. Matth. 18.

In iudiciis vetatur omnis fallacia & deceptio.

necessitati hominum benignè subueniant, vt iniustas causas tuendas non suscipiant, neque auaritia vel calumnia lites protrahant, mercedem laboris iure ac æquo metiantur. Item fisci, actores, accusatores iubentur nulli amore, odio, vel cupiditate periculum iniquis criminationibus accersere: omnibus denique hominibus hîc iubetur, vt in congressibus & colloquiis verè semper, candidè, ac ex animo; non autem fictè, in dolo & astu proximis loquamur. Quod vitium Dominus in aulicis regnare significauit, quando de Herode loquens ait: *Dicite vulpi illi*. Et Psalmista eum à regno cælorum excludendum ait, *qui non loquitur veritatem in corde suo, & agit dolum in linguâ suâ*. Vnde politicorum euanescit sententia, qui mendaciis, fallacia, dolis & simulationibus nonnunquam Reipublicæ subueniendum arbitrantur; de qualibus Isaias ait: *Mendacium posuimus spem nostram: mendacio protecti sumus*: quorum carnalis prudentia mors est, quia magis nituntur, qui tales sunt, humana prudentia, quàm prouidentia diuina, magisque in angustiis sibi, quàm in Deo confidunt.

Aduocati & procuratores, atque scribarum officium sine fraude exercendũ. Fiscus.

Astutia, fictio.

Dolus & fraus in aulis regnant.

Psalm. 14.

Politici fraudulentiæ patroni.

Isaiæ 28.

Rom. 8.

Præterea, vt mendacium caueatur, loquacitas vitanda est. Nam *in multiloquio non deest peccatum*. Et fugiendi sunt, qui consuetudine mentiendi necessitatem quandam falsa dicendi tibi peperierunt, Corrigendi sunt enim malì, non imitandi.

Loquacitas vitanda. Prouer. 10.

CAP. LXXIV.

De nono præcepto.

Non concupiſces vxorem proximi tui.

Noni præcepti expoſitio.

HOc nono præcepto explicitè adulterij deſiderium prohibetur, implicitè verò illicita omnia carnis voluntaria deſideria. Ne quis opera duntaxat externa vetari arbitraretur, & interiores animi cupiditates Deum non offendere, (vt putarunt Iudæi, quos Dominus Matth 5. reprehendit, & Ioſeph libr. 12. Antiquitatum cap. 13. ſe ita ſentire ſcribit:) ideo Deus declarare voluit, iuſtitiam veram coram ſe non minùs interioris hominis rectitudinem, quàm externi operis exigere. Lex enim Dei ſpiritualis eſt, non minùs cohibens affectum, quàm opus externum. Hoc enim inter diuinas & humanas leges intereſt, quòd illæ animi puritatem requirant: (*omnia* enim *Deo aperta et nuda ſunt*;) iſtæ verò externis operibus contentæ ſint. In hac ergo Dei lege, tanquam in ſpeculo, naturæ noſtræ vitia contemplamur, & diſcimus, interna deſideria ſpiritui & rationi cõtraria, vitioſa eſſe, internúmq; concupiſcentiæ inordinatum motum à Deo non eſſe, ſed ex peccato in nobis eſſe ortum, iuxta illud Apoſtoli: *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces*: id eſt, interioris animi motus & deſideria nullo externo prodita ſigno pro factis reputari neſciebam, niſi lex Dei me inſtruxiſſet ac docuiſſet, omnem rei malæ, inuitæ, ac vetitæ deliberatam & voluntariam concupiſcentiam eſſe non minùs peccatum, quàm opus externum. Quod ipſum Dominus Matth. 5. in eis, quí legem Dei falſa interpretatione depraua-bant, correxit: *Dictum eſt antiquis: Non mœchaberis: Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo*: id eſt, quí cum deliberatione conſenſúque voluntatis mulierem aſpicit, vt eius deſiderio accendatur, accenſúſque fruatur, reus eſt adulterij, etiamſi nullo externo ſigno interiorem ſuam concupiſcentiam prodat, quia voluntas deliberata, ſiue bona, ſiue mala, pro facto reputatur.

Adulterij deſiderium vetatur.

Cuncta illicita carnis voluntaria deſideria.

Lex Dei etiam affectum cohibet.

Rom. 7. 13.

Voluntas deliberata pro facto reputatur.

Cauenda eſt hîc Caluini, Lutheri, & ſectariorum falſa doctrina, quæ tradit, etiam in voluntarios prauæ concupiſcentiæ motus hac lege prohiberi, atque peccata eſſe propriè dicta, cùm lex homini, non carni, aut ſenſui detur, & de actibus humanis, qui ſunt in hominis poteſtate, diſponat. Primi autem illi motus carnis, qui reluctante quoque homine ſæpe inſurgunt, non ſunt actus humani, nec in hominis poteſtate, ideoque minimè hac Dei lege vetantur. Nec obſtat, quòd Apoſtolus concupiſcentiam, ſeu formitem aliquoties peccatum appellet: (*Non ego operor, ſed quod habitat in me, peccatum*: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentiis eius*: *In ſimilitudinem carnis peccati*: nam non propriè Apoſtolus concupiſcentiam peccatum vocat; ſed quia ex peccato facta eſt, & ad peccandum inclinat, vt conſtanter Auguſtinus docet, & Concil. Trident. definiuit. Cùm verò alibi dicit Auguſtinus, *aliud præcipi illis verbis*: *Non concupiſces*; *aliud illis*: *Poſt concupiſcentias tuas non eas*: *ſiue*: *Non regnet peccatum in mortali corpore, vt obediatis concupiſcentiis eius*, nihil aliud ſignificare intendit, quàm quòd hoc præcepto, *Non concupiſces*, non ſolùm

Motus cõcupiſcẽtiæ inuolõtarij non ſunt peccata. Chryſoſt. hom. 12. in Matth. in operæ impetratio.

Lex de actibus humanis diſponit.

Rom 6. 7. 8.

Concupiſcentia quãdo peccatum?

Aug. lib. 1. cõt. 2. epiſt. Pelag. c. 13. Lic. 1. de ciuit. c. 16. 18. 19 & 25. Lib. de perfect iuſtitiæ homin. 17. Lib. 6. in Iulian. c. 6. Lib. 1. de nupt & cõcup. c. 23.

contineatur, quòd in hac vitâ homini præcipitur, vt peccatum euadat; sed quòd insuper ostendatur scopus, ad quem tendere debeat, & in hac militante vita conari & anhelare, vt scilicet ad perfectam iustitiam perueniat, ad eúmque statum, in quo ab omni carnis inordinato motu & corruptione liber sit futurus.

Oculus impudicus.

Contra hoc nonum præceptum peccant viri ac mulieres, alienum thorum appetentes: item, qui oculo impudico aspiciunt, vident, audiunt, colludunt, vt sibi concupiscentiam excitent vel adaugeant: qui denique se turpibus oblectant cogitationibus, diutiúsque illis voluntariè immorantur.

CAP. LXXXV.

Decimi præcepti expositio.

Decimum præceptum iuxta LXX. Exodi 20. sic exprimitur.

NOn concupisces domum proximi tui, neque agrum eius, neque seruum eius, neque ancillam eius, neque bouem eius, neque subingale eius, neque omnem supellectilem, neque quæcunque proximi tui sunt.

Deuteronomij c. 5. sic decimum Præceptum datur.

NOn concupisces domum proximi tui, non agrum, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, & vniuersa quæ illius sunt.

Furti desiderium.

HOc mandato decimo prohibetur omne deliberatum furti desiderium, seu omnis inordinata voluntas accipiendi, vel retinendi aliena. Ideo autem Deus interiorem aliena sibi iniustè vendicandi cupiditatem expressè vetuit, ne quis arbitraretur, sola exteriora furta Deo displicere.

Appetitus tripliciter malus.

Triplici verò ex causa peccatum in concupiscentia reperitur. I. Est, quia per se malum est quod appetitur, vt si adulterium, homicidium, vel aliud crimen perficere desideres; de qua 1. Corinth. 10. Apostolus: *Non simus concupiscentes malorum.* II. est, quia desiderium conuoluit iniustitiam: vt si quis appetat aliena. III. est, quia rem vetitam appetit, licet ex se indifferentem: sicut Eua ligni vetiti fructum appetijt.

Bona immobilia.

Nomine *domus*, & *agri*, bona immobilia, nobilitas, potentia, & gloria designantur: quæ auidè appetere vetamur, nec alijs ista bona inuidere, vt statu suo quiuis contentus existat, siue is humilis, siue excelsus sit. Hîc ergo seculi ambitio damnatur, iuxta Augustinum lib. *de decem chordis*. Item nomine *serui* & *ancillæ* intelliguntur res animatæ anima rationali: ac sermo est tam de captiuis, quàm emptitijs: quos, vt cetera alterius bona cõcupiscere, ac sollicitare, vt Dominos suos deserant, prohibemur. Eadem ratio est de seruis & ancillis conductis, aliísque liberis hominibus, qui voluntate aut mercede, amore vel obseruantia suas operas alicui addixerunt: hos nefas est sollicitare, vt operas conductas, vel vltrò addictas non præstent. Nam hoc præcepto qui ante tempus condictum à famulatu recedunt, vel opera imperfecta relinquunt, reuerti iubentur, atque opus implere. Nomine *bouis & asini*, omnes res animatæ anima sentiẽte intelligũtur, siue pertineant ad cibũ (vt bos, ouis, capra, &c.) siue ad subuehenda onera, vt asinus, equus, mulus, sub quibus reliqua animalia in hominis dominio existẽtia subin-

Seculi ambitio.

Serui & ancilla.

Bos & asinus.

telliguntur, vt gallinæ, columbæ, pisces in vuariis, canes, apes, &c.

Bona mobilia.

Et vnius cuiusque illius sunt. Hac parte desiderium rerum mobilium inanimatarum prohibetur, vt sunt pecuniæ, vestes, iocalia, grana, supellex, instrumenta mechanicarum artium, libri studiosorum, poma, & alij fructus, résque aliæ inanimatæ, quas omnes cum alterius detrimento concupiscere, ac iniustè vendicare velle prohibemur.

Proximus.

Proximi autem hîc mentio fit, vt hominum vitium & insatiabilis cupiditas notetur, qua vicinas domos, agros, vineas appetere solent, vt plerumque vicinitas, quæ amoris vinculum esse deberet, odij causam pariat, vt in Achab patuit, qui desiderio vineæ, Nabothi interfecit.

3. Reg. 21.

Si quis autem rem, quam proximus venalem habet, iusto pretio emere cupiat, hanc legem non violat: quia proximum non lædere, sed adiuuare intendit, cui pecunia maius commodum sit allatura, quàm res vendita. Sed in hanc legem peccât, qui viis illicitis rem proximi occupare contendunt, vt lusibus aleæ, vel aliis immoderatis, quibus facultates aliorum exhaurire studêt. Item qui monopolia ineunt, vt aliorum grauamine diteſcant: qui negotiando periuriis lucrari, vel compendij causa lites expetunt, fouent, producunt: aut cor in fraudes, impostura, circumuentiones intentum habent: necnon qui morbos vt lucrêtur, aut bella, vt impune furentur, concupiscunt; vel proximo honorem, æstimationem, opes, dignitatem, gradum, prosperitatem, aut quamcunque iurisdictionem, prærogatiuam vel eminentiam inuident: quales si ipsa nocumentum alteri iniustè intulerint, ad restitutionem tenentur.

Eccl. c. 55. Isa. c. 5.

Non inuidenda alteri fortuna bona.

Sed cur tantùm adulterij & furti desiderium prohibetur? cùm voluntas occidendi, vel falsum testimonium dicendi, non sit minus peccatum, quàm concupiscentia adulterij vel furti? RESPONDEÔ, peculiari mandato fuisse illa prohibenda, quæ boni delectabilis aut vtilis speciem habere videntur, & ad quæ homines sunt proniores: vt ex horum prohibitione, reliquæ illicitæ concupiscentiæ vetitæ quoque subintelligantur, vt Apostolus docuit, generatim hoc præceptum exprimendo: *Non concupisces.* Accedit, quòd per se turpia & horrenda desideria (vt homicidij) non sit opus singulari præcepto vetari.

Vetantur desideria rerum speciem boni habétium.

Rom 13. & 18.

Per se horrenda non indigent speciali præcepto.

Præter ea verò, quæ decimo præcepto prohibentur, nonnulla fieri imperantur, ac in primis, vt proximo felicitatem, bonorumq; incrementũ exoptemus, vt *diuitiæ si affluant, cor non apponamus*; vtque in Dei honorem, & pauperum necessitates erogare parati simus; vt non parci, sed liberales bonorum nostrorum dispensatores reperiamur, animumque ab omni terrenarum rerum labe purum conseruemus, ac omnibus prauis cupiditatibus repressis, rectum vitæ cursum ad superna teneamus. Nam *à concupiscentia tanquã fonte omnia peccata emanant*, iuxta illud Ioan. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Et Iacobi: *vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatũ verò cùm cõsummatum fuerit, generat mortẽ.* Vbi peccati originẽ & progressum videmus. Nam dum post cupiditatũ malarum sensũ, animus incipit delectari, inchoatur peccatum: at si voluntas tentationi, plenè consentiat, peccatum regnare iam incipit, ac paulatim

Felicitas optanda proximo.

Iacob 1. 1 Ioan 2.

Concupiscentia fons peccati.

Peccati progressus.

rectum animi iudicium cupiditatum tenebris ita obscuratur, vt iudicet amplectenda, quæ alij sentiunt esse abominanda. Inde sequitur Dei, rerúmque spiritualium contemptus, ac denique salutis desperatio, vt parabolâ Dominus Marci 4. illustrat, semen in spinas cadens, eos adumbrare dicens, qui verbum Dei audiunt, quod ab introeuntibus concupiscentijs suffocatur, & sine fructu efficitur. Qui enim molestâ cupiditatum procellâ iactatur, neque tempus, neq; studium habet vacandi pietatis atque religionis officijs.

CAP. LXXXVI.

Quo fructu præcepta Dei seruentur.

Merces obseruationis, præceptorum.

OBseruatoribus mandatorum Dei promittitur vita æterna, *Si vis ad vitam ingredi: serua mandata*, ingressus in regnum cœlorum, Matth. 19. & 7. fraternitas Christi, Marci 3. æterna mansio. 1. Ioan. 2. D. Gregor. notat, Dominica præcepta multa esse per diuersitatem operis, sed vnum in radice charitatis, quoniam omnia præcepta tendunt ad fouendam charitatem, & extinguendam cupiditatem. *Plenitudo enim legis est dilectio, & finis præcepti charitas. Perfectionis vinculum, charitas. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ.* Nam quæcúnque Scriptura docet, præcipit & consulit, eò tendũt, vt Deus & Proximus diligantur: & quamuis præceptum aliquod sine charitate ita obseruari possit, vt transgressio vitetur; non tamen fructum iustitiæ, neque vim salutis promerendæ habebit opus vel obseruatio legis, nisi ex charitatis radice profluxerit, (vt luculenter docet Apostolus 1. Corinth. 13.) *Gloria verò, honor, & pax omni ex illa operanti bonum, quam proinde in cordibus nostris diffundat Pater & Filius & Spiritus sanctus, vnus Deus super omnia benedictus, & Amen.*

Hom. 27. in Euang.

Rom. 13.

1 Timot. 1. Matth. 22.

Finis præcepti charitas, ex qua fluunt meritoria vitæ æternæ opera.

2. Cor. 13.

Rom. 2.

CAP. LXXXVII.

De præceptis Ecclesiæ.

VAria sunt Ecclesiæ præcepta, sed enumerari quinque præcipua, omnibus scitu & obseruatione necessaria cõsueuerunt. I. est: *Statutos Ecclesiæ dies festos celebrato.* II. *Sacrum Missæ officium diebus festis reuerenter audito.* III. *Ieiunia certis diebus temporibúsque indicta obseruato.* IIII. *Peccata tua sacerdoti proprio annis singulis confiteor.* V. *Sacrosanctam Eucharistiam ad minimum semel in anno, idque circa festum Paschæ sumito.* Horum præceptorum obseruatio eò tendit, vt omnia honestè & secundùm ordinem inter fideles agantur. Et quoniam hæc & alia vniuersa Ecclesiæ præcepta in decalogo continentur, vbi præceptum est, parentibus ac præfectis Ecclesiæ parendum, & eò solùm spectant, vt quæ à Deo præcepta sunt, executioni certo modo mandentur; ideo in eis explicandis Catechismus Romanus non esse immorandum putauit. Et legislator noster Christus de omnibus Ecclesiæ præceptis regulam obediendi edixit: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Et: *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Vnde Apostolus *circuibat Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum,* quæ partim erant scripta, partim non scripta, sed viua voce tradita; qualia ad nos transmissa retinemus iuxta Pauli doctrinam: *State & te-*

Quinque principalia Ecclesiæ præcepta.

Præceptorum Ecclesiæ finis.

Luc. 10.

Matth. 18.

Act. 15.

Traditionũ authoritas.

2. Thes. 2.

nete traditiones, quas didicisti is sive per sermonem, sive per epistolam nostram: vt ordo celebrandæ Missæ, & modus Eucharistiæ sumendæ, baptismus paruulorum, sacrificandum pro defunctis, benedictio chrismatis, ritus ordinandi Episcopos, Presbyteros, Diaconos.

Consilia Euangelica.

Sunt & consilia Euangelica, quæ non tanquam necessaria proponuntur, sed vt facilius præcepta obseruentur perfectius & cum maiore gloriæ expectatione suadentur: qualia enumerari solent tria principalia, scilicet *Paupertas*, *Castitas*, & *Obedientia*. Quæ Christus verbo & exemplo docuit. *Cùm* enim *diues esset, pauper factus est pro nobis*. Virgo ex virgine natus permanlit, & virginitatem commendauit, tum per seipsum Matth. 19. tum per Apostolum 1. Corinth. 7. Patri verò cæteris vsque ad mortem obediit: non enim suam sed Patris voluntatem facere venit, qui & parentibus secundùm carnem subdi elegit.

Ioan. 6. Lucæ 2.

Festorum obseruatio.

Circa primum Ecclesiæ præceptum de festis celebrandis, obseruandum est, in Concilio Tridentino constitutum esse, vt dies festis in qualibet Diœcesi ab Episcopo præscripti, ab omnibus exemptis, etiam regularibus vniformiter obseruentur. Generalia verò festa, vbique recepta, ex vsu Ecclesiæ nota sunt: particularia verò festa cuiusque prouinciæ, in Concilijs prouincialibus enumerantur. Quid autem fidelibus agendum sit diebus festis, & à quibus abstinendum, latè dictum est in explicatione tertij præcepti. Circa secundum præceptum audiendi Missam notandum est, quòd in eo consistat Missam audire, vt aliquis corpore præsens in sacrificio adsit, mentéque attendat, ita vt data opera non cuagetur, nec

Sess. 25. c. 12.

Conc. Mechlinien. titulo De festis, c. 1.

De cõsecr. dist. 1. can. Missas.

voluntariam habeat inaduertentiam; qualem habent, qui opus euagationem annexam habens eligunt: vt scribere, pingere, studere, fabulari, &c.

Missam audire quis censetur?

An verò sub Missa horas Canonicas, ad quas obligatur quis, legere, aut Rotarium in pœnitentiam iniunctum recitare liceat, ambigunt nonnulli. Probabilius est, id licere, dummodo talis virtualiter attendat, se Missam audire; quanquam præstet, ad Missæ mysteria attendere, quàm alia tunc legere aut recitare. Consultum insuper est, Missam tempori accommodatam, & præsertim in maioribus festiuitatibus solennem (quam summam Missam vocant) audire: cùm vt ex hominum frequentia officium diuinum ornatius celebriúsque reddatur; tum vt fideles mutuo conspectu & exemplo ad pietatis officia seinuicem excitent. Satisfacit attamen Ecclesiæ præcepto, qui Missam in die festo audit, siue priuatam, siue solennem; siue *de Feriâ*, siue *de Requiem*, etiam in die Dominica; quamuis non deceat illa die absque graui causa Missam *de Requiem* celebrari. Rursus expedit Missam in sua parochia audire; & si quis ex contemptu, vel cum aliorum scãdalo suam parochiam deserat, peccabit, vt Conc. Trid. sess. 22. c. 1. declarat.

Toletus in instruct. Sacerdo. li. 6. c. 7.

Sylvester verbo Missa 2. parag. 1.

Præceptum insuper hoc ad vnicam audiendam Missam, obligat etiam in festo Natiuitatis Christi; & interesse quis Missæ tenetur à principio vsque ad nouissimam sacerdotis benedictionem. Audienda verò Missa est Sacerdotis non suspensi nominatim, aut interdicti, vel publici percussoris clerici; non concubinarij notorij; non eius, qui sit excommunicatus denuntiatus, degradatus aut suspensus. Si verò à in-

re vel homine tantùm sit excommunicatus, ita vt non sit denunciatus, Missam talis Presbyteri audire licebit. Per dies autem festos, intelligimus dies Dominicas, & omnes alias, in quibus opera seruilia exerceri vetantur; non autem dies Aduentus & Quadragesimæ, vel Quatuor temporum, in quibus vt & quotidie Missam audire, consilij est, non præcepti.

A Missa die festo audienda qui excusentur.

Obligat verò hoc præceptum omnes fideles, vsum rationis habentes, cuiuscúnque sint ætatis, sexus, & conditionis, idq; sub peccato mortali, nisi iusta causa excuset; putà, si omittatur Sacrum ad vitandum spirituale damnum proprium vel alienum: vt si quis iurauerit, se nõ egressurum domo, sibi pro carcere assignata. II. Ad euitandum notabile corporis damnum: vt si mater familiâs necessaria præparare nequeat, si exeat: vel si quis infirmetur, nec absque graui periculo exire tutum sit. III. Ad euitandum damnum honoris, famæ propriæ vel alienæ: vt si virgini periculum pudicitiæ immineat; aut vidua iuxta morem patriæ, marito defuncto, ad certum tempus absque graui nota domo egredi nequeat. IV. Si magnum immineat periculum perdendæ rei propriæ vel alienæ. Sic excusari possunt, qui arces custodiunt, carceres, ciuitatum portas, & qui negotia publica tractant, quæ absq; magno detrimento differri nequeunt; vt Principum consiliarij, ouium pastores, peregrini, ne commodâ societate priuentur: Item rustici solitariè morantes, quibus à latronibus, furibus, militibus verisimile periculum imminet, si domo absint. Postrema causa excusans, est impotentia Missam audiendi, qualis est in nauigantibus, incarceratis, sacerdotis copiâ destitutis, (vt apud hæreticos & schismaticos euenire cernimus) quia fugati sint, aut latere cogantur, vel omnino ibi esse non permittantur. Vt autem cum fructu Missa audiatur, accedendum est cum sincera fide, qua credatur, in Sacramento Eucharistiæ post Sacerdotis consecrationem, Christum verè, realiter, ac corporaliter præsentem esse, atq; sub panis & vini speciebus latentem rectè adorari, & sumi: nec non in Missa verum & proprij nominis sacrificium offerri, quo oblationis cruentæ in cruce per Christum factæ, nobis fructus applicantur, & memoria tanti beneficij à Christo suæ morte præstitij iugiter commemoratur; vt hæc attendendo fideles in Dei amorem & reuerentiam inardescant, eique summas gratias agant; interiore quidem animi sensu Christum verum Deum agnoscentes, Hominem factum, exteriore verò sacrificij ritu & oblatione, ipsi se, veluti supremo omnium rerum Domino cum Patre & Spiritu Sancto, vno vero Deo, subijcientes, autorémque omnium bonorum, gratiæ naturæque largitorem profitentes. Ex qua fide consequitur, vt cum exteriore modestia, decenti corporis habitu, sitúque, tanto mysterio assistere debeant, vtróque flexo poplite; viri detecto capite, mulieres autem velatæ, vt iuxta Apostoli monitionem omnia honestè & secundùm ordinẽ fiant. Nam si coram terreno Principe singulari cum reuerentia consistimus, verbáque singula, quæ dicturi sumus, prẽcogitamus, gestúque composito adstamus, quantò maiore animi reuerentia Christo, Regi regum astare nos conuenit, *cui genu flectunt cœlestia, terrena, & infernа: quẽ adorant Angeli, laudant, & pro nobis intercedunt?* Quanta cũ humilitate Patri spirituum nos decet filij

Quo affectu Missa sit audienda.

1. Cor. 14.

Philip. 2.

obedientiam vsque ad mortem in munus ipsi acceptissimum offerre? credendo in præsentem in hoc Sacramento, amando eundem, vitæ futuræ bona sperando à præsente, latente sub specierum Sacramentalium velamine? Non enim minùs impetrauit cæcus, qui Christum præsentem credebat, sed non videbat, quàm alij, qui oculo corporeo Christum videbant, & non credebant. *Beati* enim prædicantur, *qui non viderunt & crediderunt.*

CAP. LXXXVIII.

De Ieiunio triplici.

Ieiunium triplex: scilicet Naturale, Ecclesiasticum, & Spirituale.

CIrca tertium præceptum Ecclesiæ de Ieiunijs, obseruandum est, triplex ieiunium reperiri: videlicet Naturale, Ecclesiasticum, & Spirituale, seu metaphoricum. Naturale in rerum omnium gustabilium abstinentia consistit, ita vt neque cibus, neque potus, neque vlla medicina faucesilla die transierit. Nam si quis aliquid sumpsit, & postea euomuit, hoc ieiunium soluit: at si linguâ degustauerit, sed non deglutierit, non censetur soluisse hoc ieiunium. Talead sumendam Eucharistiam exigitur à media nocte diei præcedentis, nisi necessitas occurrens aliud exposcat.

Ieiunium Ecclesiasticum.

Ieiunium Ecclesiasticum in voluntaria cibi & potus abstinentia, secundùm Ecclesiæ præscriptum rerum consistit: cuius triplex est finis: I. scilicet, carnis concupiscentiam refrenare. Vnde consultò instituta est initio veris Quadragesima, quando ex accessu Solis corpus & sanguis feruere plus solito incipiũt. Hoc ieiunium non soluitur, si per modum medicinæ aut potus aliquid sumatur. II. Finis est rerum diuinarum contemplatio. Corpus enim plenum aggrauat animam, ne liberè in superna tendat: vnde instituta sunt ieiunia in vigilijs festorum dierum, & alijs temporibus, quibus pietati, rerúmque spiritualium meditationi maximè vacandum est. III. Finis est satisfactio pro peccatis, eorúmque remissorum reliquijs. Nam sæpe remisso peccato remanet pœna, in altero seculo vel præsenti luenda. Ieiunium verò quia pœnale est, si voluntariè assumatur ab eo, qui in gratia est, satisfactorium est; imò augmenti gratiæ ac gloriæ meritorium. Porrò modus Ecclesiastici ieiunij in abstinentia à carnium vsu generatim consistit; ab ouis autem & lacticinijs, secundùm loci præscriptam consuetudinem. Quoad quantitatem ciborum, exigitur vnica refectio plena. Si quid autem vesperi collationis loco sumatur, censetur non tam per modum cibi, quàm medicinæ accipi. Certa verò cibi mensura in vnica refectione taxata non est. Vnde si quis se in illa vnica refectione crapulâ grauet, contra sobrietatem peccat, non tamen ieiunium soluit.

Modus Ecclesiastici ieiunij.

Quoad tempus autem sumendæ illius vnicæ refectionis, consuetudo loci cuiusque obseruanda est. Ex causa tamen rationabili hora refectionis anticipari vel differri potest. Quia verò ieiunium extra gratiam factum, non est gloriæ futuræ meritorium, proinde ab Ecclesia institutum est, vt in Quadragesima, & alijs ieiunijs peccatorum confessio fiat. Non tamen inutile est ieiunium eius, qui peccati reatu grauatur: nam ad remissionem peccati obtinendam disponit, flagella Dei auertit, peccandi affectum corrigit, vt ex Niniuitarum ieiunio patet. An verò qui tertiò comedit, letaliter peccet, sicuti ille, qui secundò:

à non-

Durandus dist. 15. 4. Syluester verbo: Ieiunium.

à nonnullis ambigitur. Probabilior sententia est, Ieiunij præceptum esse affirmatiuum, præcipiens vnicam refectionem, ideóque solùm prohiberi secundam refectionem, reliquas proinde fieri absque peccato mortali: at verò letaliter peccare, vescentes in die ieiunij carnibus toties, quoties reficiuntur, quia præceptum illa vetans sit purè negatiuum. Ieiunia verò communia populo Christiano sunt Quadragesima, Quatuor tempora, & Vigiliæ Sanctorum, omnibus fidelibus notæ. Certis verò locis sunt particularia ieiunia, ex præcepto vel consuetudine præscripta obligantia. Sunt attamen plura, quæ à ieiunij Ecclesiastici præcepto excusant. I. Infirmitas tam languoris quàm ætatis, cùm videlicet nondum expletus est annus vigesimus primus, aut completus est septuagesimus. II. Excusat infirmitas conditionis mulieres grauidas, vel lactantes, quæ frequentiore indigent propter fœtum refectione: sed ad qualitatem ciborum obstringuntur, nisi cum eis dispensetur. III. Excusat paupertas tanta, vt nequeat vna sufficiens refectio sumi, quandoquidem paulatim necessaria conquirenda sint, vt mendicis accidit. IV. Excusat labor corporeus, ex ordinario officio alicui incumbens, notabiliter corpus macerans atque fatigans, vt aurigarum, nunciorum, fodientium, &c. V. Excusat à ieiunio pietas, dum officia spiritualia exercenda sunt, quæ cum ieiunio non consistunt, vt quotidie concionari, docere, procul ex voto ad loca sancta peregrinari. Ieiunium spirituale, seu metaphoricum consistit in abstinentia à peccatis, in remotione affectionem & cogitationum, animam inquietantium.

An tertia refectio sit peccatum mortale.

Ieiunia fidelibus communia.

Excusantia à Ieiunio.

Ieiunium spirituale.

Circa quartum præceptum *de confessione semel in anno faciendâ sacerdoti proprio, vel de ipsius consensu, alteri*, notandum est, hoc præceptum omnes vsum rationis habentes, cuiuscúnque sint ætatis, sexus, aut conditionis, sub mortali peccato obligare, iuxta capit: *Omnis vtriúsque sexus: De pœnitentiâ & remissione*. Tenetur autem quis omnia peccata mortalia, quæ post diligentem sui discussionem occurrunt, confiteri, non autem venialia; quamuis consultum sit, ea non reticere. Quia verò hoc præceptum solùm obligat ad semel in anno confitendum, qui in festo Natiuitatis Christi vel alio confessus est, non tenetur in Quadragesima confiteri, nisi communicare velit, & alicuius admissi letalis peccati post confessionem factam sibi conscius sit. Et quia *in multis offendimus omnes*, ac sæpe in mortalia etiam peccata recidimus, populi Christiani consuetudo retinenda est, vt in Quadragesima, vel circa festum Paschæ confessio fiat, & quouis etiam alio tempore sumptioni Eucharistiæ præmittatur, si cor in aliquo nos reprehendat.

Proprius Sacerdos hîc vocatur, qui ex officio proprio absoluendi potestatē habet, vt Prælatus & Parochus: vel ex commissione Pontificis; qualem habent multi Religiosi: aut denique ex facultate pœnitenti concessa, vt sibi confessarium eligat.

Proprius Sacerdos quis?

Frequens confessio plures adfert vtilitates. I. enim gratiam in hac vita, & gloriam proinde in futura adauget. II. Partem pœnæ in altera vita luendæ, quæ remisso peccato sæpe remanet, tollit. III. Diabolum à tentando coërcet, dum se nihil proficere videt. IV. Impedit, ne peccandi consuetudo radicem figat, emendationem peccatorū facilius

Confessionis frequētis vtilitas.

eliciendo. V. Per crebram confessionem peccatis depulsis opera bona priùs facta viuificantur, & factis in gratia post absolutionem accumulum gloriæ adiunguntur. VI. Sæpe confitens minori periculo se exponit, in peccato ex hac vita decedendi. VII. Frequens confessio facilitatem tribuit conscientiam discutiendi, & integrè pleneque confitendi. VIII. Crebra confessio hominem liberat ab horrore ac fastidio cõfitendi. Qui enim rarò confitentur, formidine procrastinant, & nonnunquam in desperationem prolabuntur. Postremo frequens confessio hominem in gratia conseruat, à peccatis retrahit, securitatem conscientiæ adfert, illuminat hominis intellectum, vt de peccatis rectè iudicet.

Præceptum de percipiẽda Eucharistia.

Circa quintum præceptum de sumendà circa festum Paschæ Eucharistia, sciendum est, recepto more tempus Paschæ inchoari à Dominica Palmarum, atque terminari in die octaua post festum Resurrectionis Christi: infra quod tempus omnes fideles communicare tenentur, nec præcepto satisfaciunt alio tempore communionem sumendo, nisi legitima causa excuset. Olim ter in anno communicare oportebat, scilicet in festo Paschæ, Pentecostes, & Natiuitatis Christi: nunc verò Ecclesia solũ obligat ad semel communicandum, idque circa festũ Paschæ, vt prædictum est. In quo hoc præceptum à confessionis mandato differt, quòd istud restringitur ad certum tempus, non illud.

De Cõsecr. dist. 2. c. Et non frequentius.

Nauarrus c. 21. summæ numer. 46. Toletus li. 6. instruct. c. 18.

An verò, qui non communicauit in festo Paschæ, iuxta morem Ecclesiæ, teneatur alio tempore communicare? asserit Nauarrus teneri, negat Toletus.

CAP. LXXXIX.

De communicaturi necessaria dispositione.

APostolus paucis verbis complexus est ea, quæ communicaturo sunt necessaria: *Probet*, ait, *seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè, iudiciũ sibi manducat & bibit, non diudicans corpus Domini*. Vbi primò iubetur, vt communicaturus seipsum probet, hoc est, discutiat, vtrùm fidelis sit ac baptizatus: nam catechumeno ne quidem videre Eucharistiam licet. II. examinet conscientiã, vtrùm graui peccato sit obnoxia: si enim cor non reprehendit nos, fiduciam habemus, quòd simus filij Dei, ac proinde, quòd cibo filiorum vesci possimus. III. Communicaturus iudicio rationis vti debet, vt cibi huius præstantiam agnoscere valeat: quod pueris ferè conuenit circa decimum vel duodecimum annum. Circa enim septimum annum rationis vsus illucescit; vnde sicut puer tunc peccare, ita & confiteri, ac salutarem cibum hunc sumere potest. Quòd si puer qualitatem istius cibi diiudicare nequeat, sicut & amentibus ac furiosis, non est communio danda. IV. Sumpturus Eucharistiam ita corpore dispositus sit, vt propter periculum vomitus, tussis, aut similis infirmitatis non immineat Sacramento irreuerentia. V. Ad dignè sumendam Eucharistiam, ieiunium naturæ requiritur, nisi periculum mortis, vel alia rationabilis causa aliud exposcat. Hoc verò ieiunium non soluitur per modicum humoris, per modum saliuæ transmissi os abluendo, neque per

1 Cor. 11. Cõmunicaturi dispositio.

transmissione reliquiarum cibi in dentibus hærentium: sed per omnem cibi, vel potus, aut medicinæ sub ea ratione sumptionem. VI. Communicaturus nullâ censurâ impeditus sit, putà excommunicatione, interdicto. VII. Si mortalis peccati conscientiam habeat, præmissa confessione actu absoluatur. Nam si copia sacerdotis adsit, votum Sacramenti non sufficit, vt in Concilio Tridentino definitum est. VIII. Eucharistiæ sumptio corporis munditiem exigit, vt scilicet voluntariè pollutus non sit communicaturus. Nam Apostolus etiam coniuges hortatur, à congressu coniugali orationis gratiâ ad tempus abstinere: quod adumbratum fuit in panibus propositionis, hoc est, Deo oblatis, qui non nisi à mundis sumi poterant. Greg. ad quæst. Aug. in Anglia.

Sess. 13 c. 7. & can. 13.

1. Cor. 7.

1. Reg. 21.

Postremo, communicaturus fide sincera tenere debet, post consecrationem panis & vini à Sacerdote factam, sub speciebus panis & vini remanentibus, existere Corpus & Sanguinem Christi verè, realiter, & corporaliter, non in signo tantùm. II. Credere oportet, panis & vini substantiam non remanere cum corpore & sanguine Christi, sed factam esse conuersionem totius substantiæ panis & vini, in corpus & sanguinem Christi. III. Sub vtráque specie, & sub altera tantùm, imò & sub qualibet specierum consecratarum parte, totum esse Christum, hoc est, corpus & animam Verbo vnitam, siquidem vi verborum consecrationis sistitur corpus & sanguis; at ratione connexionis & concomitantiæ reproducitur totus Christus, talis qualis in cœlo est, viuus scilicet, glorioſus, immortalis, & quantus ibi existit; licet in Sacramento sit non modo quantitatiuo, sed modo spirituali, ac sicut priùs substantia sub illis accidentibus existebat. Vnde IV. credendum est, accidentia illa post conuersionem substantiæ in corpus & sanguinem Christi remanere sine subiecto, ac quantitatem quidem per se existere, in ea verò reliqua accidentia, illámque vim agendi ac patiendi substantiæ consequi, vt ex ea non minùs quàm ex panis substantia generari quippiam possit. V. Credendum est, rectè ab Ecclesia constitutum, vt non consecrantes sumant hoc Sacramentum sub vnica specie, nec minùs eos fructus consequi, quàm si communicarent sub vtráque specie, quia fructus sumptionis Sacramenti non pendet ex quantitate signi, sed contentæ rei, quæ eadem est sub vna, & sub duabus speciebus. VI. Credendum est, Eucharistiam non solùm institutam esse in Sacramentum, sed etiam in sacrificium Christianæ religionis, cuius oblatione sacerdotum ministerio facta Deus colatur, eique pro infinitis quotidianis beneficijs, ac potissimùm, pro opere nostræ redemptionis iugiter gratiæ agantur: ac omnia mortali vitæ necessaria, siue spiritualia bona, siue corporalia impetrentur, fructúsque passionis Christi nobis vbertim applicentur. Valet equidem hæc oblatio ad omnia illa, pro quibus oblatum fuit aliquod naturæ vel legis Mosaicæ sacrificium. In locum enim omnium successit legalium sacrificiorum. Proinde offerri potest pro viuis & mortuis; pro impetrandis quibuscunque bonis; pro depellendis similiter omnibus malis, fame, peste, bello, aëris intemperie, tentationibus, dæmonum insidijs, sagarũ maleficijs, pro conseruatione frugum, animalium, ac denique pro omni re, quam possumus à

Malach.1. Psal.109. Deo petere. Ista est enim *oblatio mũda, quæ a solis ortu vsque ad occasum in omnibus gẽtibus offertur*: iuxta Prophetarum vaticinia, quæ per oblationem Melchisedech adumbrata fuit, ad cuius oblationem populi fideles conuentus solẽnes celebrant, ac in omni necessitate recurſum habent. Ex cuius sumptione fructus multiplices percipiunt. I. enim viuificat: iuxta illud: *Qui manducat me, viuet propter me.* II. Nutrit, gratiam auget, reparat, renouat. III. Confert aduersus tẽtationes robur, contra mundi calamitates solatium. IV. à peccatis conseruat, animam lætitiâ complet, satiat, deuotionem adauget, sæuientem membrorum legem sedat, animi perturbationes extinguit, hominis animam Deo vnit, hominum concordiam firmat, animos

Fructus sũptionis Eucharistiæ. Ioan.6.

1. Cor. 10. dissentientes recõciliat: *Omnes enim vnum corpus sumus, qui de vno pane participamus*: animum denique in Deum inflammat, in spiritualia desideria pellicit, ac tandem ad æternam gloriam perducit, cuius hîc pignus est, iuxta Ecclesiæ testimonium: *O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, & futuræ gloria nobis pignus datur.*

Eucharistię dispẽsator. Ex dictis colligimus, adiudicatis morti, pœnitentibus, confessis, ac de sua culpa & imperfectione dolentibus hoc Sacramentũ dari posse, ita tamen in tempore, vt nulla Sacramento iniuria fieri videatur.

Dispensator Sacramenti Eucharistiæ est pastor cuiusq; loci, ac ex eius licentia sacerdos alius, imò & diaco-

33.q.2.can. nus. Religioſi iure cõmuni Eucharistiam laicis dispensare vetantur: attamen ex Apostolico priuilegio id possunt, quibus facultas data est. Conuenit nihilominus, vt oues suũ pastorem, & vicissim ille suas oues agnoscat, pascat, sæpe conspiciat. Dispensatori verò non licet absque Pontificis summi permissione Eucharistiam sub vtráque specie alteri præbere: neque dare fas excommunicato, neque publico peccatori, ante pœnitentiam peractam: scilicet vsurario notorio, concubinario publico, histrioni, & similibus. Occulto autem peccatori publicè Eucharistiam petenti, dare pastor tenetur, quia bonam famam quam possidet, ei auferre, nisi iure, non debet: si autem talis occultè Sacramentum petat, ei denegandum est, suadendáque pœnitentia, ne indigne sumendo, iudicium & damnationem incurrat.

Quæstum. Et c. Super eo de hæreticis in VI. Clement. Religioſi de Priuilegijs.

Cõc. Constantien. sess. 13.

Publico peccatori, Eucharistia neganda.

Occulto peccatori Eucharistiã publicè petenti, non est denegãda.

Postremo culpâ non caret minister, cuius negligentia infirmus absque viatico Eucharistiæ ex hac vita discedit; nec sufficit ostendi ægroto Eucharistiam, cùm per actualem Sacramenti susceptionem attritus effici contritus possit, ac proinde saluari, qui aliàs damnaretur, ac insuper per seipsum ex opere operato Sacramentum gratiam conferat, adaugeat, simúlque actualia multa auxilia tribuat, quibus æger munitus impetum hostis calcaneo insidiantis faciliùs superat, virámque beatam assequitur, quam nobis Deus Vnus & Trinus, super omnia benedictus misericorditer largiri dignetur.

AMEN.

INSTITVTIONVM

DOCTRINÆ CHRISTIANAE

LIBER QVARTVS.

DECALOGVM precandi formula congruenter omnino subsequitur, quia per orationem gratiæ diuinæ auxilium impetramus, quo præcepta impleamus; iuxta illud Augustini. *Da quod iubes, & iube quod vis. Sine me* (ait Christus) *nihil potestis facere. Litera enim occidit, spiritus autem viuificat.* Et *Lex iram operatur*, si gratiæ spiritus non adiuuet. *Datur enim Præceptum* (ait Leo) *vt præcipientis quæratur auxilium.* Et ne quis infirmitatis prætextu excusationem obtenderet: *Petite* (ait Dominus,) *& accipietis.* Quid verò petere, & quomodo debeamus, Christus sapientia Patris nos edocuit.

Decalogo cur Oratio subiungatur.

Aug. li. 10. confess. ca. 29.

Leo serm. 11. de Quadragesima. Matth. 7.

CAP. I.

De Oratione.

ORATIONIS nomen aliud profanis authoribus, Grãmaticis, Rhetoribus & Dialecticis, aliud Ecclesiasticis scriptoribus denotat. Vsu enim Scripturæ sacræ, *Oratio est ascensio mentis in Deum, cum decentium petitione*: hoc est, expressio nostri desiderij cum Dei inuocatione, vt quod optamus præstet. *Orantem* itaque *oportet ad Deum accedere* motu cordis, ac cogitationes & desideria, sepositis rebus terrenis ad Deum conuertere; totóque conatu in Dei laudem, honorem & venerationem ferri, seipsum quodammodo in cælo præsentem sistendo, Deo colloquendo, extra se vel vti peregrinando. Quam animi subleuationem Christus insinuauit, dum orandi causa in montem ascendit, oculos in cælum subleuauit in

Orationis definitio.

Matth 14. Luc. 21. Ioan. 8. & 11.

cælum aſpiciens orauit, vt Aug. & Cyril. obſeruarunt. Nam *amor eſt pondus animi, eum in rem amatam inclinans.* Vnde mens præſentiũ amore depreſſa impeditur ab aſcenſu, igne autem feruidæ charitatis ſuccenſa eleuatur; iuxta illud Pſalmi: *Dirigatur ad te oratio, ſicut incenſum.* Et Apocalyp. 5. & 12. *Aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Eccleſiaſtici 35. *Oratio humilis nubes penetrat, donec Deo appropinquet.* Iſaiæ 58. *Clamabis, & dicet Dominus: Ecce adſum* Pſal. 144. *Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum.* Deut. 4. *Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.* Quòd autem oratio ſit petitio, ac proinde actus intellectus explicantis deſiderium voluntatis, ex Scriptura conſtat. *Petite, & accipietis.* Et: *Omnia, quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis.* Lucæ 11. *Petite, & dabitur vobis.* Et Ioan. 14. *Quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Et cap. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Intellectus ergo proponit & poſtulat id, quod voluntas deſiderat. Nihil igitur aliud eſt orare, quàm voluntatis deſiderium Deo exprimere, offerre, proponere, vt illud implere dignetur. Cùm enim voluntas aliquid deſiderat, quod in hominis eſt poteſtate, id ratio exprimit per imperantis: at ſi quod deſideratur, ab aliena poteſtate dependet, per modum poſtulationis exprimemus. *Quid*, enim, *oremus, ſicut oportet, neſcimus: ſpiritus poſtulat pro nobis.* Vnde qui oris verbo exprimunt, ſed cordis affectu res ſignificatas non expetunt, aut ab eo quem compellant, obtinere non ſperant, hypocritæ ſunt, verbo non corde orantes; iuxta illud Iſaiæ: *Populus hic labys me honorat, cor autem eorũ longè eſt à me.* Obrepit frequenter aduerſarius, & ſubtiliter fallens preces noſtras à Deo inuocat, vt aliud habeamus in corde, aliud in voce, cùm intentione ſincera Dominum debeat non vocis ſonus, ſed animus & ſenſus orare. Vnde Phariſæus, qui in Templum aſcenderat ad orandum, quia ibi ſe tantùm laudauit, à Deo autem nihil petiit, ſui officij oblitum fuiſſe ſcribit Auguſt. lib. 2. *de peccat. merit.* cap. 5.

Aug. 89. Epiſt q. 1. Cyril. in Ioan. lib. 5. cap. 22. c. 14. lib. 7.

Pſalm. 140. Apoc. 5. Tob. 12.

Matth. 7. Marci 11.

Iſa. 29. Matth. 15. Marci 7.

Cyprian. in Orat. Dominicam.

Aug. ſerm. 36 de Verb. Domini.

CAP. II.

Quotuplex Oratio.

INterdum precando, nullo adiuncto ſermone externo, mentis ſolo affectu & verbo aures Dei pulſamus, deſideriáque noſtra ei proponimus: aliquando etiam ſenſibili voce quod optamus exprimimus; vnde duplex orationis genus conſurgit: nempe oratio mentalis tantùm, & oratio vocalis & mentalis. Oratio autem vocalis tantùm, potiùs hypocritis, quàm oratio dicenda eſt. Deus enim non vocis ſtrepitu, ſed pio cordis affectu & gemitu delectatur. Vnde Chriſtus fideles admonet, ne Ethnicorum more ſe in multiloquio exaudiendos arbitrentur. Aliud verò eſt ſermo multus, aliud diuturnus affectus. Deus non vocis, ſed cordis auditor eſt, qui tacenti Moyſi dicebat: *Quid clamas ad me?* non voce, ſed corde. Sic Anna in conſpectu Domini animam ſuam effudiſſe dicitur: labiis quidem motis tacebat, ſed pio affectu clamabat, quam typum Eccleſiæ geſſiſſe ait Cyprianus. Multi quippe ore clauſo exaudiuntur, quia multi ſonant voce, ſed muti ſunt corde. Vnde Oratores & Rhetores linguã exercitatam cordi caſto conferre non audeant: nam quantum animus cor-

Oratio mentalis.

Oratio vocalis.

Matth. 6.

Tertullian. lib. de Oratione.

Exodi 14.

1. Reg. 1.

Cypr. ſer. 6. de Oratio. Dominica. Ambr. lib. 5. Offic. c. 1. Aug. in Pſ. 119. lib. de Catech. rudibus, ca. 9.

pori, tantum verbis præferendæ sunt sententiæ. Vim enim orationis in affectu consistere illud Christi docet: *Veri adoratores adorabunt in spiritu et veritate: nam & Pater tales quærit. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, oportet eum in spiritu & veritate adorare.* Iuxta illud Prouerb. 8. *Fili, præbe mihi cor tuum.* Et illud Apostoli: *Orabo spiritu, orabo & mente.*

Ioan. 4.

1. Cor. 14.

CAP. III.

De vocali Oratione.

Oratio vocabilis.

ORatio vocalis & mentalis est, quæ sermone fit, ex intimo animi affectu emanante, iuxta illud Psalmi: *Lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea.* Et Psal. 83. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum meum.* Et Oseæ vltimo: *Reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Et Psal. 50. *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.*

Psalm. 15.

Psalm. 50.

Vocalis Orationis vtilitas.

Vox in oratione vtilis est, ad nosipsos ad deuotionem excitandum, instruendum, & admonendum; iuxta illud Apostoli: *Docentes & commonentes vosipsos Psalmis, Hymnis, et Canticis spiritualibus.* Vnde Christus nobis orationem vocalem tradidit, non qua Deum de ijs, quibus indigemus, doceamus aut commoneamus; sed vt nos verbis excitemus, rerúmque signis admoneamur mente, quæ significantur postulare, vt passim docet Augustinus.

Ad Coloss. 3.

Aug. Epist. 121. cap. 9.

Est insuper vocalis oratio duplex: quædam *priuata*, de qua Paulus 1. Timoth. 2. *Volo viros orare in omni loco:* alia est *publica*, quæ nomine totius populi Deo per Clerum offertur. Et quoniam ex hominum præcepto hæc orandi formula est instituta, externum actum necessariò postulat, cùm homines de externis hominum actionibus disponere, non autem de purè internis, possint. Quomodo enim præfectis Ecclesiæ constaret, an iuxta præscriptam regulam oretur, nisi oratio exaudiri queat? Non ergo muneri suo illi satisfaciunt, qui sola mente horas Canonicas recitant: oportet enim verba singula distinctè, integréque proferre. Ac rectè ab Ecclesia constitutum est, vt istæ orationes publicæ in templis à clero alta voce pronuncientur aut decantentur, vt populus sua vota coniungere valeat. Vtrùm autem canendi cum oblectamento aurium consuetudo præferenda sit mori, Psalmum ita sonandi, vt pronuntianti vicinior sit modicus vocis flexus, quàm canenti, disputat Augustinus, ac resoluit, se propter experimentum salubritatis magis adduci ad approbandum cantandi consuetudinem in Ecclesia, vt per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Fuisse autem olim, qui ab Ecclesiastico officio cantum omnino explosum voluerint, constat ex Augustino (lib. 2. Retract. c. 22.) vbi Hilarium quemdam tribunitium ita sensisse refert: quem sequuti sunt Henriciani & Petrobrusiani, quos Petrus Cluniacensis in Epistola ad vniuersos Episcopos refellit. Cantum Ecclesiasticum etiam displicuisse Iuliano Apostatæ, habetur Tripart. Histo. lib. 6. cap. 36. similiter & Arianis, teste Ambrosio in Oratione *de tradendis Basilicis*; quanquam ipsimet Hymnos canerent. Socrates lib. 6. cap. 8. Vviclef Clericos in templis canentes Sacerdotibus Baal comparabat: cantum enim ad veteris legis cæremonias per Christum abolitas pertinere contendebat. Sectarij nostri temporis Arianis persimiles,

Aug. li. 10. cōfess. c. 33.

Lib. 2. retract. c. 22.

3 Reg. 18.

Thom. Valden. tom. 3. tit. 2. cap. 18. De Sacramētalibus.

quamuis cum seductis à se populis canant, in Catholicis tamen cantum horatum Canonicarum, organorum vsum, musicam, tubas, cornua, tibias, & similia Dei cultum magnificè adornantia, reprehendunt. Sed Ecclesiam rectè his omnibus, pietatem in animis infirmorum excitantibus vti, comincit Angelorum exemplum, magna voce canentium: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Et Christo nato: *Gloria in excelsis Deo.* Et Dauid inspirante Deo Psalmos conscripsit ad laudandum ingiter Deum, choros canentium instituit, ac in omni instrumentorum genere, *in cymbalis benesonantibus, in tympano, & chordis, et organo* Deum laudandum esse docet, Psalm. 150. Neque verò ista ad veteris legis ceremonias, ad figurandum res futuras institutas pertinent, sed ad colendum pio cultu Deum, non minùs quàm orando genua flectere, pectus tundere, dies festos colere, in laudem Dei canere, & similes ritus, qui tam Christianis, quàm Iudæis communes sunt, vt exemplo Christi & Apostolorum euincitur. Nam peracta cœna nouissima Dominus Hymnum cecinit. Ioan. 11. magna voce clamauit: *Lazare veni foras.* Matth. 27. *Magnâ voce clamans emisit spiritum.* Hebr. 5. *In die carnis suæ preces supplicationesque cum clamore valido & lacrymis offerens.* Act. 16. Paulus & Silas media nocte Hymnos decantant. Ad Ephes. 5. ad Colossen. 3. hortatur fideles, vt in Hymnis & Canticis se commoneant. Iacob ca. 5. *Aequo animo est, psallat.* Philo teste Eusebio scribit, Apostolorum tempore oratoria fuisse, in quibus Hymni Deo canerentur. Dionysius Areopag. testatur, in sepultura defunctorum Psalmos solere decantari.

Isaiæ 6. Luc. 2.

Psalm. 150.

Matth. 26. Chryso. in comment. Aug. in tit. Psam. 72. Epist. 119. cap. 18.

Euseb. li 2. Hist. c. 16. 17.

Dionys. Areop. lib. de Eccles. hier. cap. 7. p. 2.

Tertullianus in Apolog. cap. 2. ex Plinio refert, Christianos ante lucem Christo Hymnos cecinisse. Laodicenum Concil. cant. 16. statuit, Psalmos in Ecclesia non nisi à cantoribus esse canendos. Basilius Epistol. 63. ritum canendi toti Orienti communem esse testatur: quem auxit Chrysostomus teste Socrate libr. 6. cap. 8. In Aphrica quoque receptum fuisse cantandi ritum, attestatur Concil. Carthag. 4. cant. 10. August. libr. 9. confess. ca. 6. & libr. 10. cap. 33. Epistol. 119. cap. 18.

Tertul. in Apolog. c. 39 lib. ad Vxorem.

Cantus Ecclesiasticus

Cantus Ecclesiasticus meminit Hieronym. in vita Pauli primi Eremitæ, cuius exequias S. Anthonius Psalmorum, Hymnorúmque cantu iuxta Christianam traditionem celebrauit.

In Gallicana Ecclesia vetustissimum esse cantandi ritum, ex B. Hilario discere licet in Psalm. 65. Item ex Concilio Agathensi cap. 21. vbi statuitur, vt singulis diebus Hymni decantentur. De Germanica Ecclesia idem attestatur Cõcilium Aquisgranense cap. 132. 133. monens cantores, vt populi ædificationem canendo quærant.

CAP. IV.

De cantus Ecclesiastici vtilitate.

Cantus Ecclesiastici vtilitas.

PLurimum valere Psalmorum & Hymnorum cantum ad commouendum piè animum, & inflammandum deuotionis affectum, Augustinus expertum se initio suæ conuersionis scribit. *Quantum*, ait, *fleui in Hymnis & Canticis tuis, suaue sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter? Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum? nec ex eâ æstuabat inde affectus pietatis,*

Aug. lib. 9. confess. ca. 6.

pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat in eis. Et lib. 10. c. 33. *Cùm reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ, in primordiis recuperatæ fidei meæ, magnam huius instituti utilitatem agnosco.* Idem repetit epist. 119. cap. 18.

Basil. in Ps. 1. Lactan. lib. 6. c. 21.

II. Cantus Ecclesiæ valet ad pellendum torporem ac tædium, generandámque animi lætitiã, vt cum delectatione officium (alioqui prolixum & graue) Deo persoluatur.

III. Cantus Ecclesiæ valet ad fidei confessionẽ. Protestamur enim, nos Christum non erubescere, nec eius obsequium, licet infideles subsannent. Vnde Iuliano Apostata contempto, primi Christiani altâ voce Psalmos cantabant, teste Ruffino in hist. lib. 10. cap. 35. 36. Theodoreto lib. 3. hist. cap. 17. Tripart. hist. lib. 6. cap. 36.

IV. Cantus denotat, legem Dei fidelibus esse suauem, & illam se non timore, sed amore seruare, iuxta illud Psalmi 118. *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ:* id est; in huius vitæ mortalis decursu præcepta vitæ & morum cum voluptate decantaui.

V. Plenius Deo reddimus obsequium, quando mente & voce ipsum laudamus, cui nos totos debemus.

Iacobi 5. Postremo Cantus Ecclesiæ suggestiones diaboli pellit, dolores & tristitiam mitigat, diuinam gratiam conciliat, Spiritum Sanctum illabi facit, vt in Helizæo patuit, 3. Reg. 1. Saule, tribus pueris canentibus in fornace. Reg.

Iustinus in resp. ad quæst. 117. Argumenta Sectariorum sunt, *Quòd Deus clamosa voce non indigeat, quasi excitari debeat*, vt per ludibrium sacerdotibus Baal obuciit Helias 3. Reg. 18. RESPONDEO, Heliam non reprehendisse clamorem in oratione, sed falsi Dei Baal inuocationem, qui exaudire non poterat. Nam in Hierusalem Deum cantu coli probabat, & magna voce ad Deum clamasse Dauidem non ignorabat. Quem clamandi ad Deum morem Christus ipse suo exemplo cõfirmauit, quando preces cum clamore valido effudit. Eúmque imitatus Stephanus voce magna clamauit: *Ne statuas illis hoc peccatum*; non vt clamore Deum excitaret, sed vt sese ac alios ad pietatem commoueret, affectúmque suum erga inimicos patefaceret. Matth. 27. Hebr. 5.

II. Argumentum: *Christus docet orantes intrare in cubiculum suum, clausoque ostio Patrem cælestem orare*: in quem locum Chrysost. & serm. 6. Cyprianus scribunt, Deum non esse clamoribus admonendum, cùm cogitationes cordis videat & exaudiet. RESPONDEO, tam Christum quàm Cyprianum & Chrysostomum illis verbis instruere fideles, quomodo priuatim orare debeant, submissa videlicet (ne alios ibidem præsentes suo clamore perturbent) voce; aut ne singularitatis, vel ambitionis notam incurrant: seu non credere, Deum vbique esse, absconditáque audire videantur: ac denique ne occultarum precum mysteria malorum hominum auribus audienda committant, quæ soli Deo, & oranti nota esse conuenit. Quòd verò Dominus cubiculum intrare iubet, ad cordis intentionem pertinet, quam solo Dei aspectu contentam esse oportet, non autem hypocritarum more, hominum applausum laudémque sectari. Iuxta August. & Apostolum, qui (1. Timoth. 2.) *in omni loco viros orare* vult. Et ad Ephesios 5. exhortatur fideles, vt psallant & canant in cordibus suis Domino, non tantùm scilicet la- Matth. 6. Hom. 19. in Matth. & in opere imperf. hom. 13. Cyprian. serm. 6. Lib. 2 de serm. Domini in monte c. 6.

biis, quia Deum corde magis quàm voce laudare debeant, vt in eum locum obseruat Hieronymus, & in præfatione lib. 2. in Habacuc, vbi theatrales modulationes ad ostentationem & populi oblectationem solùm deseruientes, arcendas ab Ecclesia censet. *Veri* enim *adoratores Patrem orant in spiritu & veritate*: hoc est, spirituali cultu, non carnali & typico, sicut Iudæi; non labiis tantùm, vt hypocritæ; non inani & falso, quemadmodum idololatræ, sed inspirato à Deo, ex intimo cordis affectu promanante, ac sese pro externa vocē annunciante. Iuxta illud: *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudē tuam. Cor & caro mea exultant in Deo. Voce mea ad Dominum clamaui.* Cantum insuper non pertinuisse ad legales ceremonias abolitas, sed ad legem naturalem & diuinam, quæ iubet, Deum ex toto corde & ex omnibus viribus diligi, coli, laudari, ex Dauidis, Christi, & Apostolorum exemplo manifestissimum est, quorum insequuta vestigia Ecclesia Catholica orationes publicas alta voce fieri constituit, vt fidelis populus sua vota coniungat, ædificetur, atque ad amorem Dei excitetur. Et quidem cum tali vocis inflexione, distinctè cani, publicasq; preces fundi voluit, quæ supplicandis affectum demonstret, vt in officio Paschali (dum lætitiæ cantica frequentantur) luculenter apparet. Similiter & in officio Quadragesimæ (quando luctus & pœnitentiæ tempus est) atque defunctorum: tunc enim voce miserabili orantis affectus exprimitur. Si autem quis canat ea vocis modulatione, quæ magis ad oblectationem aurium, quàm ædificationem auditorum seruiat; aut id agatur, vt cantus magis delectet, quàm res, quæ cantu conti-

Loin. 4.

netur; tunc pœnaliter peccari agnoscit Augustinus. Et quoniam homini scienter canere concessum est, non aui; ideo voce intelligibili, distincta, & plenâ homo canere debet: Bernardus serm. 47. in cantica.

Lib. 10. cōfess. cap. 33. Item expos. 2. in Psal. 18. Bernar. ser. 47. in Cant.

Postremo cauendum in Ecclesiæ cantu est, ne admisceantur profana, impura, impudica, vana: similiter & in organorum vsu; quod fit, dum modulatione aut sono exprimuntur prælia, res lasciuæ, cantica amatoria, & alia in libidinem prouocantia, quæ ad sacrilegium pertinere docet Caietanus, & ad ignem alienum oblatum per Nadab & Abiud: qui ideirco repentina morte sublati sunt. Eum abusum notat Concil. Trident. sess. 25. cap. 1. Et tradunt varij scriptores, organa rectè propter infirmos in Ecclesia retineri; sic tamen, vt in eis res sanctæ, piæ, grauiter, & sobriè ad ædificationem fidelium exprimantur. Conrardus Brunus lib. 5. *de ceremon.* ca. 2. Lindanus lib. 4. Panopliæ cap. 78. Dominicus Soto lib. 10. *de Iure & iustitia* quæst. 5. art. 3.

Quæ in cātu cauenda.

Musica lasciua in templis non toleranda. Caietan. in 2. 2. q. 91. art. 2. Leuitic. 10. Clemen. Alexand. lib. 2. Pædagogi cap. 4. Iustinus q. 107. Greg. lib. 4. epist. c. 8. Raban. lib. 2. de instit. cleric. c. 48. Concil. Aquisgranēs. cap. 130.

CAP. V.

De partibus Orationis.

APostolus orationis Christianæ quatuor partes constituit. *Obsecro* (inquit) *primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*. Et ad Philippenses: *In omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Vbi non de oratione solius ad altare stantis sacerdotis loquitur, sed de oratione communi omnibus fidelibus, vt ex adiunctis verbis patet: *Volo viros orare in omni loco.* Quænam ve-

Orationis partes quatuor. 1. Tim. 2. Philipp. 4.

à'ò harum partium differentia sit, non omnium vna est sententia. Probabilissimam arbitror, quæ sentit, Apostolum partitionem hanc ab orationis materia desumere, quæ res bona est, aut mala; præterita vel futura; vt sensus Apostoli sit, orandum esse Deum pro malis auertendis, & bonis accipiendis. Et quidem vtraque in futurum postulanda esse, atque pro impetratis coniungendam esse gratiarum actionem, ita vt siue liberari à malis, siue bona donari nobis à Deo petamus, semper gratiarum actionem petitioni iungamus: hoc est, ita petamus futura, vt nunquam pro iam adeptis gratias agere obliuiscamur. Per *obsecrationem* itaque, malorum deprecatio; per *orationem*, bonorum petitio; per *postulationem* autem, petitio in futurum; per *gratiarum* verò *actionem*, grata beneficij accepti recordatio intelligitur. *Humilitatis nostræ est* (ait Hilarius) *deprecari; magnificentiæ Dei est, orari; fidei est, postulare; confessionis & laudis est, gratulari*. Augustinus Apostolum de publicis Ecclesiæ precibus, quæ tempore sacrificij ad altare funduntur, loqui dicit. Cassianus per obsecrationem intelligit orationem pro remissione peccatorum: per orationē verò, vota, quibus Deo quippiam offerimus: per postulationes autem, preces, quas pro aliis fundimus: per gratiarum actiones denique ipsas Dei laudes pro beneficiis acceptis. Bernardus per obsecrationem intelligit orationē peccatoris, inchoantis pœnitētiam, intercessores adhibentis: per orationem verò, preces pœnitentis, Deum per se accedentis pro indulgentia: per postulationes autem, orationes iustorum, qui regnum cælorum, eoque conducentia petunt: per gratiarū actionem, eius orationem, qui se à Deo exauditum confidit. D. autem Thomas per obsecrationem intelligit rationem Deo propositā, cur exaudire conueniat: vt cùm dicitur, *per Christi meritum, per mortem & passionem*. Per orationem verò accipit mentis ascensionem, coniunctionémque cum Deo: per postulationem, rei quæ desideratur; expressionem: per gratiarum autem actionem, laudes Dei pro ingentibus & plurimis beneficiis ab eo acceptis. Inter has verò quatuor partes duæ sunt præcipuæ: scilicet postulatio, & gratiarum actio. Nam ad Deum accedimus, vt ab eo quippiam petamus, aut vt ei gratias agamus. Cùm enim omnes homines sint miseri, egeni, nec quidquam habeant, nisi datum *à patre luminum, à quo est omne bonum*: sequitur, omnes in vniuersum homines assiduè Deum orare, laudare, eique gratias agere debere. Cetertùm obiiciet aliquis: quia Deus nouit, quid necessarium vnicuique sit, & quia est beneficentissimus, quid opus est oratione? quod sequenti capite, Orationis necessitate demonstrata, diluemus.

S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 17.

Hilar. in Psal. 140.

Aug. epist. 59. q. 5. Chryso. in comment. Ambros. li. 6. de sacrament. ca. 5. Cassian. coll. 9. c. 9. Bernardus in serm. de quatuor modis orandi.

CAP. VI.

De Orationis necessitate.

Orationis necessitas. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 13. Matth. 6.

QVamuis Deus futura omnia, etiam quid, & quando ab illo petituri simus, & quos, de quibus rebus exauditurus, vel non, esset; (vt Matth. 6. Christus docet) attamen inuocari vult, & quotidianas necessitates ad se referri, non vt eum veluti nescientem doceamus, quid optemus, aut quo indigeamus; sed vt cor desiderando præparetur, dilatetur, ac capax Dei munerum efficiatur. Tantò enim capacior erit, quantò firmiùs credide-

Aug. serm. 11. innouatij impressis.

rit, sperauerit, ardentiúsque desiderauerit, eoque maior sequetur effectus, quò feruentior affectus præcesserit. Aug. epist. 121. cap. 8. 29. Posset quidem Deus non petentibus, imo ne cogitantibus abunde nobis omnia largiri, sicut animantibus rationis expertibus cuncta ad vitæ vtus necessaria suppeditat, sed vtilitatis nostræ causa voluit nos orare, vt exerceremus fidem, roboraremus spem, inflammaremus denique charitatẽ. Orando enim homo profitetur, Deum esse donorum, bonorúmque omnium autorem, omnem sufficientiam & beatitudinem ab illo expectandam. Iac. 1. Proinde orando Deum, actu religionis eum colimus; nos ei, veluti Creatori, rerúmque omnium moderatori, subiicimus; indigentiam & ab eo dependentiam agnoscimus, dum opem, misericordiam, aliáque ab eius infinita bonitate postulamus. Licet ergo Deus ab æterno, quid in tempore vellet, dare præscierit atque constituerit, nec sententiam mutet; attamen simul ab æterno decreuit plurima non nisi orantibus, instantérque petentibus, dare: prout homines, mediante generationis actu, multiplicat, frumenta hominum victui necessaria, interueniente agricultura & semente producit. Ordo enim diuinæ prouidentiæ, non solùm qui effectus fient, continet; sed etiam, quibus ex causis, quo ordine ac modo prouenient. Inter causas verò etiam actus humani & liberi continentur. Quare oramus, vt quod non nisi per nostras vel alienas preces Deus implere disposuit, impetremus. Tantum enim valent orationes, quantum eas valituras Deus, & ad ea impetranda, quæ se præcantibus concessurum, præsciuit. Aug. lib. 5. de ciuit. ca. 10. *Postulando meremur accipere, quod omnipotens ante secula disposuit dare.* Greg lib. 1. de Isaac pro vxore sterili orauit, & filios ex ea impetrauit, cùm tamen Deus semen Abrahæ per Isaac benedicere prædestinasset. Dialog. ca. 3. Quare cùm multa etiam ad salutem necessaria (vt perseuerantiam, contra tentationes victoriam, & similia) Deus non nisi orantibus & petentibus dare constituerit, confitendum est, orationem non solùm esse vtilem, quin imò etiam necessariam, iuxta illud Christi: *Oportet semper orare, & non deficere.* Luc. 18. Quam Christi iussionem agnoscens Ecclesia, in officio Missæ canit: *Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati.* A Deo instituti oramus. Cùm enim admodum multis ad tuendum corpus & animum indigeamus, & nihil cuiquam Deus debeat; reliquum est, vt ad eum veluti omnium bonorum fontem recurramus, nobisque precibus assiduis necessaria dari postulemus, sine quibus multa sunt, quæ Deus tribuere non vult. Quod patet ex illo Christi verbo: *Hoc genus dæmoniorum non eicitur, nisi in oratione & ieiunio.* Matth. 17. Et Psal. 105. *Et dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset,* &c. Et Iacobi 4. *Non habetis propterea, quòd non postulatis.* Et Aug. *Constat Deum, alia danda non orantibus, sicut initium fidei; alia non nisi orantibus præparasse, sicut vsque in finem perseuerantiam.* Aug. lib. 2. de bono perseu. cap. 16. Et serm. 1. de S. Stephano: *Si sic non oraſſet Ecclesia, Paulum non haberet.* Chrysost. hom. de Moyse, tom. 1. *Optat dare, qui præcipit petere: petite & accipietis.* Matth. 7. Luc. 11. Ibidem latè ostendit ad conseruandum spiritualem vitam, non minùs orationem esse necessariam, quàm cibum corporalem, ad vitam hanc corporalem sustentandam. Hieron. in c. 7. Matth. *Omni petenti datur; ergo si tibi non datur, ideo non datur, quia non petis.* Aug. lib. 2. de ser. Domini in monte. Auguſt. verò: *Considerandum est,*

que nos orare præcepit, per quem discimus, quid oremus, & accipimus, quod oramus. Hanc orandi necessitatem Christus suo exemplo confirmauit, assiduè orando, & in oratione pernoctando: Apostolus quoque fideles exhortando: *Sine intermissione orate.* Iacobus cap 1. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet in fide:* & ca. 4. *Non habetis propterea, quòd non postulatis.* Eccles. c. 18. *Non impedearis orare semper.*

Luc. 6. 12. 1. Thess. 5. Iac. 1. & 4. Eccles. 18.

Sed non immeritò hic quærat aliquis, quando præceptum orandi obliget? RESPONDEO, quosdam ad orandum obstringi ratione clericalis officij, ordinis, beneficij, voti, aut ex superioris mãdato: alios verò ex huiusmodi titulis non astrictos, tum demum ad orandum teneri, quando ratio dictat, spiritualem vitam, propriam vel alienam, sine oratione conseruari non posse, iuxta doctrinam Apostolis datam: *Orate, ne intretis in tentationem: Spiritus enim promptus est, caro autem infirma.* Festis insuper diebus qui obligatur sacrificio Missæ interesse, tenetur quoque intentionem suam conformare intentioni publici ministri, ac proinde cum eo, & per eum orare.

CAP. VII.

Circa necessitatem orandi errores.

Errores circa orandi necessitatem.

DE orandi necessitate pugnantes reperiuntur errores. Nonnulli orationes prorsus sustulerunt, Dei prouidentiam erga homines negantes, vt Epicuræi, teste Cicerone, lib. *de natura Deorum*, & Peripatetici, teste Clemente Alexandrino, & Ambrosio, de qualibus ait Psal. 13. *Dixit impius in corde suo: non est Deus.* Iob. 22. *Circa cardines cæli perambulat, nostra non curat.*

Clem. Alexandrin. lib. 5. & 7. strom. Ambr. lib. 2. offic. c. 13.

Huc reuocatur dogma Stoicorum, qui cuncta fatali necessitate fieri tradunt; quibus consentiunt Abaillardus & Caluinus, qui prædestinationem absolutam adferre necessitatem contendunt, ita vt aliter fieri aut euenire nequeat, quàm sit prædestinatum. Quem errorem amplexi etiam sunt Vvicleff, Huss, Lutherus; ex quo sequitur, inutiles esse preces, cùm omnia euentura sint ex absoluta necessitate.

Bernardus epist. 190.

Alij per orationes, Dei prouidẽtiam immutari posse docuerunt: quos confutat S. Thomas lib. 3. *contra gentes.* cap. 96. Alij orationi iustificationem, omnémque perfectionem, absque sacramentis & bonis aliis operibus assignarunt: hi Euchitæ dicti sunt, atque Massaliani & Psalliani, de quibus Epiphan. hæresi 80. Aug. hæresi 57. Tripart. hist. lib. 7. cap. 8. Damascenus hæresi 80. His affines extiterunt Monachi quidam, ita orationi esse insistendum tradentes, vt ne vitæ quidem sustentandæ gratia manibus operandum vellent. Contra quos Augustinus scripsit librum *de opere Monachorum.*

Sunt denique alij, orandi necessitatem tollentes, quia homo suis viribus bene viuere queat, mandata Dei perseueranter obseruare, gratiam insuper ac gloriam suis meritis consequi. Tales fuêre Pelagiani, qui gratia hominem adiuuari sentiebant vt faciliùs faceret, non autem esse necessariam, vt crederet, bene viueret. Contra quos agit Augustinus hæresi 80. lib. 1. *De gratia Christi* cap. 30. epist. 107. lib. 2. *De peccat. merit.* cap. 5.

Affinis huic fuit error Begardorum, qui hominem in hac vita eò perfectionis venire docuerunt, vt impeccabilis esset, ac proinde oratione non indigeret, vt apud Phi-

lastrium in hæresibus adiectis, voce, *Regardi*, reperitur. Nec ab errore hoc multùm recedunt sectarij moderni, qui præcipuos fructus orationis tollunt: scilicet impetrare iustificationem, satisfacere, mereri; quæ sola fide obtineri contendunt, contra Scripturas: *Nonne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me?* Matth 18. Rom. 10. *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* 2. Mach. 3. Item propter Oniæ sacerdotis preces, vita Heliodoro donata est. Segor ad preces Loth ab incendio liberatur: Moyses populo veniam impetrat, Iob amicis. Hierem. 18. & Ezech. 22. Deus se quæsiisse ait virum, qui se opponeret, ne dissiparet terram. Ex quibus clarè liquet, Deum per orationē multa dare, quæ aliter non sit daturus. Vnde orat Ecclesia pro infidelibus, vt Deus eis tribuat fidem: pro legis diuinæ prævaricatoribus, vt Deus eis donet obedientiam sanámque mentem, sciens, Deum constituisse multa non aliter, quàm intercedente oratione, dare. Gen. 19. Exodi 32. Iob. 42.

CAP. VIII.

De orationis fructu.

Orationis fructus.

QVemadmodum de pietate Apostolus dixit, vtilem esse ad omnia; ita oratio ad omnia prodest, vberrimósque fructus parit. 1. Timo. 4. I. Insigne religionis argumentum est. Oratione siquidem homo se vnit Deo, seipsum ei subiicit, authorem bonorum agnoscit, in omni necessitate vnicum esse refugium profitetur. Vnde incenso comparatur, quo religiosus actus Deo exhibetur. *Innova me, & honorificabis me.* Psal. 140. Apoc. 5. & 8. Psal. 49. Aug. epist. 105. Lib. de bono perseu cap. 7. tract. 102. in Ioan. Nam oratio indigentiæ argumentum est, & assidua commonitio eius, à quo beneficia sunt accipienda.

II. Oratione, cum nobis, tum aliis omnia impetramus, idque propinquiùs, quàm ex fide, ex qua invocamus. *Multùm* enim *valet oratio, quæ cœlum claudit & aperit*, vt *claustra cæli* meritò dicatur, cùm donorum cælestium amplitudinem descendere faciat, solem ipsum stare, pluuias effundi. Hæc enim aquas diuisit, mortuos suscitauit, vim ignis fornacis compescuit, leonum feritatem domuit, remissionem peccatorum impetrauit (vt patet in Dauide, Manasse, Magdalena, Publicano & alijs) victoriam contra diaboli tentationes, contra visibiles & inuisibiles hostes, incolumitatem, quietam & tranquillam vitam, fructus, serenitatem, sanitatem, prosperitatem, morborum depulsiones, cuncta denique nobis vel aliis nēcessaria, oratione impetramus. Vnde à Chrysostomo rectè constituitur *Basis & radix vitæ frugiferæ, causa omnis virtutis, iustitiæ ac boni, quodcunque sperare licet.* Rom. 10. Iac. 5.

Sed cur sæpe Deus orantes non exaudit? Respondet Iacobus: *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis*, scilicet negligenter, remissè absque attentione; vel quòd vobis non expedit, imò fortè superuacaneum aut noxium futurum esset. Quædam enim Deus negat propitius, & concedit iratus, prout B. Paulum, petentem liberari à stimulo carnis, non exaudiuit Israëlitas verò ardentes concupiscentia carnium exaudiuit quidem, sed confestim eorum impatiētiam castigauit. Magna itaque Dei benignitate vota nostra subinde non exaudiuntur, quia multò ampliora dona nobis exinde proueniunt. Iac. 4. 2. Cor. 12.

III. Orationis effectus, est satisfactio pro peccatis. Cùm enim opus sit laboriosum, etiam satisfactorium est. Hinc frequenter ieiunio

& Eleemosynæ iungitur, vt Tobiæ 12. *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna.* Matth. 6. *Cum oratis, cum ieiunas, cum eleemosynam facis.* Imò valet oratio tantum apud Deum ad pœnas euadendas, vt Deus quodāmodo piorum orationibus constringatur, iuxta illud Exod. 32. ad Moysen, *Dimitte me, ne obsistas mihi.* Ierem. 7. & 18. atque Ezechielis 22. Vnde in omni necessitate irę Dei Ecclesia orationem obuicit.

Matth. 6.

IV. Orationis fructus est, quòd à iusto facta, meritoria sit, maioris gratiæ & gloriæ. Iuxta illud Christi: *Cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, in angulis platearum orantes, vt videantur ab hominibus: dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculū tuum, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Vbi promissio est mercedis, sub conditione faciendi operis, ibi meritum agnoscendum est,

Lucæ 10.

secundùm illud: *Dignus est operarius mercede sua.* Quòd autem oratio prosit oranti, etiamsi alteri pro quo

Matth. 10.

fit, non prosit, ex Christi dicto liquet: *Si domus non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos.*

V. Orando exercemus fidem.

Rom. 10.

Quomodo enim inuocabunt, in quem non crediderunt?

VI. Oratio mentem illuminat,

Psal. 33.

iuxta illud Psalmi: *Accedite ad eum,*

Exod. 34.

& illuminamini. In cuius rei typum Moyses à colloquio Domini facie splendente rediit, & Christus orans transfiguratus est (Lucæ 9.) atque nonnulli sancti plura orando quàm studendo didicerunt: vt de S. Bernardo, S. Thoma, S. Bernardino, & aliis scribitur.

VII. Oratio maximam dignitatem animæ conciliat, quæ ad familiare Dei colloquium orando admittitur. Chrysostom. hom. 30. in Gen. & lib. 1. *de orando Deo.*

VIII. Fiduciam accedendi ad Deum tribuit. Nam quò frequentiùs Deum accedimus, eò confidentiùs ad eum recurrimus.

IX. Charitatem Dei inflammat, maiorúmq; bonorum animam capaciorem reddit. Ex cōgressu enim Dei ad eius amorem inflammamur.

Psal. 38. Aug. epist. 121. c. 8.

In meditatione mea exardescet ignis, ait Prophèta.

X. Humilitatem, Deique timorem conseruat. Nam eum non esse offendendum admonet, à cuius ope ac benignitate homines in omnibus dependent.

XI. Oratio rerum terrenarum contemptum parit. Facilè namque vilescunt omnia transitoria, quærenti & anhelanti cælestia, vt habet Augustinus.

Aug. lib. 9. confess. ca. 1. & 10.

Postremo gignit oratio incredibilem animi voluptatem, pacem, gaudium, delectationem. Facit enim, vt homo gustare incipiat, quam suauis Dominus sit: qua suauitate permoti nonnulli, non solùm in oratione pernoctarunt, sed etiam dies noctibus iungentes in oratione læti perdurarunt.

CAP. IX.

De modo orandi.

QValis oratio esse debeat, vt enumeratos fructus cōsequatur, nunc explicandum est. *Quidam* enim *petunt, & non accipiunt, quia malè petunt.* Vnde colligimus, Scripturas promissionem continentes, quòd *omnis qui petit, accipit,* intelligendæ sint sub conditione, modò debitè petatur, modò circumstantiis necessariis oratio muniatur. Quænam verò illæ sint, Augustinus expressit: *Deus omnibus affluenter dat, qui sic petunt, & tantum petunt, quantùm res tanta petēda est.* Imprimis

Orandi modus.

Iac. 4.

Aug. lib. de nat. & grat. cap. 17.

Conditiones orationis.

Iac. 4. Rom. 4.

postulet in fide nihil hæsitans, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quod quæcunque promisit Deus, potens est & facere. Oportet enim orantem credere, Deum in suis promissis esse fidelissimum, ac potentissimum, qui omnia quæ vult, possit: simul & benignissimum, qui bona promissa dare velit: & denique sapientissimum, qui sciat, quid, & quando nobis dare expediat: qua fide mens subleuata, certam spem concipit impetrandi ea, quæ Deus se daturum opem ipsius flagitantibus promisit, gratáque memoria recolens accepta priùs beneficia, ad thronum gratiæ accedens homo, tanquam filius benignissimo Patri suas necessitates exponit, sibique misericorditer subuenire postulat. *Quod enim fides credit, spes et charitas orant: & qui non amat, inaniter credit & sperat.* Vnde Dominus Patrem tales quærere dicit, qui adorent eum in spiritu & veritate: hoc est, ardenti desiderio, filialiaffectu, iuxta illud Psalmi 61. *Effundite coram illo corda vestra.*

Aug. Ench. c. 7. & 117.

Sunt autem alij letiferis peccatis pleni, qui fide informi, languida & imbecilli, se conantur ad Deum erigere, sed peccatorum conscientia perculsi, è longinquo veniam à Deo suorum delictorum petunt: & hi à Deo non repellunt, sed iuuantur: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Talis fuit publicanus, qui oculos suos in cælum attollere non audebat. Item filius prodigus ad se reuersus, & Maria Magdalena. Vnde Augustinus verba cæci reprehēdit dicentis: *Scimus, quia Deus peccatores non audit.*

Matth. 11. Luc. 18.

Luc. 15. Luc. 7.

Aug. tract. 44. in Ioan. & hom. 43. inter 50.

Tertium genus eorum est, qui vnius Dei notitia imbuti, sed nondum fide Christiana illuminati, ad studium veritatis excitantur, summisque precibus à Deo edoceri postulant: tales, si in ea voluntate permaneant, à Deo exaudiri comprobat Centurionis exemplum.

Act. 10.

Quartum genus eorum est, qui perseuerantes in sua impietate, afflictionum pœnarúmque metu permoti, Deum orant, vt Antiochus, & Augustinus se aliquando orasse confitetur: *Da continentiam, sed non modò.* Talium orationes Deus ordinariè non audit, quin potiùs *oratio fit eis in peccatum*, Psalmo 108. Interdum tamen Deus sic orantes iratus exaudit, sicut Israëlitas, carnes impatienti animo deposcētes: item petentes regem, vt notat Augustinus epist. 121. cap. 13. serm. 53. *de verbis Domini*, tract. 73. in Ioan. Sic etiam diabolum exaudiuit, petentem sibi concedi potestatem in Iob, & intrandi in porcos. Nonnunquam verò etiam peccatores Deus exaudit, vt eos beneficiis ad se alliciat. Vide Chrysost. in opere imperfecto in Matth. hom. 18.

1. Mach. 9. Aug. lib. confess.

Num. 11. Psalm. 77.

Osee 3. Iob. c. 1. & 2. Luc. 8.

Quatuor conditiones orationis.

Ex quibus colligimus, vt infalliliter exaudiamur, quatuor conditiones exigi: scilicet, vt ad salutem necessaria petamus; piè, nobisipsis, atque perseueranter, tantum quantum res petenda est. 1. conditio ex Christi verbis elicitur (Matth. 7. Lucæ 11.) quibus promittit, spiritum bonum Patrem cælestem non denegaturum petentibus; Ioan. 41. Et 15. & 16. in nomine suo petentibus. Non petitur autem in nomine Saluatoris, quod aduersatur vtilitati salutis; nec in nomine magistri, quod petitur contra regulam magisterij; vt Augustin. frequenter inculcat, epistol. 121. cap. 14. Enchir. 114. vbi admonet, illa rectè peti, quæ possunt sperari, & quæ oratione Dominica continentur. Ambros. serm. 19. in Psalm. 118. *Magna pete: non audit Deus, nisi quod dignum suis ducit beneficiis.*

S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 15.

Augustin. in Ioan. tract. 71. 81. & 102. in Ps. 108. Ench. 114. Chrysost. hom. 30. in Gen. 79. ad Antiochenos. Chrysost. hom. 8 in 1. ad Tim.

In

Rom. 8. In temporalibus locum habet, quod ait Apostolus: *Quid oremus, sicut oportet, nescimus*, vt prosequitur eleganter Chrysostom. & Bernardus sermo. 5. *in Quadragesima*.

Matth. 21. Marci 11. Iac. 1. Circa secundam conditionem, quæ requirit, vt oratiò piè fiat, hoc est, ex fide, Spe, & Charitate, iuxta illud, *postulet in fide nihil hæsitans*, obseruandum est, Lutheranos velle, oraturum certa fide credere, Deum sibi esse propitium, votáque sua exaudienda. Contra quos Scriptura sacra, excludens illam certam persuasionem, quam requirunt sectarij, (& quæ non fides vera, sed inanis præsumptio est,) solam spem & fiduciam exigit. Iob. 9. *Cùm me exaudierit, non credo quòd audierit vocem meam*. 2. Regum 12. Aug. in Ps. 50. Chryso. ho. 5 ad Antiochenos. *Quis scis si*, &c. Ioëlis 2. Ionæ 2. & 3. Danielis 4. Actor. 8. *Roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*. Matth. 26. Dominus hortatur Apostolos orare, ne intrarent in tentationem; quos tamen sciebat eâdem nocte omnes scandalum passuros. Et Apostolus iubet fideles orare pro omnibus hominibus. Quod exequitur Ecclesia, pro infidelibus & aliis orando: at certum est ipsam non exaudire pro omnibus, prout nec Apostolus pro seipso in omnibus exauditus est. Oravit enim pro fratribus secundùm carnem, id est, pro infidelibus Iudæis: & vt ipse liberaretur à stimulo carnis. 1. Timot. 2. Rom. 9. & Cor. 12.

Denique Scriptura in orante multa requirit, quæ nullus nisi temerarius se habere certò credere potest. I. Exigit cordis munditiam. Isaiæ 1. *Cùm multiplicaueritis orationem vestram, non exaudiam*. Psal. 65. Prouer. 28. Iacobi 5. 1. Ioan. 3. *Iniquitatem si aspexi in corde meo: Multùm valet oratio iusti: Si cor nostrum non reprehenderit nos. Quòd si non dimiseritis*, &c. Vbi II. requirit Dominus, vt oraturus ex corde dimittat. III. Necessaria est humilitas, vt exemplo Publicani Dominus illustrat; & ipse procidens in faciem suam orauit. IV. Orationi iungendum est ieiunium (Matth. 17.) & eleemosyna Isaiæ 56. 58. Tob. 12. Prouer. 21. 1. Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Marci 11. Matth. 6. Luc. 18. Matth. 26.

Sed obijciunt sectarij: Dominus Matth. 21. Marci 11. ait: *Credite, quia accipietis*: & Iacobus: *Postulet in fide nihil hæsitans*: & Cyprian. scribit, vnumquemque tantùm accipere, quantum credit. Et Bernard. vult credi, quòd tibi Deus dabit, quòd tibi sit propitius, serm. 1. *de annuntiatione*. RESPONDEO, hæc & similia Scripturæ atque Patrum verba nihil aliud significare, quàm Deum posse & velle sua promissa complere, nec ex eius parte defectum fore, sed ex parte orãtis exigi, vt nulla diffidentia, nulla animi inconstantia vel infidelitate laboret; sed ex Fide, Spe atque Charitate orationem fundat, séque dignum & capacem donorũ Dei reddat, iuxta illud Christi: *Creditis, quia hoc possum facere vobis?* & Apostoli: *In repromissione Dei non hæsitauit diffidẽtiâ, sed confortatus est fide, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere*. Ex qua fide spes & bona fiducia oritur impetrandi ea, quæ petuntur: de qua Apostolus ad Hebræos 4. & Euseb. lib. 7. histo. c. 25. refert, Greg. Neocæsariensem tantam ex Christi verbis fiduciam concepisse, vt rupem oratione transtulerit. Iac. 1. Cyprian. Ho. 1. Epi. 6. lib. 4. epist. 4. Bern. ser. 1. de annunciatione, Matth. 9. Rom. 4.

Præter autem supradicta, V. necessarium est, vt oratio verè pia sit, ex corde puro, Dei amore succensa fluat. Nam *impiorum oratio execra-*

Prouer. 28. Psalm. 65. bilis est: Et, *si aspexi in corde meo iniquitatem, non exaudiet Dominus*, ait Dauid. *Deprecationes* verò *timentium se exaudiet Dominus. Aures enim Domini in preces iustorum. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Vnde Ioan. *Quidquid petierimus ab eo, accipiemus, quoniam præcepta eius custodimus.* Ita exauditus fuit Ezechias, contra Assyrios opem à Deo implorans. Et Iosaphat, 2. Paralip. 19. Tertul. libr. *de orat.* scribit, Christi spiritu animatã orationem singulari priuilegio exaudiri. Ambros. autem addit: magnos, Deoque charos viros, pro magnis peccatoribus orando exaudiri. Licet enim peccatorum orationes subinde Deus exaudiat, nõ tamen habent infallibilem impetrandi promissionem. Vnde Daniel. 4. adiungitur dubitationis particula: *Quis scit*, &c. & Act. 8. *si forte remittatur*, &c. VI. Pietas orationis deuotionem exigit, id est, animi exultationem, alacritatem, delectationem, vt seriò, attentè, reuerenter, ac sollicitè ad ea, quæ petuntur, intendat, qui orat. *Maledictus enim, qui facit opus Dei negligenter.* Hinc Christus, ostio clauso Patrem in abscondito docet orare, ne scilicet fauor auræ popularis, cogitatio carnalis, secularis, aut mercedis terrenæ cupiditas subrepat. Mens enim suæ mutabilitatis pondere facilè ab eo impellitur, nisi in suo statu arcta custodiæ disciplina teneatur. Quanta verò orantis opus sit attentione, illustrat Basilius exẽplo eius, qui terrenum Regem alloquitur. Paulus Coloss. 4. vult nos in oratione vigilare, spiritu feruentes esse: vepidi enim enomũtur. Vnde Christus *cum clamore valido et lacrymis preces Deo obtulit.* Dauid, *rugiens* orauit; Tobias *cum lacrymis*: Bernardus serm. 47 in Cantica pulchre monet, vt oremus Deum non pigri, non somnolenti, nõ oscitãtes, non parcentes viribus, nõ præcidentes verba dimidia, non integra transmittentes, non fractis & remissis vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes; at virili somitu & affectu voces Spiritus sancti depromentes, vt idem sit oris & cordis sonus.

Prosper. lib. sent. 6.

Circa tertiam conditionem, vt pro seipso quis oret, si certò exaudiri velit, obseruandum, nobis orantibus promissũ esse, quòd dabitur nobis, quòd audiet nos. Vnde colligit Augustinus, Deũ non promisisse, quòd pro alijs non exaudiet; quia sæpe beneficiorum Dei capaces non existũt, & preces sanctorum illis potissimùm prosunt, qui simul petunt.

Ioan. 14. 1. Ioan. 5.

Aug. tract. 102 in Ioã. Chrysost. hom. 17. ad Antioch.

Quarta conditio, vt perseverans sit oratio, exigit, vt neque tempus, neque modum Deo statuamus, qui sua dona tribuit, quibus, & quando placet. Qui mora franguntur, Deũ potiùs tentare, quàm orare censentur, vt Iudith sapienter concives admonuit, & Psaltes regius, & Abacuc: *Si moram fecerit, expecta eum*: quòd exemplo importunè instantis amici docet Christus Lucæ 11. Apostolus 1. Thessal. 3. *Sine intermissione orate.* Quomodo autem semper oremus, exponit Augustinus dicens, eum semper orare, qui Deo iungitur amore, desiderio ac memoria: Item, qui nullo die certa orandi tempora intermittit: sicut Dauid 2. Reg. 9. ait: *Comedes de mensa mea semper.* Beda, Haymo, & Anselmus; *Semper orat, qui mane, meridie ac vespere orat.* Denique semper orat, qui die ac nocte preces fundit, omni data occasione. Quali phrasi vtitur Psaltes Psalm. 1. 24. & 33. *Oculi mei semper ad Dominum: semper laus eius in ore meo.*

Iudith. 8. Psal. 26. 29. Abacuc 2. Aug. lib. de nat. & grat. cap. 17.

Aug. epist. 121. cap. 9. Lib. de hæresib. c. 57.

Beda in 18. c. Luc. Haymo & Ansel. in 1. ad Thessa. c. 5.

Cur autem non statim Deus orantes semper exaudiat, variæ sunt causæ. Aliquando enim petuntur, quæ

Cur Deus non statim exaudiat.

Ambr. li. 1. de pœnit. c. 9. & in 5. c. Lucæ.

Hiere. 48. Matth. 6.

Greg. li. 11. moral. c. 7. 28.

Basil. de cõtẽt. monasticis. c. 2.

Rom. 12. 1. Petri 4. Apoc. 3. Hebr. 5. Tobiæ 12.

Bern. serm. 47. in cantica.

2. Cor. 12. statim dari non expedit, ad pellendum superbiæ tumorem: quod Apostolo contigit, petenti liberationem à stimulo carnis. Quandoque verò differtur exauditio, vt orandi desiderium inardescat, vel alius innotescat, vt in Chananæa patuit, vel ad probandam exercendámque patientiam, vt in Iob, Tobia, & similibus eluxit: aut ad commendandam humilitatem, vt in Centurione apparuit: vel denique, vt Dei beneficia diu concupita dulciùs obueniant, nec tam citò vilescant: ac postremò, quia Deus aliquando immutabili decreto quædam fieri decreuit, vt quibusdam inferre flagella temporalia, quæ nullis precibus auerti velit. Sic Moysen, vt promissionis terram ingrederetur, exaudire noluit: neque Dauidem pro infante orantem, vt non moreretur. Quod significatur illis verbis Iob: *Deus, cuius iræ nemo resistere potest*, interprete B. Gregorio lib. 4. Moral. cap. 30.

Aug. lib. de verb. Domin. ser. 1.

Deut. vlt. 2. Parali. 31.

Iob. 9.

CAP. X.

Quâ linguâ oratio fieri debeat, an solum intellectâ?

Oratio an lingua solùm intellecta fiat? Aug. epist. 121. cap. 10. Isaiæ 29. Matth. 15.

ORatio attentionem deuotionémque exigit; simúlque, vt quæ ore petuntur, etiam corde atq; affectu desiderentur, ne in reprehensionem Isaiæ à Domino comprobatam incidatur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Ideo expedit, vt orans sermone, verbisque à se intellectis vtatur: in quem finem statuerũt Cõcilia Symbolum, Orationémq; Dominicam memoria teneri, intelligi, atque ex toto corde credi: & Tridentinum statuit, Catechismum lingua vernacula edi, salutárisque monita explanari. Quamuis autem expediat, orantem verba sua intelligere, vt oret simul ore, spiritu & mente; attamen vtilitate haud caret oratio facta linguâ non intellectâ, dummodo quippiam sancti oratione peti non ignoretur; vt manifestè conuincitur ex veteri colendi Dei ritu, quo Iudæi signis non intellectis Deum verum honorantes, gratum ei cultum deferebant, ab eóque beneficia summa impetrabant, modò signa rerum credendarum suas ceremonias esse nõscerent, etiamsi mysteria significata non intelligerent, Augustino teste lib. 3. *de doctrina Christ.* cap. 9. Et Christus voces infantium, atque turbarum acclamantium: *Benedictus qui venit rex Israël*, approbauit: quamuis prophetæ vaticinium, & regni Christi qualitatem non intelligerent, cùm ipsi Apostoli carnale arbitrarentur, vt ex filiorum Zebedæi petitione liquet. Nam vt oratio, laus, & gratiarum actio placeat Deo, sufficit, vt de rebus signis expressis confusa & generalis notio habeatur, quam facilè omnes linguâ latinâ orantes consequi possũt, ex Catechismi lingua nota expositione; siquidem & illi, qui vernacula lingua Dominicã orationem recitant, non nisi confusam rerum in ea contentarum notitiam habent, ex concionibus magis, quàm ex verbis pronunciatis haustam. Quotus enim Christianorum, qualitatem regni Dei, aut in qua re consistat, intelligit? vt notat Augustinus, addens, preces quæ ex ignorantia creduntur bonæ, sine fructu non carere, cùm orationis vitium, bonus precantis affectus euacuet.

Oratio quæ fit lingua nõ intellecta quando vilis.

Matth. 20.

Aug lib. 3. cõt. Don. c. 15. li. 6. c. 25.

Si ergo priuatæ orationes, quæ à fidelibus funduntur, vtiles sunt, etiamsi non exactè verba, neque res petitæ intelligantur; multò potiore ratione preces publicæ, quæ à Clero

Publicæ Ecclesiæ preces fieri possunt lingua nõ intellecta populo.

Cõcil. Trident. sess. 24. c. 7. ref. form.

nomine populi Deo fiunt, vtiles sunt, etiamsi lingua Latina passim vulgò ignota fundantur: nam oratio ad Deum, non ad populum dirigitur. Vnde & absente, nec audiente populo, huiusmodi oratio pro illo facta sæpe exauditur, vt patet exemplo summi Sacerdotis, qui in sancta sanctorum ingressus, pro absente populo supplicabat: & in die expiationis Sacerdos, populo foris stante, litabat, vt Lucæ 1. de Zacharia narratur. Sufficiebat enim, populum scire, quòd Sacerdos pro suis & aliorum peccatis intercederet, etiamsi quid verbis exprimeret, aut faceret, ignoraret. Nam & Dauid laudari Deum præcepit instrumẽtorum sonis, & Psalmorum cantu, iuxta diei cuiusque ritum. Qui Dei cultus populo illi profuit, etiamsi quæ canerentur, non intelligeret.

Leuitici 16.

2. Paralipom. 16. & 23.

Præterea in Actis Apostolorum legimus, Moysis & Prophetarum libros omni Sabbato in Iudæorũ Synagogis legi consueuisse, procul dubio in lingua, qua conscripti erant, licet Iudæi per gentes dispersi Hebraicam linguam non intelligerent, quia sufficere nouerant, à Leuitis interpretationem populo fieri. Nec dissimili cõsilio Apostoli Euangelia & Epistolas suas non vulgari omnibus lingua, sed tantùm Hebraicæ, Græcè aut Latinè scripserunt, indicãtes sufficere, quòd præfecti Ecclesiæ scripta illorum intelligerent, quę loco ac tempore populo exponere possent. Sic Paulus Romanis, Ioannes quoq; Parthis Græcè scripserũt: quorum exemplo qui Barbaris nationibus Euangelium annuntiarunt, satis esse arbitrati sunt, officium in idiomate clero noto fieri, per quem populo exponeretur. Quare ambigendum non est, ex Apostolica traditione descendere, quòd in orbe Christiano diuinum officium in vna trium linguarum, in cruce Domino consecratarum, publicè celebretur, Hebraicè videlicet, Græcè, aut Latinè, quamuis nulla harum linguarum esset vulgaris; aut si quandoq; fuisset, iam esse desiisset. In Aphrica Latinè officium diuinum fuisse celebratum, constat ex Cypriano & Augustino; cùm tamen ibi lingua Punica vulgaris esset, vt patet ex Augu. serm. 35. *de verbis Domini*. In Ecclesia Gallicana semper Latinè officium celebratum fuisse, testatur Concil. Vasense c. 7. statuens, vbiq; cani: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*. In Hispania quoque vsum semper Latinæ linguæ viguisse, officiúmq; diuinum in ea peractum esse, Isidor. in lib. *de offic. diuin.* ostendit. Et Concil. Toletanum IV. c. 2. Bracarens. I. c. 20. decreuerunt, eundem modũ orandi, psallendi, atq; in Missa populum consultandi obseruari, dicendo, *Dominus vobiscum*. De Anglicana Ecclesia testis est Beda li. 1. *histor.* cap. 1. Thom. Vvaldens. to. 3. *de Sacram.* tit. 3. & 4. De Germanica Ecclesia patet ex Amalario Treuirensi, & Rabano Moguntino Episcopo. De Bohemica liquet ex Greg. VII. epist. ad Ducem Bohemiæ. De Italica Ecclesia testatur Isidor. quòd formam officij diuini à B. Petro acceperit, quam postea Gelasius I. reformauit, exinde Gregor. VII. Pius V. & Clemens VIII. Innocentius autem III. mysteria Latinæ Missæ exposuit.

Act. 13. & 15.

Officiũ diuinum ex traditione Apostolica in qua lingua.

Aug. epist. 119. lib. 1. cõt. Donat. c. 24. Leo ser. 2. de Pentec. In expos. orat. domi. Aug. lib. 2. de bon. perseu. c. 13. li. de S. viduitate c. 16. epist. 157.

Ruth. 2.

D. Thom. in 14. c. 1. ad Cor.

Accedit, quòd nullum vsus contrarij vestigium apud Catholicos in orbe vniuerso reperiatur. Nam Syri, Armenij, Indi, Iaponij, & alij quicunque fideles in aliqua harum trium linguarum diuinum officium peragunt: soli hæretici & schismatici contrarium vsum inuexerunt. Fideles enim sibi persuasissimum habent, non magis populo ne-

Sicuti cliẽti non est necessariũ Aduocati sui verba intelligere, ita neque populo intercessoris Cleri.

cessarium esse, verba Sacerdotum communi nomine offerentium intelligere, quàm clienti verba sui aduocati; vel supplici, orationem sui intercessoris audire. Non enim ad populum, vti in exhortatione, sed ad Deum orantis sermo dirigitur. Vnde factum, vt populus à clero etiam loco distinguatur, & separatus cõsideat, vt ex Dionysio Areop. & facto Ambrosij (qui Theodotiũ choro excedere iussit) notum est: quia sufficit, vt populus clero affectu orandi iungatur, etiamsi verba communis officij nõ intelligat. Verborum enim intelligentia seruit cognitioni rerum, quæ ex sola verborum intelligẽtia haberi nequit, cùm verus Scripturæ sacræ sensus multo labore, studio, & patrum traditione comparetur. Multæ enim Scripturæ sententiæ à rudibus crudè intellectæ, vulgari suo idiomate scandala erroréq; parerent. Quid enim plebeius concipiet, si audiat, Deum creasse hominem ad imaginem & similitudinem suam? nónne corporeum sibi Deum effinget? Rursus, *Naſus tuus ſicut turris*, & pleráque alia, quomodo vulgari lingua pronuntiata intelligentur? Non igitur populo vtile, sed perniciosum foret, linguâ notâ Scripturas in officio publico recitari. Econtra verò plurima Ecclesiæ commoda ex vsu communis linguæ doctis notæ obueniunt. I. enim majestas quædam, grauitas & ornatus diuino officio comparatur vsu linguæ Latinæ, cui nullum barbarum idioma in exacta sui proprietate conferri valet. II. Vnitas & concordia officij diuini faciliùs retinetur. III. Fidei sinceritas per Episcoporum variarum gentium communicationem, & generalium (si opus sit) Conciliorum conuocationem faciliùs conseruari potest. Si enim nulla foret communis omnibus lingua, populorum statim diuisio consequeretur, dum quisq; versionem Scripturæ sacræ in suo vulgari sermone factam pro optima sequeretur. Et quis in tanta idiomatum differentia idoneus controuersiæ iudex erit? quis hanc versionem sinceram, illàm adulterinam censebit? At vbi vna communis omnibus lingua est, ibi facilè idem psallendi modus, sacrificandi ritus, eadémque Ecclesiæ disciplina obseruatur; & de fidei cõtrouersijs, scripturarúmque genuina versione Patrum Ecclesię iudicium haberi potest. Quantum insuper diuersitas sermonum ad animorum diuisionem inducendam valeat, ex confusione Babylonica constat; docétque experientia, quàm potenter hominum animos identitas sermonis conciliet, vt penè magis homo delectetur societate canis, quàm hominis, cui animi conceptum communicare nequit.

Theodoretus lib. 5. hist. c. 18.

Commoda ex vsu linguæ Latinæ.

Beda lib. 5. hist. Angli. c. 22.

Sed obijciunt sectarij, Apostolum peregrinæ seu ignotæ linguæ vsum reijcere. RESPONDEO, Apostolum loqui de conuentibus, qui instituebantur ad ædificationem, exhortationem, & consolationem, in quibus ad ostentationem vti linguâ nemini præsentium notâ, inutile ac reprehensione dignum erat, sed orare linguâ sibi familiari, alijs verò saltem ex rerum significatarum confusa apprehensione non ignota, minimè damnat Apostolus, licet eum, qui lingua sibi nota, & mente simul res postulatas intelligẽte orat, priori præferat. Christiani verò passim idiomate sibi noto exponi audiunt, quæ Latino sermone dicuntur: vnde non est illis peregrinus sermo prorsus ignotus. Cúmque Morauis Neophytis (Ænea Syluio teste) aliquando concessũ fuisset, vt Sclauonicâ linguâ diuinum officium celebrarent, experientiâ didicerunt, eam

1. Cor. 14. Obiectionis solutio.

Cõc. Lateranen. c. 6.

Li. de Origi. Bohem. c. 13.

rem plus nocumenti, quàm vtilitatis adferre, ideóque vltrò in communem aliorum fidelium morem transierunt.

CAP. XI.

De horis canonicis.

Horæ canonicæ.

INter omnes Reipublicæ fūctiones, religionis sacrorúmque cura, seu Dei cultus primum locum vendicet, sine quo vinculo Respublica consistere nequit. Et quia singuli de populo variis artibus, officijs, functionibus distracti, rebus diuinis assiduè intendere nequeunt, certis ad hoc delectis personis munus, Deum communi omnium nomine precandi & laudandi impositum fuit, vixque ab initio Mundi gens aliqua tam fera vel barbara reperta est, quæ suos Sacerdotes, Tēpla, lucos, ceremonias, Aras, certáque precum & gratiarum agendarum genera nō habuerit; vt lib. 1. testatur Valerius Max. & confirmat sacra historia, narrans Enos, Noë, Abraham, Melchisedech, Iob, & alios peculiari ceremoniâ Deum coluisse ac inuocasse: & Ægyptios, Chananæos, Madianitas, vicinósq. populos templa, sacerdotésque habuisse. In veteri autem lege Deus Leuiticam tribum (Rempub. instituens) huic officio deputauit, cui postea Dauid certum psallendi, Deúmque laudandi modum adiunxit. Quę omnia Christus approbauit, dum ait: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Et frequenter ipse orauit; quin & in oratione pernoctauit; ac semper orādum esse dixit, hymnum quoque cecinit, & Apostolis certam orandi formulam tradidit. Apostolos verò certa quoq; orandi tempora obseruasse, colligimus ex Actis, vbi *Petrus & Ioannes ascenderunt in Templū, ad horā orationis nonam.* A quibus certa orandi tēpora etiam fidelibus præscripta traditáque sunt, vt omnia honestè & secundùm ordinem fierent, stabilisque mos orandi permaneret. Vbi enim nullū certum operi tēpus præfixum est, facilè differendi libertate omittitur, eúsque executio ordine caret. Sicut autem tempus, ita & modum publicè orandi ab Ecclesia præscribi decuit, vt quemadmodum vna est Christianorum fides, ita vna esset Deum publicè precandi, laudandique formula. Nam & Christus discipulis vnam eandémque precandi rationem tradidit, dicens: *Sic orabitis: Pater*, &c. Et Apostolus: *Omnis vir orans*, &c. & c. 14. *Cùm conuenitis, vnusquisque vestrum Psalmum habet, doctrinam habet*; significans, quibusdam psallendi, alijs docendi munus incubuisse. Orationes enim publicas Christianos Apostolorum tempore fudisse, conuincit illud Apostoli: *Obsecro, primum omnium obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, &c. Primum omnium* (ait in comment. Chrysost.) *in obsequio quotidiano, in perpetuo Christiana religionis ritu, in quo licet alia verba precando fundamus, nihil tamen aliud dicimus, quàm quod in oratione dominicà continetur.* Vocantur autem istæ publicæ orationes & laudes Ecclesiæ, *Diuinum officium*, quia officium proprium Christianorum, (quod est orare, ac laudare Deum) contineant. Reliquæ gentes corruptionem naturæ ignorantes, in suis viribus confidūt: at Christiani naturæ infirmitatem agnoscentes, in omni re ad Deum per orationem confugiunt, opem & misericordiam eius implorant, & de acceptis ab eo donis gratias agentes eum collaudāt. Hoc verò inter orationes & laudes interest, quòd orandi officium temporale sit, non dim-

1. Cor. 14.

Ephes. 4. Matth. 6. Lucæ 11. 1. Cor. 11.

1. Timot. 2.

Isidor. li. 1. de diuinis offic. c. 9. Aug. epist. 121. c. 12.

1. Paral. 23. 2. Paral. 29.

Matth. 21. Lucæ 6. 18. Matth. 26.

Act. 3.

tius permansurum, quàm peregrinatio & egestas; laudandi verò sempiternũ sit. Iuxta illud Psal. *Beati qui habitãt in tuâ domo Domine: in secula seculorum laudabunt te.* Nũcupantur insuper eædem preces & laudes, *Horæ canonicæ*, quia iuxta canonicas sãctiones certis horis recitari debeant; cuius nominis Beda meminit.

Psal. 83.

Officiũ diuinum definitur.

Beda in 18. Lucæ.

Sylvester voce Hora, n. 1.

Destinari autem potest Officium diuinum, *certa publicè Deum laudandi precandique ratio, mente simul & voce, Præsulum Ecclesiæ authoritate instituta*; ad quam obstricti sunt, qui totius Ecclesiæ nomine, pro cõmuni bono, populi vice, orare tenentur: quales sunt omnes, sacris ordinibus initiati, in religione probata professi, & beneficiati, qui partem honestæ communis clerici sustentationis recipiunt. Cùm autem hæc orandi formula ex hominum authoritate pendeat, externum vocis actum exigit; ac vt rectè persoluatur, verba singula distinctè, integrè, ordine, loco & tempore, cum attentione, deuotione, ac intelligibili voce proferenda sunt. Nec in horis canonicis, aut Missæ officio alijs precibus vtendum est, quàm Romani Pontificis iudicio & authoritate probatis; iuxta Concilium Tridentinum sess. 25. & *De consecr.* dist. 5. can. *In die.*

Quomodo celebrandũ officium diuinum.

Conc. Mileuitan. can. 12.

Conc. Toletan. 4. can. 2.

CAP. XII.

De partibus Officij diuini.

Officij diuini partes.

OFficij diuini quædam partes *maiores*, aliæ *minores* dicũtur. Maiores sunt, Nocturni; Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorium. Minores verò sunt, Psalmi, Hymni, Lectiones, Cantica, Antiphonæ, Responsoria, Litaniæ, Versus, Capitula, Collectæ. His enim omnibus officium Ecclesiasticum constat. Isidorus librum scripsit, in quo de partibus singulis differit, ac Psalmis nos vti ait, vt animi faciliùs ad compunctionem moueantur: & in primitiua quidem Ecclesia modica vocis inflexio fiebat, vt psallens pronuncianti vicinior esset, quàm canenti. Postea verò mos canendi inualuit, vt qui verbis non compungerentur, saltem modulationis suauitate permouerentur.

Isidorus lib. de offic. Eccles. c. 5.

Psalmi.

Hymni sunt carmina, quæ in Dei laudẽ canuntur, ad inflammandum piæ deuotionis affectum. Hi partim diuini, partim humani sunt, ab Hilario, Ambrosio, Prudentio, & alijs compositi, quos vtiliter in Ecclesia retineri decreuit Concilium Toletanum IV. can. 12. contra Paulum Samosatenum, qui reijciendos ab Ecclesia contendebat, Eusebio teste, lib. 7. hist. c. 26.

Hymni. Isidor. c. 6.

Lectionũ vsus vetustissimus est. Nam Iudæi ex lege & Prophetis ad audientium ædificationem, & Dominus ipse lectione vsus est. Gelasius ordinem lectionum officij diuini digessit, (dist. 5. can. *Sancta Romana Ecclesia*) Gregorius VII. postea, necnon Pius V. nostro seculo, & Sixtus V. atque Clemens VIII. horarum canonicarum reformationem instituerunt. Solennioribus autem diebus plures lectiones leguntur, vt oratio pinguescat, dum mens recenti lectione excitata ad rerũ auditarũ meditationem erigitur, & ad occurrendum Domino, quacúnque hora pulsauerit (veluti crebro tubarũ clãgore) admonetur. Distributio autem lectionũ per annum, seriem temporum, profectúmque Ecclesiæ designat, Rupertus lib. 12. c. 24. 25. Post lectionem verò Prophetarum & Apostolorum in fidelium conuentibus, ac in Ecclesia legi con-

Lectio. Isidor. c. 10. 2. Esdræ 9. Act. 13. Lucæ 4. & 10.

Rupertus de offic. diuin. lib. 1. c. 10.

Cassian. lib. 2. de instit. Cœnob. c. 2.

Iustin. Apolog. II.

Conc. Laodicen. can. 16.

Carthag. 3. c. 47.

fueuisse sermones Ephrem, testis est Hieron. lib. *de script. Ecclesiasticis.*

Cantica. Canticis denique Ecclesiã Christi ab initio, Dei mysteria, Moysis & Prophetarum exemplo, decantasse, testis est Apostolus, fideles exhortans, vt sibi loquantur *in Psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus*: hoc est, vt se consolentur, admoneant, voce humana decantantes Dei beneficia & admiranda opera: prout fecerunt Ambrosius & Augustinus, alternatim concinentes: *Te Deum laudamus*, vt scribit S. Dacus Episcopus Mediolanensis lib. 1. Chron. cap. 10. Differt Canticum à Psalmo in eo, quòd canticum humana voce fiat, Psalmus verò ad psalterium canatur.

Ad Colos. 3. Ad Ephes. 5.

Isidorus li. 1. de offic. diuinis c 4.

Antiphona. Antiphona vocatur sententia, quæ Psalmo alternatim canendo præmittitur, iuxta cuius modulationem totus Psalmus decurrit, & vtrúmque chorum in fine contingit. Concinunt enim duo Chori alternatim, tanquam duo Seraphim, duóque Testamenta sibi inuicem conclamantia: quem modum alternatim canendi Ecclesiæ Antiochenæ Ignatius tradidit, Socrate teste, lib. 6. hist. c. 8. Exinde tota Græcia eum morem complexa est, ac eundem postea B. Ambrosius in Occidentem induxit, iuxta Isidorum lib. 1. *de offic.* c. 7.

Amalarius li. 4. de offi. c. 7. Isaiæ 6.

Respõsoria. Responsoria, quæ lectionibus subnectũtur, sic dicta sunt, quia vno inchoante ceteri respondente, in typum, quòd omnes idem dicere ac sentire debeant, ne schismata sint. Ab Italicis primùm Ecclesijs inuenta dicit Isidorus lib. 1. de offic. cap. 8. Respõsoria lectionibus subnectuntur, ad insinuandum, quòd sanctis Dei monitis debeamus factis respondere, ne pueris assimilemur; de quibus ait Dominus: *Cantauimus vobis, & non saltastis: lamentauimus vobis, & non plorastis.* Vnde colligimus, Responsoria læta vel tristia, lectionibus esse accommodanda.

1. Cor. 1. Matth. 11. Rupertus lib. 1. de offic. c. 15. Rabanus li. 2. de instit. cleric. c. 31. Valfridus li. de rebus Eccl. c. 25.

Litaniæ, siue preces, in omni fidelium conuentu fieri solent, teste Apostolo, Iustino, Tertulliano, Concilio Mileuitano, c. 12. vbi statuitur, non nisi à Concilio probatis precibus in Ecclesia vtendum esse. Concilium autem Carthaginense III. can. 23. omnes Ecclesiæ orationes debere ad Patrem dirigi; quamuis propter vnitatem essentiæ simul in Patre & Filius & Spiritus sanctus inuocentur; vt docet Fulgentius lib. 2. ad *Monimum*, c. 2.

Litaniæ. 1. Cor. 14. 1. Tim. 2. Iustinus in Apolog. Tertullian. in Apol. c. 39.

Versus. Versus est breuis sententia, ex Scripturis ferè desũpta, vel à Concilio edita: vt versiculus ille: *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*; qui à Concilio Niceno I. dictatus est, Valfrido teste lib. *de obseruationibus Ecclesiasticis* c. 15. Cuius versiculi vsum, fuisse ante Damasi tempora, constat ex Theodoreto & Socrate, qui scribunt, Constantij tempore discretos fuisse Catholicos ab Arianis, quòd illi canerent: *Gloria Patri & Filio*, hi verò: *Gloria Patri per Filium.* Eiusdem versiculi meminit Basilius lib. *de Spiritu sancto*, c. 27. Concilium Vasense can. 5. Concil. Toletanum IV. can. 14.

Theod. lib. 2. hist. c. 24. Sozom. lib. 3. c. 19.

Capitula. Capitula sunt breuissimæ sententiæ, ex Scripturis sacris desumptæ, quæ ad orantium instructionem & excitationem leguntur: de quibus Concilium Agathense c. 21.

Collectæ. Collectæ, dicuntur orationes, fidelium vota colligentes, quibus omnes Christianorum cœtus finiri consueuerunt. Concil. Agathense can. 21. Strabo cap. 22. Micrologus cap. 3.

Cur ante lectiones oretur. Lectiones verò etiam oratione præuenimus, quia *rogandus est Dominus messis, vt operarios in messem mittat*; cor insuper auditorũ aperiat, ne

ne semen verbi Dei volucres comedant, aut spinæ suffocent, vel petræ duritia radicum fibras impediat, & ita sine fructu pereat.

Benedictio.

Lectionem pronuntiaturus, benedictionem petit, ad insinuandum, neminem officium prædicandi verbi Dei absque legitima missione vsurpare debere.

Finita verò lectione subiungitur; *Tu autem Domine, miserere nostri*, vt significetur, ne quidem bonum prædicandi verbi Dei officium, sine periculo alicuius culpæ peragi, quia facilè spiritus elationis aut negligentiæ subrepat. In fine autem capitulorum & totius orationis Chorus, *Deo gratias*, succinit, in signum gratiarum actionis Deo, quòd nos pane Verbi sui pascere, ac languescentes reficere dignetur.

Deo gratias.

Campanæ.

Ad officium insuper diuinum populus campanarum sonitu conuocatur, sicut olim tubarum clangore Israelitæ ad Dei laudes excitabantur. Porrò signa hæc ænea designãt prædicatores, quorum est legis auditores attentos, dociles, beneuolos efficere, ac fideles ad cælestem Ierusalem, futurúmque iudicium inuitare ac præparare; mouendo oportunè, importunè, fortíque sermone corda percellendo, secundùm gratiam vnicuique datam; quam adumbrat diuersus cymbalorum sonus, cum vehementi, crebra, tumultuosáque concrepatione auribus ingestus.

Leuit. 23. 25.

CAP. XIII.

De tempore horarum canonicarum.

Tempus horarum canonicarum.

VEteres diem artificialem in XII. horas, ac noctem in consimiles XII. distribuebant, de quibus legimus: *Nonne duodecim sunt horæ diei?* Et apud Matthæum primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, ac vndecimæ horæ mentio fit. Ac istæ duodecim horæ tam diurnæ quàm nocturnæ rursus in quatuor vigilias diuidi solent: quarum mentio fit Marci 13. *Vigilate, nescitis enim, quando Dominus veniat; serò, an mediâ nocte; an galli cantu, an manè.* Et cap. 6. vocat matutinum tempus, *quartam vigiliam noctis.* Singulæ namque vigiliæ tres horas continent. Primæ vigiliæ mentio fit Thren. 2. Vigiliæ mediæ noctis, Iudicum 7. Vigiliæ matutinæ, Exodi 14. Vigiliæ secundæ & tertiæ, Lucæ 12. & inter has XII. horas tertia quæque in qua terminabatur vigilia, potissima habebatur. Vnde & in diurnis horis nominantur sæpe tertia, sexta, nona, & vespertina hora. Iuxta quam horarum diei obseruationem, veteres sancti Patres orandi quoque tempora in septem canonicas horas distribuerunt, quibus Deo Creatori & Redemptori nostro quasi vectigales gratiarum actiones quotidie persolui statuerunt. Nuncupantur autem hæ septem horæ, *Canonicæ*: Matutinæ, quæ Nocturnos & Laudes includunt, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorium. Cuius septenarij horarum numeri Psaltes regius meminit dicens: *Septies in die laudem dixi tibi.* Septem insuper dies sunt hebdomadæ, quibus temporum volubilitas peragitur: septem quoque Spiritus sancti dona sunt, quibus mundus renouatur: septem mundi ætates, septem orationis dominicæ petitiones, quibus omnia speranda continentur. Beda in Esdram lib. 3. cap. 28. horarum officium diuidit in quatuor nocturnas: scilicet, Vesperas, Completorium, Matutinas, & Laudes; & in 4. diurnas: scilicet Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam. De

Ioan. 11. c. Matth. c. 20.

Ieron. in 14. c. Mat.

Septem horæ Canonicæ.

nocturnis horis varia extitit Ecclesiarum consuetudo. Quædam tribus distinctis vigilijs Nocturnos persoluebant, Hieronymo teste in epist. ad Eustochium *de custodia virginitatis*. Aliæ Ecclesiæ nocturnos simul, & præcipuè media nocte absoluebant, iuxta illud Psal. 118. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*. Quam consuetudinem plerique adhuc Religiosi conseruant. Aliæ demum Ecclesiæ nocturnos omnes cum matutinis laudibus iungebant, ac in IIII. vigilia, quæ & Matutina dicitur, Officium peragebant: quam consuetudinem Ecclesia Romana seruauit, Amalario teste, in præfationem libri *de ordine Antiphonarij*; quem vsum passim retinent Canonici. Quamuis autem nocturni iam ab omnibus iungantur; attamen Deo prouidēte diuersi Religionum Ordines varias noctis vigilias elegerunt; alij primam, alij II. alij III. alij IIII. seu matutinam amplexi sunt, vt assiduè Deus ab aliquibus laudetur. Est autē canonicum tempus matutinarum laudum, tempus auroræ, seu crepusculi matutini, vsque ad solis ortum. Vnde in festo Natiuitatis Christi, quando media nocte cantantur Nocturni, Laudes ab illis separantur, & in aurora celebrantur. Triduo autem ante Pascha, sole occidente, diéque in tenebras vergente, Nocturni cum Laudibus canuntur, vt repræsentetur occasus Solis iustitiæ, & simul gentis Iudaïcæ tenebræ, quæ Dominum suum abnegauit & crucifixit.

Athanasius lib. de Virginitate.

Variæ noctis vigiliæ.

Canonicum tēpus matutinarum, & ceterarum horarum.

Tempus canonicum horæ primæ, est ab ortu solis vsq; ad horam (more Belgico computando) IX. matutinam. Tempus canonicum officij Tertiæ, est medium inter solis ortum & meridiem. Tempus Sextæ incidit in meridiem. Tempus Nonæ inter meridiem & occasum. Tempus Vesperarum, est pars diei vltima ante occasum solis. Tempus Completorij, est initium noctis ante finem crepusculi vespertini: Basilius in *Regulis fusius disputatis* q. 37. Benedictus in regula c. 16.

Hic horarum canonicarum precandi modus antiquissimus est, à Prophetis, Christo & Apostolis, quoad tempora, obseruatus. Dauid enim media nocte surgebat ad confitendum Domino: per singulas noctes lectum lacrymis rigabat. *In noctibus extollite manus vestras in sancta*. Daniel tribus temporibus in die genua Deo flectebat: Christus nocte in oratione pernoctauit: Paulus & Silas nocte Deo laudes dixerunt. Psal. 5. *Mane exaudies, vocem meam*. Psal. 62. *In matutinis meditabor in te*. Psal. 118. *Vigilauerunt ad te oculi mei diluculo*. Psalm. 140. *Eleuatio manuum mearum, sacrificium vespertinum*. Ambros. in Psal. 118. ad versiculum: *Septies in die laudem dixi tibi*, exemplo auicularum Deum collaudandū ostendit, quæ suo creatori manè & vesperi cantum exhibent. Daniel, Esdras, & Apostoli hora prima, tertia, sexta, & nona orarunt. Vide Clementem lib. 8. *Apostolic. constit.* c. 40. Cyprianum serm. 8. *De orat. Dominica*: Rabanum lib. 2. *De instit. cleric.* c. 9. Bellarm. lib. 1. *De bonis operibus in particulari*, c. 13. Guillel. Durand. lib. 5. *de officijs*. Marcel. Francolin. *de horis Canonicis*. Isidorum lib. 1. Amalarium libr. 4. *de officijs Ecclesiasticis*.

Psal. 118.
Psal. 6.
Psal. 133.
Dan. c. 6.
Lucæ 6.
Act. 16.
2. Esdræ 9.
Act. 3.

Sed meritò hîc aliquis quærat: vtrùm peccet, qui horas Canonicas constituto tempore non persoluit? RESPONDEO, tempus publici officij synodicis, vel regularium constitutionibus præscriptum, esse obseruandum, cùm propter

Ab peccet, qui suo tēpore horas Canonicas non persoluit.

mysteria, quæ in eo recoluntur; tum vt populus sciat, quãdo ad officium diuinum confluere debeat. Ex iusta tamen causa tempus commutare licet, secus minimè, ne populus Christianus à Dei obsequio auertatur: quod maximè Deo displicere, probat exemplum filiorum Heli, quos ideo morte Deus mulctauit. Quare meritò Pontifex vetat, ne in publico officio à consuetis horarum cãnonicarum temporibus, absque graui & iusta causa recedatur. Si autem priuatum officium legatur, expedit quoque priuatas orationes publicis quodammodo iungi: attamen si per occupationes honestas id non sit integrum, satius fuerit, tempora præuenire, quàm horas postponere, quia in illo est prouidentia, in hoc negligentia. Propter verò secularia negotia diuinum officium postponere, vitio non caret, nisi fortè iusta necessitas excuset. Integro autẽ die officium horarum canonicarum sine prægnanti causa omittere, peccatum letale censetur. Dies autem computatur à vespera præcedentis diei vsque ad mediam noctem sequentis. Vnde qui horas priuatim legens, proprium tempus horarum canonicarum, vel ordinem præscriptum (absque contemptu) omittit, dummodo horas integras die illo persoluat, culpa graui vacat. Ex iusta verò causa licet matutinas diei sequentis pridie vesperi legere, & Laudes à Nocturnis separare. Vtrũ autem præcepto de audienda Missa satisfaciat, qui obligatus ad horas Canonicas, audiens sacrum horas legit, ambigũt nonnulli ex eo, quòd disparati cultus simul non posse soluí videantur. Sed cum Nauarro, Soto, & alijs dicimus, diuersis obligationibus posse satisfieri simũl, quando non exigunt actus, qui se non compatiantur, veluti vno ieiunio satisfacimus, si Apostoli vigilia incidat in quatuor tempora; & vna festi obseruatione, si incidat in diem Dominicam aliud festum. Si quis insuper per obliuionem, aut aliquam negligentiam ordinem horarum inuerterit, non tenetur horas repetere, sed de culpa pœnitere: si autem ex aliqua honesta causa ordinem horarum commutauerit (putà vt chorum adiuuet) nulla erit culpa, quia ordo priuatim legenti non est in stricto præcepto.

An verò, non lectis matutinis, sacrificare Presbytero liceat? ambiget aliquis. At respondeo, generali Ecclesiæ consuetudine à Pio V. confirmata celebrationi Missæ præmittendam esse lectionem Matutinarum, Laudum, & Primæ (excepta Natiuitatis Christi nocte ob mysterium) nec ab illa recedẽdum, nisi ex causa necessaria: veluti si pastor nocte ac die in audiendis confessionibus occupatus, ipso die Paschæ celebrare debeat, aut populus Missam non sit auditurus: vel quando necessitas aut scandali periculum id exigit. Ad eas denique horas legendas aut canendas Clericus tenetur, quibus Ecclesia, cui inscriptus est, vtitur: religiosus quoque, ad officium chori deputatus, ad sui ordinis horas astringitur. Qui autem iure vel consuetudine ad lectionem Romani vsus tenentur, nisi alias horas ducentis annis vtitatas obtineant, ex constitutione Pij V. Romanum Breuiarium recipere obligantur. Et quia singulis diebus suum proprium officium adaptatum est, in die festo non est de Feria legendum, nec contrà: si tamen absque contemptu id accidat, non erit culpa letalis. Et si dies quidẽ supersit, pars officij non rectè lecta repeti potest: si autem dies præterierit, officium omissum non est postera die

1. Reg. 2.

Clement. 1. de celebrat. Missarum.

S. Thom. Quodli. 5. art 8. Nauar. c. 25. Enchir. nu. 107. Sylvest. voce Hora. nu. 11.

Omissio horarum canonicarum.

Ex iusta causa licet vesperi matutinas legere.

An sub missa horæ can. legi possint.

Inuersio ordinis horarum Canonicarũ.

Anton. p. 3. tit. 13. Sylvest. voce Hora. nu. 10.

Matutinæ & Prima Missæ præmittantur.

Ad quas horas quisque obligetur.

Romanum Breuiarium à quibus recitandum.

repetendum, sed de culpa pœnitendum est. Sic Nauarrus in Enchir. c. 25. num. 30. Caietanus in summa, verbo: Horæ Syluester verbo, Hora, num. 15.

CAP. XIV.

De loco, in quo persoluenda sint horæ Canonicæ.

Locus horarum canonicarum est templū.

LOcus horarum publicarum proprius, Templum est. *Domus* enim *mea, domus orationis vocabitur*, ait Dominꝰ. Priuatas verò horas quolibet honesto loco persoluere licet; iuxta illud Apostoli: *Volo viros orare in omni loco*. Iob enim in sterquilinio, Ionas in ventre ceti, Daniel inter leones, tres pueri in fornace ignis, Paulus in carcere, Christus autem in cruce orauit. Vnde colligimus, nullum esse locum, in quo famulari Deo nequeamus. Cauendum tamen, ne in foro, vicis, aut negotijs secularibus dicatis locis, horas Canonicas perfunctoriè legamus. Proinde sanctè faciunt, qui sibi oratoria destinant, in quibus horas suas canonicas cum attentione, dignáque officio diuino majestate perlegant. Siquidem legendo horas attentio actualis aut saltem virtualis exigitur: ad verba quidem, ne alia pro alijs, vel confusè aut irreuerenter dicantur; ad res verbis significatas; ad petitiones; & ad personas, ad quas oratio dirigitur. Ad satisfaciendum obligationi præcepti de legendis horis Canonicis, actualis attentio, aut virtualis sufficit. Si verò neutra adsit, pro omissis horis tanta negligentia imputabitur.

2. Timot. 2.

Intentio actualis vel virtualis exigitur.

CAP. XV.

Qui ad horas Canonicas obstricti sint?

Ad Horas canonicas obligati.

AD horarum Canonicarum recitationem obligantur vniuersi in ordinibus sacris constituti; item clericali titulo beneficium Ecclesiasticum habentes, ex quo fructus notabiles percipere queunt; Religiosi quoque ad chorum deputati. Qui autem titulo seculari bona Ecclesiastica possident, minimè ad prædictas horas obligantur. Qui verò pensionem, fructus, aut res Ecclesiasticas, vt clericus percipit, ad paruum B. Virginis officium quotidie recitandum ex constitutione Pij V. obligatur, quam refert Nauarrus in Enchir. cap. 25. num. 122. vbi etiam decernit, eos omnes, qui Ecclesiastica beneficia habentes, prætermittunt horas canonicas, pro rata omissionis ad fructuum restitutionem teneri, nisi fortè iusta excuset causa; infirmitas nimirum corporis tanta, vt valetudo ex lectione horarum notabile capiat nocumentum. Rursus occupatio repentina, quæ præuideri non potuit, & absque peccato vel scandalo differri nequit; vt pastoribus, concionatoribus, docentibus, & medicis accidere consueuit. Excusat etiam Pontificis ex iusta causa dispensatio, liberans ab hac orandi formula, & permittens, vt quis arbitrariā pro benefactoribus orationem effundat. Excusat insuper Breuiarij carētia, si furto, casu, vel quoquo modo inculpatè perierit, nec aliud ibi haberi possit: vt si in mari, in itinere, inter hæreticos istud accidat. Eâdem ratione cæci, caligantes, legere non valentes, excusantur.

A legendis Horas canonicis excusati.

quia nemo ad impossibile tenetur. Vnde propter actiones liberas, vt studium, peregrinationem, & huiusmodi, lectio horarum præcepta, non est omittenda.

CAP. XVI.

Vtrùm per alium horas Canonicas persoluere fas sit?

Horas Canonicas recitare, sicut & ieiunare, officium personale est, vti & Altari seruire: certis enim personis ad hoc delectis hæc functio incumbit, quarum industria sub certo stipendio condicta præsumitur. Vnde Concilium Tridentinum, permittens clerico XIV. annorum conferri beneficium, supponit illum ita instructum, vt horas canonicas legere possit. Nam sess. 24. statuit & hortatur, vt Canonici per seipsos, & non per substitutos officia diuina peragant. Pontifex attamen Romanus, ex causa sicut dispensare in lectione horarum canonicarum potest, ita & permittere alicui, vt per aliam personam horarum debitum persoluat, quia in iure humano soluere quamuis obligationem potest.

Horas Canonicas legere, est officium personale.

1. Cor. 9.

Sess 24. ca. 12. reform.

CAP. XVII.

De ritibus in oratione seruandis.

QVamuis intentio affectúsque cordis Deo pateat; attamen situ corporis, aliísque ritibus externis, rectè homines se adorandum seruentiùs, gemendúmque humiliùs excitant: putà oculos in cælum subleuando, genua flectendo, manus expandendo, tundendo pectus, in terram procidendo, caput cinere aspergendo, vel alio huiusmodi visibili facto vtendo; iuxta illud Prophetæ: *Curuabo genua Deo excelso. Genua infirmata à ieiunio.* Salomon genibus flexis Deum orauit, Ezechias incuruatus; Manasses, *Flecto* ait *genua cordis mei.* Quin & Christus in signum reuerentiæ Patris genua curuauit, necnon procidit in terram in faciem suam. Quem imitatus Petrus, flexis genibus pro Dorcæ suscitatione orauit. Et B. Paulus ad Ephesios 3. *Flecto genua cordis mei.* Et 1. Cor. 11. Viros ob Dei reuerentiam aperto capite vult orare; mulieres autem velato. Suspicimus in cælum, in signum auxilij, cum bona fiducia inde petiti. Peccatores enim diuinæ maiestatis offensæ metu, oculos in cælum eleuare formidant, vt de Publicano legimus. Manus orando expandimus, aut eleuamus, vt innocentes nos ac puros in operibus esse debere, aè per Crucem Christi exaudiendos admoneamus. Sic enim Moyses orando hostem deuicit, in typum, quòd per Christi merita de Satana triumphum reportemus. Corpore insuper erecto precamur, vt mens in id quod agit, intenta sit, & gaudium Dominicæ Resurrectionis celebrãtes, quæ sursum sunt quæramus, non quæ super terram. Hinc à Pascha vsque ad Pentecosten non geniculamus, sed stantes oramus: similiter & durante Euangelij lectione standum est, non sedendum, vt attentè verba Christi audiantur & adorentur, per quæ in cælum ascendimus. Sedentes aliquando oramus, vt mens in oratione quieta sit. Pectus orando tundimus, vt peccata ex corde manantia nos detestari ac vindicare monstremus, exemplo Publicani. In sacco, cinere, cilicio ora-

Michæ 6. Psal. 108.

1. Parali. 6.

2. Paral. 29.

Lucæ 22.

Matth. 26.

Act. 9.

Act. 7.

Lucæ 18.

1. Timot. 2.

Exodi 17.

Ritus in orando seruandi.

Anastasius Pontifex in epist. ad Episcopos Germ. & Burg. ca. 1.

runt Niniuitæ, in signum veræ pœnitentiæ. Ad orientem templa erigimus, nósque orando eò conuertimus, vt Paradisum, vnde peccati merito electi sumus, nos requirere, ac Christum Solem iustitiæ ad iudicium ex oriente venturum exspectare demonstremus. Licet autem supradicti ritus suam vtilitatem habeant, non tamen differenda est oratio, dum occurrit, quò moueatur affectus ad supplicandum; nec studiosè quærendum, an stemus, an sedeamus, vel prostrati
Psalm. 6. simus, cùm & in lecto iacentes Dauidis exemplo precari queamus.

CAP. XVIII.

De loco orationis.

QVamuis Deum vbique præsentem in omni loco precari liceat; quia tamen sensibiles & corporei sumus, & rebus quibusque propria loca congruè deputamus, magna vtilitate etiam rebus diuinis certa loca dicata sunt, non quasi Deus loco concludatur, aut domo indigeat, sed vt per domum corpoream, in qua ad pietatem cuncta prouocant, homines ad feruentius orandum excitentur. Nostri ergo causâ Deus certa sibi loca consecrari voluit, in quibus se peculiari fauore auditurum precantes repromisit.
3. Reg. 8. 2. Paralip. 6. & 7. *Erunt*, inquit, *oculi mei aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto orauerit*; significans, se exauditurum non solùm quia oret, sed etiam, quia ibi oret, in loco videlicet, solenni ritu Deo consecrato. Quamobrem in veteri Testamento
Orandum in locis Deo consecratis. fideles accedebant, tabernaculum fœderis Domini, & postea magno studio templum Salomonis, vt ibi exaudirentur, ex singulari prærogatiua illi loco à Deo promisso. Quem vsum Christus & Apostoli suo exẽplo confirmarũt, adeundo frequenter illud Templum, de quo etiam Dominus negotiatores eiecit, addẽs: *Domus mea, domus orationis vocabitur*. Hinc Apostoli, eorúmq; discipuli omnibus locis, vbi Euangelium prædicauerunt, templa magnificentissima Deo consecrarunt, Eusebio teste lib. 2. hist. cap. 17. & lib. 4. *de vita Constantini*. Matth. 21. Nicepho. lib. 2. histo. c. 39.

Orationes autem, in templo consecrato à fidelibus effusæ, Deo acceptiores, efficaciorésque sunt aliis, in loco priuato factis, non solùm propter loci reuerentiam, sed etiam ob singularem ibi Dei præsentiam; & potissimùm ob multorum idem petentium vnanimitatem. Quod enim singulis Deus fuerat negaturus, plurium simul orantiũ consensui donat; iuxta illud Christi: *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcunque petieritis, fiet illis à Patre meo. Nam vbi sunt duo vel tres cõgregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Vbi non tam multitudini quàm vnanimitati exauditio promissa est, vt Cyprianus, Chrysosto. & alij obseruarunt. Hinc prohibent Concilia, ne Missa extra loca Deo consecrata celebretur. Tridentinũ Sess. 21 cap. 1. Reform. hortatur fideles suæ parochiæ interesse. Matth. 18. Cyprian. in expos. orat. dominicæ. Chryso. hõ. 4. in 2. ad Thessal. hom. 79. ad Antiochenos. hom. 3. de incõprehensibili Dei natura. Basil. serm. 2. de baptismo. cap. 8.

CAP. XIX.

De petendis à Deo.

QVæcunque à Deo sperare vel optare possumus, eadem petere licet; qualia sunt omnia iusta & honesta: de quibus generatim ait Dominus: *Quæcunque volueritis petetis, & fiet vobis*. Quo autem ordine desideria nostra dirigere oporteat, Iusta omnia & honesta petere licet. Ioan. 15.

edocet Christus, dum ait: *Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius, & cetera adijcientur vobis*, significans, primò summum bonum esse quærendum, Deique gloriam; exinde verò ea, quæ nos illi coniungant: putà gratiam Dei, fidem, spem, amorem, ceteráque virtutes, quibus Deo vnimur; postea verò ingenij dotes; cuiusmodi sunt artes & scientiæ: ac postremò bona corporis & fortunæ: qualia sunt pulchritudo, sanitas, robur, diuitiæ, honores, aliáque externa vitæ commoda, quibus homines bene aut malè vti solent, in quibus ideo illud Apostoli locum habet: *Quid* Rom. 8. *oremus sicut oportet, nescimus.* Quæ proinde necessitatis, non autem voluptatis gratiâ postulare debemus; nec absolutè, sed exemplo Christi sub conditione: *Si fieri potest*, Matth. 26. &c. *fiat voluntas tua*; vt docet Augustinus epist. 121. cap. 14. & Bernardus serm. 5. *de Quadragesimâ.* Quòd autem temporalia sint à Deo petenda, scriptura docet, quándo tradit, Deum in veteri Testamento iustis temporalia bona promisisse ac dedisse, nec ab alio quàm à se illa expectari voluisse. Hinc Isaac pro vxoris fœcunditate orauit: Iacob pro victu & amictu: Dauid pro vita temporali filij sui: Salomon victui necessaria petiit: & Christus nos panem quotidianum petere docuit: & Apostolus pro pace & tranquillitate orandum sanxit, eadémque ratione pro sanitate, pro terræ marísque fructibus, pro cessatione morborum, omníque alia necessitate, vt Chrysost. prosequitur hom. 51. & 69. ad Antioch. & 77. in Ioannem.

Aug. epist. 70. & 120. Gen. 25. Gen. 28. 2. Reg. 12. Prouer. 30. 1. Timo. 2.

Vnde cùm aliqui veterum scribunt, à sempiterno Deo non esse temporalia postulanda, non à cælesti terrena, nec à sublimi humilia, intelligunt, primo loco, aut propter seipsa, vt explicat Augustinus epi. 121. c. 6. & 12. ostendens, opes, potétiam, dignitates, aut honores indecenter appeti ad fastum elationis, pompam superfluam, vel noxam vanitatis: non autem, si appetat ista quispiam, vt prosit aliis, vt facilius eos ad æterna dirigat, vt miseræ huius vitæ solatia, non vt iustitiæ præmia. Hoc enim ad terrenæ ciuitatis filios pertinet, vti Deo ad fruendum mundo. Vnde insuper cauendum, ne à Deo mortem inimicorum petamus, ne *oratio* nostra *fiat in peccatum.* Et quæ à Prophetis de impijs prænunciantur, non sunt vota maledicentiæ, sed predictiones rei futuræ: & quæ videntur execrationes hominum, sunt detestationes peccatorum.

Temporalia quomodo petēda.

Prof. li. de vita contem. ca. 13. Aug lib 19. de ciuit. ca. 7.

Pro quibus autem personis sit orandum, tradit Apostolus, pro omnibus hominibus esse orandum, misericordiâ scilicet egentibus: quibus charitatis officium proximo debitum impendere iubemur, si non pro mutua dilectione, saltem pro cõmuni societate naturę. Vnde pro inimicis & persecutoribus nostris Christus orare iubet, nec aliquem ab affectu nostro excludere, perdurante mortalis vitę cursu, debemus. Orandũ itaq; pro omnibus viuis & mortuis, ope nostra egentibus, pro amicis & inimicis, cuiuscunq; religionis, sexus, ætatis, conditionis aut gentis. Nam talis proximus est, cui charitatis officium debemus. At quemadmodum charitatis officia ordine quodam sunt impendenda: ita & precandi munus, primò parentibus carnis & spiritus oratio elargienda est: sicut legimus, Ecclesiam assiduè pro liberatione Petri orasse, & Paulum fideles hortatum, vt pro se, aliísque prælatis suis orarent. Deindę *pro regibus, principibus*,

Pro quibus personis orandum. 1. Timo. 2.

Matth. 5.

Aug. de corrept. & grat. lib. 1. retract. cap. 16.

Act. 12.

Hebr. 13.

omnibúsque in ſublimitate, poſitis, vt quietam tranquillámque vitam ſub eis in omni pietate ducamus. Pro iuſtis verò precandum, ne ſuperbiâ efferantur, aut malitia vincantur: pro inimicis & infidelibus orãdum, vt Deus eorum corda emolliat & conuertat, vt cordis tenebras dono fidei infuſo, lucéque veritatis diſcutiat: pro hæreticis, vt ad Catholicæ matris Eccleſiæ ſanam doctrinam redeant; pro ſchiſmaticis, vt Eccleſiæ charitatis nexu copulentur. Quæ orationes quantum apud Deum valeant, oſtendit effectus conuerſionis multorum, qui ex vaſis iræ vaſa facta ſunt miſericordiæ, ſicuti Paulus per B. Stephani orationem conuerſus fuit.

Orandum etiam pro defunctis.

Recte inſuper pro defunctis neque optimis, neque peſſimis preces funduntur, vt à purgatorij pœnis liberentur. Hæc enim obſeruatio ab omnibus fidelibus retenta fuit, ex quo vnum Deum poſt lapſum Adæ in ſpe Reſurrectionis coluerunt, & Dominus ipſe pro mortuo Lazaro exauditus fuit, Apoſtoli, eorúmque diſcipuli hunc morem obſeruarunt, à quibus ad nos defluxit, vt alibi oſtendimus.

2. Mach. 12.

Aug. li. 18. de ciuit. ca. 36.

Enchir. c. 110. lib. de cura pro mort. c. 4.

Pro beatis autem, qui ſummo bono fruuntur, cùm finem vltimum conſequuti ſint, orandum non eſt. iniuriam enim facit martyri, qui pro eo orat.

Aug. ſer. 16. de verbis Domini.

Pro damnatis ſimiliter non eſt orandum, quia immobilis eſt Dei ſententia: *Ite in ignem æternum*: nec pro paruulis, abſque baptiſmo defunctis, orandum eſſe docet Auguſtinus libr. 1. *de Origene anima* cap. 9.

CAP. XX.

Quorum ſit orare.

CVm oratio ſit deſiderij oblatio, facta ſuperiori, vt illud adimplere dignetur, ſequitur, omnes qui Deum ſuum Dominum agnoſcunt, orare poſſe, non ſolùm homines in mortalis vitæ ſtudio luctantes, ſed etiam beatas ſanctorum animas, ac omnes Angelicos ſpiritus, quinimo & Chriſtum, ſecundùm quod homo eſt: quem pro nobis interpellare, Scriptura diſertè tradit, non quòd more ſupplicantium ſeruorum verba fundat, interpoſito inter os loquentis, & aures audientis interuallo, ac incertus, an quod petit obtinebit: ſed orat, apparens vultui Dei, paſſionísque ſuæ meritum offerens, ac mente ac voluntate à Deo petens, vt electorum numerus compleatur, totúmque ſuum corpus myſticum ei in gloria conforme reddatur, quod poſt reſurrectionem demum complebitur. Et quia oratio, ſeu deſiderij expreſſio, ſimilis eſt apertioni manus, ad accipiendum condictam mercedem, tam diu Chriſtus interpellabit, quàm integrum ſuæ paſſionis ſtipendium non acceperit. *Habes* (ait Auguſtinus) *maieſtatem, ad quam ores; habes humanitatem, quæ pro te orat.*

Orare quorum ſit.

Rom. 8. Hebr. 7. 1. Ioan. 2.

Aug. tract. 4. in can. Ioannis.

Aug. in Pſ. 19. & 29. & li 10 de ciuit c. 20.

Quod autem ſanctorum animæ pro nobis orent, de Hieremia & Onia legimus. & ſanctos voce magna clamare, teſtatur Ioannes in Apocalypſi.

1. Machab cap. 15.

Apoc. 6.

Angelos quoque pro hominibus precari, ac hominum preces Deo offerre, Scriptura diſertè tradit: *Vſquequò Domine non miſereberis Ieruſalem*: ait Angelus, Zachariæ 1.

Tob. 12.

Apoc. 6.

CAP.

CAP. XXI.

Quis orandus sit, & per quem?

NAturæ instinctus suggerit, eum esse inuocandum, qui omnem precantis egestatem leuare Quis tran-dus. possit, & velit, eúmque Deum esse: A Deo cũcta bona expectanda. sed fides addit, Deum vnum esse naturâ, in personis verò trinum, scilicet Patrem & Filium, & Spiritum sanctum. Hunc vnum Deum & trinum orare debemus, iuxta illud Psal. 49. Psalmi: *Inuoca me in die tribulationis.* Cùm enim oratio sit actus religionis, ad solum Deum, vt per seipsum (non accepta ab alio potestate) adimpleat, dirigenda est. Hic enim solus dominans omnibus, beatitudinem, necessariáque ad illam media elargiri potest; quin & temporalia bona, vitam, escam, vires, opes, honores, dignitates, principatus, & regna vnicuique, prout vult, prouidentia summa distribuit. Act. 17. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Nihil igitur ab Idolis surdis & mutis, neque à Magis, incantatoribus, Pythonibus, sagis petendum est. *Omne* siquidem *datum bonum descendit à patre luminum.*

An ergo sanctos inuocare non licet? RESPONDEO, beatos, siue homines siue angelos recte inuocari, non vt vota nostra per se adimpleant; sed vt preces nostras comprecando, & pro nobis intercedendo, adiuuent. Deus enim bona, quæ petimus, largitur, & à malis liberat; sancti verò Dei amici, domestici, & Apoc 8. Gen. 48. grati, patrocinium nostri suscipiũt, suáq; suffragia nostris adiungunt, vt faciliùs, quod petimus à Deo, impetremus. Quod diuersa Deum & sanctos precãdi formula significamus. Deo enim dicimus: *Exaudi nos Domine, miserere nostri, libera nos, parce nobis, da pluuiam, fructus terræ custodi:* Sanctis autem: *orate pro nobis, intercedite, adiuuate:* qualis oratio non actus est religionis, soli Deo debitæ, ideoque vt per Sanctum compleatur, desiderare possumus: id autem efficit, pro nobis orando, intercedendo, comprecando. Quod ipsum viui pro se inuicem faciunt. Nam Iob pro amicis orauit, Apostolus pro se orari petiit. Quando autem Sanctum compellamus, vt nostri misereatur, vel oculos misericordes ad nos conuertat, eo sensu accipiendum est, vt conditionis nostræ miseriâ permotus Sanctus, nos apud Deum sua intercessione adiuuet, sicut in explicatione primi præcepti Decalogi latiùs expositum est. Iob vlt.

Cum verò ad Sancti alicuius imaginem quis precatur, aut orationem Dominicam pronũciat, ita demum sentiat, à sancto se petere, vt secum oret, eaque, quæ oratione Dominica continẽtur, sua intercessione impetret per Christum supremũ Mediatorem, qui cum Deo & homine communem naturam habet, qui per semetipsum, immediatè, propriis meritis, nullius alterius intercessione indigens, pro omnibus, & pro ipso nullus, interpellat, omniaque quę vult à Deo impetrat. Cuius prærogatiuæ gratiâ vnicus Dei & hominũ mediator appellatur, August. interprete: reliqui enim mediatores secũdarij sunt, & per Christum petunt, cuius merito & gratia omnis oratio cõsequitur, vt exaudiri mereatur. Ipse enim altare est, in quo cunctæ preces Patri offerendæ sunt, vt placeant & acceptentur à Patre, adeò, vt oratio quæ nõ fit per Christum, ipsa vertatur in peccatũ. Et, *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quodcunque petieritis* (ait) *Patrem in nomine meo, hoc* Mediatoris Christi & sanctorum differentia. 1. Timot 2. Lib. contra Parm. 2. c 8. In Psal. 108. Apoc. 5. Ioel 2. Rom. 10. Ioan. 14. & 16.

Iac. 1. Sancti inuocandi.

faciam. Et: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Hinc Ecclesia orationes suas omnes per Christum concludit.

CAP. XXII.

De orationis Dominicæ excellentia.

Orationis Dominicæ excellentia.

QVid & quo ordine à Deo petere debeamus, Christus Apostolos edocuit, tradita ipsis precandi formula, qua deinceps omnes, qui Christianam religionem susciperent, vterentur: quæ ab authore *Dominica oratio* nuncupatur, & omnibus aliis precandi formulis multis modis excellit. I. institutionis authoritate, qui verus Dei Filius, & Sapientia Patris est: à Christo enim dictata est, non ab Angelo, Propheta, vel quolibet puro homine. Quod agnoscens Ecclesia canit: *Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere: Pater noster*, &c.

II. Excellit plenitudine rerum, sufficientiáque petitionum: Quidquid enim à Deo sanctè peti potest, complectitur. Quantumlibet enim alia verba dicamus, nihil tamen aliud, quàm quod in ista oratione positum est, postulamus. Hæc enim oratio formulam desideriorum nostrorum continet, vt nefas sit ea desiderare, quæ hîc comprehensa non reperiantur; adeò, vt Tertullianus scribat, hac oratione totum Euangelium concludi, ac Breuiarium quoddam esse totius Euangelij. Postulantur enim hîc bona futuræ & præsentis vitæ; spiritualia & corporalia; æterna & temporalia; simul etiam deprecamur omnis generis mala, præsentia, præterita, & futura.

Aug. epist. 121. c. 12.

Aug. ser. 11. in Louanī impressis. Tertull. de orat. Cyprian. ser. de orat.

III. Præcellit breuitate. Non enim plura & sublimiora maiore vocum compendio effari possunt. Quantum enim sensibus diffunditur, tantum verbis perstringitur. Quæ breuitas ad iuuandam hominum omnis sexus & ætatis memoriam conducit, ac demonstrat, non esse multiloquio vtendum, sed affectu feruido, vt Deum rectè oremus. *Qualia sunt* (ait Cyprianus) *orationis Dominicæ Sacramenta, quàm multa, quàm breuiter in sermone collecta; sed in virtute spiritualiter copiosa, vt nihil omnino prætermissum sit, quod non in precibus nostris doctrina cælestis compendio comprehendatur*! In eandem sententiam Tertullianus: *Compendiis paucorum verborum, quot attinguntur edicta Prophetarum*.

IV. Præstat ordine, quoniam pauciſſimis verbis ordinatiſſimè digestis, vniuersa quæ rectè peti possunt, eo quo desiderandæ sunt ordine, continet. Primùm enim Dei gloriam, deinde nobis bona quærere iubemur: & quidem primò æterna bona, secundò temporalia; & inter illa, priùs spiritualia bona, postea corporalia tribui, ac denique cuiuscunque generis mala depelli à nobis oramus.

Aug. Enchir. cap. 115. lib. 2. de serm. Domini in monte c. 17. Lib. 2. de peccat. merit. c. 4.

V. Excellit ista oratio efficaciâ, quoniam filij Dei verbis loquentes faciliùs exaudimur à patre. Gratissima enim Patri vox est Filij, quam vt suo proprio ore dictauit, ita & Spiritu suo quodammodo animauit, vt singulari priuilegio in cœlum ascendat. Amica & familiaris oratio est, quæ Deum de suo rogat. Si Christus promittit exaudire orantes in nomine suo; quantò magis si præscriptus ab ipso verbis & sermone petendo vtantur? Nullus enim meliùs Filio sensum Patris nouit, neque aduocata à Patre dato causam feliciùs diriget. Si enim Prophetarum verba hominibus cælestia bona impetrare meruerunt;

quid non sermo Filij (cuius dicere facere est) apud Patrem efficiet?

Postremo hæc oratio necessitate aliis præstat, quia hanc Dominus omnibus Christianis notam esse voluit, quibus dixit: *Sic orabitis, Pater noster*, &c. Cuius proinde verba & sententias sic animo & memoria comprehendere oportet, vt semper in promptu sint. Nam ex Apostolica constitutione ter in die ab omni Christiano recitari consuevit. Vnde *quotidiana oratio* appellatur à Cypriano, Hilario, Augustino, Enchir. cap. 71. *De quotidianis leuibúsque peccatis quotidiana oratio fidelium satisfacit*. Concil. Remense can. 2. statuit, vt omnes Christiani orationem Dominicam memoria teneant, intelligant, & crebrò frequentent. In quem finem plurimi veterum Scriptorum hanc orationem singulari studio explicarunt, quorum sensum & dicta ad huius orationis intelligentiam oportuniora compendiosè trademus.

Clemens li. 7. cap. 25.

Greg. lib. 7. epist. 63. Cõcil. Toletan. 4. can. 9. Tertullian. Cyprian. Aug. epist. 121. Ench. cap. 115. ser. 126. 235. 182. de tempore. Greg. Nyss. 5. serm. Cyril. Catech. myst. 1eron. & Chrysost. in Matth.

CAP. XXIII.

De orationis Dominicæ proœmio.

Pater noster qui es in cœlis.

Orationis Dominicæ expositio.

PRiusquam à Deo quidquam petamus, Christi iussu certis verbis eius beneuolentiam conciliamus, vt ad thronum misericordiæ illius fidentiùs accedamus. Cumque nihil plus alacritatis in hominum animis excitare possit, quàm si persuasum habeant, se cum beneuolo Patre acturos: ideo huius orationis primam vocem Christus esse voluit: *Pater*. Quid enim iucundius, Patris nomine? quod indulgentiam & charitatem sonat. Sunt quidem alia multa Dei nomina, quæ plus maiestatis habere videantur, vt Creator, Dominus, & huiusmodi: sed noluit Christus nomen orationi præmittere, quod precaturo timorem vel horrorem incuteret; sed tale, quo fiducia orandi crescceret, summam Dei bonitatem & potentiam agnoscendo: quam veteres solent exprimere, vocando Deum, *Optimum Maximum*. At Christus eandem Dei summam bonitatem & ineffabilem misericordiam erga genus humanum significauit verbo, *Pater*: quo vno nomine Dei beneuolentia, liberalitas, & misericordia cumulatissimè recoluntur, vt ex rationibus, propter quas homines Deum iure Patrem appellant, liquet.

Pater.

Primum enim hominum Pater Deus est, quia eos ad imaginem & similitudinem suam, vt in æterna gloria, Filio suo naturali cohæredes herent, creauit; iuxta illud: *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit, fecit, et creauit te?* Et: *Nunquid non Pater vnus est omnium nostrum, qui creauit nos?*

Deus cur hominum Pater vocetur.

Deut. 32. Malach 2. Isaiæ 1.

II. *Pater* dicitur, ratione gubernationis, quia homines pascit, vestit, protegit, dirigit, eorúmque vtilitatibus præcipuo quodam prouidentiæ modo prospicit, charitate paterna consulendo per angelorum tutelam, quos nobis in via tendente ad cælum duces, in periculis adiutores atque custodes adhibet, vt ex historia deductionis Israëlitarum in terram promissionis, & Tobiæ constat: vbi angeli itineris duces, comites, adiutores in periculis, rerúmque occultarum fidelissimi doctores fuisse leguntur.

Exod. 14. & passim in lib. Num. Deut. Ios. Iudicum, Reg. Tob. 5. 6. 12.

Plurima insuper Deus alia beneficia hominibus curâ paternâ tribuit, à quibus ne quidem offensus patriæ charitatis officia remouet, vt exemplo mulieris, quæ nunquam filij sui

obliuiscitur, Dominus Isaiæ 49. confirmat: & Christus, ne capillum vnum absque Patris cælestis voluntate casurum affirmat. Vnde succenset opinantibus, Deum non curare res humanas, ac dicentibus: *Estne Deus in nobis? Non videt Dominus nos: dereliquit terram; nostra non considerat.*

Isa. 49.
Matth. 10. Lucæ 21.
Exodi 17. Ezechielis 8. Iob. 22.

III. Deus *Pater* dicitur, ratione gratuitæ redemptionis, & spiritualis regenerationis. Dum enim ex Adamo geniti essemus filij mortis, peccati & Diaboli, Deo rebelles & inimici; per gratuitam Filij sui naturalis mortem pro nobis toleratam, nos à seruitute Diaboli, peccati, & mortis liberauit, ac per Fidem & Sacramenta regeneratos corpori eiusdem inseruit, & tam in nominis, quàm hæreditatis consortium adoptauit, vt filij Dei verè nominemur & simus, hæredes gloriæ Dei, atque cohæredes resurrectionis, & beatæ ac immortalis vitæ Christi: cujus pignus Spiritum sanctum accepimus, qui depulso spiritu timoris bona cum fiducia clamare nos facit, *Abba, pater.* Quales Christus etiam *fratres* apellare non dedignatur, tanquam sibi per consortium humanæ naturæ, & obseruationem paternæ voluntatis similes. *Omnis* enim (ait) *qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est; ipse meus frater, soror, & mater est.* Quare non confunditur discipulos vocare fratres: *Ascendo*, inquit, *ad Patrem meum, & Patrem vestrum.* Dicendo itaq; *Pater*, recolimus, nos esse Dei filios, non meritis nostris, sed gratuita Dei adoptione, ad æternam hæreditatem in cælis possidendam vocatos.

Ioannis 1. Rom 8. 1. Petri 1.
1. Ioan. 3.
Quanta dignitas sit, adoptari à Deo in filium, exponit D. Leo, serm. VI de natiuit. & I. Grego. hom. 6 in Ezech. Matth. 12. Psal. 21. Hebræ. 2. Ioan. 20.

Admonet insuper nomen *Patris*, quòd oraturus debeat animo filiali Patrem accedere, depositâ omni peccandi voluntate, inimicoque animo, tanquam lucis, nõ tenebrarum filius, cùm sit ex semine incorruptibili per fidem renatus; juxta illud: *Dedit potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.* Filium autem oportet imitari Patrẽ, obedire Patri, nihil indignum filio agere, cogitare, petere. *Estote* (ait Dominus) *perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est. Sancti estote, quia ego sanctus sum. In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli. Vos ex patre diabolo estis, & desideria Patris vestri perficere vultis*, ajebat Christus. Vnde Leo: *Agnosce ô Christiane dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire.* Et serm. 6. *Genus electum & regium regenerationis suæ respondeat dignitati: diligat, quod diligit Pater, & in nullo ab authore suo dissentiat, ne Dominus dicat: Filios genui & enutriui: ipsi autem spreuerunt me.* Et: *Si ego Pater sum, vbi est honor meus?* Si enim filij dedecus est, majorum splendorem obscurare; quantò indignius est filio gratis adoptato, Patrem cælestem bonis operibus non solùm nõ glorificare, sed vt nomen eius blasphemetur, occasionem dare? Quare hîc admoneri populus fidelis poterit, vt expendat, quid amantissimo Patri Deo debeat, quãtum amorem, quantam veneration-em, quem cultum, quantam obedientiam, vt intelligat, voluntati eius promptissimè parendum, non renitendum, non obmurmurandum, etiam si eum flagellet, aut aliis modis exerceat.

1. Ioan. 1.
Ioan. 8.
Leo serm. 1. de nat. Domini.
Isa 1. Malach. 1.
Ierem. 31. Psalmo. 88. Iob 5. & 19. Apoc 3. Hebr. 12. Tob. 12.

CAP. XXIV.

Quorum sic hanc creationem dicere.

Vox filij Dei quibus tribuenda.

SIcut vox *Patris*, ita *Filij* diuersimodè accipitur: propriè si-

quidem filius naturalis, Deo Patri consubstantialis, sic appellatur: deinde, qui ex aqua & Spiritu sancto regenerati, per adoptionis gratiam cohæredes Christi sunt, quorum in hac vita peregrinantium hæc oratio propria est, iustorũ scilicet, per charitatis donũ clamãtiũ, *Abba, Pater.*

Sunt autem & alij nondum re, sed ardenti desiderio, bonaq; voluntate ac spe filij Dei: quales sunt catechumeni & pœnitentes, qui cum filio prodigo dicere possunt: *Pater peccaui.* De qualibus ait Propheta: *Tu Domine Pater noster es.* Et Apostolus omnes fidem habentes inuocare Deum posse docet, ex Propheta dicente: *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Omnia* (inquit Leo) *dona excedit hoc donũ, vt Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet Patrem.*

Luc. 15. Isa. 63. Rom. 10. Leo serm. 6. de nat. & serm. 1 Agnosce Christiane dignitatem tuam, &c.

CAP. XXV.

Cui personæ diuinæ loquamur dicendo, Pater.

ORando, *Pater*, alloquimur primam in diuinitate personam, scilicet *Patrem Domini nostri Iesu Christi, à quo est omne donũ perfectum.* Quia tamen oratio non solùm alloquutione, sed etiam rei alicuius petitione fit, & omnia Trinitatis opera sunt indiuisa; consequitur, nos non minùs Filiũ & Spiritum sanctum orare quàm Patrem, licet ad illum veluti fontem verba dirigamus. Quemadmodũ in oblatione sacrificij Patrem compellamus, at toti Trinitati, quæ vnus est Deus, sacrificium offerimus, vt ex professo Fulgentius scribit; Tertullianus in Patre Filium & Spiritum sanctum inuocari tradit, quorum vna est natura, vna potestas, vna voluntas, vna diuinitas, vna operatio, vna donorum largitio.

Quam personam alloquamur, dicendo, Pater. Iac. 1.

Fulgen. lib. 2. ad Monimum. q. 2. Concil. Cartha. c. 23.

CAP. XXVI.

NOster, id est, filiorum, ex aqua & Spiritu renatorum, seu fidelium Christianorũ, qui adoptione filij sunt, non natura. Christus equidem naturalis Dei Filius, non Pater noster, sed *Pater mi*, orat. &: *vado*, ait, *ad Patrem nostrum*, significans, se non adoptione, sed generatione diuina Filium esse cõsubstantialem Patri. Voce itaque hac, *noster*, admonentur vniuersi Christiani, se vnum communem Patrem Deum habere, adeóque fraterna charitate semuicem complecti debere, cuiuscunque sint gradus, conditionis, ætatis, aut sexus. Nam eisdem Sacramentis initiati, ad eandem regni cælestis hæreditatem possidendam vocati sunt; iuxta illud Apostoli: *Filij Dei estis per fidem in Christo Iesu. Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus, neque Græcus; non est seruus neque liber; non est masculus, neque fœmina: omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu.* Hac consideratione Apostolus fraternam charitatem inculcat, & abiectiores fideles confirmat, ac in spem bonam erigit: potentiores autem ad humilitatem prouocat, eorúmque tumorem coërcet.

Denique voce, *Noster*, admonentur Christiani vnitatis, concordiæ, pacis, quodque vota sua vno quasi corde ac ore Deo Patri offerre debeant, qui vnanimes exaudire promisit: sicut tres pueros, vno ore Deum laudantes, & Apostolos vnanimiter in oratione perseuerantes exaudiuit.

Quæ mysteria voce istà, noster contineantur. Matth. 26. Ioan. 20. Aug. tra. 74. & 82. in Ioan. Galat. 3. Daniel. 3. Act. 1.

Postremo ex hac voce *Noster*, colligunt Ecclesiastici doctores, Deo gratiorem esse cõmunem ora-

Cypria ser. 6. Chryso. hom. 14. in

opere imperf. Ambros. lib. de Cain. cap. 9. Innocen. 1. epist. 97. apud Aug.

tionem priuatâ, quia pro se orare cogit necessitas, pro alijs verò simul deprecari hortatur charitas: & dum singuli orant pro omnibus, etiam omnes pro singulis orant. Communem ergo orationē Christus fundere docuit, vt vnius corporis membra, veluti eodem spiritu animata, pro se inuicem mutuam sollicitudinem gererent, nec tam propria bona, quàm omnibus communia postularent ac quærerent.

Specialia suffragia plus quam specialia prosunt.

Sciendum tamen est, quòd licet preces communes in se meliores sint priuatis, amplius tamen speciales preces vni personæ prodesse, si pro ea solùm fiant, quàm generales ceteris paribus: non secus quàm eleemosyna vni facta, plus ei prodest, quàm si multis distribueretur, etiamsi Deo gratior sit liberalitas in plures effusa, quàm in vnum tantùm; prout contra Vviclefum in Concilio Constantiensi definitum est, negantem, specialia suffragia Ecclesiæ alicui plus prodesse, quàm generalia. Contra quem Adrianus VI. quodlibeto 9. ostendit, orationem vni per modum satisfactionis applicatam, eidem plus prodesse, quàm si pro multis fieret.

Sess. 8. art. 19.

Alter Vviclefi error fuit, quòd non liceret pro re particulari orare quem confutat Thomas Vvaldensis ex orationibus Patriarcharum, Prophetarum, Christi, & Apostolorum, qui pro determinatis rebus orarunt, vt Abraham & Isaac pro filio, Iacob pro victu necessario: Christus transferri à se calicem hūc petijt: tota Ecclesia orauit pro Petro, ab Herode incarcerato: Paulus pro se orari per fideles expetijt, ac pro Regibus, & ijs, qui in sublimitate constituti sunt orari iussit; totaque Ecclesia in litanijs liberari petit à fulgure & tempestate, à bello, fame, peste, &c. & in publico Ecclesiæ sacrificio pro his & illis peculiariter semper oratum fuit.

Thomas Vvaldens. tom. 3. tit. 11. c. 107.

Pro speciali re orandum.

1. Timo. 2.

Neque hæc oratio Dominicæ aduersantur, in qua dicimus: *Pater noster, da nobis, dimitte debita nostra, ne nos inducas in tentationem, libera nos à malo*: nam illa, quæ in oratione Dominica generatim petuntur pro omnibus, licet etiam speciatim pro nobis, pro fratribus & amicis, quin & pro hoc vel illo infideli petere, vt scilicet Deus hunc conuertat, illuminet, ex cœno peccatorum educat. Nam charitas ordinata, prout indigentia & oportunitas exigunt, nunc hunc, nunc illum magis adiuuat.

Aug. epist. 121. cap. 12.

CAP. XXVII.

Quomodo Deus in cœlis esse dicatur.

Qui es in cœlis: id est, qui gloriam præsentiæ tuæ in corporalibus cœlis præcipuè manifestas. Nam ibi Deum beati facie ad faciē vident; & ex cœli contemplatione omnium corporum maximi & pulcherrimi, sapientiam, potentiámque Dei concipimus ac intelligimus, iuxta illud: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera eius annuntiat firmamentum*. Vnde passim Deus in cœlo habitare, ac sedem habere dicitur. Isaiæ 66. *Cœlum mihi sedes est*. Vbique quidem Deus est maiestate potentiæ, sed in cœlis manifestatione suæ gloriæ. Hac ergo particula oraturus incitatur ad quærendum cœlestia bona, cor subleuare à terrenis, meditari immortalē beatámque cum Angelicis spiritibus vitam, in quibus quoq; Deus per gratiam, & gloriæ communicationem habitat: simul edocetur, se hic peregrinum esse, nec permanentem habere ciuitatem, sed futuram inquirere; atque opus esse magno clamore, non vocis sed cordis, vt in cœlo

Psal. 18.

Matth. 5.

exaudiamur, in imo terrarum constituti: iuxta Bernard. serm. 16. in Ps. *Qui habitat*. Aug. lib. 1. de *de ser. Domini in monte*, cap. 31. vbi docet, Deum dici habitare, propter gloriæ manifestationem: item in locis vel hominibus dici quoque habitare, propter dilectionis, exauditionis, aut donationis singularium beneficiorum gratiam. Aug. epist. 57. lib. 22. de ciuit. c. 29. In Ioan. tract. 56. Sedere verò in cœlis, calcare verò terram Deus dicitur, quia ibi terram iudicat, ex cœlo sterilitatē vel abundantiam frugum, pestem, cetera quæ homines optant, aut metuunt, immittit.

Deus quomodo in hominibus habitare dicatur.

3. Reg. 8. Isaiæ 66. Ierem. 23. Psal. 138. Sapient. 8. Eccles. 24. Aug. lib. 1. de ser. Domini in monte cap. 31.

Dicimus autem pluraliter *in cœlis*, vt homines intelligāt, omnium cælorum opificem Deum esse, quódque in omnibus & super omnia sit, cuncta moderans, ac virtute sua continens, ac adimplens: proinde hunc solum esse metuendum, non signa cæli (Ierem. 10.) *non eos, qui occidunt corpus tantùm*: (Matth. 10.) sed hunc, *qui si pro nobis* sit, *quis contra nos*? in quo solo fiduciam omnem collocare oporteat; pro quo Patrem carnis nostræ, Matrem, Fratres, Necessarios, ac ipsam quoque vitam contemnere iustum sit.

Rom. 11. Ephes. 1. Coloss. 1. Hebr. 1.

Matth. 23. Luc. 14.

CAP. XXVIII.

Sanctificatio nominis Dei in quo consistat.

Sanctificetur nomen tuum. Prima hac petitione Dei gloria ordinatissimè deposcitur, vt scilicet nomē eius, essentia, maiestas, quòd sit vnus in natura, trinus in personis, omnibus innotescat, laudetur, celebretur, colatur, adoretur ab omni natione, ab omni creatura rationali. Quod fit ab aliis, qui relictis idolis atque peccatis, vnum Deum, viuum & verum agnoscunt, in eum credūt, sperant, ac toto corde diligunt, laudant, prædicant, venerantur, cum Angelis acclamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*; contendo, nihil esse, quod magis amare debeant, vel offendere formidēt. Iuxta Malachiæ vaticinium: *Magnum est nomen meum in gentibus*, quæ scilicet in tribus personis eandem maiestatem, & in simplici essentia trium personarum distinctionem adorant. Optamus ergo hîc, vt cœlum & terra Dei Gloria repleantur; vt omnis creatura Dei potentiam, sapiētiam, bonitatem, prouidentiam, celebret; vt omnis infidelitas, per quam Dei cultus minuitur, omnes hæreses, impiæ doctrinę, artes magicæ, dæmonum incantationes, diffidētia & superstitio aboleantur, vt in Deo solo fidamus, cuncta in eius honorem faciamus, omnem salutis spem in eo collocemus, ab eóque toti pendeamus; & si quid boni egerimus, id non nobis, propriæque sufficientiæ, sed eius benignitati asscribamus. Sic Aug. lib. 2. *de serm. Dom. in monte*, cap. 10.

Isa. 6. Apoc. 4. Malach. 1. Cassian. collat. 4. c. 18. Bernard. serm. 6. in Quadrag.

Tertullianus & Cyprianus intelligunt, hîc peti, vt sanctificemur, ac in sanctitate perseueremus, referentes sanctitatem nominis Dei ad nos. At hoc modo intellecta hæc petitio confunderetur cum sequenti tertia. Alij referunt sanctificationem hanc ad gloriam Dei, ex bonis operibus nostris resultantem, de qua Matth. 5. Lucæ 6. *Luceat lux vestra coram hominibus, vt glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*. Sed neque hic sensus hanc petitionem à sequente tertia satis distinguit.

Cyril. catech. mystag. 5. Nyssen. Orat. 3. Hieron. Rupertus in 6. cap. Matth. Ezechiel. 36. Rom. 2.

Admonendi sunt hîc fideles, ne nomen Dei, quod sanctificari assiduè orant, ipsi vitâ & factis contaminent, occasiones præbendo, vt nomen Dei blasphemetur.

CAP. XXIX.

Secunda petitio est: *Adueniat regnum tuum.*

Secũda petitio.

POstquam Dei gloriam petiuimus, nobis beatitudinem, quæ in secundo Christi aduentu omnibus sanctis obueniet, postulamus. Regnum Dei hîc quidem inchoatur, at in die nouissimo sancti in corporibus gloriosis cum Deo perfectè felicitérque regnabunt. Hîc regnat caro, mundus, cupiditas, impij, peccatum, mors & diabolus; tunc solus Deus, & consortes regni ac gloriæ ipsius absque vlla resistentia regnabunt.

Regnum Dei triplex: primum, naturale.

Porrò in Scripturis triplex Dei regnum reperimus: scilicet Naturale, quo creaturas omnes pro suo beneplacito moderatur, regit, iudicat.

Daniel. 2. 4. & 7. Hester. 13. Isaiæ 33.

De quo Psal. 144. *Regnum tuum omnium seculorum.* & Daniel: *Regnum eius sempiternum.* De hoc regno, quod non potest non esse, nemo hanc petitionem intelligit. II. regnum est gratiæ, quo Deus in Ecclesia, & fidelium cordibus per Fidem, Spem & Charitatem regnat, iuxta illud: *Regnum Dei intra vos est.* Et: *Regnum Dei est iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Et, *simile est regnum cœlorum sagenæ*, &c. De hoc regno Hieron. & alij nonnulli hanc petitionem intelligunt; sed ne cum tertia petitione coincidat, rectiùs de regno gloriæ pacatissimo, quod III. est, exponitur: de quo Matth. 25. *Percipite regnum.* Matth. 7. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, intrabit in regnum cœlorum.* De eodem Apostolus: *Iniqui regnum Dei non possidebunt.* Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum.* De hoc regno hanc petitionem loqui sentiunt Tertullian. Cyprian. Cyril. Chrysost. Aug. qui concione 20. in Psal. 118. admonet, conuenientissimè nunc omnium Christianorum votum in secundum Christi aduentũ tendere, sicut ante VERBI Incarnationem veterum sanctorum desideria in primum Christi aduentum; iuxta prophetiam Iacob: *Ipse erit expectatio gentium*, ad secundum videlicet Aduentum, quemadmodũ à Iudæis, expectatus fuerat ad primum. Hieron. in 6. Matth. notat, grãdis esse audaciæ, puræq; cõscientiæ, regnum Dei postulare, Christi ad iudicium aduentum non timere: ideoque hac petitione assidua innui, quòd fidelem paratum esse semper oporteat, vt secura mente diem illam exoptare audeat.

Secundum regnum, gratiæ.

Luc. 17. Rom. 14. Matth. 13.

Tertium regnũ, gloriæ.

1. Cor. 7. Ephes. 5.

Aug. lib. de serm. dom. in mont. c. 10. lib. 20. de civit. c. 9. Cyprian. ser. de mortalitate.

Sed cur petimus aduenire regnum Dei, quod non nisi decreto tempore venturum est? RESPONDEO, vnumquemque petere sibi aduenire regnum Dei, vt in die iudicij sit à dextris cum ouibus, non à sinistris cum hœdis; alioqui regnum aduenier, sed minimè nobis. Est autem hoc regnum vnicuique tam vicinum, quàm dies mortis: quia talis quisque in die iudicij sistetur, qualis ex hac vita emigrauerit.

CAP. XXX.

Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.

Tertia petitio.

QVia non peruenitur ad regnũ gloriæ, nisi per regnum gratiæ, (iuxta illud: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*) rectè post beatæ vitæ petitionem subiungimus postulationem mediorum, ad consequutionem gloriæ necessariorum; quæ sunt, facere Dei voluntatem, seruare mandata, facere bonum, declinare à malo. Et quia ex

Matth. 19.

corruptæ

corruptæ naturæ viribus non sumus idonei neque sufficientes ad pietatis opera præstanda, quæ Deus à nobis requirit; ideo hic Dei auxiliũ imploramus, vt ipso duce, authore, gubernatore, ac per suam gratiam protegente atque cooperante, tanquam obedientes filij & serui, eius voluntati per omnia nos subijciamus, bonum operando & malum declinando: non amplius sequentes concupiscentias carnis, voluntatem propriam, suggestiones Satanæ; sed ad Dei nutum omnes motu nostros componendo: vt quemadmodum ex Paradiso per contemptum præcepti Dei electi fuimus, mortíq; addicti; ita per obedientiam & humilem nostræ voluntatis submissionem, ad regnum cæleste, vitámq; beatam reduci mereamur. Oramus ergo, *Fiat voluntas tua*, scilicet in nobis, & à nobis: q. d. te adadiuuante, protegente, dirigente, atq; cooperãte fiat, vt non resistamus tuæ voluntati. Non iussit autem Christus dicere: faciasvoluntatem tuam in nobis; neque, faciamus volutatẽ tuã: sed, *fiat voluntas tua*, vt intelligeremus, obedientiam legis, quam Dei ope præstamus, & qua Deum colimus, vitamq; æternam promeremur, non esse opus solius Dei, neq; solius nostri liberi arbitrij, sed vtriusq; simul. *Oramus* (ait Cyprianus) *vt fiat voluntas Dei, qua vt fiat, opus est voluntate, ac ope eius, et protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei misericordiâ tutus est.* Quod Augustinus confirmat orando: *Da quod iubes, & iube quod vis.* Quomodo autẽ Deus faciat nos facere suam voluntatem, non solùm diffundendo in cordibus nostris charitatem, sed eam insuper succedendo, vt omnem contrariam superet cupiditatem, tradit iden Augustinus.

Opera bona sunt à Deo, & à nobis.

Chryso. in opere imperfecto super c. 6. Matth. Aug. li 10. confess. c. 29.

Porro sciendum hic est, duplicem esse Dei voluntatem: *vnam, signi*, qua Deus significat, quid nos velle ac facere velit, aut omittere, præceptis, consiliis, prohibitionibus: de qua Matth. 7. *Qui fecerit voluntatem Patris mei.* Ioan. 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei.* 1. Thessalon. 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Hebr 10. *Vt facientes voluntatem Dei reportetis promissionem.* Hanc Dei voluntatem in nobis fieri petimus. *Altera* Dei voluntas, *beneplaciti* dicitur, qua absolutè, quippiam fieri vult. Hæc nullâ externâ vi impediri potest: de qua Psalm. 113. *Omnia quæcunque voluit, fecit.* Isaiæ 46. *Omnis voluntas mea fiet.* Esther 13. *Non est, qui tuæ possit resistere voluntati.* Quæ Dei voluntas licet nobis displicere nunquam debeat, neque illi obmurmurare fas sit; non tamen homo semper velle tenetur, quod hac voluntate Deus vult. Sæpe equidem aliud Deum velle, aliud nos conuenit. Vnde fit, vt homo nonnunquam bonâ voluntate nolit, quod Deus vult optimâ voluntate, vt docet August. Enchir. cap. 101.

Voluntas Dei duplex: signi & beneplaciti.

Quamuis autem hæc tertia petitio ad voluntatem signi potissimùm referatur; suo tamen modo etiam ad voluntatem beneplaciti pertinet, quatenus ei obniti, obmurmurare, vel reprehendere illam nefas est. Quantumuis enim Deus nos affligi velit, Christi exemplo dicendum est: *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Prout etiam fideles, dum Apostolo vincula & carceres prædicerentur, dixerunt: *Domini voluntas fiat*; sese humiliter Dei voluntati conformantes. Prout Heli fecisse legimus 1. Reg. 3. *Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat.* Et Dauid 2. Reg. 15. *Si dixerit: non places; præsto sum: faciat quod bonum est coram se.* Et Iob. c. 1. *Sicut Domino placuit, ita fa-*

Quatenus voluntati beneplaciti nos conformare teneamur.

Matth. 26.

Act. 21.

Aug. serm. 109. de tẽpo. & 28. in Ioan. imp.

Eum est. Sit nomen Domini benedictũ. Cyprian. Serm. De mortalitate: *Meminisse debemus, voluntatem nos, non nostram, sed Dei facere debere.* Cùm enim Deus nihil velit, quod non sit iustum, sanctum, optimum; æquum est, vt credamus tam in aduersis, quàm in prosperis nihil à Deo fieri aut permitti, quod non cedat in cumulum gloriæ suæ. Orãdum proinde est, vt non pro nostro iudicio, sed ex Dei voluntate agendi viuendique rationem ineamus, nec Dei voluntatem nostris consiliis antecurrere studeamus; sed in omni actione nos Dei voluntati committentes aggrediamur id, quod Deo probari existimemus; cum Iacobo dicentes: *Faciemus hoc aut illud, si Deus voluerit.*

Iac. 4.

Sicut *in cælo et in terrâ.* Hîc formam obedientiæ postulamus, quam beati Angeli & homines in cælo seruant, vt quemadmodum illi sponte, alacriter, ex amore Numini parent; ita & nos in terris militãtes, per Dei gratiam promptè, ac perfectè Dei iussa exsequamur, imitantes cæli ciues, Ecclesiámque triumphantem. Docemur hîc oculos conijcere in eos, qui promptè faciunt verbum & voluntatem Dei; non in carnales, desides, præuaricatores.

Ieron. Chrysost. Nyssenus Cyrillus.

Tertullianus & Cyprianus per cælum intelligunt spiritum, per terram, carnem. Et quoniam hæc sibi aduersantur, sentiunt nos petere concordiam carnis & spiritus, vt sicut innouatus est spiritus credendo, ita & caro resurgendo.

Rursus per cælos Cyprian. & Augustin. intelligunt iustos & fideles; per terram verò infideles, hæreticos, peccatores, pro quibus oremus, vt in Deum credant, eiúsque mandata humiliter obseruent. Item per cælum August. intelligit Christum, per terram verò Ecclesiam, vt petatur, quòd sponsa in obedientiæ Deo præstanda suum sponsum Christum imitetur: sed hi sensus mystici sunt.

Aug li 2. de serm. dom. in mont. c. 11. Serm. 11. in Louan. impressis.

CAP. XXXI.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

POstquam Dei gloriam, regniq; cælestis consortium, & media ad vitam beatam necessaria petiuimus; iusto ordine temporalia subsidia cùm ad vitam animæ, tum corporis cõseruandam requisita postulamus. Et quia cibus ad spiritualem vitam necessarius, nobilior est pane, vitam corporalem fouente, ideo ad panem ἐπιούσιον, id est, *supersubstantialem*, vitæ spirituali seruientem, primariò ferri debet orantis intentio, putà ad Sacramenta, conciones, expositionem verbi Dei, &c. ad temporalis autem vitæ solatia, tanquam ad additamenta quædam secundariò. Vnde Augustin. serm. 11. in Louanij impressis sensum huius petitionis hunc tradit: *O Pater cælestis, qui das æterna, da quoque temporalia: qui das regnum, præbe alimentum, vestitum, et omne necessarium animæ & corpori subsidium.* Panis enim nomine cuncta huic vitæ necessaria continentur, sicut Sapiens victus nomine comprehendit vestitum, domum, sanitatem, pacem ciuilem, amicitiam, & vniuersa huius vitæ solatia. Sic Iacob panem petiit, Deuter. 8. Matt. 4. Lucæ 14. *Panis* nomine, vniuersa præsenti vitæ necessaria continentur.

Quarta petitio.

Aug epist. 121. c. 11. Enchir. ca. 115.

Panis nomine contenat.

Prouer. 30.

Gen. 28.

Cur verò Dominus panem, non carnes, pisces, aut aliud alimenti genus peti iusserit, obuia

ratio est, quia ex terrenis sola necessaria desiderari voluit. *Habētes enim*
1. Timot. 6. *alimenta; & quibus tegamur, his contenti simus*, ait Apostolus. *Nostrum*, dicimus, non *meum*, vt significemus, nos etiam pro aliis sollicitos esse debere, ac Dei benignitate accepta egentibus communicanda esse, nec auarè solis nobis retinenda. Deinde *panem nostrum*
Cyprianus. petimus, id est, cibum filiorum, qui non est tradendus canibus; Eucharistiam videlicet, Ecclesiæ sanam doctrinam, non panem hæreticæ doctrinæ, qua pascuntur alieni. Rursus *panem nostrum*, proprio labore, industria, iustis ex causis,
Nyssen. serm. 4. ex legitimis prouentibus, Deo benedicente partum, non autem furto, rapinâ, fraudibus, vi aut calumnia conquisitum, vel circumeundo alienas ædes & mensas, in orio
1. Thessal. 3. extortum. Quales reprehendit Apostolus, & collaudat Psaltes
2. Timot. 5. Psalm. 127. eum, qui labores manuum suarum manducat, iuxta Dei mandatum: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Postremò, NOSTRVM,
Gen. 3. id est, qui naturæ & ad piè viuendum conueniat, non ad luxum & ostentationem seruiat. *Quotidianum*, id est substantiæ alendæ & conseruandæ necessarium, quamdiu vita hæc temporalis per dies labentes succedentésque peragitur, vt non simus anxiè solliciti de crastino, neque operam superfluam congerendis opibus & thesauris impendamus. Insinuatur hîc differentia inter panem cælestem & terrenum: ille siquidem gustatus semel æternam satietatem adfert: hic verò quotidie repetendus est. Denique hac voce, *quotidianum*, admonentur Christiani, omnem sollicitudinem in Patrem cælestem proijcere, qui etiam auiculas pascit, & lilia decore vestit. Vnde Dauid: *Non vidi iustum derelictum*, Psalm. 35
nec semen eius quærens panem. Et Salomon: *Deus non occidet fame animam iusti*. Israëlitas enim pane de cælo demisso in deserto pauit, Heliam, Elizæum, Danielem in lacu Daniel. 14.
leonum, Paulum primum Eremitam ministerio corui, Hieronymo teste in vita eiusdem. Non tamen hîc Christus otium commendauit, aut operari prohibuit; sed anxiam solùm prohibuit sollicitudinem, quasi Deus nostri curam non gereret, & officium suum exsequentibus, subsidia necessaria non esset prouisurus, cum ipse impleat omne animal benedictione, & det cibum eis in tempore suo. Contra auaros agit Isaias cap. 5. *Væ, qui coniungitis* Deut. 28.
agrum agro. Eccles. 5. *Auarus non* Psalm. 44.
implebitur pecuniâ. 1. Timoth. 6. 127. 130.
Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes varias.

Da: Hac voce nos omnes Dei mendicos esse agnoscimus, indigē- Omnes sumus mendici Dei.
tiámq; nostram confitemur ac Dei nutu temporalia bona dispensari agnoscimus, ita vt nisi ille benedicat, Psalm. 144.
inanes sint futuri labores nostri. *Aperit* enim *manum suam, & implet* 4. Regum.
omne animal benedictione, vti patuit 1. Cor. 3.
in olei multiplicatione, & panū. *Neque* enim *qui plantat, neque qui rigat*, Psalm. 126.
aliquid est: sed qui incrementum dat Daniel. 4.
Deus. Et: *Nisi Dominus ædificauerit domum frustra laborant, qui ædificant eam. A Deo enim sunt diuitiæ, potestas, & gloria*. Ipse pauperes eleuat, regna tribuit, & imperia, quibus vult, largitur.

Præterea voce, *Da*, significamus, Benedictio ciborum.
nos petere cibum à Deo sanctificatum, qui corpori prosit, & animæ nō obsit. Vnde pia consuetudo retinenda est benedicendi cibum ante sumptionem, & agendi gratias post refectionem; quam Dominus suo Gratiarum actio.
exemplo cōfirmauit. *Accipiens enim*

panem, gratias egit ac benedixit. Et: 1. Timot. 4. *Sanctificatur*, ait Apostolus, *creatura Dei per verbum Dei et orationem*, quia vis quædam salutaris escæ inseritur, atque benedictione diabolo virtus per cibum nocendi adimitur, vt notat August. serm. 135. *de tempore.* Chrysostom. *in opere imperfecto* homil. 14.

Postremo vocula *da*, confitemur, quòd *Domini* sit *terra, et plenitudo eius*, quódque diabolus falsò Luc 4. iactarit, omnia esse sua, illáque dare, cui velit.

Nobis, dari oramus, non mihi, quia Christianæ charitatis est, de proximo sollicitum esse, nec à Deo concessa in vsum proprium tantùm reseruare, sed etiam ad necessitatem aliorum subleuandam dispensare. Ambros. serm. 81. Iuxta illud Ambros. *Panis esurientium est quem detines.* Præterea insinuatur, nos petere dari à Deo non ad luxum, neque ad animæ detrimẽtum, neque vt crapula & ebrietate grauemur, sed vt cibo & potu moderato cum gratiarum actione recreemur. *Hodie*, id est, Apostolo interprete, huius vitæ decursu perdurante. Cyprian. *Hodie*, ait, *hoc die quo precamur.* In futura vita sine temporum volubilitate saturabimur.

Reijcitur hîc anxia sollicitudo de futuro: *Sufficit enim diei malitia sua.* Decet insuper filium de patre bene cõfidere, ad eúmque quotidie recur- 4. Reg. 20. rere. Hinc Ezechias: *Sit tantùm pax & veritas in diebus meis.* Et precatur Ecclesia: *Da pacem Domine in diebus nostris. Dignare Domine die isto sine peccato nos custodire.* Commendatur ergo hîc Dei prouidentia, quæ nobis quotidie necessaria tribuit, sicut olim Israëlitis manna cælitus quotidie colligendum demittebat.

Admonetur insuper oraturus de Exodi 16. incertitudine vitæ suæ, prout Christus parabola congregãtis multa bona in futurum explicat (Lucę 12.) qui Lucæ 12. raptus fuit ex hac vita, ne congestis vteretur. Frustra igitur pro crastino solliciti sumus. Et meritò hortatur Apostolus diuites: *ne in incerto diuitiarum confidant, sed in Deo viuo, qui præstat omnia ad fruendum*, & salutariter vtendum. Proinde quòd diuiti non deest, misericordiæ Dei est, non illius potẽtiæ: ex quo sequitur, etiam diuites panem quotidianum poscere debere. Plerosque enim opulentos repentè factos egenos legimus: & sæpe ob peccata sterilitas, bella, fames, pestes, noxiæ bestiæ, quæ grana destruant, immittuntur. Quare fidelis non more infidelium in suo labore ac industria, sed in Deo potissimùm confidit, Christi monitionem amplectens: *Nolite solliciti esse,* Matth. 6. *dicentes, quid manducabimus? quid bibemus? hæc enim gentes inquirunt*, scilicet primo loco.

Postremo circa hanc petitionem obseruandum est, quòd Latinus interpres Mart. 6. ἄρτον ἐπιούσιον, vertit *panem supersubstantialem*; Lucæ verò 11. *panem quotidianũ*, vt hac vocum diuersitate moneremur, hîc peti panẽ substantiæ nostræ, cùm alendæ, tum cõseruandæ quotidie necessarium, tam spiritualem quàm corporalem. Non enim animus noster minùs corpore, cibo spirituali, vt foueatur ac vigeat: putà verbi Dei auditione, lectione, meditatione, Sacramẽtorum, potissimũ Eucharistiæ participatione: quã in primitiua Ecclesia fideles quotidie nõ solùm spiritualiter, sed & sacramentaliter fumebant. Vnde hanc petitionem exponẽtes prisci scriptores, ad frequẽtem Eucharistiæ sumptionem hortantur. Ambr. lib. 5. de Sacram. c. 4. *Si quotidianus panis est, cur post annũ sumis?* li. 4. c. 6. Ser. 8. & 15. in Ps. 118. Aug. lib. 2. *de serm dom. in monte*, c. 2 epist 118. Hieron. in fine Apolo. *cont.*

Act 6. Canone 10. Apost. Cypr lib. 4. ep. 6 & ser. de nat. Domini.

Frequens communio vtilis.

Ruff. Cyril. libr. 4. in Ioan. c. 17. Greg. lib. 4. dialog. c. 56. Chrysost. hom. 60. *ad Antioch.* in 1. ad Cor. hom. 24. in epist. ad Ephes. hom. 3. in epist. ad Hebr. 17. Et in oratione de S. Philogonio, ait, non tantùm semel in anno Iudæorum more Dei beneficia esse commemoranda, sed quotidie sumptione Eucharistiæ, quæ interiorem hominem roborat, nutrit, sanat, conseruat, delectat.

CAP. XXXII.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Quinta petitio.

POstquã à Deo bona cùm æterna, tum temporalia, tam spiritualia quam corporalia precati sumus; tribus sequentibus petitionibus mala, cùm animæ, tum corporis, tam huius, quàm futuræ vitæ deprecamur, ac quinta ista petitione condonari nobis peccata per nos commissa depoſcimus. Debiti enim nomine peccata intelligi Euangelistæ declarant, ponendo peccatum: *Dimitte nobis peccata nostra.* Et, *Si dimiseritis peccata*, &c. Vocatur autem peccatum debitum, quia nos pœnæ reos, luendæque obnoxios reddit, quam vel satisfaciendo, vel patiendo, (nisi gratiosè remittatur) pẽdere necesse est. Omnis enim qui peccat, Deo iniuriam facit, & pœnam legis violatoribus constitutam luendo compensare tenetur: quomodo Christus *peccata nostra portasse, ac quæ non rapuit, exsoluisse* dicitur; itemq; *nos redemisse.* Ac ipse Dominus peccatorem debitori assimilat: (*Domino*, ait, *debitores erant*, &c.) & quidem non habenti vnde soluat, gratia & condonatione indigenti. Nam nullus purus homo rigorosè Deo pro iniuria peccato illata satisfacere potest. Id autem solus Dei & hominum mediator IESVS CHRISTVS præstare potuit, qui Deus & homo subsistens, actionem tam gratam Deo exhibuit, se humiliando vsque ad mortem, Patrique obediendo, quam inobediendo primus Adam iniuriam intulerat. *Illum* itaque *Deus propitiatorem posuit per fidem in sanguine ipsius*, cuius merito fit omnium remissio peccatorum, tam quoad culpam, quàm pœnam æternam. Et subinde per seipsum Christus peccata remittit; frequentiùs tamen per omnes, quibus reconciliationis ministerium commisit, & Sacramentorum dispensationem, per quæ suæ passionis vim & satisfactionem applicat, peccata remittit, & gratiarum dona vbertim effundit. Iuxta illud: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Venialia porrò minoráque peccata etiam per hanc Dominicã orationem, per aquæ benedictæ asperſionem, confessionem, Sacerdotalem benedictionẽm, eleemosynam, aliaque pietatis exercitia remittere dignatur.

Debitum, significat peccatum.

Matth. 6. Lucæ 11.

Isa. 68. 1. Petr. 1. Lucæ 7. Matth. 18.

Christus rigorosũ pretiũ soluit.

Matth. 8. Marci 2. Isaiæ 43. Ioan. 20.

Verbum, *dimitte*, supponit adferendas conditiones veræ pœnitentiæ, quæ sunt, dolere de commissis peccatis, firmum emendationis propositum, efficax voluntas integre Vicario Christi confitendi, ac satisfaciendi, & iniustè alijs ablata restituendi, siue res, siue honorem, siue famam.

Nobis. Hæc dictio nos docet, orationem hanc potissimùm esse filiorũ, quibus præterita peccata remissa sunt per baptismum: ideo hîc orari pro remissione leuium peccatorum, sine quibus iustorum vita non ducitur. *In multis* enim *offendimus omnes*: Et, *si dixerimus, quia peccatum non habemus, mentimur*, inquit Ioan. *Non est homo, qui non peccet*, Eccles. 7. *Quis potest dicere, mundum est cor meum?* Prouerb. 30. *Septies in die ca-*

Aug. Ench. c. 71 & 74.

Omnes peccata venialia habemus.

Iacobi 3. 1. Ioan. 1.

dit iustus. Prouerb. 24. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Si iniquitates obseruaueris Domine, quis sustinebit?* Daniel orabat pro suis, & populi peccatis. c. 9. Quare meritò damnati sunt Pelagiani affirmantes, hanc partem à iustis dici humiliter, non veraciter, nec pro suis, sed aliorum peccatis, in Conc. Milevitano can. 6. & 7. Aug. epist. 89. q. 1. lib. 3. cont. Iulian. c. 1. lib. 2. *de bono pers.* c. 2. lib. *de nat. & grat.* c. 34. concludit, humilitatem ex parte veritatis, non autem falsitatis esse ponendam: & c. 36. resoluit, nullum (excepta B. Virgine) sine peccato, saltem leui actuali, vitam peregisse. Quæ autem leuia, & quæ grauia sint peccata, *non humano, sed diuino pensanda sunt iudicio*, ait Aug. Enchir. 78. 79. 80. Quanta verò sit peccatorum magnitudo, æstimari poterit ex infinita Dei offensi majestate, ex offendentis vtilitate ac ingratitudine, ex peccati commissi qualitate, ex qua Dei maior aut minor contemptus sequitur, longiùs à Dei charitate receditur. Nam peccatum voluntatem hominis adeò inficit, vt efficiat claudum, surdum, mutum, cæcum, lauciam, ad mala proximi, in quo non sit sanitas. Quēadmodum enim est debitorum diuersitas, ita & peccatorū imparitas.

Trid. sess. 6. can. 23. Aug. hæresi 88. lib. 21. de ciuit. c. 27. lib. 2. de peccat. merit. c. 12. lib. 3. c. vlt.

Peccati grauitas vnde æstimanda.

Psal. 37.

Nostra: id est, liberâ nostra voluntate cōmissa. Alio enim sensu panis dicitur *noster*, qui nobis diuino munere tribuitur; alio peccata *nostra*, quia nimirum nostrâ voluntate fiunt, non à Deo, non à dæmone cogente. Adeò enim peccata voluntaria sunt, vt si liberâ voluntate non patrarentur, peccata non essent. *Perditio tua ex te est*, ait Propheta.

Peccatum omne voluntarium.

Osee 13.

Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Facilem consequendæ veniæ rationem proponit Christus, in nostra potestate constituendo, vt peccatorum remissionem impetremus, addita simul sponsione: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cælestis delicta vestra: si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Vbi Christus voculam similitudinis, *sicut*, per conditionem *si* interpretatur, quæ ignoscendi necessitatem inducit, si voluerimus nobis ignosci. Sensus ergo est: *si vultis peccata vobis à Deo condonari, vicissim & vos omnem animi offensionem deponite, & proximo, qui iniuriam intulit, ignoscite.* Nam *Iudicium sine misericordia fiet illi, qui non facit misericordiam. Qua mensura* enim *mensi fueritis, remetietur vobis.* Hinc qui conserui misereri noluit, quod sibi à Domino remissum erat, amisit. Hîc ergo commendatur clementia, misericordia, lenitas, mansuetudo, humanitas, iniuriarum obliuio, depositio affectus vindictæ, odij, inimicitiarum, vt diligamus inimicos, & calumniantes nos.

Iacobi 1. Matth. 7. Matth. 18.

An verò is hanc orationem dicere vtiliter queat, qui proximo ignoscere nolit, meritò ambigitur. Cassian. enim collatione 9. c. 22. talem hominem sibi maiorem damnationem acquirere sentit: alij verò contrà, vtiliter orationem fundi ab eo, qui nondum paratus est iniuriam sibi à proximo illatam remittere, arbitrantur, cùm in persona Ecclesiæ illam dicat, in qua multi sunt, qui ignoscunt; tum etiam, quia remissionem peccati postulando, media necessaria petere censeatur, diuinam opem scilicet & gratiam, per quam præstet, quidquid ad obtinendam peccati veniam requiritur.

Matth. 5.

Dimittere, est iniuriam pro infecta habere, ita vt omnem erga proximum animi offensionē deponamus. Non enim temporalia debita pecuniaria, vel reparationem honoris &

famæ iniustè ablatæ remittere tenemur; sed iure sibi quisque restitutionem fieri exigere potest, quin & aliquando pœnam debitam exposcere, non quidem ad priuatā vindictam, sed propter illius vel aliorum emendationem. Proximo autem veniam poscenti, offensam omnē animi deponere tenemur, ita vt nulla vlciscendi libidine, nullo odio, vel amaro affectu eum prosequamur, nec malum pro malo rependere studeamus. Cùm verò Aug. Enchir. c. 73. sufficere scribit, vt veniam petenti dimittamus, loquitur de dimissione, cui annexa sit beneficentia, quæ in peculiaribus externis amicitiæ & charitatis officijs exhibendis consistit. Varij enim gradus dilectionis sunt tam secundùm affectum, quàm effectum; iuxta illud Apostoli: *Operemur bonum ad omnes, maximè tamen ad domesticos fidei.*

Matth. 5. Marci 11. Rom. 12. Aug. li. 2. de ser. Dom. in mont. c. 13.

Galat. 6. Aug. li. 1. de doct. Christ. c. 28.

Non igitur hîc Christus iudicia terrenarum potestatum à se ordinata tollit, sed eis modum imponit, vt scilicet nostra repetamus absque libidine vindictæ, animo parati iacturam potiùs rei tēporalis quàm charitatis perpeti, vt proximus emendet. Sic prohibet Dominus Matth. 5. cum fratre iudicio contendere, & Apostolus 1. Cor. 6. animo scilicet inordinato, vltionis cupido.

Aug. Ench. c. 72. li. 2. de serm. Dom. in monte. c. 13.

Postremo hîc obseruandum est, vtile quidē esse, vt exaudiamur, proximo iniuriam nobis factam remittere; sed tamen cauendum, ne aliundè impedimētum Deo obijciamus, quia remissio offensæ, solùm partialis, non integra remissionis peccati causa est. Aug. lib. *de fide & operibus* c. 15. Enchir. c. 75. 76. 77.

CAP. XXXIII.

Sexta petitio.

ET ne nos inducas intentationem: id est, ne nos induci permittas, consentire, succumbere tentationi. Postquam enim præteritorum delictorum impetrata est venia, rectissimè Dei patrocinium contra futura exposcitur. Et rogamus, vt parcens nostræ infirmitati Deus, nos omnino tentari non sinat, aut maiore misericordia illas nos superare faciat. Tentatio enim toleranda, nō amanda est, cùm sit periculosa: occasionē enim præbet damnationis succumbētibus. Ideo præsumptionis est, illam appetere; humilitatis verò, deprecari. Etsi qui sanctorum vltrò se certamini Martyrij obiecerunt, id potiùs admirandum, quàm imitandum est. *Tētare* verò, est periculum de aliquo facere, experiri, prouocare; quod vario fine contingit: aliquando, vt quid in alio sit potentiæ, sapientiæ, veritatis, doctrinæ, norit. Quomodo homines Deum tentāt, dum ex incredulitate aut diffidentia facto extraordinario eius veritatem aut potentiam experiri volunt: quæ tentatio vetatur in Scripturis. Item, tētat quis, vt seducat, in exitium impellat, vt ad peccatū inuitet, vt subuertat, & in præcipitium agat. Sic tentat propriè diabolus, qui propterea *tentator* vocatur. Omnes enim adultos, ratione vtentes aggreditur. Primos quidem parentes tētauit in paradiso, ac superauit; Dauidem, Salomonem, alios{q}; Prophetas; quin & omnium Prophetarū caput Christum tentauit, nec Apostolos intentatos reliquit. Cuius tentandi studiū D. Petrus expressit, dicēs: *Aduersarius vester diabolus, tanquā Leo rugiēs circuit, quērēs quem deuoret.* Et fugatus tentare adeò nō cessat, *vt septem alios spiritus nequiores se assumat* ad prælium redintegrandum: imò subinde legionem integrā, vt Marci 5. & Lucæ 8. legimus: *Mihi legio nomen est*, id est, dæmonum multitudo.

Tentatio non amanda sed toleranda. Aug. epist. 121. c. 11.

Aug. lib. 10. confess. c. 28.

Tentare quid.

Deut. 6. Matth. 4. Act. 15. 1. Cor. 10.

1. Thes. 3.

Matth. 4. Lucæ 22. 1. Petri 5.

Matth. 12. Diabolus tentator.

Quantæ verò tentatoris istius ar-

Cyprian. li. de exhortatione martyrij. Diaboli artes in tentando.

tes sint, Cyprian. declarat: *Aduersarius hostis antiquus est, sed millia annorum pene complentur, ex quo hominem impugnat, omnia genera tentandi, & artes nocendi vsu vetustatis edidicit. Si imparatum, si rudem, si non sollicitum Christi militem inuenerit, circumuenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum.* Et quidē aliquando per seipsum Satanas tentat, vti primos parentes & Christum; subinde verò per suos ministros, putà homines eiusmodi malitia similes, per mūdum, per carnem & sanguinem, per opes, honores, per fallos Prophetas, per errorum magistros, qui sectas introducunt. Tentat peccata suadendo, impia docendo, carnalia desideria commouendo, per amores, & per terrores; per aduersa, vt homo frangatur: per prospera, vt efferatur: ac denique tentat intrinsecus, malas suggestiones proponendo, sensibus internis obijciendo aliquid, per quod passio commoueatur, quam pro viribus promouet: aliquando verò extrinsecus tentat per homines, per inimicos, per errores, cruciatus, indignationem amicorum, per irrisiones sociorum, per mala exemplа proximorum, per falsam doctrinam hæreticorum, per incommoda & damna, per aduersitates & pericula. Denique more Ducum, oppida lustrantium, vt loca infirmiora explorent; ita diabolus ad quæ vitia quis propendeat, expendit, ad eáque potissimùm impellit: vitia extenuat, vt propensiùs agantur quinimo & virtutum nomine tegit; superbiam honestatem, auaritiam prouidentiam, iram zelum, inuidiam iustum dolorem, acediam valetudinis curā nuncupans. Virtutes autem vt molestas carni, minùs optabiles reddit: & arma, quibus vincitur, eripere conatur. Quæ autem illa sint, describit Apostolus ad Ephesios 6. significās, diabolum vinci forti fide, firma spe, flagrāti charitate, castitate, ieiunijs, orationibus, scripturarum tractatione, Verbi Dei meditatione, humilitate, signo crucis, frequenti confessione, crebra Eucharistiæ sumptione, vigilijs, corporis castigatione, humicubatione, aliisque pijs Christianæ religionis exercitijs. Et quia insidijs callidissimi serpentis nostris viribus solis resistere nequimus, hortatur, vt confidamus in Domino, ac in potentia virtutis eius: vt oremus, *ne sinat nos tentari supra id, quod possumus: sed faciat cum tentatione prouentum.* Non enim Satan quantum, & quamdiu vult, nos tentare potest: omnis enim eius potestas Dei nutu & permissione gubernatur. Vnde instar feræ alligatæ illos potissimùm lædit, qui ei temere aut imprudenter appropinquant, vt ex historia Iob & Euangelio patet, vbi narratur, dæmones ne in porcos quidem, nisi Christo permittente, intrare potuisse. Quare meritò Christus nos quotidie Deum orare docuit: *Ne nos inducas in tentationem*: id est, ne nos vinci à tētatione permittas: qua oratione confitemur, nos ex nobis insufficientes esse ad vincendas omni ex parte tentationes, nisi Dei protectione & adiutorio confortemur. Licet enim liberum dimicando retineamus arbitrium: non tamen ex illo, sed ex diuino adiutorio victoria prouenit. Quo enim iuuante vincimus, eo deserente vincimur. In omnibus enim causis, cogitationibus, motibus, adiutor & protector orandus est Deus, qui dat victoriam per IESVM CHRISTVM qui primus fortem propria virtute vicit, suisque cultoribus eundem vincendi præbet fortitudinem. Non enim Christus certaminis iustorum tantùm spectator est, sed etiam colluctator, vt Cyprianus,

1 Cor. 10. Diabolus est instar feræ alligatæ.

Iob 1. Matth. 8. Marci 5. Lucæ 8.

Aug lib. de bono perseu. c. 7. epist. 106.

Cyprian. li. 1. epist. 6.

Chrysost.in 10.c. prioris ad Cor. Celestinus epist. 1. ad Episcopos Galliæ. Innocent. epist. 92. Aug. epist. 90. li. 22. de ciuit. c. 16.

ptiantus, Chrysost. Celestinus, Zozimus, Augustinus, & alij veteres Ecclesiastici scriptores tradunt, ex Apostolo dicente: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Et, *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Non sumus idonei ex nobis, quasi ex nobis: Sufficientia nostra ex Deo est: Sine me nihil potestis facere.* Quibus Scripturis indicatur, in singulis bonis actibus plus valere diuinum adiutorium, quàm infirmi hominis liberum arbitrium. Non tamen, qui vna tentatione impugnatur, etiam Dei auxilio destitutus, in eandem necessariò incidit. Potest enim illa reiecta, peccatum aliud eligere, & cupiditate cupiditatem comprimere. Nemo enim illata sibi necessitate, sed libero voluntatis arbitrio deficiente, tentationi cedit.

Tentationi voluntate nostra cedimus.

Aug. li. 21. de ciuit. c. 16. Lib. de nat. & grat. c. 27. Lib. 3 cont. 2. epist. Pelag. c. 1.

Dicitur autem Deus *in tentationem inducere*, non quia hortetur vel impellat ad malum; (nemini enim mandauit impiè agere: *Odit omnes operantes iniquitatem: Ipse neminem tentat*;) sed quia desertus nos deserit, ac superari à tentatione permittit. Quo enim dirigente stamus, eo manum subtrahente labimur. At nos ipse non deserit, nisi à nobis priùs desertus. Iustè autem deserti eius gubernante gratia destituimur, ad institutionem, humilitatem, maiorem sollicitudinē, nonnunquam etiam ad damnationem. Indurare autem, excœcare, in sensum reprobum tradere, offendiculum ponere dicitur Deus, non quia hæc actione aliqua in hominibus operetur; sed quia permittat iusto iudicio hæc euenire, in vindictam præcedentium delictorum. Ipse enim neminē tentat ad seducēdum, ad impellendum in peccatum. Est tamen alia tentatio, quæ *probationis* vocatur, qua hoc agitur, vt alicuius imbecillitas aut virtus alijs vel homini ipsi perspecta reipsa efficiatur. Hoc tentandi genere Deus sanctos probat, vt de Abraham, Iob, Tobia, & alijs legimus, quorum virtutem alijs cognitam esse voluit, vt imitarentur, ac ad laudandum Deum excitarentur. Sic Deut. 13. *tentat vos Deus, vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an non.* Hac ratione inopia, morbis, aliisque calamitatum generibus iustos premit, eorum patientiæ probandæ causa, vt alijs officij Christiani exemplum præbeant. *Vasa figuli* (ait Sapiens) *probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis*; de qua Iacobus: *Omne gaudium existimate fratres, dum in tentationes varias incideritis*, significans, vtile fidelibus esse probari, vt suas vires agnoscant, & de sua imbecillitate conuicti, humilientur sub potenti manu Dei, & ad implorandum gratiæ Christi auxilium confugiant, per quod omnes tentationes eis vtiles esse poterūt; iuxta Apostolum: *Virtus in infirmitate perficitur.* Denique tentatio patientiam operatur, patientia verò legitimè certantibus victoriam & gloriæ coronam præparat. Qua spe sancti in tētatione fideles Deo permanserunt, & summam gloriam reportarunt, Apostolo teste ad Hebr. c. 11. vt in Abrahā, Ioseph, Iob, Tobia, Iudith, Daniele, Susanna, Machabæis, Apostolis, & Martyribus, aliisque sanctis apparuit.

Deus non deserit, nisi desertus.

Exodi 7. Isa. 6. Rom. 1. Deus induxit, excœcat, nō operando malū sed permittendo.

Gen. 22. Iob c. 1. Tob 2. & 12.

Quomodo Deus tentet.

Iac. 1.

2. Cor. 12.

2. Tim. 2. Iac. 1. Apoc. 2.

Tribus porrò modis Deus victores facit: primo misericorditer prouidendo, ne infirmi tententur; quomodo Apostolos adhuc infirmos à tentatione liberauit, passionis tēpore, dicēdo: *Sinite hos abire*; plurimosque alios fuga, latebris, variisque modis, ne in tyrannorum manus inciderent, conseruauit.

Deus victoriam tētationum operatur. Aug lib. de bono perseu c. 8. & 9. 1. Cor. 10. Athan. in Apolog. de sua fuga.

II. Liberat Deus electos, fortitudinem in eorum cordibus operando, vt nulli tentationi cedant. Sicut

liberauit Martyres, charitatem insuperabilem diffundendo in cordibus eorum.

Sap. 4. Aug lib. de prædest. sanc. c 14.

III. Deus quempiam à tentatione liberat, ipsum ex hac vita rapiendo. Nam ita hominem peccandi periculis subtrahit, & in non peccandi securitate constituit.

Neque verò solùm generatim orare possumus: *Ne inducas nos in tentationem*, sed etiam contra singulas tentationes & scandala: prout Dauid Psal. 118. contremendacium, auaritiam, vanitatem, singulaque peccata Dei patrocinium depoſcit, & ne sibi relictus conturbetur exorat: vti de Ezechia legimus 2. Paralipom. 32. de Petro de se præsumente. Quod in Moyse manus subleuante, & Iosue interea pugnante adumbratum fuit. Vnde monet Augustin. non minùs gratiæ Dei deputandum, quòd omisimus, Deo protegente, malum; quàm quòd eo dirigente bonum egimus. Et Bernardus: *Nisi me Deus conseruasset misericorditer, in omne peccatum cecidisset anima mea.*

Psal. 26. 29.

Matth. 26. Exodi 17.

Aug. lib. 2. confess. c. 7.

Bern. serm. de 7. panibus.

CAP. XXXIV.

Sed libera nos à malo.

Septima petitio.

POstquam mala culpæ deprecati sumus, hac postrema orationis Dominicæ petitione, liberari ab omni malo pœnæ ac miseriæ, tam interno, quàm externo, postulamus: hoc est, ab omni miseria, tentatione, peccandi periculo, interna carnis & spiritus lucta; ab omni ingenita corruptione ac mortalitate, ab igne, ab aqua, fulgure aut tempestate, ab vrente vento, & quolibet frugibus noxio: à bello, fame, peste, hostium & bestiarum atrocis incursu: à captiuitate, vinculis, carcere, exilio, proditionibus, insidijs, morbis omnibus, & incōmodis, quibus hominum vita premi solet. Oramus insuper, vt omnes flagitiorum & peccatorum occasiones misericorditer à nobis Deus auertat; nec diuitias, honores, valetudinem, robur, vitamque hanc ipsam ad animæ nostræ, vel proximi exitium conuerti patiatur; néue improuisa repentináque morte opprimi, & iram Dei in nos concitari sinat: ac postremò ab omni futuri seculi malo, siue damnationis & mortis perpetuæ, siue à temporalibus purgatorij pœnis liberari depoſcimus, à quibus vt etiam alij, siue viui, siue mortui liberentur, piè, sanctéque oramus: Prædicto autem modo Ecclesia Catholica hanc petitionem in Missæ officio, & in Litanijs exponit, deprecando, vt à præsentibus, præteritis, & futuris malis liberetur: quomodo etiam intelligunt Cyprianus, Augustinus, Beda, & ferè Latini scriptores. Græci verò per *malum*, diabolum accipiunt, omnis mali authorem, voce Græca moti, πονηρὸν, quæ cum articulo ponitur: sed alibi etiam sæpius pro re mala, cum articulo locatur. Matthæi 5. *Quod amplius est, à malo est.* Romanor. 12. *Odientes malum.* Ioan. 17. *Serua eos à malo*, id est, ab omni re mala. Vita enim præsens miseriis plena est, & assiduis exercetur malis: quæ patienter tolerare, non autem amare iubemur.

Petimus liberari à malo præsenti, præterito & futuro.

Quam autem multa & multiplia sint huius vitæ mala, in libro *Theatri vitæ humanæ*, Ioh. & ab alijs describitur: quin & Christus nullam esse diem tradit, quæ suam molestiam secum non adferat. *Sufficit enim diei*, ait, *malitia sua.* Et quia homines in necessitate & miseriis constituti, ferè solent ad implorandum Dei subsidium confu-

Aug. li. 10. c. 18.

Matth. 6.

gere, omissisque potioribus bonis in præcedentibus petitionibus contentis depulsionem calamitatum postulare: ideo Christus hanc petitionem nouissimo loco faciendā esse docet. *Quærite*, inquit, *primũ regnũ Dei*. Itaque qui liberati à malis rectè orant, hoc ad Dei gloriā referunt; & si non exaudiantur, non indignantur, nec murmurant, sed Dei voluntati sese conformant, non dubitantes, vtilius esse disciplina temporali corripi, quàm caduca peccati voluptate perfrui. Ac in eo verè fideles ab infidelibus differũt, quòd illi in omnibus morbis & miserijs ad Deum, veluti omnium malorum depulsorem, omnisque boni authorem perfugiunt, & medicina à Deo instituta sic vtuntur, summam vt spem in medicinæ authore
2. Paralip. c. 16. constituant: hi verò primariam curationis spem in remedijs, naturâ, vel hominum industriâ comparatis figunt; vnde veneficijs, cantionibus, dæmonúmque opera vtuntur; maleficos & magos consulunt, ipsúmque tortorem diabolum iudici Deo præferunt.

Aug. in Ps. 31. lib. 22. cont. Faust. c. 21. Cohortandi itaque sunt Christiani, vt in omni morbo & necessitate ad eum recurrant, qui clamãtes ad se exaudit, & de omnibus tribulationibus liberat, vt Noë à diluuio, Abraham à potentissimis regibus; Isaac, Iacob, Loth, Iob, Ioseph, Dauidem, Danielem, Susannam, Apostolos, Martyres, & infinitos alios.
Psal. 33.

Sed quæret aliquis, cur Deus pios non statim à malis liberet? RESPONDEO, Deum tanquam sapientissimum patrem & medicum, à malis huius vitæ sanctos liberare, quando eis salutare esse nouit. *Virtus* 2. Cor. 12. *enim in infirmitate perficitur*: &, *per* 2. Tim. 3. *multas tribulationes intrandum est in* Act. 14. *regnum cœlorum*: quin & *Christum oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam. Non autem decet, sub capite spinoso membrum esse delicatum. Si enim compatimur, conglorificabimur.* Itaque tribulationes membra Christo conformia reddunt, grauissimas futuri seculi pœnas tollunt, compensant, redimunt, quas in purgatorio luere oporteret. Pœna pro ductior est culpæ, vt maiore cautione peccata vitentur, & magis detestemur, quò tardiùs curantur. IV. Per huius vitæ mala conseruatur humilitas. V. augentur merita, & proinde ad maiorem gloriæ coronam disciplina præparat. VI. ad examen patientiæ. Iac. 1. *Tribulatio patientiam operatur.* VII. ne propter temporalia commoda Christiani efficiamur. VIII. In exemplum iusti iudicij Dei. Aug. lib. 22. *contra Faustum*, c. 20.
Luc. 24. Bern. serm. 5. de omnibus sanctis. Rom. 8. 1. Cor. 11. Aug. lib. 21. de ciuit. c. 15. tract. vlt. in Ioan. & in Psal. 6.

Ex quibus facilè ad quæstionem huic affinem respondeti potest; cur videlicet Deus huius vitæ mala, bonis & malis esse velit communia? & cur sæpe fortunatiores sint impij & stulti, quàm sapientes & iusti? Hac quæstione perturbatus Aristoteles, diuinæ gubernationi res fortuitas subtraxit. Seneca librum scripsit de hac quæstione. Dauid eandem versat, Psalm. 72. Salomon Ecclesiastæ 5. Habac. capit. 4. Ieremias cap. 12. Iudæi apud Ieremiam cap. 44. Malachias cap. 2. *Dicitis, omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini*, &c. Primis quoque Christianis passim gentiles obijciebant, quòd essent abiecti, humiles, pauperes. Cui querelæ magno labore respondetunt Iustinus in quæst. 124. & 126. Tertullianus in Apolog. Cyprian. *cont. Demetrianum.* Lactantius lib. 5. cap. 23. Institut. Chrysostomus lib. 6. *de Prouidentia.* Augustinus quæstionis huius occasione libros
Miseriæ cur Deus velit bonis & malis esse communes. Tract. de bona fortuna.

de ciuitate Dei conscripsit, & ab Orosio Historiam eiusdem argumenti edi procurauit. Victor Vticensis in Historia sua, & Saluianus Massiliensis in libris *de Prouidentiâ, & Dei iudicio* idem argumentum pertractant.

Orationis Dominicæ extrema clausula est, *Amen*: (id est, iuxta LXX. Interpretes, *Fiat*: iuxta Aquilam, *fideliter*; iuxta alios, *verè*) quæ cuncta priùs à Deo petita repetit, confirmat, ratáque fieri precatur, orantisque desiderium exprimit, vt postulata concedantur, & eueniant; ac proinde noua pietatis affectu excitato hac voce *Amen* petitiones factas iterat orans. Vnde Hieronymus: *Vocem Amen orationis Dominicæ signaculum* vocat. Et quia ista vox *Amen* in ore Domini crebrò fuit; vt honorem velamento secreti haberet, sanctiorémque authoritatem, placuit Spiritui Sancto in Ecclesia retineri, vt notat Augustinus & Basilius libro 2. contra Eunomium.

Hier in 6. & Matth.

Nec absque ratione in Missæ sacrificio, pronuntiata oratione Dominica, Sacerdoti reseruatum est munus respondendi, *Amen*: significatur enim, Sacerdotem vice Christi populo respondere, Deum exoratum esse, atque totius populi vota in vnum collecta verbis Christi, (*qui semper exauditus fuit pro suâ reuerentiâ,*) Deo Patri offerre, suúmque desiderium & interpellationem aliorum precibus adiungere. *Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est: ideo & per ipsum Amen Deo, ad gloriam nostram.*

Aug. lib. 2. de doct. Christ. c. 12. In Ioan. tract. 41.

Hebr. 5.

2. Cor. 2.

EXPOSITIO SALVTATIONIS ANGELICÆ.

CAPVT PRIMVM.

Angelica salutatio demonstrat Christum, per quem & orādum.

RATIONI Dominicæ aptissima methodo Angelicam salutationem veluti comitem, demonstrantem Christum, per quem orandum est, subiungimus. Nam oratio petitionem & gratiarum actionem complectitur. Expositis autem in oratione Dominica petendis, Deo gratias agimus, quòd B. Virginem in Filij sui Matrem eligere dignatus fuerit, omnique gratiarum genere illam adumplere. Eidémque B. Virgini de tanta felicitate gratulamur, simúlque preces ei fundimus, vt sua intercessione Deum nobis conciliet. Cùm enim pro Sanctorum victoriis & triumphis, quos à debellatis hostibus reportarunt, Deo rectè gratias agamus, quantò æquius est Deum laudare, in singulari priuilegio, B. Virgini concesso? quam delegit ad perficiendum Incarnationis VERBI Dei mysterium, in ea, & ex ea carnem assumens, vt Deipara, & Dei mater sit, atque veraciter nuncupetur. Eam siquidem peperit, qui omnium fons spiritualium est benedictionum, per quem omnia petenda, sine quo nihil impetrari potest. Oratio enim, quæ non fit per Christum, ipsa vertitur in peccatum. Vnde B. Virginis patrocinium implorantes, non significamus, Christum egere comprecatore, quasi ad omnia impetranda non sufficeret; sed ad Christi matrem confugimus, vt apud Filium (in quo diuinam Maiestatem homo reus formidare posset) mediatrix esse velit. Congruebat enim, vt quemadmodum ad Patrem per Christum Deum & hominem accessum habemus: ita & per hominem purum ad eundem Christum Deum & hominem accederemus. Nec alius mediator adhunc mediatorem, aptior matre, quæ vt illi coniunctissima, ita quoque gratissima est. Quod in sapientissimo Salomone in regio throno sedente adumbratum est; quando matri dixit: *Pete mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciem tuam.* Sic matrem exaudiet Sapientia Christus: planè matrem exaudiet Filius, & Filium Pater. *Non potest* (ait Bernardus) *Filius aut repellere, aut sustinere repulsam; non audire, vel*

Aug. in Psal. 108.

B. Virgo mediatrix ad Filium.

3. Reg. 11.

Bernard sermo de nat. B. Mariæ.

B. Virgo est Deipara.

Ephes. 1.

non audiri. Semper hac inueniet gratiam, qua indigemus, qua saluamur. Quaramus ergo gratiam per mariam. Est enim alueus, per quem gratia defluit: est vehiculum, per quod cælestia dona in nos perueniunt.

Vterque sexus reparationi cooperatur.

Postremo Salutationem Angelicam orationi Dominicæ subiungimus, vt fidelis recolat, quòd sicut vterque sexus corruptionem humani generis inuexit, ita reparatione eiusdem vterque sexus cooperatus sit, *vt neque vir sine muliere, neque mulier sine viro sit in Domino.* Vtrumque enim sexum in spem reparationis adducere volens Deus; virilem, in quo nasceretur, & femineum, per quem nasceretur, elegit.

1. Cor. 11. Bernardus serm. de verbis Apoc. 12. Aug. serm. 20. in Louanij impressis.

CAP. II.

Quis autor sit Angelicæ salutationis?

Salutationis huius autor quis?

SPiritus Sancti iussu præcipuam huius salutationis partem Angelus è cælo tulit: mediam verò eodem numine plena Elizabeth effudit; Ecclesia denique ad fructum ex antecedentibus laudibus hauriendum, postremam partem adiecit. Proinde ista salutatio à summo rerum omnium opifice, ordine pulcherrimo digesta, breuique verborum compendio Beatæ Virginis encomia complectens, non potest eidem non esse gratissima, nobisque vtilis, quando quidem nos illius horæ commoneat, quæ post infelicem primi parentis casum, læta humano generi prima illuxit, in qua Deus Virginem elegit, cuius benedictum semen venenatu serpentis caput attereret, mortémque diaboli seductione inuectam abolendo, sempiternâ vitâ commutaret. Cuius salutationis præstantiam, noua quoque salutanti formula, nunquam antea audita, demonstrat.

Origen. ho. 2. in Lucam. Ambrosius in c. 1. Luc. Bernardus sermo. 2 super Missus est.

CAP. III.

Quo tempore salutatio per Angelum facta?

VT secundùm recurrentem annorum & dierum circulum eodem hebdomadis die, eadémque hora, qua primus parens lapsus fuerat, salus humano generi redderetur; ideo Deus XXV. diem Martij, tunc in feriam sextam incidentem elegit, in qua Incarnationis, & postea Redemptionis mysterium perageret. Eàdem enim XXV. Martij die recurrente, Christus & conceptus, & passus est.

XXV. Martij Christus conceptus, & passus.

CAP. IV.

De colloquio Gabrielis cum Mariâ, & serpentis cum Euâ.

QVemadmodum Euæ virginis pestiferum cum serpente colloquium mundo exitium inuexerat; ita placuit Altissimo initium humanæ Redemptionis à sancto beatæ Virginis Mariæ cum Angelo Gabriele colloquio auspicari, vt qualis ordo ruinæ, talis humanæ reparationis foret, eadémque porta salutis antidotum intraret, qua serpentis venenum infusum fuerat: vt latè prosequitur Irenæus libro 5. aduersus hæreses. *Quemadmodum*, ait, *per Angelicum sermonem seducta est virgo Eua, vt effugeret Deum, præuaricata eius verbum, ita Beata Virgo Maria per Euangelicum sermonem euangelizata est, vt portaret Deum, eius obediens verbo. Et sicut illa seducta est, vt effugeret Deum: sic et*

Colloquiũ Angeli.

Iren. lib. 5. c 31 33. Tertullian. lib. de carne Christi.

hæc suasa est obedire Deo, vti virginis Euæ, Virgo Maria fieret aduocata. Et quemadmodum morti astrictum est genus humanum per Virginem, ita saluatur quoque per Virginem, æquâ lance dispositâ virginalis inobedientiæ, per virginalem obedientiam. Augustinus lib. 1. *De peccat. merit.* cap. 28. *Sicut Eua draconis antiqui falsis promissionibus credendo genus humanum perdidit, ita Beata Virgo veris Angeli sancti promissionibus credendo facta est mater Saluatoris.* Et alibi sæpius ostendit, per feminam mortem, & rursus per feminam produxisse vitam. Petrus Chrysologus sermo. 42. & 148. idem argumentum pertractat. Fulgentius sermo. *De laudibus B. Mariæ.* Anselmus lib. *Cur Deus homo*, cap. 8. Bernardus sermo 2. *De annuntiatione*, sermo. 2. *super Missus est.*

Aug. lib. 6. cont. Iulia. cap. 10. Li. de agone Christi. c. 22. Cyril. catech. 12.

CAP. V.

Quot sint Angelicæ salutationis partes?

QVatuor in hac Angelica salutatione partes continentur: honorifica primùm compellatio, deinde incomparabilis laus virginis, exprimens, quomodo in seipsa affecta, & quàm Deo cælitibúsque accepta sit: ac demum quomodo supra cæteras omnes mulieres, atque creaturas exaltata: subiungitur postea gratiarum actio, & laus Christo, qui talem matrem delegerit, atque inter se, genúsque humanum mediatricem constituerit: ac tandem postulatione concluditur, vt causam nostram apud filium strenuè agat, nostráque studia & actiones suo patrocinio dirigat, animásque hinc emigrantes salvas in cælum perducat.

Quatuor salutationis Angelicæ partes. Heluidij hæresis.

CAP. VI.

Expositio verborum salutationis Angelicæ.

AVe, Κεχαρε, id est, *gaude, vale, salue*, quæ veri gaudij autorem conceptura es: faustum felixq; tibi, quòd mœrorem per Euam inuectum sempiternâ lætitiâ es commutatura. Quasi dicat: Lætare Virgo, ab æterno vt mater Dei sis prælecta, à lapsu primorum parentum repromissa, ab omnibus Sanctis tantopere desiderata, parentum reparatrix, posterorum viuificatrix, per quam omnium salus, innocentiæ restitutio, de hoste diabolo victoria, de peccato ac morte triumphus, omniúmque denique gentium benedictio. Aue B. Virgo, cui vni Deus hæc omnia reseruauit, per quam antiquæ mulierum excluditur maledictio: tu noua mater nouam accipe benedictionem: singulare tibi Euangelium euangelizo: *Ecce filia Sion, Rex tuus venit*: festina thalamum ei tuum adorna, & suscipe Regem, in eius adventu gaude, per quem *ve* maledictionis conuersisti in *ve* benedictionis; cuius partu gaudium inuectura es vniuerso mundo. Exulta pater Adam, sed magis tu mater Eua: consolamini in filia, quæ abstulit opprobrium vestrum, *Felix quæ sumens Aue, commutauit nomen Euæ.* Aue.

Ex quibus patet, voce *Aue*, non solùm contineri simplex salutationis officium, sed etiam oblationem muneris, atque congratulationem tam admirandæ felicitatis, vt eiusdem personæ vera fieret Mater, cuius Deus omnipotens verus esset Pater.

Maria] nomen proprium est B. Hieron. in Maria.

interpr. Hebr. nominum. Epiphan. hæresi 78.

Virginis, eiusdem dignitatem sua significatione exprimens. Denotat enim *dominam*, *stellam maris*, *amaritudinis mare*. Quæ omnia eidem Beatæ Virgini conueniunt. Verè siquidem omnium creaturarum Domina facta est, quæ omnium creatoris mater est, ac iure Domina mundi, & Regina cæli vocatur, ex qua vtriusque creator & moderator genitus est. Petrus Chrysologus serm. 142. Beda in 1. c. Lucæ. Damascenus lib. 4. c. 15. Bernard. super *Salue Regina*.

Beda in 1. c. Lucæ.

Stella verò *maris et illuminata* dicitur, quia sine corruptione radium emisit, cuius splendor vniuersum Orbem illuminat, hominum mentes calefacit, vitia excoquit, & super hoc mare procellosum sublimata micat meritis, illustrat exemplis. Vnde canit Ecclesia: *Aue maris stella.*

Bernardus serm. 2. super Missus est.

Porro *mare amaritudinis fuit*, quia ex ea carnis mortalitatem Christus accepit; & animam eius passionis Filij meror, tanquam gladius pertransiuit.

Ambros. de instit. Virg. cap. 5. Lucæ 2.

& Lucas Ioseph genealogiâ commemoratâ, de B. Virginis genealogia siluerunt, tum quia scripturæ sacræ mulierum genealogias non consueuerunt describere: tum quia secundùm legem vir sibi propinquam accipere in coniugem deberet. Hieronym. in 1. c. Matth. Ambros. libr. 3. in Lucam. August lib. 3. *contr. Faustum* cap. 2. & 3. Libr. 23. c. 9. lib. 5. *contr. Iulianum* cap. 9. libr. 2. *retract.* cap. 7. Epiphanius hæresi 79. & Damascenus lib. 4. *De fide*, cap. 15. Patrem B. Virginis, Ioachim fuisse referunt, matrem verò Annam: quam opinionem, vt incertæ veritatis, commemorat Augustinus libr. 23. *cont. Faustum* cap. 9. Sed Ecclesia postmodum illam sententiam institutione festi S. Annæ comprobauit. Cui non obstat, quòd Beata Virgo, cognata Elizabeth, coniugis Zachariæ Sacerdotis dicatur: consilio enim diuino prouisum fuit, vt ab initio regium genus sacerdotali commisceretur, vt Christus, Rex, & Sacerdos ex vtriusque secundùm carnem nasceretur.

Ioachim pater. B. Virginis, Anna mater.

Ambros. li. 3. in Lucam.

CAP. VII.

De genealogiâ B. Mariæ.

Genealogia B. Mariæ. 2. Reg. 7. Psalm. 131. Isa. 11. Lucæ 1. Matth. 1. Rom. 1. & 9. 2. Timo. 2.

CErta fide tenendum est, B. Mariam ex Dauidica regia stirpe esse propagatam. Constanter enim scriptura tradit, Dominum Iesum Christum ex semine Dauid, secundùm carnem natum esse: at carnem à Ioseph non traxit, qui propter fidem coniugij pater eius dici meruit (iuxta August. libr. 1. *de nupt. & concupisc.* cap. 11.) sed ex purissimis sanguinibus B. Virginis efformatam assumpsit; quam ex eâdem tribu cum Ioseph fuisse, declarat census in Bethlehem factus. Vnde Matthæus

CAP. VIII.

De Virtutibus B. Mariæ.

GRratia *plena*: græcè Κεχαριτωμένη, id est, *gratiosa, vnicè Deo chara, Deum habens fauentem ac propitium.* Quem sensum insinuant Angeli verba: *Inuenisti gratiam apud Deum.* Sic Iacob ad Esau: *Inueniam gratiam in conspectu tuo.* Et Deus ad Moysem: *Inuenisti gratiam coram me.* Apostolus eâdem voce vtitur: *Gratificauit nos in dilecto Filio suo*: id est, gratiosos dilectósque reddidit, seu amabiles. Sic gratiosa & amabilis B. Virgo, támque propenso in eam animo

Virtutes B. Mariæ

Gen. 33.

Exodi 33.

Ephes. 1.

animo Deus fuit, vt à summo cælo egressus ad ipsam peruolarit, in eiusq; vtero sibi corpus efformauerit. Et quia Deum non decebat secundùm carnem concipi, nisi ab eâ, quæ illum antea mente concepisset, & quæ omni gratiarum genere abundaret; iure B. Virgo gratiarum donis plena fuisse quoque creditur. Rex enim gloriæ adornauit thalamum suum, roréq; cælestis benedictionis irrigauit terram, vt talem fructum Virgo permanens edere posset. Hinc inter omnia gratiæ vasa, quibus fons plenitudinis suam gratiam communicat, singulari prærogatiuâ B. Virgo dicitur, *Gratia plena*. De Zacharia, Elizabeth, Ioanne Baptista, & Apostolis legimus, quòd Spiritu Sancto repleti fuerint; de B. Stephano, quòd plenus fuerit gratia & fortitudine; at longè aliter *gratiâ plena* dicitur, quæ sola gratiæ autore impletur, quæ Domini sui, opificis & creatoris mater efficitur, vt in ea plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitaret, & sicut pluuia in vellus, se tota gratiæ plenitudo infunderet. Vnde intelligi potest, ad vincendum omni ex parte peccatũ, B. Virgini plus gratiæ quàm vlli homini fuisse collatum. Nefas enim putare est, huic esse negatum, quod alicui Sanctorum legitur esse indultum. *Ego* (ait Bernardus) *puto, quod & copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ ipsius non solum sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis mulierum creditur esse donatum.* In quam sententiam Augustinus lib. *de nat. & gratiâ* cap. 36. scribit, cùm de peccatis agitur, propter honorem Domini, de B. Virgine eius Matre se nullam prorsus quæstionẽ habere velle. Idem declarauit Concilium Tridentinum, priuilegio singulari B. Virgini concessum, vt omnia etiam venialia peccata vitaret. Quod etiã tenuit Ambros. serm. vltim. in Psal. 118. & in Lucam ad illud: *Ecce ancilla Domini.* Quãquam igitur Origenes hom. 17. in Lucam arbitretur, gladio scandali animam B. Virginis in passione Filij vulneratam; & Chrysost. homil. 45. in Matth. & 20. in Ioan. inanis gloriæ motum eidem tribuat; firmiter tamen nunc Ecclesia contrarium tenet, nec de B. Virginis innocentia quæstionem moueri patitur, quam per obumbrationem Spiritus sancti charitate, omníque virtutum genere consummatam fuisse non dubitat: imò tunc exterminatam in ea fuisse mali concupiscentiam, & in omni accepto dono confirmatam, tradit Anselmus *de conceptu Virginali* ca. 18. Richardus de S. Victore lib. 2. *de Emanuele* cap. 26. & sequentibus. Petrus Lombardus lib. 3. sent. dist. 3. ibique magno consensu Scholastici.

Leo serm. 1. de natiuit. Domini.

Epist. 174. serm. 2. de assump.

B. Virginis priuilegia.

Lib. de nat. & gr. c. 36. August. in Psal. 64. tract. 2.

Sess. 6. can. 24.

Leo ser. 2. de nat. Domini. Aug. lib. 2. de pec. merit. cap. 25.

Ceterum de tempore sanctificationis, vtrùm videlicet nulla peccati labe vnquam infecta, sed ab originali macula initio suæ conceptionis præseruata singulari priuilegio fuerit; an in matris vtero sanctificata demum sit, inter Doctores controuertitur. Et sapienter Pius V. in popularibus concionibus hanc controuersiam tractari vetuit, solùm in Academiis, & corã doctis in vtramque partem agitari permittens, ea tamen lege, vt neutra pars alteram veluti erroneam condemnet. Quod priùs Concilium Tridentinum sanxerat: & Sixtus IV. in extranagan: *Grauenimis.*

De conceptione B. Mariæ.

De conceptione B. Mariæ Bulla Pij V. obseruãda.

Sess. 5.

Cum autem B. Virgo innumeris virtutibus resplendeat, quæ fidelibus vtilissimè in exemplum proponi queunt, nec falsis, aut incertis lau-

dibus nostris indigeat; consultissimè pastores, omissis quæstionibus, contentionem potiùs quàm ædificationem parientibus, heroicas eius virtutes populis inculcabunt, quas suauissimè proponit Ephrem in serm. *de laudibus B. Mariæ Virginis*, & recolligit eius interpres in annotationibus dicto sermoni subiunctis. Ambrosius autem talem fuisse Mariam scribit, vt eius vita omnium sit disciplina, in qua velut in imagine refulgeat species castitatis, & forma virtutis: ex qua liceat exempla viuendi sumere, ac discere, quid fugere, quid corrigere, quid tenere oporteat.

Heroicæ virtutes B. Mariæ populo proponendæ.

Ambr. lib. 2 De Virginibus, & li 10. epist 81. Chrysolog. serm. 143.

CAP. IX.

Virtutes B. Mariæ proponuntur.

Humilitas B. Mariæ.

INter B. Mariæ virtutes prima occurrit *Humilitas*, quæ in toto vitæ ipsius decursu eluxit. Nam primùm non est dedignata fabro desponsari, ei subdi, ad eo regi, cum eo ad victum comparandum assiduis laboribus fatigari. Neq; verò hanc in statu abiectiore solummodo demõstrauit, sed etiam in Dei Matrem electa, se *ancillam* nominat; nec repentinò exaltata promisso est, vt plerique ad opes, honores, status sublimiores euecti cõfestim intumescunt, & se plus quàm homines esse arbitrantur, prioris conditionis suæ obliti, genus suum erubescunt, parentes dedignantur. Non insuper iactabunda marito se in Dei Matrem electam, ac de Spiritu Sancto concepisse decantauit: quam ille videns grauidam, suspicatus est adulteram, & à se dimisisset, nisi cælesti oraculo meliora fuisset edoctus. Ex eâdem humilitate ascendit in montana, vt obsequium Elizabeth cognatæ deferret: à qua dum magnificè laudaretur, nulla elatione commota est, neque sibi quidquam ascripsit, sed in autorem beneficiorum cuncta refudit, dicens: *Magnificat anima mea Dominum, quia respexit humilitatem ancillæ suæ*. Ex consimilitate coniugem Ioseph sibi præponit. *Pater*, ait, *tuus, & ego dolentes quærebamus te*. Atque iam Dei mater effecta, pauperum cognatorum consortia non erubescit; quin eorum nuptiis interest, ac deficiente vino, aliorum verecundiæ compatiens, vinum à filio ex aqua fieri impetrat. Ex eâdem humilitate se Cæsari subditam profitetur, cẽsum soluit, more omnium describitur. In diuersorio sibi locum denegari patienter tulit, in stabulo Christum parit, Filio per se ministrat: cúmque legi Purificationis non esset subiecta, sponte oblatâ pauperum hostiâ ei se subiecit. In Ægyptum peregrinari, Filio in Crucem acto astare, à Iudæis & latrone subsannari, Matrem à crucifixo nominari non erubuit, discipulis apud Iudæos vilissimis adhærere non destitit: cumque inter illos tam filij prærogatiua, quàm priuilegio sanctitatis omnium esset prima, se tamen omnium nouissimam exhibebat, vltimóque loco nominari gaudebat, vt Bernardus, Ambrosius, Augustinus, Beda, & alij notant. Sciebat enim, humilitatem omnium virtutum esse matrem & custodem, vt Augustinus epist. 56. tradit.

Luc. 2.

Ioan. 2.

Act. 1.

Bernardus, serm. 2. de verb Apoc. 12. ser 4 super Missus. Aug. lib. de catech. rudibus, ca. 4. & 22. Beda in illud Lucæ. Respexit humilitatẽ ancillæ suæ.

Quemadmodum autem Humilitate, ita & *Mansuetudine* B. Virgo plena fuit. A Filio enim audiens, *Quid est quod me quærebatis?* & rursus: *Quid mihi & tibi mulier est*: nihil respondit, sed eius verba in corde conseruauit: sicut enim præsumptionis mater est elatio; ita veræ mansuetudinis, humilitas; iuxta il-

Mansuetudo B. Mariæ.

Verecũdia B. Mariæ.

lud Christi: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

Quàm insuper *Verecunda* fuerit B. Virgo, insinuat Euangelium, dum ait, fuisse turbatam, quando ab Angelo magnificam salutationem audiuit. *Virginum enim est trepidare, omnésque viri affatus vereri,* ait Ambrosius lib. 2. in Lucam cap. 2. Et Ioan. 2. aliorum verecundiam, suam reputans, vini defectum silere non potuit. Matth. 12. loqui Filio quærens foris stabat, non autoritate materna sermonem interrumpit.

Taciturnitas.

Ex Verecundia *Taciturnitas* oritur, quæ tanta in hac B. Virgine fuit, vt non nisi quater in Euangelio loquuta deprehendatur: videlicet, Angelo, B. Elizabeth, Filio in Templo reperto, ac in nuptiis. Visitata quidem fuit à pastoribus, à Magis, à Simeone & Anna; de se, atque de Filio multa dici audit; crebrò filium populis loquentem, ac in parabolis differentem, seorsimque discipulis mysteria reuelantem audiuit, miracula operantem; in Cruce denique pendentem, expirantem, resurgentem, in cælum ascendentem conspexit; sed in his omnibus ne verbulum vnum effatam esse reperies. Velox enim ad audiendum, ad loquendum verò tarda erat. Væ nobis, qui totum proferimus spiritum, qui pleni rimarum vndique effluimus. *Discе Virgo* (ait Ambrosius) *verborum lasciuiam vitare: Maria etiam Angeli salutationem verebatur.*

Lib. 2. in Lucam c. 2.

Magnanimitas B. Mariæ.

Summæ autem B. Virginis humilitati *Magnanimitas* accessit, qua licet se ancillam reputaret, attamen ad ineffabile Incarnationis VERBI Dei sacramentum executioni mandandum nullatenus se dubitauit electam, verique Dei & hominis genitricem mox futuram. Eàdem animi fortitudine Angelo filium promittenti, saluo Virginitatis signaculo & pudore, absque scrupulo credidit, Deum posse quod vellet. Eam itaque meritò beatam prædicauit Elizabeth, quia credidisset. Non enim de Angeli dicto, sed de ordine ac modo, quo hæc fierent, instrui petens interrogauit: *Quomodo fiet istud?* vbi non quærit, *an fiet?* sed, *quomodo fiet?* Similiter ex fide illa, quæ ab Angelo, à Simeone & Anna audierat, cum dictis Propheticis in corde suo conferebat, tantáque fide Christum ex se genitum, esse verum Deum quoque credebat, vt repentè vinum creare posse non ambigeret. Ideo dixit: *Vinum non habent.* Et quo tempore omnes discipuli scandalum passi sunt, hæc Beata Virgo in fide constantissima iuxta Crucem, non minùs mente, quàm corpore stabat, certa de resurrectione mox futura. Vnde Filij corpus cum alijs mulieribus non inunxit, mysterij non ignara, quòd genuisset resurrecturum.

Bernard. serm. de verb. Apoc. 12.

Fidei magnitudo.

Ambr. lib. 2. in Lucã cap. 8.

Bernardus serm. 4. super Missus est.

Ioan. 2.

Ioan. 19.

Ambros. li. de instit. virg. c. 7.

Deinde quanta B. Virginis *Misericordia, Dilectio,* & *Compassio* fuerit, demonstrat humilis illa vox ad Filium: *Vinum non habent*: vbi alienam miseriam quodammodo suam reputans, nouum à Filio vinum eis impetrat; & cognatos nondum in Christum credentes, ad eius sermones adducit, vt benignis exhortationibus ad pietatem inuitarentur. Cum Discipulis orationi instat, vt Spiritus Sanctus de cœlo mittatur. Hinc ab Ecclesia *Mater gratiæ, Mater misericordiæ* iure compellatur, eùm pro humano genere Filium assiduè interpellare non cesset.

De misericordia Beatæ Virginis.

Ioan. 2. Matth. 12.

Act. 1.

Fortitudo & Patientia B. Virginis.

Fortitudine insuper atque *Patientia* tantâ hæc B. Virgo fuit, vt neque prosperis elata, neque aduersis vnquam fracta fuerit; quin omnia huius vitæ incommoda patientissi-

mè tulit: paupertatem in partu, inopiam in victu, fugam in Ægyptum, necem infantium Bethlehemiticorum, persecutiones Iudæorum, occisionem Ioannis Baptistæ, ac proprij Filij contemptum, captiuitatem, opprobria, vulnera, tormenta, mortem denique atrocissimam Crucis.

De iustitia B. Virginis. Iustitia B. Virginis ex eo apparuit, quòd vnicuique suum reddiderit, humilians se sub Deo, subdita marito, filium sollicitè educauit, illi honorem debitum tribuit, Cæsari censum pensoluit, Deo in Templo sacrificium obtulit, proximis amorem & misericordiam impendit.

De Castitate B. Virginis. Castitatem in veteri lege neque præceptam neque consultam, hoc est, puram animi & corporis sanctimoniam, ab omni cōplexu viri alienam, non solùm dilexit, sed etiam Deo vouit. Ideoque etiam promissâ diuinâ prole, de Virginitate sollicita, dixit: *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est, voui non cognoscere: sicut scriptura pronuntiat, Nazaræos non bibere vinum; Carthusianos dicimus, non vesci carne, obstante nimirum voto. Aug. lib. *De S. Virginitate* ca. 4. lib. 5. *cont. Julianum* c. 9. Beda in 2. c. Lucæ: *Mentis suæ propositum reuerenter exponit.*

Bernardus ser. 3. & 4. super. Missus. Quando autem B. Virgo castitatis votū emiserit, non omnino certum est. Petrus Lōbardus, S. Thomas, & alij quidam arbitrantur, ab initio puellaris ætatis, Virginitatis votum in proposito habuisse, sed non nisi post desponsationem consensu Ioseph vouisse, cùm virgini post emissum votum nubere velle, sit damnabile: attamen probabiliùs
1. Timot. 6. nonnulli sentiunt, B. Virginem ab initio quidem puellaris ætatis suam virginitatem Deo consecrasse, at postea non nisi Angelico consilio desponsatam esse viro, qui Virginitatem non esset ablaturus, sed testis ac consors eiusdem futurus: prout de B. Cæcilia & Valeriano legimus. Spe igitur diuinæ protectionis freta, ex Angeli consilio, viro iusto Ioseph nupsit, qui virginitatis eius custos fuit, ac simul cum illa virgo permansit. Nubendo autem, non in carnalem copulam consensit, sed in coniugalem societatem, Aug. lib. 1. *De nupt. & concupisc.* cap. 11.

Ambros. de instit Virgin. cap. 3.

CAP. X.

De coniugio B. Virginis.

CONsilio Angelico B. Virgo (vt dictum est) Ioseph nupsit, & quidem fabro, vt Dei Filius secundùm humanam naturam fabri Filius diceretur, qui secundùm diuinam naturam opificis mundi Filius erat. Aug. lib. *De catechizan. rudibus* cap. 22. Nasci autem Dei Filius voluit ex Virgine, I. vt genus humanum per Euam virginem perditum, restauraretur quoque per virginem: Anselmus lib. *Cur Deus homo* capite 2. II. Vt sicut primus Adam de terra virgine à Deo plasmatus fuerat; ita secundus Adam Christus ex virgine Spiritus sancti operatione conciperetur. III. Quia ex muliere nasci voluit sine patre. Damascenus lib. 4. c. 15. D. Thomas p. 3. q. 28.

Cōiugium B. Virgin.

Iren. lib. 3. cap. 3.

Ex Virgine autem nupta nasci Deus voluit, I. quia virginea fœcunditas præstat non solùm coniugali & viduali castitati, sed & virginali. II. Vt genus Christi notum esset, eiusque genealogia per virum consueto more describi posset. III. Ne Christus à Iudæis veluti spurius, meritò reijci videri posset. Oportebat enim veritatis præconem suis auditoribus offendicula non obiicere. Ideo satius fuit, Chri-

stum ad tempus putari ex coniugio natum, quàm ex fornicatione. IV. Vt Christi natiuitas diabolo foret occulta, dum ex coniugio natum putat, quem scit non esse natum ex adulterio. Incarnationis enim mysterium, Deo per Angelos impediente, diabolus ignorabat. Sic Ignatius in epist. ad Philippenses, & ad Ephesios, ex illóque Hieronymus in 1. cap. Matth. Ambros. in 1. cap. Lucæ. Basil. *De humana Christi generatione*. Damascenus lib. 4. cap. 15. Beda in Lucam. Bernardus sermo. 2. *super Missus est*. V. Vt Christus infans conuenientiùs educaretur, & à furore persequentium fugâ protegeretur. Epiphan. hæresi 78. VI. Ex parte B. Mariæ Virginis, vt ipsa à fornicationis suspicione liberaretur. Hieron. in 1. cap. Matth. & *cont. Heluidium*. Ambros. super Lucam. Bernard. serm. 2. super *Missus: Virginis parcitur famæ & verecundiæ*. VII. Vt B. Virgo posset viri operâ honestè vti in fuga, in educando filio. Damascenus lib. 4. cap. 15. VIII. Vt mariti testimonio fides Incarnationis ex Virgine Maria confirmaretur. Si enim sola illa suæ Virginitatis testimonium perhibuisset, culpam mẽdacio celare visa fuisset. At nunc mentiendi causâm non habuit, cùm fructus nuptiarum sit partus feminarum. Sic Ambros. in Lucam, Basilius *De humana Christi gen.* Fulgentius lib. *De gra. Christi* cap. 3. Bernard. serm. 2. super *Missus*. IX. Vt Virginibus infamiâ laborantibus, excusationis velamen tolleretur. Dicere siquidem potuissent, etiam Dei matrem incontinentiæ suspicionem non euasisse: Ambrosius in Lucam, & de Virginis institutione. X. Ne Christus matrimonium improbasse putaretur, ab initio à Deo institutum, Basilius *De humana Christi gen.* XI. Vt per B. Virginem desponsatam, Ecclesia Christo desponsata figuraretur, quę Virgo permanens, filios ex aqua & Spiritu Sancto generat. Postremò, vt quemadmodum in Christo Dei & hominis natura copulantur, sic in eius matre duplex prærogatiua, scilicet, matrimonialis fœcunditatis, & Virginalis integritatis.

CAP. XI.

Quòd B. Virgo in conceptione, in partu, & post partum Virgo permanserit.

DE B. Virginis integritate, triplex olim error fuit. PRIMVS eorum, qui B. Mariam aliarum more feminarum concepisse senserunt: Carpocrates, Irenæo teste libr. 1. cap. 24. Cerinthus, ibidem cap. 25. Epiph. hæresi 27. Ebion, Iren. libr. 3. cap. 24. item Theodotio & Aquila. Horum blasphemiam confutat Isaias cap. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*. Vox, *alma*, significat virginem absconditam, & viro incognitam. Nullum alioqui signum esset, si virgo ex viri congressu conciperet; id enim quotidie fieri videmus. Hieronym. *cont. Iouinianum* lib. 1. & in q. Hebraicis in 24. c. Gen. & in c. 7. Isa. Hanc B. Virginis integritatem adumbrauit rubus ardens, qui non comburebatur: virga quoque Aaronis florens: vellus Gedeonis, rore plenum: veritas de terra orta, Ps. 70. 84. Idem prædixit Ieremias c. 31. *Femina circumdabit virum*, id est, Virgo concipiet Deum hominem factum. Modum conceptionis expressit Angelus: *Spiritus Sanctus superueniet in te*, id est, suâ potentiâ te fœcundabit. Psal. 21. Christus vermi comparatur, qui absque

Virginitas B. Mariæ.

Lucæ 1.

concubitu in ligno nascitur. Aug. in Psal. 21. epist. 120. cap. 8.

Secundus error Iouiniani fuit, qui ne Christi corpus phantasticum esse fateri cogeretur, illud ruptis pudicitiæ claustris ex vtero B. Mariæ docuit egressum, ac proinde B. Mariam in partu minimè Virginem permansisse. Cuius hæresim scriptura confutat, dum Isaiæ 7. dicit: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* Et Danielis 7. *Lapis abscissus de monte absque manibus* videtur. Ezech. 44. *Porta clausa* non aperitur. Hinc veteres Christum ex B. Virginis vtero egressum docent, sicuti ex clauso exiit sepulcro, & ad discipulos ianuis clausis intrauit: Aug. Epist. 3. tract. 28. in Ioan. lib. 1. *cont. Iulian.* c. 2. lib. 3. *ad catechum.* c. 6. lib. 22. *de ciuit.* c. 8. Chrysost. in 20. c. Ioan. Cyril. in Ioan. lib. 12. c. 35. Damascen. lib. 3. c. 12. lib. 4. cap. 15. Hieron. ex professo contra Iouinianum scripsit. III. error Heluidij fuit, qui B. Mariam post partum filios ex Ioseph habuisse docuit. Quem Hieron. confutauit, & Hugo Victorinus lib. de *perpetua B. Maria Virginitate.* Pugnat hæc doctrina cum scriptura Ezechielis 44. asserente, nullum per clausam portam nisi Dominum trāsiturum: & cum illo Lucæ 1. *Virum non cognosco.* Argumenta verò sumpta ex voce *donec*, *antequam*, nullius momenti sunt, cùm hæ voces non semper consequentiam, neque tempus determinatum notēt, sed interdum quid non sit factum, & tempus infinitum significent. *Primogenitus* autem phrasi scripturæ vocatur, ante quem nullus est natus, siue postea nascatur alius, siue non. Sic B. Virgo peperit suum primogenitum Christum: qui etiam *primogenitus in multis fratribus* dicitur, quia fratres omnes suos, non naturâ, sed adoptionis gratiâ Dei filios, longè præcellat, cùm ipse naturalis Dei Filius sit, & propria virtute ex mortuis resurrexerit; per illum verò ceteri.

Haluidij hæresis.

Primogenitus est, ante quem nullus natus.

Iacobus autem *frater Domini* dicitur, non quia ex B. Maria natus, sed quia propinquus: quemadmodum Abraham de Loth ait: *Fratres enim sumus*, gente scilicet, propinquitate, cognatione, affectu. Nam & Dominus ait: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipse mei frater, & mater & soror est.* Quare firmiter credendum est, B. Virginem nullum alium post Christum habuisse filium. Nam si naturalem alium filium habuisset, procul dubio Christus in cruce matrem suam non Ioanni, sed filio commendasset; vt in libro *contra Iouinianum* ratiocinatur Hieronymus.

Fratres Domini qui & cur dicātur.

Genes. 13. Deut. 15. 17. Matth. 12. Marci 3. Lucæ 8.

Senserunt quidem nonnulli, filios Ioseph ex alia vxore vocari *fratres Domini*: sed opinionem audaci temeritate confictam pronuntiat Hieronymus, siquidem multò probabilius est, Ioseph semper Virginem permansisse nec senem, sed iuuenem robustum fuisse, qui suo labore Virgini Mariæ, Christóque proli victum comparere posset, eique in fuga & longa in Ægyptum peregrinatione obsequium præstare: iuxta illud Isaiæ: *Habitabit iuuenis cum Virgine.* Ideóque D. Bernardus sponsum B. Virginis cum Patriarcha castissimo Ioseph confert, qui Domini sui vxorem, licet procaciter vrgentem contingere noluit; multò potiori ratione hic Ioseph Dei sui matrem impollutam conseruauit.

Epiphan. hæresi 51. & 80. Chrys. homil. 5. in Ioan. Iero. cont. Heluidiū. Item in c. 12. Matth. Et in prologo epist. Iacobi. Ioseph Virgo permansit.

Isa. 62. Bernard. serm 2. super Missus.

CAP. XII.

DOminus tecum: Deus VERBVM tecum, Deus intenono

Petrus Chrysolo-

gus serm. 40. & 143.

nascendi modo illabitur; ex te carnem iam sibi assumet. Nec solùm Dominus Filius tecum, quem carne ex purissimis sanguinibus formata induis; sed & Dominus Spiritus sanctus tecum, cuius obumbratione concipis; & Dominus Pater tecum, qui genuit ab æterno Filium, quem facit nunc in tempore filium quoque tuum. Dominus itaque omnium creaturarum tecum, qui tuum intrat genitale secretum, tibi nihilominus reseruãs integrum virginale signaculum. *Dominus tecum*: id est, Spiritus sanctus cum Patre & Filio tuum sanctificans vterum: Dominus VERBVM tecum, sibi in te præparãs thalamum, adornans sibi tabernaculum, consecrans sibi templum in vtero tuo, in quo nouem mensibus habitet plenitudo diuinitatis corporaliter. Proinde quem orbis vniuersus, & cæli cælorum non capiunt, hunc virginali vtero tuo complexa es, in eo cælo maior, terrâ fortior, orbe latior effecta. Non ait Angelus: Dominus in te; sed *Dominus tecum*, quia Deus vbique est per simplicem essentiam præsentiam, & potentiam. & in sanctis omnibus est per cognitionem, affectum, & amorem: at in B. Virgine non solùm consensione voluntatis, sed etiam coniunctione carnis est, vt de Dei Virginisque substantia vnus sit Christus, nec totus de Deo, nec totus de Virgine; totus tamen Dei, & totus B. Virginis filius; nec duo filij, sed vnus vtriusque Dei & B. Mariæ filius, qui duæ naturæ in vna Hypostasi sunt coniunctæ. Deus itaque cum B. Virgine, non tantùm gratiã, sed etiam naturâ est, ex ipsa homo factus.

Bernard serm. 3. super Missus.

Chrysologus serm. 143.

Verbum est in Virgine cõiunctione carnis.

Porro sciendum est, Deum variis modis cum hominibus esse. 1. Corporali præsentia. Ioan. 12. *Me non semper habebitis vobiscum.* Hoc modo fuit cum B. Virgine nouem mẽsibus in vtero, & postea triginta annis, ipsam quotidie colloquus instruens, consolans, spiritualibus donis adimplens, miraculis & prædicationibus recreans, ac in morte eam discipulo dilectissimo cõmendans; quam post suam resurrectionem primam inuisit, & in cælum deinde assumptus, abundantiori spiritus sui copiâ repleuit, atque defunctæ animam æterno primùm Patri obtulit, moxque resumpta carne iuxta se super omnes creaturas euectam, in summa gloria collocauit. Ceteræ *Virgines sequuntur agnum quocumque ierit*: &, *nos semper cum Domino erimus*, ipsius beata visione fruentes: sed cum matre sublimiore modo est, nihil alienum faciens ab eius voluntate, sic illius gaudens honore, vt delatum honorem matri, sibi reputet exhiberi.

Apoc. 14.

1. Thessal. 4.

II. Dominus cum eis esse dicitur, quos inhabitat per dilectionem, misericordiam, & septiformem Spiritus sancti gratiam, quorum actus dirigit, mouet, gubernat in vitam beatam. Ioan. 14. *Si quis diligit me, etc. ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Deus inhabitare per gratiã sanctos dicitur

III. Cum us Dominus esse dicitur, quos in munere publico, vt illud ad salutem subditorum administrent, constituit, adiuuat & regit. Iosuæ 1. *Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum.* Sic fuit cum Dauide, 1. Regum 16. & recessit à Saule, 1. Reg. 28. Fuit cum Apostolo Paulo, Act. 18. *Noli timere: ego tecum sum.*

Postremo Dominus cum eis esse dicitur quos protegit, & à malis liberat. Gen. 31. *Nisi Deus patris mei adfuisset mihi.* Psal. 90. *Cum ipso sum in tribulatione* Matth. 28. *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Hac verò salutandi formula,

Dominus vobiscum. *Dominus tecum*, aut *Dominus vobiscum*, non solùm angeli, sed & homines iusti olim vti solent. Boos enim messores ita salutauit: Azarias Propheta regem Asa, & populum victorem consalutat: *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo.*

Iudicum 6. Ruth. 2.

Quia verò hac salutandi formula septiformis Spiritus sancti gratia optatur, ideo sacerdos in Missæ sacrificio populum septies hac formula consalutat. Episcopi verò, quia Christum Ecclesiæ sponsum perfectiùs repræsentant, in prima populi salutatione dicunt: *Pax vobis*, quomodo post resurrectionem Christus Apostolos primùm salutauit: in ceteris orationibus communi formula salutandi vtuntur: *Dominus vobiscum*, vt se Christi ministros agnoscant. Pontifex autem Romanus in solenni Missa tempore Paschali populum frequentiùs illa formula, *Pax vobis*, salutare consueuit, ad exprimendum resurrectionis gaudium, quo tempore Christus hac forma sæpius discipulos salutauit.

Ioan. 20.

Durandus l. 4. ration. ca. 15.

CAP. XIII.

Benedictiones B. Virginis.

Benedicta tu in mulieribus: id est, præ omnibus mulieribus laude digna es; meritò dete omnes bene loquantur, iure inter mulieres beata prædicaris, quæ sola dignitatem summam, quæ in muliebrem sexum cadere potest, assequuta es; videlicet, vt Dei mater sis & nomineris, simúlque Mater & Virgo. Verè igitur benedicta, quæ maledictionem Euæ commutauit in benedictionem, sine dolore cõcipiendo, sine corruptione pariendo, sine tædio fructum in vtero gerendo. Dicuntur quidem & aliæ mulieres benedictæ, sed longo post B. Mariam interuallo. Pertinet enim ad benedictionem, quòd concipiant & pariant: at quanta nunc huic benedictioni cõiuncta est maledictio? cùm sine pudore non concipiant, sine dolore & corruptione non pariant, grauique iugo Viri subdantur: à quibus omnibus B. Virgo immunis fuit. Dicuntur aliæ mulieres benedictæ, quia sublato sterilitatis opprobrio, singulari Dei munere filios conceperunt, vt Sara, Rebecca, Rachel, mater Samsonis, Samuelis, & Elizabeth: at ex B. Virgine Sanctus sanctorum, Rex regum, imò Deus prodiit. Benedictam se Lia prædicat, quia multos filios genuit: at B. Virgo vnum edidit, per quem omnes adoptionem filiorum recipiunt. Benedicitur Anna, Samuelis mater, quia Prophetam genuit, quem Deo in obsequium obtulit: at B. Virgo Prophetarum caput genuit Christum, qui se pro totius orbis salute Deo immolauit. Benedicta prædicatur Noêmi, quia nurus filium peperisset, qui eius senium consolaretur: benedicta Debora & Iahel, quæ Sisaram, populi Dei hostem sustulerunt; benedicta mulier, quæ deiecto molari lapide Abimelech interfecit: mulier sapiens in Abela, quæ seditiosi Sebæ caput abstulit: Iudith, quæ Holofernem vicit: Hester, quæ Israëlitas à periculo excidij liberauit: Abigail, quæ Dauidem à vindicta sumenda impediuit: at B. Virgo hæc omnia per Filium suum longè præcellentiore modo præstitit: gaudium enim Orbis, Liberatorem genuit humani generis, qui caput antiqui Serpentis contriuit, iram Dei placauit, mortem & infernum vicit. In nouo Testamento beatæ celebrantur virgines, quæ spiritus & carnis puritatem Deo consecrant:

Gen. 1. 5. 9.

Gen. 18. 25. 30. Iudicum 13. 1. Reg. 1. Lucæ 1.

Gen. 30.

Ruth. 4. Iudici 4. & 9.

2. Reg. 20. Iudith. 14. Hester. 6. 1. Reg. 25.

1. Cor. 7.

consecrant: at B. Virgo nullum habens præceptum, nullum cõsilium, nullum in veteri Testamento exemplum, virginitatem perpetuam Deo vouit, paupertatem, & vitam in communi cum discipulis elegit, Acto. 2. Et quidquid in Scripturis mulieris alicui laudis tribuitur, id multò perfectiùs B. Virgini conuenit. Vnde meritò sola ab initio mundi est promissa, multis figuris adumbrata, Prophetarum vaticiniis prænunciata. Hæc est noui Adæ Eua, omnium viuentũm mater appellata, quæ Dominum, à quo condita erat, vicissim de sua carne genuit. Hæc per Rubum ardentem, qui non comburebatur per vrnam auream manna continentem; per arcam de lignis Sethim imputribilibus compositam; per virgam Aaronis florentem; per vellus Gedeonis cælesti rore madens significata fuit. Denique hæc est terra præbens fructum optimum, de qua veritas orta est, de qua Isaias: *Ecce virgo concipiet & pariet filium*: &, *Egredietur virga de radice Jesse*. Ierem. 31. *Femina circundabit virum*. Ezechiel 34. *clausa porta erit*. Daniel. 2. *Abscissus est lapis de monte*. Zacharias cap. 4. candelabro aureo eandem denotat.

Gen. 3.

Isa. 7. 11.

Daniel. c. 2.

Postremo hanc B. Virginem in nouo Testamento per Archangeli Gabrielis ministerium à Deo laudatam reperimus, eandémque incessanter nunc beatam prædicant omnes cælestium spirituum Hierarchiæ. Notat Beda, eâdem voce ab Angelo & Elizabeth B. Mariam benedici, vt Angelis & hominibus veneranda demonstretur. Laudata est insuper B. Maria ab illa magna deuotionis & fidei mulier, quæ interpidè clamauit: *Beatus venter qui te portauit, et vbera quæ suxisti*: cuius feminæ sequuta exemplum Ecclesia frementibus Christi hostibus, quotidie *beatam* prædicat Mariam, quæ Saluatorem mundi peperit; adimpletúrq; illud eiusdem vaticinium: *Beatam me dicent omnes generationes*. Quantopere veteres B. hanc Virginem celebrarint, demonstrant honorifica epitheta, quæ illi tribuunt: de quibus vide Epiphanium hæresi 78. 79. Athan. in serm. *de Deipara*, Ephrem in serm. *de laudibus B. Mariæ virginis*. Chrysost in sua Liturgia, Synod. 7. Act. 4. Bernardum serm. super *missus*, item in sermonibus *de B. Maria*, & *de verbis* Apo. 12. Anselmum libr. *de excellentia B. Virginis* cap. 2. vbi post Deum nihil illa excellentius esse confirmat.

Athan. in serm. de Deipara.

Beda in 1. cap. Lucæ.

Lucæ 11.

Lucæ 1.

Beda in c. 11. Lucæ.

Dionys. Areop. lib. de diuinom cap. 3.

CAP. XIV.

Et benedictus fructus ventris tui.

VErbis salutationis Archangeli Gabrielis, verba, quæ Elizabeth, Spiritu sancto repleta subiunxit, annectimus: *Et benedictus fructus ventris tui*. Quibus explicatur, vnde tanta benedictio B. Virgini obuenerit, à fructu scilicet ventris, hoc est, ab in exhausto benedictionis fonte, Dei Filio, in quo gentes vniuersæ benedicendæ erant, de cuius plenitudine exuberantis gratiæ omnes sancti portionem accipiunt. Est enim author & fons omnis spiritualis benedictionis, cùm sit Deus super omnia benedictus, in secula, Amen. Longè igitur diuersus est fructus B. Mariæ à fructu Euæ. Per Euæ siquidem fructum, mortem, corruptionem, æternam damnationem, Dei iram, confusionem, ad malum pronitatem incurrimus: per B. autem Mariæ fructum, vitam de vulsâ morte, immortalitatem exutâ corruptione, iustitiam abolitâ

iniquitate, perseuerantiam & gloriam sublatâ omni fragilitate consequimur. Verè igitur hic fructus est vitalis & viuificus, qui esurientibus fit cibus & potus, ac tam delectabilis aspectu est, vt in eum Angeli desiderent prospicere. Per hunc fructum B. Virgo facta est *regina cælorum, domina Angelorum, Mater misericordiæ, vita & spes nostra*; non, cui salutis nostræ meritum ascribamus; sed per cuius intercessionem, apud Saluatorem, eius Filium, adiuuari speremus, cuius sui creatoris facta est genitrix, ac veraciter Deipara.

Virgo Deipara.

Quare his verbis contra Valentinianos & Anabaptistas profitemur, nos credere, Christum non corpus de cælo allatum, aut phantasticum habuisse, sed de B. Virginis sanguinibus efformatum. II. Contra Nestorianos confitemur, naturam humanam in vnitatem personæ VERBI Dei assumptam esse, beatámque Mariam non Christotocon, sed Theotocon atque Deiparam appellandam, cùm ex ea Deus noster carnis substantiam acceperit, Deúmque & hominem verè illa conceperit & pepererit.

Nomen Iesus adūbratum per Iosue, Iosedech, & per Iesum filium Sirach.

IESVS.) Nomen fructus benedicti Elizabeth non expressit, sed Ecclesia subnectendum iudicauit. Vt recoleremus, hunc fructum esse semen illud promissum, quod serpentis caput contereret; semen illud, de quo Abrahæ ac Dauidi promissio facta legitur: *In semine tuo benedicentur omnes gentes: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*: de quo Prophetæ omnes vaticinati sunt, quòd populum suum liberaret à seruitute diaboli, mortis & peccati, corruptionis & miseriæ; de quo Angelus: *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*: quem adumbrarunt Iosue, Iosedech, & Iesus filius Sirach, qui populum Israëliticum in terram promissionis vel induxerunt, vel ex Babylone cum gaudio reduxerunt, aut sapientiâ suâ erudierunt, in typum, quòd verus Iesus, ex B. Maria natus, Dei populum saluaret, in terram viuentium introduceret, contra hostes protegeret, salutari scientia illuminaret. De excellentia nominis IESV, virtute, dignitate, ac dulcedine, latissimè disseruimus in expositione Symboli Apostolici.

Matth. 1.

Lib. 1. cap. 25.

Christus; est nomen officij.

Christus) Nomen IESV proprium est personæ; CHRISTI verò nomen est officij, dignitatis, potentiæ, atque regni, designans, IESVM esse verum Regem, summum Pontificem, atq; Prophetam. In veteri enim lege chrismate inungi solent Sacerdotes, Exodi 29. Leuitici 4. 8. Eccles. 45. Reges, 1. Reg. 10. 16. 24. 26. Prophetæ, 3. Reg. 19. Adumbrabant enim illum, de quo Moyses dixerat: *Prophetam vobis suscitabit Dominus*, qui scilicet mysteria à seculis abscondita reuelabit. Vnctus est verò CHRISTVS non oleo corporali, sed gratiâ & virtute Spiritus sancti, cuius vnctionis participes effecti fideles, *Christiani* appellantur. Inunctus est autem Christus, quando in vtero B. Virginis diuina natura humanæ vnita est; tūc enim *Verbum caro factū est*, id est, Deus homo, & secūdùm quòd homo IESVS vnctus est: nam Verbum inunctione non eguit, cùm proficere aut beatius fieri nequeat. Idem tamen Deus & homo dat & accipit vnctionem: dat, vt Verbum; accipit, vt homo: *de cuius plenitudine nos omnes accipimus*. Plura vide li. 1. cap. 26.

Deut. 18. Psalm. 44. Isa. 61. Acto. 11. Ioan. 1. Lib. 1. c. 25. Vide c. 35. explicationis Dominicæ.

Amen) *Fiat, verè, fideliter*. Quidam fausta precatione hanc salutationem B. Mariæ concludunt in hunc modum: *Sancta Maria ma-*

Inuocatio B. Virginis.

ster Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in horâ mortis nostræ, Amen. Quæ in serm. *de Deipara* his verbis apud Athanasium continentur: *Nos terrestres hierarchiæ exaltamus te, magna & canorâ voce dicentes: Ave gratiosa, Dominus tecum: intercede Hora & Domina, et Regina, & Mater Dei pro nobis.* Quia enim Domina est, nostri curam gerit: quia orbis Regina, nihil non potest: vt autem Dei Mater, à Filio cuncta facilè impetrat. Inuocationem B. Mariæ Virginis pulcherrimam reperies apud B. Ephrem in serm. de laudibus B. Mariæ Virginis, *Sub tuum præsidium*, ait, *confugimus, ô sancta Dei genitrix, sub alis pietatis atque misericordiæ tuæ, protege et custodi nos, miserere nostri.* &c. Item, Aue spes omnium proborum, rebus aduersis afflictorum. Aue dulce solamen atque præsidium: Aue Dei & hominum mediatrix optima. Aue terrarum Orbis conciliatrix efficacissima. Adesto mihi nunc & semper, ô virgo Dei genitrix, mater misericordiæ, benigna & clemens, in præsenti quidem vitæ cursu feruens protectrix atque auxiliatrix, hostiles quosque impetus à me auertens, & in via salutis me constituens, ac in extremo vitæ articulo miseram animam meam conseruans, & horrendos dæmonum aspectus ab ea procul depellens; in tremendo autem iudicij die, ab æterna me damnatione liberans: & postremò in iustorum numerum me referens, atque Filij tui gloriæ me hæredem efficiens. Quod vtinam per piam intercessionem tuam, atque patrocinium, mihi & omnibus humiliter ad te recurrentibus, & spem in te figentibus, post hoc exilium concedatur, gratiâ, miseratione, & benignitate vnigeniti Filij tui, Domini Dei ac Saluatoris nostri IESV CHRISTI! Quem decet omnis gloria, honor, potentia, & adoratio, cum æterno eius Patre, & sancto, ac viuifico Spiritu, nunc & semper, & in omnes seculorum æternitates,

AMEN.

Ephrem in serm. de laudibus B. Mariæ.

LAVS DEO, VIRGINIQVE MATRI.

DE VENERABILI EVCHARISTIÆ SACRAMENTO ET SACRIFICIO LIBRI III.

AMICE Lector: *Tres istos* de Venerabili Eucharistiæ Sacramento & Sacrificio *libros, supra septennium in lucem primùm emissos, & iam pridem ad vnum omnes distractos, ne vel ipsius nostri Operis perfectioni, vel vtilitati communi quicquam deesset, vt multorum desiderio, & publico in primis Bono fieret satis, iam secundum tibi damus emaculatiores multo atque speciosiores. Itaque in vno iam fasciculo iunctim habes, quod tibi, quod alijs prosit æternùm. Ita vouemus. Tu labori nostro fauе, fauebis autem, si quàm plurimos ex hac messe frumenti manipulos in horreum animæ tuæ comportaris. Vale.*

LIBER PRIMVS.

CAP. I.

Diabolus contentiones de Eucharistia excitat, vt eiusdem præstantissimo fructu homines priuet.

INTER varias hæreses, quibus Dei Ecclesia his nostris calamitosis temporibus in varias partes scinditur, miserandúmque in modum exagitatur ea maximè deploranda est, quæ sanam de venerabili, ac diuino Eucharistiæ Sacramento doctrinam corrumpit; siue asserendo, Christi corpus non esse in Eucharistia, nisi vt in signo; siue ibi corpus cum pane, & sanguinem cum vino collocando. Nam præstantissimum à Christo beneficium suæ sponsæ, tanquam pignus amoris, Sacramentum pietatis, sym-

bolúmq; vnitatis & charitatis (qua Christianos omnes sibi, ac inter se coniunctos esse voluit) relictum, in materiam odiorum, discordiarum, errorum ac schismatum conuertit, omniúmque Sacramentorũ Christi summum (in quo ineffabilis sui erga homines amoris diuitias vbertim effudit, vniuersorúmque suorum operum quoddã compendium inclusit,) eripit, aut exosum, vile, inutiléque reddit. Non enim alio fine Sathanas tristem, pernicioſúmque de hoc excellenti mysterio per Lutheranos & Sacramentarios conflictum excitauit, nisi vt Christianos tam necessario huius admirabilis Sacramenti vsu fructúque priuaret, quos per baptismum nouam quandam vitam ingressos, atq; per Confirmationis Sacramentum, militiæ Christi adscriptos, neque diu iustè viuere, neque ad vires resistendum animæ hostibus, absque hac Sacramentali refectione cõseruare posse, sciret: simúlq; ad stabiliendum peccati regnum nihil potentius esse nosceret, quàm si ablata Christi ex Sacramento Altaris reali præsentia, magno metu homines liberaret, qui reuerentia contentæ illic rei diuinæ, à sceleribus & flagitijs temperãdum sibi persuaserant, ne sumentes hæc sanctissima mysteria indignè, rei fierent corporis & sanguinis Domini. Omni proinde artificio hanc spiritualem pietatis arcem, fideliúmque populorum alimoniam, cuius vigore confortati ex huius miseræ peregrinationis itinere ad cælestem patriam facilius peruenire valerent, humanæ salutis inimicus eripere molitur.

Diabolus ex Eucharistia Christi præsentiam tollere nititur, vt peccati regnũ statuat.

2. Cor. 11.

Eucharistia pietatis arx.

CAP. II.

In primitiuâ Ecclesiâ de reali præsentiâ Christi in Eucharistiâ non fuit dubitatum.

AC primis quidem Ecclesiæ Christianæ temporibus, non id palam, sed per cuniculos aggrediendum putauit, dum per Simonianos, Menandrianos, Manichæos, & huiusmodi alia hæreseon portenta, non tam Eucharistiæ Sacramẽtum, quàm Incarnationis Dominicę mysterium oppugnauit. Idcirco enim dicti hæretici, Eucharistias & oblationes non admittebant, nec confitebantur, Eucharistiam carnem esse Saluatoris, quia Dominum veram carnem habuisse inficiabãtur. Vnde nulla disputatio contra istos de præsentia reali corporis & sanguinis Domini in almo Eucharistiæ Sacramento ab vllo veterũ instituta fuit, sed de veritate carnis assumptæ tantùm, quòd ea non apparens, cælestis, aut phantastica, sed eiusdem per omnia cõditionis (excepto peccato) cum nostra fuerit. Nam quotquot veram nostri generis carnem, ex purissimis B. Virginis Mariæ sanguinibus Verbum Dei assumpsisse credebant, firmissima fide veram & realem corporis & sanguinis Domini præsentiam in Eucharistia simul confitebantur. Vnde primis sexcentis post Christi aduentum annis nullus Ecclesiasticorum scriptorum, hunc errorem inter hæreses recensuit, vel contra eundem disseruit, quoniã inconcussa fide omnes Christiani nominis cultores in vniuerso terrarum orbe, qui Dominum veram carnem habuisse fatebantur, veritatem quoque corporis Domini in Eucharistia palam crederent, atque confiterentur.

Primis sexcentis annis nulla fuit hæresis de Eucharistia.

CAP. III.

A quibus Sacramentariorum hæresis nata sit.

Synodus 7. act. 6. tom. 3. in fine. Iconomachi primi de Eucharistia incõmodè loquuti.

CIrca verò annum Domini septingentesimum Iconomachi variè, inconstantérque de hoc mysterio loquuti reperiuntur: aliquando enim panem & vinum Eucharistiæ corporis & sanguinis Christi naturalis imaginẽ esse affirmabant; subinde autem panẽ diuinum Christi corpus sanctificatione fieri, asserebant. Qua occasione Græci, qui post illa tempora scripserunt, sæpe admonent, Eucharistiam neque à Domino, neque ab Apostolis figuram, aut imaginem corporis esse vocatam, sed corpus Domini. In Ecclesia verò Latina primus dubiè hac de re scribere quidam Scotus, tempore Caroli Magni, circa annum Domini octingentesimum exorsus est. Cuius librum Vercellense Concilium condemnauit. Octoginta sex deinde annis tempore Caroli Crassi rursus quæstionem de veritate corporis Domini in Eucharistia mouere cœpit Bertramus; cuius errorem Paschasius Corbiensis Abbas, illo tempore florens, eruditissimè confutauit. Quamuis autẽ prædicti duo Ioannes & Bertramus cõtrouersiam de veritate corporis Domini in Eucharistia excitauerint: attamen neque vulgare dogma inficiari, neq; ei quod totus orbis Christianus firmiter credebat, & profitebatur, contradicere (Paschasio teste) ausi sunt: nec quisquam alius post eorum tempora vsque ad Berengarium apertè, vel obscurè acceptam per manus à Christo, & Apostolis, eorúmque successoribus de Eucharistia doctrinam, in dubium reuocauit, qui anno millesimo quinquagesimo primo errorem timidè, ac veluti disputando priùs à nonnullis propositum, ingenti contentione defendere, ac propagare studuit, inauditique dogmatis ac pernicioſissimæ hæresis se primum assertorem, doctorémque venditare ausus est, sustinendo, corpus Domini non esse in Eucharistia, nisi vt res significata est in suo signo: & post palmodiam, dicendo, esse quidem Christi corpus & sanguinem in Sacramẽto post consecrationem, sed cum pane & vino, quorum prius Sacramentarijs, posterius Lutheranis placuit.

Bertramus à Paschasio confutatus.

Berẽgarius hæresim de Eucharistiq; Sacramẽto excitauit anno 1031.

Sigebertus in Chron.

Berẽgarius Lutheranæ atq; Sacramentariæ hæresis author.

CAP. IV.

Quibus Authoribus Sacramentariorum hæresis nata, mox oppressa sit.

QVem Berengarium vsitatissimæ fidei Catholicæ Ecclesiæ aduersantem, nouóque dogmate Christianissimum Galliæ regnum, totámque Ecclesiam perturbãtem, plurimi eruditione, sanctimoniáque præstantes viri omni armorum apparatu instructi, velut communis fidei hostem, incredibili celeritate gladio verbi Dei confecerunt. Et cum vndique ad nouitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes Ecclesiarum Episcopi pro suo quisque studio reniterentur, tunc Apostolicæ sedis Antistites (quorum in primis est, nutantes in fide fratres confirmare) quantum loci authoritate, tantum fidei deuotione, zelíq; Dei ardore collegas suos vincentes: excitis vndique Sacerdotibus, sanctitate & doctrina præstantibus, venenatum Berengarij dogma sedulò ad legis diuinæ authoritatem, Ecclesiæque Catholicæ traditionem discuti mandarunt, ipsúmque nouæ perfidiæ authorem ad quatuor diuersa

Romanorũ Pontificum pro fide zelus.

Berẽgarius à quatuor Concilijs damnatus.

concilia euocatum, ac in defensionibus suis patientissimè auditum, hæresēósque tandem conuictum, anathemate ferierunt, qui Patrum argumentis rationibúsque ceu validissimis aetietibus profligatus semel, iterúmque, ac tertiò ad eorum palinodiam, quæ impiè antea docuerat impulsus fuit; sexque ordine Romani Pontifices sacrilegum Berengarij dogma execrationi subiecerunt: nimirum Leo nonus, Victor secundus, Stephanus nonus, Benedictus decimus, Nicolaus secundus, & Gregorius septimus: & quatuor Episcoporum Sacerdotúmque ex varijs mundi regionibus coacta concilia, scilicet Vercellense Leonis noni iussu celebratum; Turonense, Victoris authoritate conuocatum, & Romanum sub Nicolao secundo centum quatuordecim Episcoporum, ac postremò Romanum alterū à Gregorio septimo indictum, concordi omnium consensu vesanum Berengarij commentum tanquam hæresim reiecerunt: vtque nulla deinceps huius erroris caligo fidelium mentibus offunderetur, futuríque temporibus veri Christi amatores, cultoréque nosscerent, quid certò credere de almo Eucharistiæ Sacramento deberent, Berengarium eò Romani Pontifices, Conciliáque ab eisdem celebrata perduxerunt, vt tertiò in errorem relapsus, ter publicè suam hæresim, videlicet in Turonensi Concilio, & vtroque Romano, abiurauerit, libróque peruersi dogmatis à se conscriptos, igne, sua manu in medio sancti Concilij accenso, concremauerit, confirmans, se veterem de Eucharistia doctrinam omnium Ecclesiarum totius Orbis consensu probatam, & à patribus, qui his Concilijs interfuerant traditā, inuiolabiliter seruaturum; nec abilla die cuiquam aliter prædicaturum, eósque qui in eiusdem erroris furias se præcipitarent, anathemati subijciens, execrandósque pronuntians, formulam professionis suæ fidei ad perpetuam Sacramentariorum confusionem Romæ corā centum quatuordecim Episcopis edidit, quæ etiam nunc extat *de cons. distinct. 2.* his verbis: *Ego Berengarius, indignus Sancti Mauritij Andegauensis Ecclesiæ Diaconus, cognoscens veram, Catholicā & Apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipuè eam de qua hactenus infamatus sum: qua astruere conatur, panē & vinum, quæ in Altari ponuntur, post consecrationem soluminodo Sacramentum, & non verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse: et non posse sensualiter nisi in solo Sacramento, manibus Sacerdotū tractari vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ sedi: et ore, et corde profiteor, de Sacramentis Dominicæ mensæ eandem me fidem tenere, quam Dominus et Venerabilis Papa Nicolaus, et hæc sancta synodus authoritate Euāgelica & Apostolica tenendam tradidit, mihique firmauit, scilicet panem & vinum, et quæ in Altari ponuntur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, & sensualiter non solum in Sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri: iurās per sancta et homousion Trinitatem, et per hæc sacrosancta Dei Euangelia, et eos qui cōtra hanc fidem venerint, cū dogmatibus & sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse pronūtio. Quod si ego ipse aliquādo aliquid cōtra hæc sentire ac prædicare præsūpsero, subiaceā canonū severitati. Lectoet perlecto: pōte subscripsit: idq; corā centum quatuordecim Episcopi.*

Tho. Valdensis tom. 2. de Sacram. c. 43.

Sex Pontifices dogma Bereng. damnarūt.

Palinodia Berengarij.

Formula professionis Berengarij.

Berengarij palinodia.

Corpus Christi in veritate, nō tantum in Sacramēto frangitur.

Abiuratio seruò facta.

Quibus verbis in primo Concilio Romano sub Nicolao secundo præsentiam realem corporis Domini in Eucharistia confiteri compulsus est. Sed quoniam post hanc palinodiam secretò discipulis suis instillabat, corpus Domini quidem esse in Eucharistia, sed simul cum pane & vino, in altero Concil. Romano sub Gregor. septimo etiam transmutationē panis & vini in corpus & sanguinem Domini confiteri coactus est. Hic autem Berengar. animo elatus erat, omnes præ se contemnens, séque solum sapere præsumens, audacia mentiendi impudens, bis periurus, inconstans, & impius, similésque sibi discipulos asciscebat, qui flagitiosam vitam consectantes gauderent, se nulla reuerentia, nulloque metu percipiēdæ sacræ communionis ab aliquo scelere reuocari. Nam ablata Dominici corporis veritate intelligebāt Eucharistiam nihil adeo diuinum continere, vt propter eius sumptionem à sceleribus & flagitijs abstinendum esset: cúmque nō paucos huiusmodi miseros primo erroris calore infecisset, quamuis ipse tandem abiurata hæresi sententiam planè correxerit & catholicus obierit; omnes tamen à se deprauatos ad meliorem mentem reducere nequiuit. Vnde post eius obitum ex fecibus Berengarianæ hæresis circa annum Domini millesimum centesimum quadragesimū emersit Henricus quidam cum Petro Bruys, qui semel tantùm in vltima cœna Christi corpus sub panis specie Apostolis datum fuisse contendebāt; deinceps verò Sacerdotum ministerio nō nisi eiusdem corporis signum porrigi affirmantes. Quorum imperitiam Petrus Abbas Cluniacensis, vir sanctitate & eruditione illo tempore celebris, scriptis confutauit, atque compressit. Quorum vnum refert fuisse apostatam monachum; alterum verò Parochum, ab Ecclesia quam tenebat, propter impuram vitam eiectum; vtrúmque autem impetu indignantis animi, studiósque iniurias sibi illatas vlciscendi, cūcta Ecclesiastica mysteria prophanare, pessundare, contemptibiliáque reddere proposuisse commemorat. Sed in Christum blasphemi, ac in Christianos seductores impij, virulentum dogma suum propagare impediti sunt per D. Bernardum, Hugonem Victorinum, Beatum Anselmum, Innocentium tertium, aliósq; complures, qui in Catholicæ doctrinæ corroborationē gnauiter incubuerunt, & in amplissimo totius orbis Lateranensi Concilio Berengarianam hæresim iterum condemnarūt. Sed circa annum Domini 1208. Albigensibus eandem hæresim amplexantibus, iterum in Concilio Viennensi anno 1311. veritas explicata est: illos verò Flagellantes circa annum Domini 1350. sequuti sunt, aduersus quos Sāctus Dominicus, & S. Franciscus cum suis ordinibus, scholasticíque Doctores magno numero exorti, veritatem realis præsentiæ corporis Domini in Eucharistia plurimùm illustrarunt, contrariique erroris nebulas sedula populorum instructione depulerunt: donec Ioannes Vviclef circa annum Domini 1370. maioribus quàm vnquam antea viribus infaustum rursus certamen renouauit. Cuius libri circa annum Domini 1400. in Bohemiam per Ieronymum Pragensem delati, & à Iacobitis, aliísque permultis suscepti, regnum illud miserè infecerunt, cladibúsque incredibilibus inuoluerunt, quas latè commemorat in sua historia Æneas Syluius, postea Pius secundus: sed tandem in Concilio Constantiensi, Ioanne Huss, atque Hieronymo exustis, articuliique

Berēgarius etiā posteriorem hæresim reuocat, quam amplexus est Lutherus Berengarij mores.

Henriciani & Petro Bruysian. Sacramentariorum hæresim resuscitant.

Petrus Cluniacensis confutat.

D. Bernard. duz cū alijs sāctissimis.

Patribus se opponit Sacramentarijs.

Albigensibus se opposuit Dominicus cum suis.

Vvicleffitis ac Huſſitis occidens & oriens ſeſe oppoſuit.

que Vviclef pública totius orbis authoritate ſub Martino quinto damnatis, ac paulò pòſt, communi omnium tam orientis quàm occidentis Eccleſiarum conſenſu, in maximo illo Florentino Concilio ſub Eugenio quarto celebrato, explicata luculentiſſimis his verbis Catholica de hoc Sacramento doctrina (ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem cõuertitur, veréque totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis, idémque totus ſub ſpecie vini) inter penè ſolos Huſſitas Sacramentariorum reliquiæ centum & pluribus annis delituerunt, donec noſtro hoc infelici ſeculo circa annum Domini 1524.

Carolſtad. hæreſim Sacramentariorum in Germania reſuſcitat.

Andreas Carolſtadius Vvittenbergenſis Archidiaconus, Berengarianam hæreſim in Germania reſuſcitauit, ſtatuens corpus Domini non eſſe in Sacramento verè, realiter, & ſubſtantialiter, ſed tantùm vt in ſigno, vel figura aut virtute. Cui mox patronus acceſſit Zuinglius, paſtor Tigurinus, antea Lutheranus, Ioannes quoque Oecolampadius, apoſtata monachus: quos ſequuti ſunt Martinus Bucerus, Petrus Martyr, Philippus Melanthon, Henricus Bullingerus, Bernardinus Ochinus,

Caluinus. Beza.

Guilielmus Clebitius, Ioannes Caluinus, eiúſque in cathedra peſtilentiæ Geneuæ ſucceſſor Theodorus Beza.

Sacramentariorum hæreſis quãta mala ſecum inuexerit.

Quibus ſe comites addidere portenta Anabaptiſtarum, Trinitariorum, Libertinorum, Atheorum, turbáque ingens factioſorum, facinoroſorúmque hominum, qui ſpiritu furoris agitati, cúncta perturbarunt, florentiſſimaſque pridẽm nationes & prouincias in ſummas calamitates præcipitarunt, euerſáque pace mortalibus optatiſſima caedẽ contentionibus, bellis, & atrociſſimis conflictibus repleuerunt. Nam virulẽto dogmati totus orbis Chriſtianus ſeſe cõfeſtim oppoſuit, Concilia damnarunt, Paſtores atq; Doctores Eccleſiæ publicis ſcriptis confutarunt, mundíque poteſtates gladio auitam fidem protexerunt.

Cõc. Trid. ſub Pio 4. abſolutum 1563.

CAP. V.

Quòd Caluini hæreſis præter verborum fucum nihil prioribus ſuper addat.

Caluini ſententia confutatus.

QVia verò inter prædictos erroris Magiſtros à filijs perditionis maximè Caluinus extollitur, quaſi eius de Sacramẽto cœnæ Dominicæ ſentẽtia, myſterij plus quàm ceterorum Sacramentariorum doctrina contineat, ideò eam hîc diſcutiendam, confutandámque proponam, luciditſſiméque Deo adiuuante conuincam, præter verborum fucum nihil Caluinũ proferre, quod non ante ipſum omnes Sacramentarij aſſeruerint, quorum Patriarchas fuiſſe oſtẽdimus ſacrilegos iconomachos, qui vnam hanc à Chriſto inſtitutam fuiſſe imaginem corporis ſui contendebant. Quos ſecutus Berengarius, corpus Chriſti in Sacramento vt in ſigno tantùm eſſe blaſphemauit. Cuius dogma Henricianis, Bruyſianis, Albigenſibus, Flagellantibus, Vvicleffitis, Iacobitis, ac demũ Zuinglianis placuit. Quorũ diſcipulus Caluinus vt alijs Sacramentarijs plus ſapere videatur, magnificis verbis iactat, nobis non dari nuduni ſignum corporis Chriſti, ſed vnà cum ſymbolis panis & vini ipſum etiam Chriſti corpus & ſanguinem, eíſque verè nutriri animas noſtras, ac de cœlo penetrare ad nos Chriſti carnem, vt nobis in cibum ſit. *In ſacra ſua cœna Dominus iubet me*, ait, *ſub ſymbolis panis et vini, corpus & ſanguinem ſuum ſumere*; ni-

Caluinus præter verborum fucum nihil noui profert.

Caluinus impoſtor idẽ aſſerit, & negat li. 4 1 c. 17 nu. 19. 24 31. 42.

hilque dubito, quin & ipse verè porrigat, & ego recipiam. Quo fit, vt quod est, & manet in cœlis & non alibi, nobis qui nunc in terra sumus, & non alibi verè communicetur. Sed expone nobis Caluine, quomodo se Christus verè tibi porrigat, quomodo verè corpus eius sumas? Audite lubrici serpentis sibilos: *Ingenuè confiteor*, (inquit) *mixturâ carnis Christi cum anima nostra, vel transfusionem me repudiare, quia nobis sufficit, Christum è carnis substantia vitam in animas nostras spirare, imo propriam in nos vitam diffundere, quamuis in nos non ingrediatur ipsa Christi caro. Christus illis præsens non videtur esse, nisi ad nos descēdat, quasi verò si ad se nos euehat, non æquè potiamur eius præsentiâ?* hæc ille. Quibus phanaticis verbis se per meram ludificationem dixisse insinuat, quòd fidelibus sub symbolis vera & substantialis corporis ac sanguinis Domini communicatio exhibeatur, quódque verè corpus suum Dominus porrigat, quo reficiantur animæ nostræ; id namque fieri docet, non quia verè, realiter, ac substantialiter sub speciebus panis & vini contineatur Domini corpus (quod tanto interuallo ab eisdem distare asserit, quanto cœlum à terra) sed ad Christi carnem nos penetrare ait, fide manducando, credendo, seu fide apprehendo, Christum pro nobis fuisse mortuū, eiúsque corpus in cœlo solùm existens, in ara crucis pro nobis oblatum, mortuum, passum, atque sepultum fuisse. Docet ergo, cū signo Deum nobis verè exhibere Christi corpus, vt sit animis nostris in cibum salutarem, ac substantia corporis Christi pasci animas nostras, vt verè vnum efficiamur cum eo, non quia substantialiter, & realiter corpus Christi præsens sit cui coniungimur, sed quoniam ex Christi carne fide apprehensa vis quædam substantialis per spiritum eius ad nos defluat, quæ nos Christo vniat, atque coniungat, ita vt corpus Christi nobis exhibeatur, non per se, neque secundum substantiam; sed per virtutem suā, & in nobis fit obiectiuè, quēmadmodum in nobis esse dicitur omne id, de quo actu cogitamus: nam in cœlum non reipsa, sed fide sola nos euehi confitetur. Itaque iuxta Caluinum nulla fit realis coniunctio Christi nobiscum nisi per cogitationem, dum symbola panis & vini nobis in memoriam reuocant, Christū pro nobis passum ac mortuum, panémque vitæ factum esse, quo assiduè vescamur. Vnde perspicuum est, Caluinum quicquid garriat, & quantumuis studiosè verba sua, vt virus suum occulter, inuoluat, sibíque contradicat, nihil omnino in Eucharistiâ reipsa ponere, nisi nudum symbolum & virtutem corporis Domini, in solo cœlo præsentis fide apprehensi, ac sigillum, quod obsignet promissionem verbo factam, & fidem confirmet. In quo figmento nihil sanè mysterij est, vt Thrasonicè Caluinus exclamare debeat: Nihil restat, nisi vt in eius mysterij admirationem prorumpam, cui nec mens planè cogitando, nec lingua explicando par esse potest. Quid enim mysterij est, quòd symbola panis & vini in memoriam significando reuocent Christum pro nobis passum, panémque vitæ factum esse? An non idipsum imago crucifixi, adiuncta inscriptione hac ex verbo Dei: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: vel *ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi*, sine miraculo memoriam passionis Domini pro nobis toleratæ excitabit non minùs quàm Eucharistia Caluini? cuius non eam vim esse docet, vt det ipsum corpus Christi præsēs aut

Caluinus reipsa nihil in Eucharistia ponit, nisi symbolum corporis absentis, in cœloque tantū existentis.

Caluinus in suo figmēto constituit mysterium, cū tamen non nisi cū alijs Sacramentarijs ponat signum. Lib. 4. c. 17. nū. 7. & 32. vocat sublimo arcanū, quod ingenio cōprehendi vel enarrari verbis nequeat.

Admirandum Caluī-

ni mysteriũ est, quod panis sit figura corporis Christi, quòd que fide manducetur.

fidem non habenti; sed tantùm vt testetur, & confirmet iam haberi, nihil tandem in sua Eucharistia relinquens, nisi nudũ rei iam habitæ symbolũ, quod testetur, Christi corpus iam antea comestum esse, ac proinde panẽ per metonymiam dici corpus Christi, quia sit certissima figura præsentiæ corporis Christi, quod in cœna exhibeatur, nõ quidem per se nec secundùm substantiam, sed per virtutem quandam defluentem, quam è carnis suæ substantia Christus in animas nostras spiret ac diffundat, quamuis in nos non ingrediatur ipsà Christi caro.

Lib. 4. c. 17. num. 32.

CAP. VI.

Quòd non per metonymiam, nec per solam energiam, vel in signotãtum, sed realiter ac proprio verborũ sensu Christi corpus in Eucharistia sit.

Caluini sẽtentia tanquam idolũ orbi proponitur.

HOc est Caluini idolũ, quod incredibili temeritate orbi Christiano adorandum proponit contra priscam fidem; contra Seruatoris, Apostolorum, & omnium veterum Ecclesiæ Doctorum traditionem; contra omnium populorum, qui Christiano nomine censentur, obseruatam antiquitus religionẽ; contra publicum, receptúmque à mille sexcentis annis in omni terræ angulo colẽdi Dei morem. Cui sanè idolo non minore sacrilegio plurimi Christianorum hodie seducti genua curuarunt, quàm olim diuinos honores excæcata Israëlitarum turba vitulo aureo detulit. Sed quemadmodum zelo veritatis Moyses erectum tunc vitulum nullo negotio comminuit: ita Caluinisticum hoc idolum gladio verbi Dei prosternere, atque vi verborum consecrationis panis & vini substantiam in corpus & sanguinem Domini conuerti, totúmque Christum verè, realiter, ac substantialiter, sub panis & vini speciebus contineri ac sumi, demonstrare, haud erit difficile. Quatuor enim fidelissimos institutionis Sacramenti Eucharistiæ scriptores habemus, qui vno consensu referunt, quòd Dominus pridie quàm pateretur accepit panẽ, & gratias agens fregit & dixit: *Accipite & manducate, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, iuxta Lucam; *tradetur*, secundùm Paulum. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: *Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis fundetur*, iuxta Lucam & Apostolum; vel: *Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, iuxta Matthæum & Marcum. Quæ Christi veri Dei omnipotentis (qui omnia quæcunque voluit fecit) verba, iuxta propriam, apertam, literalem, genuinam, obuiamque significationem denotant illud, quod Christus Apostolis manducandum tradidit, fuisse verũ corpus Christi & sanguinem, non autem typum aut figuram corporis & sanguinis tantùm. Deo enim dicere facere est: Dixit enim & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Cùm igitur de eo, quod Apostolis porrigebat, Deus dixerit: *Hoc est corpus meum*, credendum est, id verum esse quod Dominus dixit; falsum autem esse id, quod Caluinus, aut quiuis alius Sacramentarius ad euertendam horum Domini verborum veritatem confinxit. Proinde Domino asserenti: *Hoc est corpus meum*; incunctanter credamus, ipsum panem vulgarem, quẽ in manus acceperat, verbis operatorijs suum corpus fecisse, ac deinde Apostolis, nõ vulgarem panẽ vti acceperat, dedisse, sed benedictum,

Caluini doctrina recepta à Christo & Apostolis religioni contraria.

Exod. c. 32.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

1. Cor. 11.

Institutio Sacramenti Eucharistiæ à 4. scriptoribus refertur, quorũ nullus impropriũ sermonem hic agnoscendum dicit.

Iren. lib. 5. c. 2. Aug. conc. 1. in Psal. 33.

Psal. 148

Magis credendum est Christo affirmanti, quam Caluino negãti.

certáque verborum benedictione in verum suum corpus trãsmutatum. Quod perspicuè indicat Matthæus, inter verbum, *accepit & dedit*, interserens verbum, *benedixit*, vt lector intelligeret, non omnia hæc verba eundem accusatiuum, *panem*, eodem modo se habentem regere. Accepit, inquit Matthæus Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite, *Hoc est corpus meum*, significans, Christum non de vulgari pane in manus accepto dixisse: *Hoc est corpus meum*; sed acceptum panem operatorio sermone in corpus suum commutasse, veluti si quis dicat: Ioannes hunc Petrum percussit, occidit, & sepeliuit: nemo ita desipiet, vt intelligat, Ioannem Petrum viuum sepeliuisse, licet viuum percusserit: pari modo cùm Dominus in mysterij huius institutione verbis efficacibus, & operatorijs dixit: *Hoc est corpus meum*; Hoc, non præcisè panem, vt in manus acceptus est demonstrat, vt res eadem sit, panis & corpus Christi, vt contendũt tam Lutherani, quàm Sacramentarij, quamuis diuersimodè exponant, (Illi panem corpus Christi esse volunt per impanationem, seu hypostaticam vel quasi vnionem: hi verò per metonymiam,) qua signo nomen rei significatæ tribuitur sed, Hoc, communiter & in genere demonstrat contẽtum subillis speciebus, quod initio prolationis verborum erat panis; sed oratione completa est corpus Domini. Quæ res exemplo illustrari potest. Si Dominus hydrias aquæ designãs, pronuntiando: Hoc est vinum, aquam in vinum commutasset; Hoc, ibi non demonstrasset præcisè aquam, neque vinum; neque sensus fuisset: Hæc aqua est vinum, quod falsum semper fuisset: neque etiam sensus fuisset: Hoc vinum est vinum, sed contentum istis hydrijs est vinum, quod initio prolationis verborum erat aqua, sed completa enunciatione vinum est.

Hoc, quid demõstret.

In quo hic cõsentiant, & dissentiant Lutherani & Sacramentarij.

Hoc, demonstrat contentum sub speciebus.

Cap. VII.

Sermo operatorius efficit quod significat.

ID enim sermoni operatorio proprium est, vt efficiat quod significat, & in vltimo instanti prolationis verborum, effectum eorundem in se ponat. Simul enim tempore verba diuinæ benedictionis complentur, & panis in corpus Domini conuertitur. Ideóque non fuit Domino vtendum verbis imperatiuis, fiat, aut sit corpus, transubstantietur panis: cùm enim verba Christi operentur in Sacramentis non solùm efficaciter, vt in creatione; sed etiam Sacramentaliter, hoc est tanquam alterius rei signa, debẽt suum effectum in facto esse denotare, quod aptissimè fit simplici verbo, *est*, quo Deus esse facit id, quod esse dicit. Non enim minùs per verba præsentis temporis indicatiui modi Deus operari potest; quàm per verba imperatiui modi. Quemadmodum enim iubendo, *tolle grabatum tuum et ambula*, paralyticum sanauit: ita dicendo: *Mulier dimissa es ab infirmitate tua*, vel: *Filius tuus viuit*, aut: *dimittuntur tibi peccata tua*, efficit quod enunciauit, non significando rem fieri; sed esse: quod Christum posse confessius est Centurio, dum ait: *dic verbo, & sanabitur puer meus*. Quin & diabolus persuasum istud habens: *Si Filius Dei es*, inquit, *dic vt lapides isti panes fiant*. Dei namque dicere facere est. Quòd porrò muumè

Christus reẽ vsus est verbo substantiuo præsentis temporis, Est.

Deus per verba præsentis tẽporis non minùs quàm per verba imperatiui modi operatur.

Verba Christi significant rem esse.

Matth. 8.

Matth. 4.

oporteat verba Christi significare fieri, quod per illa tamen ipse fieri vult, ex eo liquet, quòd dicendo: *Ego sum*, Iudæos in terram prostrauerit, cùm tamen nihil eiusmodi verba denotarent. Multò igitur magis Christi verbis efficitur, quod cùm priùs non esset, ipse tamen verbis esse significauit. Quare dicendo de re quam manibus tenebat: *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, vi eius benedictionis in suum corpus elementa panis & vini commutauit. Est enim tam efficax Dei benedictio, vt etiam rerum naturam afficiat, ac immutet: non enim Dominus verba benedictionis Eucharistiæ protulit ad instruendum populum, aut ad fidem excitandam, vel ad sui corporis præsentiam tantùm commendandam; sed intentione benedicendi elementa panis, & vini, ipsáque benedictione in corpus, & sanguinem suum commutandi. Tunc enim sacramentum nouæ legis Dominus instituebat, quod verbo & materia constare volebat: accedens enim verbum ad elementum fit Sacramentum: panis enim & calix mysticus certa consecratione fit nobis, nõ nascitur: proinde quod non ita fit, alimentum est refectionis, non autem Sacramentum religionis. Ante igitur verba Christi prolata, panis cibus est corporibus nutriendis cõmodus; sed postquam solenni benedictione sacratus est, ad totius hominis vitam, salutémque proficit.

Ioan. 18.

Verba Christi efficaciter rerum naturã commutant.

CAP. VIII.

Christi verba etiam nunc Sacerdotum ore prolata operatoria sunt.

SErmo itaque Domini hoc admirabile conficit Sacramentum etiam nunc sacerdotum ministerio, ex Christi commissione prolatus: Apostolis enim, eorúmque in sacerdotali officio successoribus dixit Christus sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis potestatem eis donauit faciendi quod egerat; idque dicendo eadem verba, quæ non minùs efficiendi, quàm significandi intentione tunc protulerat: sicut enim Deus semel dixit: *germinet terra herbam virentem*; & vsque modò terra germinat: ita semel dicendo, *Hoc facite*, vsque ad Christi aduentum panis & vinum, consecrationis verbis in verum Christi corpus & sanguinem conuertuntur. Idem enim quotidie sacerdotis benedictione fit, quod Christus in vltima cœna fecit, gerendúmque deinceps tanquam sacerdos secundùm ordinem Melchisedech instituit. Nihil enim aliud est nostra mystica consecratio, quàm illius primæ, quæ à Christo in cœna facta est repetitio; per os siquidem sacerdotis Christus adhuc consecrat, verbáque illa operatoria, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, quotidie pronuntiat, séque absque vllo tropo verum corpus suum præsens exhibere verbis adiunctis declarauit: *Quod pro vobis datur*: seu, *Quod pro vobis tradetur.* Et, *Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Illud enim corpus ipsum, quod de B. Virgine sumpsit, quódque in cruce pro humani generis salute in pretium redemptionis obtulit, sanguinémque nouæ Testamenti, quem in cruce effudit, se discipulis dare luculenter professus est: at minimè diuinam sapientiam decuisset, in materia pacti ac institutione Sacramenti, testamenti-

Christus Apostolis, eorúmque in sacerdotio successoribus dedit potestatem faciendi quod fecerat, idque per eadem verba quæ protulerat. Gen. 1.

Matth. 26.

Christus verbis suis ore sacerdotis prolatis consecrat.

Chrysosto. hom. 60. & 61 ad Antioch. & homil. 2. in 2. ad Timoth. Christi verba tropum excludunt.

Lucæ 22. Marc. 14.

que noui, quando de legis nouæ dedicatione, primarióque Christianæ religionis Sacramento agebatur, tropicis loquutionibus vti, cùm prædicta vniuersa propriis aptissimísque verbis exprimenda sint, ne de testatoris, aut legislatoris intentione disceptetur. Vnde Moyses, quamuis tempore figurarum, & vmbrarum, perspicuis tamen verbis testamentum vetus expressit: lecto enim omni mandato legis coram vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum cum aqua, & lana coccinea & hyssopo, ipsum librum & omnem populum aspersit dicens: *Hic est sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus.* Ad quem Exodi locum Christus manifestè alludens, similibus planè verbis dixit: *Hic est sanguis noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, significans (Apostolo teste) vetus testamentum, quo carnalis iustitia præstabatur, & huius vitæ bona promittebantur, sanguine vitulorum & hircorum confirmatum fuisse; nouum autem testamentum, quo vera iustitia, regnúmque cælorum promittitur & confertur, ipsius mediatoris proprio sanguine dedicatum esse, quando non librum in membranis descriptum legislator noster aspersit; sed in gratia fidelium sanguinem diffundendo, conscientias eorum ab omni labe peccati emundauit. Itaque typum illum Dominus impleuit, quando verum sanguinem suum filiis noui Testamenti bibendum propinauit. Cùm autem hominum testamenta simplicissimis verbis condi videamus (à quo humano more Apostolus argumenta desumit) eáque in proprio verborum sensu intelligenda esse leges iubeant, adeò vt si legatâ domo quispiam imaginem domus tradere vellet, in sanitate omnium iudicio censeretur: quantò magis sectam aberrare iudicandi sunt, qui filij Dei testamentum dilectissimæ sponsæ suæ relictum, cõtra omnium testamentorum morem ad metonymias detorquendo, pro viuifico ipsius corpore, eiusque pretioso sanguine, frustulum panis, & modicum vini obtrudere nõ erubescunt? contendentes, non corpus, aut sanguinem verum testamento sponsi Ecclesiæ sponsæ relictum; sed corporis & sanguinis vilem tantùm imaginem. Quo sanè commento grauem Dei Filio iniuriam irrogant, tam inopem aut illiberalem constituendo, vt in sui amoris pignus nihil testamento sponsæ suæ, nisi fragmentum panis, & vini legauerit, promissionémque suæ carnis eidem differte illis verbis factam: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, naturalis panis exhibitione compleuerit, carnis nomine dumtaxat carnis figuram pollicens. Quæ si vera sunt, nihil præstantius Christianis datum est quàm Iudæis. Nam præcellebat manna panis Angelorum de cælo manans, vulgari pani facto opera pistorum; non solùm naturæ dignitate, sed etiam significandi munere. Cur insuper Capharnaitæ, discipulíque permulti Christo carnem promittente scandalizati fuere, si carnis suæ typum tantummodo Christus pollicebatur? An patribus corũ crebra dominicæ carnis signa in pane constituta fuisse nesciebant? nonne huius rei figuræ in pane & vino Melchisedech, in panibus propositionis, in carnibus hircorum, vitulorum, aliarúmque infinitarum rerum præcellerant? Quæ igitur scandali occasio prætendi poterat, si Dominus de signo corporis & sanguinis sui dando in signum dumtaxat loquebatur? Cur denique Domi-

Verba fœderis & testamenti apertata esse oportet.

Hebræ. 9.

Exodi 24.

Marc. 14.

Hebræ. 9.

Nouum testamentũ proprio testatoris sanguine dedicatum est.

Gal. 3.

Pro re à Christo sponsæ suæ testamento legata, sacramentaris obtrudunt illius imaginem.

Ioan. 6.

Si Christus sui corporis figuram solum fidelibus reliquit minus Christianis quã Iudæis dedit.

Gen. 14. 1. Reg. 21. Leuitic 24.

Si Christus sui corporis tantùm figuram da-

rurā se promittebat, vnde scandali prætextus?

nus discipulos eius verbis more sacramētariorum offensos, ac querula voce iactantes: *quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum: durus est hic sermo*; pallus est à se discedere? quos vno verbulo corrigere poterat, dicendo se non de vera carne, nec de naturali suo sanguine, sed tropicè loqui de cibo panis, & vini, quibus suam carnem, & sanguinem adumbraret, palliónique suæ communicandum, & suauiter, atque vtiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa, & vulnerata esset, figuraret? quod adeò dicere noluit, vt murmurantibus, *Amen, Amen*, dicat, *dico vobis, nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die: caro enim mea verè est* (ac si dicat, non tropicè) *cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse viuet propter me.* Sciénsque Iesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: *Hoc vos scandalizat? si ergo videritis Filium hominis ascendentem, vbi erat prius?* ac si interprete Chrysostomo dicat: *Hoc vos scandalizat, quod panem à me dandum carnem meam fore asseram: quomodo igitur post ascensionem meam in cælum, exhiberi in Eucharistiâ corpus meum credetis, quando à terrâ tam procul, quàm cælum secundum naturalem existendi modum aberit?* occultè innuens, eâdem virtute qua in cælum ascendet, hoc est, diuinitatis potestate, verbique sui virtute se panem, & vinum in carnem & sangui-

Ioan. 6.

Christus post ascensionem in peregrina specie nobis realiter adest.

nem suum trāsformaturum, effecturúmq;, vt non obstante sua in cælum ascentione ipse præsens vsq; ad consummationem seculi nobiscum in peregrina panis & vini specie remaneat. Et quoniam caro Domini resurgentis, quacumque mortalitatis infirmitate carebit, vt naturalis connexionis partium, ac hypostaticæ vnionis totum integrúmq; Christū, vnà cum ipsius anima, & diuinitate in eodem sacramento nobiscū semper futurum: quod qui credere renuit, cum Capharnaitis murmurās ait: *Durus est hic sermo: quomodo potest hic nobis carnē suam dare ad manducandum?* Cui nos respondemus, *Deo nihil* esse *impossibile*, qui de omnibus rebus quidquid vult facere potest; illúmque nec omnipotentem, nec verè Deum esse, qui naturas transmutare, & omne quod vult facere non potest. Cúmque ex nihilo Deus omnia creata produxerit, non ei difficile esse rerum existentium naturas in alias repentè commutare, sicuti virgam Moysi in serpentem, iterúmque serpentem in virgam conuertit, liquidas rubri maris vndas instar murorum consistere fecit, ex petra aquarum flumina eduxit, calceamenta Israelitarum vt non atterentur conseruauit, Solem stare atque retrogredi iussit, in medio flammarum illæsos ab igne tres pueros seruauit, mortuis vitam, cæcis visum, claudis gressum, infirmis sanitatem restituit, super aquas pedibus siccis ambulauit, ex B. Virginis vtero, non reseratis pudicitiæ claustris in lucem prodiit, ex morte seipsum ad vitam reuocauit, clausóque tumulo egressus per occlusas ianuas ad discipulos nullo negotio penetrauit, suúmque tandem corpus immortalitate vestitum própria virtute in cælum subuexit: qui hæc, infinitáque alia præter

Omnipotentiæ Dei cōtradicit, qui eū naturas transmutare posse negat.

Mysterium Eucharistiæ ex aliis miraculis illustratur.

Exodi 7.

communem naturæ cursum potestate diuina gessit, panem & vinum suo verbo in corpus & sanguinem suum repentè commutare non valuit? Si animalis calor per temporum successiones indubitanter operatur, vt panis & vinum caro & sanguis fiant hominum; hoc ipsum in momento, naturæ ac omnis virtutis creatutæ authot non poterit?

CAP. IX.

Omnipotentia Dei non est cancellis intelligentiæ nostræ coarctanda.

CVius potentiæ ex qualitatum, vel quantitatum officus, ex situ, vel magnitudine corporum, aut distantia locorum, vel denique ex angustijs humanæ intelligentiæ limites præscribere, quid aliud est, quàm Deum omnipotentem esse denegare, cancellisque humani intellectus eius virtutem concludere? cùm plurima quotidie fieri cernamus, quæ nisi experientia conuinceret, omnino non crederemus. Quæ mens hominis capere potest, quomodo vnum & idem in vno loco totum, eodem tempore in mille aliis locis totum esse possit? Atqui tamen hoc fieri experientia testatur, dum vnum & idem mentis nostræ verbum, vnius eiusdémque vocis exterioris ministerio prolatum singulorum percutit aures, totúmque ac idem ad omnium & singulorum penetrat mentes; non enim singuli diuersam vocem, sed eandem percipiunt, & apud vnumquemque tota vox indiuisa est, quemadmodum & anima rationalis vna eádémque singulis membris humani corporis mest integra, simúlque tota: & in diuinis tribus distinctis personis eadem numero diuina substantia. Cur igitur non credamus, terrenas substantias per sacerdotale ministerium ineffabiliter operante diuina potentia conuerti in substantiam dominici corporis, reseruatis ipsarum rerum speciebus, cum nonnullis aliis qualitatibus, ne homines crudam, & cruentam carnem sumentes horrerent: & vt credentes, fidei ampliora præmia perciperent? ipso interim Dominico corpore in cælo existente immortali, inviolato, integro, incontaminato, illæso, vt verè dici possit, nos ipsum corpus de virgine sumptum realiter in Sacramento manducare quantum ad essentiam, & naturæ proprietatem, atque virtutem: simúlque tamen idem corpus secundùm naturalem existendi modum esse in cælo: Deus enim seipsum atque rem aliam quamlibet corpoream vel incorpoream, simul in diuersis locis sistere potest, cùm nullius rei essentia sit esse in vno loco tantùm, sed id solùm aduentitium quippiam sit, quod nos quidem cogitatione separare possumus, Deus autem etiam reipsa.

Idem totũ in diuersis esse exemplis ostenditur, vocis, animæ, ac substantiæ.

Idem Christi corpus est in cælo in terra.

Nullius rei essentia est, in vno tantùm esse loco.

CAP. X.

Christi corpus in Sacramento Eucharistiæ quantitatem internam habet, sed per modum substantiæ, itaut nullum ordinem ad locum habeat.

QVi ergo corpus & locum fecit, & corpus quidem in vno loco constituit, idem quando vult, aliter facit, nec tunc aduersus naturam, sed supra consuetum naturæ cursum quod vult facit. Quemadmodum eâdem virtute fit, vt Christi corpus in Eucharistia, suam intrinsecam

intrinsecam quidem quantitatem habeat, quæ ordinem ac situm inter organici corporis partes constituat, sed positionis differentias in ordine ad locum, panisque aut vini species non habeat, quia ibi per modum substantiæ sit, ad cuius rationem pertineat, vt tota in toto, & in qualibet parte similiter tota sit. Vnde interna Christi quantitas nullum in sacramento situm, extensionem aut ordinem ad locum habet, sed eum obtinet elemẽtorum quantitas, sub qua Christi corpus latet, illiúsque ratione tãtùm in loco hîc esse Christi corpus dicitur, quod in cælo ratione propriæ quantitatis locum & naturalem existendi modum possidet: hîc autem est modo sacramentali, hoc est, verè quidem & realiter, sed modo quodam immortali, & impassibili, vt nulla Christo secundùm seipsum queat in Sacramento violentia, morś & afflictio inferri. Nam solæ actiones, & passiones Christo in Eucharistia tribui possũt, quæ nullum ordinem ad locum requirunt. Similiter quoque inter attributa, ea sola Christo hîc conueniunt, quę ipsi interna sunt, tam substantialia, quam accidentaria. Vnde rectè dicimus, Christum in Eucharistia viuere, intelligere, velle, audire preces orantium, actus bonos, aut malos videre, astãtium pietate gaudere, irreuerentia offendi, eandem quam in cælo habere quantitatem, eundem colorem; ac sic reliquis eiusdem generis, quæ Christo secundùm se insunt. Sed attributa, quæ non nisi ex accidentium inhærentia nascuntur, vel imperfectionem denotant, non Christo, sed tantùm speciebus tribuenda sunt, vt album, rotundum, frangi, corrumpi, aliáque huiusmodi.

Christus est in sacramento Eucharistiæ modo quodam impassibili, vt ei nulla possit violentia inferri.

Solæ actiones & passiones Christo in Eucharistia tribuspossunt, quæ nullum ordinem ad locum requirunt.

Attributa quæ ex accidentium inhærentia nascuntur, speciebus non Christo tribuenda.

CAP. XI.

Quantitas remanens proprietatem substantiæ obtinet, vt per se existat, agat, & patiatur.

CVm enim Dominus immensa sua potentia elementorum quantitati, (transmutata panis & vini substantia) remanendi modum & proprietatem substantiæ concedat, vt per se absq; subiecto existat, omniáque patiatur, agat & sustineat, quæ panis substantia si adesset, pati, vel agere posset; consequitur, non Christo secundùm se, sed speciebus vt in defectu, aut accidentibus vestitæ sunt, competere digeri, corrumpi, satiare, inebriare, nutrire, putrescere, generare, moueri, pungi, dentibus atteri, pedibus conculcari, frangi, rodi, album vel rotundum esse, ac huiusmodi alia: hæc enim omnia species elementorum (quas Christi corpus absque vlla sui offensione aut mutatione fulcit) patiuntur, vel agunt, perinde ac si panis aut vini substantia præsens pateretur, aut ageret. Nec indignius est, Christum ista secundùm assumptas species pati, quàm secundùm assumptam naturam humanam Deum potuisse vulnerari, flagellari, mori, atque sepeliri: quæ omnia Dominus pepeti voluit non infirmitate vel inuitus, sed dignatione. Quemadmodum autem homine Christo patiente contumelias, nihil in se diuina maiestas pertulit: ita dum secundùm visibiles elemẽtorum species, non autem iuxta naturalem & propriam, inhærentémque qualitatem, aut figuram, Christi corpus indigna sustinet, nullam in seipso Christus violentiam aut corruptionem rẽcipit, sed mediantibus tantùm speciebus, sub

Quantitas remanens modũ existendi substantiæ obtinet, patíque & agere potest.

Christus non in se patitur sed secundùm assumptas species.

quibus verum corpus latet, iniuriam, contemptum, adeóque concussionem Rex gloriæ pati dignatur: quamuis interim in se nec lædatur nec inquinetur, sicut & immensa purissimáque Dei maiestas cuncta iuxta naturam replens, omnibúsq; rebus immixtè præsens, nulla rerum immunditia contaminatur.

Cap. XII.

Christus admirabili sapientia per Eucharistiam se nobis inserit, vt in nobis viuat, operetur, sibique arctissimè coniungat.

VIdetur quidem stultum humano sensui, Christum in specie panis & vini præsentem nobis corporaliter fieri, tantilláq; formula tantam maiestatem contineri: sed *diuinæ sapientiæ placuit, per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Quis enim diuini huius operis comprehendere possit sapientiam, potentiam, nec non artificium? Admirabili namque modo Dei filius homo factus, per hoc ineffabile mysterium se nobis veluti arboris vitæ surculum inserit, nosque vicissim ex infœcunda sterilique excisos agresti sibi tanquam oliuæ bonæ incorporat, vt socij radicis & pinguedinis oliuæ, consortésque diuinæ ipsius naturæ, omniúmque eius bonorum effecti, non iam nos, sed Christus ipse in nobis viuat, operetur, acceptabiléque Deo fructus producat, simúlque *duo in carne vna, membra corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius.* Quam arctissimam Christi nobiscum vnionem, non solùm coniuges corporum atque membrorum commixtione adumbrant, sed etiam Dominus Ioannis 6. cõmendat, dicens: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Manet autem non solùm voluntatis similitudine, amore, vel gratiæ inhabitatione; sed etiam corporũ atque naturarum coniunctione. Sicut enim si quis liquefactæ ceræ aliam infuderit, alteram cum altera per totum commiscet, vt ex vtráque vna fiat necesse sit: ita si quis carnem & sanguinem Domini recipiat, cum ipso ita coniungitur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. Et quemadmodum modicum fermentum totam massam penetrat sic paruula benedictio Christúsque in nobis manens, totum hominem in seipsum attrahit ac transformat, suáque gratia replet, nec mortem solùm, verùm etiam morbos omnes depellit, sæuientem membrorum nostrorum legem sedat, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat, ab omni casu erigit, ad immortalitatem & vitam æternam destructa morte perducit. Saluatoris enim caro, verbo Dei, quod naturaliter vita est, coniuncta, viuifica effecta est, totámque Verbi operationem susceptit; ideóque qui carnem illam manducat, & sanguinem filij Dei bibit, habet vitam æternam, & in nouissimo die resurget. Non enim potest natura mortalis vitæ coniuncta non viuificare: quemadmodum enim scintilla ignis fœno aut paleæ immissa, totum ignitum reddit; & mel naturaliter dulce, omnia quibus immiscetur dulcia facit; & aqua naturaliter frigida igni admota æstuat: ita corpus verbi *vnitum corpori mortalitatis nostræ, configurabit illud corpori claritatis suæ.* Oportuit itaque, vt non solùm anima per spi-

1. Cor. 1. Eucharistiæ Mysterium Dei sapientiam commendat.

Christus per Euchar. se nobis inserit.

Omnium Christi bonorum cõsortes per Eucharistiam officimur. 1. Cor. 6. Ephes. 5.

Cyril. lib. 4. in Ioann. cap. 17.

Christus per Eucharistia hominem in se transformat.

Christi caro viuifica est. Cyril. lib. 4. in Ioann. cap. 23.

ritum sanctum in beatam vitam ascenderet; verùm etiam vt corruptibile corpus nostrum, cognato sibi gustu, tactu, & cibo ad immortalitatem reduceretur. Planè namque congruebat, vt sicuti gustu, esúque terrestris cibi animæ ac corpori mors obtigerat: ita salutari manducatione dominici corporis vita vtrique redderetur. Vt quemadmodum homo audierat: *quacumque die comederis, morte morieris*: ita lætam Christi vocem perciperet: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*; vt quod præuaricante manducatione perpetratum erat, obediente quoque cibi mystici sumptione repararetur.

Sicut per cibũ mors, ita per cibũ nouum vita.

CAP. XIIII.

Eucharistiæ mysterium Dei charitatem hominibus commendat.

PErtinebat insuper ad charitatis diuinæ commendationem, vt Filium suum vnigenitum Deus nobis daret, non solùm vt pro nobis in cruce pateretur, sed etiam in cibum, quo pasceremur. Quos enim amamus, nonnunquam etiam morsu petimus; sicut Iob, vt seruorum in se amorem ostenderet, aiebat, illos sæpenumero præ nimio amore dixisse: *Quis det de carnibus eius, vt saturemur?* Hoc in maximum dilectionis signum Christus fecit, quando carnem suam nobis manducandam dedit, vt ea saturaremur, nósque in sui amorem vehementissimè inflammaret. Vnde non solùm videri se permittit Christus, sed & tangi, dentésque suæ carni infigi, desiderioque sui omnes impleri: qua quidem ineffabili dilectione non solùm aliis omnibus animarum pastoribus longè antecellit, pascendo gregem suum propria carne, ac potando suo pretioso sanguine (quod illorum nemo vnquam fecisse reperitur;) sed etiam naturalem parentum amorem superat, qui sæpenumero liberos suos aliis lactandos, fouendósque tradunt: Christus autem seipsum omnibus suis ouibus indifferenter edendum exhibet, nullum prorsus fidelium ab hac mensa, diuinóque conuiuio secludens; non aliud opulentis, aliud pauperibus, aliud nobilibus, aliud ignobilibus, liberis & seruis, viris & feminis: sed vnum & idem viuificum corpus vniuersis proponit. Sicut enim nos omnes in vnum corpus baptizati, & in vno Spiritu potati, ac secunda natiuitate renati sumus: ita nos omnes eodem cibo nouæ natiuitati conuenienti, animæ vitam conseruare oportebat. Et vt naturæ prouidentia effectum cernimus, vt sanguis, quo infans in vtero alitur, post mulieris partum in vberibus eiusdem in lac conuersus, infanti offeratur in cibum familiarem atque consuetum: ita sapientiæ Dei placuit, eundem sanguinem, quem Christus in pretium fudit, quo nos redemit, & à peccatis in regeneratione abluit, in potum quoque regeneratis offerre, vt participatione immortalis alimoniæ incorruptibilem beatámq; vitam assequerentur. Magna enim à magnis agi par est. Ideo quæ nobis à Deo præbentur, digna esse diuina eius munificentia conuenit, ditissimámque illam naturam summas diuitias, pretiosissimáque munera largiri congruit. Quia verò nihil se maius aut sublimius Christus habuit, ideo seipsum in charitatis pignus dedit, in memoriale omnium mysteriorũ in carne à se peractorum; denique in compendium quoddam omnium beneficiorum se fidelibus suis dereliquit, vt Ecclesia vel ex hoc quotidiano mira-

Iob 31.

Christus omnium pastorum, imò & parentũ amorem superauit, se dando in cibũ.

Omnes fideles sicuti eodem regenerantur baptismo, ita eodem reficiuntur Eucharistię cibo.

Eucharistia Dei munificentiam declarat.

Christus seipsum in pignus amoris Sponsæ reliquit.

culo, catholicæ fidei dogmata contra hæreticos, qui carnem Christi veram, aut mortem, vel reliquam vitæ mortalis dispensationem, aut denique carnis resurrectionem inficiarentur, tueri posset cum Irenæo, eis dicendo: *aut sententiam commutent, aut ab Eucharistia abstineant.* Vt insuper Ecclesia quotidianum religionis officium haberet, in quo fidem, obedientiámque verbo Dei debitam, contra sensus rationisque iudicium exerceret. Si enim diabolo per cibi vetiti gustum diuinam similitudinem promittenti, à primis parentibus creditum est, quanto æquius est, vitæ auctori asserenti, *qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*, fidem accommodare, intellectúmque suum fidei obsequium captiuare? in hoc enim mysterio Dominus humanæ superbiæ humilitatis medicinam opponit, quæ in incarnatione quidem & morte apparuit, sed hîc maximè, quando infimis creaturarum speciebus se adiunxit, comedíque sub earumdem specierum velamine dignatus fuit. Vnde namque commendauit nobis corpus & sanguinem suum? de humilitate: nisi enim humilis esset, nõ manducaretur à nobis. Per humilitatem igitur, cibus angelorum factus est cibus hominum. *Delitiæ meæ*, inquit, *esse cum filiis hominum.* Vnde Apostolos benigna promissione consolatos Dominus eis dixit: *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi*, non solùm præsentia diuinæ maiestatis (quomodo ab initio mundi cum omnibus hominibus, siue bonis siue malis præsens fui) sed vobiscum sum præsentia corporali in Eucharistiæ mysterio. Nam licet sub alia forma, in propria tamen substantia ibi præsens vobiscum remanebo, vt me cum grata beneficiorum recordatione ibi realiter existentem, Deo in sacrificium offerre, adorare, inuocare, colere, omníque honoris genere prosequi valeatis. Quòd autem de hac perpetua in Eucharistiæ Sacramento Christi præsentia rectè illa Domini promissio intelligatur, Apostolus 1. Corinth. 11. insinuat, scribens se à Domino accepisse, quòd Iesus corpus suum & sanguinem pridie quàm pateretur, Apostolis tradiderit, qui idipsum etiam quod fecerat fieri iussit, donec veniat, id est vsque ad consummationem seculi. Nec solus Apostolus Paulus Christum huius tanti mysterij institutorem fuisse testatur, sed idipsum quoque luculentissimè tradunt Euangelistæ, Matthæus cap. 26. Marcus 14. Lucas 22. Denique Ioannes cap. 6. *Panis quem ego dabo, caro mea est. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.*

Iren. lib. 4. cap. 35. Eucharistia relicta est ad fidei exercitium.

Ad humilitatis documentum.

Matth. 28.

Christus vsque ad finé seculi manet nobiscum in Eucharistia.

CAP. XIV.

Noui Testamenti Pontifex pro figuris veritatem substituit.

NOn enim decebat, noui Testamenti Pontificem, brutorum corpora & sanguinem more Aaronicorum sacerdotum Deo litare, sed meliorem hostiam offerre: nec in alieno sanguine, sed in proprio nouum Testamentum dedicare oportuit; quod obseruasse Lucas attestatur his verbis: *Desiderio desideraui hoc pascha mãducare vobiscũ, antequam patiar. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicẽ, postquam cœnauit, dicens: Hic est calix* Luc. 22.

nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Vbi veteris legis mutationem, nouique cultus institutionem faciens, nouum Testamentum in sanguine suo dedicat, vmbrásque veteres adimplens, pro figuris veritatem substituit; nec sui corporis & sanguinis nuda symbola, quantumuis efficacia præbet, sed illud ipsum verum corpus, quod pro humani generis redemptione in crucis ara Deo oblatum, eundémque sanguinem, qui effusus est, tradidit: disertè siquidem dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo*; quod ex circumstantijs institutionis Eucharistiæ illustrius reddetur, si animaduertamus, quanto affectu Dominus ad huius mysterij dedicationem accesserit; qui verbis illis exprimitur; *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum.* Nónne singulare oportuit esse religionis officium, quod redemptor noster adeò vehementer exoptabat? nulla enim iusta causa sub erat, cur de Iudæorum paschate hoc diceret, cùm irrationalis agni carnes tantopere Christus non appeteret; sæpius etiam Pascha vetus more ceterorum Iudæorum celebrasset. Nouum igitur pascha manducare desiderabat. Sed quodnam illud? *Pascha nostrum immolatus est Christus. Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi.* Pascha igitur Dominus expetebat manducare, in quo Christus immolatus sumeretur, in quo redemptionis pretium ad peccatorum remissionem vberrimè applicaretur. Nam ad huius diuini operis institutionē, ex incredibili quodā fidelium amore, tenerrimáque dilectione Christum processisse, indicat Euangelista Ioannes: *Sciens, ait, Iesus, quia venit hora eius, vt transeat de hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos. Et cœna facta, &c.* Quasi dicat: fidelibus suis præcipua humilitatis & charitatis argumenta in vitæ suæ fine demonstrauit, pro quibus non solùm cruentè in ara crucis, sed etiam incruento ritu in cœna Deo Patri se immolauit, immolatúmque corpus & sanguinem suum eis manducandum, bibendúmque proposuit, ac in perpetuum singularis charitatis argumētum, seipsam cum eisdem vsque ad seculi finem, sub panis & vini speciebus futurum promisit. Si maiorem charitatem nemo habet, quàm vt pro amicis suis vitam profundat; nónne omnem charitatis modum excessit, qui non solùm vitam pro amicis posuit, sed manducandum insuper se ad tribuendam fouendámque spiritualem vitam præbuit.

Ex circumstantijs institutionis Eucharistiæ sublimitas mysterij ostenditur.

Rom. 5.

1. Cor. 5.
Ioan. 1.

Ioan. c. 13.

CAP. XV.

Christus Eucharistiam instituturus, suæ legationis munus in memoriam reuocat.

QVia verò tantam, támque insolitam rem facturus erat in illa Cœna Dominus, priusquam mysterium hoc instituat, suæ legationis munus, personæque dignitatem in memoriam reuocat, vt non tantùm humana, sed etiam diuina pollens authoritate, quidquid voluerit, posse credatur. *Sciens*, ait Ioannes, *quod omnia dedit ei Pater in manus, et quia à Deo exiit, et ad Deum vadit, surgit à cœna, & ponit vestimenta sua.* Sic baptismum promulgaturus, quo spiritualiter homines regenerandi erant, authoritatem suam commendans: *Data est* (inquit) *mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes*

Ioan. c. 13.

Matth. 28.

gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Similiter pœnitentiæ Sacramentũ instituturus, in quo planè diuina potestate sacerdotes peccata remittunt, & retinent, vinculáque animæ soluunt, & inuciunt, suam authoritatem commendans, ait: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hoc cùm dixisset, insufflauit, et dicit eis: accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Cap. XVI.

Christus in Eucharistiæ institutione solemnes ceremonias adhibet.

Christus cum solennibus ceremoniis Eucharist. instituit. Ioan. 13.

PRæterea Dominus in eiusdem mysterij institutione solemnes multas ceremonias adhibuit, vt non rem vulgarem, sed augustissimam aggredi se demonstraret. Primùm enim surgit à cœna veteris paschæ, & ponit vestimenta sua, linteóque se præcinxit, & aqua in peluim missa abluit pedes discipulorum, linteóque, quo præcinctus erat absterſit; insinuans, quantam animi humilitatem, charitatem, sanctimomámque instituendũ confestim Eucharistiæ Sacramentum exigeret. Nec factis his contentus, prolixa oratione discipulis mutuam charitatem commendauit, istiúsque mysterij sublimitatem indicãs, inter cetera dixit: *Omnia, quæ dedisti mihi, dedi eis, et ipsi acceperunt.* Et rursus: *Ego pro ipsis sãctifico meipsum.* Hoc est, ego pro ipsis meipsum offero, dedicando nouum Testamentum in sanguine meo, tanquam sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, sacrificando meipsum sub panis & vini speciebus, rituum nouj testamenti, quem abrogato cultu Mosaico iam instituo, & in populo Christiano vsque ad nouissimi iudicij diem obseruari volo.

Ioan. 14. & sequen.

Cap. XVII.

Tempus institutionis Eucharistiæ mysterium illustrat.

Christus à discipulis recessurus Eucharist. instituit.

TEmpus denique institutionis hoc mysterium non parum illustrat. Vltimo enim vitæ suæ mortalis tempore, iam transiturus ad Patrem, seipsum Apostolis, omnibúsque per eorum ministerium in Christum credituris testamento legat, in perpetuúmque amoris pignus donat. Instante autem morte id facit, vt fidelium mẽtibus ac memoriæ tenacius infigeret, vehementiúsque mysterij altitudinem commendaret. Solent enim nouissima parentum verba altissima mente recondi, nulláque temporum iniuria obliuioni tradi. Gratissima insuper liberis esse consueuerunt, quæ à maioribus ex hac vita emigrantibus, mnemosyni loco tabulis vltimæ voluntatis consignantur. Cui enim non gratissima fuerit donatio imaginis, amicum absentem artificiosè repræsentantis? Si tantopere delectat imago; quo in pretio veritas esse debet? quam in Eucharistiæ mysterio suæ sponsæ relicturus Dominus, certum, quo id præstaret, sibi tempus delegit, anni, mensis, diei, atque festiuitatis: nimirum primum anni mensem, decimamquartam lunam, primam diem azymorum, feriam quintam ad vesperam, quando immolãdus erat agnus paschalis; vt nouum Phase veteri, nouúsque Testamenti veritas, figuræ in agno paschali diumitus præordinatæ, succederet; vmbra in corpus, hostiáque vetus in nouam transiret, antiquaque obseruatio nouo

Certum tempus delectum ad Eucharist. institutionẽ.

tolleretur Sacramento. Celebrato enim veteri paſcha, Dominus nouum condidit, próque brutorum cæde ſeipſum offerendum præcepit: & pro irrationalis agni carnibus, ſuum corpus & ſanguinem manducandum propoſuit: abrogatiſque vniuerſis Aaronicis ſacrificiis, vnicum ſui corporis & ſanguinis ſacrificium inſtituit, nouique Teſtamẽti nouam docuit oblationem. Magno igitur diuinæ ſapientiæ conſilio hæc temporis oportunitas à Domino electa fuit, ad inſtituendum mortis ſuæ perpetuum monumentum. Iam enim proditor eum vendiderat; iam paſſionis tempus inſtabat; quinimò tempus aderat, quo ſalutem noſtram Dominus operabatur. Iam enim atrociſſimam mortem à Iudæis mox inferendam voluntaria immolatione dedicabat, incruentóque ſacrificio, cruentum in cruce offerendum præibat, violentáſque Iudæorum manus in ſe admittere iam diſponebat.

CAP. XVIII.

Locus ad inſtituendam Euchariſtiam delectus, in quo typica ſacrificia offerri conſueuerant.

In loco ſacrificiis offerẽdis deſtinato Euchar. inſtituta.

PORro ſicuti certum tempus, ita locum non alium quàm ſanctam ciuitatem Ieruſalem ſacrificiis offerendis deſtinatam, ad inſtituendum auguſtiſſimum hoc Euchariſtiæ Sacramentum elegit, vt veritatis exhibitione, typica ſacrificia ibi offerri conſueta, omniúmque differentias hoſtiarum vnica ſui corporis & ſanguinis oblatione adimpleret. *De Sion enim exibit Rex, & verbum Domini de Ieruſalem.* In monte itaque Sion hoſpitem taciturnum, & fidelem elegit, cuius domum apertè nominare noluit, ne Iudas fortaſſis loco cognito ad exſequendum proditionis decretum occaſione vteretur; Iudæóſque aduocando tanti myſterij inſtitutionem perturbaret, aut omnino impediret. Eam ob rem Petrum & Ioannem in ciuitatem tranſmittit ad hoſpitem, indicio miraculóque inquirendum, vnáque honorificum locum in eius ædibus dedicationi noui Teſtamenti congruum deſignat: *Ite*, enim ait, *in ciuitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans; ſequimini eum, & quocumque introierit, dicite Domino domus, quia Magiſter dicit: Vbi eſt refectio mea, vbi paſcha cum diſcipulis meis mãducem? Et ipſe vobis demonſtrabit cœnaculum grande, ſtratum, & illic parate nobis.* Marc. 14.

Cur Dominus ſolos Apoſtolos in Euchariſtiæ inſtitutione præſentes eſſe voluerit.

Neque myſterio vacat, quòd in huius Sacramenti inſtitutione Dominus ſolos Apoſtolos intereſſe voluerit, quos eorúmque ſucceſſores noui Teſtamẽti ſacerdotes effecturus erat. Solos enim myſteriorum ſacrorum diſpenſatores, nouique Teſtamenti futuros miniſtros ad primitias noui cultus admiſit. In ipſo denique huius myſterij opere ſolennes ritus Dominus adhibuit. Accipiens enim panem, ſuſpexit in cælum, Patríque ſingulares gratias egit, benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis & ait: *Accipite et comedite: hoc eſt corpus meum. Similiter accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens: Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Matth. 26. Quam inſtitutionis Euchariſtiæ hiſtoriam commemorans Apoſtolus: *Ego* inquit, *accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: accipite et mãducate, hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in* 1. Cor. 11.

meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine, hoc facite, quotiescumque biberitis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Quibus verbis Apostolus disertè tradit, Christum pridie quàm pateretur, solennem religionis ceremoniam ex materia panis & vini certis verbis confecisse, authoritatémque Apostolis, eorúmque in sacerdotio successoribus, similiter ex speciebus panis & vini, præscriptáque verborum forma, eandem religionis ceremoniam iugiter conficiendi dedisse, suóque facto, & præcepto hæc panis & vini elementa in perpetuum huius Sacramenti vsum ita dedicasse, vt nefas sit, in alio quouis creaturarum genere conari hoc Sacramentum conficere.

CAP. XIX.

Quòd ex pane & vino aptissimè Sacramentum Eucharistiæ fiat.

1. Cor. 10. Cyprian. li 2. epist. 3. Aug tract. 26 in Ioan Euseb. Emissen. hom. 5. de Pascha.

PAnis autem & vini species ad hoc spiritualis alimoniæ Sacramentum efficiendum deputauit potiùs, quàm alium cibum vel potum, quoniam res, quæ ex multis ad vnum rediguntur, Ecclesiæ vnitatem, fidelíumque inter se ac cum suo capite Christo vnionem, aliósque Sacramenti Eucharistiæ effectus aptissimè nobis ob oculos ponunt. Nám vt panis cor hominis confirmat, vinúmque cor hominis lætificat, spiritum vitæ recreat, & vitam præsentem conseruat; ita Christus in Eucharistia vera est animæ vita, eique robur, spiritualémque recreationem præstat. Deinde panis & vinum integram per se refectionem continẽt, naturæque humanæ summopere congruunt, in omnibúsque commodis refectionibus adiungi solent, iísque solis absque ceteris cibis vita fouetur, & absque eisdem nulla sustentatio generosa habetur; quorum etiam vsus absque fastidio ad omnem vitę partem latissimè porrigitur. Denique panis & vinum primitiæ creaturarũ Dei sunt, homini ante peccatum in cibum ac potum concessæ. Sunt insuper res mundę, tractabiles, obuię, ad religionem in ipso Melchisedech sacerdotio accommodatæ, qui ritum sacerdotij sacrificiique noui Testamenti non in oblatione adipis pecorum, vel effusione cruoris aliũ, aut crematione medórúe quarumcunque carnium sicut in Aaronico sacerdotio habat, sed in prolatione panis & vini demonstrauit, Christique mundissimam oblationem suo sacrificio adumbrauit, de qua vaticinatus est Malachias: *Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnũ est nomen meum in gentibus.* Cui consonãs Regius vates: *Tu es, ait, Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

Cur Dominus ex pane & vino Sacramẽtum Eucharistię fieri decreuerit?

Vide lib. 2. cap. 8.

Vide lib. 3. cap. 7.

Malach. 1.

Psal. 109.

CAP. XX.

Panis triticeus, & quidem azymus, est apta Eucharistiæ materia.

SEd cùm varia panis genera reperiantur, quæ materiâ differunt, putà, dum panis fit ex tritico, siligine, hordeo, spelta, auena, oriza, leguminibus, aliúue terræ fructibus, aut saltem qualitate, nimirum quia hic fermentatus, ille verò azymus sit; non immeritò querat aliquis:

An

An certa panis ſpecies ad Sacramenti confectionem neceſſaria ſit? an verò in vſum Sacramenti queat aſſumi, quidquid ex frumento confectum panis nomen rationémq; habet? quia non aliud Scripturæ aſſerunt, quàm Chriſtũ panem accepiſſe, veteréſq; Theologi atque Concilia non aliud tradiderũt, quàm panem & vinum huius Sacramẽti materiam eſſe. Vnde nonnulli ſufficere arbitrantur, quòd panis de frumento ſit: frumenti autem atque tritici nomine, ſiliginem, hordeum & ſpeltam (in quæ triticum nonnunquam degenerare dicitur) comprehendere volunt. Omnium tamen ſententiâ panis triticeus conuenientiſſima indubitatáque huius Sacramẽti materia eſt, quoniam eo Chriſtus vſus ſit. In illa equidem paſchali cœna alterius panis vſus receptus non erat, panéſque propoſitionis hoc Sacramẽtum adumbrantes ex ſimila, hoc eſt, triticea farina confici iubentur, Leuit. 14. ſeipſúmq; Dominus frumenti grano comparat. Quare tandem Concilium Florentinum ex vſu traditionéq; Eccleſiæ ſolum panem triticeum aptam huius Sacramenti materiam eſſe definiuit. Ad cuius reuerentiam inſuper pertinet, quòd ſelectus, ab omniq; corruptione alienus panis aſſumatur. Vtrùm autem fermentatus vel azymus; ad Sacramenti veritatem non ſpectat. Græci enim fermentato; latini autem azymo pane vtuntur. Nec authoritate priuata cuiquam laudabilem Eccleſiæ ſuæ ritum immutare licet. Latinis autem ſacerdotibus iure conſtitutum eſt, vt in azymo tantùm pane myſteria conficiant, quæ Latinorum conſuetudo Chriſti exemplo nititur, qui prima die azymorũ conſecrauit, quo fermẽtatum panem in domibus habere nefas Iudæis erat. Ad quod alludens Apoſtolus: *expurgate*, aut, *vetus fermentum*, *vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi. Etenim paſcha noſtrũ immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis et veritatis*, ſignificans, azymum panem aptiſſimè ſumi, cùm vt Chriſti corpus ab omni fermento peccati alienum ſemper fuiſſe deſignetur, tum vt quàm rara mentis integritas, ſanctimonia & puritas, ad hoc myſterium accedentibus neceſſaria ſit, intelligatur. Quanta verò panis conſecrandi portio eſſe debeat, intentione ſacerdotis benedicentis, ex numero eorum, qui Sacramentum percipere poſſint aut debeant, ſimùlque ex rerum conficiendarum apta præſentia ad locum ſitúmque ſacerdotis, vt in eas commodè pronomen demonſtratiuum, *Hoc*, referri poſſit, determinandum eſt. Nam ſi quis ſacerdos ex hæretica perfidia, illuſionéque profana, omnes piſtorum vnius ciuitatis panes conſecrare attentaret, Deus irrationalibus talis presbyteri motibus non adeſſet.

Cyprian. lib 2. epi. 3. Damaſcenus lib. 4. c. 14.

Leuitic. 24.

Iounis 12.

Panis triticeus apta Euch. materia.

Græci fermentato, Latini azimo pane vtuntur.

1. Cor. 5.

Quantitas panis benedicendi, ſacerdotis intentione determinatur.

CAP. XXI.

In proprij nominis vino conſecrandum eſt.

SIcut autem veri propriíque nominis panis, ità vinum ex vitis fructu expreſſum Euchariſtiæ materia eſt. Nam in proprij nominis vino Dominum conſecraſſe ſanguinem ſuum, illud Matth. 26. declarat: *Non bibã amodo de hoc genimine vitis* Nihil porrò intereſt, vtrùm albũ an rubrum, recens an vetus vinum, dum modo ex vuis vitis expreſſum ſit, viníque veram naturam retineat, vt ſcilicet rerũ aliarum nimia permix-

Proprij nominis vinũ eſt materia Euchar.

tione, vetustate, alióue accidente, ita immutatum non sit, vt vinum esse desierit; quemadmodum si in acetum perfectè conuersum, aut in crystallum frigore densatum esset. Propterea verò Dominus genimen vitis in huius mysterij materiam assumpsit, quoniam in eo propriissimè solennis humanus potus consistat, & spiritus recreatio conspiciatur, quæ spiritualem animæ letitiam designat.

Cap. XXII.

Aqua vino permiscenda.

Aqua vino permiscenda.

MOdicum autem aquæ vino ante consecrationem permiscendum est, quia Dominus vinum aqua temperatum consecrauit, eúmque morem suo præcepto Apostolus vniuersæque Ecclesiæ dato sanxit. Cuius traditionis testes sunt Iacobus in sua liturgia, Clemẽs lib. 8. constitutionum Apostolicarum, Alexander V. à Petro, Iustinus, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Theodoretus, Eusebius, Emissenus, Damascenus, Beda, Bernardus, aliíq; permulti, vt Concilia tam generalia, quàm prouincialia præteream, quæ hunc morem ad Christi institutionem, Apostolicámq; traditionem referunt. Constat etiam, Iudaicæ gentis more vina illius regionis aquâ diluta fumi, iuxta illud Prouer. c. 9. *Bibite vinum, quod miscui vobis*, vbi ad calicem Domini allusionem fieri, locus planè conuincit. Vinum autem aquâ Dominus permiscuit, vt aquam & sanguinem ex Christi latere fluentem benedictus calix repræsentaret: deinde copulatio aquæ & vini sic fit in calice Dñi, vt commisceantur, & adunatione confusa sibi mutuò inseparabiliter adhæreant, ad significandam cùm duarum in Christo naturarum inseparabilem in vno supposito eõnexionem, tum populi fidelis cum Christo capite vnionem (*aqua enim multa populi sunt*:) simul, vt calix noui Testamẽti veritatem figuræ aquæ de petrabis percussa fluentis exhiberet: atque postremò, vt temperantiæ sobrietatísq; exemplum vel in hoc sacrosancto mysterio propositum ardentiùs complecteremur. Sectarij porrò aquæ in calice mixtionem, rem esse indifferentem contendunt, addentes, Dominum quidem pro regionis more, in qua vina fortia crescebant, aquâ vinum temperasse, quod in aliis frigidioribus mundi partibus, vbi debilius vinum nascitur, non fecisset; eóque hac in parte libertati suæ permittendas esse Ecclesias: sed cum hic ritus perpetuò in Ecclesia obseruatus, veluti à Christo imperatus fuerit, nec prætermitti posse Concilia definierint; eum necessario retinẽdum esse consequitur, vt non solùm in Concilio Tridentino, sed & contra Armenios, solum vinum offerendum asserentes, iam olim definitum est. Quamuis verò aquam vino commiscendam nececessariò dicamus, eorum nihilominus errorem cauere oportet, qui prætextu sobrietatis in calice solam aquam offerre tentarunt, vt Ebionitæ, Tatiani, Aquarij, quos veteres inter hæreticos vel ob hunc errorem ponendos censuerũt. Christíq; instituto ac exemplo aduersari demonstrarunt, qui panem vinique calicem, non autem nudam aquam, benedixisse, in Euangelio Apostolicísque litteris describitur. Imò verò aquam minimè in Domini sanguinem conuerti, nisi priùs in vinum transmuterur, cum Ecclesiasticis scriptoribus asserimus.

Apoc. 17.

Concil. Florent. Concil. Trident. in sess. 22. c. 7.

Permixtio aquæ cum vino quid significet.

Sessione 22. can. 9. & c. 7. Nicepho. li. 18. c. 53. Concilium Florent. & Eugen. in instruct. Armenio-rum. Aquarij hæretici. Epiphanius hæresi 30. & 46. Aug hæresi 64. Cyprian. li. 2. epist. 3. Chrysost. hom. 83. in Matth. Innocen. 3. li. 4. de alt. myst. ca. 32. S. Thom. 3. p. q. 74. ar. 8. Scholastici in 4. dist. 11.

CAP. XXIII.

Dissolutio argumentorum Caluini contra realem præsentiam corporis Christi in Eucharistia Sacramento.

Argumenta Caluini dissoluuntur li. 2. c. 9. & 10. Lib. 4. Instit. cap. 17. nu. 12. 24. 26. 29.

QVid ponderis argumenta Caluini operosè congesta aduersus præsentiæ Christi in Eucharistiæ Sacramento veritatem habeant, deinceps expendemus.

1. Argum.

Obijcit imprimis: Corpus Christi, sicut omne humanum, sua natura finitum esse; illúdque cælo cõtineri, donec ad iudicium Dominus redeat; proinde nefas ad corruptibilia elementa ipsum retrahere.

Acto. 3.

Responsio Christus secundùm, varios existendi modos est corporaliter in cælo, & in terra.

Respondeo, Christi corpus finitum, nec vbique, sed iuxta propriam speciem, & naturalem existendi modum in cælo esse: non tamen ibi sic detineri, quin Deo volente possit in pluribus locis esse; imò simul in cœlo, & in terra, tam in propria, quàm in aliena specie. Quid igitur mirum, si Dei omnipotentia eodem tempore sit iuxta proprium & naturalem existendi modum in cælo, & modo quodam spirituali, diuino & Sacramentali in Eucharistia, sub aliena specie? quemadmodum Dominus de eo, quod manibus tenebat, & Apostolis manducandum offerebat, asseruit: *Hoc est corpus meum:* vbi ad literam, Augustino teste, impletum est in Christo illud 1. Reg. 21. *Ferebatur in manibus suis.* Tunc ergo Christi corpus pluribus locis existebat; in vno quidem visibiliter & in propria specie, in manibus autem inuisibiliter, sacramentalique modo sub panis effigie. Quod potuisse Christum efficere, Caluinus inficiari nequit, nisi Dei omnipotentiam tollat, Christúmque mendacij arguat, cum Capharnaitis dicens: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Et quemadmodum Christus cælum non deseruit, quando B. Stephano, Paulo, vel Petro Romam egredienti apparuit in terris: ita nec per sacerdotis consecrationem ad corruptibilia elementa retrahitur, aut panis elemento Christus affigitur: quia non inuitus in Sacramento præsens sistitur, sed propriis verbis à se institutis, & à suo ministro in sua persona prolatis efficaciter operatur, vt substantia panis & vini esse ibi desinat, in eiúsque locum sub accidentibus remanentibus suum corpus realiter præsens succedat, quo fidelium animas & corpora pascat & viuificet: sub quibus speciebus sua voluntate tam diu manet, quamdiu eædem species incorruptæ permanent. Neque insuper Deus faciendo, vt eadem caro sit in cælo, & in terra in Sacramento, aut idem corpus in pluribus locis, vel plura corpora in eodem loco, efficit, vt corpus sit spiritus (vt cauillatur Caluinus:) sed conditionem, certúmque existendi modum salua eius essentia tollit, nouúmque omnipotentia sua tribuit præsentiæ modum. Non enim Dei virtus ad res iam creatas alligata est, vt qua lege à Deo vnumquodque creatum est, necessariò esse oporteat: sic vt Deus institutum semel existendi vel operandi modum immutare nequeat, nisi naturæ veritatem auferat. Multa enim Deus potest, quæ naturæ vires superant: vt, quòd camelus per foramen acus transeat; quòd ignis non vrat; quòd virgo pariat: quòd vnum corpus aliud penetret, quemadmodum Christus exemplo probauit, egrediendo è clauso virginis vtero, & non reserato sepulchro,

Christus in cælo manẽs apparet in terra.

Egesippus de excidio Hierosolym.

Christus nõ affigitur elementis corruptibilibus.

Virtus Dei ad res creatas non est alligata. Aug. li. 21. de ciuit. ca. 8.

Aug in Ps. 33. cont. 1.

Matth. 19. Aug lib de spir. & lit. c. 1. & 5. Nazian. oratione 36.

ingrediendóque ianuis clausis. Aug. lib. 22. de ciuit. cap. 8.

2. Argum. num. 12. II. Obijcit: Nefas est, Christi corpus vbique præsens imaginari: atqui hoc ex corporis Christi præsentia in tot locis consequitur.

Respondeo. Christi corpus non est vbique. RESPONDEO, Vbiquitatem corporis Christi non à Catholicis, sed à Lutheranis Brentio duce asseri, eámque non minùs quàm Caluini hæresim à Catholicis explodi, qui docent, corpus Christi non esse vbique, sed iuxta naturalem existendi modum esse in cælo præsens; sic tamen, vt simul in terra, & in Sacramento Dei omnipotentia esse præsens possit, visibiliter aut inuisibiliter, prout Deo placuerit.

3. Argumen. nu. 12. III. Obiectio: Participatione corporis Christi fruimur beneficio spiritus ipsius, per quem nobis largitur, vt vnum corpore, spiritu & animâ secum fiamus; ergo superflua est realis corporis Christi præsentia, vt ei vniamur.

Responsio. Respondeo, Participatione corporis Christi nos beneficio Spiritus sancti diuersis modis frui: primùm, quando corpori Christi mystico per Baptismum incorporamur: *Etenim*, 1. Cor. 12. ait Apostolus, *in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus.* 1. Cor. 10. II. Quando corpus Christi realiter Spiritus sancti virtute præsens in Sacramento sumimus: de quo participandi modo loquens Apostolus, ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est?* 1. Cor. 11. *Quomodo vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus.* Et iterum: *Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Vbi Apostolus contra Caluinum disertè tradit, participationem carnis & sanguinis Christi non solùm fidei esse, sed etiam oris; nec Christi corpus solùm deriuatione alicuius virtutis, per fidem spiritualémque fructum percipi; sed verè corporaliter præsens in Sacramento manducari. In eo siquidem Apostolus Corinthios reprehendit, quòd ore sumerent Domini corpus indignè, non se priùs discutientes, nec Domini corpus ab aliis cibis diiudicantes: id est, debita veneratione discernentes. Ad quos indubitanter virtutem corporis Christi, fructúmque spiritualem non deriuabat, sicut sol radiis in terram emicantibus ad vegetandum eius fœtus, suam quodammodo substantiam ad eam traijcit. Non igitur sola fide (vt falsò inculcat Caluinus) sed etiam ore, caro Christi sumitur: iuxta manifesta Christi verba: *Accipite et manducate: hoc est enim corpus meum.* Per quam carnis Christi realem & corporalem participationem, veteres docent, arctissimam inter nos & Christum fieri coniunctionem, accommodantes verba Pauli: *Membra sumus corporis eius, de carne eius, & ossibus eius.* Item verba Petri: *Diuinæ consortes naturæ*; addentes, nos effici concorporeos Christo, Christiferos, eius carni commisceri, in Christo esse, atque ipsum in nobis; imò per hanc participationem Christum nobis inseri, vt iam non nos, sed ipse in nobis viuat & fructificet.

Caluin. nu. 6. & 13.

Non solùm fide, sed etiam ore Christi corpus mãducamus.

Aug. lib. 2. cõt. aduers. leg. & prophe. cap 9. Leo serm. 6. de Ieiu. 7. mensis.

Ephes. 5. Iren lib. 5. cont. hæres.

Chrysost. hom. 83. in Matth. 60. ad Antioch. 24. in 1. ad Cor. Cyril. Hieros. catech. mystag. Cyril. in Ioan. li. 10. c. 13.

IV. Obiectio. Paulus ad Roman. 8. Christum non aliter in nobis habitare docet, quàm per spiritum suum: ergo Scriptura, vbi de nostra cum Christo participatione loquitur, vim eius vniuersam ad spiritum refert.

4. Argum. num. 14.

Respondeo, consequentiam non valere, quia multi Christũ Sacramẽ-

Responsio.

taliter participant, in quibus per spiritum suum non inhabitat, quia corpus Domini indignè sumunt; qualibus corporaliter quidem iungitur Christus, etiamsi per spiritum suum eos non inhabitet. *Panis*, ait Apostolus, *quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* ac si contra Caluinum differens, commentum illius iugulare voluisset, dicendo: Falleris ô Caluine, pertinaciter contendens, carnem Christi non aliter quàm fide & spiritu percipi: nam sub panis specie verè & realiter corpus Christi distribuimus; quod sumunt bonì ad vitam, & mali ad exitium, quia indignè, nec à peccatis digna pœnitentia emundati.

1. Cor. 10.

5. Argum. nu. 13.

V. Obiectio. Qui substantiam panis in corpus Christi conuerti dicunt, illud affigunt albedini, quam illic reliquam faciunt.

Responsio

Christi corpori albedo non inest, nec album facit.

Respondeo, Catholicos non affigere Christum albedini, cùm albedo non insit Christo, nec ipsum album faciat; sed tam albedo, quàm ceteræ panis proprietates facta consecratione remanentes in sunt quantitati, per se abiq; subiecto per modum substantiæ existenti. Proinde quantitas ab albedine denominatur alba, non Christus: qui nec affixus dici debet sub quantitate aut alijs accidentibus, etiamsi ad fidelium vsum & consolationem propria voluntate iuxta suam institutionem se ibi præsentem sistat, & tam diu ibi remanere dignetur, quamdiu species integræ permanent.

6. Argum. nu. 13.

VI. Obiectio. Si corpus Christi, quod in se vitibile, sub panis specie facta consecratione latcat & operiatur, ergo panis figura nihil aliud quàm larua est, quæ carnis conspectum oculis aufert.

Responsio. Accidentia corpus

Respondeo: quòd sicut panis accidentia substantiam panis ante consecrationem ibi latentem tegebant; vtque nō nisi mediantibus illis conspiceretur, efficiebant: ita post consecrationem eadem accidentia non sunt larua nec phantasmata; sed res veræ sicut antea, corpus Christi, quod loco substantiæ panis successit, velantes. Nec magis larua dici possunt, quam humana Christi natura, sub qua latuit diuina; vel quàm species peregrini aut hortulani, in qua Christus verè præsens apparuit.

Christi tegentia non sunt larua, sed res veræ.

VII. Obiectio. Per carnalem Christi sub speciebus panis & vini præsentiam eò tandem profectum est, vt panis pro Deo haberetur.

7. Argum. nu. 13.

Respondeo, hoc Caluini argumētum nihil aliud continere, quàm audax & impudens mendacium, vt ipse conscientia teste victus postea fatetur, scribens, Catholicos Christi corpus non permiscere panis substantiæ; nec circumscriptiuè, aut corporali modo, vel locali præsentia in Eucharistia ponere: quin docere, conuersionem panis in corpus fieri: non quòd propriè ex pane corpus Christi fiat, sed quia Christus subtrahendo concursum, panis substantiam esse desinere faciat; & sub accidentibus remanentibus corpus suum præsens sistat, quod dum adoratur, non panis, sed Christus verus Deus adoratur. Quemadmodum ergo, dum Christus veste indutus, adoratus fuit, non eò profectum est, vt indumenta pro Deo haberentur: ita dum Christus forma panis velatus adoratur, non alius quàm verus Deus ibi præsens adoratur.

Responsio. nu. 14.

Christus panis specie velatus adoratur.

VIII. Obiectio. Veteres conuersionis voce vtentes, non intendunt abolere symboli externi substantiam, sed docere volunt, panem mysterio dicatum, multùm à vulgari distare, non tamen esse desinere: quia dicunt, Eucharistiam duabus constare partibus; terrena, & cælesti.

8. Argum. nu. 14.

Responsio. Respondeo, veteres expressis verbis tradere, conuersionem fieri substantiæ panis, eamque per consecrationem sacerdotis esse desinere; atque per terrenam partē intelligunt non panem, sed remanentes panis species; & per cælestem, corpus Christi realiter præsens: simulque analogiam Sacramenti, per quam à re visibili ad inuisibilem deducimur, optimè constare ostendunt absque veritate substantiæ panis. Nam visibiles panis & vini species sufficienter significant, nos veritate carnis Christi exulēs in Eucharistiæ mysterio pasci ac refici.

Quo sensu veteres dicant, Sacramentū constare duabus rebus, terrena & cælesti.

9. Argum. num. 14.

IX. Obiectio. Si panis tantū species, & non potiùs naturalis substantiæ veritas maneret, qua ratione Paulus colligeret, nos omnes panē vnum, ac corpus vnum esse, qui panem vnum participamus?

Responsio. Respondeo, Paulum disertis verbis Caluini dubitationi respondere, dum ait: *Panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est?* q. d. Nos omnes vnum panem participamus, sed spiritualem, diuinum, & Sacramentalem; non eundem naturalem, cùm fieri nequeat, vt idem quod ab vno absumptum est, alius sumat. Ceterùm omnes eundem panem spiritualem participamus; quia vnū & idem Christi corpus sub panis specie diuitibus & pauperibus proponitur, cuius participatione, omnes fideles vnū Christi mysticum corpus efficiuntur. Quam fidelium inter se vnionem adumbrāt species panis & vini, quæ ex multis granis & acinis in vnum redactis consurgunt; vt Cyprianus, Aug. & alij Doctores annotarunt.

Omnes fideles vnum spiritualem panem participans.

10. Argum. num. 15.

X. Obiectio. Non nisi hominibus, ad quos sermo dirigitur, panis est Sacramentum: ergo sicut aqua baptismi in se non mutatur, ita nec panis.

Respondeo, Caluinum assumere, id principium esse, quod contra expressam Christi, Apostolorum, omniúmque Ecclesiæ doctorum sententiam confinxit: proinde illud, tanquam principium Caluinianum, fidei autæ contrarium anathematizamus.

Responsio.

XI. Obiectio. Aqua è rupe profluens in deserto, eiusdem rei tessera & signum erat patribus, quā nobis figurat in cœna vinum: docet enim Paulus, omnes eundem spiritualem potum bibisse: atqui iumentis populi communis erat aquatio.

Gal. 1. 11. Argum. num. 15. 1. Cor. 10.

Responsio.

Respondeo, Apostolum non dicere, quòd Iudæi & Christiani eundem potum, eandemque escam participauerint, sed quòd Israëlitæ omnes, qui mare transierant, eundem potum & escam communem habuerint, quo tamen non obstante, multi ex eis Deo exosi perierint: quæ omnia eis in figura contigisse, ac propter nostram correptionem scripta esse asserit, vt nimirum intelligeremus, non omnes qui baptizantur, & corpus atque sanguinem Domini realiter sub panis & vini speciebus sumunt, ad beatam vitam peruenturos; quia scilicet nonnulli ad vitam, alij ad perniciem indignè corpus Domini sumunt, aut post dignam participationem in iustitia non perseuerant. Quod autem Iudæi tantum vmbras, Christiani verò acceperint cum Sacramento veritatem, consequenter Apostolus edocet: *Vt prudentibus*, inquit, *loquor: vos ipsi iudicate quod dicens calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est?* ac si dicat: Iudæi panem aëreum, & aquam naturalem è petra miraculosè productam, hoc est, figuras quidem acceperant; sed Christiani non solùm

Sacramenta Iudæorum non continebant res veras, sicuti Christianorum.

1. Cor. 10.

tesseras, signa vel promissionum sigilla, sed verum & realē, qui de Christi latere fluxit, sanguinem in calice benedicto accipiunt: & similiter verum panem, qui de cœlo descendit, hoc est, verum & realē Christi corpus sub consecrati panis specie participāt. Quæ Apostoli doctrina Caluini commentū euertit, quo persuadere nititur, Christianos nuda signa, quemadmodum Iudæos accepisse.

22. Argum. nu. 15.

XII. Obiecit Caluinus: Conuersionis panis & vini in corpus & sanguinem Christi, nullius in terra oculus testis est, sicut ocularis fuit conuersio virgæ Moysis in serpentem: ergo non est credenda.

Responsio.

Respondeo, mysteria fidei non à testimonio sensus pēdere, cùm fides sit argumentū rerum non apparentium, fidéiq; nullū sit meritum, vbi humana ratio præbet experimentū. Abscedat ergo ab illuminato fidei oculo terrenarum caligo rationum, neque Dei omnipotentiæ, infallibilique veritati fallax oculi testimoniū opponatur. Deus ait: *Hoc est corpus meum*: etiamsi oculus & gustus aliud renuncient, fides tamen credendum persuadet, quod omnipotens & verax Dominus asserit.

Oculare testimonium in mysterijs fidei nō requirendum.

23. Argum. nu. 15. 1. Cor. 10. 1. Cor. 11. Act. 2.

XIII. Obiectio. Eucharistia post consecrationem, panis nomen retinet: (*Panis quem frangimus: Quoties panem hunc ederitis: Communicabant in fractione panis*:) Ergo non fit substantiæ panis conuersio.

Responsio.

Respondeo, frequenter in Scriptura rem, quæ in nouam substantiam transierit, prius nomen retinere, sicut virga Moysis in serpentem conuersa, *virga* dicitur. Præterea res sæpe vocatur eius nomine, quod oculis videtur; aut eius quod priùs fuit: vt homo, *puluis* atque *cinis*: *caci vident*; *claudi ambulant*. Accedit, quòd corpus Christi sit verè panis, quia cibus animarum: omnis siquidem cibus panis nomine denotatur. Ac postremò Scriptura panem vocat, non vulgarem, sed εὐλογούμενον, benedictum, panem hunc, panem quem frangimus; significans, se de pane consecrationis verbis in Christi corpus mutato loqui.

Exodi 4. Gen. 3. Quomodo Euchar. Sacramentum

panis nomē retineat c. 9 lib. 2. latè exponitur.

14. Argum. nu 22.

XIV. Obiectio. Panis per metonymiā vocatur corpus Christi, quia signū sit corporis Christi; quo modo imagines & figuræ rerum significatarum nomina sortiuntur; vt, *Petra erat Christus*, modo scilicet quodam Sacramentali & significatiuo.

1. Cor. 10.

Responsio.

Respondeo, ex circumstantijs Scripturarum facilè colligi, an loquutio figurata sit, an propria. Nam vbi Apostolus dixit: *Petra autē erat Christus*, mox subiunxit: *Omnia in figurâ contingebant illis*: apertè insinuans, Petram fuisse Christū, non essentiæ veritate, sed significatiuè. Vbi autem Dominus de eo, quod Apostolis dabat, protulit: *Hoc est corpus meū, quod pro vobis datur*; circumstantia euincit, nullū esse tropū; quia sine flagitio vel absurditate verborum proprietas seruari potest, nec nisi secundùm fidei regulam figura adhibenda est, vt Aug. obseruat. Sicut ergo in Dei Patris assertione: *Hic est filius meus*, nullus tropus quærendus est: ita nec in hac Verbi Incarnati, *Hoc est corpus meum*. Nam Ecclesia verborum sui sponsi custos & interpres, tropum ab vtráque propositione remouet.

Quomodo sciatur, an loquutio sit tropica, an propria.

Aug. lib. 2. cont. aduers. legis & Proph. c. 6.

Argum. 15. num 21. Aug. epist. 23.

XV. Obiectio. Nō aliter sensit aut loquutus est Aug. dicēs: *Si Sacramēta quandā similitudinem earū rerum, quarū Sacramenta sunt, nō haberent, vtiq; Sacramēta nō essent*. Ex hac itaque similitudine plerúmq; etiam ipsarum rerū nomina accipiunt. Sicut ergo secundū quendam modum Sacramentū, corporis Christi, corpus Christi est; Sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est: ita

Augustinū Caluinus falsò suum esse gloriatur.

Sacramentum fidei, fides est.

Responsio. Aug. in Leuit. q. q. 57. tract 84. in Ioan. li. 12. cont. Faust. c. 10. & 20. lib. 2. de pec. merit. c. 26. in Ps. 33. conc. 1. In Psal. 93. & 98. Aug. dicendo signum, veritatem non excludit.

Respondeo, August. luculentissimè Catholicam de Eucharistię Sacramento doctrinam plurimis locis tradere, neque vnquam Christi præsentiam in hoc Sacramento negauisse, quia nunquam addita voce exclusiua, dixit esse tantùm figuram, signum, panem, aut solà fide, solúmque spiritualiter mãducari: sed cùm in hoc Sacramento vtrúmque reperiatur, veritas & figura; nec in vno loco dici possint omnia; quibusdam locis vtrúmque; nonnullis solam rationem signi ac figuræ, alijs tantùm veritatis exponit. Disputans quippe in Ecclesia Catholica, in qua nullus de veritate præsentiæ Christi Sacramento Eucharistiæ litigabat, securiùs loquebatur, & se iuxta Catholicæ doctrinæ normam intelligi arbitrabatur. Imò sæpe de hoc mysterio differens, consultò symbolicis nominibus vsus est, vt infidelibus tãtum mysterium occultaret, quod interponendo hæc verba, *norunt fideles*, sæpius insinuat. Quia verò Caluinus præcipuum adulterini sui dogmatis patronum esse vult Augustinum, quem sine controuersia totum esse suum falsò gloriatur, ad singula testimonia ex Augustino congesta respondebimus.

Aug. lib. 1. cont. Iulia. c. 2.

Aug. serm. 2. de verbis Apostolis.

Argum. 16. n. 20. & 21.

XVI. Obiectio. Prima ex Augustino. Is epist. 23. dicit: *Secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est.*

Responsio.

Respondeo, Augustinum non excludere veritatem substantiæ, sed naturalem existendi modum, quem res habere solent, quando simpliciter existere dicuntur: sicut ibidem sensum explicat Augustinus dicens, Christum semel immolatum in seipso, quotidie immolari in Sacramento, secundùm quendam modum, scilicet representatiuum: quia scilicet re vera quotidie sacrificetur, non tamen illo modo cruento, quo in propria specie in cruce immolatus est, sed incruento, qui oblationem crucis cruento modo factam repræsentat. Quare hic locus Augustini veritatem potiùs confirmat quàm impugnat, cum significet, Christum hîc quidem verè præsentem esse, sed iuxta Sacramentalem existendi modum, qui solum visibilem & naturalem excludit. Algerus lib. 1. c. 5. scribit, Augustinum loqui de speciebus ipsis Sacramentalibus, quæ quodammodo Christi corpus dici possunt, quia illud continent & repræsentant, sicut ibidem Augustinus ait, baptismum dici fidẽ, quia illam significat, non quæ absit, sed insit, paruulis quidem per Sacramentum, adultis verò per actum proprium. Quando igitur Sacramentũ visibile dicitur esse quodammodo corpus, quia illud significat, non excluditur corporis veritas, sed alius tantùm existendi modus insinuatur, qui corpus Christi in propria specie in cruce pendens repræsentet. Ex quibus facilè alia eiusdem Augustini verba intelliguntur, quæ ex libr. contra Adymanthum c. 12. Caluinus adfert.

Aug. verba à Caluino obiecta exponuntur.

Argum. 17. num. 21.

XVII. Obiectio. Non dubitauit Dominus dicere: *Hoc est corpus meum*, cùm signum daret corporis sui.

Responsio. Aug. de signo nõ inani, sed rem continente loquitur.

Respondeo, sensum Augustini esse: non dubitauit Dominus dicere: *Hoc est corpus meũ*, cùm Sacramentum daret, nõ inane, vacuum, rémque solùm adumbrans: sed signum plenum eodem corpore, ac reuera corpus continens, quod figura est sui ipsius in propria specie existentis. Non enim figura semper excludit veritatem. Nam etiam filius figura substantiæ Patris dicitur, non quia veritate substantiæ careat, sed quia per illam patrem repræsentet: sic

Hebr. 1.

quoque

quoque Eucharistia signum corporis Christi dicitur, non quia illius veritate careat, sed quia illud in propria specie, & passionem eius cruentam repræsentet. Eadē solutio alijs consimilibus locis seruit, quæ Caluinus obijcit, putà ex commentario in Psal. 3.

Argum. 18. num. 21. & 34.

XVIII. Obiectio. Miranda Christi patientia, quòd Iudam adhibuit ad conuiuiū, in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis cōmendauit & tradidit. Et lib. 3. de Doct. Christ. c. 16. inter figuratas loquutiones illam posuit: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem.* & lib. de cataclysmo c. 4. iam offerri sacrificium imaginis agni dicit: & in Psal. 98. *Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, & bibituri sanguinem, quem fundent, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendaui vobis: spiritualiter intellectum vinificabit vos.* & in Ioan. tract. 21. *Quid paras ventrem & dentem? non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis.*

Quo sensu Aug verba Christi spiritualiter intelligenda dicat. Num. 34.

Responsio.

Respondeo, his omnibus locis nihil aliud tradi, quàm quòd Christus corpus suum manducandum reliquerit, non in propria specie, animali, ferinóq; modo, iuxta quem caro dilaniatur, cruda, cruentáque sumitur: sed quòd fidelibus manducandum se tradiderit modo Sacramentali, impassibili, sub aliena, hominibus amica panis & vini specie. Ideóque spiritualiter, figuratè ac in mysterio dicit, Christi verba esse intelligenda, ne flagitium præcipi videatur, si caro more ferarum dilanietur, & cruentè manducetur. Quia ergo Christi præsentia in hoc Sacramento sic corporalis, realis, & vera est, vt simul Sacramentalis, significatiua, occulta, suíque ipsius in cruce pendentis repræsentatiua sit; ideo etiam figuralis & mystica rectè dicitur. Et quod de Christi carnis māducatione proponitur, quodammodo spiritualiter intelligendum credendúmque asseritur; quia non in propria specie, passibiliter & cruentè. Sic etiam interdum Scriptura sacra rem à qualitate seu modo, non à substantia nominat, vt 1. Cor. 15. *Resurget corpus spirituale*, non substantia, sed qualitate. Quod obseruauit Augustinus lib. 11. contra Faust. c. 7. Qua ratione Christi caro in hoc Sacramēto existens, spiritualis caro, ac spiritualiter intelligenda verissimè dicitur.

Scriptura subinde rē à qualitate nominat.

XIX. Obijcit insuper Caluinus loca, in quibus Augustinus ait, impios, sceleratos, hæreticos, & schismaticos non māducare corpus Domini, vel rem Sacramenti; sed solam visibilem signi sumptionem eis concedi, quia Sacramenta in solis electis efficiant, quod figurant. Allegat Augustinus in Ioan. tract. 59. & 62. lib. 21. *de ciuit.* c. 25. libr. 13. *cont. Faust.* c. 16. Serm. 2. *de verb. Apostoli.*

Argum. 19. num. 33. & 34.

Quomodo impij Sacramēto tenus solùm manducent Christi corpus.

Ex quibus concludit Caluinus, Christum nō corporaliter in Sacramento sumi, malóque à vero & reali vsu carnis Christi arceri, quæ tantùm spiritualiter fide manducari, nec à sua virtute separari possit.

Responsio.

Respondeo, Augustinum his locis apertissimè loqui de manducatione corporis Christi quoad effectum eius, seu quoad vnionem cum ipsius corpore mystico: de qua Apostolus: *Vnus panis, vnum corpus sumus omnes, qui de vno pane participamus.* Quòd autem etiam ipsi verè & realiter corpus Christi in Sacramento sumant, licet indignè & ad perniciem; illa Pauli verba testantur: *Qui manducat aut bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Non minùs itaque impudenter quàm imperitè

1 Cor. 10.

1. Cor. 11.

Caluinus negat Christum indignè recipi.

Caluin. nu. 31. scribit Caluinus: *Nusquam legimus, Christum indignè recipiendo, mortem sibi accersere homines, sed potiùs respuendo. Quid enim aliud est manducare Domini corpus indignè, quàm indignè recipere?*

Argum. 20. nu. 29. XX. Postremò, tanquam validissimum aretem objcit Caluinus: *Qui præsentiũ corporis Christi in Sacramẽto realem statuũt, periphrasi, ex carne Christi spiritum faciunt: nec eo contenti, qualitates ei penitus contrarias inducunt: vnde necessario sequitur, Christum duplicem esse.*

Responsio. Respondeo, quòd sicut idẽ Christi corpus extra diuersos status dici potuit mortale, gloriosum, miserijs, passionique obnoxium: ita secundum diuersos existendi modos idem corpus dici quoque possit visibile & inuisibile: in loco extensum, spatium replens; & nec in loco situm, nec in spatio extensum. Neque tamen propterea idem corpus spiritus sit, aut caro esse desinit, quia tam in Sacramento Eucharistiæ, quàm in cœlo Christi corpus inhærentem sibi habet naturalem suam quantitatem, quæ ipsum intrinsecè, figuratũ & organicum facit, intimámque corporis essentiam & vnitatem retinet, quamuis eadem quantitas non eadem officia, neque eosdem effectus in cœlo & in Sacramento actu habeat. Nam in cœlo præsentiam suam naturalem propriam, & quantitatiuam, hoc est, modum quendã existendi obtinet, habentem actualem extensionem, situm & locum, secundùm quem modum corpus Christi locum actu occupare facit sibi æqualem & coextensum in cœlo. Sed in Eucharistiæ Sacramento eadem quantitas non per modum præsentiæ naturalis, sed per modum substantiæ absque locali extensione, & quantitatiua spatij repletione Dei virtute exsitit, ideóque Christi corpus in Sacramento localiter in spatia extensum nõ cõstituit. Quòd autem quantitatis essentiam absque locali extensione Deus conseruare possit, ac proinde corpus Christi præsens eo modo facere, vt nullum occupet locũ, nec eius intima quantitas propriam & connaturalem ad locum præsentiam habeat; ex eo patet, quòd facile sit Deo, corpus maioris quantitatis sub minori collocare, vtputà camelum per foramen acus traducere, & duo corpora in vno loco ponere; sicut cùm ad discipulos ianuis clausis intrauit. Præterea, tam intrinsecum est substantiali naturæ proprium subsistere, & accidentali formæ proprium inhærere, quàm corpori quanto locum occupare: sed Deus naturam substantialem sine propria subsistentia & personalitate in Christo existere fecit, vt contra Nestorium Ecclesia in Concilio generali Ephesino definiuit. Et posse Deum accidentalem formam sine inhærentia conseruare, nullus vnquam fidelium dubitauit. Quid igitur mirum est, si etiam quãtitatem sine propria & connaturali præsentia in Eucharistiæ mysterio existere faciat? & vnum idémque corpus diuersis locis, sub diuersis accidentibus, vel eisdem, pro suo beneplacito ponat, pluréisque existendi modos vni eidémque corpori tribuat? potissimúmque suo? quod ad tantam dignitatem euexit, vt in vnitate personæ omnipotentis VERBI Dei subsistat, nec aliud propriũ extra personã Verbi subsistere habeat.

Corpus Christi in Sacramẽto inuisibile est, non tamẽ spiritus est, aut caro esse desinit.

Quantitas corporis Christi eadem est in cœlo, & in Sacramẽto: sed diuersa habet officia, & vatiũ existendi modum.

Quantitas corporis in Sacramento absque locali extẽsione Deus conseruare potest.

Matth. 19. Corpus præsens facere Deus potest, quod nullum occupet locũ.

Vnũ idémque corpus pluribus locis Deus ponere, pluráque corpora in vno loco, potest.

Fidem corpori plures modos Deus tribuere potest.

XXI. Obiectio. Ea est carnis conditio, vt vno certóque loco, vt sua dimensione, vt sua forma consistet. Ea conditione carnem induit Christus, cui teste Aug. incorruptionem & gloriam dedit, naturam & veritatem non abstulit.

Argum. 21. n. 24. & 28. Aug. epist. 57.

Responsio. Respondeo, Augustinum in epi-

Caluinus omnipotẽtiam Dei ad cõditionem rerum creatarum ligat lib. 4. Instit. c. 17. num. 24. & 28. contra Aug. li. 21. de ciuit. c. 8.

stola ad Dardanũ Dei omnipotentiam ad res iam creatas non ligare, vt blasphemus prætendit Caluinus, dicens: vnumquódque esse oportere, qua à Deo lege & conditione creatum est: sed Augustinus ibi de ordinario rerum cursu, non in ordine ad diuinam potentiam loquitur. Proinde ad oppugnationem diuinæ omnipotentiæ Caluinus impijssimè sanctissimi Patris Augustini verbis abutitur. Et contra omnes suprà dictas eius cauillationes, fixa stat inuictaque realis præsentiæ corporis Christi in Eucharistia veritas, quam vniuersi sinceri Christi cultores, reiectis Caluini, omniúmque sectariorum nouis commẽtis, studiosè constantíque fide retinere debent, si ad beatam & immortalem vitam peruenire, Christúmque reuelata facie contemplari in regno cœlorum exoptent: ad quod omnes, sanam de venerabili Eucharistiæ mysterio fidem conseruantes, perducat Vnus & Trinus Deus, super omnia benedictus, Amen.

Sicut non fuit impossibile Deo, quas voluit, instituere: sic si non est impossibile, in quicquid voluerit, quas instituit, mutare naturas.

LIBER II.

DE VENERABILI EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

CAP. I.

Quòd panis et vini substãtia cũ Domini corpore ac sanguine nõ remaneat.

QVemadmodũ ex simplici, propria, genuina, & in scripturis vsitata verborum Christi significatione, veram & substantialem præsentiam corporis & sanguinis Domini in Eucharistia cõfitendam esse contra Sacramentarios demonstrauimus; ita nunc ex eorundẽ Christi verborum simplici, propria, genuináque intelligentia, nullam panis & vini substantiam, vnà cum Domini corpore aut sanguine remanere, contra Lutheranos (Deo conatus dirigente) statuemus: qui licet ex veritate verborum institutionis Sacramenti Eucharistiæ rectè cum Catholicis reijciant Sacramentariorum tropos, quibus veram & realem præsentiã substantiæ corporis & sanguinis Christi ex Eucharistia submouent, attamen modũ præsentiæ corporis & sanguinis Domini, per conuersionem totius substantiæ panis in substantiam corporis, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis, remanentibus duntaxat panis & vini speciebus, animo caligantes percipere nequeunt, aut contradicendi studio veritatem sibi notam contentiosè respuunt vt non obscurè confitetur Kemnicius, Lutheranorum anteſignanus: *Nos*, inquit, *præsentiam corporis & sanguinis Domini in Eucharistia, sicut verba cœna docent, simpliciter credimus, modũ verò & rationem non definimus*, sed

Ex verbis Christi Lutheri impanatio reijcitur.

Kemnicius in examine Concilij Trid pag. 34. & pag. 415.

sapientiæ Christi veracis & omnipotentis commendamus. Sed quia transsubstantiatio pro articulo fidei sub pœna anathematis proponitur, necessariò contradicendum est; quia nihil pro articulo fidei recipiendum est, quod ex certis, perspicuis, et firmis scripturæ testimonijs probari non potest. Sic ille. Quod vulgare sectariorum axioma, scilicet, *nihil esse certa fide tenendum, quod luculentis scripturæ sacræ verbis non sit expressum*, quamuis à veritate alienissimum sit; attamen impræsentiarum Domino auxiliante ostendemus, verba institutionis Sacramenti Eucharistiæ transsubstantiationem panis & vini in corpus & sanguinem Domini omnino efflagitare, prout semper in Ecclesia Dei persuasum, variisque Conciliorum decretis explicatum fuit. In huius enim Sacramenti institutione Dominus perspicuis verbis dixit: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus:* vocis autem demonstratiuæ *hoc*, ea vis est, vt totam rei præsentis substantiam denotet. Proinde communi vsu loquendi æquiualent: *Hoc est corpus meum*; & sub his accidentibus nulla est alia substantia, quàm corpus meum: siquidem vnius substantiæ contentæ demonstratio, ceteras excludit, adeò, vt falsa sit futura demonstratio, si plures substantiæ contineantur, & de ijs asseratur: *Hoc est corpus meum.* Non ergo potest sensus verborum Christi esse: Hic panis verè ac substantialiter est corpus meum; nam fieri nequit, vt res vna eadémque secundùm substantiam permanens, alia simul res omnino distincta sit: esset enim vna res, & simul non esset vna res, quod contradictionem inuoluit. Panis autem substantia, res omnino disparata est à Christi corpore. Proinde verè de seinuicem panis & corpus prædicari nequeunt, non magis quàm lapis & panis, aut lignũ & brutum. Quare ista Christi verba: *Hoc est corpus meum*, vt sint vera, mutationem panis necessariò flagitant, aut veram & substantialem, (vt sentunt Catholici) vel metaphoricam & Sacramentalem, (qualem agnoscunt Sacramentarij;) aut saltem talem vnionem panis & corporis, vini & sanguinis, qualis est diuinæ & humanæ naturæ in persona Christi; propter quam assumptionem humanæ naturæ à Verbo in vnitatem eiusdem personæ, Deus homo, & Filius hominis, Filius Dei viui dicitur, ac diuersæ disparatæque substantiæ de seinuicem prædicantur, quomodo senserunt posteriores Berengariani, qui Ecclesiæ rationibus expugnati, dum negare non auderent, substantiam corporis & sanguinis Christi Eucharistiæ inesse, panem tamen & vinum per verba Saluatoris, in carnem eius & sanguinem verti nequaquam credentes, sed Christum pani & vino commiscentes, Sacramentalique modo vnientes, tanquam subtiliori ratione hæresim alteram *Impanationis* condiderunt. Quorum impietatem & vesaniam Lutherus amplecti maluit, quàm cum orbe Christiano humiliter tenere veritatem. Cum his itaque prædamnatis olim hæreticis docet Lutherus, substantiam panis & vini in Eucharistia remanere cum substantia corporis & sanguinis Domini, & propter hanc Sacramentalem rerum diuersarum vnionem fieri, vt altera prædicetur de altera. Quam sanè Impanationem vel Companationem, aut corporis cum pane vnionem consequitur, quòd Christus in pane Sacramentali ita sit impanatus, vt in carne incarnatus.

Conc. Vercellense. Conc. Turonense. Conc. duo Rom. Conc. Lateranense. Cõc. Viennense. Constantiẽse sess. 8. Florentinũ Tridentinum sess. 21.

Hoc totam rei præsentis substantiam demonstrat.

Disparata de seinuicem non prædicantur.

Berẽgarius impanationis author.

Lutheri hæresis.

CAP. II.

Lutheri impanatio reijcitur.

AT quæ huius impanationis & inuinationis neceſſitas? Chriſtum enim incarnari, redemptionis humanæ ratio expoſcebat: id futurum Prophetæ annunciauerunt: factum Chriſtus oſtendit; Apoſtoli prædicauerunt: mundus credidit: at impanari vel inuinari Chriſtum, nulla exigit ratio, nulli Prophetæ id prædixerunt, nec Chriſtus oſtendit nec Apoſtoli prædicauerunt, nec mundus credidit; ſed pauci hæretici ſua authoritate hoc inſanum commentum orbi contrarium credenti obtrudere conati ſunt; qui mox ab omnibus Eccleſiæ paſtoribus tanquam ſeductores, veſani, lupi, pſeudo Apoſtoli, falſi fratres, & præterquam quod Apoſtoli tradiderunt annunciantes, anathematizati, exploſi; condemnatique ſunt. Nec immeritò. Nam ſi impanatur & inuinatur Chriſtus, vel in panem, vel in vinum conuertitur; quod eſt nefarium, cùm ſit immutabilis: aut panis & vini naturæ Chriſti perſonæ vniuntur, & verò Chriſtus ſit panis & vinum, ſicut *Verbum caro factum eſt*: quod Euangelicæ Apoſtolicæque doctrinæ aduerſatur, quæ Chriſtum eſſe verum hominem aſtruit, non autem eſſe ſubſtantialiter & verè panem & vinum, nec in pane & vino corpus & ſanguinem Domini latere; ſed panem & vinum in corpus & ſanguinem Domini commutari tradit. *Accepit* enim *Ieſus panem, & benedixit, dediſque diſcipulis ſuis, dicens: Hoc eſt corpus meum*; non autem ait: hic panis eſt corpus meũ, vel in hoc pane, vel ſub hoc pane, vel cum hoc pane eſt corpus meum, vt non ambigeremus, ſacramentali benedictione ex pane fieri carnem Chriſti, nihil ſubſtantiæ panis ibi remanente, cùm tota verbis Domini operatoriis in eiuſdem corpus conuertatur, vt de verè, propriè, ſubſtãtialitérque mutato pane dixerit: *Hoc eſt corpus meum*, id eſt: hoc, quod ſub accidentibus panis continetur; & quod vobis manducandum porrigo, non ampliùs panis eſt vulgaris, ſed *eſt corpus meum*, non figuratum, non per metaphoram, vel energiam, non panaceum vel impanatum; ſed illud ipſum corpus meum, quod pro vobis mox flagellãdum, crucifigendúmque tradetur. Non enim eſſet ſingulare, quod Apoſtolus ad commendandam hominibus Dei dilectionem, & humanæ naturæ dignitatem ait: *quia Filius Dei Angelos non apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*, ſi ille, qui naturæ Angelorum hypoſtaticæ vniri noluit, inanimatæ panis ſubſtantiæ vnitus, panis fieri voluiſſet. Sua enim apprehenſio non iam hominibus ſingularis eſſet, quia etiam pani facta communis. Ac ſicut humanæ naturæ imminueret dignitatem; ſic etiam Dei erga homines minùs commendaret dilectionem.

Impanatio reijcitur.

Matth. 26.

Hebr. 2.

Quid inſuper magni eſſet, quòd ait Apoſtolus, Filium Dei paulominus ab Angelis minoratum, quia ſemel incarnatus & paſſibilis factus ſit? ſi toties impanetur, quoties in altari conſecratur, ipſiſque hominibus multò minor efficiatur, putà irrationalis factus panis? Sicut enim vnionis iure, vt verus eſſet homo, animam cum ratione ſua, & carnem cum ſenſibus ſuis accepit, vt in ea pati poſſet: ſic panem cum inſenſibilitate ſua, vt verus panis ſit, accipere debebit: atque non ſolùm minor Angelis factus erit, ſed etiam hominibus & brutis,

quia videlicet irrationalis & insensibilis panis.

Denique cur Deus semel homo factus ad nostram salutem, aliud fieret per impanationem? cùm idem Christus non aliud operetur in Sacramento, quàm suæ passionis applicationem, ad quam semper dignè suscipiendam, iugi signo suæ præsentiæ nostram deuotionem excitare placuit, instituendo Sacramentum Eucharistiæ, in quo Christi corpus & sanguis ex pane & vino (mutata quidem substantia, non autem externa forma) conficerentur, vt verè & salubriter ipse manducari ac bibi posset, non vnitus personaliter pani & vino: sed verè tamen præsens & latens sub velamine specierum panis & vini: vt simplex verborum Christi sensus exigit: *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*. Si enim in Eucharistia remaneret substantia panis & vini, vnà cum corpore & sanguine, Christus dixisset: hic est panis, hic est vinum; aut cum istis, vel in istis, aut sub istis, est corpus, & sanguis meus: vel, hoc est corpus meum impanatum: hic est sanguis meus inuinatus: quod Christus non dixit, sed: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, apertè significans, particulam demonstratiuam, *hoc*, denotare solam corporis substantiam, in quam panis substantia efficacibus verbis benedictionis esset conuersa. Rerum enim conditarum distincta proprietas non patitur, vt de se inuicem disparata enuncientur, nisi personaliter vniantur; quod hîc factum non esse iam satis ostendimus.

Simplex verborum Christi sensus conuersionē substantiæ panis exigit.

Cap. III.

Posteriores Lutherani impanationem reijciunt.

ET posteriores sanè Lutherani, absurditate rei conuicti, palàm confitentur, se non statuere personalem panis & corporis Christi in Eucharistia vnionem, qualis est diuinæ & humanæ naturæ in persona Christi; sed ad aliud commentum recurrentes dicunt: in scriptura visitatum esse, quando duæ res diuina ordinatione simul vniuntur, & præsertim, quando res cælestis & inuisibilis cum re terrena & visibili adest & exhibetur, quòd tunc vna prædicetur de altera: quódque ad veritatem talis prædicationis non requiratur transubstantiatio, quia tantùm significetur duarum illarum rerum, quæ subiecto & prædicato notantur, vnio & præsentia. Sic inquiùt, Ioannis 20. *Dominus sufflans in discipulos*, ait: *accipite Spiritum Sanctum*; & Ioannes Baptista affirmat, se vidisse Spiritum sanctum descendentem in Christū. Ceterùm Christus non dixit: Flatus, est Spiritus sanctus, neque Ioannes: columba est Spiritus sanctus, quia Spiritus sanctus in specie columbæ, sine vnione personæ apparuit: & Christi facto significatum fuit, quod Spiritus sanctus à Filio procederet; non assertum, quòd corporalis flatus Spiritus sanctus esset.

Kemnicius pag. 406. & 440. Exam. decret. conci. Trid.

Vnio substantiæ panis cum Christi corpore reijcitur.

Scriptura non dicit, columbam vel flatum esse spiritū sanctum.

Cap. IIII.

Transsubstantiatio omnibus seculis à fidelibus credita fuit.

FIrma ergo manet Catholica doctrina, quòd hæc propositio:

Hoc est corpus meum, in proprio sensu, remanente panis substantia, vera esse nequeat, cùm vnum disparatũ aliud esse nequeat, nisi desinat esse quod erat, quãdmodũ hic panẽ esse desinere Ecclesia docet. Quis autem nisi vetanus dicere potest, verba Christi non esse intelligenda, sicut vniuersus orbis credidit, quem crediturum esse Deus prædixit, cuius fidem laudauit, promisit, ostendit, compleuit? Quod si fidem mundi laudauit, figmenta vtique contraria reprobauit: *Vnica enim fides laudabilis est apud Deum.* Idque fiducià securæ vocis asserere possumus, quod Ecclesia semper tenuit, vnanimis Patrum consensus tradidit, & multorum Conciliorum authoritas confirmauit. Luculentis enim verbis Ecclesiastici scriptores asserunt, substantiam panis & vini conuerti, mutari, transmutari in corpus & sanguinem Domini, ac quidem ante consecrationis verba panem esse, ac dici; postea verò non panem esse, sed corpus Christi benedictione fieri: quam elementorum panis & vini commutationem exemplis à propria & naturali substantiarum in alias conuersione desumptis, illustrant. Inter quos Beatus Ambrosius copiosè id exequitur: *Si*, inquit, *tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse quæ non erant: quantò magis operatorius est, vt sint quæ erant, et in aliud commutentur?* id est: Si sermo Domini Iesu operatus est, vt essent res cunctæ de nihilo; quantò magis efficere potest, vt ex rebus existentibus, nempe pane & vino commutatis, alia res fiat, quæ priùs existebat? Haud enim maius est, rem existentem in aliam etiam priùs existentem conuertere, quàm ex nihilo producere. Vnde qui ex nihilo cuncta produxit, idem res in res, hoc est, substantias in substantias veteris & noui Testamenti tempore, commutauit. Qui ambigis, relege virgam Moysis mutatam in serpentem; recole aquas Ægypti commutatas in sanguinem; cogita & Saluatoris primum & singulare, totique mundo notissimum miraculum, quo aquas in vinum, non phantasticum, sed verum & optimum (architriclino teste) conuertit. Quantis igitur exemplis vtimur, vt probemus, non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremque vim esse benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur! Si enim tantum valuit Heliæ sermo, vt ignem de cælo euocaret; non valebit Christi sermo, vt species elementorum commutet? De totius mundi operibus legimus: *quia ipse dixit et facta sunt; ipse mandauit & creata sunt.* Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat; non potest, quæ sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est, nouas rebus dare, quàm mutare naturas. Panis iste, panis est ante verba sacramentorum; vbi accesserit consecratio, fit corpus Christi: antequam consecretur, panis est, vbi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Audi Dominum dicentem: *Accipite & edite ex eo omnes: Hoc est enim corpus meum.* Et ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus: vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo disce, quantis generibus potens est sermo Christi, vniuersa conuertere. Deinde ipse Dominus Iesus testificatur nobis, quòd suum corpus & sanguinem accipiamus, nunquid debemus de eius fide ac testificatione dubitare? In eandem sententiam Cyrillus Hie-

Verba Christi sic intelligenda sunt, quomodo totus orbis intellexit.

Ephes. 4.

Ambr. li. de iis qui myst. initiantur. c. 9. Christi sermo est operatorius.

Commutatio naturarum Deo facilius

Ioan. 2.

Matth. 26.

Cyril. Catech. 4.

rosolymitanus catechesi 4. *Aquam aliquando mutauit in vinum, et non erit dignus, cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutarit? Sub specie panis datur tibi corpus, et sub specie vini datur tibi sanguis, hoc sciens, & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat.*

Cap. V.

Diuini verbi virtute quotidie fit panis et vini substantiæ transmutatio.

Chryso. hom. 81. in Matth. ho. 60. ad Antioch. hom. 2. in 2. ad Timo.

NOn enim humanæ virtutis opera proposita sunt, ait Chrysostom. Nos ministrorum locum tenemus; qui verò sanctificat ea & immutat, ipse est: non enim alius hodie, alius cras, vel alius hîc, & alius ibi, substantias panis & vini transmutat; sed idem Dominus noster Iesus Christus, per verba, quæ ad hoc ipsum propria dictauit, quotidie repetita effectuum præbet. Non enim suis, sed Domini nostri Iesu Christi verbis Sacerdos vtitur, quando elementa proposita sanctificat. Christi enim vice, tanquam eius minister, ex eiusdem institutione, voluntate atque præcepto, acceptum panem benedicit pronunciando: *Hoc est corpus meum*; & similiter acceptum calicem, vinum continentem sanctificat Christi verbis: *Hic est enim calix sanguinis mei, noui et æterni Testamenti qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Cùm autem Deus omnia quæcumque voluit & dixit, potuerit & fecerit, & Christus Deus sit; sequitur, eum fecisse, ac etiam nunc facere, quod voluit & dixit, fierique in sui memoriam præcepit illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem. Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.* Si enim ipsa omnium rerum natura, cùm nihil esset, volente Deo factum est, vt esset; quomodo panis & vini natura iam existens, volenti Deo resistet, vel vt in vnum aliud non transferatur? Si tantum potest hominis aut alterius cuiusque animalis vis naturalis, vt panem & vinum, vel quoscunque cibos alios in viuam carnem, & vinum in sanguinem transmutet: nónne tantundem, & multò etiam ampliùs, si vult, poterit præsentiâ suæ Maiestatis, & virtute sui verbi, Deus? vt scilicet in carnem & sanguinem suum panem vinúmque transformet. Si modo omnibus omnino notissimo, in homine, sed & omni tempore, de pane caro, & de vino sanguis fit; quare non creditur, Deum posse per virtutem, quod natura potest per digestionem? & quod Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, sicut quotidie operatur per comestionem & digestionem humanam, vt panis in carnem, & vinum in sanguinem hominis conuertatur; sic quotidie faciat, vt per consecrationem & virtutem diuinam tota substantia panis & vini commutetur in carnem & sanguinem suum? Qui enim *dixit et facta sunt; mandauit et creata sunt*; qua potentiâ facit hoc vniuersaliter in aliis, eâdem potentiâ facit hoc singulariter in seipso, vt mutatio substantiarum, quæ hominibus solebat conferre mortalem vitam, nunc hominibus conferat sempiternam.

1. Cor. 11. Matth 26. Lucæ 22. Marci 14.

Si vis naturalis animalis quotidie panẽ & vinum, in carnem & sanguinẽ conuertere possit, quãto magis diuina?

Christus suis verbis ore ministri sacerdotis prolatis transmutationem operatur.

Cap.

CAP. VI.

Diuersa est ratio conuersionis naturalis, & transsubstantiationis Sacramentalis.

LOnge tamen aliter panis & vinum in viuentem & viuificatricem carnem & sanguinem Christi transfertur per gratiam benedictionis sacerdotalis, quàm in cuiuslibet hominis, vel etiam Christi hîc conuersantis substantiam, per vim digestionis. Nam per virtutem naturæ ex pane & vino, non mutata vel deficiente materiæ substantia, sed tantùm forma, noua caro & nouus sanguis corruptioni obnoxius generatur: in Sacramento autē mutata interiore substantia, non visibili forma, ex pane & vino non fit noua caro, aut nouus sanguis, qui priùs non fuerit; sed existens substantia panis & vini mutatur in priùs existentem substātiam corporis & sanguinis Christi: ita tamen, vt mutatio hæc nihil in Christo innouet, nihil immutet. Christus enim in virum perfectum resurrexit, neciam amplius moritur, aut recipit augmentum vel decrementum.

Sed non immeritò quæret aliquis: quomodo res corruptibilis in incorruptibilem, existens in priùs existentem, noua in antiquam, sine illius innouatione, aut corruptione mutetur? Cui sanè dubitationi iam olim Ambros. respondit, maiorem esse vim benedictionis quàm naturæ, quum benedictione natura ipsa mutetur, & supra ordinem naturæ nouo & inaudito modo, ipsa consecratione diuina, in qua verba Saluatoris operantur, quæ sicuti ex nihilo potuerunt facere, quod non erat, ita possunt ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant; videlicet substantiam panis in substantiam corporis Christi, vt panis non iam sit, sed appareat esse quod fuerat: & corpus Christi non desinat esse, quod erat, sed sit vbi priùs non erat. Quod quia mysterium fidei est, credi, non autem modus, quo fiat, humana ratione aut curiositate inuestigari debet.

Christus absque vlla sui mutatione præsens fit, vbi antea corporaliter non erat.

CAP. VII.

Christi potentia & testificatio fideli sufficere debet.

NAm verè fidelem satis roborat ipsa potentia consecrantis, & veracitas Christi asserentis, id quod ante benedictionē panis erat, hoc esse post benedictionem corpus suum: similiter illud, quod ante consecrationem vinum erat, post consecrationem suum esse sanguinem, & illum ipsum, qui in Cruce pro remissione peccatorum effundendus erat. Quod Eusebius Emis- Euseb. Emiss. ho. 5. de pasch.
senus homil. 5. de Paschate his verbis eruditè suauitérque expressit: *Inuisibilis sacerdos, visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, verbo suo secreta potestate conuertit, ita dicens: Accipite & comedite: Hoc est enim corpus meum. Et repetita sanctificatione: Accipite & bibite: Hic est sanguis meus.* Ergo sicut ad nutum præcipientis repentè ex nihilo substiterunt excelsa cælorum, profunda fluctuum, vasta terrarum: pari potentia in Christi Sacramentis, vbi præcipit virtus, rei seruit effectus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui author est muneris, ipse idem testis est etiam veritatis, de cuius fide & testificatione non debemus ambigere. Alia prętereo sexcenta veterum testimonia, operosè à Ioanne Garretio, Hesselio, aliis- Conuersionem operatur Christi sermo.

Ioan. Garretius. Claudius Hesselius.

Alanus, Bellarm.

que in aciem digesta, quibus disertis verbis asserunt, ex pane & vino mystica cõsecratione corpus & sanguinem Domini in altari confici: & substantiam panis & vini, in substantiam corporis & sanguinis Domini conuerti, transformari, transmutari, transelemẽtari, fierique Sacramentum religionis, & panem mysticum, qui non nascatur, nec aliqua naturæ terrenæ origine vel conditione, in hoc diuinæ gratiæ Sacramento creetur, sed ita corpus Christi fiat, vt panis esse desinat; retenta quidem panis forma & specie, sed ita tamen, vt corpus Christi factum sit substantiæ panis mutatione. Vt rectissimè dicatur, Sacramentum Eucharistiæ duobus confici, duobúsque constare: visibili scilicet elementorum specie, & inuisibili Christi carne & sanguine; non autem, vt Lutherani perperam sentiunt, ex duabus substantiis, videlicet naturali pane, & Christi corpore ac sanguine. Id enim singulare huic Sacramento est, quòd non solùm Christum sanctificantem suo mysterio credentibus exhibeat, quemadmodum alia Sacramenta; sed etiam præsentem corporaliter contineat, in eóque materia panis & vini ita commutetur, vt substantialiter post verba consecrationis non sit, quod antè fuerat; sed ex panis substantia Corpus Christi fiat, forma verò remanens ipsum significet & contineat. Hanc autem panis & vini substantiam ideo Christus in suo Sacramento remanere non voluit, ne si duæ veræ, distinctæque substantiæ, panis scilicet communis refectionis, & panis cælestis & supersubstantialis in eodem Sacramento essent, hæreses impanationis & fœdæ digestionis huic Sacramento ascribi possent, quod ab omni corruptibilis naturę contagio purum Dominus esse voluit; nec decebat, quòd simul substantialiter in eodem Sacramento essent panis ipse verus, qui est vita æterna, & panis communis, qui est temporalis vitæ substantia. Nam si non congruat, Regem & priuatum hominem eodem vti hospitio ac indecorum foret, in eodem recumbere thalamo, vel considere throno: quantò minùs congruit, substantiam panis & vini in eodem Sacramento cum Domini corpore permanere? magísque decet, Sancti Spiritus operatione corporis & sanguinis Christi præsentiæ eam cedere? vt admiranda hac panis in carnem Domini transmutatione pulchro mysterio adumbretur spes fidelium, qui transeunt in Christi corpus mysticum, dum cessant esse quod fuerunt, hoc est, cùm desinunt esse vetus creatura, & in Christo fiunt noua.

Quomodo Sacram. Euchar. duobus constet.

Nõ deuicit panis naturam cum Domini corpore sub eisdem speciebus latere.

Transmutatio substantiæ panis adumbrat spem fidelium.

CAP. VIII.

Cur panis & vini species cum substantia non transeant.

SEd hîc fortè quæret aliquis, cur species panis & vini, sicut substantiæ, in altaris Sacramento non immutentur, vt fiat transaccidentatio, sicut transubstantiatio? cui respondemus, sapientissimè diuinam prouidentiam voluisse, vt conuersis in aliud elementorum substantiis, visibiles eorum species, accidentiáque immutata remanerent. Quia Sacramentum visibile ac externum esse debet, proinde cùm panis Eucharistiæ post consecrationem Sacramentum & corpus Christi sit, oportet quòd Sacramentum sit specie, & corpus Christi substantiæ mutatione. Oculorum enim testimonio panis & vini species in

Cur accidentia non transeant sicut substantiæ.

Species panis & vini corpus & sang. Christi significant & continens.

altari esse comprobantur; fide corpus & sanguis Christi sub iisdem speciebus latere creduntur. Conficitur enim hoc Sacramentum ex vero corpore, & sanguine Christi, & ex veris speciebus panis & vini; eique singulare est, quòd forma remanens Christum significet, & præsentem simul contineat; sed inuisibilem, & sub accidentibus elementorum velatum; Cõueniebat enim, vt quamdiu peregrinamur à Domino, & per speciem, & in ænigmate, non autem eum reuelata facie, sicut est videmus, Christo reficeremur in via credendo, quo satiantur Angeli, in patria, eum sicuti est, videndo. Id namque ordinatissimus temporum profectus exigit, vt primùm Deus veritatem promitteret, non autem daret; quod in veteri testamento fecit, in quo tantùm figuræ vmbram dedit: postea verò ipsam veritatem cum figura daret, quod in nouo testamento compleuit, quando veritatem, sed nondum manifestam tradidit; vt tali progressu temporum nos perfectæ veritati esse viciniores ostenderet: ac demum ipsam veritatem absque figura dari conueniebat; quod in altera vita remunerationis loco tribuetur, quãdo reuelata facie Christi gloriam iusti, omni Sacramentorum velo sublato, clarè videbunt. Nam hoc Sacramentum, sicut cetera, post hanc vitam esse desinet. Præterea Christum non sub propriis, sed sub panis & vini speciebus præsentem esse oportebat in Eucharistiæ Sacramento, vt à fidelibus verè ac salubriter eius caro manducari, & sanguis bibi posset. Si enim pane mutato, nihil visibile remaneret, non superesset signum aliquod, quo memoria passionis Christi annuntiaretur, & in quo verè, (licet incruento ritu) Christus quotidie immolaretur, nec vnde percipi, fidelibúsque sumptione corporis & sanguinis incorporari, vel infirmis in viaticum dari, nec cetera, quæ visibiliter & salubriter per ipsum in Ecclesia fiunt, administrari possent. Nam si in propria specie carnis humanæ Christus appareret, humani corporis comedendi horrore iniecto sumi commodè nequiret: cruda enim caro viua, & maximè humana vesci homo contra vsum & naturam refugeret; quod olim quidam ex discipulis execrantes, nec quod à Domino dictum erat (*nisi manducaueritis carnem filij hominis. & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*) capientes, dixerunt: *durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Ideo Christus carnem suam hominibus dedit non more cadauerum detruncandam, laniandam, vel consumendam; sed honesta panis & vini specie tectam, vt in speciebus humano victui & vitæ ac vsui magis congruentibus, absque vllo horrore Christi caro sumeretur, non læsi, aut detruncati, non imminuti aut violati, non dolentis aut nolentis, sed volentis & consulentis, ipso interea in suo Regno, intacto, integro, inuiolato, immortali, incorruptibili, speciosо, glorioso, adorando permanente, & mortales per iam immortale corpus suum ad eandem immortalitatem perducente. Quo modo corpus suum dare, non est durum neque crudele: sed pium & amabile. Nec est irrationabile, quia sic vsui humano condescenditur, fides exercetur, meritum augetur, Christi charitas, misericordia & bonitas cõmendantur, qui carnem suam & sanguinem suum non solum ad honorandum vel adorandũ, sed etiam ad manducandum & bibendum propinauit,

Conueniebat vt quãdiu peregrinamur Dominum in aliena specie præsentem haberemus.

Christi visibilem in sua specie carnẽ

sumere horreremus.

Isai. 6.

Christus carnem crudam in partes laniandam dare noluit.

Christus pio & amabili modo absque vlla sui iniuria se hominibus manducandum reliquit.

idque sub familiaribus panis & vini speciebus, vt earum rerum exemplo, quibus salubriùs & solennius vita hominum quotidie sustentatur, recreatur, & reparatur, luculentissimè ostenderet, non esse aliam vitam æternam hominum, quàm seipsum, ac edoceret quòd sicut absq; carnali cibo & potu nemo vitam hanc mortalem transigere potest; ita absque spirituali esca & potu, nemo immortalem beatámque vitam assequi valeat: & vt non tantùm verbis, sed etiam factis apertissimè demonstraret: ac simul non tantum audiendo, sed etiam comedendo homines discerent, Christum esse vitam, panémque viuum, qui victuras in æternum animas Christianorum reficiat: quodque seiuncti à Christo, semper vinere, nec ad beatam vitam nisi per ipsum pertingere queant. Ideo carnem suam ad manducandum, & sanguinem suum ad bibendum sub escæ potusque vitæ carnalis similitudine reliquit, vt hoc modo tectus nobiscum remanens, fide mentem pascat, & visu deuotionem accendat. Longè enim vehementiùs mens in Christi amorem excitatur corporis ipsius verè præsentis susceptione, quàm verbi Domini admonitione. Quis enim non inardescat in eius amorem, quem non tantùm audit, sed etiam videt, & in se corporaliter suscipit? quem olim pro se mortuum recolit, mortéque illa vitam sibi parasse, gratiæque vbertatem promeruisse credit; qua deinceps à mortis operibus abstineat, eidémque Domino suo immortaliter viuenti in sempiternum connitatur? Iustissima proinde ratione Dominus se in Eucharistiæ Sacramento sub alienis panis & vini speciebus manducandum bibendúmque fidelibus propoſuit, vt se hominum esse vitam ostenderet: cùm vt ab infidelium calumnia fideles liberaret, quos velut immanes anthropophagos non immeritò accusare viderentur, si Domini carnem & sanguinem in propria specie apparentem manducarent, & biberent. Quem enim non permoueret, contra humanum morem, contra pietatem, Deum & hominem ab hominibus, Magistrum à discipulis, Dominum à seruis, Christum à Christianis, manibus frangi, dentibus laniari, atteri, escarumque communium more deuorari? Præterea cùm Christi gloriosa caro sole clariùs micet, intuentium oculos suo intolerabili splendore percelleret, vti ex transfigurationis gloria, & apparitione Paulo facta colligi potest: nam Christi apparentis fulgore Paulus excæcatus fuit. Deinde ad fidei exercitium, & meriti augmentum prodest, aliam speciem sensibus obiici, aliam verò credendam proponi: ac insuper faciliùs res pretiosissimæ à Paganorum, infideliúmque ludibriis irrisionibúsque vindicantur, dum sub earum rerum speciebus præbentur, quarum quotidiano alimento delectamur. Ac postremò corpus & sanguis Christi, quæ per genuinas propriásque species, nec ad Sacramentum, quotidianúmque sacrificium, neque ad comestionem, fractionem, motionem, visionem, circumgestationem, réliquumque ecclesiasticum vsum apta sunt, his aliísque similibus officiis, per aliena accidentia eis arctissimè vnita, suauissimè accommodantur.

Euseb. lib. 5 Hist. c. 2.

Christiani accusati, quòd homines comederent.

Act. 9. & 22.

Ad fidei exercitium sub alienis speciebus Christus seipsum præbet.

Christi præsentia fidelium animos in sui amorem excitat.

Christus se vitam animarum declarat.

CAP. IX.

Argumentorum contrariorum dissolutio.

1. argum. ex institutionis serie desumptũ.

POstquam transsubstantiationis veritatem statuimus, expendendum est, quid momenti sectariorum argumenta habeant, quibus Ecclesiæ Catholicæ fundatissimam doctrinam impugnant. Tria porrò sunt, quæ Lutherani potissimùm obiciunt. Primum desumitur ex serie institutionis Eucharistiæ, quæ ab Euangelista hisce verbis enarratur: *Cœnantibus eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, dedit que discipulis suis, & ait: accipite & comedite, hoc est corpus meum.* En, inquiunt, manifestam scripturæ de hac quæstione sententiam. Accepit Iesus panem, & de illo quod accepit, quod benedixit, quod fregit, quod discipulis dedit, de illo inquam dixit: *accipite & comedite, Hoc est corpus meum*, denotans videlicet particula demonstratiua, *hoc*, panem.

Matth. 26.

Responsio.

Respondeo, pronomen non esse ad superiora relatiuum, sed tantùm demonstratiuum eius, quod Christus dabat, vt simplex & genuinus sensus postulat: *hoc*, scilicet quod vobis do, *est corpus meum*. Quòd autem pronomen, *hoc*, nequeat panem demonstrare, inde conuinci potest, quòd si, *hoc*, adiectiuè sumatur, debeat cum substantiuo concordare: atqui panis latinè, ἄρτος græcè, masculini generis est: proinde iungi pronomini tam græcè τοῦτο, quàm latinè, *hoc*, neutri generis nequit. Non enim nisi ineptissimè diceretur: *Hoc panis est corpus meum.* Si verò, *hoc* substantiuè sumatur, sensus est: *hæc res est corpus meum*: quæ assertio de pane cõmuni vera esse nequit, cùm panis vulgaris res sit à corpore Christi diuersissima. Itaque, *hoc*, non demonstrat, nec refert panem, sed denotat contentum sub speciebus. Accepit enim Iesus panem in manus absque dubio vulgarem; sed eum benedixit, & operatorio sermone ex vulgari pane suum corpus fecit, ac proinde Apostolis panem dedit, non vulgarem qualem acceperat, sed benedictum, & verbis consecratorius in corpus suum transmutatum. Siquidem inter *accepit panem* & *dedit*, intercedit verbum, *benedixit*, quod efficit, vt non omnia verba eundem accusatiuum, eodem modo se habentem, regant. Nam si quis dicat: Ioannes Petrum percussit, occidit & sepeliuit; non significat, Ioannem, Petrum viuum sepeliuisse, quamuis viuum percusserit. Sicut etiam si Dominus aquam in vinum cõmutasset, hydrias demonstratis dicendo: hoc est vinum, non significasset, aquam esse vinum, sed contentum in hydriis esse vinum, ex aqua Christi potentiâ repentè factum. Pari modo Christus dicendo: *Hoc est corpus meum*, significat, panem in suum corpus operatorio sermone conuersum esse. Nam cùm hæc oratio: *Hoc est corpus meum*, sit operatoria, eóque ordinata, vt substantiam quam denotat sanctificando efficiat, id singulare obtinet, vt dum super accepto pane pronunciatur, naturam immutet. Deo enim dicere, facere est. *Ipse enim dixit & facta sunt. Dic verbo & sanabitur puer meus*, ait Centurio. Quin & Sathanas hoc ipsum agnoscens, Saluatori dixit: *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant*; non ambigens, per verba qualiacumque Christi rem vnam in aliam posse conuerti.

Hoc, non est relatiuũ sed rei præsentis demonstratiuum.

Hoc, non adiectiuè, sed substantiuè sumitur.

Hoc, demonstrat contentum sub speciebus.

Christus panem transmutatum dedit.

Psal 32. Matth. 8.

Matth. 4.

Porro non oportere verba Chri-

sti significare fieri, id quod ipse verbis intentione faciendi prolatis asserit, aut quod per verba fit, ex cap. 18. Ioan. liquet, vbi Dominus Iudæos prostrauit in terram dicendo: *Ego sum.* Alios sanauit imperando: *Tolle grabatum tuum, & ambula.* Subinde operatus est verbo præsentis temporis, asserendo: *Mulier dimissa es ab infirmitate: Filius tuus viuit: dimittuntur tibi peccata tua.* Ex quibus palam est, Christum non solùm imperando, sed etiam simpliciter enunciando, per verbum, quod significat rem non fieri, sed esse, quicquid vult efficere posse. Non enim operandi vim minùs verbis Deus tribuere potest, quàm vesti, vmbræ, aut sudario Petri vel Pauli dedit, ac virgæ Moysis, per quam substantias rerum commutauit.

Ioan 18. Ioan. 5. Lucæ 13. Lucæ 7. Ioan. 4. Deus vtendo præsentis temporis verbo, operatur, non minùs, quàm imperando.

Altera ex nomine *Panis* ducitur. Post consecrationem in ipso vsu Apostolus Eucharistiam vocat *Panem*, idque non semel, ne incogitanter excedisse quis existimaret, sed quater aut quinquies. 1. Corint. 10. *Panis quem frangimus. De vno pane participamus.* 1. Corinth. 11. *Quoties manducabitis panem hunc. Qui manducarit panem hunc indignè. Probet seipsum homo, et sic de pane illo edat.* II. argum. ex voce panis sumptum. 1. Cor. 10. 1. Cor. 11.

Ergo cùm ante consecrationem panis sit materialis & externus, qui etiam post sanctificationem, Paulo authore, retineat appellationem panis; merito in vna & eandem significatione, propria videlicet & genuina, vocabulum illud retineatur. Ad hoc argumentum in aciem à Berengarianis sæpe olim productum, & à maioribus nostris pondere veritatis prostratum respondeo: Eucharistiam post consecrationem rectè panis nuncupationem retinere, quia est *verus panis, qui de cælo descendit*: panis, non qui nascitur de terra in alimentum refectionis corporum, sed qui certa consecratione mysticus fit, nobis in Sacramentum religionis, panis super substantialis datus in refectionem spiritualem animarum. *Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, inquit Dominus. More autem Hebraico omnis cibus *Panis* vocatur, quomodo manna dicitur panis Exod. 16. Sapientiæ 11. Psalm. 77 & Ioan. 6. Præterea vsu scripturarum rebus in aliud conuertis, prius nomen tribuitur, non vt significetur quidnam sint, at quid fuerint, & vnde vel ex qua re factæ sint. Sicut homo *pulvis, terra & cinis*, Eua *os Adæ*, & serpentes *virgæ* dicuntur. Similiter ait Ioan. cap. 2. *Cum vidisset Architriclinus aquam vinum factam.* Matth cap. 11. *Cæci vident, claudi ambulant*; & cap. 21. *Publicani & meretrices præcedent vos in regno cælorum.* Solet insuper Scriptura rebus nomina tribuere ex apparentia externa, quomodo Abraham *tres viros*, cùm essent Angeli, vidisse scribitur; & in tabernaculo fuere *boues ænei, & mala granata*; in Salomonis throno *leunculi*. Rursus propter similitudinem cum re aliqua nomen attribui consuevit: vt cùm Dominus *Leo* dicitur propter fortitudinē; *Agnus* verò propter mansuetudinem; Herodes propter astutiam, *vulpes*. Sic ergo corpus Domini *panis* vocatur, vel quia panis mysticus est angelorum & hominum, vel quia ex pane conficitur; aut quia cùm sit caro, intuentium oculis panis videtur, eiusque nonnullas qualitates retinet; vel ea similitudine, qua sicut panis materialis carnem, sic ipse spiritualis mentem alit. Quibus addo, Paulum, dum Eucharistiam panem appellat, pronomen addere, quo si-

Panis vsu scripturæ omnem cibum denotat. Rebus in aliud conuersis prius nomen tribuitur. Gen. 2 3. Exod. 7. Ioan. 2. Matth. 11. 21. Nomen ex apparentia rei tribuitur. Nomen tribuitur ob similitudinem. Corpus Domini cur panis nomen retineat.

Respondeo. Aug lib. 20 cont Faust. cap. 13. Ioan. 6.

gnificet, se non de vulgari pane, sed de benedicto, & sanctificatione in aliud conuerso loqui. *Panis*, ait, *quem frangimus*: & *Quotiescumque manducabitis panem hunc. Itaque quicumque manducauerit panẽ hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.*

Tertium argumentũ ex analogia Sacraméti.

Tertia obiectio ex ratione Sacramenti & analogia signi ad rem significatam deducitur, quam perite Sectarij arbitrantur, si elementi substantia non permaneat in pane, facta consecratione; quandoquidem, aiunt, hæc analogia in eo consistat, quòd sicut panis materialis animale corpus sustẽtat, alit, recreat, substantiáque ex multis granis coacta est; ita Christi corpus alimentũ spirituale interni hominis sit, cuius participatione multi fideles vnum Christi mysticum corpus efficiantur: quam significationem intercidere oportet, nisi substantia panis remaneat.

Responsio.

Respondeo, sacramenti analogiam non in panis inuisibili substantia, sed in speciebus visibilibus consistere; ac proinde ac sacramenti rationem sufficere, quòd panis, quoad accidentia & species sensibiles, in quibus significandi analogia consistit, remaneat, sumíque possit: quódque diuina potentia quantitati, sine panis substantia remanenti, modum tribuat absque subiecto existendi, officiúmque nutriendi, vim recreandi, vires fatigatas instaurandi, eamque rem, quæ verè nutrit, ac ex multis constat, repræsentandi.

Sacramenti analogia in speciebus visibilibus consistit.

CAP. X.

Argumenta ex actione & passione specierum dissoluuntur.

Physicę seu naturales actiones & passiones in sacramẽto Euchar. specierum, non Christi sunt.

EX quibus insuper physicas rationes omnes ex sensuum testimonio, vel ex operatione aut passione specierum depromptas euanescere perspicimus: cùm species diuino miraculo nutriant, solidatem, colorem, saporam, odorem, ceteráque panis & vini proprietates retineant, per quas & corrumpi, & ex illis quippiam generari possit. Ob quæ specierum Officia nonnunquam veteres post consecrationem, substantiam panis & vini remanere dicunt, minimè intelligentes, quòd non desinat esse substantia panis & vini in sua proprietate naturæ: sed quòd non omnino esse desinat secundùm formam externam, visibiléque elementorum species, atque panis & vini proprietates, vim & operationem: quarum ratione sacramentum Eucharistiæ potest frangi, rodi, dentibus atteri, pedibus conculcari, putrescere, nutrire, digeri. Nam hæc omnia, nec non alia huiusmodi corpus Christi secundùm species, quas absque vlla sui offensione aut mutatione fulcit, non minùs pati valet, quàm natura panis, si remansisset, facere aut pati poterat. Nec porrò hæc indignius est Christum secundùm illas species pati, quàm secundùm humanam naturam Deum potuisse vulnerari, flagellari, conspui, illudi, mortíque turpissimo genere occidi. Quemadmodum enim Christo patiente diuinitas nihil in seipsa iniuriæ pertulit, aut læsa est: ita dum secundùm visibiles panis & vini species incorruptibile Christi corpus in Sacramento

Sicut Christo secundum naturam humanam patiẽte diuinitas non patiebatur: ita quando secũdùm species sacramenti.

Christus patitur, nihil in seipso læditur.

Eucharistiæ patitur, non autem secundùm naturalem, propriam, sibique inhærentem quãtitatem aut figuram, nihil quoque iniuriarum Christi corpus in seipso recipit.

quòd Christus in sacramẽto indignè tractetur, non infirmitatis, sed dignationis est.

Quod autem mediantibus panis & vini speciebus, carnem Domini obtegentibus, videri, tangi, frangi, gestari, dentibus atteri, indignéque interdum tractari, adeóque conculcari se Christus permittat; non infirmitatis est, sed dignationis. Nam præter cursum, ordinémque rerum, Omnipotenti creatoris voluntate commutata panis & vini substantia, in corpus & sanguinem Christi, remanet quãtitas per se existens,

Quantitas remanens per modũ substantiæ existit, ideóque pati & agere potest.

modum, proprietatémque substantiæ obtinens, vt omnia sustineat, patiatur, & agat, quæ panis substantia pati vel agere posset, ita, vt quidquid ex panis materia generari potuerit, idipsum etiam ex quantitate remanente, absque vlla Christi immutatione aut læsione prouenire queat. Eidem insuper quantitati reliqua panis & vini accidentia inhærent, sic, vt eius ratione hostia consecrata verè dicatur alba, sapida, rotunda, parua, vel magna; corrumpi posse vel digeri; non quia Christi corpus album vel rotundum, aut corruptioni obnoxium sit; sed quia

Christi corpus non est album, sed quantitas remanens.

talis quantitas sit, sub qua Christi corpus latet. Huiusmodi enim attributa cùm ex accidentium inhærentia nascantur, vel imperfectionem denotent; non corpori Christi, sed solis speciebus tribui debẽt. Nam vt in quantitate per seipsam existente qualitates remanent: ita nouæ in eandem separatam introduci queunt, ac proinde mutationi

Quantitas obnoxia est mutationi, non corpus Christi.

quantitas obnoxia est; non autem corpus Christi, quod accidentibus panis & vini non decuit subiici, mutari, affici, vel alterari potest, cùm iam Christus impassibilis sit. Posse autem Deum supra naturę ordinem accidentibus præstare, vt ipsa se nulla alia re subnixa sustentent, (vt Ecclesia constanter hactenus semper tenuit, & in Conciliis quoque generalibus definiuit) ambigi eò minùs debet, quòd etiam celebres Philosophi formas à materia separatas consistere senserunt; & summi Theologi, Basilius, Damascenus, aliique permulti lucem primo die creatam, accidens extra subiectum fuisse arbitrentur.

Conc. Constãtin. sess. 8.

Conc. Trident. sess. 13. cant. 2.

Basil hom. 6 hexaem. Damascen. lib. 2. de fide cap. 7.

Cap. XI.

Quamdiu sub speciebus remaneat Christus?

QVamuis porrò species panis & vini post consecrationem remanentes Christi corpori non inhæreant; attamẽ tam arcto existentiæ ordine corporis Domini præsentia eisdem coaptatur, vt sub eis permaneat, quamdiu incorruptæ consistunt; & quamdiu ipsa panis substantia manitlet, si nulla eiusdem in corpus Domini conuersio facta fuisset.

Vtrum in Euchar. aparẽte puero vel carne Christi corpus remaneat.

Vtrum autem in Eucharistia cruore, carne, aut hominis figura apparente, corpus Domini remaneat, ambigunt nonnulli. Plerique cum Diuo Thoma sentiunt, figuram pueri, carnis, aut cruoris in hostia apparentis, non esse Christi secundum speciei proprietatem, veram & naturalem carnem aut sanguinem, sed figuram & colorem ipsis speciebus inhærentem. Quæ quidem species sic affectæ longo tempore conseruantur miraculosè. Quousque enim apparent corruptionis signa, vt veræ species Christum continentes, venerandæ sunt & conseruandæ; si verò ad priorem

Thom. 3. p q 76. art. 8. Durand. dist. 10 q. 4.

formam

formam redeant, consumi poterunt.

Apparitiones in Euchar. quibus modis fiant.

Bifariam insuper huiusmodi apparitio fieri solet. Interdum nulla circa sacramenti species facta mutatione, sed tantùm circa potentiam, oculos, aut imaginationem videntium, diuinâ virtute in sensu externo, aut interiori species producente, quibus visio fiat, sicut Prophetis accidit: aliquando per realem mutationem coloris, figuræ, aliorúmque nonnullorum accidentium, specierum integra permanente interim quantitate; quæ huiusmodi accidentium fundamentum est. In prioris generis apparitione, cùm solùm in potentiis hominum mutatio fiat, indubitanter sacramentum permanet. In altero apparitionis modo, vbi coloris & figuræ, aliorúmque nonnullorum quantitatis accidentium mutatio fit, remanente tamen sapore, vi confortandi, & aliis quibusdam proprietatibus, quibus saluis conseruari natura panis etiam posset; fatendum quoque est, non obstante admiranda coloris & figuræ immutatione Christum sub quantitate incorrupta sacramentaliter præsentem remanere, donec tanta specierum immutatio fiat, vt ad corrumpendum panem sufficeret: ideóque talem hostiam, carneam vel sanguineam, rectè cultu latriæ adorari.

Hostia apparens carnea, cultu latriæ adorari potest.

Neque verò, etiam si vera Christi caro in propria specie non conspicitur, vlla deceptio est, quoniam huiusmodi representatio non ad fallendum exhibetur, sed interdum ad confutandum infideles, præsertim veritatem præsentiæ in sacramento Eucharistiæ negantes: aliquando ad terrendum peccatores, ne indignè accedant: nonnunquam ad confirmandos in fide infirmos: sæpe verò ad amicos consolandum. Prudenter autem ex fructu, fine, ac effectu visionis discernendum est, an apparitio diuina sit, aut dæmonis illusio, vel turbatæ potentiæ imaginatio. Quocirca ad monimentum diuinæ potentiæ tales miraculosæ hostiæ non sumi, sed perdurante apparitione conseruari in Ecclesia consueuerunt. Aliquando tamen ipsam Christi veram carnem secundùm propriam speciem oculis videndam exhiberi, Lanfrancus libr. *De sacramento Eucharistiæ* asserit. *Nec defuêre*, inquit, *quibusdam diuina miracula, quibus rerum visibilium atque corruptibilium ablatis tegumentis, sicuti reuera est, apparet corporalibus oculis caro Christi & sanguis, omnipotente Deo sanante infirmorum imbecillitatem, & terribiliter euertente atque damnante omnium hæreticorum detestabilem prauitatem.* Cui discipulus eius Guitmundus consentiens, ait, *Quando nouum miraculum in mysteriis accidit, placeret mihi inde fieri, quod D. Lanfrancus se puero in Italia factum esse narrauit. Nam cùm Presbyter quidam missam celebrans, inuentam super altare veram carnem, et verum in calice sanguinem, secundum propriam carnis et sanguinis speciem sumere trepidaret, rem protinus suo Episcopo, consilium quæsiturus, aperuit. Episcopus autem cum multis coepiscopis ad hoc conuocatis, calicem illum cum eadem carne & sanguine Domini diligenter opertum, ac sigillatum, in medio altaris inclusit, prosumis reliquiis perpetuò reseruandum.*

Que fine apparitiones in Eucharist. fieri soleant.

Hostia miraculosæ conseruari solent.

Lanfrancus pag 16.

An vera Christi substantia pareat? Ioan. Diacon. lib. 2. vitæ Grego. Papæ c. 41.

Lib. 2. de Eucharist. Sacramento, pag 44.

CAP. XII.

Christum in Eucharistiâ, licet velatum, aspicimus & tractamus.

QVamdiu ergo panis & vini natura saluis accidentibus præ-

sens est, tamdiu Christi corpus & sanguis (in quæ substantia elementorum transmutata est) sub remanentibus panis & vini speciebus in sacramento Eucharistiæ consistunt. Et quemadmodum panis & vini substantia corporaliter, visibilitérque per accidentia visui obiecta erat; ita Christi corpus veraciter sensibus nostris subijcitur, videtur, tangitur, corporalitérque in sacramento manducatur, & arctissimè nobiscum, quando sumimus, vnitur; iuxta Domini verba: *Accipite*, scilicet manibus: *comedite et bibite*, ore corporis: additóque pronomine demõstratiuo: *Hoc est*, ait, *corpus meũ*: hoc, quod videtis, quod trado, quod manibus tractatis; significans, se corpus visibile atque palpabile fidelibus relinquere, quod manibus Sacerdotum tangatur, populóque fideli adorandum conspiciendúmque proponatur. Licet enim quamdiu in via positi à Domino peregrinamur, eum nonnisi in peregrina specie oculis carnis intueamur; attamen non aliud, quàm ipsum in sacramento habemus. Sicut enim Maria Magdalena Dominum in specie hortulani cernens, non aliud quàm Iesum ipsum videbat; & discipuli, quorum oculi tenebantur, ne eum agnoscerent, putantes esse peregrinum, vel super vndas ambulantem, arbitrabantur esse phantasma, non tamen aliud quàm Iesum videbant, ita & nos, quamuis eum nonnisi peregrinis accidentibus obuolutum carnis oculis contueamur, attamen corporaliter & visibiliter præsentem habemus, vt cum Diuo Chrysostomo veraciter asserere queamus, idem in altari corpus à nobis videri, quod à Magis visum est in præsepi, & regium corpus in terra videndum proponi; non Angelos, sed ipsum Angelorum Dominum (*ipsum tangis, ipsum vides, ipsum comedis*) & vno eodémque momento rapi in cælum, & in altari ab omnibus videri. Quod adeò notum olim fuit, vt Maximus Gentilis Augustino velut absurdum obiecerit, quòd Christiani se Deum suum videre crederent; quod misericordiæ ac pietatis esse, vt in specie panis Dominus mortalium oculis appareat, confitetur (libro 3. *de Trinitat.* caput 10.) Augustinus.

Nec porrò his aduersatur, quòd obijciunt aliqui, consecratam hostiam non posse visu discerni à profana; proinde in neutra corpus Domini videri: nam rei discretio non minùs fit oculo mentis quàm corporis, & sæpe videmus quod non agnoscimus. Samaritana enim Christum videbat & affabatur, nec tamen dignoscebat. Similiter interrogatus cæcus, an in Dei filium crederet, audiuit à Christo: *Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est*. Deinde sicut ipsum Christi corpus adhuc mortale ab impijs simul & fidelibus oculis cernebatur, sed non similiter & eâdem veritate agnoscebatur: ita nunc præfractæ ceruicis hæreticus, aut quiuis alius ex infidelium deploratissimo numero, consecratam hostiam intuens, Christi corpus oculo corporali videt, licet hoc non credat, nec Christum ibi esse præsentem interiori mentis oculo percipiat, non secus quàm infideles Iudęi Christum loquentem, docentem, differentem, imò maxima plurimáque miracula edentem audientes, intuentes, & cum eo decertantes, videbant quidem, sed Christum tamen esse nesciebant, nec credere volebant.

Matth. 26.

Christum verè, licet in peregrina specie, videmus & tangimus. Ioan. 20.

Luc. 24. Matth. 14.

Chrys. ho. 24. in 1. ad Cor. hom. 83. in Matt. hom. 60. ad Antioch.

Cyril. li. 12. in Ioan. ca. 58.

Greg. hom. 22. in Euan.

Aug. ep. 43.

Aug. li 3. de Trinit. cap. 10.

Hostia cõsecrata discerni sensu à prophana nequit.

Ioan. 4. & 9.

Christus videtur & etiam si nõ dignoscatur.

CAP. XIII.

Quòd extra vsum sacramenti sub hostiâ consecratâ corpus Christi remaneat.

Kemnicius in examine Cõcil Trident. p. 376.

LVtherani odiosè Catholicam doctrinam traducentes, mira impudentia scribunt, inculcant, clamitant, Pontificios docere, Christum Deum & hominem, in pane & vino extra vsum à Christo institutum durabili coniunctione permanere; contendentes ex aduerso, tunc primùm benedictum panem fieri corpus Christi, quando incipit manducari; nec Christum in sacramento diutius adesse, contineri, vel permanere, quàm in ipsa exhibitione & manducatione corporis & sanguinis sui. Ad hoc enim Christum in confectione Eucharistiæ solùm præsentem esse, vt exhibeat vescentibus suum corpus & sanguinem; huiusque pernicioſissimæ assertionis fundamentum in falso confictóque axiomate collocant, *sacramenta extra vsum non habere rationem sacramenti*: quorum impostoras vt luculenter fideles agnoscant, repetendum est, Ecclesiam Catholicam tradere, in Eucharistiæ sacramento, peracta consecratione, sub panis & vini speciebus (non autem cum pane & vino secundùm proprietatem substantiæ, quàm esse conuersam in corporis & sanguinis Christi substantiam docet) corpus & sanguinem Domini adesse, contineri, & durabili coniunctione permanere, non minùs quàm in vsu, dum sumitur, vt à Concilio Tridentino declaratum est. Quod simul admonet, vsui à Deo instituto non aduersari, quòd hostiæ consecratæ non omnes statim sumantur, sed aliquæ in sacrario ad vsum infirmorum vel aliorum fidelium reseruentur. Eucharistiæ insuper sacramento esse peculiare, quòd ipsum sanctitatis authorem ante vsum præsentem contineat, cùm reliqua sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habeant, cùm illis quispiam vtitur. Nondum enim Eucharistiam in vltima Cœna de manu Domini Apostoli susceperant, cùm verè tamen ipse affirmaret, corpus suum id esse quod præbebat. Non enim dixit: hoc erit corpus meum; sed, *hoc est corpus meum*. Atque ideò ad corporis & sanguinis sumptionem inuitat, quoniam *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*. Quod Apostolus tanquam fidelibus notissimum proponens: *Panis*, inquit, *quem frangimus, nónne communicatio Corporis Domini est? & calix cui benedicimus, gónne communicatio Sanguinis Domini est?* qui scilicet in calice per benedictionem sistitur, non per sumptionem. In quem Apostoli locum Chrysost, *quid est*, ait, *in calice? quod ex Christi latere fluxit*. cum Apostolo corpus Domini non solùm in ore fidelium esse agnoscens, sed etiam in altari vasisque sacris. Quomodo enim diiudicari sanguis aut corpus Domini in altari existens, ab aliis cibis posset, si ante sumptionem in mensa Domini non esset præsens? quomodo etiam verum erit: *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*, si antequam bibatur, nullus ibi sanguis existat?

Corpus Christi in Euchar. extra vsum remanet.

1. Cor. 10.

1. Cor. 11.

Matth. 26.

Sess. 13. can. 4. & 7.

Lutheranorum itaque figmentum est, panem tunc primùm fieri corpus Christi, quando incipit manducari, cum verbis & institutione Christi, atque traditione Apostoli Pauli, veterisque Ecclesiæ doctrina è diametro pugnans. Patres enim sacramentum Eucharistiæ

In sacramẽto Eucharistiæ duo sunt: corpus Christi, & species panis & vini.

duabus rebus constare docent, Verbóque incarnato conferunt; quia sicut in Christo duæ naturæ, ita & in hoc sacramento corpus Christi, & accidentia sint panis & vini. Sic Irenæus ait, Eucharistiam constare ex re terrena & cælesti, docens, Sacramentum Eucharistiæ non esse manducationem corporis Domini, sed panem consecratum. Similiter Augustinus libr. 20. *contra Faustum* cap. 13. panem non solùm, dum consecratum, sed etiam consecratum vocat sacramentum religionis. Iustinus martyr in fine apologiæ 2. *Hic cibus à nobis Eucharistia appellatur.* Tertullianus libr. *de corona militis*, Eucharistiam pro defunctis oblatam fuisse commemorat. Cyprianus serm. *de lapsis* corpus Domini à nonnullis domi in arca reseruatum fuisse narrat. Concilium Nicenum can. 14. Diaconos aliis porrigere corpus Christi asserit. Cyrillus catechesi mystag. 5. iubet dextera manu Christi corpus accipi. Optatus lib. 2. Donatistas Eucharistiam canibus dedisse refert, & libr. 6. *contra Parmenianum*, altare vocat sedem corporis Christi, & calices, sanguinis Christi portatores. Victor Vticensis libr. 1. historiarum cap. 3. Arianos summo furore Eucharistiam in terram proiecisse, impiisque pedibus conculcasse queritur. Similiter Chrysostomus epistola priore ad Innocent. in sacrarium milites ingressos fuisse queritur, atque sacrum Christi cruorem in vestes effudisse. & homilia 24. in primam ad Cor. exhortatur fideles, vt in altari Christum adorent, quem in præsepi vagientem Magi ab Oriente venientes adorauerunt. Ex qua Christum adorandi in sacramento Eucharistiæ consuetudine, Gentiles arbitrati sunt, Christianos Bacchum & Cererem colere, Augustino teste libr. 2. *contra Faustum* cap. 13. Solet enim donum consecratum ostendi populo, adorari, & inuocari, vt ex verbis Dionysij Areopagitæ constat: *O diuinum penitus, sanctúmque mysterium, obducta tibi significantium operimenta signorum dignanter aperiens, nobis palam, atque apertè lucesce!*

Quo & pertinet, quòd summa diligentia cautum semper fuerit, ne quid Eucharistiæ in terram decideret, ac ne à profanis tractaretur, imò ne vel conspiceretur ab infidelibus aut catechumenis. Vnde Ethnicis orta persuasio anthrophagiæ atque infanticidij, Eusebio teste lib. 5. historiar. cap. 1.

Præterea luculenter omnium ætatum scriptores attestantur, corpus Domini in Eucharistia Christianæ religionis esse sacrificium, cuius oblatione Deo cultus latriæ exhibetur: quod manducationi (qua non Deo, sed homini aliquid præbetur) non nisi impropriè & generali ratione tribui potest. Ac postremò à primis Ecclesiæ temporibus extra mysteriorum celebrationem Eucharistia in varios vsus reseruari solet. Cùm enim in spirituale fidelium alimentum, pignúsque mutui amoris, concordiæ, ac societatis institutum sit hoc sacramentum, & ob casus repentinos, qui ex infirmitate aut quauis alia necessitate obueniunt, cœtus publicos Ecclesiæ adire non rarò homines impediantur; consentaneum diuinæ sapientiæ fuit, vt extrà vsum Cœnæ dominicæ reseruari posset, vt ad hospites, absentes, vel peregrinationem longam ineuntes, aut ad martyrium raptos, vel ægros transmitti valeret; quod Apostolorum tempore fieri consueuisse attestatur Clemens libr. 8. *constitutionum Apostolicarum* cap. 4. *Postquam*, in-

Lib. 4. c. 14.

Aug. lib 20. cont. Faust. cap 13.

Cypr. serm. de lapsis.

Cõcil. Nice. can. 14.

Cyrill. catechesi mysta. 5.

Optatus li. 6.

Victor Vticen. lib. 1. Histo. c 3.

Chrysosto. in epist. ad Innocent.

Gentiles Christianos opinati sunt Bacchũ & Cererem colere.

Aug. lib. 2.

Cõt. Faust. cap. 13.

Dionys. Areopag. lib. de Eccl. hier. cap. 3. p. 3.

Gentiles Christianos anthropophagos dixere.

Euseb. li. 5. hist. c. 1.

Eucharistiæ reseruatio ad vsus varios.

quit, *omnes sumpserint, accipiant Diaconi reliquias, & portent in Pastophoria.* id est, (Hieronymo interprete in cap. 22. Isaiæ) in præpositi templi tabernaculum, seu in vas, in quo Sacramentum asseruandum recondebatur. Scribit & Iustinus in fine Apologiæ 2. sacris peractis Eucharistiam per Diaconos ad fratres absentes, qui per impedimenta celebrationi sacrorum adesse non poterant, deferri consueuisse. Irenæus in epist. ad Victorem, quam refert Eusebius lib. 5. histor. cap. 24. narrat, illius temporis morem habuisse, vt Papa Romanus in signum pacis, communionis, & concordiæ, alijs Episcopis Eucharistiam transmitteret. Idem Eusebius lib. 6. hist. cap. 34. ex Dionysio Alexandrino commemorat, Serapioni notæ sanctitatis Eremitæ, in extremis agenti, presbyterum Eucharistiæ particulam transmisisse. Tertullianus lib. 2. ad vxorē, & Cyprianus serm. *de lapsis* attestantur, à mulierculis fidelibus Eucharistiam in arculis domi nonnunquam in opportunum vtendi tempus reseruatam fuisse. Scribit & Beda in suo martyrologio, Tharsitium martyrem ideò à Paganis necatum fuisse, quia Eucharistiam, quam deferebat, eis prodere nollet. Statuit verò Concilium Nicenum can. 13. nemini post lapsum pœnitenti communionem in articulo mortis denegandam. At certum est, huiusmodi ægros ad publicum Ecclesiæ cœtum ire nequiuisse, nec in singulorum priuatis ædibus mysteriorum consecrationem peractam esse: nam can. 14. decretum est, vt absente Presbytero Diacono Eucharistiam porrigerent: & beato Laurentio Leuitę commissam fuisse Dominici sanguinis dispensationem, scribit Ambr. & post eum Leo in sermone *de S. Laurentio*. Anachoretas in eremum Eucharistiam secum deportare solitos, quia Ecclesias, in quibus Presbyteri commorarentur, rarò visitare possent, affirmat Basilius. Nazianzenus oratione in Gorgoniam refert, eam nocturno tempore in Ecclesia procubuisse coram Eucharistia, in altari constituta. Diui Ambrosij frater in oratorio inuolutam Eucharistiæ particulam collo appensam gessit, cuius auxilio fretus imminente naufragio se in mare præcipitans, incolumis ad littus euasit. Quid de Exuperio. Tholosano Episcopo referam? quem collaudat Hieronymus, quòd ob inopiam voluntariam corpus Domini in canistro vimineo, & sanguinem in vitro portauerit? Optatus libr. 2. & 6. *contra Parmenianum* deplorat, Donatistas canibus Christi corpus edendum proposuisse. Cyrillus in epistola ad Calosyrium eos insanire censet, qui Eucharistiam in alteram diem conseruatam vim suam amittere sentiunt. Gregorius lib. 2. Dialog. c. 24. refert, S. Benedictum Eucharistiam penes se reseruatam pectori cuiusdam defuncti super posuisse. In Synodo Constantinopolitana quinisexta can. 52. decretum fuit, vt in Quadragesima, sabbato tantùm, & Dominico die sacrificij consecratio fieret; reliquis autem diebus ex præsanctificatis communio daretur: idque propterea, quia sacrificium offerre, sit diem festum agere; ieiuniorum autem dies, non gaudij, sed luctus & compunctionis existant. Multis insuper Conciliorum decretis mos ille vetus reseruādi Eucharistiam comprobatus est, quem apud Burchardum lib. 5. Decreti, & Iuonem parte 2. Decreti, atque Gratianum de consecratione distinct. 2. videre licet. Quibus generalis Concilij Tridentini definitio

Iustinus apol. 2. Eucharistia solet ad absentes mitti.

Euseb. lib. 5. c. 24.

Li. 1. officio c. 41.

Gorgonia procumbit coram Eucharistia.

Cõc Trid. sess. 13. can. 7.

nuper accessit sess. 13. can. 7. *Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reseruari, anathema sit.* Quæ sanè consuetudo tam vetus est, vt eius meminerit Clemens lib. 8. *Constitut. Apostolicar.* cap. 20. & epistola 2. vbi eam cautionem in Eucharistia conseruanda adhibendam tradit, vt nullum putredinis specierum periculum ex nimis diuturna illarum reseruatione conflet: quòd si autem circa species Sacramentales inopinato euentu aliquid accidisset, quod eas sumendo horrorẽ incuteret, (putà si araneus in calicem incidens, suffocatus in specie vini remaneret) tunc igne absumi solere, Concilium Aurelianum, Isichius, Guitmundus, & Algerus testantur. Quæ autem hostiæ vsui ægrotorũm, aut fidelium quotidie, vel crebrò communicantium feria quarta vel sexta, quando Sacramentum renouabatur, superererant, innocentibus pueris manducandæ tradebantur, vt Euagrius, Greg. Turonensis, Nicephorus, & Concilium Matisconense can. 6. attestantur.

Quo casu species igne consumi solent.

Ne verò ad veneficia, vel alia sacrilegia quidam venerabili Sacramento abuterentur, variorum Conciliorum decretis statutum est, ne fideles (vt aliquando consueuerant) Sacramentum è templo secum exportarent, aut in locis profanis conseruarent; sed in templis, oratoriisque Deo consecratis reseruari consueuisse, hac ipsa prohibitione significarunt. Neque porrò dictis Christi exemplum aduersatur, qui discipulis Sacramentum præbendo dixit: *accipite & comedite:* vbi non distulit, nec manducationem in crastinum differri iussit. Nam Dominus multa quidem per se non disposuit, sed per Apostolos circa Eucharistiæ Sacramentum obseruãda præcepit, vt ex Apostolo Corinthijs scribens: *Cetera cùm venero disponam*, colligit Augustinus epistola 118. cap. 6. *Ideò*, ait, *non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum.* Vnde intelligi datur, totum illum agendi ordinem, quem vniuersa per orbem seruat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse: ac proinde etiam ex Apostolica traditione manasse, in quos vsus, vbi, quando, & quamdiu hoc Sacramentum à fidelibus reseruandum esset. Sed cùm pro vsu infirmorum atque superuenientium peregrinorum conseruari potuisse satis ostensum sit; inquirendum superest, vtrùm ad religionis cultum Eucharistia rectè conseruetur? Item an hostiæ consecratæ cultus latriæ tribui debeat?

Propter periculũ profanationis prohibitũ est Eucharistiam locis non cõsecratis seruari.

Christus Apostolis commisit, vt obseruãda circa Eucha. præciperent.

Missæ ritus ab Apostolis ordinatus est.

Cap. XIV.

Quòd ad religionis cultum rectè Eucharistia conseruetur.

Cvm ex dictis luculenter constet, Eucharistiã esse Filij Dei corpus & sanguinem, non tantùm in vsu Sacramenti, sed etiam ante, vel post vsum, quamdiu species panis & vini integræ permanent consequitur, Eucharistiam esse adorandam, siue in ea filium Dei. Nã Deus semper & vbique adorandus est; non enim eius adoratio certo alicui loco, aut tempori alligata est. Quare cùm nobis præcipiatur, vt Deum adoremus, necesse est adoremus eum hominem factum, iuxta quod Paulus dicit, ei omne genu flecti. Verum quidem est, corpus Christi non esse Christum, sicut nec brachium vel caput Regis, Rex est: attamen quia brachium vel caput Regis, pars est Regis, qui illud oscula-

Deus in Eucharistia adorandus est.

Ioan. 4. 1. Tim. 3. Matth. 4.

Philip. 2.

tur & honorat, vel percutit aut deturpat, Regem censetur honorare, percutere aut deturpare. Ita cũ corpus Christi in persona filij Dei subsistat, nec aliã seorsim subsistentiam habeat, quidquid illi fit aut impenditur, non nisi Filio Dei fieri & impendi arbitrandum est. Nam Iudæi non alium crucifixerunt, quàm *Dominum gloriæ*, quamuis eum secundùm corpus tantùm vulnerauerint. At sicut anima rationalis & caro vnus est homo: ita Deus & Homo vnus est Christus, vnâ eadẽq; adoratione cum Patre & Spiritu sancto adorandus, vt in Concilio Ephesino contra Nestorium totius orbis consensu definitum est. Cui August. consentiens: *Ego*, ait, *Dominicam carnem adoro, quoniam à diuinitate suscepta, & Deitati vnita est, vt non alium & alium, sed vnum eundémque Deum & hominem Filium Dei esse confitear.* Quare fides corporalis præsentiæ carnis Filij Dei in Eucharistia, & necessitas adorandi, sunt ita connexa, sicut fides vnius Dei, & necessitas eum adorandi. Cùm enim nihil sit adoratio, nisi externa & corporalis creditæ diuinitatis per corporis inflexionem, vel alium venerabundum gestum protestatio: satis liquet, ei adorationem præstandam esse, quem Deum credimus. Vnde sicut constanter in Ecclesia semper traditum est, corpus Christi esse in hoc Sacramento ita pariter illud esse adorandum. Sicut enim Christus à Magis, ab eo, qui cæcus natus erat, à Magdalena & Maria Iacobi, atque ab omnibus Apostolis, dum cœlos conscendit, in propria specie apparens adoratus fuit; ita nunc in Sacramẽto præsens adorandus est. Nec ideò minùs Christi corpus adorandum est, quia vt iumeretur, datum sit: sufficit enim, illum eundem verũ Deum esse præsentem, quem Pater æternũ introducens in orbem terrarum dicit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Ac sanè dum Christus pronunciauit: *Hoc est corpus meum* (qui scilicet sum Filius Dei viui) satis admonuit, adorationem sibi, suóque corpori in Eucharistia deberi. Similiter Apostolus dum eos reprehendit, qui non dijudicant corpus Domini, haud obscurè significat, neminem dignè illam carnem manducare, nisi priùs eandem adorauerit, vt impleatur illud Psal. 21. *Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites plebis*; & illud Psalm. 98. *Adorate scabellum pedum eius.* In quem locum Augustinus, *Quia in ipsa carne hîc ambulauit, & ipsam vobis carnem hîc manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adorauerit; inuentum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Quã versiculi tractationem ex D. Ambrosio detumptisse videtur. Is enim sic habet: *Videamus, ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus Iesus in carnis assumptione suscepit.* Itaque per scabellum terra intelligitur: per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysterijs adoramus. Sic & Chrysostomus: *Hoc corpus reueriti sunt Magi in præsepi, & viri barbari longo itinere confecto cũ timore & tremore adorauerũt. Imitemur saltẽ barbaros hos, qui cœlorũ ciues sumus. Illi enim cũ id præsepe & tugurium tamũ, neq; eorum quidquam, quæ tu nunc intueris, viderũt, summa accesserunt reuerentia & honore: tu verò non in præsepi, sed in altari; non mulierem, quæ in vlnis teneat, sed Sacerdotẽ præsentem, & spiritum superabũdè super propositio sacrificio diffusũ vides; nec simplex, vt illi, corpus intueris, sed & eius potentiam,*

Quod corporis Christi sit, Dei filio fieri censetur.

Pſal. 96. Hebr. 1. Matth. 26. Matth. 4.

1. Cor. 11.

Pſal. 21.

Christus vna cũ Patre & Spiritu sancto adoratione honorandus.

Pſal. 98. Auguſt. in Pſal. 98.

Aug. ſerm. 58. de verb. Domini.

Chriſtus in Euchar. recte adoratur.

Ambroſ. lib. 3. de Spiritu ſancto, c. 12.

Adoratio quid?

Chryſoſt. hom 24. in 1. ad Cor.

Matth. 2. Ioan. 9. Ioan. 20. Lucæ 24.

et omnem cognoscis administrationem. Excitemur itaque, horrescamúsque, & maiorem quàm barbari illi, feramus pietatem, & non frigidè accedentes vehementiori igni caput obyciamus.

Christus in Eucharist. ab angelis adoratur.

Varíisque in locis eandem doctrinam inculcans, addit, Christum in Eucharistia non à solis hominibus, sed etiam ab Angelis adorari, quos sacrificij tempore, circa altare Domino genu flectere, ac tanquam milites præsente rege, inclinato capite astare describit. Si autem Christum in Eucharistia (Chrysost. authore) Spiritus angelici venerantur; quis homines iure poterit reprehendere, si quoque Dominum suum ibi præsentem adorent, cúmque Psalmographo dicant: *Venite adoremus, & procidamus ante Deum?* Verè siquidem Eusebius Emissenus scriptum reliquit, institutum esse Eucharistiæ Sacramentum, vt Christus iugiter colatur per mysterium. Basilius inter non scriptas traditiones recensét Christi inuocationem in Eucharistia: *Inuocationis*, ait, *verba, cũ ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis sanctorum nobis in scripto reliquit?* Sic & Theodoretus Dialogo. 2. *Intelliguntur*, inquit, *mystica symbola, quæ facta sunt & creduntur, & adorantur, tanquam ea existentia, quæ creduntur.* Cyril. catechesi Mystagogica 5. & vetustior Origenes hom. 5. in diuersos Euangelij locos: *Quando sanctum cibum, illúdque incorruptum accipis epulum, quando vitæ panè & poculo frueris, manducas et bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur: & tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc Centurionem, & dicito; Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti.* Eóque prior Clemẽs lib. 2. Constitut. Apostolicarum c. 61. *Postquam oblatum fuerit sacrificium, accipiant singuli per se, ordine, Dominicum corpus & pretiosum sanguinem, gradatim cum pudore & timore, tanquam ad Regis corpus accedentes.* Illique synchronos Dionysius Areopagita libro de Ecclesiastica Hierarchia c. 3. parte 2. *At verò*, inquit, *Pontifex cum diuina munera laude prosecutus fuerit, sacrosancta & augustissima mysteria conficit, & quæ antè laudauerat, venerandis operta signis, in conspectum agit, diuináque munera reuerenter ostendens* (vt scilicet populus adoret) *ad sacram illorum communionem ipse conuertitur.* Et parte 3. *Sed ô diuinum penitus sanctúmq; mysterium, et obducta tibi significantiùs operimenta signorum dignanter aperiens, nobis palam atque aperte lucescens, nostrósque spirituales oculos singulari & aperto tuæ lucis fulgore imples.* Vbi Christum in Eucharistia præsentem non solùm rectè adorari, sed etiam inuocari disertis verbis ostendit, cùm ipsemet suffragium diuinissimi mysterij piè inuocet. Quare meritò Concilium Tridentinum sess. 13. can. 6. insanam Lutheri doctrinam condemnauit, his verbis: *Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramẽto Christum vnigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, vel non publicè, vt adoretur, populo proponendum, & eius adoratores esse idololatras, anathema sit.*

Chrysost. hom. 3. in epist. ad Ephes. li. 6. de Sacerdotio de incõprehens. Dei natura. Psalm. 94.

Euseb. Emiss. ho. 5. de Pasch.

Basil. lib. de Spiritu sancto c. 27.

Origen. hom. 5. in diuersos Euangel. locos.

Matth. 9.

Clemens lib. 2. Constitut. Apostolic. c. 61.

Dionysius Areop. Eucharistiam inuocat.

Conc. Trident. sess. 13. can. 6.

Cap. XV.

De circumgestatione Eucharistiæ.

Eucharistia rectè circũfertur.

QVamuis in Scriptura sacra nihil expressè legamus de circumferẽdo Eucharistiæ Sacramento, eóque ad adorationem populo exhibendo; attamen in ea quippiam simile

simile legimus. Cùm enim Moyses iubente Deo arcam ædificasset, vt in loco quem Dominus elegisset, constitueretur: nihilominus filij Israël, animaduertentes, Dominum per delatam à Sacerdotibus arcam operatum fuisse Iordanis exsiccationem, & murorum ciuitatis Hiericho euersionem, incruentásque victorias dedisse; etiam postea Heli tempore sunt imitati, necnon Saulis regis, qui arca Dei existente in castris insignem victoriam retulit, qualem & Dauid per arcæ præsentiam de Ammonitis obtinuit. Ac cũ idem domum Obededom Gethæi propter arcam Dei, quæ ibi quieuerat, benedictam intellexisset, eandem cũ multis ceremonijs solenni pompa, lætitiáque publica in ciuitatem Hierusalem transferri curauit, spernens verba indignantis vxoris Michol, quibus ei exprobrabat, quòd nudus ante Domini arcam saltasset. Cùm ergo honor tantus piè sit arcæ impensus, Deóque gratissimæ fuerint solennes illæ in arcæ delatione populi totius Israëlitici processiones, cur non liceat Eucharistiæ Sacramento, longè maiori veneratione dignum, in quo Christũ Dominum (à quo bonum omne nobis procedit) habemus præsentem, per vicum, ciuitatẽ, aut parochiam circumferre, vt ei benedicat? præsertim cùm hoc plurimùm congruat recolendis Christi gestis, qui hîc mortalis agens, hominúmque salutem quærens, in medio populi conuersatus est, peccatores & pauperes non despiciens, sed totam Iudæam & Galilæam circumiẽs, docuit omnes Euangelium regni, sanauitque omnem populi languorem. Nos itaque contemptis cum Dauide aduersariorum contradictionibus, nihil dubitemus, summum Eucharistiæ honorem deferre, ad eámque honorandam alios prouocare, ac declarare, quanti eam faciamus, etiam circumgestando cum solenni pompa. Maximè cùm huius facti & exemplum & ratio in Scriptura sit, idque commendet non solùm vtilitas, sed & communis Ecclesiæ Catholicæ consensus, quæ piè ac religiosè hunc morem instituit, vt annis singulis peculiari quodam festo die hoc Sacramentum in processione reuerenter ac honorificè per vias & loca publica deferatur. Idque inprimis, ne tantum Sacramentum debito sibi honore defraudaretur, simúlque, vt omnes Christiani statuto aliquo die rara quadam significatione gratos & memores animos erga Dominum testarentur pro ineffabili beneficio, quo mortis eius victoria triũphúsque repræsentatur. Hoc enim scopo Vrbanus IV. Corporis Domini festum, solennémque illam processionem instituit: cuius decretum Clemens V. cum Viennensi Concilio confirmauit, vt populus scilicet Christianus Deo gratias ageret pro immenso redemptionis beneficio, per Christi mortem humano generi impenso: tum etiam, vt vulgares Catholicę fidei mysterium circa Eucharistiæ Sacramentum luculentiùs discerent, firmiúsque retinere assidua festi celebratione admonerentur: ac denique, vt de mendacio & hæresi Sacramentorum victrix veritas triumphum ageret, eiúsque aduersarij ex publica totius Ecclesię adoratione, eximióque honore, quem Eucharistiæ Sacramento exhiberi conspicerent, pudore affecti, errore abiecto resipiscerent.

Neque verò solùm vno aliquo certo die, sed quotiescunque rei grauitas exposcit, licet Eucharistiam debito cultu venerandam, in publicis conuentibus offerre & circum-

Ioſue 6.

1.Reg.14.
2.Reg.11.

2.Reg.6. & 7.
3.Reg.8.

Si arca vet. teſtamenti rectè circũferebatur, cur nõ Eucharistia?

Rectè institutũ est Venerabilis Sacramenti festum.

Clementina de Reliquijs & ven. sanctorum.

gitare, vt fidelis populus tam spiritualem quam corporalem opem à Christo vero Deo & homine in illo Sacramento præsente admoneatur suppliciter implorare. Circa hæc fœmina quædam à primis Ecclesiæ Christianę tęporibus exstitisse comperimus. Nam ex Dionysio, omniúmque temporum liturgijs constat, post consecrationem solenni more, populo Sacramentum ad religiosam venerationem fuisse ostensum. Testatur & Iustinus martyr Apologia 11. post distributionem Eucharistiæ præsentibus factam, eandem per Diaconos ad absentes & infirmos non absque peculiari veneratione deferri solere. Eusebius quoque ex Irenæo refert, Episcopis peregrè aduenientibus Romam solenni quodam ritu Eucharistiam transmissam fuisse. Quò etiam pertinet, quòd Nazianzenus commemorat, in oratione de *obitu Gorgoniæ*, illam à Christo in Eucharistia præsente, corporalem salutem impetrasse: & Ambrosius testatur, Satyrum Eucharistiæ Sacramentum ad naufragium euadendum secum deportasse. Cyrillus catecheſi mystag. 5. hortatur, vt sumpturus Eucharistiam, pronus adorationis in modum accedat.

Lib. 5. hist. c. 24.

Cap. XVI.

Quòd in Eucharistiæ Sacramento sub vtrâuis specie totus Christus sit.

Christus est totus: semel quidem acta sub tota specierum quantitate, potẽtia verò in singulis partibus continuus.

EX corporis, aut sanguinis Domini nũc immortalis in Eucharistiæ Sacramento reali præsentia consequitur, per naturalem rerum coniunctarum concomitãtiam, sub vtrâuis distincta panis & vini specie, & sub qualibet insuper hostiæ post consecrationem diuisæ parte, integrum, totúmque Christum exstitere. Nam ex quo *Verbum caro factũ est*, nunquam vel corpus, vel animam à sua hypostasi separauit. Credimus enim, Filium Dei sepultum esse, cũ secundùm corpus tantùm sepultus sit: & ad inferos descendisse, cum solùm iuxta animam in inferno fuerit. Vnde apertissimè D. Ambrosius colligit: *In illo Sacramento Christus est, quia corpus est Christi.* Si enim in Eucharistia Christi caro esset absque diuinitate, nihil nobis eius prodesset esus; *Spiritus* enim (id est diuinitas) ait Christus, *est qui viuificat: Caro* (scilicet absque diuinitate) *non prodest quidquam.* Sicut autem diuinitas assumptam carnem & animam Christi nunquam à susceptione deseruit; ita (excepto mortis triduo) anima Christi corpus nunquam deseruit aut deseret. *Quoniam Christus iam non moritur: mors vltrà illi non dominabitur.* Ideóque viuum idem Christi, non aliud corpus in Sacramento fidelibus manducandum offertur, quod in cœlo immortale constitit: ac proinde totus hypostaticè Christus, non autem eius tantùm pars in Sacramento & singulis eius partibus continetur & sumitur. *Ego* enim (ait Christus) *sum panis viuus; qui manducat me, viuet propter me.* Et Apostolus pronunciat eum, *qui manducat panem, vel bibit calicem Domini indignè, reum esse corporis & sanguinis Domini*; qui scilicet totus sub vtrâuis specie Sacramẽti realiter exstitit. Quod ex Scripturis ostendit Synodus Ephesina prima, definiens eos, qui ad mysticas benedictiones accedunt, participes fieri corporis sancti, & pretiosi sanguinis Christi: *Non*, inquit, *vt communem carnem percipientes, quod absit; nec vt viri sanctificati, & Verbo coniuncti secundùm dignitatis vnitatem, aut sicut diuinam possidentis habitationẽ: sed verè viuificatricem, & ipsius Verbi propriam factam; vita enim naturaliter vt Deus existens, quia propriè carni*

Symbolum Apostolicum.

Ambr. lib. de ijs qui myst. initiantur c. 9.

Ioan. 6.

Rom. 6.

vnitus, viuificatricem eam esse professus est. Et ideo quamuis dicat ad nos: Amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem Filij hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis; non tamen eam, vt hominis vnius ex nobis existimare debemus (quomodo enim iuxta naturam suam viuificatrix esse poterit caro hominis?) sed vt verè propriam eius factam, qui propter nos filius hominis est factus & vocatus. Hæc illa Synodus. Similiter patet, non solam diuinitatem carni nunc esse coniunctam, sed etiam sanguinem atque animam, ex eo, quòd Christus iam non ampliùs moriatur: & denique ex eo, quòd in Cœna Christus Apostolis corpus suum nõ qualitercunque affectum, neque inanime vel exangue tradiderit; sed idem, quod in mortem tradendum erat, eundémque sanguinem, qui in remissionem peccatorum in cruce fundendus erat. Hoc autem corpus tũc viuebat, & à sanguine reipsa separatum non erat: & ille sanguis tunc in venis erat, Christi viuo corpori coniunctis. Ergo cũ nunc quoque immortalis iam existens Christus, nobis suum corpus & sanguinem tradat, quæ in Cruce Patri pro hominum salute obtulit, eáque iam sint animæ coniuncta; liquet, sub panis specie, corpori animam & sanguinem intimè coniuncta esse, & sub forma vini sanguinem corporis venis esse inclusum. Quæ quidem admirabitur, qui signa tantùm attenderit, & non rem sub signis latentem. At qui ad rem sub signis inclusam oculos sustulerit, facilè animaduertet, in Christo nullam esse corporis à sanguine, aut sanguinis à corpore separationem; atque Christum totum semel quidem actu esse sub tota specierum quantitate; in potentia verò sub singulis partibus continuis.

CAP. XVII.

De fructu Sacramenti Eucharistiæ.

Eucharistia duplicem vsum habet, Sacramenti & sacrificij.

QVemadmodũ Eucharistia instituta est in Sacramentum atque sacrificium, ita duplicem habet vsum. Nam vt Sacramentum est, fidelibus datur in cibum & potũ animæ, quo refici, vitámque spiritualem tueri, ac inter se & cum Christo vniri possint: qua verò ratione sacrificium est, Deo in summæ maiestatis eius recognitionem, debitæque seruitutis officiũ offertur; valetque ad impetranda quæcunque spiritualia, vel corporalia, temporaliáque aut æterna bona, simul ad deprecanda qualiacunque mala. Cuius rei typus in Agno paschali præcessit, qui etiam vtrámque Sacramenti & sacrificij conditionem obtinuit.

Fructus sumptionis Eucharist.

Quã vberes porrò ac multiplices fructus istius Sacramẽti sũptio producat, vel inde colligere licet, quòd omniũ gratiarum bonorúmq; fontẽ in se admirabili modo contineat. A quo ceu fonte ad alia Sacramenta, quidquid boni & perfectionis habẽt, dimanat, & ad sumẽtes amplissima charismatũ cælestiũ munera deriuantur. Quos enim vsus corporis panis & vini adferre solent, eos omnes animæ hoc Sacramẽtum perfectiori modo præbet. Nã animam ac corp⁹ viuificat, Christo nos vnit, qui per hoc mysterij nos sibi cõiungit, ac in se quodãmodo trãsmutat, diuinæq; naturæ cõsortes facit, iuxta illud: *Qui mãducat me, ipse viuet propter me.* Verbũ enim Dei carnẽ suã viuificã efficit, nõ secus quàm ignis ferrũ candens vrere facit. Sũpta itaque Christi caro spirituale animę vitã præstat, dum eam spiritu charitatis viuentẽ, à lapsu & peccati morte cõseruat, eiúsq; vires cõtra tentationũ impetus adauget atq; corroborat: ac instar cęlestis antidoti, ne anima letiferæ perturbationis veneno

Quos fructus corpori panis adfert, eos animæ Eucharistia. Aug. lib. 7. confess. c. 10. Ioan. 6.

facilè infici queat, operatur, minoréſque animæ culpas, & quotidianas infirmitates depellit; ac quid quid cupiditatis ardore leuiter offendendo animæ deceſſit, Euchariſtia religiosè ſumpta reſtituit; ac inſuper, vt rerum diuinarum ſuauitate nimis commoueatur, deuotéque in Deum feratur, ac ſerena conſcientiæ pace perfruatur; necnon vt fidelis virtutum officijs delectetur, vitia oderit, & in bono conſtanter perſeueret, efficit. Non ſecus quàm Helias in fortitudine ſubcinericij panis vſque ad montem Dei Oreb ambulauit; vnde à veteribus infirmitatis quotidianæ remedium appellatur; ac ligno vitæ, quod à morte præſeruabat; & mannæ, ex quo omnis ſaporis ſuauitas percipiebatur; atque ignito carboni, rubiginem vetuſtatis abſtergenti, comparatur. Et quidem iure optimo; cùm animæ vitam ſtabilem reddat, & quotidianos defectus reparet, carnis deſideria cohibeat, ardorem libidinis reprimat, ignéque charitatis animas fidelium magis ac magis inflammet, vitiorum rubiginem detergat; hominis vetuſtatem renouet; gratiarum incrementum, animóque ſpiritualem delectationem, & futuræ dulcedinis quandam præguſtationem conferat; ac denique hominem Chriſto tam ſecundùm carnem, quàm ſpiritum arctiſſimè coniungat, vt *membrum* ſit *corporis eius, de carne eius, & de oſſibus eius*. Ex quo deinceps conſequitur, fideles quoque omnes vnum inter ſe fieri, ſicut ait Apoſtolus: *Vnus panis & vnum corpus ſumus omnes, qui de vno pane participamus.*

Euchariſtia in bono cõfirmat, contra mala eſt antidotum.

3. Reg 19.

Euchariſtia ligno vitæ, & mannæ cõparatur.

Ambr. lib. 4. de Sacra. c. 6. & lib. 5. c. 16.

Iſa. 6.

Damaſcen. lib. 4. c. 14.

Epheſ. 5.

1. Cor. 10.

Cap. XVIII.

Cur Euchariſtia communio vocetur.

VNde communiõ hoc Sacramentum nuncupatur, quia per ipſum & Chriſto communicamus, & ad inuicem vnimur, idem corpus, eundémque ſanguinem accipiẽtes. Tribuitur quidem etiam Baptiſmo, quòd nos Chriſto & ad inuicem vniat: *Omnes enim in vnum corpus baptizati ſumus*, ſed aliud eſt inchoata vnitas, conſiſtens in ſolo affectu, aliud conſummata, per quam realis fit coniunctio. Nam aliter ſponſa vnitur ſponſo, dum vna cum eo caro efficitur, quàm dum ſola illi charitate cohæret: præcipuum autem bonum noſtrum eſt, vnum eſſe cum Chriſto. Sic enim non tantùm bonorum eius participes efficimur, ſed etiam ipſi inhæremus. Quod hominis bonum eſſe, canit Propheta, dicens: *Mihi adhærere Deo bonum eſt*. Vnitas autem membrorum Eccleſiæ illud, de quo Pſalmiſta gaudet, efficit: *Particeps ego ſum omnium timentium te, et cuſtodientium mandata tua*: quod quanti ſit faciendum, ex ciuili vnitate diſcere poſſumus. Homo enim quãtumuis ingenioſus, robuſtus, ſapiens, ac diues, ſi ſolus ſit, vix panem & veſtes ſibi cõparare poterit: at ſi ciuitati bene conſtitutæ adhæreat, quæuis ſibi neceſſaria facilè cõparabit, ab vno quidem ciue panem, ab alio veſtem, ab alio domum, ab alio defẽſionem, ab alijs alia quęcunque etiam ſupra neceſſitatem acquirens. Quanto verò vtilior firma adhæſio cum membris Chriſti, toto orbe diſperſis, quæ varijs functionibus, doniſque Spiritus ſancti, præcipuéque ardenti

Per Euchariſtiã Deo & inter nos vnimur.

1. Cor. 12.

Pſal. 118.

Communio quanta bona præſtet.

charitate, atque gemitibus inenarrabilibus tibi mutuò succurrunt? Si enim patitur vnum membrum, compatiuntur reliqua: si gaudet vnum membrum, congaudent omnia membra. Deinde cum omnis gratiæ fructus ex Christi passione profluat; quantò magis in hoc Sacramento recolitur Christi passio & repræsentatur, tantò abundantiorem gratiam hoc Sacramentum præ ceteris cõfert. Alia enim ad aliquem certum passionis Christi effectum obtinendum instituta sunt; hoc autem præcipuè, vt passionis Christi iugis in nobis memoria remaneret, & perpetuò in mortis dominicæ cõmemorationẽ offerretur & sumeretur, nósque Christo arctissimè coniungeret. Quò & pertinet, quòd per modum cibi & potus institutum sit; vt intelligeremus, hoc Sacramentum in vita spirituali omnem effectum habere, quem cibus & potus in vita corporali obtinent: corpus nimirum nutriendo, augendo, conseruando, confortando & delectando: quódque sicut absq; cibo & potu homo iuxta corpus viuere nequit; ita & spiritualiter absque Christi corpore & sanguine viuere nequeat, quæ non solùm animæ, sed & corpori vitam æternam conferunt, iuxta illud Christi; *Qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in nouissimo die.*

Vnum membrum alteri succurrit.

Eucharistia per modum cibi & potus cur instituta?

Ioan. 6.

Animaduertendum tamen est, huius Sacramenti cibum non solùm porrigi instar cibi hominis sani, fortis, ac robusti sed insuper instar cibi medicinalis, per quem virus antiqui serpentis suggestionibus afflatum depellatur, ortáque ex eo letalis cruditas digeratur, libidinisq; fons exsiccetur: non quia primarius Eucharistiæ fructus sit, letalia peccata, quorum homo conscientiam vel affectũ habet, remittere (cùm sit viuentium ac filiorum cibus, non mortuorum) sed quoniam antidotum est, depellens culpas quotidianas, & à peccatis mortalibus præseruans, aliáque præstans, quæ ex augmento gratiæ & charitatis (quam secum adfert hoc Sacramentum) consequi solent. Vnde *sensum diminuit in minimis, in grauioribus autem peccatis tollit omnino consensum.* Tantus ergo, támque admirandus cùm sit communionis huius sanctissimæ fructus, facilè colligimus expedire, non rarò, sed frequentissimè hunc cibum, atque præseruantem à malis medicinam accipere. Nam vt ait Ambrosius: *Qui semper pecco, semper habere debeo medicinam; quod hic deinceps confirmare aggrediar.*

Eucharistia est medicina sanans & præseruãs.

Ambr. lib. 4 de Sacra. cap. 6.

CAP. XIX.

De frequenti communione.

QVamuis populo Christiano, cuius maior pars negotiis secularibus implicatur, variisque affectum fluctibus agitatur, seueriorem de crebro Eucharistiæ vsu ferre legem minimè consultum Ecclesiæ fuerit vitium; attamen ad sæpius iterandam Eucharistiæ communionem fideles excitare non destitit, quin hortata est, vt quemadmodum corpori quotidie alimentum sollicitè prouident, ita etiam per singulos dies animæ nutriendę curam gerant, cùm nõ minùs anima cibo spirituali, quàm corpus ad suam refectionem alimento corporali ad reparandum quotidianas eius iacturas, ex carnis & spiritus lucta, frequentíque lapsu profluentes, indigeat; simúlque à Dæmonum, Carnis, & Mundi insultibus hoc salubri anti-

Frequens communio vtilis, sicut cibi.

doto protegenda sit. Cùm enim in hoc mysterio præcipuum lateat Christianæ religionis fomentum, si ex tepore aut fastidio rariùs hoc Sacramentum frequentetur, languescit pietas, faciléque inutilem perdit fidem, qui non exercet charitatem. Vnde in illis potissimùm gentibus hæresim inualuisse conspicimus, in quibus antea negligenter ac rarò communicabatur. Non enim hoc alimentum corporalium ciborum more nimio vsu fastidium parit; sed quò crebriùs adhibetur, eò ardentiùs expetitur, ipsóque animæ vita robustior, gustúsque Domini suauis, conscientiáque pacatior efficitur. Nam verè scripsit Bernardus de hoc Sacramento, quòd sensum diminuat in minimis peccatis, in grauioribus autem tollat omnino consentium: quódque ægris corpus Christi sit medicina, peregrinantibus via, debiles confortet, valentes delectet, languorem sanet, iracundiæ motus sedet, mansuetos efficiat, ad laborem patientes, ardentes ad amorem, sagaciores ad cautelam, promptiores ad obedientiam, ad gratiarum actionem deuotiores. Ob quæ aliáque quàm plurima diuina beneficia, ex crebra Eucharistiæ sumptione dimanantia, frequenter hoc Sacramento vti consultum est. Ad quod Sapientia Dei nos inuitans: *Venite*, ait, *comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis. O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me, inuenient me. Mecum sunt diuitiæ et gloria, vt ditem diligentes me & thesauros eorum repleam: et deliciæ meæ esse cum filiis hominum.*

Qui ergo amicus est Christo, sæpe ipsum ad se inuitet, ac ingredi hospitium corporis & animæ volentem non repellat, sed cum exultatione admittat, vt frequenti communione cum eo hîc inita familiaritate, post hanc vitam in æterna tabernacula ab eo recipiatur. Nam vberem esse hospitij sui mercedem, Christus his verbis indicat: *Qui manducat me, viuet propter*. Et, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Non enim diuersorium nostrum per Eucharistiæ mysterium ingreditur dies in omnia Dominus, quin eximia gratiarum munera hospiti suo relinquat, partim pro communionis officio, partim vt habitaculum sibi præparatum digniùs exornet. Præterea, cùm Dominus ignis consumens sit, accedentium se pectora inflammat, suáque præsentia vitiorum passionúmque rubiginem excoquit; necnon calores noxios sensim educit: cúmque alimenti qualitates frequenti vsu in corpus induci soleant, eum qui Christo similis fieri vult, hoc diuino cibo frequenter vesci oportet. Cúmque mundus infinitis occasionibus peccandi scateat, qui à peccatis præseruari desiderat, hoc audito eò frequentiùs vtatur, quò illi grauiora peccandi in dies pericula imminent. Nam & quo tempore aër lue infectus est, solent homines aduersus instans contagij periculum vti medicina præseruatiua, præsertim foras egressuri: non autem minor æternæ salutis animæ cura, quàm temporalis sanitatis corporis habenda est. Quemadmodum insuper peregrinus inter hostes iter facturus, sibi diligenter comites & arma prouidet, quibus munitus vim hostium euadat; ita qui in huius vitæ decursu inter innumeros visibiles & inuisibiles hostes, pro æternæ vitæ brauio decertat, curare sollicitè debet, ne comitatu & armis destitutus, facilè ab inuasore vincatur, omníque sua spe

Eucharistiæ crebra sumptio fouet pietatem.

Neglectus cõmunionis hæreses inducit.

Bernardus sermon. de Cœna.

Prouerb. 8. & 9.

Crebra Eucharist. sũptio familiaritatem cum Christo parit.

Ioan. 6. Matth. 11.

Christus hospiti suo dona confert.

Alimenti qualitates crebro vsu inducuntur.

Euchar. est medicina præseruans à malis.

Euchar. fidelem armat.

Inter hostes arma necessaria, & comites quærendi.

ſi bibetur. At quis melior comes [illegible] in armis ſpes habetur, confecta victa, eiúſque captuos in libertatem aſſeruit? qui de peccato ac morte, necnon de eo, qui mortis habebat imperium, palàm in cruce triumphauit? cuius in Euchariſtia exiſtenti adeſt innumera multitudo Angelorum? Hic profectò ſi comes fuerit, optata communicanti fortitudinis, aliarúmque gratiarum arma ſuppeditabit, ſuáque præſentia inimicorum conatus diſſipabit.

Sæpe igitur ad eam menſam accedendum eſt, in qua Rex gloriæ ſumitur, de qua Regius vates canit: *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me.* Pſal. 22. Euchariſtia enim ægrotis medicina eſt, peregrinantibus diæta, debiles confortat, valentes delectat, languorem ſanat, ſanitatem conſeruat, afflictos recreat: at quis infirmus, aut graui vulnere ſaucius, frequentem medici acceſſum non exoptat? Quare verò fidelis non ſimiliter deſiderabit Chriſti optimi medici præſentiam, qui in Sacramento Euchariſtiæ omnium morborum remedia ſecum adfert?

Frequens medici acceſſus infirmo gratus eſſe debet.

Denique ſicut Iſraëliticus populus annis XL. in deſerto vſque ad ingreſſum terræ promiſſionis, quotidiano vſu mannæ refici rebuit: ita populus Chriſtianus in huius mundi peregrinatione conſtitutus, pane cæleſti Euchariſtiæ ad vitam ſpiritualem conſeruandam aſſiduè indiget: vnde & *panis quotidianus* appellatur Euchariſtia, quia quotidie ſit accipienda. Crebrum itaque huius Sacramenti vſum Dominus commendauit, quando fideles orare docuit: *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.* Illis namque verbis admonuit, ſic vnumquemque in dies viuere oportere, vt quotidie hoc Sacramentum dignè poſſit accipere; ſicut obſeruauit Cyprianus: *Hunc panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui Euchariſtiam quotidie ad ciborum ſalutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abſtenti et non communicantes cæleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur.* Et Ambroſius: *Si quotidianus eſt panis, cur illum poſt annum ſumis? Accipe quotidie, quod tibi quotidie proſit; ſic vive, vt quotidie merearis accipere.* Et alibi: *Si quotieſcunque effunditur ſanguis, in remiſſionem peccatorum funditur, debeo illum ſemper accipere, vt ſemper mihi peccata dimittantur, qui ſemper pecco, ſemper habere debeo medicinam.* Hinc Dominus ad crebrũ huius panis vſum inuitans, eundem quotidianum vocauit, & addidit: *Accipite & comedite hoc eſt enim corpus meum:* &, *Accipite & bibite, hic eſt enim ſanguis meus. Hoc facite in meam cõmemorationem.* Ex qua Chriſti blanda inuitatione ad iſtius Sacramẽti vſum, Apoſtoli poſt Aſcẽſionem Chriſti in cælum, & acceptam Spiritũ ſanctum, Euchariſtiam frequenter ſumpſêrẽ, aliiſq; frequentãdam tradidere, iuxta illud Actor. 2. *Erãt autem perſeuerantes in doctrinâ Apoſtolorum, et cõmunicatione, et fractione panis.* Et Apoſtolus Paulus Corinthios laude dignos prædicat, quòd ſæpe ad communicãdum conuenirẽt, quanquam in eo reprehendat, quòd non eo quo deberent modo accederẽt. *Quotieſcunque manducaueritis,* ait, ea phraſi denotans, Chriſtianorum Paſcha nõ eſſe certo tempori anni, ſicut Iudæorum fuit, alligatum; ſed poſſe toties Euchariſtiam ſumi, quoties vtilis eſt; cuius vt indigni ſumptio ſemper noxia damnabiliſque, ita digna, quantumuis crebra, imò quotidiana, ſemper ſalutaris. Vnde Chryſoſto. populum Antio-

Cyprianus ſerm. 6. de orat. Dominica.

Ambro. lib. 4. de Sacra. c. 4. & 6.

Chriſti blãda inuitatio ad Euchar.

Act. 2. Apoſtoli perſeuerant. in communione Euchar.

1. Cor. 11.

Chryſoſt. hom. 60.

Euchar. eſt panis quotidianus.

ad Antiochē. hom. 51 in Matt. hom. 24. in 1. ad Corinth.

chenum alloquens: *Iudæis annuatim beneficiorum monumenta certis solennitatibus alligauit: tibi verò per singulos dies.* Homilia 60. addit, eos contemnere Christum inuitantem, qui quotidiani sacrificij participes esse recusant.

Tactus Christi salutaris.

Quantum verò emolumenti secum adferat communicatio, Homilia 51. in Matthæum exponit. *Si qui, ait, vestimenti Christi fimbriam tetigerunt, conualuerunt, quantò magis corroboramur, si corpus Domini totum in nobis habuerimus? Adeamus igitur singuli ægrotantes magnâ cum fide & fiduciâ, scientes quòd sicuti frigida accessio sit periculosa: ita nulla vel rara, fames est interitus sit.* Inde consuetudo vetus Ecclesiæ Romanæ fuit, quotidie communicare: cuius testis est Hieronym. in fine apologiæ pro libris *contra Iouinianum*, qui Epistola 28. ad Lucinum, refert, Italiæ Hispaniæq; Ecclesias morem quotidie cōmunicandi obseruasse; quem tamen ipse neque probat nec improbat. Cui Augustinus consentiens ostendit, laudabiliter posse quempiam quotidie Christum in Eucharistia sumere; aut ex tanti Sacramēti reuerentia etiam vtiliter posse quempiam nonnunquam à communione cessare, quemadmodum Zachæus & Centurio Dominum, licet non eodem modo, honorificauerunt; ille cum gaudio in domum suam excipiendo, hic verò profunda humilitate dicendo: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Contemptum enim solùm non vult cibus ille, sicut manna repudiabat fastidium. Cùm enim *panis sit vitæ*, qui ratò communicat, ab æterna vita se procul dimouet, faciléque arescit & contabescit, qui obliuiscitur comedere panem suam. Frequens autem vitæ participatio nihil aliud est, quàm pluribus modis viuere. Vnde *nos*, ait Basilius ad Cæsariam Patritiam, *quater singulis hebdomadis communicamus*. Ignatius porrò etiam sui temporis morem in epistola ad Ephesios exponit: *Date operam*, inquit, *vt crebriùs ad Eucharistiam conueniatis. Cùm enim assiduè in idem conuenitis, vires Sathanæ destruuntur, & ignita ad peccatum eius sagitta irrita reuertuntur.* Cui synchronos Martialis Burdegalenses ad frequentem Eucharistiæ sumptionem cohortatur. Anacletus verò summus Pontifex non tantùm frequentem communionem suasit, sed etiam præcepit, vt omnes peracta consecratione communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus: sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.

Rata communio interitus.

Mos Italiæ & Hispaniæ quotidie communicandi.

Aug. epist. 118. ca. 3.

Quotidianam communionem Hiero. & Aug. neque probant neque improbant.

Zachæus & Centurio Christum diuerso modo honorarunt.

Euchar. cōtemptum & fastidium repudiat.

De consecra. dist. 2. cap. Peracta.

Ex quibus verbis liquidò sequitur, consuetudinem frequēter communicandi ex verbis Christi manasse, ac ab ipsis Apostolis fuisse introductam, initióque nascentis Ecclesiæ fuisse obseruatam, atque deinceps magno populorum consensu, perpetuáque religione vsque ad hanc nostram ætatem retentam perduraſſe.

CAP. XX.

Communicandi tempora Præfectis Ecclesiæ præscribenda Dominus commisit.

Aug. epist. 118.

QVia tamen quoties, & quibus tēporibus Eucharistiam percipere oporteat, Christus non præscripsit, sed Ecclesiæ Præfectis disponendum reliquit, iuxta illud Apostoli: *Cetera cùm venero disponam*; & statuta Ecclesiæ fidelium vtilitati seruire debeant? ideo pro varia hominum conditione, diuersa

1. Cor. 11.

Pro varia hominum.

communicandi

conditione diuersa communicandi tempora præscripta sunt.

communicandi tempora constituta fuerūt. In primitiua quidem Ecclesia dum vniuersi fideles charitate sincera ita exardescerent, vt ne intermissione precibus aliisque pietatis officiis vacarent: quoniam ad sacra Dominici corporis mysteria dignè sumenda quotidie parati vt plurimùm erant, ideo tunc Eucharistiâ quotidie pascebantur, iuxta illud Actō. 2. *Omnes qui credebant, erant pariter quotidie perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis.* Quem locum Beda præter alios de Eucharistia interpretatur: quam postea consuetudinem, fidelium numero crescente immutari cœpisse indicat Anacletus, districtè epist. 2. edicens, vt secundùm Apostolicas sanctiones omnes, qui sacrificio Missæ interessent, Eucharistiæ participes essent: quod suo tempore adhuc obseruatum fuisse Dionysius Areopagita commemorat; *Sumpta*, inquit, *atque demum omnibus tradita communione diuina, Pontifex mysteriis finem imponit.* Quod idem attestantur Iustinus & Ignatius. Cetèrùm adaucto in immensum populo Christiano, dum in dies charitas tepescceret, satiùs Ecclesiæ visum est, vt populus Christianus non nisi diebus dominicis communicaret, qui mos vsque ad Augustini tempora permansit, vt ex epist. 118. liquet. Et Gennadius de Ecclesiasticis dogmatibus apud August. cap. 33. ait: *Omnibus diebus Dominicis communicandum suadeo: si tamen mens sine peccandi affectu sit*; ita tamen, vt magis consilij, quàm præcepti res ista fuerit. Nam cùm paulatim Ecclesiâ dilatatâ feruor ille primus deuotionis refrigesceret, rariúsque fideles ad communionem accederent; Fabianus Pontifex Maximus fugientē pietatem aliquousque sacram tectam retinere volens, sanxit, vt quotānis ter omnes Christiani Eucharistiam acciperent, videlicet in festo Paschæ, Pentecostes, & in die Natiuitatis Domini; cuius edictum à Concil. Agath. c. 38. aliquot postea seculis confirmatum fuit. Sed tandem posterioribus seculis, Ecclesia Christi iam per vniuersum orbem propagata, cùm in populo Christiano varij admodum ordines hominum diuersi sexus, ætatis, conditionis essent, nec pauciora negotiorum, vitiorúmque genera notarētur, euenit, vt nec illa constitutio generaliter obseruari facilè posset. Quare pia mater Ecclesia omnium fidelium saluti consultum volens, in Concilio Lateranensi c. 21. saluberrimè decreuit, vt semel in anno saltem, idque circa festum Paschæ omnes fideles sacrum Domini corpus acciperent, qui id negligerent facere, aditu Ecclesiæ prohiberentur. Quod statutum nostra memoria Concil. Trident. renouauit, suóque hoc vltimo præcepto Ecclesia priores hac de re canones abrogauit, vt iam non vim habeant præcepti, sed tantùm consilij.

Acto. 2. Mos primitiuæ Ecclesiæ quotidie communicare.

Anacletus omnes qui sacrificio interessent communicare iussit.

Lib. de Eccles. Hier. c. 3. p. 2.

Ignatius Epistola ad Ephesios. Iustinus Apol. 2.

Mos communicandi die dominico Augustini temporeviguit.

Fabian. ter in anno communicandum decreuit.

Concil. Lateranense semel in anno communicandum statuit.

Sess. 13. can. 9.

CAP. XXI.

Infirmis Eucharistia viaticum prouidendum.

QVamuis autem Ecclesia in solo paschate fideles ad communicandum præcepto constringat; attamen peccati periculo se infirmus exponeret, qui seipsum tam vtili ac necessario viatico defraudaret. Nam cùm ex huius mundi Ægypto emigrandum est, potentiùs vitæ calcaneo antiquus humani generis hostis insidiatur. Ideóque

Eucharistiæ sumptio quibus casibus necessaria.

tunc maximè agni sanguine fidelis est communiendus, vt ab Angelo vastante protegatur. Hinc statuunt Concilia, vt in mortis articulo constitutis communio prouideatur, ne viatico sibi necessario defraudentur. Et Confessores, dum pro Christo erant fusuri sanguinem, pretioso Christi sanguine præmuniri solent, vt copiosus testis est B. Christi martyr Cyprianus. Refert etiam ex Dionys. Alexandrino Euseb. lib. 6. cap. 34. Serapionem absque Eucharistiæ sumptione discedere noluisse, cuius virtute animã suam in cælum subleuari nosset. Vnde magna vigilantia solet Eucharistiæ Sacramentum ad infirmos deferri; & si quidem presbytero id fortè integrum non erat, consuevit per Diaconum ad absentem Eucharistia transmitti; Iustino teste Apologia II. & si nec Diaconus haberi posset, per fidelẽ puerum transmitti solẽt; quamadmodum Serapioni à Presbytero per puerum trãsmissam fuisse, dicto loco refert Eusebius. Vtque ad ægrotos promptiùs qualibet occurrente necessitate deferri posset, in Ecclesiis Eucharistia conseruari solet, olim in pastophorio, hoc est, in præpositi templi tabernaculo (vt loquitur Clemens lib. 8. *Apostolicarum Constitut.* cap. 20. & Hieronymus interpretatur in 22. cap. Isaiæ) nunc in loco huic Sacramento reponendo magnificè plerumque constructo. Non enim sola memoria communionis publicæ perceptæ infirmi confirmandi sunt; sed iuxta veteris Ecclesiæ morem in extremis constituti, sacramentaliter communicare debent. Nam cùm Dominus libertatem nobis fecerit sumendæ in memoriã suæ mortis Eucharistiæ cùm placuerit; quis non intelligat, eam tum maximè sumendam, quando illius multiplici fructu ac præsidio maximè indigemus; vt eius vigore confortati, ex huius miseræ peregrinationis itinere ad cælestem patriã peruenire valeamus? ac eundem panem Angelorum, quem modò sub sacris velaminibus manducamus, absque vllo tegumento mandducemus? & cum frequentatione mysterij crescat nostræ salutis effectus, ac eruti de potestate tenebrarum transferamur in regnum filij Dei? Non enim aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quàm vt in id, quod sumimus, transeamus; & in quo mortui & sepulti, & corresuscitati sumus, ipsum per omnia & spiritu carne & gestemus, atque spiritu & carne cũ eo appareamus in gloria.

Conc. Nicenum. 1. can. 12. Arausic. can. 3. Innoc. 1. epist. 3. cap. 3. Cyprian. lib. 1. epist. 2. & lib. 4. epist. 5.

Euseb. lib. 6. hist. c. 34.

Pastophorium quid significet.

Colossen. 3.

Cap. XXII.

Frequens communio non solis Ecclesiasticis, sed & laicis suadenda.

TAntus ergo tamque admirandus cùm sit communionis huius sanctissimæ fructus, stupenda est plurimorum Christianorum socordia, qui semel tantùm in anno, vel admodum rarò, hunc viuificum cibum salutarémq; medicinam, stulto pauore inducti, sumere curant; solisque Sacerdotibus aut religiosis personis huius Sacramẽti sumptionem relinquunt, quasi non & laicis hoc dulce epulũ à Domino sit præparatum. Certè meritò Christiani omnes die Dominico, quo Deus mundum creauit, & luce ornauit, hominémque lapsum per Christi resurrectionem & Spiritus sancti missionem ad æternam vitam reparauit, huius Sacramenti participes esse deberent: cur enim fidelis quisque, qui cum Dei timore suam regit familiam, neminémque in officio suo defraudat, periuria, iuramẽta vana, ebrietatem, aliáque miseri-

Frequens communio etiam laicis consulta.

cordiæ opera pro suo modulo exercet, ab hoc Sacramento abstineat? An coniugium, vel aliquod humano generi ad corporales commoditates necessarium officium in crimẽ vocatur? quòd si non singulis hebdomadis, saltem secunda quaque, aut tertia, vel in maioribus nostræ redemptionis festiuitatibus, vt sunt Natiuitatis Christi, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis Domini, Pentecostes, Corporis Domini, ac Deiparæ Virginis festa, & omnium sanctorum, quisque ad tam singulare conuiuium festinet, quo sic paulatim ad sæpius sumendum proficiat. Ad cuius conuiuij frequentationem Cyrillum piè nos inuitantem audiamus: *Nos*, inquit, *si vitam æternam consequi volumus, si largitorem immortalitatis in nobis habere desideramus, ad recipiendam benedictionem libenter concurramus, caueamúsque, ne loco laquei damnosam religionem diabolus nobis prætendat. Rectè*, inquit, *dicis; scriptum tamen esse non ignoramus, iudicium sibi comedere & bibere illum, qui de pane comedit, & de calice bibit indignè: ego igitur probo meipsum, & indignum inuenio: quando igitur quicunque tu es, qui ista dicis, dignus eris? quando Christo teipsum offeres? nam si peccando indignus es, & peccare non desinis (quis delicta intelligit?) expers omnino eris huius viuifica sanctificationis. Quare pias quæso cogitationes suscipias, studiosè, sanctéque viuas, & benedictionem participes, quæ mihi crede non mortem solùm, verùm etiam morbos omnes depellit. Sedat enim Christus in nobis manens sauientem membrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, nec in quibus peccatis simus, considerat, sed ægrotos curat, collisos redintegrat, & sicut pastor bonus, qui animam suam pro ouibus posuit, ab omni nos erigit casu.*

Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 17.

CAP. XXIII.

Non est omittenda prætextu reuerentiæ communio.

NE quis autem arbitretur, interuallo temporis longiore constare meritum, atque ad singularem pertinere sacramenti reuerẽtiam, rarissimè cælestem illam adire mensam, cùm tempestiuum accessum sola conscientiæ integritas efficiat: Chrysostomi hac de re disputationem audiat: Hoc inquit, est, quod vniuersa perturbat, quia non munditia animi, verùm interuallo temporis longiori meritum putas, summámque arbitraris reuerẽtiam ac religionem, si non sæpius cælestẽ illam mensam adeas. Ignoras, quoniam indignè accedere, etiamsi semel tantùm fiat, te supplicio tradet: dignè verò etiamsi sæpe accedas, salutem inde conquires? Non est audaciæ, sæpius accedere ad dominicam mensam; sed indignè accedere, etiamsi semel tantùm quisquam in toto vitæ tempore accedat. At nos adeò stolidi sumus, vt cùm innumera per totum annum scelera perpetremus, nihil ea curemus exuere: ceterùm satis arbitramur, si non assiduè præsumamus, atque cõtumeliosè Christi corpus attingere: neque intelligimus miseri, quòd hi, qui crucifixerunt, semel tantùm id fecerunt. Non igitur quia semel tantùm crucifixerunt, minus idcirco delictum est: & qui Christum prodidit, semel tantùm prodidit; nunquid ergo illum supplicio eripuit? Quid igitur hanc rem temporis lege metimur? tempestiuum tempus accedendi, munditia conscientiæ est. Nihil habet amplius, quod in pascha cõsumatur mysterium, quàm quod continuo

Rara communio per se ad Christi reuerentiam non pertinet. Chrysost. hom. 5. in 1. ad Tim.

Idem sacrificium in paschate, & quotidie.

celebratur : vnum quippe atque idem : eadem Spiritus sancti gratia, semper pascha est siue sexta feria, siue sabbato, siue in Dominica die, siue in celebritate martyrum, eadem litatur hostia, idem sacrificium cõsummatur. Quotiescumq; enim manducabitis panẽ hunc, mortem Domini annunciabitis : nulla obseruatione temporis sacrificium circumscribere voluit. Et hom. 28. in priorem ad Corinth. eos reprehendens, qui non tam puritatis conscientiæ, quàm solennitatis rationem in sumendo hoc sacramento habebant; non quemadmodũ nunc facimus, inquit, temporis gratia accedentes magis, quàm animi studio neque vt præparati ad vitia nostra expurganda compunctionis pleni accedimus, sed vt in solemnitatibus simus, quando omnes adsunt consideramus. Sed non ita Paulus præcepit, sed vnum tempus nouit & conueniendi, & communionem sumendi, ipsam conscientiæ puritatem, & ita purum illud attingere sacrificium, non pigrè disponi, & miserè cogi propter solennitatem accedere; neque rursus compunctum & præparatum impediri, eò quòd non sit solennitas. Solemnitas enim bonorum operum est demonstratio, animæ puritas, vitæ rectitudo: quæ si habueris, semper celebrare poteris solennitatem, & accedere. Quibus verbis luculenter tradit, salutare atq; consultum esse, ad communionem sæpe accedere, idque citra vllum periculum fieri, dummodo probatus accedas, iuxta illud Apostoli: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Vbi nullum alium iudicem, præter teipsum Apostolus proponit. Tu itaq; discussa examinataq; conscientia, si te nullius peccati letalis conscium esse deprehenderis, confidenter adito ea mysteria, non festis, non profestisq; diebus, sed quouis tempore, cùm te purum dignumq; cõpereris. Si autem peccati mortalis conscientia te reprehenderit, scopis pœnitentiæ labes absterge, animam contritione atque confessione repurga.

Chrysost. hom. 28. in 1. ad Cor. & in oratione de S. Philogonio.

1. Cor. 11.

Cap. XXIV.

Qualis præparatio sit communicaturo necessaria?

EX Apostolo Corinthios admonente, vt sumpturus venerabile corpus Domini, illud diiudicet, ac probet seipsum, deniq; in dominicæ mortis memoriam communicet, edocemur, tria his, qui Eucharistiæ sacramentum dignè suscepturi sunt, esse necessaria. 1. Cor. 11. Tria communicaturo necessaria.

Primum, vt diiudicent, hoc est, interprete Augustino, *discernant ab aliis cibis veneratione singulariter debita:* hoc est, firma fide credant, esse Dominicum corpus, quod in altari offertur, & ex altari datur, & tanquam verum Domini corpus mente atque corpore adorent. Primum: Diiudicatio. Aug. epist. 118.

Secundum est, vt communicaturus probet seipsum, num verè Christi amicus, nuptiali veste indutus sit: hoc est, discutiat seipsum, an Christi sponsi gloriam quærat, & non potiùs terrena & caduca. Item, an verè bonam voluntatem habeat in omnibus bene & laudabiliter cõuersandi: vtrùm iustificatus ex fide pacem habeat ad Deum: num cor eius reprehendat eum de aliquo crimine, super quo reconciliationem apud Deum non obtinuerit. Si enim adhuc propositum peccati letalis apud se deprehenderit, aut priùs admissi peccati reatum, à quo nondum absolutus sit, talis cùm necdum se Deo reconciliatum consi- Secundum: Sui probatio.

dere queat, sacrilegij reus erit, si corporis Domini sumptione Christo se amicum coniunctúmque testetur. Imò, vt ait Apostolus, *reus eris corporis & sanguinis Domini*, nimis scilicet indignè tractati atque contempti. Ideoque huiusmodi, nō vitam, sed iudicium atque damnationem sibi sumit, quoniam damnabile sit, aliud sacramentis significare, & aliud in corde gestare. Talem verò Ecclesiastica consuetudo probationem necessariam esse declarat, vt nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumuis sibi contritus videatur esse, absq; præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio celebrare incubuerit, perpetuò seruandum est, modò confessoris copia illis non desit. Quòd si necessitate vrgente sacerdos absque præuia confessione celebrauerit, quamprimum poterit, confiteri tenetur, vt Synodus Tridentin. sess. 13. cap. 7. *Doctrinæ*, & canone 11. definiuit. Quare pastores, quibus sacramenti huius dispensatio credita est, iis quos in peccato letali constitutos nouerint, vbi negare illud commodè potuerint, administrare nequeūt. Publicum verò peccatorem impœnitentem, siue occulte siue publicè Eucharistiam petat, repellere debent. Occulta peccatori occultè petenti etiam neganda est; si autem publicè dari eam sibi postulet, concedenda est. Nam subditum pro crimine occulto non licet infamiâ aspergere, vel contumelia afficere; nec sunt facienda mala, vt eueniant bona. Proinde nefas est sacerdoti peccare, ne subditus irreuerenter sacramentum accipiat.

Probatio sui ipsius exigit, vt conscius peccati letalis confiteatur.

Conc. Trident. sess. 13. cap. 7. & can. 11.

Publico peccatori impœnitēti sacramentū Euchar. denegandum est.

Occulto peccatori publicè sacramentum petenti, dā. dum est.

Tertium communicaturo necessarium est, in dominicæ mortis cō-

Tertium: Dominicæ mortis commemoratio.

memorationem Eucharistiam sumere. Nam pro summo redemptionis beneficio, morte crucis per Christum parto & obtento æquissimum est, vt communicaturus Deo maximas gratias agat, precetúrque, vt Dominici corporis virtute Christi passionem deinceps imitetur, nec sibi viuat, sed ei, qui pro ipso mortuus est, ac resurrexit; agnoscátque, vitā ac salutē se Dei gratuitā bonitate per Christum cōsequi, ac ab eo in omnibus pietatis operibus depēdere, ita vt absque eo nihil vere pietatis facere possit. nec ad regnum Dei peruenire. In quo deficiunt, qui simul ac communicarunt, non imitatione Christi, sed vanitatibus mundi se occupant; quos tamen desperatio à frequenti communione subtrahere non debet, ne à mundi vanitate penitus opprimantur; sed Apostolorum potiùs exemplum imitari decet, qui statim à communione grauiter quidem lapsi sunt, Christum deserentes, atque etiam negantes; sed mox consurrexerunt, ac paulatim in fide & pietate robustiores effecti, mundum cum suo flore contempserunt quod per sacrosanctam corporis Dominici communionem homini maximè confertur.

Ioan. 15.

CAP. XXV.

Communicaturo non tantùm animi, sed & corporis ratio habenda.

POrro dignè communicare volenti, non animi tantùm, sed & puritatis corporis ratio habenda est. Nam ex Apostolica doctrina Spiritui sancto in honorem tanti sacramenti placuisse discimus, quod per vniuersum orbem terrarum obseruat Ecclesia, vt scilicet ieiuni ad sacram mensam accedamus, ita vt à

Communicaturus sit ieiunus.

Aug. epist. 118.

media præcedentis diei nocte vsque ad tempus communionis nihil comedere aut bibere liceat. Quo facto intelligi datur, Christum, ciúsque amorem primum in cordibus nostris sortiri debere locum; iuxta illud: *Quærite primùm regnum Dei, & cetera adijcientur vobis*: tum etiam, vt sobria temperantíq; mente accedendo manifestemus, quàm alienũ ab hoc mysterio esse conueniat ebrietatis, crapulæ, aut fœdi vomitus periculum; de quo vitio Apostolus reprehendens Corinthios ait: *Alius quidẽ esurit alius autem ebrius est*. Cuius rei nec in veteri testamento figura defuit, cùm Leuitici 10. cautum reperiatur, ne filij Aaron in tabernaculum ingressuri, vinum, siceram, vel aliud quodcunq; inebriare posset, degustarent. Quod ipsum Ecclesia voluit ita seuerè obseruari, vt ne quidem Presbytero sepius Missam celebraturo ablutionem calicis in priore missa sumere permiserit, insinuans, propter sacramenti veneratioñem non solùm ieiunium ecclesiasticum ad macerationem carnis institutum rec[illegible], (quod sumptione pharmaci medicinalis, aut rei modicæ non multùm nutrientis minimè violatur,) sed etiam ieiunium naturæ, quod exigit, vt nihil omnino siue per modum medicinæ, siue cibi aut potus, ab initio diei naturalis (quod à media nocte Ecclesia Romana computat) vsque ad tempus communionis sumatur. Vnde post medicinæ sumptionem (extra casum necessitatis) Eucharistia sumi non debet. Si verò reliquiæ ciborum interdentes subinde remanentes, vel guttulæ liquoris, dum os abluitur, forsitan manè transmittantur, cùm id non per modum cibi aut potus, sed potiùs saliuæ fiat, huius sacramenti receptionem non impedunt quemadmodum nec quod ante mediam noctem sumptum est, quamuis postea somnus non interueniret.

Ebrietas & crapula absint à communicaturo.

1. Cor. 11.

Leuitis tabernaculũ ingressuris siceram bibere non licuit.

Cõcil. Bracarense 2. c. 10.

Ieiunium non solùm Ecclesiasticum, sed naturæ cõmunicaturo necessarium.

Post medicinæ sumptionem extra necessitatis casum cõmunicare non licet.

Cauendum tamen sedulò est, ne somni defectus vel indigestio mentem sic perturbet, vt ad Eucharistiæ sumptionem ineptum hominem reddat, quod illa plerunque solet efficere, quæ ex crapula vel ebrietate promanat. Postulat insuper tanti huius sacramenti dignitas & reuerentia, vt qui matrimonio legitimè coniuncti sunt, die communionis ab vxorum complexibus abstineant, exemplo Dauidis, qui panes propositionis Domino sacrificatos, à Sacerdote Achimelech accepturus, se à mulieribus ab heri & nudiustertius continuisse professus est. *Et quidem si de mulieribus agitur*, inquit, *continuimus nos ab heri & nudiustertius, & fuerunt vasa puerorum sancta.* Hinc Apostolus hortatur coniuges, vt à mutuo debito poscendo abstineant ex consensu ad tempus, orationis causa, quod tamen consilij est, non præcepti, ideoque post debitum exactum vel redditum sumi citra culpam hoc sacramentum quandoque potest: nam nullum est communionis absolutum impedimentum, nisi peccatum letale, vel excommunicatio. Vnde pollutio nocturna, siue in somno, siue in vigilia, siue inuoluntaria, siue liberè procurata, post legitimam peractam pœnitentiam, non ex necessitate, sed ex quadam decentia sacramenti Eucharistiæ sumptionem impedit, propter nonnullam scilicet corporis fœditatem, subsequentemque mentis euagationem. Cuius rei typus in veteri lege præcessit, quæ in Leuitico sic habet: *Vir de quo egreditur semen coitus, immundus erit vsque ad vesperam.* Ex qua

Cõmunio requirat castitatem.

1. Reg. 21.

1. Cor. 7.

Abstinentia ab actu coniugit cõsula, non præcepta.

Pollutio quatenus cõmunionem impediat.

Leuitici 15. Deut. 23.

Gregor lib. 11. epist. vltima c. 11.

legis dispositione Beatus Gregorius concludit, post nocturnam vel diurnam pollutionem à communione humiliter esse abstinendum, nisi fortè ministerij necessitas, vel alia quæpiam iusta causa aliud exigat. Cui venerationis Beda consonat. Vtrumque sequuti scholastici Doctores, magno consensu tradunt, post pollutionem, ob reuerentiam tanti sacramenti, spatio viginti quatuor horarum saltem à sumptione Eucharistiæ abstinendum esse, vt interea sensuum vires in ordinem reuocentur.

Beda lib. 1. histor. Anglic. c. 27.

Habitus nitidus cõmunicaturum decet.

Postremo ad nonnullam eiusdem sacramenti Eucharistiæ reuerentiam pertinet, quòd communicaturus in habitu nitido iuxta suæ vocationis rationem prodeat, vt ornatu corporis, mentis dispositionem ostendat: nam plerumque exterior honestatis forma, interioris hominis speciem adumbrat. Postquam verò homo ita seipsum præparauerit mente atque corpore, de pane illo edat, & de calice bibat, & vitam hauriet à Domino. Alioquin indignè accedens, reus erit corporis Domini à se contempti; quia videlicet tanti mysterij sacramentum pro vili despexit. Nam si in linteum aut vas sordidum corpus Christi absque sacrilegio nemo possit mittere, quantò indignius est, illud in cor pollutum immittere? cùm illam immunditiam Deus super omnia execretur. Nec sanè mysterio caruit, quòd Ioseph ille iustus Domini corpus, syndone munda inuolutum in sepulcro nouo sepeliuit: præfigurauit enim, corpus Domini accepturos mundam debere mentem habere & nouam, nec decere, corpus Christi viuum & gloriosum excipi conscientia nisi nitidissima. Si enim Centurioni meritò laudi datur, quòd se Christi præsentia indignum humiliter agnoscens protulerit: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum*, an non vituperio dignus habebitur, qui eundem Dominum in sacramento, ad sanandos animæ morbos venientem, impuro cordis hospitio recipit? Qui veste nuptiali destitutus, se in conuiuium ingessit, graues suæ temeritatis pœnas luit, ac in carcerem coniectus fuit, an non longè maiore animaduersione dignus est, qui Regem gloriæ se in cibum dantem inquinata mentis veste contegit? In veteri lege agnus paschalis, qui nostri sacrificij figuram euidentissimam præferebat, non nisi à purificatis manducari poterat, nec maculam habens panes offerre Deo suo permittebatur: imò ne quidem illis vsci: *homo enim*, ait Deus, *qui accesserit ad ea quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino*: à castris enim immundus segregandus erat, & Oza, qui religiosa quadam temeritate Domini arcam attigit, confestim vltricem Dei manum sensit. Israëlitæ legem veterem accepturi, emundare se iubentur, & Sacerdotes tabernaculum testimonij ingressuri, manus & pedes aqua lauare, ne moriantur. Si vmbræ illæ nostrorum mysteriorum tantam religionis obseruantiam requirebant: quantam fons ipse sanctitatis puritatem, vt dignè recipiatur, exigit? Quod in Græcis Liturgiis Diaconus clamore isto innuebat, *Sancta sanctis*; iis verbis à mysterio remouens catechumenos, omnesque flagitiorum labe coinquinatos, qui scilicet vel non essent baptismo abluti, velut Christus tradidit, non crederent, aut saltem non ita viuerent. Conqueritur Diuus Cyprianus, quosdam post lapsum ante expiata delicta, ante exomologesim factam,

Leo serm. 3. de quadragesima.

Matth. 22.

Num. 9.

2. Paral. 30.

Resp. 21.

Leuit. 22. Deut. 32.

Lib. 2. Regi cap. 6.

Exod. 30.

Matth. 8.

Cyp. serm. de lapsis.

ante purgatam sacrificio & manu Sacerdotis conscientiam, vim intulisse corpori Domini, eósque plus eo modo in Deum ore deliquisse, quàm Christum negando affirmat. Vnde feruente zelo pietatis in primitiua Ecclesia, Philippum Imperatorem primum Christianum à communione repulsum fuisse legimus, donec sua peccata confessus esset, atque satisfactione condigna expiasset: cuius rei testes sunt Eusebius & Nicephorus. Pari constantia S. Ambrosius Theodotium illum Magnum Imperatorem, à cæde Thessalonicensium redeũtem, à communione secluſit, nec nisi publica pœnitentia peracta reconciliatum ad sacra mysteria admisit: nouerat enim, purissimam esse debere animam, quæ tantum hospitem exciperet. *Si enim accedere Regem, vel deosculari ore graniter olente non audes*, ait Chrysostomus, *Regem calorum anima tua vitiis olente impudens oscularis?* Et ad Antiochenos: *Si merito contra proditorem indignaris, quòd Dominum impuro osculo contigerit considera, quod tu polluta suscipis anima post tot beneficia, lupus agnum comedis, tanquam ouis pasceris, & tanquam leo diripis.* Quare monens communicaturos Augustinus; *Innocentiam*, inquit, *ad altare apportate.* Et regius vates: *Lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum Domine.* Vnde Christus Apostolis sacra mysteria traditurus, eorum pedes lauit, & Sacerdos post Missam catechumenorum, aqua manus abluit, in typum, quòd sacra mysteria non nisi ab omni peccatorum labe puris confici, sumique debeant. Venialium quidem peccatorum, quæ vitam animæ in charitate consistentem non tollunt, sed eius feruorem debilitant, ac languorem inducunt, quamuis ante huius Sacramenti sumptionem expurgatio per confessionem non sit absolutè necessaria, est tamen consulta; quoniam Sacramenti reuerentia exigit, vt seriò quis operam det, vt à peccatis repurgatus dignè accedat: nõ quòd æqualitatis aut meriti dignitas requiratur (qua scilicet tantum donum mereri possit) sufficit enim dignitas, quam pro sua fragilitate habent iusti, quæ potiùs est non indignitas, quàm dignitas. Vnde cõmunicaturi Centurionis vocem vsurpare solent: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum*; & Patriarchæ Iacob: *Domine, minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tuâ, quam exhibuisti seruo tuo*, ac Dauidis: *Domine, quid est homo, quòd memor es eius?* & 2. Regum 6. *Quis ego sum, &c.*

Animi puritas ad cõmunionem necessaria.

Euseb. lib. 6. hist. c. 25. Niceph. li. 5. hist. c. 25. lib. 12. c. 41.

Matth. 8.

Gen. 32.

Psalm 8.

2. Regum. 6.

Hom. 5. ad Ephes.

Tract 26. in Ioan.

Psal. 25.

Ioan. 13.

Manuum lotio quid significet.

CAP. XXVI.

Vtrùm Eucharistia sub vtrâque specie sumi debeat?

ANno MCCCCXII. Pragæ, authoribus Petro Dresdensi & Iacobello Misnensi, exòrtam fuisse contentionem de necessitate cõmunionis sub vtrâque specie, refert lib. historiæ Bohemicæ cap. 35. Æneas Syluius: Iacobello enim (litterarum doctrina & morum præstantia claro) prædicante, ne laici communionem calicis (sine qua saluari nemo posset) quoquo pacto deinceps negligerent, (cùm Eucharistiæ Sacramentum apud Ioannem dicentem: *nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: sub duplici specie panis vinique sumi iubeatur:) omnes, inquit, hæretici consenserunt, haud modica gestientes lætitia, quòd articulum

Bohemi vtramque speciem necessariam docuerunt.

articulum inuenissent, in Euangelica lege fundatum, per quem Romanæ sedis vel ignorantia vel nequitia coargui posset. Eadémque Hussitarum hæresis postea Luthero placuit, qui articulo 16. asserit, laicis sub vtraque specie communicandum esse, nec propterea Bohemos hæreticos & schismaticos esse. Nec desunt alij hìc mussitantes hæretici, quòd plus emolumenti ac fructus ex vtráque specie sumpta, quàm ex altera tantùm proueniat, ideóque calicem non posse aliqua consuetudine vel lege cuiuis petenti negari. Contra quos omnes statuimus, neque ex ratione sacramenti, neque ex fructu, neque ex Christi præcepto necessitatem sumptionis vtriusque speciei colligi posse: non quidem ex ratione sacramenti, quod licet plenìùs, exactiùs, & distinctiùs mortem Domini commemoret, vnionémque fidelium inter se, atq; cum Christo, spiritualémque animarum refectionem significet sub duabus speciebus, quàm sub vna; tamen sub vna specie verum consistit sacramentum, res contenta, effectúque integrum. Nam sola panis species, seorsim à sanguine exhibita, mortem Domini satis annunciat: quod Christus insinuauit, quando post consecrationem dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et Apostolus vtrique huius sacramenti speciei seorsim acceptæ conuenire illud Christi docet: *Hoc facite in meã commemorationem*: similiter ex vnius consecrati panis participatione fideles vnum corpus fieri cum Christo ac inter se tradit. Nec obscurè spiritualis animarum refectio sola vel panis, aut vini, seu potus perceptione significatur, cùm in oratione Dominica panis, genus omne alimẽtorum denotet, & in animæ refectione potus à cibo, vinum à pane, ac sitis à fame, non differant. Vnde scriptura contra spiritualem sitim aut famem remedium nunc in pane vitæ, & intellectus, aliàs in aqua sapientiæ, aliquando in pane, qui de cælo descendit, nonnunquam in vino regni Dei, vel aqua saliente in vitam æternam, & postremò in potu & cibo iustitiæ constituit. Quoniam sicut corporea substantia potu & cibo nutritur & viuit, ita vita spiritus iustitiæ alimẽto fouetur. Vnde perspicuum est, sub qualibet sacramenti parte, atque in altera seorsim specie totum atque integrum Christum, verúmq; sacramentum sumi, nec plus aut minus sub vna specie, quàm sub duabus contineri aut tradi, præter illustriorem quandam Dominicæ mortis, & spiritualis nostræ refectionis significationem, quæ non cuiuis Christiano, sed tantùm Sacerdoti, oblatione incruenti Sacrificij, exactissimè mortem Domini exprimenti necessaria est.

Quod verò sub altera specie tantundem, quantum sub vtráque contineatur, ex Christi actione & sacramenti Eucharistiæ institutione conuinci potest. Nam Christi actiones in singularum specierum benedictione fuerunt absolutæ, diuersæ, atque à se inuicem independentes. Siquidem iuxta B. Lucæ & Apostoli narrationem, inter cœnandum panem accepit, benedixit, fregit, dedítque discipulis suis, dicens: *Accipite et comedite, hoc est enim corpus meum: Hoc facite in meam commemorationem.* Postquam verò cœnatum est, calicem consecrauit, ac distribuit dicens: *hoc facite, quotiescunque bibetis in meam commemorationem.* Quæ Christi verba sacramenti operatoria, sensum proprium ad significationem ab alijs independentem obtinent, non minùs quàm materia panis & vini duplex & distincta per se

Lutherus Bohemis accessit.

Vtriusque speciei sumptio nõ est necessaria.

Sub vna specie verũ consistit sacramẽtum.

Lucæ 22. 1. Cor. 11.

1. Cor. 10.

Fames & sitis, atque cibus & potus animæ non differunt.

Ecclesiastici 15.

Ioan. 4. & 6.

Non plus effectus reperitur in duabus speciebus quàm in vna, quoniam vna res est.

Tantum continetur rei sub vna specie, quãtum sub duabus.

Christi actiones sunt independentes in consecratione specierum.

Sicut confectio vnius speciei ab altera non dependet: ita neque existentia sacramenti sub vna specie.

consistit. Proinde sicut confectio vnius speciei, ita existentia Sacramenti sub vna specie ab alterius speciei consecratione, aut existentia non dependet. Quinimò poterat Dominus Eucharistiæ Sacramentum in vna specie instituere, sed ad clariorem vnius refectionis spiritualis expressionem, suæque mortis commemorationem, duas species elegit: quæ tamen vnam & eandem rem, tanquam externi symboli partes integrantes significarent ac efficerent; ac quidem non per significationem animum excitantem, sed per vim operatiuam, à Christi corpore & sanguine, contentis sub speciebus externis, manantem.

Duæ species sunt sacramenti partes integrantes.

Operatio sacramenti Eucharist. non à significatione, sed re contenta oritur.

Nam Sacramenti Eucharistiæ operatio non à quantitate symboli externi, nec à distinctiore significatione pendet vel oritur; sed à re sub externis symbolis contenta, hoc est, à Christo omnium gratiarum fonte, qui vnus & idem continetur sub qualibet specie, & sub qualibet specierum parte. Vnde sequitur, non plus spiritualis fructus produci à duabus speciebus, quàm ab vna, cum idem gratiarum fons, siue per vnam, siue per duas species exhibeatur, idipsúmque pro suo placito operetur: quemadmodum eiusdem valoris est baptismus, sub vna vel trina mersione collatus. Non est itaque necessaria vtrúsque speciei sumptio, ratione significationis, multò minùs ratione fructus & vtilitatis, cùm in altera specie tantum sit vigoris & efficaciæ ad hominem viuificandum, quantum est in vtrâque: imò etiâsi caro Domini absque sanguine esset sub panis specie, tam efficax esset vnica species, quàm vtraque. Quod insinuans Dominus, ait: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Virtus enim carnis & sanguinis Christi à diuinitate promanat; *caro* enim *non prodest quidquam*, videlicet sola; *Spiritus est qui viuificat*, id est, diuinitas latens sub carne, quę non minùs carni Christi à sanguine separatæ in sepulchro iacenti vnita erat, quàm nũc in cælo. Vnde Christi corpus mortuum, diabolum elidebat, mortuósque suscitabat, vt Athanasius & Ambrosius tradunt. Ideo Paulus soli panis sumptioni plenum Sacramenti effectum tribuit: *Vnus panis & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus.* Alio loco calici similiter plenum effectum assignat: *Omnes*, ait, *in vno spiritu potati sumus*; hoc est, omnes potu sacro vnus spiritus effecti sumus, & omnes vnum corpus pane sacro. Quòd si vnum corpus, ergo & vnus spiritus: & si vnus spiritus, ergo & vnum corpus. Et Apostolus ad Corinthios apertè insinuat, Christum nõ mutilum, sed integrum, sub qualibet specie contineri, ac vnum & idem per vnam speciem & per duas operari. *Quicunque*, ait, *manducauerit panem hunc, vel biberit calicẽ Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Non ait, Reus erit corporis aut sanguinis sed, *corporis et sanguinis Domini*, quoniam videlicet per naturalem concomitantiam, vbi corpus Domini est, ibi & sanguis est; & vbi sanguis, ibi & corpus. *Christus enim iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur.* Quisquis ergo nunc sumit carnem Domini, etiam bibit eius sanguinẽ, licet non Sacramentali specie, attamen reipsa, & quoad effectũ, vt decreto Concilij Tridentini sancitum est: *Si quis negauerit, totũ & integrum Christum, omnium gratiarum fontem et authorem sub vna specie panis sumi, anathema sit.* Cuius rei ignorãtia Capharnaitas & Nestorianos impulit ad opinandum, quòd Christi caro à

Athanas. in epist. ad Epict. Ambro. super Lucam.

1. Cor. 10.

1. Cor. 12.

1. Cor. 11.

Concil. Trid. sess. 21. can. 3.

sanguine, sicut Sacramento, ita & reipsa seperetur. Nec alia res Bohemos ad petitionem calicis permouit, nisi quòd arbitrarentur, cõmunicando sub vna specie panis, sola Christi carne se pasci, sanguine autem eiusdem se priuari. Quorum errorem volens Ecclesia prorsus abolere, potiùs rebus ac factis, quàm cõtentiosa disputatione cõmunionem sub vna specie generalis Concilij Constantiensis decreto comprobauit, ac postea in Basilien si & Florentina, & Tridentina Synodis cõfirmauit, eiusq; decreti fundamentum esse declarauit, quòd integer Christus tam sub vna specie, quàm sub duabus contineatur. Ex cuius etiam fundamenti vel ignorantia, vel pertinaci denegatione Vicleffitæ, Hussitæ, Caluinistæ, reliquáq; sacramentariorum portentà, quæ significatiuam & tropicam tantùm Christi corporis præsentiam in Eucharistiæ Sacramento agnoscunt, non tantum vni parti, quantum vtriq; speciei tribuere possunt, cùm necessariò illis cum parte signi, etiam rei pars depereat, quia vim omnem Sacramenti in significatione, non autem in Christi præsentis operatione constituant, atque certum sit, expressioribus signis fidem vehementiùs excitari. Sed Ecclesia Catholica, quæ res signis præfert, & ita signa respicit, vt magis rem & operationem, ac fructum attendat, à Christo & Apostolis edocta, fructũ cõmunionis potissimùm à Christo, eiúsq; passione pendere, integrúmq; Christum sub vtrâque specie verè, ac realiter contineri, firma fide tenet, tantundem esse vigoris & efficaciæ ad hominem viuificandum in vna specie, quantum sub vtrâque. Ceterùm quia sectarij prætendunt, Christum aliud præcepisse, discutiendum hoc paullo latiùs est.

Integer Christus sub vna specie continetur.

Sectarij vim omnẽ Sacramenti in significatione nõ autem in operatione collocant.

CAP. XXVII.

Vtrùm à Christo præceptum sit, vtramque speciem sumere?

EX Christi exemplo, qui Sacramentum Eucharistiæ sub vtrâque specie instituit ac dispensauit, colligunt Hæretici, vtriusq; speciei vsum omnibus fidelibus necessariũ, & à Domino præceptum esse: sed nullius momenti hoc argumentum esse vel inde liquet, quòd multa sũt in vsum à Christo instituta, quæ tamen non sunt omnibus præcepta, vt matrimonij Sacramentum; multa quoq; in prima Sacramenti institutione à Christo fuêre obseruata, quæ tamen postea obseruari noluit, putà quòd post cœnam, duodecim Apostolis tantùm, qui viri & non feminę erant. Hæc enim & alia accidentaria, quæ modum sumendi Sacramenti concernunt, Ecclesiæ Præfectis disponẽda commisit, iuxta illud Apostoli: *Cetera cum venero disponam*. 1. Cor. 11. à quo morem communicandi sub vna specie profluxisse credimus. Testatur enim Lucas, Beatum Paulũ vna Sabbati conuentum celebrasse ad frangendum panem, *Frangebat autem Apostolus panem*, ait Augustinus epistol. 80. *sicut frangitur in Sacramento corporis Domini*. Nam de Sacramenti Eucharistiæ distributione hîc agi, temporis circumstantia demonstrat: *vna Sabbati*, hoc est, die Dominica. Si quidem in primitiua Ecclesia conuentus sacri à fidelibus die Dominica celebrabantur ad percipienda sacra mysteria, vt refert Iustinus martyr apologia 2. Idẽ est ẽ dicit phrasis Apostoli 1. Corin. 10. *Panis quẽ frãgimus, nonne participatio corporis Dominici est?* Quo sciũ & Beatus Lucas Actor. 2. scribit: *Frãi autem* Act. 20. Act. 2.

perseuerantes in doctrinâ Apostolorum, et communicatione fractionis panis, & orationis. Vbi de Sacramenti Eucharistiæ distributione agi, dubitari nequit, cùm in cœnis & prandiis assiduè perseuerare, non laude, sed vituperatione dignum sit. Propterea verò Beatus Lucas totius fractionis panis meminit, quòd non ab illa specie nulli fidelium abstinerent, eáque sola multi contenti essent: ab altera vero specie plerique semper, aut subinde abstinerent. Nazaræis enim interdictus erat calicis vsus, quos ideò B. Lucas innuit, neque contra votum suum de calice Domini bibisse, neque tamen à communione abstinuisse: sed corpus Domini sub sola panis specie manducasse. Vnde patet, ex doctrina & vsu Apostolorũ, primitiuæ Ecclesiæ fideles accepisse, communionem sub vnica specie licitam esse, ac ex Christi constitutione liberum esse fidelibus, sub vna, vel vtrâque specici communicare. Quæ libertas vsque ad S. Thomæ tempora perdurauit: in multis enim Ecclesiis vna, in aliis vtrâque specie communicatum fuisse testatur. Cuius variæ constitutionis origo cùm ad nullum certum authorem referri queat, ab ipsis Apostolis descendere ambigi non debet, qui pro locorum, temporum, atque personárum conditione, vel vnam, vel vtramque speciem commendauerunt, Ecclesiámque circa hanc rem indifferentem pro sua sapientia disponere posse, nunc hoc, nunc illo modo communicandum esse, docuerunt. Vnde tam apud Græcos quàm Latinos, certis anni diebus ex præsanctificatis communio sub vna panis specie fieri consueuit, quod ex Apostolica traditione in die parasceues semper obseruátum fuisse constat. Suam verò de hac re doctrinam Apostoli, conformem esse Sacramenti institutioni, Christique voluntati, non dubitarunt, imò verò Christum proprio exemplo confirmasse nouerant, sumptionem vnius speciei ad salutem sufficere. Nam Lucæ 24. duobus discipulis sub vna panis specie porrexit Sacramentum; saltem mystica panis benedictione vtilitatem Eucharistiæ in vna specie demonstrauit, quam & verbis commendauit Ioannis 6. dum ait: *Qui manducat me, viuet propter me. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Si qui manducauerit ex hoc pane, viuet. Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducet, non moriatur.*

Ex Apostolorum vsu & doctrina habetur communio sub vna specie.

3. p. q. 80. ar. 12.

Lucæ 24. Christus cõmunionem sub vna specie commendauit.

Ioan. 6.

Similiter communionem sub vna specie futuram variis figuris adumbrauit. Primùm comestione ligni vitæ: deinde agni paschalis: mannæ, panum propositionis, atque comestione sacrificiorum absque potu; ad quam alludẽs Apostolus: *Qui manducant*, ait, *hostias, participes sunt altaris* nihil de potu subijciens, quoniam sanguis & libamina Deo effundebantur, victimæ autem manducabantur. Quamuis autem per se indifferens sit, vtra species sumatur, ac in vsum fidelium reseruetur; panis tamen species ad commoditatem fidelis populi, & honorem Sacramenti visa semper est commodior, tum quia Sacramentum in panis specie facilius copiosissimè benedici, consecrarique, ac sanctificatum cum minori periculo distribui numeroso communicantium populo, transmitti, aut deportari ad absentes vel infirmos, ad omnem denique alium vsum diutius reseruari potest. Cùm enim in amplissimis ciuitatibus initio vnica ferè extaret Ecclesia, vnicúmque sacrum in die fieret, & in vno calice, eóque portatili, admodúmque ferè paruo celebraretur, nec sæpius

Figuri adumbrata est communio sub vna specie.

Panis species ad reseruandum commodior.

in vno sacro consecrare, neque plures calices in vno altari simul collocare vnquam licuerit; quomodo tam ingenti fidelium penè quotidie communicantium numero, sub vini specie Sacramentum dari, conseruarique potuisset? Diuina profectò sapientia prorsus exegisse videtur, ne communio sub vini specie necessitatis esset. Quis enim incommoda enumeret, quæ ex communione sub vtraque specie consequi nota sunt? præsertim cùm plurimi senes reperiantur, debiles, ægroti, stolidi, variisque corporis defectibus affecti, qui vix absque effusione liquidâ speciem sumere possint; alij barbas prolixas & alatas gerant; nonnulli absque periculo nauseæ ac vomitus speciē vini gustare nequeant: apud gentes insuper multas vinum non crescat, nec terra vel mari facilè haberi, nec insuper absque magno pretio inueni queat, importatum verò etiam citò acescat: simul cùm pacis & vnitatis Sacramentum sit, ad excludenda tot incommoda & pericula, scandala, contemptus, profanationes rei omnium sanctissimæ, ac ad remouendum infirmorum, rudium, pauperúmque Christianorum, aut vno destitutorum querelas, qui cogitare possent, se minus habere in Sacramento vnitatis & pacis, quàm reliqui Christiani, apud quos est vini copia; sēque minùs curæ fuisse Christo, quòd vini inopia laborarent, sub cuius specie excommunicandum præcepisset. Nónne omnino diuinæ prouidentiæ ratio postulare videtur, vt Christus Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, præscribendum committeret modum Eucharistiæ sumendæ sub vna, vel vtráque specie, prout charitati, concordiæ, & vniformitati populi Christiani expedire iudicarent? planè hoc decuit, aceum ita feciſſe, depositi ab eodem sponso suo fidelissima custos attestatur Ecclesia, quam audire iubemur tanquam columnam & firmamentum veritatis, reiectis hæreticorum sibilis, qui ex verbis Christi perperam intellectis, fucum obtendunt, hæresimque suam palliare studeant.

Vna species sumpta plurima incommoda excludit.

Concordia fidelium exigit vnius speciei cōmunionē.

Sapientiæ Dei congruit communio sub vna specie.

CAP. XXVIII.

Solutio Argumentorum contra vnius speciei sumptionem.

INstant enim, & aiunt, Christum nō solùm sub vtraque specie Sacramentum Eucharistiæ instituisse, sed etiam disertis verbis calicem sumi præcepisse Matth. 26. *Bibite ex hoc omnes.* Sed omnem hîc Marcus sustulit obscuritatem, dicens: *et biberunt ex eo omnes*, disertis verbis explanans, Matthæi verba solis duodecim Apostolis dici, qui cum Christo in mensa residebant. Ac insuper illa verba: *accipite, comedite, bibite*, sunt inuitantis potiùs, quàm præcipientis, vt constat ex c. 9. Prouerbiorum: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.*

Obiectio ex verbis Christi apud Matthæum soluitur ex Marco.

Verba Christi, bibite, comedite, sunt inuitantis, non præcipientis.

Cur autem Dominus potiùs dixerit, *bibite ex hoc omnes*; quàm *comedite ex hoc omnes*, ratio in promptu est, quoniam Dominus panem fregit, ac vnicuique Apostolorum partem suam dedit, non autem eis panem integrum porrexit, quem diuiderent; proinde non erat necesse dicere, *comedite ex hoc omnes:* sed vnum eundémque calicem, ex quo pariter omnes biberent, dedit, addens: *bibite ex eo omnes*, ne primus totum sibi exhauriendum ratus, nihil alijs relinqueret. Dominus itaque Christus in Eucharistiæ institutione nullum præceptum, quod futura secula concerneret, protulit, ni-

si hoc de corpore suo: *hoc facite in meam commemorationem*, vt habent Lucas & Paulus; & hoc de sanguine suo: *hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem*, vt habet solus Paulus. Prius mandatũ Apostolos, & in eis Sacerdotes obligat ad conficiendum atque offerẽdum, & omnes fideles ad sumendum aliquando Sacramentum. Sed posterius præceptum non obligat ad bibendum Domini sanguinem, sed tantùm ad hoc, vt quando bibetur, in Dominicæ mortis commemorationem id fiat. Valdè enim prouidè æterna veritas sua verba librauit, dicendo: *hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem*; non obscurè insinuans, se vsum calicis absolutè non præcipere; sed illud tantùm, si bibatur, vt in mortis Domini memoriam sumatur. In altera verò panis specie absolutè pronunciat: *Hoc facite in meam commemorationem*; vt intelligeremus, quòd sub panis specie potiùs quàm vini, Sacramentum omnibus fidelibus, loco suo, & tempore conueniret: ac insuper calicem non omnibus sub specie panis communicantibus necessariò distribuendum esse; sed tamen quandocúnque id accideret, quòd in Dominicæ passionis memoriam id fieri deberet, iuxta clarissima Pauli verba: *Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem.*

Luc. 22. 1. Cor. 11.

Vsum calicis Dominus nõ omnibus præcepit.

Obiectio. At dixerit aliquis: quandoquidem Christus Apostolis mandauit, vt cùm bibitum essent, facerent demceps, quod ipse fecerat, ipse autem distribuerit calicem; ergo necessarium esse, vt cùm Sacerdotes calicem sumunt, eundem quoque alijs distribuant. Respondeo, Domini verba, *hoc facite*, cõprehendere quidem substantiã operis Christi & Apostolorũ, ac proinde omnia, quæ Christus conficiendo, sumendo, & distribuendo fecerat, & simul, quæ Apostoli egerant manducãdo, diuidendo, & bibendo; sed eo sensu, vt quotiescúnq; fit, quod Christus fecit consecrando, sumendo ac distribuendo, & quotiescunque etiam fit, quod Apostoli fecerũt mãducando vel bibendo: fiat in mortis Domini cõmemorationem, vt contineatur præceptũ præscribens modum, quo tantum mysterium cõfici, sumique, siue sub vna specie, siue sub vtráque debeat. Quod illis verbis Apostolus luculẽtissimè declarauit: *quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortẽ Domini annuntiabitis, donec veniat: itaque quicunque manducauerit panem hũc, vel biberit calicẽ Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Vbi non præceptum, vtrámque speciem sumendi, à Domino traditum significat; sed vt debito modo, siue vna, siue vtráque species sumatur, videlicet in memoriam Dominicæ mortis; interim tamen ita verba Dominica recitans, vt satis insinuet, generaliorem fore vsum corporis sub specie panis, quàm sanguinis sub specie vini. Nam de corpore loquẽs ait, Dominum dixisse: *hoc facite in meã commemorationem*; de calice verò: *hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.* Quibus verbis non simpliciter de calice bibendum significatur; sed tantùm, vt quando de calice bibitur, illud in passionis Christi memoriam fiat.

Christus modũ, quo Eucharistia confici sumique debeat, siue sub vna specie, siue sub duabus, præcepit.

Respõsio.

At instant sectarij: Christus instituit sub vtráque specie, corpus quidem in cibum, sanguinẽ verò in potum vtique ipsorũ fidelium: igitur voluit omnes frui vtráque specie. Respondendvm est Dominũ multa instituisse, ac fieri in Ecclesia

Obiectio.

Respõsio.

voluisse per aliquos, non per singulos; instituit enim, vt aliqui cõsecrarent, alij ab eis sumerent, vtque aliqui sub vtráque specie Deo sacrificium offerrent, & postea sumerent; alij verò de hostia oblata participarent, hanc vel illam speciem sumendo; sicuti in veteri Paschali agno, vnus vnam, alter alteram agni partem edebat; omnes tamen integrum agnum Deo offerebant, & integrum phase celebrabant.

CAP. XXIX.

Dissoluitur argumentum ex Christi facto et verbis, Ioannis 6. deductum.

SAltem aiunt, Christus in cœna dedit Apostolis non consecrantibus sanguinem suum; ergo & nũc laicis calix dandus est. RESPONDEO, Christũ in prima Sacramenti Eucharistiæ institutione sacrificiũ sui corporis & sanguinis, Deo Patri sub panis & vini speciebus obtulisse, Apostolisque simili ritu sacrificandi potestatem dedisse, ac voluisse hoc sacrificium in Ecclesia perpetuum sub vtráque specie permanere ideo conueniebat, vt Apostolis tunc vtrámque speciem porrigeret, etiamsi deinceps non ab omnibus communicaturus vtrámq; speciem sumi necessariò voluerit; nam aliàs discipulis suum corpus sub vnica panis specie tradidit. Vnde ex hoc Christi facto non sequitur, necessariò laicis vtrámque speciem tribui debere, sed tantùm, quòd præueniendo consuetudinem ac leges Ecclesiæ, possit illis dari sanguis sub vini specie; quod extra controuersiam est. Nam & Corinthijs sub vtráque specie Sacramentum datum fuit; sed tamen Paulus nusquam sumere vtrámque speciem iussit.

Christus Apostolis vtrãq; speciem dedit, sed omnibus vtrámque speciẽ esse necessariã non dixit.

Luc. 24.

Ceterum quoniam ex c. 6. Ioan. illud vrgent Sectarij: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; vnde necessitas sumptionis sub vtráque specie deduci maximè videtur: animaduertendum est, in eo Ioannis loco perspicuè aliquando agi de spirituali carnis & sanguinis Christi sumptione, quæ fit per fidem, qua quis credit, se Christi mediatoris passione, merito & patrocinio ita egere, vt coram Deo spiritu viuat, sicut cibo & potu corporis eget, vt corporaliter vitam retineat. Quæ spiritualis Christi manducatio res significata est per Eucharistiæ sumptionem, qua spiritualiter Christo ac inter se fideles vniuntur: ideóque Cyrillus & nonnulli alij Doctores, ea Domini verba Eucharistiæ Sacramento applicant, & Augustinus dicere quandóque videtur, omnibus etiam paruulis necessarium esse Eucharistiæ Sacramentum, eò quòd res significata sit omnibus necessaria. Si ergo etiam de Sacramento Eucharistiæ cum plerisque hunc locum Ioannis intelligamus, dicendum erit, vim præcepti huius in re quæ sumitur, non autem in modo sumendi consistere. Christus enim est animæ cibus & refectio, spiritualiter nutriens quomodocúnque sumatur, siue sub vna specie, siue sub vtráque: *qui* enim, ait, *manducat me, viuet propter me*: integrum autem Christum sumit, qui vel vnam speciem accipit.

Ioan. 6.

Obiectio ex c. Ioan. 6.

Responsio.

Ioan 6. de re quæ sumitur, non de modo sumendi agitur.

CAP. XXX.

Dissolutio obiectionum ex Patribus desumptarum.

PRæter Scripturas præallegatas, Ecclesiasticæ consuetudinis

contemptores obijciunt veterum ac recentiorum quorundam Doctorũ sententias, quibus statuere conãtur, eos sensisse, communionem ab omnibus necessariò sub vtráque specie celebrandam esse: sed facilè sectariorum cæcitatem, vel malignum decipiendi studium deprehendet, qui attenderit, quosdam Doctores loqui de spirituali esu & potu (vt sermo de cœna Domini inter opera diui Cypriani, & sæpe Augustin.) alios verò sui temporis vsum & morem simpliciter, nulla calicis necessitate ex præcepto Christi indicata, referre, vt Cyprianus & Chrysostomus, dum scribunt, inter Sacerdotem & laicum nihil interesse, quoad mysteriorum participationem: vel, calicem Domini omnibus Ecclesiæ membris esse communem: quosdam nõ de calice necessario sumendo loqui, sed tradere eum, qui sanguinem Domini sumere vult, non in hostia intincta, sed seorsim bibere: debere nonnullos denique Manichæos &, Priscillianistas reprehendere, qui ex superstitione, qua putabant, Christum vel non habuisse sanguinem, aut vinum esse à diabolo, abstinebant à calice. Cõtra quos Gelasius differens ait, grande sacrilegium esse, mysterium Eucharistiæ diuidere, vnam videlicet speciem approbando, alteram verò prorsus reprobando, quomodo & Leo, Paschasius, atque Algerus dicunt nec carnem absque sanguine, nec sanguinem absque carne iure communicari, totúmque sacrificium & Sacramentum corporis & sanguinis Domini debere approbari. Postremò scicndum est, quosdam Scripturæ verba non interpretandi animo, sed ad vsum sui tẽporis accommodando dicere: *bibite ex eo omnes*, tam ministri, quàm reliqui credentes, pro quorum salute Christi sanguis effusus est. Nam ex veteribus historijs perspicuum est, antiquos Ecclesiæ scriptores non eam habuisse opinionem, quòd putarint, sumenti de corpore Domini necesse quoque ex Christi præcepto esse de calice bibere. Nam propter sæuientes persequutiones fidelibus Eucharistia domum ferenda tradebatur, vtique sub panis tantũ specie, prout Diuus Cyprianus scribit, Domini corpus à quodã manibus domum fuisse perlatum, ac in arca repositum. Hieronymus Romæ hoc vtatum fuisse refert. Ambrosius de Satyro fratre attestatur, quòd nauigaturus Eucharistiam in oratio secum deportarit, vt in periculo tam salutari-viatico non defraudaretur. Beda lib. 2. de histor. Anglic. c. 5. & lib. 4. Eucharistiam sub panis tantùm specie datam fuisse narrat.

Aug. in 6. c. Ioan. quæst. 57. in Leuit.

Chrys. homil. 41. in Matth.

Hom. 18. in 1. Cor. Cypr. lib. 1. epist. 3.

Iulius.

Synodus Bracarẽsis. Leo ser. 4. de quadragesima. Gelasius in epist. ad Maioricum citatus à Gratiano de consec. dist. 2. c. Compertimus.

Cap. XXXI.

Dissoluitur argumentum ex subtractione fructus petitum.

POstremo argumentantur Ecclesiæ aduersarij, laicis fructum subtrahi denegatione calicis.

Fructus Eucharistiæ à re contenta, non à signo per se considerato emanat.

Respondent Catholici, fructum esse rei contentæ effectum, non signi per se considerati, ac eundem fructum ex eâdem re profluere, siue sub vna, siue sub vtráque specie sumatur. Sed instant aduersarij: Dominus omnibus fidelibus corpus & sanguinem legauit; ergo paterna hæreditate filios defraudant, qui laicis Domini sanguinem negãt. RESPONDENDVM est, legatum integrum percipi nõ minùs sub vna specie, quàm sub duplici, cùm Christus non iam amplius moriatur, & totus sit, vbi corpus est, aut sanguis. Sed adduntijdem aduersarij: fatem

Sub vna specie datur legatum.

mutila-

mutilari ac diuidi Sacramentū, dum pars demitur, ac multò imperfectiùs mortem Dñi annunciari, per vnam speciem, quàm per vtrámque. Quibus respondemus, Dñi mortem cōmemorari vel per expressam repræsentationem, quæ fit in sacrificio, quod in vtriúsq; speciei consecratione peragitur; vel per simplicem Dominicæ mortis annunciationē, quæ fit manducando, vel bibendo de immolata re. Nam qui de carne animalis comedit, aut de sanguine eius bibit, ignorare nequit, animal priùs esse mortuum: qui ergo Dñi carnem sumit, aut eius sanguinem bibit, facilè intelligit, se Christi in cruce pro nobis immolati & mortui carnē & sanguinem percipere; cúmque sumptio corporis & sanguinis Dñi sacrificium sequatur (*Pascha* enim *nostrū immolatus est Christus*) qui vnam speciem accipit, plenitudinē Sacramēti habet, quia vnius speciei perceptione totius sacrificij particeps esse designatur, iuxta illud Apostoli: *Nónne qui edūt hostias, participes sunt altaris?* & quondam panis & vini species non essentiales Sacramēti Eucharistiæ partes, sed tantū materiales sūt. Ideo vnius partis ademptio, non essentiam Sacramenti, sed tantùm expressiorem aliquā significationem symboli tollit. Ex quibus manifestè cōmonstratum arbitror, cōsuetudinem communicandi sub vna panis specie, neq; Christi præcepto, vel institutioni Sacramenti aduersari, neque laicis fructū adimere, vel Sacramentum diuidere, aut mutilare; sed vtiliter ac sapiēter ab Ecclesia in generalibus Cōcilijs probatam esse, ad obuiandum multis irreuerentiæ periculis, & positiuū effusionis Dominici sanguinis: deniq; ad obuiandum iam exortæ Berengarij hæresi, quæ asserebat, signa tantū corporis & sanguinis Dñi in hoc Sacramento, non autem verum Christi corpus & sanguinē contineri. Contra quam hęresim Ecclesia, vt omnibus pateret, quòd in hoc Sacramento Christū corporaliter præsentem esse crederet, quódque potiùs rem quàm signa consectaretur; cœpit libertate sua vti, vnáque panis specie contenta esse; ac contradicentes illi consuetudini, veluti hæreticos & filios rebelles condēnauit: quinimo & sanxit, eam consuetudinem priuata cuiusque authoritate nō esse immutandam; subdens tamē, iustis ex causis posse ab Ecclesia laicis vsum calicis permitti, si non exhæresi Scripturis contraria postuletur. Quod prudentiæ Romani Pontificis Synodus Tridentina cōmisit, vt scilicet id faciat, quod Reipublicæ Christianæ vtile, ac petentibus salutare iudicauerit. Ceterùm ne rebelles Ecclesiæ filij aduersus matrem gloriādi occasionem prætenderent, si per importunitatem laicis vsum calicis concedi viderent, quasi antea eisdem iniustè denegallet: ac simul, ne abiecta semel maiorū authoritate nouationes in diem quærerent, sempérq; aliquid gestirent religioni addere, mutare, aut detrahere; sapientissimè Romanus Pontifex in fide, constitutáq; antiquitus regula semper fixus & stabilis permanēs, id solùm, quod vniuersæ iam olim placuit Ecclesiæ, retinendū esse decreuit; nec hæreticis aut rebellibus Christianis in minimo cedēdum esse grauissimè censuit: cuius sententiæ genuini omnes Ecclesiæ filij perlibenter obediunt, scientes, quod non sit habiturus Deum Patrem, qui non audierit in terris Ecclesiam matrem, quæ columna & firmamētum est veritatis, in qua sola Dominus cathedram veritatis, & magisterium infallibile veritatis constituit.

Particeps altaris est, qui partem hostiæ mādducate ergo magis, qui totam hostiam sub vna specie accipit.

1. Cor. 10.

Panis & vini species sunt materiales Sacramenti partes, non essentiales.

Communicatio sub vnica specie nec fructū adimit, nec Sacramentum diuidit.

Qui Ecclesiasticæ cōstitutioni obmurmurant filij rebelles sunt. Cōc. Trid. sess. 21. can. 4. de cōmunione sub vtráq; specie, & sess. 22. decreto super petitione concessionis Calicis.

Hæreticis ne in minimo fidei articulo cedendum.

In religionis negotio nihil nouandum.

LIBER III.

DE VENERABILI EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

CAP. I.

De multiplici acceptione vocis Sacrificij.

Sacrificium actionem & rem qua sacrificatur, denotat.

NE vis ac notio propria vocis sacrificij ignota, nobis de verbo controuersiã pariat, aut eius acceptio varia errandi occasionem præbeat, obseruandum inprimis est, sacrificij vocem interdum actionem sacram, nonnunquam autem rem ipsam, quæ sacro ritu offertur denotare ac rursus vtrúnque propriè vel Impropriè sacrificium vocari. Propriè quidem sacrificium appellatur, quod ex primaria sua institutione ad exhibendum Deo externum latriæ cultum ordinatum est, ita vt eius propria vis ac ratio sit, inde laudem ac bonitatem habere, quod immediatè in diuinæ excellentiæ recognitionem offeratur. Impropriè verò sacrificia nuncupantur, quæ secundùm suæ speciei rationem non à religionis virtute ad seruiendum Deo proximè dimanant, sed tantùm ab eâdem velut imperante, in Dei gloriam referuntur; qualia sunt omnia virtutum officia, in Dei honorem relata, quæ præter bonitatem, quam specie sua obtinent, si per religionis virtutem ad cultum & honorẽ Dei referantur, nomẽ & quodammodo

Sacrificium propriè dictum.

Impropriè sacrificium.

Psal. 4. Sacrificium iustitiæ. Psal. 50. Sacrificium

sacrificij rationem participãt; sic tamen, vt nõ nisi per metaphoram seu analogiam, generali & impropria ratione sacrificia sunt, aut dici queant. Vnde in scripturis aliquando esse sacrificia negantur; vt, *Misericordiam volo, non sacrificium. Si voluisses sacrificiũ, dedissem vtique: Diligere Deum ex toto corde, est maius omnibus holocaustomatibus & sacrificijs.* De vtroque sacrificiorum genere differẽs B. Augustinus, propriè dictum sacrificium vocat externum, visibile, commemoratiuum, typicum, interni seu inuisibilis sacrificij Sacramentum, hoc est, sacrum signum. Impropriè autem dictum sacrificium appellat, verum & perfectum; non quia ratio sacrificij magis ei verè & propriè cõueniat in ratione signi, quàm visibili & typico, per quod adumbratur internum ac spiritale sacrificium; sed ob veritatẽ & perfectionem rei; quia ex natura & officio interior cultus Deo gratior sit, quàm sola externa typici, & visibilis sacrificij oblatio, quæ per se non est Deo accepta, sed tãtùm ex veri sacrificij Deo grati significatione, qua offerens profitetur se, omniáque sua Deo, velut suprẽmo Domino, subijcere: quam significationem nulla exterior actio habet ex natura sua, sed ex institutione humana vel diuina. Quomodo Christus dicitur *vitis vera*, non quia sit vitis propriè secundùm speciei veritatem, sed quia sit res, in qua

Deo spiritus contribulatus. Philip. 2.

Sacrificium fidei. 1. Reg. c. 15. Matth. 9. & 12. Psal. 50. Osee 6.

Augustinus opponit veritatẽ non falsitati, sed vmbræ, figuræ atq; signo.

Ioan. 15.

impleatur significatio vitis, de qua in veteri testamento fit mentio, incomparabiliter re significante præstantior.

Vt autem sacrificij duplex est acceptio; vna latissima, & impropria; altera vero stricta, & propria: ita etiã sacerdotij duplex est significatio; prior latissimè patens, & impropria, secundùm quam omnes Christiani sacerdotes vocãtur: altera verò stricta & propria, secundùm quam soli ministri ad offerenda propriè dicta sacrificia deputati sacerdotes, tam in lege naturæ, quàm veteris & noui testamenti tempore, appellantur. Nam in lege Naturæ, vel ex institutione diuina, vel vsu quoque & introductione humana primogeniti, & Familiarum princeps (teste Hieronymo, Augustino, & alijs) simul erant sacerdotes; postea in lege veteri, ex institutione diuina Tribus Leui ad ministerium diuini cultus deputata est, & familia Aaronis ad fungendum sacerdotio: quod tunc per carnalem successionem quasi hæreditario iure obtinebatur. Iam verò sacerdotij genus institutũ est, quod non per carnis originem, nec per solam populi designationem, sed per veram ac legitimam consecrationem datur.

1. Petri 2.

CAP. II.

Sacrificy propriè dicti definitio.

Sacrificij externi definitio. Aug lib. 10. de ciuit. c. 5.

OMisso autem interno, generali, impropriéque dicto sacrificio, de visibili propriéque accepto differemus, cuius definitio est: *Sacrificium est inuisibilis sacrificy visibile Sacramentum*; id est, sensibile signum actus interioris hominis, quo per intellectum recognoscit Deum, vt supremum Dominum, & per voluntatem seipsum eidem in dicti supremi dominij recognitionem subijcit. Siue, *Sacrificium est oblatio facta Deo, per immutationem alicuius rei in signum legitimè institutum diuinæ excellentiæ & reuerentiæ*: siue, *Sacrificium est oblatio externa per rei alicuius sensibilis immutationem, immediatè Deo in eius supremi dominij, nostraque subiectionis professionem facta.* A qua definitione inprimis excluduntur omnes ceremoniæ & sacrificalia, quæ non ad supremum cultum Deo exhibendum, sed ad veri sacrificij ornatum immediatè sunt instituta: similiter operationes Sacramentales, quæ ad nostram sanctificationem & salutem procurandum immediatè institutæ sunt.

Deinde illa simplicium oblationum genera, in quibus absque vlla sui mutatione res Deo præsentatur, vt primogenita, decimæ, primitiæ, religiosæ personæ, aurum, argentum, lapides pretiosi, donaria templorũ, quæ omnia rectè offerri Deo, non autem sacrificari dicuntur, quia nulla circa illa mutatione facta solùm in Dei honorem exhibeantur: Sacrificia verò sacram mutationem exigant, vt ex varijs sacrificiorum generibus, tam in lege naturæ quàm Mosaica descriptis, luculenter apparet. Nam apertè scriptura distinguit oblationem à sacrificio, cùm dicit: *oblationem et sacrificium noluisti*: & ad Hebræos Apostolus dicit, assumi Pontificem, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Quorum distinctionem in eo sitam esse docet Chrysost. & post eum S. Thomas, quòd omne illud offerri seu donari Deo censeatur, quod in eius honorẽ dedicatur, siue mutatio accedat, siue immutata res in sua specie permaneat: sacrificium autem rei oblatæ mutationem requirat, siue gladio, siue igne, siue alia quacunque

Sacrificium adiunctam habet mutationem.

Exod. 25. & 35.

Num 8. Leuit 2. 6. Gen. 4. Psal. 39. Heb. 5. 10. Euseb. lib 1. de præpar. Euang. c. 6. Chrys. ho. 18. in epist. ad Heb. Theophil. c. 8. ad Heb. Aug. epist. 59. 2. 2. q. 86. ar. 1.

Oblatio in quo a sacrificio distinguatur.

ratione, sicut Cain & Abelis sacrificia fiebant occisione pecorum, vel accensione frugum, quos Seth, Henoch, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, Iob, & alij fideles sunt imitati. Melchisedech quoque panem & vinum, certo ritu facta commixtione vel aspersione, in sacrificium obtulit. Vnde constat, sacrificij propriè accepti nomen soli ei actioni conuenire, quæ rei offerendæ mutationem ritu sacro inducit; aut substantiæ destructione per ignem aut gladium; vel commixtione, contusione, frixione, molitione, farris aut olei varia aspersione; vel demum effusione, aut per comestionem, tostionem, aut quamlibet aliam mutationem.

Gen. 22. Leuit. c. 1. & sequent. 2. Reg. 23.

Ex quibus intelligitur, etiam in noui testamenti mysterio sacrificij rationem in ea sacerdotis actione quærendam esse, quæ rem oblatam quodammodo immutet; idque tam propter moralem, quàm mysticam sacrificij significationem, vt scilicet interna sui ipsius oblatio, qua perfectissimè homo se diuinæ excellētiæ subijcit, & præterea Christi mors, destructio peccati, necnon ipsius mortis denotetur. Ideo enim res, quæ sacrificantur, Deus voluit interimi, absumi, aut saltem ritu mystico immutari, vt eo modo humanis vsibus subductæ, ac in Dei veluti possessionē tam quoad vsum, quàm substantiam translatæ, perfectum eius in omnia dominium, cunctáque naturaliter eius obsequio seruire oportere designarent, quæ moralis significatio intrinseca omni sacrificio est.

Cur mutationē adiunctam sacrificio Deus voluerit.

Moralis significatio est essentialis omni sacrificio.

Sed insuper Deus post hominis lapsum primis parentibus inspirauit, sic offerenda esse sacrificia, vt per illa Christi mors, & peccati mortisque destructio, typicè adumbrarentur. Quamuis enim hæc sacrificij Christi repræsentatio, seu mystica significatio, ad intrinsecam sacrificij naturam minimè pertineat (cùm etiamsi homo non peccasset, & Christus mortuus non esset, sacrificia in testimonium diuini principatus, & naturalis humanæ subiectionis offerri potuissent) attamen post hominis lapsum, sicuti Deus omnes homines per fidē in sanguine Christi saluari, ita etiam homines hanc fidem sacrificijs profiteri, ipsúmque mortis Christi sacrificium repræsentari constituit. Vnde *fide Abel obtulit*: & *agnus immolatus est ab origine mundi*. Et quidem Christus peractæ mortis suæ commemorationem incruenta corporis & sanguinis sui sub speciebus panis & vini oblatione fieri decreuit, vnicúmque istud sacrificium, alijs omnibus legis naturæ & Mosaicæ abrogatis, succedere in noua lege disposuit. Et quoniam sacrificium sæpe coniunctam habebat operosam sacerdotis actionem, inde facere, erat sacrificare: *Apud te facio pascha*: quod Lucas per *occidere*, Marcus per *immolare* expressit. Vnde Helias: *Ego faciam bouem alterum*, id est, Deo sacrificabo. Qualem rerum, per sui aliquam immutationē, in Dei cultum oblationem, simili actione nonnunquam Deus approbauit, oblatas victimas igne cælitus demisso absumens: vt in Heliæ sacrificio, & priùs Abelis, Gedeonis, atque Salomonis accidit. Ex quibus perspicuum est, oblationem genus sacrificij esse, ideóque sacrificij aut immolationis propriam rationem absq; oblatione reperiri nō posse, cùm omnis sacrificalis actio ex sua specie sit rei cuiusdam sensibilis ad honorē Dei exhibitio, ac proinde oblatio, cū nihil sit aliud Deo aliquid offerre, quàm in eius cultū directè ac immediatè dedicare.

Repræsentatio mortis Christi per sacrificia omnino post lapsū fieri debuit.

Rom. 3. & 11.

Aug. lib. 1. cōt. aduers. legis c. 18.

Luc. 22. Marc. 14. 3. Reg. 18. Res oblatas Deus interdum igne cōsumpsit.

Repræsentatio mortis Christi ad intrinsecam sacrificij rationē nō pertinet.

Vnde patet, non rectè sacrificium definiri hoc modo: *Est oblatio muneris Deo in recognitionem supremi eius dominij facta*, cùm sacrificium præterea muneris oblati mutationem requirat, sine qua nullum vnquam fuit proprij nominis sacrificium; & oblatione generali (quæ etiam laicis conueniat) possit munus aliquod offerri Deo, in supremi eius dominij recognitionem; imò Lutherus cum suis asseclis libenter admittant, omne opus bonum in gloriam Dei ac recognitionem supremi eius dominij factum, ac proinde & Eucharistiæ sumptionem, esse generali hac significatione sacrificium. Nemo tamen Catholicus admittet, singulos fideles bene operando, vel Eucharistiam sumendo, proprij nominis offerre sacrificium.

Kemnitius pag. 810. 193. & 786.

CAP. III.

Sacrificij externi diuisio.

SAcrificia definitione priori comprehensa, quatuor modis distinguuntur: ex materia, forma, fine, & accidente. Ac ratione quidem materiæ diuiduntur in victimas, immolationes, & libamenta. Si enim ex materia viua, scilicet ouibus, capris, hœdis, bobus, columbis, turturibus aut passeribus erant, *victimæ* ac *hostiæ* dicebantur. Si verò ex materia inanimi solida, videlicet simila, pane, sale, thure, manipulis frugum, *immolationes* vocabantur, quanquam nunc vsu recepto pro iisdem accipiantur sacrificare & immolare, hostia, immolatio, & sacrificium. Ex materia verò liquida, vini & aquæ *libamina* nuncupantur.

Quadruplex sacrificij distinctio.

Diuisio sacrificiorum ratione materiæ.

Vsu recepto pro eisdem accipiuntur sacrificare & immolare.

Ex forma verò sacrificandi etiam tria sacrificiorum genera constituebantur. *Holocaustum* erat, in quo hostia tota cremabatur: in *hostia pro peccato*, pars igne consumebatur, pars à sacerdote manducabatur: in *hostia* verò *pacifica*, vna pars incendebatur, secunda sacerdoti cedebat, tertia demum offerenti. Et quidem pacificorum erant duæ species. Nam si pro beneficio accipiendo offerebantur, etiam in crastino poterant manducari: si autem pro beneficio accepto, debebant ipso sacrificij die consumi. Ex fine verò distinguebantur, quia directè in Dei honorem tantùm fierent, vt holocaustum; vel pro peccati etiam remissionem consequenda, vt sacrificium pro peccato; vel in gratiarum actionem, aut ad beneficij alicuius impetrationem, vt pacifica hostia. Rursus sacrificiorum distinctio sumitur ex eo, quòd aliquod sit absolutum, independens, per se Deo gratum, & consummatiuum, non typicum, seu alterius commemoratiuum, neque in aliquo communi religionis legisque ritu positum, in quo genere solùm est Christi summi Pontificis oblatum in cruce ritu cruento sui corporis & sanguinis sacrificium, in compensationem iniuriæ Deo per inobedientiam primorum parentum irrogatæ, atque vt eundem generi humano iratum reconciliaret. Aliud verò genus sacrificij est typicum, religionis legisque ceremoniæ coniunctum, alteriusque sacrificij, per se Deo grati significatiuum, cuiusmodi post hominis lapsum fuêre omnia tam naturæ, quàm Mosaicæ, atque Euangelicæ legis sacrificia, in quibus adumbrata est passio agni, qui *occisus* ideo scribitur *ab origine mundi*, cuius mortem peractam incruentum Missæ sacrificium annuntiat, eiusdem fructum nobis applicat, iuxta illud: *Hoc facite en meam commemorationem.*

Ex forma sacrificandi tria sacrificiorum genera.

Distinctio sacrificiorum ex fine.

Alia sacrificij distinctio, quod vnum sit absolutum, aliud typicum.

Sacrificium Christi cruentum est absolutum & independens, per se Deo gratum.

Apoc. 13.

1. Cor. 11. Matth. 26.

Cap. IIII.

Sacrificium externum Deo in omni lege deberi.

Lex viuendi & sacrificandi pariter ambulant.

CVm non solùm cultus Dei in communi, sed etiam externus nobis iure naturæ sit præceptus, vt nos totos quoad animam & corpus Deo subijciamus, idque non tantùm Deo, qui tali signo non indiget, sed etiam hominibus significare debeamus; patet, latriæ cultum in sacrificij oblatione positum, in omni lege Deo deberi, ac tanquam sibi peculiare ac proprium seruitutis obsequium, ab eo requiri. Nam & in omni republica externum aliquod honoris debiti supremæ potestati signum repetitur, quod absque læsæ maiestatis crimine alteri deferre nefas sit excepto autem sacrificio, reliqui externi cultus etiam creaturæ tribui possunt. Lex ergo naturæ dictat, hoc summo honoris ac religionis actu, qui in oblatione sacrificij consistit, publicè coram omnibus agnoscendum esse supremum Creatoris in nos & omnia nostra dominium, nec non naturalem nostram eidem subiectionem; qui generalis naturæ instinctus ex omnium gentium moribus colligitur, quarum nulla tam fera vel barbara fuit, quin ad cultum Dei sacrificia adhibuerit, eique obtulerit, quem Deum putauit, credidit, aut finxit: ac in omni lege, hominúmque statu & conditione, cum ipsa religione sacrificium natum est, & cum illa extinctum, aut permutatum. Translato enim sacerdotio (eademque ratio est de sacrificio) necesse est, vt legis quoque translatio fiat. Et quo magis Dei notitia creuit, eò maior diuini cultus ratio semper habita fuit. Iunò quò aliquis Deo acceptior extit, diligentiùs ei hostias & munera obtulit, vt disertè scriptura de Abele, Seth, Henoch, Noë, Melchisedech, Abraham, Isaac, Iacob, Iob, & aliis sanctis commemorat, nec non de Moyse, per quē Deus legalia sacrificia, vsque ad Christi aduentum perduratura, sibi per Aaronicos sacerdotes offerri constituit, gentémque Israëliticam in peculiarem Rempublicam erexit. Nam ad populum in legitima societate continendum sacrificij religio necessaria est, per quam nō solùm singuli eminens Dei super se dominium agnoscant (quod per religionis actus priuatos ac internos fieri potest) sed etiam vniuersi, per externa & publica sacrificia, quæ totius populi nomine per ministros publicos ad eam functionem peculiari ritu initiatos Deo offeruntur. Quod naturæ lumine gentilis Aristoteles agnouit, dicens, ad populum constituendum, sacrificiorum religionem instituī oportere: ac inter magistratus, sine quibus Respublica consistere nequeat, sacerdotes enumerat, quibus & principem in ciuitate locum attribuit. Vnde nullam vnquam iuxta naturæ præscriptum institutam Rempublicam legimus sine sacerdotio & sacrificio. Populus enim cum Deo ac inter se per externum sacerdotij & sacrificij opus coit, ac fœdera sancit: quemadmodum Abraham pactum cum Deo de illi seruiendo, & de beneficijs ab illo reciprocè percipiendis oblatione sacrificij confirmauit. Similiter Iacob erecto altari fœdus cum Deo pepigit; ac Moyses populi Israëlitici pactum, cum Deo de seruandis eius legibus initum, hostiarum sanguine populum aspergens, roborauit. Quin & dæmones non solùm personas aliquas, sed etiam nationes

Sacrificiū est signum honoris Deo proprij.

Actor 14. Lycaonis sacrificatiis, quos Deos putāt, volunt.

Sacrificium cum religione natum. & extinctum.

Quo quis Deo acceptior fuit, eo magis illum sacrificiis coluit.

Aristoteles sacrificiorum vsum necessariū esse agnouit. Lib. 1. Metaphys. Lib. 6. Ethic. Politic. lib. 7. cap. 8.

Sine sacerdotibus. Resp. non subsistit. Ieron. cōt. Lucifer. Aug. li. 20. cōt. Faust. c. 21.

Sacrificiis pactum cū Deo initur.

integras sacrificiorum pactis sibi associarunt, quæ in eo à legitimis societatibus differebant, quòd ea quæ gentes immolabant, non Deo vero, sed malignis spiritibus offerrent, qui non delectabantur odore carnium, vel nidore aromatum, sed honore diuino, quem ab errantibus & à se deceptis ac subiectis hominibus sibi exhiberi gaudebant; cum quibus tamen nulla societas, velut irreconciliabilibus Dei hostibus erat habenda, iuxta illud Apostoli: *Nolo vos socios fieri dæmoniorum.* Per sacerdotium ergo & sacrificium Deo vero oblatum populus in legitimam societatem coalescit, ac ab aliis per falsa sacra initiatis, atque vnus status aut lex, ab alio statu in eâdem quoque fide discernitur; sicut ex mutatione veteris sacerdotij legis quoque commutationem fieri debuisse Apostolus colligit.

Dæmones sacrificiis homines sibi associãt. Cum dæmonibus velut hostibus nulla societas habenda. 1. Cor. 10.

Per sacrificia status populi mutatur. Ad Hebr. 7.

CAP. V.

Quòd in noua lege sacrificium externum quoque reperiri debeat.

CVm Christus dictum naturæ communem instinctum non extinxerit, nec pareiùs latriæ cultu in nouo quàm in veteri testamento Deum coli voluerit, nec venerit legem soluere, sed adimplere; sequitur, ipsum populo Christiano non ademisse religionem sacrificij, sed in melius commutasse: translatam enim esse veterem legem in aliam docet Apostolus, non quæ sacerdotio & sacrificio careat, sed quæ summum Pontificem, non de tribu Leui, sed Iudæ, eúmque iureiurando factum, & qui hostiam in æternum offerendam habeat, idque in alio ordine quàm Aaronis, videlicet secundùm ordinem, ritum, ac formam sacerdotij Melchisedech. Est igitur translatum vetus Aaronicum sacerdotium in nouum, atque commutata sunt legalia sacrificia in oblationem nouam secundùm ritum Melchisedech, qui obtulisse panem & vinum legitur. Commutatio itaque sacerdotij & sacrificij facta est, non sublatio: per illámque noua in populo Dei Reipublicæ forma constituta est. Non enim iuge sacrificium per Christum, sed per Antichristum auferendum est. Vnde scriptura sacra rempublicam in religione pessimè constitutam, ac in atheismum inclinantem describens, proponit homines absque sacerdotio, sine sacrificio & altari: & extremam desolationem in eo ponit Daniel, quòd hostia deficiet atque sacrificium; ac Antichristi præcursorúmque illius præcipuum studium fore prædixit, vt tollant iuge Christianorũ sacrificium, scientes, quòd sublato sacrificio interire debeat religio; quoniam facilè diabolus apostatas esse persuasit, quibus quotidianum dominici corporis ministerium defuit. Nam sacrificium Christianæ religionis præcipuum est fundamentum ac vinculum, quo sublato, necessarium est, omnem in Ecclesia subuerti ordinem, nullámque sacri ac profani distantiam supereſſe. Quare in nostri seculi hæreticis, licet Antichristi & apostatæ Iuliani, ac veterum hæreticorum spiritum agnoscere, dum nullum externum proprij nominis sacerdotium aut sacrificium inter Christianos reliquum esse volunt, & noui testamenti filos ea ratione omnium, qui vnquam fuerunt, hominum ingratissimos constituunt, quia cùm plura quàm ceteræ gentes à Deo beneficia perceperint, quorum gratia meritò præ omnibus alus,

Christus vsum sacrificij non sustulit, sed in melius commutauit.

Hebr. 7.

Veteris sacrificia sunt commutata in oblationem secundùm ordinem Melchisedech. Gen. 14.

Iuge sacrificium per Antichristum tollendum. 3. Reg. 14. Osee. 3. Daniel 9. & 11. Hipp. mar. lib. de Antichristo.

Aug. epist. 180.

Hæretici tollendo sacrificium, Antichristo seruiũt.

Optatus lib. 6. de Donatistis.

CAP. VI.

Quòd quatuor sint in omni sacrificio considerandа: quid offeratur, à quo offeratur, cui offeratur, pro quibus offeratur.

Sacrificiũ cùm exhibetur Deo secundùm veram eius inspirationem & doctrinam vera religio est.

QVanquam secluſa Dei prohibitione poſſet humanum genus in quocumque ſtatu vitæ exiſtens communi conſenſu, & authoritate publica ſuo ſtatui accommodata inſtituere ſacrificia; tamen, quia humana ratio fallax eſt, & poſt lapſum nõ ſolùm vnus Deus, Creator, ac Dominus omnium; ſed & vnus Dei & hominum mediator agnoſci, typicíſque ſacrificiis redemptionis beneficium prænuntiari debuit; ideo legitimorum ſacrificiorum, ſicuti & diuinorum ſacramentorum inſtitutionem Deus ſibi ſoli reſeruauit, ac primis fidelibus (à quibus ethnici ſacrificandi ritus acceperunt) interna inſpiratione, aut aperta iuſſione declarauit, quomodo, quibúſue rebus, ſignis, actionibus, & ſacrificiis coli vellet, ne fallacijs malignorum ſpirituum aut vanorum hominum ad ſuperſtitioſum cultum inducerentur. Vnde Socratis ſententiam collaudat Auguſtinus, dicentis: *Sic Deum coli oportere, quomodo ſe colendum eſſe præceperit.* Quę conſonat verbo Dei, Iſraëlitico populo per Moyſen dicto: *Quod præcipio tibi, tantum facito Domino.* Quæ ſententia in obſequio & oblatione ſacrificiorum indubitatam veritatem obtinet. Nam veteri populo Deus ſacrificia, per quæ vellet latriam ſibi exhiberi, inſtituit, nec alia cuiquam inſtituere vel offerre permiſit. Vnde temerarium reputatur Iepte facinus, in immolatione filiæ, ſi Ambroſio, Hieronymo, Nazianzeno, & Auguſtino credimus. Poterat quidem iuſtè Deus, qui totum hominem ſibi tam iure creationis, quàm redemptionis vendicat, id quod dederat & emerat repetere, ac noſipſos, aut chariſſimos liberos, aut de humano ſanguine aliquid in ſacrificium exigere, quemadmodum Abrahæ filij ſui Iſaac immolationem imperauit, ac in lege primogenita à percutiente angelo liberata ſibi retinuit: ſed vti commutationem in beſtiæ ſanguinem tunc admiſit, obedientia, & arrete contentus, primogenita verò in lege pecuniâ redimi conſtituit: ita nunquã hoc genus hoſtiæ licitum eſſe ritu promiſcuo (ne graues abuſus ex mutua hominum cæde acciderent) permiſit. Et quoniam impuri ſpiritus non ignorabant, vitam hominis Deo deberi, ac pro Dei honore Chriſtum vitam ſuam oblaturum, etiam cultoribus ſuis perſuaſerunt, filios ſuos & filias ſuas dæmoniis ſacrificare, & ſanguinem innocentem effundere ſculptilibus Chanaam. Sicut Rex Moabitarum ad extremã neceſſitatem redactus, proprium filium immolauit, vt hoc velut excellentiſſimo ſacrificio diuini numinis opem ſibi conciliaret.

Cur ſacrificari ſibi homines Deus nolit.

Euſeb. lib. 1. de præpar. Euang. ca. 10. proſequitur vitã bruti pretiũ eſſe vitæ hominis.

Aug. ſerm. 64. de verb. Domini. Pſal. 105.

4. Reg. 3.

Sicut autem in veteri lege Deus ſacrificiorum inſtitutionem ſibi ſoli reſeruauit; ita & in noua ſic vnicum aliquod verum, viſibile, ac proprij nominis ſacrificium Chriſtus inſtituit, vt noluerit vllum aliud cum illo multiplicari aut miſceri. Quod cùm adhuc obſcurum eſſet, multis ſacrificiis adumbrandum fuit, vt ex varietate ſacrificiorum illorum prę-cipui huius maxima dignitas innoteſceret. Sed poſtquam illius excellentia Chriſtianis tandem patefacta eſt, admodum conuenienter Do-

Deus ſacrificiorum inſtitutionem ſibi reſeruauit.

Ethnici à fidelibus ſacrificandi ritum vſurpauerunt.

Socratis ſententia ab Auguſt. laudata.

Deut. 12.

Vnicum noux legis ſacrificium.

Aug. lib. 4. de trin. cap. 14.

minus vnicum esse noui testamenti voluit sacrificium, vnicámque hostiam in Dei & hominis carne atque sanguine positam, quam Christus ritu cruento in cruce obtulit, & vsque ad seculi finem per Apostolos, eorúmque in sacerdotio successores, incruento ritu sub panis & vini speciebus offerendam sanxit.

Matth. 26. 1. Cor. 11.

SECVNDA legitimi sacrificij conditio est ex parte offerentis, vt is talis sit, qualem diuina institutio requirit: scilicet minister publicus, ad tale munus legitimè deputatus, vel immediatè à Deo, vel mediante eo, qui authoritatem habet hanc dandi potestatem. *Nemo enim sibi assumit honorem, sed qui vocatur à Deo, sicut Aaron: & omnis pontifex ex hominibus assumitur, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Vnde nec Christus semetipsum glorificauit, vt Pontifex fieret, sed qui loquutus ad eum: *Tu es sacerdos in aternum secundùm ordinem Melchisedech.* Quare Dathan, Core, & Abiron cùm sibi vendicare sacerdotij munus affectarent, repentino hiatu terræ absorpti sunt. Saul, quia sacrificare præsumpsit, regno electus est. Ozias Rex ob similem temeritatem leprâ mulctatus fuit. Quare Christus offerendi sacrificij potestatem Apostolis dedit, cùm eos sacerdotes fecit, dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et Apostoli per ciuitates Episcopos & Presbyteros ordinarunt, qui soli propriè dicti sacerdotes (Augustino teste) fuerunt. Ante quem Dionysi. Areopagita; *Nec ipse sacerdos erit, nisi pontificalibus officiis ad hoc ipse fuerit promotus.* Et Tertullianus Martionitas ridet, quòd laicis sacerdotalia munera committerent, „ *cùm offerre*, inquit, *ad sacerdotum officium pertineat*, adeò, inquit Epiphanius, *vt ne quidem Christus matri suæ vt sacrificaret permiserit, imò nec hoc diaconis concessum sit.*

Sacrificiũ à sacerdote offerẽdum.

Conc. Trident. sess. 23. cap. 1.

Num: 16. 1. Reg. 13. 2. Paral. 26.

Aug. li. 20. de ciuit. ca. 10.

Dionys. li. de Eccles.

Hierar. c. 5. parte 1. Tertul. de præscr. & de exhort. castit. Epipha. hæresi 79. Hieron. ep. ad Euagrium. Hypp. in oratione de Anti. christo.

CVM enim sacrificium præstantissimus sit diuinitatis externus cultus, meritò ad illud offerendum persona ad hoc peculiari ritu deputata requiritur. Vnde etiam gentes ad offerenda publica falsis diis sacrificia suos sacerdotes, pontifices, ac flamines habuerunt. Initio quidem mundi ac in lege naturæ primogeniti (iuxta Hebræorum traditionem) atque patres familias, & nonnulli diuina inspiratione peculiariter vocati, sacerdotes fuêre: in lege veteri, Aaron cum filiis: in nouo testamento, Apostoli, & ab eis in sacerdotium consecrati.

Conc. Nicen. can. 14.

Sacrificium soli Deo faciendum.

TERTIA conditio legitimi sacrificij respicit eum, cui offertur, vt non creatura, quantumuis sublimis & digna, sed verus sit Deus, Pater & Filius & Spiritus sanctus, *in quo viuimus, mouemur et sumus*, qui est fons omnis boni, vitæ præsentis & futuræ, cuius diuinam maiestatem sacrificij oblatione agnoscimus, eidémque nos, omniáque nostra subijcimus, nósque ab eo esse, atque dependere profitemur. Vnde Exodi vigesimo secundo, sacrificans diis occidetur, præterquam Domino soli. Primarius enim ac proprius omnis sacrificij vsus, est latriæ seruitus, hoc est, externa supremi cultus exhi-

Proprius sacrificij vsus est latriæ seruitus.

bitio, continens agnitionem supremi dominij, naturalisque subiectionis. Ob quam causam præ omnibus honorum officiis sacrificia sibi offerri superbissimi dæmones studiosissimè curarunt, quæ sancti vel homines vel angeli etiam vltrò delata respuerunt.

Act. 14. Apoc. 19. Aug. epist. 49.

QVARTA legitimi sacrificij conditio est, vt fiat intentione & fine à Deo præscripto, scilicet ad profitendum supremum Dei principatum, nostrámque subiectionem, simúlque ad annuntiandam Domini mortem.

Sacrificium fine à Deo perscripto faciendum.

Nam falsum sacrificium, quod falsis diis offertur, aut quod non fit intentione colendi & profitendi diuinam excellentiam, non tam sacrificium, quàm sacrilegium, superstitio, & idolatria, dicendum est. Nam *cultus, qui non officio mentis, sed ritu solo corporis constat, nihil habet* (inquit Lactantius) *veritatis.*

Lactan. lib. 4. c. 3. & 4.

CAP. VII.

Sacrificium noui testamenti, in oblatione incruentâ Carnis & Sanguinis Jesu Christi Dei & hominis, in Eucharistiæ mysterio positum.

CHristus verus Deus & Homo, Pontifex futurorum bonorum à Deo constitutus, excellentiæ potestate hostiam sibi placentem elegit: & quoniam munera & hostiæ legis naturæ atque Mosaicæ per se nec Deum offensum placare, nec peccata delere poterant, cùm ad significandam, non autem præstandam salutem instituta essent: nec ad conscientiæ, sed carnalis tantùm immunditiæ expurgationem valerent; non hircorum, taurorum, vitulorum, vel auium sanguinem & carnem ad offerendum assumpsit, sed cùm esset sacerdos summus, & propriæ vitæ humanæ dominus, per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatam hostiam Deo in ara crucis, hoc est, Filij Dei carnem atque sanguinem. Nam cùm impedire posset, voluntariè in Dei Patris honorem suum pretiosum sanguinem effudit, atque carnem suam crucifigi permisit, vitámque ac spiritum in pretium & satisfactionem obtulit iniuriæ, Deo per inobedientiam primorum parentum, superadditaque peccata illatæ; seu iuxta Apostolum, *vt emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti, consequendámque repromissionem æternæ hæreditatis*, id est, vt iustificati gratis, & in filios Dei adoptati cohæredes essemus naturalis filij Dei, cuius sanguinis effusio & carnis passio tam diues fuit ad priuilegium, tam potens ad pretium, vt vnica hæc cruenta Christi oblatio totius mundi peccata delere possit: támque Deo acceptum fuit istud verum, absolutum, perfectissimúmque Christi sacrificium, vt naturæ humanæ debitum persoluerit, iratúmque Deum, propitium & amicum reddiderit, nobisque gratiæ & gloriæ munera impetrauerit: ac tantæ dignitatis ac virtutis, vt omni causæ sufficiat, omniumque vete-

Hebr. 9.

Sacrificia legis naturæ atque Mosaicæ Deum per se placare non poterant.

Christi sacrificium cruentum per se Deo gratum. Aug. tract. 119 & 14. in Ioan. & 4. de Trin. cap. 13.

Leo epist. 83.

Christi sacrificium in cruce nõ fuit typicũ, sed absolutum. Coloss. 1. Ephes. 5.

rum sacrificiorũ energiam & vsum in se contineat, quod vnicum illis omnibus abrogatis succedere voluit, vt iam orbis terrarum aliam hostiam non habeat, quàm in Iesu Dei & hominis carne & sanguine positam; quam quidem per seipsum Christus semel in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri, vt æternam illic redemptionem operaretur, obtulit. Sed quia per mortem sacerdotium eius extinguendum non erat, & simul cùm vellet, noui testamenti populum non aliam hostiam, quàm ipse pro eo in ara crucis obtulerat, habere (vt per quam salus & redemptio parta erat, per eandem fideles Deum colerent, beneficia quæcumque impetrarent, & pro concessis gratias agerent, ac demum passionis Christi fructus vberrimos sibi applicarent;) tamen quia Christus immortalis factus, iam non pati, multò minùs mori posset, ideóque eandem hostiam eodem cruento modo immolandam Christiani cum ipso habere nequirent, placuit, vt supernaturali, diuinâque potestate, per sacerdotes, eadem victima sub panis & vini speciebus reproducta incruento modo offerretur. Ideoque nouo admirabilique modo verè ac realiter seipsum nobis sub panis & vini speciebus præsentem reliquit, vt qui semel immolatus esset in seipso, hoc est, ritu cruento, iugiter immolari posset in sacramento, id est, verè ac realiter existens sub panis & vini speciebus ritu incruento. Vnde in nouissima cœna pridie quàm pateretur, sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc noui testamenti sacerdotes constituebat, eorúmque in sacerdotio successoribus, vt offerrent præcepit, dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis iuxta scripturarũ & Concilij Tridentini doctrinam, nouum & visibile Eucharistiæ sacrificium, per noui testamenti sacerdotes, tanquam suos ministros offerendum instituit, sicut vna eademque sit hostia, idémque nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersâ.

Christi sacrificium in oblatione corporis & sanguinis consistit.

Christus vnicam voluit esse noui testam. hostiã, quam ipse cruento obtulit modo, à suis verò ministris incruento offerri constituit.

Eandẽ quidem hostiã sed incruẽto modo nunc offerimus.

Sess. 22. c. 1. Sess. 23. c. 1.

Cap. VIII.

Quòd Christus seipsum nobis sub panis & vini speciebus dederit, non solùm in sacramentum quo pascamur, sed etiam in sacrificium, quod Deo offeratur.

QVod Christus veram suam carnem & sanguinem sub panis & vini speciebus, transmutatione naturarum facta, Ecclesiæ tanquam res permanentes reliquerit, duobus libris præcedentibus satis demonstratum est; quo hîc supposito ostendendum est, Dominum corpus & sanguinem suum sub panis & vini speciebus non tantùm ad sanctificationem nostram significandam & efficiendam, dum percipiuntur, sed potissimùm & primariè ad latriæ cultum, & oblationem Deo faciendam secundùm or-

Psal. 109.

Hebr. 7.

Gen. c. 14.

dinem Melchisedech, qui in ritu offerendi panem & vinum consistebat (vt ex Genesi manifestum est) tradidisse. Nam cùm sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech esse dicatur, debet sacrificium, vsq; ad seculi finem perduraturum, sub externa panis & vini specie instituisse, quod sacerdotum ministerio iugiter offerat. Nam ratione sacrificij crucis sacerdos in æternum dici nequit, cùm actus cruentus sacerdotij Christi non sit secundùm ordinem Melchisedech, quoniam sacrificium crucis non est typicum, nec in aliquo publico religionis ritu constitutum, sed absolutum & independens, nec vnquam ampliùs repetendum. Neque insuper dici potest, Christum vocari sacerdotem in æternum, quia virtus sacrificij crucis in æternum manet, quia etiam Noë sacerdos in æternũ diceretur, cùm effectus sacrificij eius quoq; sit æternus. Nam impetrauit, ne vnquam ampliùs generale diluuium eueniat. Fatendum itaque est, in sacerdote Melchisedech sacrificij Christi præfiguratum fuisse sacramentum, quod Regius vates apertè testatur: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*: qui ordo vtique hic est, de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quòd Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quòd panẽ & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificiũ Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem sub panis & vini speciebus. Et circa Abraham benedictio illa præcedens ad Christianum populum pertinebat. Nam dictum est Abrahæ: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*: quod semen Apostolus interpretatur, Christum esse. Vt ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham possit ritè celebrari, præcedit antè imago sacrificij in pane & vino constituta, quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit, quando in nouissima cœna ipse de corpore & sanguine suo sub panis & vini speciebus sacrificium obtulit. Vnde Apostolus Christi sacerdotium non Aaronico, sed Melchisedech sacerdotio, in ordine, hoc est, in exteriore forma & ritu assimilat: nusquam verò illius declaratur ritus, nisi Genes. 14. in pane & vino. Quare meritò veteres Ecclesiastici scriptores magno consensu illam oblationem, quæ in Genesi describitur, sacrificij in Eucharistiæ mysterio à Domino instituti, typum fuisse tradunt. *In sacerdote Melchisedech sacrificij Dominici præfiguratũ videmus sacramentum*, ait Cyprianus. *Melchisedech prolato sacramẽto mensæ dominicæ, nobis æternum eius sacrificium figurauit, qui de corpore & sanguine suo sacrificium instituit*, ait Augustinus. In eandem sententiam ceteri patres scribunt: & manifestissimè de hac eâdem oblatione vaticinatus est Malachias dicens: *à solis ortu vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*. Vbi propheta legalium sacrificiorũ cessationem, gentium vocationem, & sacrificij mundissimæ Eucharistiæ in Ecclesia toto orbe colligenda oblationem prænuntiat, opponit-

Æternitas sacerdotij Christi secũdum ordinẽ Melch. Ecclesiæ sacrificium confirmat.

Cypr. lib. 2. epist. 3.

Psal. 109.

Christus in cœna veritatem præfiguratam sacrificio Melchisedech adimpleuit.

August. in Psal. 33.

Conc. 2.

Hebr. 7.

Ritus sacerdotij Melchisedech fuit in pane & vino.

Clemens Alexan. li. 4 stromat.

Cypr. lib. 2. epist. 3.

Aug in Ps. 33. conc. 2.

Aug. epist. 95.

Euseb lib. 5. demonst. Euang. c. 3.

Malach. 1.

De oblatione Euchar. vaticinatus est Malach.

que sacrificium sacrificio, sacerdotem sacerdoti, locum loco, panem pollutum oblationi mundæ, quæ scilicet incruento, mundissimóque ritu esset offerenda, nec vlla ministrorum iniquitate pollui, sicut antiqua illa carnaliáque sacrificia, posset, cùm primarius offerens esset Christus, idem scilicet existens sacerdos & hostia.

Malach. vaticinium de externo sacrificio intelligendum est.

Neque verò ad spiritualia precum bonorúmque operum duntaxat sacrificia, huc locus detorqueri potest. Nam Propheta oblationem synagogę in animalium cæde sitam, rejiciendam, ac in eius locum nouam quàdam aliam externam oblationem in gentibus successuram prædicit. At sacrificium laudis, precum, bonorúmque operum non est populo Christiano proprium, cùm in omni lege & statu viri fideles talibus metaphoricis sacrificiis Deum coluerint. Præterea loquitur Malachias de visibili extemóque sacrificio, in publico religionis alicuius ritu constituto, quod externis Iudæorum sacrificiis succedturum erat; cuius oblatione Deus palàm inter gentes esset glorificandus, sicut per Aaronicos sacerdotes & sacrificia Iudęorum cõtemptus olim fuerat. Accedit, quòd Propheta solis sacerdotibus loquatur; at sacrificia precum & bonorum operum fidelibus omnibus communia sunt. Postremò bonum opus, laus Dei, oratio nunquam in scripturis absolutè sacrificium vel oblatio vocantur, sed cum adiuncto, sacrificium laudis, sacrificium iustitiæ, hostia vociferationis, victimæ labiorum, &c. At Propheta in omni loco sacrificium verum, propriéque dictum, offerendum Deo inter gentes prænuntiat, quale profectò nullum nisi Eucharistiæ sacrificium reperitur, ideoque veteres vno consensu Malachiam de oblatione sacrificij corporis & sanguinis Domini sub speciebus panis & vini fuisse vaticinatum intelligunt: quam per noui testamenti sacerdotes certissimè offerendam spiritu prophetico videns, de ea futura tanquam præsente loquitur, dum ait: *in omni loco offertur*. De hoc eodem noui testaméti sacrificio Danielis vaticinium interpretantur veteres, quo iuge sacrificium per Antichristum in fine seculi tollendum prædicit. Quemadmodum verò Eucharistiæ sacrificium à Christo institutum, quatenus includit species panis & vini, sacerdotio & sacrificio Melchisedech adumbratum fuit: ita per agnum paschalem, quatenus continet veram carnem & sanguinem agni immaculati Christi, datam fidelibus in cibum & potum. Quòd enim agni paschalis immolatio typus fuerit non solùm oblationis carnis Christi, in cruce consummantis opus nostræ redemptionis, sed etiam oblationis eiusdem in mysterio Eucharistiæ, qua ratione cultum sacrificalem in Ecclesia constituit, ex circumstantiis celebrationis & institutionis vtriusque luculentissimè demonstrari potest. Nam Dominus eodem loco & tempore, imò & in eâdem mensa vtrumque pascha, & typi, & veritatis celebrauit, ostendens, se noua ceremonia veterem adimplere, ac eidem finem imponere. Nam confestim post immolationem ac esum agni paschalis, corporis & sanguinis sui sacramentum instituit, illudque Apostolis in cibum & potum dedit. *Postquam typicum pascha fuerat completum, ad verum pascha transgrediens sacramentum* (ait Hieronymus:) *veritatem figuræ adiungens*, ait Chrysost.)

Dan. 8. & 12. Hippolytus martyr. lib. de Antichristo.

Sacrificio Melchised. adumbratur sacrificium Ecclesiæ, prout includit species panis & vini: Agno autem paschali, prout cõtinet veram carnem & sang. Christi in cruce pro nostra redemptione oblati.

Chrysost. ho. de prodit. Iudæ. Hom. 83. in Matth.

In 26. cap. Matth. Chrysost. hom. 83. in Matth.

Aug. lib 2. contra Petilianum c. 37. & lib. 17. de ciuit. cap. 20. Leo serm. 6. & 8. de passione Domini.

vt deinceps pascha non in oue, sed in carne Domini celebraretur, ait August. & alibi, *vt tanquam sacerdos noui testamenti mensam exhiberet de corpore & sanguine suo*. Eleganter quoque Leo: *Antiqua obseruantia nouo tollitur sacramento, hostia in hostiam transit, & legalis festiuitas dum immutatur, impletur. Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum vna corporis & sanguinis tui implet oblatio.* Et, *prius figuratam ouem, postea suum Dominus obtulit sacrificium*, inquit Isichius lib. secundo in Leuiticum capit. 8. Similia habet Gregorius homil. 22. in Euangelia. Procopius lib. 6. in Exodum cap. 23. Beda in 22. cap. Lucæ, Anselm. in 26. cap. Matth. Rupertus libro 2. in Exod. cap. 6. Vbi illum veteris paschæ agnum cum discipulis comedit, tunc ipse noui sacrificij agnus propriis manibus Deo Patri semetipsum immolauit. Ideo enim decimumquartum diem primi mensis ad vesperam, quando agnus paschalis immolari debebat, ad mysterium Eucharistiæ instituendum elegit, vt significaret, quòd sicut immolatio agni paschalis verum esset apud Iudæos sacrificium; ita quoque apud Christianos Eucharistiæ confectio (cuius illa typus & figura erat) nouum esset pascha, nouique testamenti sacrificium, quod in memoriam transitus Domini ex hac vita per mortem, & nostræ liberationis à potestate diaboli, mortis, & peccati, offerendum esset, sicut agnus paschalis immolabatur in recordationem transitus Domini occidentis primogenita, & liberationis Israëlitici populi de Ægypto. Ac insuper, quòd sit agnus ille paschalis immolatus manducabatur tanquam viaticum peregrinorum, tendentium ad terram promissionis; ita Eucharistia esset refectio & viaticum ad cælestem patriam tendentium. Denique, quòd sicut agnus ille comedi non poterat, nisi à circumcisis, mundis, & in Ierusalem: ita Eucharistiæ sacrificium non nisi à baptizatis, mundis, & in vnitate Christi Ecclesiæ constitutis, dignè ac salubriter manducari posset. Ac postremò, quòd sicut agnus paschalis non immolabatur à sacerdotibus Leuiticis, sed à capitibus familiarum (quæ ita Deo disponente, quoad hoc ex lege naturæ sacerdotij ius retinebant) ita Eucharistiæ sacrificium offerretur à sacerdotibus noui testamenti, qui essent futuri capita familiæ Christi, ex omni tribu, lingua, & natione, iuxta Isaiæ vaticinij assumpti. Nam sicut præcipuum Israëlitico populo beneficium præstitum erat liberatio ex Ægypto, per quam Deum verum patrum suorum agnouerunt, à quo simul iustitiam edocti, in terram promissionis inducti sunt; ita summum populo noui testamēti beneficium impensum est, voluntaria vnigeniti Filij Dei Hominis facti pro salute humani generis ad mortē traditio, per quod opus Deum verum agnouimus, iustificationem, filiorumque Dei adoptionem, ac vitam æternam consequimur. Ac quemadmodum veteri populo, nè beneficij liberationis ex Ægypto, aliorúmque temporalium donorum obreperet obliuio, iussum est, singulis annis Domino in gratiarum actionem offerre agnum paschalem, ita Christus noui testamenti populo, in gratam suæ redemptionis memoriam, iussit agnum illum, qui tollit peccata mūdi, iugiter offerre, dicēdo: *Hoc facite in meam cōmemorationē*. Vnde sequitur, quòd sicut nō solùm primus agnus, cuius sanguine liberati de factosūt Israëlitę ex Ægypto, sacrificium

Isaiæ 66.

Exodi 12. Num. 9. Marci 14. Eucharistia est pascha Christianorum.

Comparatio agni paschalis & Euchar.

immolatio agni paschalis verum erat apud Iudæos sacrificium, ita & celebratio Eucharistiæ apud Christianos.

Exodi 24.

Alius typus sanguinis Christi in Eucharistiæ sacrificio nouum testamentum confirmantis ex cap. 24. Exodi deducitur. Vbi Deus testamentum vetus seu pactum cum Israëlitico populo initum sanguine victimæ confirmauit, dicendo: *Hic est sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus*, vt Apostolus ad Hebræ. 9. repetit: quem typum clarè Dominus in Eucharistiæ confectione compleuit. nouum testamentum à se in nouissima cœna conditum, similiter hostiæ sanguine confirmans, eisdémq; penè verbis, quibus Moyses vtens, dum ait: *Hic est sanguis meus noui testamenti*, iuxta Marcum: vel iuxta Lucam, & Apostolum: *Hic calix nouum testamentum est in sanguine meo*: significans, in cœna seipsum Deo in victimam obtulisse, ac proprio effuso mystico sanguine, nouum testamentum obsignare. Conueniebat enim, vt Dominus in cœna potius quàm in cruce suum testamentum conderet, aspersionéque sui sanguinis sanciret. Nam testamentum ab homine viuo, suiq; iuris & libero, ac coram testibus & amicis fieri cõgruit: ac insuper hæredes nominandi sunt, legata explicanda, & quid ab hæredibus testator fieri velit, ac super his omnibus instrumentum conficiendum est, quo hæreditas applicetur; quæ omnia in cœna Dominus fecisse reperitur. Nam legem dilectionis promulgauit, testamentum condidit, victimam fœderis seipsum immolauit; ac suo sanguine Apostolorum corda, id est, Christianum populum aspersit, ac postremò victimam ad epulum proposuit, suúmq; corpus & sanguinem fidelibus sub panis & vini speciebus legauit.

Testamentum nouũ sanguine hostiæ cõfirmatum est, sicut antè vetus.

Marci 14. Lucæ 22. 1. Cor. 11.

Dominus in vltima cœna, testamentum condidit, dum liber erat.

CAP. IX.

Sacrificium Eucharistiæ ex scripturis noui testamenti comprobatur.

PRætermissis aliis multis veteris testamenti figuris, Prophetarúmque vaticinis, quibus non obscurè adumbratum, vel prædictum est noui testamenti sacrificium, in oblatione carnis & sanguinis Christi, sub panis & vini speciebus constitutũ, ex scripturis noui testamenti hoc ipsum nunc ostendendum est. Ac primùm Dominus Luc. 22. de Eucharistia dicit: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum:* nam quod ibi non desiderauerit vesci carne veteris agni paschalis, per se satis euidens est, ac demonstrat Tertul. lib. 4. contra Marcionem. Voluit ergo Dominus epulari cum Apostolis, ac manducare hostiam noui testamenti, quam in nouissima cœna instituit, ac Apostolis simul recumbentibus participandam tradidit dicendo: *Manducate; hoc est enim corpus meum; et bibite: hic est enim sanguis meus.* Præterea oblationem sacrificalem ibi fuisse, verba Domini demonstrant: *Hoc est corpus meũ, quod pro vobis datur*, Lucæ 22. vel *quod pro vobis frangitur*, 1. Cor. 11. Item, *hic est calix nouum testamẽtum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur*, Luc. 22. & addit Matth. cap. 26. *in remissionem peccatorum.* Quæ sanè verba non significant, dari Apostolis carnem & sanguinem Domini ad comedendum & bibendum, sed Deo exhiberi in sacrificium. Non enim dixit Christus, vobis datur: sed *pro vobis*; & addit Matth. 26. *et pro multis effunditur in remissionem peccatorum*, significans, Deo in sa-

1. Reg. 2. Vt pomedã buccellam panis iuxta.

Aug. in lib. 12. de ciuit. cap. 5.

Prouerb. 9. Miscuit vinum.

Aug. lib. 17. de ciuit. c. 20.

Isaiæ c. 19. colent in hostiis & muneribus.

crificium offerri pro peccatis, tam absentium quàm præsentium. Dicitur autem calix aut sanguis fundi, quia seorsum sanguis in calice collectus, sub liquida vini specie Deo offertur; & Christi corpus frangi, quia sub arida panis specie consecratur. Eâdem phrasi dicit Chrysostomus, corpus Christi in sacramento pati. Neque verò dictis obstat, quòd latina vulgata editio habeat, *effundetur*. Nam vtrumque verum est, & quòd sanguis in cœna fusus fuerit in remissionem peccatorum, & quod postea effundendus esset, siue in cruce, siue in sacrificio Ecclesiæ, quod omnibus veteribus successit. Et sanè Lucas dicendo: *Hic est calix qui funditur*, necessariò exigit effusionem sanguinis, vt erat in calice. Nam in cruce calix sanguinis non est fusus. Deinde verba illa: *Hic est sanguis meus noui testamenti*, apertè significant, Christum porrigere sanguinem victimæ, quo nouum testamentum confirmet, sicut hostiarum sanguine vetus obsignauerat. Hostia verò nisi præcedente immolatione fieri non potuit; immolatio autem oblationem, sicut omnis species suum genus includit. Quibus accedit, quòd in nouissima cœna dicere poterant Apostoli: *Pascha nostrum immolatus est Christus*, ergò carnem & sanguinem Christi immolati accipiebant. Quod etiam demonstrant verba: *comedite, bibite*, quæ apertè innuunt dari carnem & sanguinem Christi per modum participationis victimæ Deo priùs oblatæ. Nam animal viuum comedi non solet, nec animalis caro & sanguis ad cibum & potum apta sunt, nisi animal priùs occisum sit. At Christus nisi per immolationem in sacramento mysticam mortuus non erat. Vnde colligit Greg. Nyssenus oratione 1. de resurrect. quod in cœna Christus mysticè immolatus fuerit, antequàm se in cibum & potum daret; quod sentiunt etiam reliqui veteres. Iren. lib. 4. c. 32. noui testamenti nouam docuit oblationem. Cypr. li. 2. epist. 3. Quis magis sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo patri obtulit, & hoc idem quod Melchisedech, panem & vinum, hoc est suum corpus & sanguinem? Ambr. in Psal. 39. & Chrys. hom. 24. in 1. ad Cor. & hom. 2. in posteriorem ad Tim. ait, Christum in cœna obtulisse Deo suũ corpus & sanguinem, & adhuc quotidie per sacerdotes offerre, ac eisdẽ verbis sacrificium, quod offertur, sanctificare. Aug. Leo, Ilichius, Beda, cum aliis paulò antè citatis dicũt, Christum in cœna post figuratam ouem suum obtulisse sacrificium. Luculentissimè verò Apostolus Eucharistiam esse sacrificium docet, comparans mensam Domini cum mensa gentilium, in qua immolabatur idolis, & altari Iudæorum, in quo Deo vero sacrificium offerebatur. Vnde conficitur mensam Domini fuisse altare, ac proinde Eucharistiam sacrificium. Nam altare ex vsu scripturæ omniũmq; gentium non nisi ad sacrificium erigi solet. Vnde tam apud Græcos, quàm Hebræos à sacrificio deductum nomen habet: à tisia enim tisiastirion græcis, & à sebac, misbac Hebræis dicitur. Et quidem optima ratione, vt intelligerent homines, quòd sicuti ad hunc præstantissimum diuinitatis externũ cultum Deo exhibendum, personã ad hoc specialiter deputatã; ita quoq; loco certo ad hoc tantum consecrato, qui vsibus profanis accommodari nequeat, opus sit.

Præterea comparat Apostolus Eucharistiam cum sacrificiis gentium & Iudæorum; quæ comparatio inepta foret, si Eucharistia sacri-

1. Cor. 10. Chrysosto. hom. 24 in 1. ad Cor.

Sup. cap. 8.

1. Cor. 10.

Matth. 26.

Exodi 24.

Ioſuæ 22.

1. Cor. 5.

Aug. li 20. cont. Faust. cap. 21. Ex comparatione mensæ Domini cum altari Iudæorum sequitur Eucharistiam esse sacrificium.

Greg. Nyss. oratione 1. de resurrect.

ficium non esset. Denique comparat idem Apostolus societatem, quæ manducatione Eucharistiæ cum Deo initur, cum societate, quam per manducationem idolotyti gentiles cum idolo contrahunt, ac manducantem de immolatis idolo consentire in sacrificium idoli, ac immolantium se constituere socium asserit. Ergo similiter, qui Eucharistiam manducat, altaris Domini particeps fit, ac in sacrificium Deo factum consentit, immolantiúmque socius efficitur, hac interpretatiuè sacrificat, Deúmq; latriæ cultu honorat. Ad hæc pertinet, quòd idem Apostolus mensam Domini *altare* vocet: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt.* Vbi Haymo: *Sacrificatorium*, ait, *est altare Ecclesiæ, in quo consecratur corpus Christi, de quo increduli Judæi carnalibus sacrificiis adhærentes vesci nequeunt, quia sanctum non est canibus dandum.* Quin & Christus inter fideles suos altare futurum prædixit: *Si offers*, ait, *munus tuum ad altare*, &c. Postremò ministerium publicum & externum in sacrificij ritu positum, vsitatum apud primos Christianos fuisse, indicat illud Actorum 13. *Ministrantibus illis Domino*; vbi vox λειτουργεῖν sacramentorum dispensationem significare nequit, cum illa non Deo, sed hominibus fiat, sed latriæ cultum in sacrificij oblatione positum designat, cui adiunctæ erant obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, tam scilicet viuis, quàm mortuis, fidelibus quàm infidelibus, iuxta Apostolum 1. Timo. 2. ac interpretationem B. Augustini.

Hebr. 13.

Matth. 5.

Aug. epist. 59.

CAP. X.

Eucharistiæ sacrificium ab omnibus veteribus agnitum fuisse.

ECclesiastici scriptores tam græci quàm latini Eucharistiæ confectionem esse sacrificium agnouerunt, ei tribuendo vocabula sacrificij, immolationis, oblationis, hostiæ, victimæ: item dicendo, Christum incruentè offerri, immolari, atque sacrificari Deo, solísque sacerdotibus licitum esse hoc sacrificium offerre. Ac ne de spiritualibus bonorum operum oblationibus loqui viderentur, addunt, sacrificium esse corpus & sanguinem Domini. Sic Achaiæ clerus testatur, S. Andream Apostolum dixisse proconsuli Ægeæ: *Immaculatum agnum in altari offero, qui post quam immolatus est, viuus et integer perseuerat.* Dionysius Areop. *Pontifex*, inquit, *excusat se, quòd hostiam salutarem litet.* Hippolytus martyr: *Venite sacerdotes, qui pretiosum corpus et sanguinem meum quotidie immolastis.* Ambr. in Ps. 38. & in 10 c. ad Hebr. dicit, vnum Christi corpus vbiq; offerri, & in primum c. Lucæ, Christum immolari. Greg. Nyssenus oratione 1. de resurrectione: *Seipsum victimam offert, idem simul sacerdos & agnus qui offertur.* Chrysost. hom. 24. in 1. ad Cor. li. 6. de sacerdotio, hom. 17. in epistolam ad Hebr. dicit, vnum eundémque Christum vbiq; offerri. Aug. li. 8. *de ciuit.* cap. vult. dicit, sacerdotem altari astantem offerre Deo. Libr. 10. contra Faust. capite 6. & 18. *Christiani*, ait, *iam peracti sacrificij memoriam celebrant sacrosancta oblatione corporis Christi.* Libro quarto *de Trinitate* capite decimoquarto

Veteres scriptores agnoscunt Euchar. sacrificium.

Tertul lib. de velan. Virg. Epiph. hæresi 79. Hier. ep. ad Euagrium Conc. Nicen cap. 14. Ecclesiastic. Hier. c. 3. p. 3. In orat de Antichrist. Cyril Catechesi. mystag. 5.

vocat sacrificium corporis Christi. Epistola 59. sancti altaris oblationem. Epistol. 23. & in Psalm. 79. dicit, Christum immolari in sacramento. Libr. 17. *de ciuit.* cap. 20. Similia habet Cyrillus libr. *de adoratione in spiritu et veritate*, & in Epist. ad Nestorium nomine Concilij Ephes. vocat incruentum sacrificium. Leo serm. 7. & 8. de passione Domini, vnum Christi sacrificium omnibus veteribus successisse dicit. Fulgentius libro secundo *ad Monimum* capite secundo; Gregorius libro quarto dialog. cap. 58. *in ipsâ immolationis horâ.*

CAP. XI.

Quòd altarium ad Eucharistiæ confectionem erectio certissimum sit veterum testimonium de sacrificio Eucharistiæ.

Veteres altaria erecta fuisse ad Eucharistiæ confectionem attestantur.

HVc etiam pertinet, quòd veteres agnoscant, altaria erecta fuisse ad Eucharistiæ confectionem canone 3. & 4. Apostolorum. Dionysius Areop. eccles. hierar. cap. 3. Tertul. li. *De pœnitentiâ* refert, fideles aris Dei adgeniculari. Cyp. li. 1. epist. 9. *Non est dignus, pro quo sacrificetur, qui sacerdotem Dei ab altari distraxit.* Euseb. lib. 4. *Demonst. Euang.* cap. 6. *contra Paru.* conqueritur, altaria Dei fracta, in quibus Christi corpus offerri solet. Athan. in vita S. Anthonij eum refert vidisse feroces mulos, qui altaria Christi calcibus euerterent, designans Arianos, qui altaria postmodum prostrauerunt ac subuerterunt, Basilio teste, atque Ambr. lib. 5. epist. 33. Gregor. autem Nazien. oratione in Gorgoniam scribit, eam ante altare procubuisse, ac eum inuocasse, qui super altare coli solet. Nyssenus lib. *De baptismo*, altare lapideum consecratione sanctum fieri dicit. Chrysost. homil. 53. ad populum Antiochenum: *Si quis vellet hoc altare subuertere, nónne illum lapidibus obrueritis?* Hom. 20. in posteriorem ad Corinth. *Tu altare honoras, quòd accipit corpus Christi.* Hieronymus lib. contra Vigilantium. Augustinus lib. 8. de ciuitate cap. vltimo, & lib. 22. cap. 8. libr. 9. Confessionum cap. 9. Ex quibus & aliis innumeris Patrum locis constat, in confesso fuisse, Eucharistiam proprij nominis esse sacrificium, ad cuius confectionem altari opus sit, (quod non nisi ad sacrificandum construi solet) ac proinde impiam, totique vetustati contrariam esse Caluini sententiam: *Mensam nobis Dominus dedit, in qua epulemur; non altare, super quod victima offeratur.* Nam mensam Domini altare esse docet Apostolus, agita nominat ad Hebræos 13. Et quamuis nullum extaret à veteribus scriptum dictæ rei testimonium, meritò sufficere deberet perpetuus Ecclesiæ mos & vsus, qui ex vetustissimorum templorum & altarium constructione oculis exiberur. Nam pleraque templa & altaria plus mille annis subsistiterunt.

Aug. epist. 112.

Gen. 8. Aug. li. 20. cõt. Faust. c. 21. Fulge. li. 2 ad Monimum c. 8. lib. 4 instit. cap. 18.

1. Cor. 10.

Altaria in Ecclesiis à mille annis erecta testantur. Eucharist. esse sacrificium.

CAP. XII.

Ex sacerdotum appellatione sacrificium Eucharistiæ statuitur.

VEterum sententia de Eucharistiæ sacrificio insuper elucet ex eo, quòd Eucharistiæ ministerium sacerdotium appellent, ad quod iuxta Apostolũ pertinet offerre dona & sacrificia, munera & hostias Deo pro peccatis. Vt Dionysius Areop. li. *De Ecclesiastica hierar.* cap.

Heb. 5 & 8.

1. 3. & 5. Tertul. lib. *De præscriptionibus*, & lib. *De veland. virgin.* Cypr. lib. 1. epist. 9. & passim in libris & epistolis, Euseb. lib. 5. *Demonst.* c. 3. Ambros. in Psalm. 38. & lib 4. *De Sacram.* c. 5. & 6. *'Dicit tibi sacerdos; corpus Christi, & tu dicis, Amen.* Hieronym. in dialog. contra Luciferianos. Chrysost. libris sex *'De sacerdotio*; Augustinus lib. 20. *de ciuit.* c. 10. Episcopi & presbyteri propriè dicuntur sacerdotes; initio quidem Ecclesiæ Christianæ, vigente adhuc Aaronico sacerdotio, in templo Hierosolymitano cariùs Christiani vtebantur nominibus sacerdotij, sacrificij, templi, & altaris, vt facilius Christiana sacra distinguerentur à Iudaïcis, & ne alia confirmari putarentur: sed euerso paulò pòst tẽplo Hierosolymitano, abolitisque Iudæorum sacrificijs, Christiani scriptores proprijs nominibus res ipsas exprimere cœperunt, ac vti nominibus sacerdotis, templi, altaris, sacrificij, & similibus, appellarunt que sacerdotes, quibus potestas offerendi sacrificium tributa esset; vt ex Concilio Niceno patet, canone 14. & Carthaginensi 4. can. 4. Euseb. lib. 5. historiæ Ecclesiast. c. 23. ex martyrio S. Sixti, & B. Laurentij; cuius meminit Ambr. lib. 1. offic. c. 41.

Episcop. & presbyt. dicuntur propriè sacerdotes.

Aug. epist. 122.

Cur in exordio Ecclesiæ Christianæ ratior vsus fuerit nominum sacerdotij, sacrificij, altaris.

CAP. XIII.

Eucharistiæ sacrificium ex vetustissimo ritu conficiendi confirmatur.

EX ritu conficiendæ Eucharistiæ vetustissimo, qui in liturgijs reperitur, constat insuper, Eucharistiam veri nominis esse sacrificium. Nam in omnibus liturgijs, Iacobi, Clementis, Basilij, Chrysostomi & vetustissimo Latino canone extant passim nomina oblationis, sacrificij, victimæ, signorum, aliorúmque tuum, qui manifestè significant, Eucharistiæ confectionem sacrificium esse. Ac quidem Romanus canon, qui formã sacrificij celebrandi continet, partim verbis Domini, partim Apostolica traditione, partim sanctorum pontificum institutione cõstat. Cuius author primus Isidoro teste fuit S. Petrus; & prorsus immutatus à tempore Diui Gregorij Magni retentus est, vt ex Valfrido lib. *De obseruationibus Ecclesiasticis* c. 22. colligi potest. Initio quidem Apostoli solam orationem Dominicam verbis consecrationis adiunxerunt, Gregorio teste lib. 7. epist. 63. & Hieronymo libr. 3. contra Pelagianos: sed tamen ijdem postea Ecclesijs constitutis certam offerendi sacrificij formulam, adiunctis certis precibus & ritibus tradiderunt. Quę apud omnes Christianos, quoad etsentiales partes integra permansit, vt constat ex omnium liturgijs, & Ambrosio lib. 4. de Sacramentis c. 5. & 6. atque Cyrillo Ierosol. catechesi mystagogica 4. & 5. Et si enim liturgiæ dicantur Basilij, Chrysostomi, Ambrosij, Gelasij, Gregorij, vel Isidori, non tamen liturgias integras composuerunt, sed eam solùm, quæ in vsu apud eos erat, aliquid addendo vel minuendo pro tẽporum varietatę ad meliorem formam redegerunt, vt de se testatur Gregor. lib. 7. epist. 73.

Ritus confectionis Euchar. sacrificium esse demonstrat.

Cõc. Trid. sess. 22. c. 4. Isid. lib. de officijs diuinis c. 15.

CAP. XIIII.

Ex vsu Eucharistiæ sacrificium missæ demonstratur.

CVm ex vetustissimo Christianorũ vsu constet, Eucharistiam non solùm tanquam Sacramentum sumptã, sed pro alijs etiam siue præ-

Ex vsu Eucharistiæ qui in oblatione consistit euincitur sacrificium.

sentibus, siue absentibus fuisse oblatam, imò pro hominum tam viuentium quàm mortuorum peccatis, pro pace, pro incolumitate, pro necessitatibus denique omnibus, tam corporalibus, quam spiritualibus, idq; ex Apostolica traditione, adeò vt Aërius, qui pro defunctis offerendum negaret, publico Ecclesiæ iudicio hæreticus habitus sit, Epiphanio teste hæresi 75. & Augustino 53. manifestum est, in Ecclesia Christi semper fuisse creditum, quòd Eucharistia sacrificium esset, quod non soli sumenti prodesset, sed etiam ijs, pro quibus Deo exhiberetur. Cùmque Matth 18. Christi Ecclesia columna sit & fundamentum veritatis, aduersus quam Dominus promisit inferi portas nō præualituras, in eius traditione tanquam securissimo portu conquiescere debemus, eiusque doctrinam audire, nisi tanquam ethnici & publicani haberi velimus.

Cap. XV.

In qua missæ parte sacrificium Eucharistiæ consistat.

QVia primarius Christianæ religionis cultus in oblatione sacrificij Eucharistiæ constitit, explicandum est, in qua missæ parte oblatio sacrificij posita sit, seu qua actione sacerdos Deo proprij nominis sacrificium offerat. Nam sex actionis sacræ partes reperimus.

Sex actionis sacra partes.

Prima est oblatio panis & vini per eleuationem cum oratione vocali, quæ nuda est ceremonia ad excitandam deuotionem ab Ecclesia inducta, neque ad sacrificij naturam, neque ad integritatem pertinens. Secunda est Sacramenti Eucharistiæ confectio, in qua ex Christi sacerdotis æterni secundum ordinem Melchisedech institutione, presbyter legitima ordinatione vocatus, operatoris sermone transmutatis panis & vini substantijs, accidentibus earum remanentibus, suò eidem corpus & sanguinem Dñi, ex verborum consecrationis vi seorsim in altari Deo sistit, ad profitendum eius super omnia dominatum, humanæque naturæ subiectionem, commemorandámq; Christi voluntariam pro humani generis redēptione mortem. Qua actione cum sacerdos ritu ad proximè colendum latriā Deum instituto rem Deo cōsecret, exhibeat, atque præsentet, eum proprie Deo offerre sequitur, ac eius actionem oblationis rationem obtinere, cùm nihil aliud sit à Deo quippiam offerre, quàm in eius cultum proximè consecrare, exhibere, præsentare. Quia verò eādem religionis actione rei oblatæ immutatio, & quidem duplex sit; vna realis termini, à quo per veram naturarum panis & vini destructionem, relictis solis earū accidentibus; altera verò Sacramentalis termini ad quem, per veram & substantialem corporis & sanguinis Domini, sub remanentibus panis & vini speciebus in altari positionem, eadem est, sacerdotem Eucharistiæ Sacramentum conficiendo, non solùm generalis appellationis oblationem facere, sed etiam proprij nominis sacrificium offerre: ac proinde in hac plenè diuina & supernaturali actione, sacrificij noui testamenti essentiam cōsistere, quo Christianæ latriæ cultum Deo exhibent, profitendo, ipsum esse vnum summúmque principium, in quo viuimus, mouemur, & sumus; vnúmque mediatorem Dei & hominum, hominē, Iesvm Christvm sua passione factum esse cibum animarū nostrarum, largitorémq; vitæ. Nam Dei omnipotentiam, & creaturæ in omnibus naturæ gratiæque operibus ab

Aug. li. 10. de ciu. c. 30. Episcopi & presbyteri propriè iam vocantur in Ecclesia sacerdotes.

eo dependentiam, aptissimè naturarum panis & vini cõuersio, sola verborum prolatione facta cõtestatur, ex qua nimirum liquet, nutui diuino cuncta promptissimè obedire, Deique dicere, esse facere; quodque rei natura confestim esse desinat, nisi omnipotentis Dei virtute conseruetur. Panis autem & vini species post naturæ desitionem remanentes, sub quibus ponitur Christus, luculentissimè demonstrant, Deum sua incarnatione & morte factum esse cibum animarum, cuius manducatione viuant in æternum. Christus autem, vt contentus sub panis & vini speciebus, est sacrificium, quod offertur Deo. Eadem enim altaris & crucis est hostia, sola offerendi ratione diuersa. In cruce, cruentè & cum doloris sensu Christus adhuc passibilis in seipso immolatus & occisus est, in altari verò admiranda charitate impassibilis iam Christus, incruẽto Sacramentaliq; modo iterum pati immolarique dignatur, dum seorsim corpus eius verè ac realiter sub panis specie, & sanguis eiusdem distincta consecratione sub vini specie in altari Deo sistitur. Nã distincta corporis & sanguinis Christi ad cultum Dei in altari positio sub speciebus ad esum & potũ idoneis, vera & realis est oblatio, atque incruenta passionis Christi renouatio; non autem (vt Caluinus delirat) solùm memoria, imago, & testimonium illius singularis, veri, & vnici sacrificij, quo nos Christus expiauit; neq. signum purum, in quo ita nobis monstretur Christi immolatio, vt crucis spectaculum pene ob oculos ponatur, qualiter in oculis Galatarum Christum fuisse crucifixum dicit Apostolus, quãdo illis proposita crucis prædicatio fuerat. Siquidẽ veteres vno consensu tradunt, Eucharistiæ confectionem ita memoriam illius vnici sacrificij cruenti, quod in cruce Christus peregit, continere, vt simul in se vera sit oblatio, & incruenta immolatio: sicut vetera sacrificia figuræ & typi erant carnis Christi offerendæ, sanguinisq; effundendi remissionem peccatorum. attamen simul vera in se erant sacrificia, ad quę offerenda certi sacerdotes consecrabantur. Hebræi (inquit Aug.) *in victimis pecudum quas offerebant Deo, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit: Christiani iam peracti sacrificij memoriam celebrant sacrosanctâ oblatione et participatione corporis Christi.* Vnde patet, significationem, memoriam, & imaginem cruentæ mortis Christi, non excludere substantialem veritatem oblationis & sacrificij. Imò ex quo Adam peccauit, nullum sacrificium in aliquo religionis ritu constitutum Deo acceptum fuit, quod simul non esset mortis Christi futuræ prænunciatiuum, aut iam peractæ commemoratiuum. Carnales enim veteris testamenti, aut legis naturæ victimæ, figuræ carnis Christi offerendæ, sanguinisque in remissionem peccatorum effundendi extiterunt; noui autem testamenti sacrificiũ, gratiarum actio & commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis cruentè obtulit, & sanguinis, quem pro nobis effudit. Et quemadmodum non obliuate significationis animalia propriè Deo à veteribus sacrificabãtur; ita propriè dictũ sacrificium corporis & sanguinis Christi Deo sub speciebus panis & vini sancta Ecclesia per vniuersum orbem offerre non cessat: vtrúmque enim summi videlicet dominatus Dei, & mortis seu cruẽti sacrificij Christi significationẽ, ex diuina institutione ista consecratio corporis & sanguinis Christi habet. Ratione prioris veri proprijque nominis est sacrificium: ratione

Vera, licet incruenta immolatio agnoscenda est.

Aug. li 20. cont. Faust. c. 18.

Cal. lib. 4. c. 18. nu. 10. & 11.

Cal sententia reijcitur.

Galat 3.

posterioris autem, typicum atque commemoratiuum.

Consectio Sacramenti Euchar. vnde rationē sacrificij habeat?

Ex quibus patet, in quo differat ratio Sacramenti in Eucharistia, ab oblatione sacrificij. Nam ratio sacrificij ex eius institutione, cuius est determinare, quibus actionibus coli velit, in consectione corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini; ratio autem Sacramenti in termino sacrificij consistit. Nam Sacramentum est Christus, vt contentus sub panis & vini speciebus, quæ spiritualem animarū refectionem ac vnionem spiritualem cum Christo & fidelium inter se (quam hoc Sacramentum dignè sumptum efficit) designant. Vnde etiam liquet, non solùm offerri posse hostiam, quæ oblationi præexistit, sed etiam illam, quæ actu offerēdi producitur, cum possit actus sacrificandi tam efficax esse, vt hostiā ad Dei honorem producat, siue vlteriùs mutanda sit siue non. Nam illa mutatio, quæ circa hostiam fit, dū operatione supernaturali producitur, ad sacrificij rationem sufficere potest, cùm talis productio satis Dei omnipotentiam ac super omnia dominatum testetur. Secùs autem accidit in rebus, quæ à causis naturalibus dependent, quarum productio non tam apertè diuinum principatum testatur, quàm earum in Dei honorem destructio, in quibus proinde sacrificia instituta, non rei nouæ productionem sed potiùs existentis immutationem operantur. Quòd verò in Eucharistico sacrificio non priùs hostiæ consecratione producatur, & alia deinde actione loco & tempore distincta in sacrificium offeratur, ex Christi prima institutione manifestissimum est. Nam Dominus proferendo verba *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, Deo Patri sacrificium obtulit, vt significant verba adiecta apud Lucam, *quod pro vobis datur: qui pro vobis effundetur.* Cui enim corpus suum offerebat, nisi Deo? non enim ait: *Hoc est corpus meum*, quod vobis datur, sed *pro vobis*. Præterea quòd nec ante consecrationis verba nec postea, alia distincta actione Dominus obtulerit, inde patet, quòd corpus suum discipulis præbuerit, dicens: *Hoc est corpus meum.* Ad hæc nullo temporis momento Christi corpus est in Sacramento non immolatum. Nam finitis consecrationis verbis, Ecclesiæ comprobato vsu mox canitur: *O salutaris hostia*: atqui hostia fit præuia immolatione, quæ oblationem in se includit. Deinde oblatio sacrificij in ea actione consistit, quam sacerdos in persona Christi facit, qui principalis est offerens: at illa sola est consecratio, in qua sacerdos verbis Christi vtitur, eiúsque vice ac nomine sanctificat elementa, dicendo: *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus.*

Ratio Sacramenti in quo consistat.

Hostia potest simul produci & offerri.

Accedit, quòd sacrificium Eucharistiæ sit repræsentatiuum mortis Christi & effusionis sanguinis in cruce factæ: atqui hæc repræsentatio non fit, nisi per distinctarum specierum consecrationem, sub quibus corpus & sanguis sistuntur, tāquam partes victimæ occisæ: atque vi verborum consecrationis ipse Christus exhibetur incruento ritu dissectus, mactatus, & ad cibum potúmque idoneus, ac proinde incruentè immolatus: equidem nulla alia reperitur actio, per quam fiat incruenta Christi immolatio. Denique Christus dicendo, *Hoc facite*, Apostolos, eorúmque in sacerdotio successores, noui testamenti sacerdotes constituit, ac potestatem offerēdi suum corpus & sanguinem dedit; atqui his verbis potestatem consecrandi dedit: igitur oblatio in cōsecratione

Christus eadē actione hostiam produxit, & Deo obtulit.

corporis

corporis & sanguinis consistit. Insuper potestas sacerdotalis merè supernaturalis & diuina, constituens formaliter nouæ legis sacerdotem, per characterem sacerdotalem, est potestas consecrandi corpus & sanguinem Christi: ergo consecratio est actus directus sacerdotij, ac proinde oblatio sacrificij. Nam sola oblatio sacrificij, est proprius sacerdotij actus, in quātum sacerdotium est, vt ex Apostolo patet. Cum ergo Concil. Trid. definierit, quòd Christus non solùm in cruce, sed etiam in nouissima cœna seipsum incruentè obtulerit, sacrificauerit, & immolauerit, quódque Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus, vt offerrent, sacrificarent, & immolarēt, præceperit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, quódque vna eadémque sit hostia, idémque nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa, quòd insuper viuifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari quotidie per Sacerdotes immoletur, dubitare iam amplius non debemus, quin Sacerdos consecrando corpus & sanguinem Domini, sub speciebus panis & vini ad profitendum Dei supremum dominatum, Christíque mortem annuntiādam verè offerat Deo sacrificium. Nam illa vna actione præstantissimum, quod in cœlo & terra est accipimus, & dignissimum, quod in nobis est, Deo in gratiarum actionem retribuimus, nósq; & omnia nostra Deo sacrificaliter damus, eique pro cunctis naturæ & gratiæ donis, & creationis ac redemptionis beneficijs gratias agimus, omnáque à Deo propter nos nostrámque salutem in carne & cruce peracta, grata memoria repræsentamus, atque commemoramus. In hoc itaque Eucharistico sacrificio (quod vna simplici consecrationis actione peragitur) consistit Dei honor, laus, infinitáque gratiarum actio, necnon externus cultus propriè Deo noui Testamenti tempore debitus: reliquæ verò actiones & ceremoniæ consecrationē præcedentes aut consequentes ad oblationem referendæ sunt, quæ in consecratione occultiore, diuiniore, ac magis symbolico opere peragitur, cuius præparationes vel explicationes sunt, vt cum veteribus S. Thom. expressis verbis tradit dicens: consecratione Sacramenti Eucharistiæ offerri Deo sacrificium: & consecrationem Eucharistiæ sacrificium esse. Addit autem q. 83. artic. 1. Christum in consecratione immolari, ac vnam eandémque hostiam esse in consecratione, eundémque nunc se offerre Sacerdotum ministerio, qui seipsum in cruce obtulit sola offerendi ratione diuersa. Nam Sacerdos Christi vice, verbis, virtute, ac in eius persona loquens, Sacramentum Eucharistiæ conficit; ac proinde (ait Ambrosius) *Christus offert in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium quod offertur.* Vbi enim deuenitur ad confectionem venerabilis Sacramenti, iam non suis Sacerdos vtitur sermonibus; sed Christi; *ergo* (ait B. Ambrosius) *sermo Christi hoc conficit Sacramentum: antequam enim consecretur, panis est; vbi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi: et ante verba Christi calix est vini & aquæ plenus; vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit.* Ergo cùm per consecrationem fiat sanguis hostiæ, sequitur per consecrationem hostiā Deo immolari & offerri, sicut Irenæus disertis verbis tradit, dicens, (supple Christus:) *Hoc est corpus meum, noui Testamenti, nouam docuit oblationem.* Et

noui Testamenti consecratione Eucharistiæ peragitur.

1. p. q. 82. art. 7. & 4. aliíque.

Christus offert ministerio Sacerdotum.

In Psal. 18. & lib. 4. de Sacrament. c. 4.

Sacerdos Christi vice ac verbis sacrificat.

Lib. 4 c 32.

Oratione 1. de cler.

Heb. 5. & 2.

Sess. 22. c. 1. & 2. & decreto de obseruandis in celeb. miss.

Aug. epist. 23.

Vna actione accipimus & damus.

Sacrificium

Gregorius Nyssenus: *sese oblationem & victimam offert, cùm suum corpus ad comedendum, & sanguinem ad bibendum familiaribus dedit.* Cyprian. *Cùm verbis consecrationis panis benedicitur, tunc Eucharistia fit medicamentum simul & holocaustum.* Chrysostomus: *Verba Domini; Hoc est corpus meum, usque ad mundi consummationem præstant sacrificio firmitatem.* Et ab eodem Christo eiúsdémq; verbis quotidie sacrã hostiam confici docet pluribus locis. Similiter Gregorius: *In ipsa immolationis horã ad Sacerdotis vocem Angelorum choros adesse dicit, cœlos aperiri, summus ima coniungi.* Et alibi refert, Apostolos initio solam orationem Dominicam verbis consecrationis addidisse. Leo ser. 7. de Passione: *Hostia in hostiam transit, & legalis festivitas, dum mutatur, impletur.* Cyrillus Hierosolymitanus catech. mystagogica 5. *Postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostiã obsecramus Deum.* &c. Isichius: *Sanctificationem mystici sacrificij Christi dari oportet, quia per eius virtutem, & prolatum ab eo verbum.* Ac tandem Concilij Tridentini authoritate hoc ipsum firmatum est: *Idem nunc offerens ministerio Sacerdotum, qui seipsum tunc in cruce obtulit, & nouum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesiã per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum.*

Ser. de cœna Domini.

Homil. de prodit. Iudæ.

Hom. 2. in poster. ad Timoth.

Aug. li 10. de ciu. c. 20. Greg. lib. 4. dialog c. 58. lib. 7. epist. 63.

Li 6. in Leuit. c. 22.

Conc. Lateran. Florent. Trid. Sess. 22. c. 3.

Cap. XVI.

Quòd Christus nunc immortalis, verè ac propriè in sacrificium offeratur, & incruentè immoletur, nec solùm in spectaculum immolationis exhibeatur.

QVemadmodum Sacramentarij contendunt, in Eucharistia Christum non reipsa corporaliter præsentẽ esse, sed in signo, energia, fidei apprehensione, vel imagine tantùm; ita consequenter asserunt, Christum in Eucharistia in signo tantùm & imagine aut energia, non Deo in cultum, sed hominibus in epulum offerri, ac proinde cõfectionem Eucharistiæ nudam esse cœnæ Dominicæ, sacrificiúque in cruce peracti repræsentationem; seu, vt loquitur Caluinus, immolationis factæ spectaculum.

Addunt vero Lutherani, Christũ se quidem præsentem exhibere cum pane & vino, sed per modum Sacramenti, non sacrificij: hoc est, vt hominibus in cibum detur, non vt ad latriæ cultum Deo per modum sacrificij offeratur. Quorum omnium damnatâ sententiâ, Concilium Tridentinum Catholica fide tenendum esse docet, in Missa offerri Deo verum & proprium sacrificium, illúdque esse corpus & sanguinẽ Domini sub speciebus panis & vini; quódq; Christus seipsum in nouissima cœna Patri obtulerit, & ab Ecclesia per Sacerdotes sub visibilibus signis immolandum instituerit, quódque eadem viuifica hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidie incruentè immoletur. Imò quòd idem ille Christus, qui in ara crucis semel cruentè seipsum obtulit, nunc quoque Sacerdotum ministerio incruentè sese offerat ac immoletur, sola offerendi ratione diuersa. Ex quâ Concilij doctrina luculẽter sequitur, Christum verè ac realiter, non solùm in figura vel mystica repræsentatione, à Sacerdote sacra mysteria conficiente Deo sacrificari, offerri, ac incruentè immolari; nõ quia Christus, qui hostia est, verè ac realiter per consecrationem passibili modo cum doloris sensu occidatur, aut mactetur; nec

Sess. 22. c. 2. 2. 3. & can. 1. & 2. atque 3.

Ioan. 4. in veritate adorabitis.

quia corpus eius à sanguine realiter separetur: (cùm Christus iam immortalis pati nequeat, & per concomitantiam integer vbicúnque præsens sit existat:) sed quoniam ex vi verborum consecrationis transmutata panis & vini substantia solum Christi corpus sub arida panis specie, & solus eius sanguis sub liquida vini forma verè præsens in altari Deo in latriæ cultū sistatur, ac proinde Christus Sacramentali partium separatione verè sacrificatus, atque incruento & mystico modo immolatus, quoniam in Sacramento sub diuersis speciebus verè atque realiter productus exhibeatur Deo, quoad Sacramentalē existendi modum sectus, mortuus, & mactatus. Vnde sequitur, non solùm hîc imaginem & repræsentationem veri sacrificij crucis reperiri, sed etiam verū, reale, atque proprij nominis sacrificium, veráque ac realem licet mysticam & incruentam immolationem fieri. Concil. Ephes. in epist. ad Nestorium vocat *incruentum sacrificium*. Cyril. in defensione 11. anath. 6. Synod. can. 32. quod Paulus & Lucas confirmant illis verbis: *Quod pro vobis datur, effundetur.*

Greg. Nyss. hom. 1. de resur. Hier. in 26. c. Matth. Hesychius lib. 2. in Leuit. c. 8. Chrys. ho. de prodit. Iudę & ho. 83. in Mat. Aug. ep. 11. Li. 10. de ciuit. c. 20. li 17. c. 17. & 20.

Cui accedit eiusdem Christi productio, per modum cibi & potus, indicans, Christum in hoc Sacramento mysticè hostiam fieri, & immolari; de cuius carne atque sanguine manducare atque bibere liceat. Nam caro occisi animalis manducari, & sanguis effusus bibi solet. Sicut ergo Christi existentia in Sacramento Eucharistiæ vera est ac realis, simul tamen mystica & significativa; ita Eucharistiæ oblatio est in sermonis veritate ac proprietate sacrificium, quo Deus noui testamenti tempore coli vult, non tamen absolutum, ac ab omni alio sacrificio independens, sed typicum, alteriúsque commemoratiuum, duplicē habens significationem, vnam *moralem*, omni sacrificio essentialem, quæ consistit in significatione alicuius actus humani interioris, ad bonos hominis mores pertinentis, quo per intellectum recognoscit Deum, vt supremum Dominum, & per voluntatem se in eius excellentiæ ac potestatis recognitionem subijcit: cuius professionis omne externū sacrificium est signum: alteram *mysticam*, quæ in repræsentatione alicuius mysterij fidei ex Dei institutione annexa est, mortis scilicet Domini, cruentique sacrificij crucis, cuius fructum ijs, pro quibus offertur, applicat. Quod significare intendunt veteres, dum aiunt, Christum semel immolatum esse in seipso, quotidie verò immolari populis in Sacramento. Hoc enim volunt, semel tantùm Christū cruentè seipsū obtulisse, ac illo cruēto sacrificio sufficientissimū humanæ redemptionis pretium persoluisse, Deumque placasse, attamen ne tanti beneficij ingrata oblivio subreperet, instituisse supernaturali diuinóque planè modo, vt eadem hostia, quam ipse in cruce obtulerat, & qua nihil Deo acceptius esse poterat, apud fideles vsq; ad consummationem seculi remaneret, quam Ecclesia per Sacerdotes à Christo institutos quotidie Deo incruento ritu offerret, ad impetranda quæcunque bona, & deprecanda mala, vt non sit alia hostia altaris, & crucis, neque alia immolatio hodierna & crastina, in hoc vel illo loco; imò neq; diuersum sacrificium nostri altaris & crucis, sed vnū & idem, sola offerendi ratione diuersa, sic vt nostrū sacrificium nihil aliud secundū substantiam sit, quàm perpetua quędam passionis Christi incruenta oblatio: vera quidem & realis, (quia per veram & realem sacrificatoriam

Aug. epist. 23.

Algerus li. 1. de Eucharistia c. 16. Concilium Trident. sess 22. c. 3.

oblationem incruētam perficitur;) attamen simul Sacramentalis, quoniam fiat iuxta Sacramentalem existendi modum, & commemoratio sit oblationis crucis; vt sæpe tradit Augustinus; altaris oblationem appellans *verissimum sacrificium*; Cyprianus verò *plenum ac verum Sacrificium*: Chrysostomus hom. 60. ad Antioch. *sacrificium terribile, plenumque horroris.* Cyrillus Hierosolymitanus catecheti mystagogica 5. *Postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & cultus incruentus.* Euseb. lib. 1. demonst. Euang. cap. vlt. *Sacrificium Deo plenum.* Cyrillus in epist. ad Nestorium: *incruentum sacrificium.* Dionysius libr. Eccles. hiarc. Hierarchiæ c. 3. p. 3. *hostiam salutarē.* Hippolytus oratione de Antichristo vocat *immolationem.* Leo ser. 7. de passione: *Hostiam noui Testamenti.* Greg. lib. 4. Dialog. c. 58. *immolationem.*

Greg. Nazian. 3. oratione post morbum Augustin. Li 18 cont. Faust. c. 18. Lib. 8. de ciuit. c. vlt. epist. 59. Li. 10 de ciuit. c. 20. Li de spi. & litera c. 10. Cyprian. li. 2. epist.

Ad Caluini porrò argumentum, quòd vera & realis interfectio hostiæ requiratur, vt vera sit immolatio & sacrificium, Respondendvm est, quòd tunc solùm animalis viuentis in sacrificio vera occisio fieri debeat, quando animal in natiua specie proprioque essendi modo visibiliter, ac cruenta morte immolatur, nō autem cùm secundùm inuisibilem & mysticum Sacramentalémque tantùm existendi modum offertur; tunc enim sufficit Sacramentalis occisio, quæ sæpius fieri dicitur ob repetitum Sacramentum, quoniam scilicet iteratis vicibus in Christi corpus & sanguinem terrena elementa commutantur, sic tamen, vt ex vi verborum solum corpus sub panis specie, & solus sanguis sub vini specie, ponatur. Quæ partium Christi mystica separatio ad veram & realem eiusdem incruentam immolationem sufficit, eùm hic Christus offeratur, non prout existit in propria specie, sed prout existit Sacramētaliter sub speciebus panis & vini. Respondeo insuper, non solùm destructione hostiæ Deum in sacrificij oblatione coli, sed etiam sacra positione corporis & sanguinis Domini, sub speciebus panis & vini, ad significandum & profitendum supremum eius dominatum, Christique mortem commemorandam. Porrò sicut ad rationem sacrificij non sufficit, esse figuram vel signum sacrificij: ita non est contra rationem veri sacrificij, quòd sit alterius sacrificij imago vel repræsentatio, vt patet in sacrificio Abelis, Melchisedech, Agni Paschalis, & omnibus alijs veteribus, quę vera sacrificia, simulq; sacrificij Christi signa fuerunt, Aug. teste lib. 20. cont. Faust. c. 18.

Caluinus li. 4. instit. c. 18. num. 5. Christus vere, licet incruente, in sacrificio Eucharistiæ immolatur.

Cap. XVII.

Quòd eleuatio & verbalis oblatio ad sacrificij essentiam non pertineant.

Tertia sacræ actionis pars, est eleuatio cōsecratæ hostiæ, quæ solùm ceremonia est sacrificio adiecta, commonens populū, vt Christum pro sua redemptione & salute in cruce oblatum adoret. Sic in Leuitico hostia prius immolata eleuabatur. Ad eleuationē confestim vocalis oblatio sequitur: *Offerimus præclaræ maiestati tuæ, &c.* quæ ad sacrificium non est necessaria, multò minus est de sacrificij essentia. Nam offerri potest res acta sine verbo, quod in veteribus sacrificijs patet: nec Christus in cœna, vel in cruce oblationis voce, sacrificādo vsus fuisse legitur. Præterea vocalis oblatio, quæ confectionem Sacramēti sequitur, circa rem oblatam nihil agit, nec

Eleuatio hostiæ, ceremonia est.

Leuit. 8.

Vocalis oblatio ad sacrificij naturam non pertinet.

eam vllo modo immutat, sed quid priùs in opere sacrificali effectum sit, explicat. Neque ad illam verbalem oblationem opus est consecratione, aut supernaturali potestate, cùm omnis, qui sacro officio interest, rectissimè illam faciat. Nec in persona verbisque Christi, sed in persona & verbis Ecclesiæ dicitur: *Offerimus præclaræ maiestati tuæ, etc.* Postremò si oblationis sacrificij ratio (vt quidam volunt) in illa tantùm verbali oblatione constituatur, planè sequetur, nos non propriè dictum, sed generalis tantùm appellationis, ac improprium habere sacrificium, quod in oblatione rei nulla eius facta mutatione consistat.

Specierum fractio & commixtio sunt ceremoniæ ad significationem institutæ.

Quinta sacræ actionis pars, est specierum fractio & commixtio, ad significandum, quòd per consecrationem Christi corpus, (Apostolo teste) frangatur, dum vi verborum consecrationis corpus à sanguine separatum fingitur; quod tamen per concomitantiam sanguini coniungitur, quódque Christus mortuus resurrexerit. Non itaque ad sacrificij essentiam hæ ceremoniæ pertinent.

II. Sumptio hostiæ non ad sacrificij essentiam, sed ad vsum pertinet. Clem. li. 1. constit. ca 63.

Sexto loco hostia sumitur tam à Sacerdote quàm à populo communicante, ac sumptionem, à Sacerdote fit, nonnulli mysticam quandam esse hostiæ consumptionem, atque ad huius sacrificij rationem pertinere arbitrantur. Sed quòd sumptio etiam Sacerdotis ad sacrificij essentiam minimè pertineat, sed ad eius vsum, qui essentiâ posterior est; Apostolus manifestè significat, dum ait: *Qui edunt hostias, participes sunt altaris*; id est, hostiæ priùs in altari immolatæ.

1. Cor. 11.

Deinde sumptio est communis Sacerdoti & populo: ac certum est, laicos essentialem sacrificij partem non efficere sumendo, cùm nullo Sacerdotali charactere, neque supernaturali potestate baptismum fideli ad sumendum Christum immolatum opus sit. Cui accedit, quod nulla solida ratione confirmari posse videatur, cur vnius hostiæ sumptio reliquas ad populi vsum reseruatas, vt sacrificatæ sint, efficiat; vel quomodo hostia, quæ ad circumgestationem reseruatur, immolata facta sit; ac denique quomodo verum erit, quòd peracta consecratione mox Ecclesia canit: *O salutaris hostia!* si ante sumptionem non sit perfecta sacrificij essentia?

Postremo Eucharistiæ sumptio non peragitur in persona Christi, nec vt aliis, sed vtenti prosit, nec sumendo propriè Deo minus offerimus, sed hostiæ visibilis participes efficimur, vt sic Christo vniamur, fœdúsque societatis, & amicitiæ cum eo habere, atque nosipsos interiùs sacrificio offerre Deo profiteamur. Sumendo enim ostendimus, sacrificium ad nos pertinere, & nos id, quod externo sacrificio significatur, inuisibiliter nos offerendo adimplere: necnon acceptari per sacrificium ac diuinorum consortium, participationémque donorum iam Deo oblatorum.

S. Thom. 3. p. q. 82. art. 4.

1. Cor. 10.

Porro ne quis fractionem quam fecit Christus, & de qua loquitur Apostolus: *Panis quem frangimus*, intelligi debere de fractione ac effusione, quæ fit per sumptionem, arbitretur, obseruandum est, panis fractionem à Christo ante consecrationem factam fuisse, idque ad distribuendum, neque illam esse omnino necessariam, cùm possint hostiæ singulis communicantibus integræ distribui. Ceterùm fractio corporis, & effusio mystica sanguinis Christi, cui oblatio coniuncta est, non per sumptionem, sed per consecrationem fit, dum prolatione

Fractio de qua Apostolus in consecratione fit.

verborum Christi seorsim corpus sub arida panis specie velut mactatum, dissectum, & in cibum præparatum, similitérq; sanguis sub liquida vini specie velut effusus, & ad potum aptus, ad colendum latriâ Deũ sistitur. Quare Apostolus sumptionem benedicti sanguinis vocat communicationem sanguinis Christi, & sumptionem benedicti panis, participationẽ corporis Domini, eósque, qui edunt hostias, participes altaris esse dicit, ac immolantium socios fieri; non quia propriè manducando sacrificent, sed interpretatiuè, propter consensum: populus enim non nisi per sacerdotes sacrificium offert.

Argumentum verò ex holocausti ratione petitum, ad quam consumptio exigitur, non plus contra Eucharistiæ consecrationem, quàm aduersùs cruentam in cruce oblationem concludit. Nam licet ibi Dominus se in perfectissimũ holocaustum obtulerit, non tamen corpus eius mortuum consumi debuit: imò ne quidem corruptionem videre; perfectè enim se Deo obtulit, qui animam & corpus, ac vitam temporalem pro Dei honore præbuit, quod in cruce semel cruentè seipsum offerendo Christus fecit; nunc verò idipsum iugiter per suos ministros incruento ritu facere non desinit.

Postremo neque argumentum, à necessitate sumendi sacrificij deductum, quidquam aduersùs prædicta conuincit: nam Christus Sacerdotem non solùm offerre, sed etiam vti sacrificio, atq; altaris participem esse voluit; vt eo facto palàm testetur vnionem fidelium cum Christo, ac inter se: nam sacrificij participatio est testificatio fœderis, ac societatis fidelium inter se ac cum Deo.

Quibus argumentis nonnulli supradicta oppugnent.

SEd quia non desunt, qui opinentur, in confectione corporis & sanguinis Domini, oblationis rationem non reperiri, sed tantùm rem offerendam consecratione produci, quæ oblatione à consecratione non solùm re & actione, sed etiam loco, tempore ac positione disiuncta, Deo verbis præsentari eleuatione adductiua debeat; eorum argumenta in medium adducemus, quantúmque momenti habeant, discutiemus.

Argumentum primum est: Actus religionis duo respicit: materiam, circa quam versatur tanquam suum obiectum, & Deum, velut actionis suæ terminum. Vt autem religionis virtus Duo respicit, ita duos actus requirit ac exercet; quorum prior ad posteriorem refertur: prior præparat & conficit munera ad offerẽdum Deo, posterior munera parata vel confecta Deo sistit ac præsentat; per consecrationem verò hostia producitur: ergo alio distincto actu offerri debet. Argum. 1.

Respondeo, in vna & eâdem actione sacrificali iuxta clarissimam D. Augustini doctrinam, quatuor esse necessaria: *quid, & cui offeratur, quis offerat, & pro quo.* Quibus vocibus non actiones diuersæ, sed vnius actionis diuersi respectus significantur. Naim ad hæc omnia vnica sacrificandi actio interuenit, in qua reperitur, quis offert, cui, quid, & pro quo. *Omnis enim Pontifex* (ait Apostolus ad Hebr. 5. & 8.) *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Vbi perspicuum est, quatuor ista, quæ enumerantur, non semper esse Responsio. Lib. 4. de Trinitate c. 14.

re distincta, sed interdum habitudine sola. Christus enim fuit offerens & hostia oblata; & sibi tanquam Deo offerebat, necnon sibi tanquam homini corporis gloriam impetrabat. Ex quibus sequitur, non rectè ex multiplicatione respectuum colligi multiplicationem actionum, cùm vnus & idem sacrificationis actus respiciat materiam, circa quam versatur, tanquam suum obiectum, putà id quod offert: & Deum veluti suæ actionis terminum, scilicet cui offert: & finem, tanquam pro quo offert; simúlque eum qui offert, vt causam efficientem vnius & eiusdem actionis. Vnde liquet, quòd religionis virtus non duos necessariò actus distinctos requirat: vnum, qui munera conficiat, alterum verò, qui cõfecta Deo sistat, cùm eodem actu possit virtute diuina immediatè ad Dei cultum visibile signum latriæ in munus confici, simúlque Deo donari. Non enim Deo, quasi re nostra ad suum vsum egẽti, aliquid damus, sed illud ei dare censemur, quod immediatè ac directè ad eius gloriam, honorem, ac reuerentiam facimus, consumimus, aut impendimus. Cùm itaque in nouissima cœna Dominus tanquam sacerdos secundùm ordinem Melchisedech exercuerit opus sacrificij, vno religionis actu transmutando panem atque vinum, in corpus & sanguinem suum, idque immediatè in supremæ Maiestatis recognitionem, reuerentiam, & gratiarum pro generis humani redemptione, actionem, pro qua & vsque ad seculi finem consimili ritu idem per noui Testamenti Sacerdotes fieri disponebat, sequitur, Christum non per duos actus distinctos, quorum posterior priorem perficeret, sed vno & eodem actu, qui ex sua institutione Dei cultus, oblatio, & sacrificium est, hostiam confeciſſe, Deóque simul tempore obtulisse, ac instituisse, vt eodem sacrificandi ritu noui Testamenti Sacerdotes Deum latriâ colerent, eandémque visibilem hostiam conficiendo immediatè ad Dei cultum, reuerentiam, & gratiarum actionem, suæque redemptionis per Christum factæ agnitionem verè ac propriè Deo sacrificium offerrent, munus sisterent, ac præsentarent. Proprij etenim nominis sacrificium est sensibile signum, quod ex primaria sua institutione ad significandum & profitendum internum latriæ cultum ordinatum est. Atqui corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini confectio, sacra est actio, qua immediatè Deo in eius supremi dominij, potentiæ atque bonitatis, nostræque miseriæ & subiectionis professionem res aliqua sensibilis cum non nulla sui mutatione per legitimum ministrum sistitur, ac singularis muneris loco præsentatur: ergo proprij nominis est sacrificium, atque oblatio, cùm omnis sacrificalis actio sit oblatio, non econtra, quia oblatio genus sacrificij existat, multáque Deo sine vlla sui mutatione offerantur, quæ dona & munera, & oblationes, non autem sacrificia sunt, aut nuncupantur. Dominus igitur conficiendo corpus & sanguinem suum in Dei reuerentiam & cultum, hoc eodem actu, Deo corpus & sanguinem suum, hoc est, vitam & voluntariam suam mortem secundùm sacramentalem existendi modum, sistebat, dabat, offerebat, iuxta illud: *Hoc est corpus meũ, quod pro vobis datur*: non ait, quod vobis datur, sed *pro vobis*: & cuinam? sanè non nisi Deo, vt subiecta verba euincunt: *in remissionem peccatorum*: & *pro vobis*, & *multis*, hoc est, pro vobis præsentibus, & multis absentibus.

Ex multiplicatione respectuum non rectè colligitur pluralitas actionum.

Dare Deo quid sit.

Proprij nominis sacrificium describitur.

Oblatio genus est sacrificij.

2. Argum. Secundum argumentum. Consecratio differt ratione ab oblatione: ergo non simul constituunt consecratio & oblatio. Respondendum, sequelam nullius esse momenti, cùm licet ratione differant, ex Christi tamen institutione simul tempore (de quo nemo dubitauerit) concurrere possint.

Respons.

3. Argum. Tertium argumentum. Consecratio per se est Sacramenti confectio, sicuti aquæ profusio, & unctio adhibita cum intentione, debitáque verborum forma; sed illa non sunt sacrificia: ergo nec corporis & sanguinis Domini sub panis & vini speciebus confectio. Respondeo, collectionem planè nullam esse, quia sacrificium (quod fidei continet mysterium) à Deo institui debet, cuius est determinare, quibus actionibus coli velit. Quemadmodum in veteri lege occisione vituli, non autem excerebratione canis, coli disposuit. Neque sequebatur: occisio canis vel asini non est sacrificium; ergo neque immolatio agni, hirci, aut vituli. Porrò in sacrificium hanc actionem Dominus instituit, quando dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*: quod de aliis consecrationibus non dixit, quas sacrificia esse noluit.

Respons.

4. Argum. Quartum argumentum. In consecratione conficitur & habetur hostia, vt offeratur, seu (vt quidam aiunt) ad oblationem; ergo per consecrationem sacrificium dumtaxat inchoatur, & per oblationem postea, qua Deo hostia exhibetur, sacrificium perficitur. Priùs fit hostiæ dedicatio; postea verò eiusdem exhibitio; nam offerri non potest Christus; nisi priùs exstiterit. Respondeo, per consecrationem ex Christi institutione sub panis & vini speciebus Christi corpus Deo sisti, exhiberi, offerri, non autem tantùm produci, vt postea verbo aut mente Deo exhibeatur, qualis exhibitio generalis tantùm nominis est oblatio, non autem proprij nominis sacrificium; & non minùs à laicis, quam à Presbyteris fieri potest. Quòd autem nonnulli quandoque siue dixisse, siue etiam scripsisse commemorantur, consecrationem fieri ad oblationem, id eo sensu rectè accipi queat, vt Lutheranorum dogma refutatum accipiatur, dicentium, Christum nobis suum corpus & sanguinem reliquisse in cibum, quo epulemur, non in sacrificium, cuius oblatione Deus colatur; ac proinde consecrationem corporis & sanguinis Domini fieri, vt habeatur sacramentum, non vt simul offeratur sacrificium. Quorum errorem non parum adiuuant, qui oblationem à confectione seu consecratione remouent. Nam ex eo, quòd dicit Concil. Tridentinum, Christum reliquisse ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum, sic argumentantur: Non potest Christus sub panis & vini speciebus offerri, nisi priùs sub illis exstiterit, & non existit, nisi per consecrationem; ergo oblatio sacrificij, quæ fit in missa, præter consecrationem, requirit aliquam posteriorem actionem loco, tempore, ac positione distinctam. Quæ sanè argumentatio si quid concluderet, Lutheranorum errorem probabiliter stabiliret. Nam certissimum est, in tota missæ actione non reperiri aliam distinctam à consecratione actionem, in qua veri sacrificij & immolationis ratio firmiter contra hæreticos constitui possit: si itaque ibi (quod isti concedunt) nulla sacrificalis oblatio fiat, certè admodum probabiliter habebitur solum (vt asserunt Lutherani) Sacramentum, non autem sacrificium. Præterea respondeo,

Lutheranorum errorem promouet, qui oblationem à consecratione remouent.

Rosà Deo produci potest, hominis ministerio, & simul offerri Deo S. Thom. 3. p. q. 80. art. 12. ad 3.

respondeo, non requiri, vt id quod Deo offertur, sacrificatur, & immolatur, præextiterit antequam offeratur; potest enim res simul tempore produci, offerri Deo, ac immolari, sicuti in summo hoc mysterio fieri non dubitamus. Nam Christi corpus & sanguis in hoc mysterio vt verè & realiter, non autem tantùm in signo existunt, atque producuntur; ita vi verborum consecrationis, sub arida panis specie, verè quidem ac realiter, sed tamen incruentè, atque iuxta Sacramentale existere, Christi corpus producitur diuisum à sanguine, mortuum, mactatum, dissectum, in forma cibi, vt manducari, sumiq; possit. Similiter producitur sanguis sub liquida vini specie Sacramentaliter effusus, à corpore separatus, & ad potum idoneus, quanquam Christus immortalis iam pati diuisionem partium, secùdùm existere naturale nequeat. Nam animalis viui caro comedi nō solet, neq; sanguis bibi. Cùm itaq; supernaturali Christi verborum virtute Sacerdos eius corpus & sanguinem verè atque realiter sic producat, vt incruento modo corpus patiatur, & sanguis fundatur; nō quidem in seipso, sed in Sacramento; consequitur, quòd Sacerdos consecrando sub distinctis speciebus panis & vini corpus & sanguinem Domini, verè ac realiter, licèt incruento modo, eadem Deo sacrificet, offerat, & immolet, non alia distincta, sed eâdem prorsus actione, qua hostiam non solùm conficit, dedicat, præparat ad oblationem; sed verè Deo in cultum exhibet, præsentat, sistit, & offert in odorem suauitatis. Nam ex Christi institutione ad Maiestatis diuinæ reuerentiam & cultum, suæq; miseriæ & subiectionis professionem, Sacerdos facit, quòd Christus sic faciēdum instituit. Nec licet in Ecclesia Christi aliud, vel aliter sacrificare, quàm ipse disposuit: non enim circa substantiam Sacramentorum Ecclesia quidquam immutare potest, sed solùm circa eorum administrationem & dispensationem: eadem autē ratio est Sacramenti quoad hoc; & Sacrificij, quod ad legis statum, quemadmodum & Sacerdotium, pertinet.

Christus frangitur & immolatur secundùm existere sacramētale, non vero secundum naturale.

Quintum argumentum est, Ecclesia non omnia, quæ Christus fecerat, & fieri mandauerat, se per consecrationem fecisse arbitrata, factæ consecrationi subiungit: *Vnde & memores, &c. offerimus præclaræ Maiestati tuæ, &c.* Ergo indicat Ecclesia, se in consecratione non obtulisse. Respondeo his verbis, iuxta D. Thomæ doctrinam, consecrationem sequentibus, Ecclesiam declarare, quid ex Christi præcepto & institutione Sacerdos consecrando fecerit, scilicet, quod non tantùm confecerit Sacramentum, cuius sumptione fideles sanctificentur; sed etiam obtulerit sacrificium, quo Deus colatur, offensus placetur, passionisq; Christi fructus vberrimè percipiantur. Explicatur itaque illis verbis, quid in consecratione mystica sacrificaliq; actione peractum sit: nam illis verbis, neque Christus in cœna, neque initio Apostoli, teste D. Gregorio & vniuersa antiquitate, vti sunt: quos proinde, si argumentum concluderet, sequeretur, non obtulisse; quia verbis Domini solam orationem Dominicam adiungebant.

5. Argum.

Respōsio S. Thom. 3. parte q. 83. art. 4.

Greg. lib. 7 epist. 63.

Sextum argumentum. Consecrationem ab oblatione actione distinguere videtur Concilium Tridentinum, dum ait: *Sacerdotibus traditam à Christo potestatem esse consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus Domini*: nam si consecratio rationem oblationis includeret, aut

6. Argum.

Trident. sess. 23. ca. 1.

coniunctam haberet, non debuisset potestas offerendi seorsim numerari. Respondeo, Concilium occasione Lutheranorũ, qui potestatem consecrandi & ministrandi corpus Domini, sed non offerendi Deo, tributam Sacerdotibus sentiunt, vigilanter explicuisse, non tantùm cõsecrandi & dispensandi, sed etiam offerendi Deo potestatem Sacerdotibus à Christo datam esse. Sed qua actione Sacerdos id faciat, & an vna vel pluribus actionibus, ibi non explicat, quoniam ex sessione 22. veluti notum esse præsupponebat in cõsecratione Sacramenti Eucharistiæ sub distinctis panis & vini speciebus, proprij nominis sacrificium Deo offerri, Christúmq; incruento ritu sacrificari, offerri, & immolari. Proinde sessione 23. Concilium plura in vna actione contenta, de quibus Lutherani perperam sentiebãt, & quæ ratione distincta sunt, nec nõ à Deo mutata institutione separari possũt, sigillatim ad maiorem veritatis elucidationem expressit, vt omnes intelligerent, vtrumque & consecrandi & offerendi munus conferri Sacerdoti, quamuis reipsa vtrumque eâdem actione fiat: eodémque modo S. Thomas veluti rationes formales, non autem physicas actiones distinguit; ideóque meritò etiã per coniunctionem copulãtur, seu enumerantur. Eadem enim rei oblatæ immutatio, quatenus fit à Sacerdote, ex diuina institutione, & ad diuinam excellentiam significandam, consecratio dicitur, quia vt sic aliquid sacrum est, seu sacra efficitur res illa, quæ sic immutatur: ac denique hæc eadem sacra immutatio, quatenus inuisibilis sacrificij visibile signum est, quo Deus colitur & honoratur, est ipsamet oblatio sacrificatiua, quia per eam res oblata humanis vsibus subtrahitur, Deóque dicatur, & in illius cultum transfertur. Non igitur his vocibus actiones diuersæ significantur, sed vna & eadem sub diuersis respectibus, quos impiè hæretici excludunt, asserentes, Christum conficiendo Eucharistiam, instituisse tantùm sacramẽtum in cibum fidelium, non etiam in signum diuinæ reuerentiæ, neque in ritum colendi Deum, quo homines in nouo testamento sacrificium Deo offerrent, eiúsque potentiam & maiestatem, sapientiam & bonitatem, suamq; subiectionem profiterentur, gratias agerent, omniáque gratiæ & gloriæ dona, temporalia & æterna bona impetrarent, contra Augustinum lib. 20. cont. Faustum cap. 6.

Respondeo. Cõc. Trid. plura in vna actione contenta explicat.

Argumentum septimum. Omnium penè sacerdotũ iudicio oblatio sacrificij missæ non solùm re & actione, sed etiam loco & tempore & positione distiungitur, ac fieri putatur, dum post consecrationẽ dicitur: *offerimus præclaræ maiestati tuæ.* Quæ sententia probari ex eo videtur, quod Augustinus dicat: *Quis vnquã Antistitum altari assistens dixit: Offero tibi Petre, Paule, aut Cypriane?* 7. Argum.

Respondeo, D. Thomam principem scholasticorum Doctorum, Ecclesiasticorum scriptorum sententiam & iudicia nobis fideliter, crebrò, constantérque referre. Docet autem, omnia, quæ ante vel post consecrationem Eucharistiæ à Sacerdote fiunt, ad sacrificij oblationem, quæ in consecratione reipsa perficitur, referẽda esse, veluti præparationes, aut explicationes eius, quod in consecratione peractum est: atqui sacrificij oblationem in consecratione consistere, ex professo demonstrat in 3. parte qu. 82. art. 10. & aliis, vbi tradit, per consecrationem seu confectionem Eucharistiæ Deo sacrificium propriè dictum Respondeo. D. Thom. 3. parte q. 83. art. 4.

offerri, Christum sacrificari & immolari; sacerdotibúsque cùm ordinantur, conferri potestatem consecrandi sanctissimum corpus & sanguinem Domini in persona & verbis Christi, dum illis dicitur ab Episcopo: *Accipe potestatem offerendi in Ecclesia sacrificium tam pro vivis, quàm pro mortuis.* Quibus sanè verbis cùm directè potestas consecrandi detur, ambigi non debet, quin Ecclesia in consecratione oblationem fieri Deo intelligat. Cùm enim nihil aliud sit, Deo aliquid offerre, quàm in eius cultum directè ac immediatè exhibere, sistere, atque præsentare, & per consecrationem res sensibiles, nempe Christi corpus & sanguis sub speciebus panis & vini ad cultum Dei actu religioso sistantur; quis non videat, propriissimè Deo offerri? & cùm ibidem Christus sistatur in sacramento præsens, per modum cibi & potus, comestibilis, ac sacramentali incruentóque modo dilectus & mortuus, patet, eundem Christum non solùm offerri Deo generali oblatione, quæ nullã rei oblatæ mutationem requirit, sed insuper sacrificali actione, quæ rei sensibilis oblatæ nonnullam immutationem exigit; quam quidem mutationẽ Christus hîc verè existens patitur, non in seipso & sub natiua specie, sed sub alienis speciebus, & secundùm existere sacramẽtale; ita vt sacramẽtaliter tantùm & incruentè, non autem in seipso patiatur & mactetur, dum vi verborum consecrationis sub distinctis speciebus sistitur. Quo sensu Aug. scriptum reliquit, Christum semel immolatum in seipso, quotidie populis immolari in sacramẽto. Et D. Greg. *Quoties passionis hostiam offerimus, toties passionis illius hostiam reparamus, & pro nobis in mysterio iterum patitur.* Qualia etiam scribunt Cypr. Chrysost. & alij veteres: inter quos Irenæus expressè tradit, Christum non antè, neque pòst, sed dicendo; *Hoc est corpus meum*, noui testamenti oblationem fecisse ac docuisse. Idipsum clarè docet Greg. Nyssenus oratione 1. de resurrectione: *Se oblationem*, ait, *ac victimam offert pro nobis, cùm suum corpus ad edendum, & sanguinẽ suum familiaribus ad bibẽdum præbuit*, cuilibet enim perspicuum est, quòd oue homo vesci nõ possit, nisi mactatio præcesserit. Cùm igitur dedit discipulis suis corpus ad comedendum, apertè demõstrauit, iam fuisse perfectam & absolutam immolationem. Cyprian. serm. de cœna Domini: *Cùm panis benedicitur, Eucharistia fit simul medicamentum & holocaustum.* Ambr. in Psal. 38. de Christo loquens: *Ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur.* Chrysost. hom. 2. in posteriorem ad Timoth. *Oblatio eadem est, quam Christus ipse discipulis dedit, quãque sacerdotes modo conficiunt, nihil habet ista quàm illa minùs cur id? quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam ante sacrauerat.* Leo ser. 7. de pass. *Hostia in hostiã trãsit.* Greg. lib. 4. dial. c. 58. *In ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem Angelorum choros adesse* dicit. At quænam illa hora, vel Sacerdotis vox? procul dubio, cùm in persona Christi dicit: *Hoc est corpus meũ: Hic est calix sanguinis mei.* Quorum sententiis cum maioribus scholæ nostræ adhæremus, qui magno cõsensu docuerũt, actionem, per quam Christi corpus & sãguis sub panis & vini speciebus sistuntur, vereque offeruntur, sacrificantur & immolantur, esse corporis & sanguinis Domini sub panis & vini speciebus confectionem, vt videre licet Adrianum sextum in 4. sentent. vbi agens de Sacramento

Quid sit offerre Deo.

Chrys. ho. 24. in 1. ad Cor. Item ho. de prodit. Iudæ. Iren. lib. 4. c. 32. & 34. Greg Nyssen. orat. 1. de resur.

Ambros. li. 1 offic. c. 48.

Chrys. ho. 83 in Matt. Cyril. Hierosol. catechesi mysta. 5. Hipp. in ora. de Antichristo. Aug. ep 23.

Aug. epist. 23.

Greg. hom. 85. l. 4. dialog. c. 58.

Cypr. lib. 2. epist. 3.

Adrianus sextus.

Eucharistiæ, docet, eum peccare mortaliter, qui nouæ legis sacrificium offert, hoc est, inquit, *conficit Eucharistiam in peccato mortali.* Idipsum expressis verbis tradit Driedo: *In officio Missæ*, inquit, *omnia primò nuda erant, & simpliciter tractabantur.* Petrus vbi consecrauerat; oratione *Pater noster* vsus est. Anacletus statuit, vt peractâ consecratione omnes communicarent. Alexander septimus à Petro, sacrificio Missæ addidit: *Qui pridie quam pateretur*, vsque ad hanc clausulam: *hoc est corpus meum*: ac subdit: *omnes martyres isti secundum seriem successionis sedentes in cathedra Petri, non dubitauerunt Sacerdotes consecrantes Eucharistiam sacrificare Deo, & Eucharistiam esse verum corpus Domini, atque sacrificium.* Driedonis discipulus, Ruardus Tapperus artic. 16. de sacrificio: *Oblationem verbalem, quæ post consecrationem fit, ad vsum, non ad substantiam sacrificij pertinere* dicit, addens, *non esse certum, quòd Christus illam fieri præceperit.* Ruardi successor Iudocus Tiletanus, Illyrico hæretico quærenti, quando Dominus sacrificium obtulerit; num ante verba: *hoc est corpus meum*; an postea? respondet: *Nec ante verba: Hoc est corpus meum; nec postea, obtulit; sed ipsa consecratio creaturarum panis & vini, verissima est & propriissima oblatio, quam instituit Christus, docens Apostolos noui Testamenti nouam oblationem:* quod expressè Irenæum docuisse asserit, allegatis eius verbis ex l. 4. cap. 32. & 34. Ioannes Hesselius libr. de Sacram. cap. 27. *Quamquam* (inquit) *corporis & sanguinis Domini oblatio cum consecratione concurrat, ratione tamen inter se differunt.* Cunerus Leuuardien. Episcopus libr. de sacrificio cap. 15. *Sacrificium in Missa est corporis & sanguinis Domini ex pane & vino aquâ permixto consecratio*; ac toto lib. idē confirmat. In eandem sententiam scripsit Cornelius Iansenius in *Concordia* cap. 131. pag. 455. *Dicendum est*, ait, *Christum in cœna & Eucharistia institutione sacrificium obtulisse.* Quod ex verbis illis colligi asserit: *Hic est sanguis noui Testamenti.* Vbi Dominum alluisse dicit ad verba Exodi 24. *Hic est sanguis fœderis*: at sanguis priùs fuit oblatus, quàm sanguis fœderis dictus. Igitur & in cœna Christus consecrando sanguinem, Deo Patri obtulit, quo nouum Testamentum dedicauit; nam sanguinem hostiæ iam immolatæ Apostolis tradidit, eóque nouum Testamentum confirmauit, dicens: *Hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo.* Eandem sententiam tradiderunt, quotquot in scholis nostris celebres fuerunt.

Driedo to. 1. de variis dogm. lib. 4. c. 5. pag. 254.

Ruardus.

Iudocus Tiletanus, in apolog. contra Illyricum. pag. 278.

Cōsecratio est oblatio.

Ioannes Hesselius.

Cunerus.

Ianseniꝰ.

Luc. 22.

Memini ex ore doctissimi Lensæi, atque charissimi pridem Collegæ Thomæ Stapletoni, me sæpius audiuisse, quòd qui tantùm in eleuatione & verbali hostiæ oblatione consecrationem sequente, sacrificalem oblationem sacrificio Missæ essentialem constituant, sacrificij propriè dicti veritatem tollant, licèt verbis admittant. Contra quam sententiam idem Stapletonus acriter viuus se opposuit, & ex professo eandem in suis libris confutauit. Eiúsque in magisterio collega Guilelmus Alanus, postea Romanæ Ecclesiæ Cardinalis amplissimus, librum de Sacrificio Eucharistiæ edidit, in quo ex professo multis rationibus, veterúmque authoritatibus eandem reprobat sententiam, nostrámque confirmās, non aliter post Concilij Tridentini definitionem sentiendum, aut docendum putat. Cui synchronos Matthæus Galenus, Vniuersitatis Duacenæ Can-

Stapletonus.

In antid. 1. cp. ad Con cap. 21.

Alanus lib. 2. de Euch. sacrif. cap. 15.

Galenus.

cellarius, catechesi 135. victimā tempore consecrationis offerri scribit.

Robert. Bellar. lib. de missa ca. 12. Suares in 3. p. q. 83. Turnanus.

Prætereo celeberrimos, eruditissimósque omnium Nationum scriptores, qui eandem sententiam ex professo literarū monumentis consignarunt: inter quos Valentia, Suares, & alij, quos fastidij vitandi causâ (quoniam plurimis & omnibus noti sunt) prætereo. Ex quibus apparet, frustra nunc ad persuadendum contrarium paucorum aliquot authorum scripta paulò inuolutiùs edita, priusquam huius dogmatis veritas, discussis opinionum tenebris, luculenter emicuisset, captari. Nam Ruardus, Clithoueus, Eckius ac Melchior Canus, qui pro assertione contrariâ proferuntur, Concilióque Tridentino interfuisse dicuntur, ante tempus 22. Sessionis ex hac vita emigrarunt. Nec ambigendum est, quin se communi aliorum Doctorum Catholicorum iudicio conformassent, si post confirmationem œcumenici Concilij Tridentini vixissent. Et sanè cùm oppositā sententia catholicam doctrinam nō parum infirmet, dum in paradoxis, & incertis suspicionibus, sacrificij oblationē, relictis Scripturis & antiquis doctoribus, fundare nititur, sectariorúmq; errorem corroboret, qui Christum in nouissima cœna conficiendo ex pane & vino corpus & sanguinem suum, obtulisse sacrificium negant: in quo eis ista sentētia cōsentiens, oblationem propriè dicti sacrificij, saltem probabiliter, è missa tollit: quia ex Scripturis Christum obtulisse diuersa à consecratione actione ostendere nequit; aut vt sic offerretur, instituisse. Absurdum autem videtur sentire, quòd Deus, qui in veteri Testamēto ritus offerēdi sedulò describi iussit, ac per se instituit, in nouo Testamento Ecclesiæ modum offerendi sacrificij commiserit. Quare dolendum est, nonnullos in Ecclesia eminentes viros ex professo nouam & exoticam loquendi formam inducere, contēdendo, per consecrationem fieri sacrificium, id est, hostiam, exclusa oblatione (vt consecratio sit velut incarnatio,) quódque hostia cōsecratione confecta, parata & habita, cōsequenter postea religiosa actione distincta loco, positione, & tempore, per Eucharistiæ confectæ eleuationem, & verbalem oblationem, Deo immunus præsentetur. Quam præsentationem dicto ritu eleuationis & verbalis oblationis factam, essentialem sacrificij noui Testamēti oblationem esse sustinent. Ceterùm cùm in illo ritu nulla neque realis, neque Sacramētalis, sed tantùm localis rei oblatæ mutatio coniuncta sit, efficaciter cōsequi videtur, iuxta hanc opinionem, non proprij nominis, sed generalis tātùm significationis haberi sacrificium. Nam vox sacrificij propriè dicti iuxta scripturas sacras, omniúmque Latinè loquentium vsum, significat actionem, qua res cū sui immutatione Deo offertur, ita vt in essentia sacrificij oblatio includatur, qua signo externo fiat oblationis internæ significatio. Dum enim homo sacrificalē actionem exercet, profitetur, quòd seipsum omniáq, sua Deo, tanquam seruus Domino subijciat, à quo solo pendeat, omniáq; corporis & animæ bona expectet: ad cuius proinde honorē se omniaq; sua intimo affectu consecret, offerat, dedicet. Vnde patet, absurdè atque præter ecclesiasticum loquēdi vsum dici, quòd sacrificium, immolatio, & holocaustum nihil aliud significent, nisi rem sacrā facere cum oblationis exclusione, & quòd sacrificiū non includat oblationem, cùm D. August. cúmque sequutus S. Tho. luculenter doceant,

Sententia oppositā catholicam doctrinam infirmat, & hæreticorū corroborat.

Essentialis oblatio sacrificij, in quo secundum illorū sententiam consistat.

Improbatio dictæ sententiæ.

In sacrificij ratione oblatio includitur.

August. lib. 15. de ciuit. cap. 5.

sacrificium speciem esse oblationis, & oblationem esse genus sacrificij; nec quidquam posse sacrificium dici, quod non sit oblatio, cùm sacrificare sit offerre sacrificium. Qua vocis sacrificij significatione ex communi omnium gentium vsu & conceptione recepta, non licet homini priuato pro suo arbitrio aliter vti; alioquin nec veritas, nec fidelitas firma esse poterit, si priuata vnicuiq; authoritate liceat vocibus nouum significatum imponere, publicúmque vsum respuere. Accedit, quòd ex sapientum sermone loquendi modus in vnaquaq; materia sumendus sit, quia facilè per inordinatas locutiones quispiam in errorem, vel certè in erroris suspicionem incideret. Cùm igitur in Scripturis sacrificare idem sit, quod sacrificium offerre, sacrificatio ipsa erit sacrificij oblatio, vt Genesis 8. *Obtulit holocausta super altare*, cap. 22. *Offeres filium tuum in holocaustum.* Isa. 1. *Ne offeratis vltrà sacrificium.* ad Hebr. 5. *Vt offerat dona & sacrificia.* & c. 9. *Per Spiritum sanctum semetipsum obtulit*; Item *semel oblatus est*, hoc est, sacrificatus est, quando videlicet seipsum voluntariè ad Dei honorem tradidit in mortẽ. Quia enim Deus nouum dominium rerũ, quod prius non habuerit, acquirere nequit, eo titulo res dari non possunt; sed hactenus solùm Deo aliquid dare vel offerre dicimur, quia in eius honorem aliquid facimus, consecramus, immutamus, vel consumimus. Qui ergo actionem, qua Christi corpus & sanguinem ex diuina institutione conficimus, oblationem esse inficiantur, consequenter negare debent, actionem illam institutam esse, vt proximè in Dei cultum & honorem hat; quod nullæ fidelium aures sine offensione audient. Nam omnis actio, quare aliqua permanẽtes sic vtimur, vt in Dei cultum illam directè trãsferamus, Scripturarum, & ecclesiastico vsu, Oblatio propriè vocatur. Nec veterum quisquam docet, quòd oblatio sacrificij propriè dicti sit blanda, supplex, illex, munifica, obsequiosa, & adductiua per eleuationẽ verbalis oblatio muneris. Sic enim non vnum singulare noui Testamenti sacrificium esset: nam eo modo cereus paschalis, incẽsum, aliaque plurima offerri possunt iuxta illud Augustini epist. 59. *Multa offeruntur Deo, maximè tamẽ altaris oblatio, in qua scilicet ex Christi ordinatione, Deo res immediatè ita offertur, vt in eius cultum immutetur, ad significationem diuinæ excellentiæ, & bonitatis ac potentiæ, humanæque subiectionis & indigentiæ.* Reliquæ verò oblationes, quæ nullam talem rei oblatæ immutationem inducũt, veluti munùs perfectæ speciei, genericum nomen oblationis retinent. Vt Psalm. 39. *Oblationem & sacrificium noluisti.* ad Hebr. 5. *Vt offerat dona et sacrificia.* Malach. 1. *In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Quibus verbis Propheta non significat, dici sacrificium vel sacrificationẽ exclusa oblatione, sed (vti & Apostolus docet,) insinuat, ad Sacerdotum officium pertinere, vt offerant dona & sacrificia, siue oblationes simplices, & oblationes, quæ propriè dicti sacrificij rationẽ habeãt; quod ex LXX. Interpretibus tam euidens est, vt nullam tergiuersationem admittat. Sic enim illi exponunt: *In omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium mundum.* Vbi prædixit, in ombus gentibus à Sacerdotibus noui testamenti, in altaribus ad hoc erigendis, offerendum vnicum proprij nominis sacrificium, à Christo instituendum, quod per se cõtineret supremũ Dei cultũ, ad eúmque Deo

Vocum significatio priuata authoritate non est immutanda.

Sacrificare idem quod sacrificium offerre.

Deus nouũ rerum dominium nõ acquirit.

Quid sit offerre Deo?

Consecratio corporis & sanguin Dom. fit proximè in Dei cultũ.

Vnicum noui Testamenti sacrificium propriè dictũ.

Argumentũ obiectum soluitur.

Malachiæ sensus exponitur.

exhibendum immediatè ordinandũ esset; ad cuius tamen sacrificij cultum & ornatum, & ad fidelium deuotionem excitandam, simul adhiberentur multa sacrificalia, scilicet oblationes, dona, ceremoniæ mysticæ, benedictiones, thymiamata, lumina, vestes, aliáque id genus multa, quibus maiestas tanti sacrificij commendaretur, & per hæc visibilia religionis signa ad rerum altissimarum in eo sacrificio latẽtium contemplationem homines excitarentur; vt habet Concilium Tridentinum sess. 22. c. 5. vbi subindicat, de ratione sacrificij esse, vt sit oblatio immediatè ordinata ad Deum & eius cultum: nec sufficere, quòd sit ceremonia ordinata ad ornatũ eius oblationis, quæ verum sacrificium est. Ex quibus concludendum videtur, quòd cùm in Ecclesia nulla sit actio sacra per Christum instituta, quæ per solos Sacerdotes ritè exerceatur, & verum altare requirat, præter confectionem corporis & sanguinis Domini per transmutationem panis & vini; manifestè sequi, iuxta Malachiæ vaticinium, in ea sacra actione oblationem sacrificij noui Testamenti consistere.

Sacrificalia non sunt sacrificia.

CAP. XVIII.

Dissolutio obiectionum contra veritatem sacrificij.

Caluin. lib. 4. inst. c. 18.

NE humanarum ratiocinationum fumo veritatis splendor offuscetur, Sectariorum præcipua obiectionum capita breuiter dissoluemus.

Hebr. 7.

1. obiectio.

Primum deducitur ab vnitate Sacerdotij Christi. Nam cùm vnicus sit Sacerdos, & quidem in æternum, non videntur alij Sacerdotes proprij nominis agnoscendi esse, quia multiplicatio Sacerdotum, vnitati Sacerdotij Christi repugnat.

RESPONDEO, Christum vnicum esse supremum æternúmque Sacerdotem, ideoque non admittere in pari officio & dignitate successores, quemadmodum in veteri lege plures erant summi Sacerdotes, sibi inuicem in pari gradu succedentes: attamen quia iam per se non amplius sacrificium secundùm ordinẽ Melchisedech offert, vt in æternum iuxta illum ordinem Sacerdos dici possit, vicarios instituit, per quos vsque ad consummationem seculi in terris offerat: nec ista pluralitas ministrorũ vnitati Sacerdotij Christi magis aduersatur, quàm multitudo patrum, Magistrorum, Doctorum, aut pastorum repugnet vnitati, qua Christus vnicus Magister, Pastor, ac Pater dicitur. Nam ille suo proprio iure supremus est, alij verò non nisi gratuita participatione, tanquam vicarij & ministri: cuius rei signum est, quòd Christi Sacerdotium in vnione hypostatica immediatè fundetur, per quam oleo inuisibili ita præ participibus suis inunctus fuit, vt hostiam sibi placentem eligere potuerit: Ministrorum verò Sacerdotium in charactere per Sacramentũ ordinis impresso consistat; cui nec hostiam pro arbitrio eligere, sed præscriptam à Christo, ritúq; instituto, tantùm offerre fas sit; quemadmodũ & Sacerdotio veteris Testamenti certa offerendi ratio & materia præscripta fuit. Quod sanè hoc quoque argumento, non minùs quàm noui Testamenti ministeriale Sacerdotium euerteretur.

Christus est vnicus supremus Sacerdos in æternum permanens alij omnes eius sunt ministri.

Multitudo Sacerdotũ qui ministri sunt, nõ magis vnitati Sacerdotij Christi repugnat quam multitudo patrum, magistrorum, vicariorũ, pastorum, officio Christi.

Nec plus momenti habet alia obiectio, deducta ex vnitate & virtute oblationis Christi in cruce, qua *consummauit in æternum sanctificatos*. Hæc nimirum: Acquisita semel peccatorum remissione, nulla

Hebr. 10.

2. obiectio.

restat pro peccatis hostia: ergo superfluum est missæ sacrificium.

Responsio. Vnicum Christi sacrificium valoris est infiniti, efficaciæque sufficientis, sed eius virtus applicada trãsmittendáque est.

RESPONDEO, hoc argumentum non plus concludere contra Eucharistiæ sacrificium, quàm contra legis naturæ, aut Mosaicæ sacrificia: vel contra baptismum & alia Sacramenta, vel cõtra orationem, fidem, omniáque salutis obtinendæ media; nam omnium temporum homines non nisi per sacrificium crucis iustitiam adepti sunt, cuius licet infinita sit virtus, omni nihilominus tempore fructus eiusdem, per certa organa debuerunt transmitti & applicari. Est enim sacrificium crucis vniuersalis causa, quæ in singulis ex diuina institutione per Sacramenta, per fidem, orationem, eleemosynas, aliáque iusta opera, salutem operatur, proinde & per hanc incruentam Christi in Eucharistia oblationem illius cruentę fructus trãsmissi vberrimè percipiũtur.

Cõc. Trid. sess. 22. c. 2

Ad tertiam obiectionem: Eucharistia est Sacramentum, & Testamẽtum, ergo non sacrificium, quoniam Sacramentum est actio Christi; sacrificium autem actio nostra. Similiter, Testamentum, est, quod nobis Christus dedit sacrificium verò est, quod Christo damus: RESPONDEO, etiam Eucharistiæ sacrificium Christi esse actionem, qui tãquam summus Sacerdos per manus suorũ ministrorum offert; nam eius verbis, virtute, ac vice presbyter consecrat. Neque absurdum est, quod nobis à Deo datum est, vicissim Deo offerri, cùm nihil omnino Deo offerrè possimus, quod ab eo priùs non acceperimus, iuxta Dauidis confessionem: *Quæ de manu tuâ accepimus, damus tibi.* Est autem Eucharistia Sacramentum, quatenus relicta est ad sanctificationem, & vnionem nostram cum Christo significandam efficiendámque: Testamentum verò est, quatenus diuinam promissionem continet, eámque nobis tanquam instrumentum applicat, nec non quoniam inter bona, quæ Dominus nobis moriens reliquit, hæc præstantissimum est.

3. obiectio.

Responsio.

Qua ratione Eucharistia sacrificium, Sacramẽtum & Testamentum dicatur.

CAP. XIX.

An vtraque species ad sacrificium necessaria sit.

EX institutionis Dominicæ historia notum est, ad perfectam & integram sacrificij rationẽ, vtriusque speciei consecrationem necessariam esse. Nam Eucharistia, vt sacrificium, passionem Christi repræsentat. Est enim imitatio, imò repetitio quædam (incruento tamẽ modo) sacrificij in cruce peracti: ac insuper Christus hoc sacrificium offert secundùm ordinem Melchisedech, qui panem & vinum obtulit; rem autem suo typo respondere oportet. Denique cum sacrificium ad peccatorum remissionem ordinetur, sine verò sanguine non fiat remissio, perspicuè sanguinis effusio, consecratione vini seorsim facta repræsentanda est. Vnde Concilium Toletanum VII. Canone. 2. constituit, vt si post vnam speciem consecratam sacerdos ægrotare incipiat, alius sacerdos inchoatum sacrificium perficiat. Et D. Thomas, sacrificium non esse relinquendum imperfectum tradit. Ex quibus satis apparet, duas species ad sacrificij integritatem pertinere; sed an, sicut essentia veri sacramenti in qualibet specie inuenitur (quamuis vtraque species ad integritatem sacramenti spectet, si materiales symboli externi partes considerentur) ita etiam sub vna tantùm specie integra sacrificij essẽtia subsistat, vt panis & vini species sacrificij partes

Psal. 109. Gen. 14.

3. p. q. 83. art. 6.

sint

sint integrantes potiùs quàm essentiales, à nonnullis ambigitur: nos probabilius arbitramur, quòd sicut verum, & quoad essentiam integrum sacramentum sub vna specie (iuxta expressam Concil. Trid. doctrinam) consistit; ita quoque verum & quoad essentiam integrum sacrificium in vnica specie subsistat. Nam Apostolo teste ad singularum specierum consecrationem dicitur: *Hoc facite in meam commemorationem*: id est, in dominicæ mortis annuntiationem; quæ satis annuntiatur, quando corpus mortuum, aut effusus sanguis exhibetur, quanquam pleniùs id fiat (si externi symboli partes considerentur) quando seorsim corpus & sanguis videntur.

Sess. 21. c. 2.

Accedit, quòd confectio Corporis independens sit à forma consecrationis Sanguinis, & contrà; vnde apparet, quòd sicuti ex causa licet sub altera tantùm parte sacrificij participem esse, ita quoque sic Ecclesia permittente, sacrificare. Nam diuinæ sapientiæ congruum videtur, vt noluerit gentes aliquas Eucharistiæ sacrificio priuari ob defectum vini, atqui constat, in multis prouinciis nec vinum crescere, vixque aliunde haberi posse, & importatum mox acescere, vt de Iaponia & Septentrionalibus extremis regionibus traditur. Vnde scribit Volaterranus, Noruegiis ab Innocent. VIII. concessum fuisse, vt absque vino sacrificarent. Complures alios patronos ista sententia habet, quibus nemini præiudicantes adnumerabimus, ac cum authore Catechismi Romani addimus, duplicem consecrationem fieri, vt pleniùs Domini luculentiùs repræsentetur, nec ex institutione sacrificij sub vtraque specie consequi, legem à Domino constitutam esse, vt aliter fieri nequeat. Nam & sub vtraque specie Christus sacramentum distribuit: non tamen omnibus necessitatem sumendi vtramque speciem imposuit.

Lib 7. c. 4.

Ioan. Hessels. lib. de cõmunione sub vnica specie c. 16. & 18. Alanus lib de sacrificio 20. Rober Bellar. li 4 de Eucharistia ca. 24.

CAP. XX.

Quis nostri sacrificij sit vsus?

CVm sacrificium Eucharistiæ in actione transeunte consistat, (vt pote in confectione corporis & sanguinis Christi sub distinctis speciebus panis & vini) eius vsus ex finibus & effectis, ad quos ex institutione seruit, metiendus est: ac quoniam in locum omnium aliorum sacrificiorum, in quacunque lege institutorum, hoc vnicum concessit tantæ dignitatis ac virtutis, vt omnium veterum sacrificiorum energiam in se contineat, ac ad omnes effectus & fines, ad quos illorum aliquod referri potuit, accommodari queat; est instar omnium, & loco omnium. Quædam verò illorum latreutica, seu honoraria erant, vt holocausta, quæ propriè in reuerentiam diuinæ Maiestatis fiebant, solùm ad ei honorem & cultum exhibendum, testandúmque, omnia nos à Deo habere, ab ipsóque pendere. Alia verò pro peccatis, vel commissionis vel ignorantiæ, aut facti, aut periurij, vel calumniæ, aliisue delictis offerebantur, & sacrificia pro peccato vocabantur. Nonnulla pro beneficijs à Deo rerum omnium creatore, in communi datis; aut pro specialibus impetratis, vel impetrandis exhibebantur, & hostiæ pacificæ nuncupabantur. Rursus alia ex effectu dicebantur latreutica, propitiatoria, pacifica, Eucharistica, vel impetratoria, quorum omnium locum supplet hoc vni-

Sacrificium missæ ad omnes effectus, ad quos aliquod veterum sacrificiorum valuit, accõmodari potest.

Leuit. c. 4. 5. 6.

cum nouæ legis sacrificium, ad omnia prædicta sufficientissimum: cuius oblatione Deum externo latriæ cultu honoramus, supremúmque eius in nos & nostra dominium agnoscimus, & pro beneficijs naturæ ab eo acceptæ, ac deinde passione Christi ab æterna perditione redemptæ, gratias agentes, quotidianum veluti tributum persoluimus: ac insuper offensi numinis iram placare, peccatorum & pœnarum eis debitarum remissionem obtinere, pro quibuscunque acceptis beneficijs Deo gratias agere; aut quæcunque optata bona siue temporalia siue æterna, siue corporalia, siue spiritualia, siue pro fidelibus, siue pro infidelibus, siue pro nobis, siue pro aliis, siue pro absentibus, siue præsentibus, siue pro viuis, siue pro defunctis impetrare valemus. Nam cùm omnes veterum hostiarum differentias, vna Eucharistiæ oblatio contineat, sequitur, per huius sacrificij oblationem nos vniuersa consequi posse, pro quibus aliquando oblatum fuisse sacrificium aliquod legimus; & insuper huius sacrificij oblatione vti licere ad omnes eos vsus, ad quos aliquod veterum sacrificiorum valuit; ac rectè applicari ad omne illud, per quod, aut propter quod honoratur, laudatur, vel inuocatur Deus: proinde adhiberi iustissima ratione omnibus functionibus, ac operibus, potissimùm ad exordia nostrarum actionum, & ad maximas quasque res, siue priuatim, siue publicè gerendas. Si enim piè antiquitus in ipsa lege naturæ ac Mosaica operum humanorum auspicia in sacrificijs fiebant, conuenta & fœdera sacrificijs confirmabantur, ac ad omnia læta & tristia, tam pro viuis quàm defunctis adhibebantur sacrificia, necnon ad eorum oblationem solemnitates, certáque loca deputabantur, ad quæ populi congregationes fierent; quantò æquiùs Christiani, à quibus exigitur, vt omnia sua in Dei gloriam ac honorem faciant, hoc singulare laudis ac gratiarum actionis genus, quod summum humanæ seruitutis obsequium, eminentissimúmque latriæ cultum in se continet, omnibus suis actibus adiungent? atque ad mysterij huius celebrationem, (in qua verus Dei filius se corporaliter exhibere præsentem dignatur, ad hunc supremum latriæ cultum acceptandum) religiosissimè concurrent?

Cõc. Trid. sess. 22. can. 2.

Sacrificium ad actiones & quascunque vtiliter adhibetur.

Psalm. 60. Psam. 99. Psalm. 28.

Cap. XXI.

Christiani ad missæ sacrificium conueniunt, vt latriæ cultum Deo exhibeant.

Sicut in veteri testamento fideles templum Ierosolymitanum adire iussi sunt, ibíque vota & sacrificia sua offerre; ita per Apostolos fundata Christi Ecclesia, publica statim loca quædam ad offerendum sacrificium & diuini cultus gratia coëundum destinata fuère, vt ex actis Apostolorum, & 1. Cor. 11. patet. Cuius rei testis etiam Iustinus est, scribens prima sabbati cœtus omnium Christianorum ad preces & sacra mysteria fieri consueuisse. Vnde in Christianorum mores defluxit conueniendi ad sacrificium quotidianum sanctum studium, vt etiamsi populus à frequentiori communione sacramenti abstineat, necessarium tamen latriæ cultum per oblationem sacrificij Deo presbyterorum ministerio persoluere non desinat. Inde quoque mos dimanauit, vt omne munus hierarchicum,

Act. 20. Iustinus in fine apologiæ 2.

Cyril. li. 11. in Ioannem ca. 38. Leo ep. 79.

administratióque sacramentorum oblatione sacrificij perficeretur; vt de baptismo, confirmatione, sacerdotum consecratione, monachorum ac virginum sanctificatione, scribit Dionysius Areop. & ex antiquissimo Ecclesiæ vsu constat sacrificium exhiberi ad omnes congregationes publicas, & cùm ordimur aliquid, vel nouum vitæ statum ingredimur, aut de eo suscipiendo meditamur, cùm magistratum inimus, vel dignitatis gradu insignimur, dum matrimonium contrahitur, denique ad peregrinationes, itinera, pacta, dedicationes, anniuersaria, natalitia nostra vel aliorum, ac postremò ad omnia læta vel tristia, quoniam omnes actiones nostræ huius augustissimi sacrificij oblatione sanctificantur. Hinc etiam prædicationis munus inter ipsa missarum solennia fieri solet, quia fides & vitæ honestas, quæ concionum sacrarum fines sunt, potiùs sacrificio quàm sermone, animis hominum instillentur, & verbum docentis oblatione sacrificij adiutum gratiâ energiámque acquirat. Ideo pij omnes ingenti studio contendunt, vt quotidie summo manè, antequam operis quidquam aggrediantur, oblationi huius sacrificij interfint, missam faciendo, aut fieri procurando, vel saltem deuotè audiendo, sciētes, quòd in huius sacrapenti celebratione præcipuus Dei cultus, vitæque nostræ sanctificatio consistat, quódque ieiunia nostra, eleemosynæ, preces, ac in vniuersum omnes nostræ actiones huic diuino mysterio coniunctæ Deo acceptiores reddantur: quod Ecclesia per spiritum sanctum illuminata prospiciens, omne genus petitionis intra sacrificij missæ fines complexa est: Idque sapienter, cùm nullo alio externo sacrificio Deus iam summè coli velit, nisi hoc, quo fit commemoratio vniuersorū, quæ nobis Deus vel per se in creatione, vel per humanitatem filij sui in redemptione præstitit, quorum omnium diuinorum munerum cōpendium ac epitomem continet, sanctúmque inter Deum & hominem commercium statuit, ideoque inter omnia religionis officia nullum isto gratius est Deo, vel potentius, aut vtilius, quo nobis vel alios consulamus, passionisque Christi fructum applicemus. Nam cùm incruentum hoc sacrificium eandem hostiam quam Dominus in cruce obtulit contineat, illiúsque fructum communicet, pro quacumque re aut persona crucis sacrificium valuit, pro eâdem re aut persona missæ sacrificium offerri potest.

Li de Eccl. hierat. p. 1. c. 3. & parte 3. c. 6.

Sacrificium missæ diuinorum beneficiorum epitomen continet.

Sacrificiū ad omnia, læta & tristia rectè adhibetur.

Prædicatio verbi Dei inter missarum solennia vtiliter fit.

Aug ep. 59.

CAP. XXII.

Sacrificium Eucharistiæ propitiatorium esse.

QVod Eucharistiæ sacrificium ad placandum iratum Deum, remissionemq; peccatorū obtinendam valeat, ex Christi verbis patet: *Hic est sanguis siue calix sanguinis, qui pro vobis funditur in remissionem peccatorum.* Quibus sanè verbis perspicuè ostenditur, quòd sanguis non solùm in cruce, sed sicut in calice contentus erat pro peccatis funderetur, & per noui testamenti sacerdotes, quibus dicebat Christus: *Hoc facite*, simili incruento ritu deinceps vsque ad seculi finem pro remissione peccatorum offerretur. Cui accedit, quòd *omnis Pontifex ex hominibus assumptus constituatur in eis, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Quamdiu verò nondum plena peccati remissio facta est, tamdiu pro peccatis opus est hostia: vbi autem horum perfe-

Cyril. cate. mystag. 5.

Hebr. 5.

cta erit remissio, ibi iam non est oblatio pro peccato. Cum itaque inter noui testamenti promissiones, vna sit de remissione peccatorum, & Christus vsque ad seculi finem suos orare docuerit: *Dimitte nobis debita nostra*, requisitu, Eucharistiæ sacrificium vsque ad mundi terminum rectè pro peccatis offerri. Denique in lege naturæ Iob pro filiorum & amicorum peccatis sacrificium obtulit, atque in veteri lege varia pro diuersis peccatis sacrificia instituta fuisse legimus, quæ omnia huius vnius sacrificij figura extiterunt, in quo vera omnium sit remissio peccatorum. At sicut crucis sacrificiū, quod eminenter propitiatorium est, non impediuit, quò minùs vetera illa sacrificia suo modo propitium Deum redderent; ita nec impedit, quò minùs sacrificium Eucharistiæ (quod eandē cum sacrificio crucis hostiam, expressiorémq; multò passionis dominicæ commemorationem continet) Deum peccatis offensum reconciliet. Vnde in omnibus antiquis liturgiis incruentum sacrificium pro peccatis offertur: ac disertè Martialis sacrificio isto mortem fugari, vitámque præstari asserit; Origenes verò Deum hominibus propitium facere. Cyrillus Hierosolym. catechesi mystagogica 5. propitiationis hostiam vocat, Ambrosius hostiam salutarem. Chrysostomus ait, sacerdotem deprecari Deum, vt omnium hominum peccatis fiat propitius. Hieronymus addit, quotidie pro suis populiq; peccatis Episcopum Deo illibatas offerre victimas. Augustin. scribit, in nostro sacrificio veram peccatorum fieri remissionem, ac in Ecclesia pro peccatis vsque ad diem iudicij offerri, & pro non valdè malis propitiationem esse. Greg. *hac victima*, inquit, *singulariter animam ab æterno interitu liberat*. Beda; *sacrificium hoc saluatare ad redemptionem valet animæ & corporis sempiternam.* Quare cum Concilio Tridentino fatendum est, incruento sacrificio virtutem passionis Christi applicari in remissionem peccatorum, quæ à nobis quotidie committuntur: & quòd hac oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedat, crimináque & peccata etiam ingentia dimittat.

Heb. 10. Hier. 31.

Iob. c. 1. & vlt.

Leuit. 4. 5. 6.

Aug. q. 57 in Leuit. Leo serm. 8. de pass.

Martialis in epist. ad Burdegalen.

Origines hom. 13. in Leuit.

Testin. dial. cū Tryphone. Ambr. li. 1. off. ca. 48. & in exhortatione ad vir.

Chrysost. li. 6. de sacerdotio.

Hier. 1. ca. ad Titum

Aug. q. 57. in Leu. & li. 20. de ciuit. 25.

Enchi. c. 110.

Greg. lib. 4. dial. c. 58.

Beda lib. 4. hist. gentis c. 22.

Cōc. Trid. sess. 22. c. 1. & 2. atque can. 3.

Cap. XXIII.

Eucharistiæ sacrificium impetratorium esse.

Sicuti pro dimittendis peccatis, ita & pro auertendis necessitatibus ex peccato exortis, ac quibuscumque rebus, pro quibus Deo preces fundere licet, impetrandis, hoc sacrificium valet. Nam si vetera sacrificia pro auertenda peste, pro temporali vita Heliodori, & Darij ac filiorum eius offerri vtiliter potuerūt; quantò magis sacrificium hostiam longè digniorem acceptiorémque continens, omnia illa impetrare poterit? Vnde Apostolus in publicis Ecclesiæ precibus orationes fieri vult *pro Regibus et omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus*. Cuius præceptum sequuti Christiani, pro salute Pontificis, Imperatoris, Regum & principum, militum, sociorum, ægrotorum vel afflictorum, & vniuersim pro omnibus, qui auxilio egent, in publico Missæ sacrificio precantur. Similiter & pro copia frugum terræ, pro salute ac incolumitate tam hominum quàm pecorum, imò & pro liberatione captiuorum, vel personæ, aut domus, aut stabuli à vexatione dæmonum. Est enim sacri-

2. Reg. vlt. 2. Mach. 5. 1. Esdræ 6.

1. Timot. 2. Sacrificium pro rebus omnibus vtiliter offertur, vt pro quibus rectè oramus.

Cyr. catechesi mystagogi ca. 5.

Chrys. ho. 18 & 21. in acta.

Aug. li. 22. de ciui c. 8.

Prosper de prædict. ca. 6.

Greg. hom. 37. in Euāg.

Beda in hist. angli. lib. 4.

ficium realis quædam oratio, & validissimum precādi genus pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, vniuersisque tam naturæ quàm gratiæ, tam corporis quàm animæ donis.

CAP. XXIV.

Pro quibus personis Eucharistiæ sacrificium offerri possit?

SEx hominum genera sunt. Alij enim viuunt: alij defuncti sunt. Viuentium quidam sunt iusti, quidam peccatores: & hi quidem duplices: fideles scilicet atque infideles. Eorum verò qui ex hac vita migrarunt, quidam sunt in cœlo, alij in purgatorio, nonnulli æternis addicti supplicijs in inferno. Pro vniuersis in hac mortali vita de gentibus offerri posse indubitatum est. Nam pro Catholica Ecclesia propaganda, vnienda, exaltanda, purgandáque oramus; proinde directè pro fidelibus: indirectè autem pro infidelium, schismaticorúmque conuersione; ac nulla accedente Ecclesiæ prohibitione licet pro illis omnibus offerre, pro quibus in cruce se Dominus obtulit. Portò iustis ex causis Ecclesia constituit non offerri publicè ac nominatim pro excommunicatis, cùm publica illa commemoratio nominis ad altare ad honorem & communia suffragia pertineat, quibus priuantur excommunicati, vt confusi resipiscant. Dum tamen pro augmento, vnitate ac pace Ecclesiæ omniúmque errantium conuersione oratur, etiam pro excommunicatis indirectè offertur.

Pro dāmatis siue adultis siue paruulis offerre non licet.

Quoad mortuos verò, cùm ex inferno nulla sit redemptio, & damnati irreparabiliter à spe salutis excederint, ita vt nec membrà Christi sint, nec fieri vlteriùs possint, pro illis offerre non licet, ne quidem pro paruulis absque baptismo defunctis, vt ex professo contra nonnullos talia sentientes confirmat Augustinus. Chrysost. addit: *catechumenos defunctos sacrificij solatio non dignamur.* Quod Concilium Bracarense 1. ca. 35. suo decreto confirmauit.

Pro defunctis autem in purgatorio detentis offerendum esse sacrificium, scriptura docet: *Sancta et salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*; vbi vetustissimam à maioribus acceptam orandi pro fidelibus defunctis consuetudinem scriptura sacra commendat; eandémque postea Christus approbauit, & Apostoli obseruandam esse, vniuerso terrarum orbi tradiderunt. Iuxta quorum doctrinam in omnibus liturgijs Ecclesia generalissimâ obseruatione pro defunctis orat. Quem orandi morem Apostolos sanxisse, veteres disertis verbis asserunt: *Non temerè*, ait Chrysost. *hæc ab Apostolis sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur memoria, sciunt enim, illis multum inde contingere lucri, multum vtilitatis.* Hinc Monica B. Augustini mater, sollicitè rogauit, pro se defuncta frequentem ad altare sui memoriam teneri; cuius voto satisfactum esse narrat Augustinus. Adhæc librum de cura pro mortuis gerenda ex professo conscripsit, quo hæresim prædamnatam Aërij, negantis esse offerendam pro defunctis, confutat, cuius etiam Epiphanius meminit.

2. Mach. 12. Sacrificium animabus in purgatorio existentibus prodest.

Hom. 69. ad Antioch. hom. 3. ad Philip. ho. 41 in 1. ad Cor.

Præterea autem luculentissima scripturarum, conciliorum, omniúmque Ecclesiasticorum scriptorum testimonia, satis antiquitatem huius sanæ fidei commonstrant vetustissimæ fundationes templorum, canonicatuum, altarium, monasteriorū; collegiorum, beneficiorúmque po-

minibus variis appellatorum, non mili inde promanantes, quòd spiritibus defunctorum prodesse sacrificium Ecclesiæ creditum sit. Hinc Constantini Magni donatio, Dagoberti Regis Francorum in omnes celebriores Basilicas villarum distributio, ex lege, vt sui memoria in illis, tribus in hebdomada diebus fieret, ac pro animæ suæ remedio sacrificium salutare offerretur. Quem in pari fide ac munificentia imitatus Carolus Magnus, thesauros suos partim in vigiliti & vnam Metropolitanas Ecclesias, earúmque suffraganeas; partim in hæredes, domesticos, & pauperes (Eginhardo teste) distribuit. Nec dissimiles alij Christiani Imperatores, Reges, & Principes Ecclesiam ad eum splendorem, quem hodie conspicimus, perduxerunt, iuxta Isaiæ vaticinium: *Lac gentium suges, & erunt Reges nutritij tui.* Ac obseruatione dignissimum est, quòd quanto liberaliores in Ecclesiam Principes seculi fuêre; tanto magis opibus, honoribus, & virtutibus abundauerint: sicut econtra, quotquot iura, libertates, aut bona Ecclesiæ inuolarunt aut diminuerunt, egestate ac ignominia laborarunt, vt de Chilperico Rege narrat Gregorius Turonensis: de Henrico octauo Angliæ Rege, qui omnia Ecclesiarum Angliæ bona vsurpauit, Nicolaus Sanderus. In quibus adimpletum est: *Honorantes me honorificabo: qui autem contemnent me, erunt ignobiles.*

Isa. c. 49. & 60.

De schismate Anglicano.

1. Reg. 2.

De beatis superest vt exponamus, quomodo in eorum honorem sacrificium offerri possit, cùm nefas sit illis constituere templa, erigere altaria, offerre sacrificia, quæ soli Deo creatori debentur. Augustinus frequenter hac de re differens, monet, quod licet in honorem & memoriam, ac apud memorias sanctorum dicantur sacra, non tamen illis sacrificium offerri; sed Deo soli, qui illos coronauit, cui de illorum victorijs gratias agimus, eorúmque patrocinia imploramus, vt ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris, tum vt sanctorum communionem, ipsósque ad eandem corporis Christi mystici compagem nobiscũ pertinere testemur, ac postremò, vt nos ad eorum imitationem, similiúmque coronatũ spem ex eorum memoriæ recordatione cohortemur. Ad singularem enim sanctorum honorem spectat, quòd suo loco & ordine Domino præsente in sacrificio nominentur, vt obseruarunt Chrysostomus, Augustinus, & Beda, qui refert, Petrum ac Paulũ cuidam apparuisse, missásq; in die Sancti Oswaldi Regis offerri iussisse. Quo mos cum honore & exultatione nominandi sanctos in tremendo Eucharistiæ mysterio ob initio Ecclesiæ vsitatus fuit, vt ex omnibus liturgijs patet, in quibus Patriarcharum, Apostolorum, & Martyrum fit mentio, vt Deus orationibus illorum suscipiat preces nostras. Cuius etiam rei testes sunt Martialis, Cyprianus, Epiphanius, Cyrillus, Chrysostomus, Augustinus, Beda, & alij. *Ideo* (ait Augustinus tract. 84. in Ioannem) *ad ipsam mensam martyres commemoramus, non vt pro eis oremus, sed magis vt ipsi orent pro nobis. Iniuriam* enim, *facit martyri* (ait idem serm. 17. de verbis Apostoli) *qui orat pro martyre.*

Chrysost. hom. 21. in acta & 25. in Mat. & hom. 2. in 2. ad Cor.

Aug. lib. de sancta virg. c. 25. lib. 22. de ciu. c. 10. Beda li. 4. c. 14. hist.

In honorẽ sanctorum quomodo sacrificium offerre liceat.

Cap. XXV.

Vnde Missæ sacrificium vim operandi habeat.

FRuctum istius sacrificij plenius intelliget, qui vnde suam vim

habeat, perſpexerit. Quædam enim actiones, vt preces noſtræ, ieiunia, eleemoſynæ, ceteraque virtutum opera (vim ac valorē ſuum ex operantium qualitate ſortiuntur; Deo enim placent propter fidem, charitatem, deuotionem, atque iuſtitiam operantium; ſicut Abelis ſacrificiū placuit, Cain verò diſplicuit. Aliæ verò actiones vim operandi habent ex Chriſti voluntate & inſtitutione, independenter à miniſtri operantis bonitate, merito, fide, aut deuotione, vt Sacramentales operationes, in quibus principalis operans eſt Deus, qui etiam per malos miniſtros proprium Sacramentorum effectum, producere non ceſſat, ſuæ inſtitutionis ac promiſſionis rationē habens potiùs, quàm virtutis inſtrumenti, aut qualitatis miniſtri. Inter cuiuſmodi actiones ſacrificium Euchariſtiæ contineri Malachias oſtendit, in omni loco mundam fore hāc oblationem prænuntians; quia nulla offerentium indignitate contaminari queat. Semper enim iſta hoſtia in ſe ſancta, Deo placens, illibata permanet, eiúſque oblatio à Chriſto ſempiterno ſacerdote principaliter (quamuis ſacerdotis mali externo miniſterio) facta propitio effectu non deſtituitur, qui eſt, impetrare remiſſionem pœnæ temporalis, & auxilium gratiæ præuementis. Proinde non eſt curiosè indagandum, an bonus, an malus, an ſanctior hic quàm ille ſacerdos exiſtat, cùm non ab eius deuotione nec ſanctitate pendeat ſacrificij proprius effectus, ſed ab hoſtiæ & offerētis Chriſti dignitate, qui ſemper exauditur pro ſua reuerentia.

Genes. 4.

Malach. 1.

Sacrificium ex opere operato effectum producit.

Chryſ. ho. 62. ad Antioch.

Operatur autem hoc ſacrificium non immediatè primam iuſtificationem, vt Baptiſmus aut Pœnitentia; ſed impetrando, vt hominibus detur gratia, donum contritionis atq; pœnitentiæ, aliaque ad ſalutem conducentia. Vnde neceſſariò aliquam in eo, pro quo vtiliter offertur, diſpoſitionem prærequirit, cùm pro infidelibus, obduratis, ſummiſque peccatoribus rectè offeratur.

Cōc. Trid. ſeſſ. 22. c. 2. Sacrificium non operatur proximè primam iuſtit. ſed impetrando pœnitentiæ contritionisque donum.

Sed emergit hîc ſcrupulus, quomodo miſſæ ſacrificiū ex opere operato infallibiliter ſuum effectū producat, cùm non ratò videamus pro infidelibus, & beneficijs temporalibus aut ſpiritualibus offerri, & nullum effectum conſequi? RESPONDEO, ſacrificium pro peccatoribus aut infidelibus oblatum, impetrare nouūaliquod à Deo auxilium, quo ad pœnitentiam conuerti poſſent, in quibus tamen pro varia hominum diſpoſitione, liberique arbitrij cooperatione diuerſimodè operatur, ſuúmq; effectum non ſemper confeſtim, ſed oportuno tempore producit: ac inſuper, ſi temporale bonum, quod optatur, quandóque non præſtet, quia forſitè ad beatam vitam obtinendam non conducat, melius tamen aliquid à Deo Patre miſericordiarum impetrat.

CAP. XXVI.

Vtrùm miſſæ ſacrificium limitatum habeat effectum an infinitum?

QVamuis Euchariſtiæ ſacrificium reidem ſit cum ſacrificio crucis, eandem continens hoſtiam, idémque Chriſtus per miniſtros offerat; attamē valor & effectus miſſæ limitatus eſt, ideóque non ſolùm pro variis rebus, ſed etiam pro eâdē impetranda plures miſſæ celebrari poſſunt. Cur autem ſacrificium crucis vnicū infiniti valoris, ad omniaque impetranda ſufficientiſſimum potiùs ſit, quàm Euchariſtiæ ſacrificium, complures ſunt rationes.

Eucharistici sacrificij effectus limitatus est.

Prima est, quoniam in cruce Dominus offerebatur in propria specie, ac patiebatur secundùm esse naturale; hìc verò Sacramentaliter: Deus autem omnem effectum Sacramentalem secundùm ordinem suæ prouidentiæ determinatum esse voluit: per Baptismũ enim & Eucharistiam non totum passionis Christi effectũ haurimus, sed certum, & pro instituentis voluntate definitum; ita & per oblationem Christi in Eucharistia, tanquam per Sacramentum instrumentale, circumscriptum passionis Christi fructum consequimur. Nec mirum, cùm & ipsum crucis sacrificium, quod in se infiniti valoris est, non nisi finitè suum effectum nobis applicet, idque per Sacramenta, & varia virtutum genera & officia.

Secunda ratio ex parte offerentis est, quoniã oblatio crucis erat actio immediatè promanans à persona Filij Dei, ac proinde infinitè grata: oblatio verò Christi in Eucharistia, actio est ministri in persona Christi. Quamuis autem petitio legati, nomine sui principis facta plus valeat, quàm si proprio nomine fieret, attamen longè præualet ore principis deprompta postulatio.

Tertia ratio est, quoniam congruentissimum fuit diuinæ sapientiæ, relinquere suæ sponsæ quotidianum Dei cultum, qui sacrificio defertur: non debuit proinde vnica Sacramentalis oblatio ad omnia sufficere, sed potiùs decuit, singulas oblationes certam fructus passionis Christi mensuram applicare, definitámque gratiæ atque satisfactionis portionem ex opere operato vnicuique idoneo æqualiter conferre, ita vt hic valor taxatus ministri malitiâ vel deuotione nec crescat nec decrescat. Ex opere enim operantis solus accidentarius sacrificij fructus maior aut minor esse potest.

Vtrum sacrificiũ pro multis oblatum singulis minùs prosit.

Ex quibus nascitur quæstio, vtrũ missæ sacrificiũ singulis minùs prosit, si pro multis offeratur? Respondeo, vnum & idem sacrificium, cuius definitus est valor, pluribus communicari posse, sic tamen, vt ad impetrandum vel satisfaciendum minùs singulis prosit pro multis oblatum, quàm pro vno tãtùm, non secus quàm oratio specialis vni applicata, eidem plus conducit quã generalis. Nam alioqui frustra in particulari pro seipso vel amico sacrificium fieri quis procuraret. Nec habenda singularis memoria esset in sacrificalibus precibus Regum, Prępositorum, aliorúmque, qui in sublimitate positi sunt. Superuacaneũ insuper foret studium fidelium, quo speciatim pro se offerri, atque nominatim in memoriali sacræ actionis constitui, eleemosynis piissimè in cum finem derelictis satagunt; vt contra Vviclefum, speciales orationes non plus quàm communes prodesse asserentem, olim definitum est. Vnde sequitur, diuersarum missarum fundationibus vnico sacræ oblationis officio minimè satisfieri, quando fundatores pro seipsis aut certis causis vel personis speciatim offerri constituerunt; quod rectè ordinari posse constat ex Apostolo, qui sacrificales orationes cùm pro omnibus, tum pro specialibus personis fieri præscripsit. Quod & in omnibus liturgijs obseruatur, in quibus primùm oratur pro Ecclesia Catholica, deinde pro Pontifice, Episcopo, Rege, vel Principe, ac demum nominãtur illi, quibus speciali offerentis intentione sacrificij fructus applicatur. Sic Apostolus ad Ephesios præter communes Ecclesiæ preces orari pro se petijt: *Orate*, inquit, *pro omnibus sanctis & pro me.* Actor. 12. vniuersa Ecclesia orabat pro

Conc. Cõstant. sess. 8. in condem. art. 19.

Synod. Cãtuar. concl. 19.

Th. Vvald. Sacramentalibus c. 105.

1. Tim. 2.

1. Tim. 2.

Ad Eph. 6.

pro Petro in carcere detento. Similiter in veteri lege sacrificium oblatum fuit pro vita Darij & filiorum eius, ac pro salute Heliodori.

CAP. XXVII.

Vtrùm plures missæ vno die ac loco rectè celebrentur.

CVm nullus præstantior, Deóque acceptior, vel hominibus vtilior cultus exhiberi queat, sacrificij oblatione, nihilque à Christo definitum sit de numero, sed Ecclesiæ præpositis commissum, vt pro fidelium commoditate, ac temporum varietate disponerent, quoties mysterium hoc perageretur; iustissima ratione fideles non vna communi missa contenti, plures eodem loco ac die fieri procurauerunt. Ac initio quidem Ecclesiæ, dum rarior esset presbyterorum numerus, toties sacrificium iterabatur, quoties basilicam præsentia nouæ plebis impleuerat, vt ex B. Leone cõstat. Nec posse culpari quotidianam missam, ex Daniele patet, qui iuge sacrificium eam nuncupat, quia iugiter & quotidie celebrari debeat, sicut Cassiurn Narniensem Episcopum quotidie celebrasse D. Gregorius refert. Et omni die Christum in Sacramento populis immolari dicit Augustinus. Chrysostomus quotidie suo tẽpore oblatum fuisse testatur, & Hieronymus ait, sacerdotes quotidie pro suis & populi peccatis offerre. Hippolytus Christum in die iudicij loquentem inducit: *Venite Pontifices, qui pretiosum corpus meum quotidie immolastis:* Andream agnum immaculatum quotidie sacrificasse, passionis eius historia continet: ac demum Apostolos ipsos perseuerasse in oratione, panisque benedicti fractione Lucas tradit.

Leo epist. 82. c. 2. Dan. c. 12.

Greg. hom. 37. in Euãg. Aug. ep. 23 Chrys. ho. 3. in epist. ad Ephes. Hier. in 1. c. ad Titum Hippolytus in oratione de Antichristo.

Licet autẽ plures è diuersis sacerdotibus oblationes eodem die fieri possint; nemo tamẽ vno die nisi vnũ sacrum celebrare debet, excepto die Natiuitatis Christi, in qua sacerdoti ter sacrificare Telesphori decreto permittitur, aut nisi rationabilis necessitas vrgeat casus exprimit Nauarrus in Enchiridio c. 25. n. 87.

Greg. hom de natali.

Porro quòd in primitiua Ecclesia sæpius eodem die ac loco celebrata sint mysteria sacra, ex multitudine sacerdotum in vna ciuitate, ac altarium in vno templo demonstrari potest. Eusebius enim testatur, Cornelij tempore 40. Romæ presbyteros fuisse, quorum multi quotidie sacra fecerunt. Ambrosius in vna Basilica plura fuisse altaria commemorat, in quæ Arianos irruisse scribit. Gregorius in vna Ecclesia tredecim extitisse altaria refert. Leo monet Dioscorum, vt Alexandriæ Romanus ritus de iterando eodem die sacrificio seruetur. Prosper intra paucas horas bis vno in loco sacrificium fuisse oblatum affirmat. Beda lib. 4. historiæ Anglic. capite 14. Apostolorum iussu, in die sancti Osuualdi Regis missas per omnia monasterij oratoria celebratas fuisse memoriæ tradidit.

Euseb. li. 9. hist. c. 33.

Ambros. epist. 33.

Greg. lib. 5. epist. 50.

Leo epist. 81.

Lib. de prædict. c. 6.

CAP. XXVIII.

Vtrùm missa, in qua sacerdos solus communicat, vel quæ absque populi conuentu celebratur, illicita sit?

QVod immeritò sectarij missas fugillent, quæ absque populi conuentu fiunt, ac in quibus Sacramentaliter communicant, ex eo intelligi potest, quòd sacrificium Deo pro tota Ecclesia, quæ in terris vel in cœlis aut in purgatorio est, à pu-

Cõc. Trid. sess. 22. c. 6. & canon. 8.

blico ministro offeratur, qui non ad præsentes, sed ad Deum actionem suam dirigat. Proinde nihil ad sacrificij naturam interest, an plures, an pauci, vel nulli oblationi sacerdotis
Deut. 6. & 7. interfint, aut hostiæ participent. Nã in veteri lege ex holocausto, & hostia pro peccato nihil sumebatis, pro quo sacrificabatur, cui tamen sacrificia illa profuisse, certum est. Nam sacrificium ei pro quo fit, prodest, quamuis nec absit, nec quid agatur, noverit. Est enim realis quædam efficacissimáque oratio, ne quidem præuiam dispositionem requirens, cùm præueniens auxilium, nec non temporalis pœnæ condonationem, etiam immutata remanente hominis voluntate, impetret. Quare vsu receptum semper fuit, vt non solùm in publicis populi conuentibus, sed etiam in priuatis oratorijs, absque populorum concursu pro sacerdotis deuotione & commoditate sacrificium offerri posset; in quo Domini exemplum fideles imitati sunt, qui primum noui testamẽti sacrificium in priuato domo celebrauit, nec non
Matth. 26. Apostoli circa domos panem fregerunt, ac denique sanctissimi Pontifi-
Actor. 2. ces & Episcopi persecutionis tempore, non in domibus tantùm priuatis, sed etiam in speluncis & cryptis sacra fecerunt; imò in carcere suo ipsius pectore pro altari vsi sunt,
Niceph. li. 8. hist. c. 31. vt de sancto Luciano refert Nicephor. Ac in exiguis Monachorum cellulis extructa fuisse oratoria, in quibus sacrificaretur, testis est Sozomenus, de Gregorio Nazianzeno loquens. Paulinus in vita beati Ambrosij narrat, ipsum in domo cuiusdam clarissimæ fœminæ, rogatum ab eadem sacrificium obtulisse: Augustinus quendam è suis presbyteris in domo rustica sacrificasse, D. Gregorius in domo Venantij Patricij missas celebrari permisit, ac Episcopum Cassium morbo impeditum in oratorio missas fecisse scribit; ac lib. 4. epistola 43. ad Castorium, prohibuit missas publicas in monasterio fieri, nein secessibus Dei seruorum conuentus populares fierent. Hinc Damascenus in historia Barlaam eum in cellula sua offerre solitum dicit.

Missa absque populi conuentu & communicatione celebrata potest.

Ex quibus cuidens est, non esse improbandas missas, quæ in monasterijs, sacellis, vel oratorijs, absque populi conuẽtu celebrantur. Quod verò nec alterius cum sacerdote cõmunicatio necessaria sit, ex eo patet, quòd antiqui patres quotidie offerentes, grauiter conquerantur de fidelium tepiditate, qui solùm in anno semel communicabant. *Frustra* (inquit Chrysostomus,) *habetur quotidiana oblatio, cùm nemo sit, qui simul participet:* & Ambrosius: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis?* sicut in oriente Græci facere consueuerunt. Ac postremò multa sacra pro causa singulari fiũt, vt pro matre Augustini, corpore præsente, ac pro liberanda domo rustica malignorum spirituum vexatione; in cuiusmodi sacris non est verisimile, quemquam præter sacerdotem communicasse.

Basil. in Psal. 115. Cyprian. Optatus Augustinus.

Quando autem veteres scribunt, vnicum esse altare, vnicúmque Ecclesiæ sacrificium, nihil aliud intendunt significare, quam vnicum esse in Ecclesia publicum sacerdotium, vnum & eundem offerendi ritum, eandem apud omnes catholicos doctrinam, vnam Christi hostiam, omnibus fidelibus, opulentis & egenis, nobilibus & ignobilibus esse communem hoc est, apud omnes fideles esse cõcordiam animorum, rituum, & dogmatum; apud hæreticos autem tot esse altaria, quot schismata, tot dogmata quot capita: non enim sibi consentiunt, sed diuersa conuenticula faciunt, nec inter se tantùm

Vnũ altare significat cõcordiam animorum, rituum & dogmatũ.

non consentiunt, verùm etiam idem hæresiarcha secum pugnat, placitaque sua subinde commutat.

CAP. XXIX.

Vtrum linguâ vernaculâ celebranda sit Missa?

Cum sacrificium Deo fiat, non est necesse linguæ populo nota fieri.

CVm sacrificium primario fine non ad populi institutionem, sed ad cultum Deo exhibendũ, gratias agendas, beneficiáq; hominibus impetranda fiat; nec in sermone, sed in actione consistat, quæ in seipsa plurimùm valeat, siue absentibus siue præsentibus, intelligentibus, & non intelligentibus, adultis ac paruulis, surdis & mutis, imò viuis & mortuis; ac insuper benedictionis verba non ad populum, sed ad elementum consecrandũ, & ad Deum, qui omnes linguas intelligit, dirigantur; perspicuum est, nihil interesse, an populus offerentis verba intelligat, necne: imò in veteri testamento sacrificium non verbis, sed actione sacrificali, & aliquando solo Pontifice in sanctuario existente, foríssque populo expectante, absoluebatur. Quare meritò Tridentina synodus eos, qui dicunt, tantùm lingua vulgari missam celebrari debere, anathemate ferit. Non enim absque mysterio titulus Crucis scriptus est Hebraicè, Græcè, & Latinè, sed diuina prouidentia significatum est, nobiliores illas tres linguas, Christianæ religioni consecratas esse. Cùm verò non sit necessarium, verba offerentis à circumstantibus intelligi, consequitur, ad reuerentiam tanti mysterij piè institutum esse, vt consecrationis verba submissâ voce proferantur. Christus in vltima cœna intelligibili voce quidem vsus est, non quia ad offerendum Deo esset necessarium, sed quoniam tunc Apostolos sacerdotes, certúmque consecrandi ritum instituebat, quem Apostolos audire oportebat, vt retinerent, ac postmodum eadem mysteria in Dominicæ mortis commemorationem celebrarent, quæ non tam verbis, quàm reali oblatione sanguinis & corporis Christi, Augustino teste, fit. Apud Græcos verba benedictionis alta voce recitari solent, & populus, Amen, respondere. Cuius ritus meminit Eusebius lib. 7. hist. c. 9. Chrysost. hom. 18. in posteriorem ad Corinth. Iustin. Nouella constit. 123.

Aug. li. 20. cont. Faust. c. 18.

Leuit. c. 16. Luc. 1.

Sess. 22. can. vlt.

Tres linguæ religioni Christianæ consecratæ sũt.

CAP. XXX.

De missæ ritibus.

Per corporales ceremonias ad rerum spiritualium intelligẽtiam assurgimus.

QVia vt plurimũ homines absque externis adminiculis ad rerum spiritualium intelligentiam, ac meditationem haud assurgunt, sapienter Ecclesia oblationi Eucharistiæ varios ritus adiunxit, quibus tam augusti sacrificij maiestatem commendaret, per quam fideles ad contemplationem rerũ diuinarum in eo sacrificio latentium, per huiusmodi visibilia religionis pietatísque officia excitaret. Sunt autẽ multiplices ceremoniæ omnes piæ & antiquæ, ex Apostolica disciplina, Pontificúmque veterum traditione ad nos perductæ. Quædam earum à persona sumuntur, vt sacræ vestes; nonnullæ à loco, vt templa, altaria, vasa sacra, calix, discus, corporalia, lumina, mysticæ benedictiones, thymiamata; quædam à tẽpore ducuntur, vt quòd Dominicis festísq; diebus potissimũ solemne sacrificium celebretur, & ante meridiem; cibúmque omnem; & harum aliquæ in rebus ad sacrificium prærequisitis

consistunt; aliæ in actione, & inter sacrificandum adhibentur; de quibus ordine breuiter differemus; ac primùm de vestibus sacris.

Cap. XXXI.

De vestibus sacris.

Vestes reuerentiam conciliant; potestatis eminentiam ostendunt, Christi pass. ad memoriam reuocant, ac officij admonent offerentem.

QVemadmodum seculi magistratus in publicis actionibus augustiore vestitu, certisque insignibus vti solet, vt ea ratione potestati reuerentia & authoritas conciliet-tur, ipsáque potestatis eminentia commendetur: ita conuenit, vt sacerdos in publica totius Ecclesiæ actione, sacro peculiarique habitu induatur, cùm ad mysterij reuerentiam, tum ad Christi passionem repræsentandam, simúlque ad ministri doctrinam, vt ex habitu intelligat, quibus virtutum ornamentis armari debeat, vt diabolum vincat, Deumque sibi ac populo propitium reddat. Et quoniam à Pontifice & sacerdote Christianorum abundantior iustitia exigitur, quàm à sacerdote Iudæorum: ideò plura sacerdotis nouæ legis quàm veteris sunt vestimenta.

Exodi 28.

Sex porrò indumenta Episcopis & presbyteris communia reperiuntur: scilicet *Amictus*, *Alba*, *Zona*, *Manipulus*, *Stola*, & *Casula*. Nouem verò Episcopis sunt peculiaria: videlicet *Caligæ*, *Sandalia*, *Succinctorium*, *Tunica*, *Dalmatica*, *Chirotheca*, *Mitra*, *Annulus*, & *Baculus pastoralis*, cui *Sudariũ* additur. Amictus, quo caput obuelatur, designat Christi humanitatem, sub qua Diuinitas latuit, iuxta illud Apocalypsis 10. *Vidi Angelum Dei fortem amictum nube*, id est, Christi diuinitatem occultatam in carne. Typum etiam amictus gerit velum, quo ab irrisoribus in passione Christi facies velata fuit, Matthæi 26. *Alba* significat innocentiam puritatémque vitæ in finem vsque conseruandam esse, iuxta illud Ecclesiastici 9. *Omni tempore vestimenta tua sint candida*; & insuper vestem albam, qua Dominus ab Herode illusus fuit, repræsentat. *Cingulum* adumbrat Christi vincula & flagella, & castimoniam, qua mordinati affectus constringuntur, ne motibus diffluant, iuxta illud Lucæ 12. & Apostoli: *Succincti lumbos mentis vestræ state*. *Stola* obedientiam Christi vsque ad mortem figurat, & Sacerdotis patientiam; qua iugum atque crucem Domini, subditorúmque infirmitates ac peccata, & prospera vel aduersa magnanimiter portare, seipsúmque abnegare debet, vt obedientiâ saluetur, sicut primus parens inobedientiâ periit. *Manipulus* spem retributionis innuit; geritur autem in sinistro brachio, quoniam in hac vita per sinistram figurata seritur, vt in futura vita per dextram adumbrata metatur, iuxta illud: *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua*, & Canticorum 2. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Repræsentat quoque nobis manuum Christi vincula. *Casula* significat charitatem omnia peccata operientem, vestémque nuptialem, de qua Matthæi 22. Repræsentat etiam purpureum vestimentum, quo milites Christum induerunt, & quinque partes, quæ Casulæ assignantur, quinque Christi vulnera. Episcoporum *calcei vel sandalia* significant affectus minuendos ac mortificandos exemplis Christi ac sanctorum, ne terreno puluere contaminentur: ac repræsentant Dei Filium mortali carne indutum, vt pro nobis sacerdotio fungeretur.

Matth. 26. Alba.

Luc. 21. Cingulum.

Ephes. 6. Stola. Philip. 2.

Matth. 11. Luc. 9. Manipulus.

Psal. 15.

Casula.

Quid significat amictus.

Psalm. 69. iuxta illud Psalmi: *In Idumeam extendam calceamentum meum*, id est, gentibus notam faciam incarnationem meam. Præterea Episcoporum sandalia significant, quòd ad eorum officium propriè spectet, Christi incarnationem & doctrinam Euangelij populis annuntiare, & ad visitandum subditas oues discurrere. In veteri lege Pontifex oblaturus calceis non vti iubetur, tum quia tunc Christus nondum esset incarnatus, tum quia sacerdotium illud carnale felicitati terrenæ subseruiebat.

Caligæ. *Caligæ* vsque ad genua protensæ, quibus Episcopi vtuntur, figurant, quòd gressus rectos ac firmos habere, nec in vita claudicare, sed quòd verbo prædicant, opere complere debeant.

Succinctorium. *Succinctorium* eminentissimam castitatem in eis præ aliis requiri monet.

Tunica. *Tunica*, qua Episcopus super Alba induitur, Christi inconsutilem tunicam repræsentat, vitæque innocentiam in Ecclesiæ vnitate conseruandam esse admonet.

Dalmatica. *Dalmatica*, qua super tunica Episcopus vtitur, designat misericordiam & liberalitatem imprimis Episcopo necessariam, vt non turpis lucri cupidus, sed hospitalis sit.

Chirotheca. *Chirothecis* deinde manus tegit Episcopus, vt admoneatur opera bona facere, non vt ab hominibus videatur; & ad præcedentium sanctorum exempla mentis oculos dirigere, ac simul vt repræsentet Christum hœdinas pelles, id est, carnem, peccati similitudinem habentem, ad impetrandam humano generi Patris cælestis benedictionem induisse, iuxta typum, qui in Iacob præcesserat.

Gene. 27. Mitra. *Mitra* deinde Episcopi capiti imponitur, qua monetur, omnes sensus à mundi illecebris custodire, vt æternæ vitæ coronam percipiat; ac insuper Christum exhibet spinea corona capiti imposita sacrificaile in cruce, sed postea tamen gloria & honore circundatum, nomenque ei super omne nomen datum esse. Porrò duo mitræ cornua designant duo charitatis præcepta, quibus coronam meremur; & duorum testamentorum scientiam, qua Episcopus tanquam duobus cornibus contra Ecclesiæ hostes armari, ac suo tempore noua & vetera de hoc thesauro proferre debet.

Matth. 13. Annulus. *Annulus* denotat, Episcopum eius esse vicarium, qui Ecclesiam sibi desponsauit; proinde quòd illam tanquam seipsum amare, castam, & in fide ac moribus integram cælesti sponso custodire teneatur, iuxta illud Apostoli: *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.*

2. Cor. 10. Annulum Pater filio pœnitenti dat. Lucæ 15.

Baculus. Exinde *baculus* Episcopo datur, insinuans authoritatem, spiritualémque pascendi, regendi, corripiendi, iudicandi, puniendique potestatem. Baculo enim cæduntur aberrantes, sustentantur infirmi, punguntur pigri, arcentur lupi. Vnde Apostolus: *In virgâ veniam ad vos?* & Apostoli virgam in via tollere iubentur; sicut olim Moyses Israëlitici populi Dux à Deo institutus virgam secum tulit. Hic insuper, pastoralis baculus Christi crucem, atque regiam eius potestatem adumbrat, de qua Psalmo 2. *Reges eos in virgâ ferreâ*, & Psalmo 44. *Virga regni tui*, & Psalmo 22. *Virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt.*

1. Cor. 4. Marci 6.

Sudarium. *Sudarium* quoque facta facienti Episcopo præbetur; vt intelligat, quòd singulari studio, cura & sollicitudine sua & aliena vitia expurgare, affectúsque ab illicitis desideriis, omnique tædio liberos præseruare debeat.

Rationale. *Rationale*, quod ante pectus geritur, sapientiam atque prudentiam sacerdoti necessariam figurat, vt bona discernere à malis, virtutes à vitiis, agen-

dáque ac dicenda prudenter dispensare, quando, quibus, & qualiter congruit, possit. *Cappa*, seu Pluuiale (cuius in solemnitatibus potissimùm vsus est) adumbrat immortalitatem, qua mortalitate absumpta superuestiemur. *Linea vestis* candida omnibus in sacro ministerio versantibus communis, vitæ nouitatem, innocentiam, & puritatem, quæ per Christi crucem obtinetur, significat, iuxta illud Ecclesiastici 9. *Omni tempore vestimenta tua sint candida*. Thre. 3. *Candidi Nazarei eius*. Apocalypsis 7. *Astantes agno in albis ambulant*. Hieronymus scribit, omnem clerum in sacrificij administratione vestibus candidis vti. *Pelles*, quibus Ecclesiæ Ministri vtuntur, admonent eos mortalitatis peccato contractæ. Nam post admissum peccatum vestibus pelliceis Deus primos parentes induit. Proinde clamat, exuendum esse veterem hominem cum actibus suis, & induendum nouum. *Colores*, quibus iuxta dierum proprietatem vestes sacras Ecclesia distinguit, præcipui quatuor sunt: albus, rubens, niger & viridis; ad quos reducuntur violaceus & croceus. *Alba* ornamenta solemnitatibus B. Mariæ, Angelorum, Virginum, Confessorum, aliisque nonnullis deputantur. Rubea verò festis Apostolorum & Martyrum, iuxta illud Cantic. 5. *Dilectus meus candidus et rubicundus*. Niger color diebus afflictionis, pœnitentiæ, officióque pro delictis & defunctis seruit. Viridis color diebus ferialibus accommodatus est. In diebus verò lætitiæ croceo aut coccineo vtimur.

Cappa.

1. Cor. 5. Linea vestis.

Hie. lib. 1. contra Pelag. vltra medium.

Pelliceæ vestes.

Gen. 3. Colores vestium sacrarum.

Cap. XXXII.

De ritibus à loco sumptis.

QVemadmodum in lege naturæ certa peragendo sacrificio loca solemni consecratione dedicata fuêre, in quibus publici fidelium conuentus ad latriæ cultum Deo exhibendum herent, vt ex facto Iacob constat, qui erexit lapidem, oleóque superfuso inunxit, & in eo sacrificium obtulit, addens: *Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli*. Et postmodum Moyses tabernaculum, templum & altaria solemni ritu dedicarunt; quæ profanata iteratò consecrata fuere: ita semper apud Christianos in vsu fuit mystica templorum & altarium consecratio, vt patet ex Dionysio Areopag. libr. de Eccles. hierar. cap. 5. p. 1. & aliis scriptoribus. Inter quos Felix 4. epistolam decretalem de altarium & Ecclesiarum consecratione edidit. In qua testatur, antiquis canonibus prohibitum esse, ne sacra Missarum solemnia alibi quàm in locis Deo sacratis, magna necessitate excepta, vllus celebrare præsumeret.

Gen. 28.

Exodi 40. Num. 7.

3. Reg. 8. 2. Paral. 7. 1. Esdræ 6 Aggæi 2. Machab. 4. Ioan. 10.

Templorũ cõsecratio.

Dedicamus autem templa & altaria Deo, vt visibili hoc religionis officio nostram deuotionem Deo, cui placere desideramus, insinuemus, eiúsque maiestatem nobis hac familiaritate conciliantes exoremus, vt nos inuisere, mansionémque sibi in nobis facere dignetur. Quamuis enim Deus nullo indigeat vel concludatur loco, nec per se manufacta templa, sed pura hominum corda diligat; attamen propter gentem locum eligit, in quo sibi consecrato potiùs, quàm in alio profano exaudit orantes, operatur, ac præsen-

Act. 17. 2. Macha. 5.

Isaiæ 56. Psalm. 5. Matth. 20.

tiam, potentiámque suam ostendit, vt 3. Reg. 8. & 9. promisit. Vnde templum sibi consecratum Deus vocat *domum suam*, & violantes huiusmodi loca grauissimè punire consueuit; vt Heliodorus flagellatus confitetur. *In loco* (ait) *illo Dei quædam virtus est.* & 1. Corinth. 3. *Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Ac sicuti templa & altaria, ita & vasa, mystica consecratione vsui sacramentorum dedicata semper Ecclesia habuit, quæ sancta dicuntur, nec nisi ab initiatis tangi, neque absque sacrilegio pollui possunt; quorum direptores & profanatores sacrilegi habentur: quales fuere Nabuchodonosor, Baltasar, Antiochus, Ariani, Donatistæ, nostrique seculi Iconoclastæ, quos Deus extraordinariis suppliciis persæpe mulctauit.

2. Macha. 3. August. in Psal. 113. Daniel. 5.

Sacra vasa.

Athan. apolog. 2. cõt. Arian. Optatus li. 2. cont. Parm. Chrysli. de S. Babyl. & hom. 4. in Matt. Gre. Turon. lib. de gloria Martyr. c. 25.

Quibus autem ex causis aurea vel argentea vasa conflare liceat, exponit B. Ambrosius libr. 2. Officiorum capit. 28. ad redimendum captiuos, alendum pauperes, vel alia misericordiæ opera exercendum. Cauendum tamen est, ne prætextu pauperum, cupiditate discum aureum, in quo Christi corpus requiescit, auferamus exemplo Iudæ, vt Theophylactus in 14. cap. Marci annotauit.

Quanquam verò per se vasa pretiosa Deo non placeant, nec delectationem aut vtilitatem ei adferant, nobis tamen plurimùm prosunt, cùm per ea excitemur ad pietatem, reuerentiam, & honorem Deo debitum; ac dignè sentiendum de suprema maiestate, iuxta illud Dauidis: *Magnus est Deus noster super omnes Deos.* Cùm enim ad magnarum personarum dignitatem tuendam conducant magnifica palatia, ædiũ amplitudo, supellectilis splendor, vestium ornatus, equorum famulorúmq; multitudo, cur ad conseruandam rerum diuinarum maiestatem non proderit templorum cultus, vestium, vasorúmque sacrorum præstantia, ministrorum celebritas & numerus, cereorum thurisq; accensio? nam per hæc externa pretiosa magnificum fidei & charitatis nostræ erga Deum, necnon pietatis gratitudinisque testimonium edimus, hominesque infirmos ad res pias libentiùs frequentandum pertrahimus, reuerentiamque Deo, sacramentis, rebúsque ad salutem animæ spectantibus debitam faciliùs conseruamus. Nam facilè contemnitur, quod sine apparatu proponitur. Vnde Christus in hac mortali vita degens, paupertatis studium volens commendare, pompam & delitias plurimùm aspernatus est nonnunquam tamen obsequia sumptuosa, quibus piorum fidem ac deuotionem foueri cernebat, admisit, vt patet de vnguento pretioso, vbi Magdalenæ factũ contra Iudę reprehensionem tutatus est. Alibi quoq; in via vestes sibi sterni permisit, taliáque reuerentiæ ac pietatis erga se officia cõprobauit. Docet enim quotidianus rerum vsus, quòd flaccescat deuotio & pietas, vbi templa sunt inculta vel deserta, vbi altarium cultus nullus, ornamenta vilia, lacera, fœtida cernuntur, vbi parcitas luminis cereorum ac tædarum. Numquam enim sine lumine celebrantur mysteria, in typum illius luminis, sine quo & in meridie, sicut in nocte palpabimus: ac in signum lætitiæ cereos etiam rutilanti sole piè accendi cùm Euangelium legitur, aut Christi corpus offertur, contra Vigilantiũ Hieronymus sustinet, cui Isidorus cum tota Ecclesia consentit. Quoad sacrificij tempus dies Dominica ei rei semper visa est aptissima, in qua

Li. 2. paral. cap. 1.

Matth. 26. Ioan. 12.

Matth. 21.

Vestium sacratum splendor ad quid prosit.

Thuris & cereorum accensio.

Cultus templorum pietatem auget.

Micrologus c. 21. Hieron. in l. cont. Vigilant.

Isidorus lib. 7. etymo. c. 12.

Vsus cereorum vtilis.

Domini resurrectionem celebramus. Tunc enim Christiani ad sacrificium conuenire solent, vt Actor. 20. & alibi legimus: *Vnâ Sabbatorum cùm conuenissemus ad frangendum panem.* Iustinus de suo tempore idem attestatur. Augustinus sui temporis morem commemorans, in quibusdam locis sacrificium omni die offerri scribit, alibi solùm die Sabbati & Dominico; quibusdam verò locis solùm Dominica die, & quidem horis antemeridianis, & in honorem tanti sacramenti ante omnem cibum & potum offerendum est, ab hora videlicet prima noctis vsque ad meridiem. Christus quidem post cœnam obtulit, quando à veteri pascha ad nouum transiens, seipsum præsentem in mysterio testamenti loco Apostolis relinquebat. Quod tunc, cum ab eis mox separandus esset, conuenienter fecit, vt tanti sacramenti beneficium tenaciùs eorum memoriæ inhæreret. Sed postea in honorem Domini placuit Spiritui sancto, per Ecclesiam decerni, vt altaris sacramenta non nisi à ieiunis celebrarentur. Cuius ritus contemptorem presbyterum quendam diuinitus punitum fuisse, refert Gregorius Turonensis, quia non ieiunus celebrasset, lib. De gloria martyrum c. 86.

5. Cor. 16.

Iustinus apo. 2. Aug. epi. 118. c. 6.

Cõcil. Carthaginen. 3. canon. 29.

Cõcil. Matticon. 2. Can. 6. Bracarens. 1. can. 16. Toletan. 7. can. 2. Constant. sess. 13. Trid. sess. 13. cap. 7.

Cap. XXXIII.

De ritibus in actione consistentibus.

Manuum eleuatio.

VAriis ritibus Mystes sacrificando vtitur, quorum nonnulli ad Deum referuntur, vt manuum eleuatio; qua ceremonia Dominus, Prophetæ, Apostoli, primique Christiani vsi sunt. Moyses Exodi 17. orando manus eleuauit.

1. Tim. 2.

Dauid Psalm. 141. *Eleuatio mea sacrificium vespertinum.* Salomon 3. Regum 8. protensis in cælum manibus orauit; & Apostolus: *Volo*, inquit, *viros orare in omni loco, leuantes puras manus.* Secundus ritus in oculorum eleuatione consistit, quo frequenter Dominus vsus est, ac signanter in Eucharistiæ institutione, vt testatur Iacobus in sua liturgia: Ambrosius lib. 4. de sacram. cap. 5. Quo ritu significatur omne donum bonum descendere desursum à patre luminum. Tertius ritus in corporis, aut genuum inflexione situs est, in signum humilitatis ac reuerentiæ. Quo ritu Christus, Prophetæ, & Apostoli crebrò vsi leguntur. *Placendum* enim *est diuinis oculis, etiam habitu corporis*, ait Cyprianus sermone de oratione Dominica. Sunt alij ritus, circa hostiam versantes, vt victimæ immolatæ eleuatio: cuius typus extat Leuitici 8. 9. 10. item eiusdem hostiæ ostensio, vt fideles ibi præsentes singulari quadam significatione gratos testentur animos erga communem Dominum & redemptorem, pro tam ineffabili diuinóque beneficio, quo mortis eius victoria & triumphus repræsentatur. Cuius ceremoniæ meminit Dionysius Areop. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. Chrysostomus hom. 61. ad populum Antioch. homil. 36. in 1. ad Corinth. & homil. 3. in epistola ad Ephes. Sequitur deinde hostiæ *confractio & commixtio* in signũ mortis & resurrectionis Domini: de qua Chrysostomus homil. 24. in 2. ad Corinth. Alij ritus circa offerentem exercentur, vt pectoris tunsio, in signum pœnitentiæ & vindictæ peccati; sicut publicanus orans percutiebat pectus suum. Huc etiam pertinet manuum ablutio, quæ puritatis animi (qua is qui sacrificat, præditus esse debet) indicium est.

Oculorum eleuatio. Tertul. in apol. c. 30. Matth. 4. Marc. 6. & 7. Luc. 9. Ioan. 11. 17. Iac. 1.

Genuum flexio.

Luc. 22. 2. Paral. 6. Act. 21.

Eleuatio victimæ.

Lib. de Eccles. hier. c. 2. p. 3.

Confractio & commixtio.

Pectoris tunsio. Luc. 18. 13.

Manuum ablutio.

Cuius

Dionysius Areop. lib. Eccles. hierar. cap. 3. Clemens li. 8. constit. c. 15. Cyrillus Catech. mystag. 5.

Cuius ritus meminit Dionysius Areop. Clemens, & Cyrillus, Nonnulli denique ritus ad populum diriguntur, vt salutatio, qua sacerdos populum excitat ad orandum vel audiendum, dicendo: *Dominus vobiscum*: qua salutatione Hebræi vti solent, vt patet Iudicium 6. Ruth. 22. Paralip. 27. Lucæ 2. Huius salutationis meminit Concilium Bracar. 1. can. 21. Religiosi ad Dei laudes excitant se inuicem hac formula: *Deo gratias*, teste Augustino in Psalm. 132. Episcopi loco, *Dominus vobiscum*, in missa salutant, dicendo: *Pax vobis*, in typum, quòd Apostolis succedant, quorum erat pacem populis annuntiare, Matthæi 10. Alius ritus est dimissio populi, verbis, *Ite, missa est*, id est, dimissio conceditur, abire omnibus licet. Sunt aliæ insuper ceremoniæ circa ea, quæ in missa leguntur versantes, vt cantus, quo Dominus ipse in vltima cœna vsus est: *Et hymno dicto*. De cuius ratione est, vt cantetur, Augustino teste in titul. Psal. 72. Concil. Toleta. 4. cant. 12. Huc etiam pertinent instrumenta musica, quibus in diuino officio Ecclesia vtitur, ad fidelium affectus in Deum excitandum, & fastidium remouendum, quod ex officij prolixitate suboriri posset. Cuius rei exemplum in veteri testamento extat, in quo ritus quidam ad futurarum rerum significationem pertinentes, instituti erãt, quales Christiani non obseruant. Alij verò ritus erant ex naturali ratione profluentes, vt genua flectere, pectus tundere, cantare, musicis instrumentis vti; cuiusmodi ritus etiam Christianis conueniunt.

Pax vobis.

Ite, missa est.

Cantus Ecclesiasticus.

Matth. 26.

Organa.

Postremo in missa communes ritus adhibentur, vt aspersio aquæ benedictæ, quæ fit, cùm in expiationem quandam leuium peccatorum; tum in admonitionem, quòd per aquam baptismi fideles aliquando emundati, pactum cum Deo contra diabolum inierint, cuius societatis publicum testimonium in sacrificio consistat; cuius participes futuri, à peccatorum næuis pœnitentiâ sese abluere debeant. Huius aquæ lustralis vsus ex Apostolica traditione manauit, vt patet ex Clemente libr. 8. constitut. cap. 35. Dionysio libr. de Eccles. Hierar. cap. 3. parte 2. Alexandro I. epistola 1. vbi aquam consecrari non instituit, sed eius vsum præcepit. Cyrillus catech. 3. scribit, aquam fieri sanctam inuocatione Dei, sicut Dominus panes benedixit, ac benedictione multiplicauit; & Apostolus omnem creaturam sanctificari per verbum Dei & orationem affirmat. Vide Basilium, Ambros. Augustin.

Aspersio aquæ bened.

Matth. 14.

1. Tim. 4.

Basil. li. de Spiritu sancto.

Ad ritus communes insuper spectat thurificatio, tum ad Altare quam ad Euangelium, Sacerdotem & populum. Cuius antiquissimus est vsus, vt constat ex canon. 4. Apost. Dionysius Areop. libr. de Eccles. Hierar. cap. 3. parte 3. Eodem ritu Iudæi vsi leguntur Exodi 25. 30. & alibi sæpe. Vnde Propheta Psalm. 141. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*: & Ioannes Apocalypsis 9. incensum interpretatur orationes sanctorum. Hoc ergo ritu denotatur bonus odor Euangelij, ministrorum Ecclesiæ, totiúsque populi Christiani bona conscientia & fama, qualésque orationes fidelium esse debeant. Tertius communis ritus est Osculum, cùm altaris in signum reuerentiæ Christi; tum libri aut stolæ ministri, vel porrectæ imaginis, in signum charitatis & pacis, quam in vniuersum clerum & populum sacerdos per ministrum diffundit. Cuius ritus omnes liturgiæ mentionem

faciunt. Et Iustinus apolog. 2. Tertullianus libr. de oratione cap. vltimo Cyrillus catec. mystag. 5. Chrysostomus hom. 77. in Ioannem. Vltimus communis ritus est crucis signum: quod vel semel sacerdos exprimit ad essentiæ diuinæ vnitatem denotandam, vel ter ad trinitatem personarum, vel quinquies, ad quinque Christi vulnera repræsentanda. Sine hoc ritu nulla perfici sacramenta consueuerunt, quoniam *crux omnium fons est benedictionum, omnium causa gratiarum*, vt habet Leo sermone 8. de Passione Domini. Augustinus tract. 118. in Ioannem. Chrysostomus homil. 55. in Matthæum.

Signum crucis semel, ter, aut 5. fit.

Vox missa, quid denoter.

CAP. XXXIV.

Compendiosa expositio formulæ Missæ.

MIssa dicta est à missione seu dimissione populi; vt idem sit Missa quod missio, sicut collecta & collectio. Inde missa catechumenorum, cuius apud veteres frequens est mentio, hoc est, dimissio nondum baptizatorum, quæ finita expositione Euangelij fiebat. Quo sensu apud Cassianum inuenitur missa orationis, missa congregationis, missa vigiliarum (apud Benedictum in regula cap. 17.) missa post nocturnos, & missa fidelium, id est, dimissio populi fidelis absoluto sacrificio.

Isidorus li. 6. orig. Rabanus li. de instit. cleric. c. 32. Hugo Victo l. 2. de sacra. parte 2. c. vltim. Conc. Carth. 4. can. 84 Herdon. can. 4. Aug. serm. 241. de tẽp. & 91. Conc. Valent. cap. 2 | Cassian. li. 2. de orat. c. 7. Rupertus li. 2. de div. offic. c. 20. Innocen. 3. lib. 6. de sacro vlt. myst. ca. 14.

Quamuis autem *à dimissione* vox missæ dicta sit, ad alia tamen etiam significanda traducta est, scilicet ad diuinum officium precum, lectionum, instructionum & aliorum, quæ in Ecclesia celebrabantur ante catechumenorum dimissionem (quod quidem officium Missa catechumenorum appellari consueuit:) ac similiter ad eam partem liturgiæ denotandam, quæ ab offertorio vsq; ad finem protenditur, (quæ missa fidelium vocari solet) quo sensu Ambrosius ait: *missam facere cœpi*. Atq; demum transfertur ad totam celebrationem diuini officij, in quo Eucharistia conficitur, eiusdémque oblatione Deo latriæ cultus exhibetur, vt simul comprehendat missam catechumenorum & fidelium. In qua significatione, missæ voce vtuntur Leo, Gregorius, & posteriores omnes Ecclesiastici latini scriptores; græci verò liturgium idem officium sacrum appellant.

Missa catechumenorum.

Ambr. lib. 5. ep. 33.

Missa fidelium.

Missæ acceptio vulgaris pro sacro officio, in quo Euch. sacrament. conficitur.

Porro hæc actio sacra & mystica, quam vulgò Missam dicimus, præmissa confessione generali peccatorum, nam iustus in principio accusator est sui) inchoatur *ab introitu*, qui constat ex Antiphona, Psalmo, & Versiculo: *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*. Cuius institutio tribui Celestino solet, fortè quia primus Romæ introitum cani voluerit; alioqui constat, in Oriente Psalmos initio missæ cani solitos; cuius rei testes sunt, Dionys. Areop. & Basilius in liturgia. Versiculus *Gloria Patri et Filio & Spiritui sancto*, à Cõcilio Niceno compositus est. Nam Constantij tempore solent Ariani à Catholicis discerni, quòd canerent: *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto*, Theodoreto teste lib. 2. historiæ cap. 24. & Sozom. lib. 3. c. 19. De quo versu differit Basilius libr. de *Spiritu sancto* cap. 28. Concil. Vasen. can. 5. Post introitum subiungitur inuocatio: *Kyrie eleison*, id est, Domine miserere: *Christe eleison*, id est, Christe miserere: quæ supplicatio nouies repetitur, vt Ecclesia misericordi summæ trinitatis voluntate per Christum redempta, nouem agminibus Angelorum consocietur. Huius sup-

Prouer. 18.

Dionys. lib. de Eccles. hier. ca. 3.

Versiculus gloria Patri.

Inuocatio. kyrie eleison.

plicationis meminit Basilius epist. 63. Augustinus epist. 178. Gregor. li. 7. epist. Consil. Vasen. can. 5. Sequitur hymnus, *Gloria in excelsis Deo*, qui temporali Christi natiuitati testimonium perhibet. Decantatur autem, vt *quem Angeli venerantur in cælis, homines colant in terris.* Quæ hymno Angelico sunt adiecta, tribuuntur Telesphoro aut Hilario, teste Innocentio 3. lib. 2. de myst. missæ cap. 20. Guilielmo Durando lib. 4. Ration. cap. 13. Angelico hymno finito sacerdos populum ad orandum & audiendum excitat, consalutando ac bene precando verbis: *Dominus vobiscum*, quæ loco adverbij vocandi seruiunt, quemadmodum religiosis *Deo gratias*. Augustinus in Psal. 132. & libr. 15. de ciuit. cap. 12. Chrysostom. hom. 36. in 1. ad Cor. & 18. in 2. ad Cor.

Hymnus Gloria in excelsis. Clemens lib. 7. constit. c. 48. & 57.

Iudi. 9. Ruth. 2. 2. Paral. 27. Lucæ 1.

Dominus vobiscum.

Salutationem *collecta* sequitur, id est, oratio paucis verbis colligens, quod à Deo nomine populi collecti postulandum est. Sunt autem collectæ ab antiquissimis Pontificibus editæ, à S. autem Gregorio in ordinem redactæ. Diriguntur verò passim orationes ad Patrem, & per Filium terminantur, quoniam omnia spiritualia bona expectamus à Deo per mediatorem Christum, iuxta illud: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, fiet vobis.* Concil. Carthag. 3. can. 23. statuit, vt cùm ad altare preces funduntur, semper ad Patrem oratio dirigatur, in quo, & cum quo, propter essentiæ vnitatem, Filius & Spiritus sanctus inuocantur. Tertul. lib. de oratione. Fulgent. libr. 2. ad Moni. cap. 3. 4. 5. Porrò variis concilijs edictum est, ne sacerdotes in missarum celebratione alias preces adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti & laudabili vsu receptæ fuerint, quæ nec vltra consuetum Ecclesiæ morem multiplicandæ sunt. De quarum numero vide Micrologum cap. 4.

Collecta.

Ioan. 14.

Conc. Carth. 3. can 23. Milcuit. can. 12. Trid. sess. 22 c. 1. refor. de observan. & vitandis in celebratione missæ.

Collecta finita respondetur, *Amen*; id est, *vere, fideliter, fiat*, quod in oratione petitum est. 1. Corint. 14. *Qui supplet locum idiotæ, quomodo respondebit Amen?* Iustinus apolog. libr. 2. in epist. ad Gal. Augustin. epist. 107.

Amen.

Collectam *Epistola* sequitur, ex Propheta vel Apostolo desumpta, quæ significat, Apostolicam prædicationem, legem, Prophetas, ac Ioannem Baptistam, viam Domino præparasse, omnésque homines ad Christum direxisse. Hinc epistola facie conuersa ad altare (quod Christum denotat) & in medio Ecclesiæ decantatur, in typum quòd Ioannes inter vetus & nouum testamentum medius fuerit, quódque aliquando Christum venturum prænuntiarit, interdum præsentem digito mõstrauerit. Hic mos ab Hebræis sumptus videtur, apud quos per omne Sabbatum lectiones ex Prophetis desumptæ legi solent, vt Lucas refert; ab Apostolis verò institutum fuisse, vt post decantatum Psalmum & orationem peractam, sanctarum deinde scripturarum lectio suo ordine recitaretur, testis est Dionysius Areop. li. de Eccl. Hier. cap. 3. parte 2. Iustinus apolog 2. Tertullianus in apolog. cap. 39. Epistolam *Graduale* consequitur, id est, versiculus ex scripturis desumptus, qui Diacono gradus ad canẽdum Euangelium ascendente interseri consueuit. Vocatur & *Responsorium*, quia vno inchoante, alij respondent. Pertinent autem hi versiculi ad luctum & pœnitentiam; ideo tempore lætitiæ omittuntur, & *Alleluya* duplicatur. Graduali subnectitur, *Alleluya*; id est, laudate Dominum. Canticum est exultationis & lætitiæ. Vnde intermittitur diebus luctus & pœnitentiæ,

Epistola.

Lucæ c. 4. Act. 13. 15. 17. 18.

Graduale.

Responsor.

Alleluya.

Tobiæ 13. Apoc 19.

Tractus. eúsque loco in Quadragesima *tractus* ponitur, id est, versiculi tractim & grauiter in pœnitentiæ signum canendi. Alleluya tempore Augustini à Paschate vsque ad Pentecosten, & dominicis diebus cani solet, vt attestatur epistola 119. ca. 15. Gregor. libr. 7. epist. 63. Diebus quibusdam solemnioribus addi solet. Sequentia. *Prosa, seu Sequentia*, id est, versus rythmici significantes æternæ vitæ cantica, laudes, gaudia, exultationes, de quibus Tobiæ 13. Apocal. 9. Ephes 5. in hym. & cãticis spiritualibus. Psalm 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* & Psal. 86. *omnium lætantium habitatio est in te. Euangelium* deinde subsequitur, quoniam post legem, Prophetas, & Ioannem Christus prædicationem suam aggressus est: transit autem sacerdos ab altaris dextera parte ad lævam quia Iudæis Euangelium respentibus ad gentes deuenit, & Christus venit non iustos vocare, sed peccatores. Versus aquilonem pronuntiatur, quoniam per Euangelij prædicationem tenebrarũ princeps expugnatur, qui in Aquilone sedem figit, vnde tentationum flatu homines in omne malum impellere studet. Eminentiore autem loco Euangelium cani solet, tãquam vbique, & ab omnibus audiendum; & à stantibus audiri iubetur, cum ob reuerentiam Christi loquentis, tum ad animi promptitudinem ad res cælestes demonstrandam. Priùs etiam, quàm Euangelium legatur, *benedictio* impenditur, quia nemo Euangelizandi munus vsurpare debet, nisi mittatur. Accepta verò benedictione lecturus euangelium *consalutat populum*, vt attentum reddat, eúmque fructu audiat: optat vicissim populus, vt minister dignè verba Dei pronuntiet. Post Euangelium confectum *symbolum fidei* decantatur, quoniam fides ex auditu verbi Dei nascitur, & *ore confessio fit ad salutem.* Vtitur autem Ecclesia Romana symbolo Constantinopolitano more Orientalium Ecclesiarum, iuxta canonem 2. Concil. Toletan. 3. Absoluto symbolo mystes populum orare admonet, vt scilicet fidem symbolo contentam Dei gratiâ fultus stabiliter retineat. Deindè *offertorium* canitur, sic nuncupatum, quia populus interea offerre, (*Hilarem* verò *datorem diligit Deus*) ac sacerdos materiam consecrandam quadam oblatione Deo dedicare soleat. Subiungitur mox *prædicatio*, tanquam Euangelij & symboli, hoc est, noui & veteris testamenti expositio, sicut in veteri populo post lectionem legis, eiusdem mox expositio subsequebatur. Nehem. 9. Quibus peractis sacrificij materia præparatur, & sacerdos aquâ manus abluit, in typum emundationis, lacrymis compunctionis & pœnitentiæ, iuxta illud Isaiæ cap. 1. *Lauamini, mundi estote*, & Psal. 50. *Amplius lauame Domine.* Implorata deinde omniũ sanctorum, fideliúmque præsentium intercessione, sacerdos per secretas orationes à Deo petit, vt sacrum officium ita peragat, vt etiam ex parte sua diuinæ maiestati placeat. Quibus præmissis exordiatur præfationem, in qua præsentium fidelium mentes præparat ad reuerentiam conficiendi mysterij, vt cor ad cælestia subleuent, diuinorúmque beneficiorum memores, animo grato Christum præsentem mox futurum susciplant, Patríque sistant, cui laus, gloria, & gratiarum actio, tam ab humana, quàm ab Angelica creatura debeatur. Præfationis verba in antiquissimis scriptoribus reperiuntur, apud Clementem, Cyprianum, Cyrillum Hierosol. Chrysostomum, Augustinum, & alios. Quia insuper Christi sacrificio

Matth. 9. Euangeliũ versus aquilonem legitur.

Astantibus auditur. Clemens li. 2. cõstit. Apost. 57. ep. decret.

Benedictio ante Euãg.

Rom. 10.

Symbolum fidei.

Offertoriũ.

2. Cor. 2.

Prædicatio. Conc. Valen. Hispan. ca. 1.

Manuum ablutio. Psal 25.

Secreta.

Præfatio canonis.

Clemẽs li. 8. constit. ca. 16. Cypr serm. de orat. Dominica. Cyril. catechesi mystag 6.

Chryſ. ho. 4. de Euch. Aug. epiſt. 57. 129. 156 lib. de ſpir. & lit. c 11. lib. de bon. perſeu c 13.

homines angelis reconciliati, terreque cælestibus vnita ſunt, ideo præfatione cõpleta *hymnus* ſubiungitur, cõplectens verba partim angelorũ, partim hominũ, quæ Iſa. c. 6. Apoc. 4. Mat. 21. Ma. 11. Pſ. 117. habentur. Verbis autẽ angelorum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*, Trinitatis perſonarum, & vnitatis naturæ myſterium in Deo commendatur. Verbis autem hominum: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, Incarnationis Verbi Sacramẽtum celebratur. Huius cantici meminit Concilium Vaſenſe can. 6. Cantico illo finito, quo Deum vnum & trinum, mediatorémque Dei & hominum Ieſum Chriſtum collaudamus, Sacer Canon ante multa ſecula inſtitutus cõſequitur, partim ex Domini verbis conſtans, partim ex Apoſtolorum traditionibus, ac ſanctorum Pontificum pijs inſtitutionibus, quibus à ſolo ſacerdote ſacram actionem operante maiore ex parte ſubmiſſa voce dicitur, & multã ſubſtantiam continet; ipſius videlicet incruenti ſacrificij noui teſtamenti, ſecundùm ordinem Melchiſedech puriſſimam oblationem, quæ vt ab omnibus ſacerdotibus dignè reuerentérq; perageretur, Eccleſia regulam ſtabilem, verbis ac precibus præfixis conſtantem præſcripſit, qua omnes in offerendo vterentur. Quæ formula ideò Canon appellatur, quia ſine præuaricatione conſtitutionis Eccleſiæ aliter offerri nequeat. Qua voce in ea ſignificatione vtitur B. Gregorius. Ambroſius vocat *regulam Eccleſiaſticam*, qua omnes ſacerdotes vtuntur; Optatus *legitimam*; Iſidorus *ordinem precum*, quo oblata ſacrificia conſecrantur, Vualfridus c. 22. cũ poſterioribus ſcriptoribus cum *orationem*, tum *canonem*, interdum etiam *ſecretam* appellant, quia conticeat arcana profanis non euulganda, & quia non clamoſa voce, ſed intenta mentis deuotione proferri debeat. Silentium enim prodeſt, ne ſacroſancta myſteria vileſcant, aut in ſuperſtitioſos vel profanos vſus conſecrationis verba detorqueantur. Vt olim accidiſſe narrat Sophronius in Prato ſpirituali c. 196. & Alcuinus lib. de diuinis officijs, c. de celebratione miſſæ: atque Durandus lib. 4. ration. c. 35. Ideo autem *Canon actio* dicitur, quia oblationem ſacrificij in actione ſitam contineat: reliqua enim potiùs verba, quàm actiones ſunt.

De Canone.

Hymnus. Sanctus.

Canõ vnde appelletur.

Greg. lib. 7. epiſt. 63. Ambr. in 1. Tim c 2. Optatus li. 2. cont. Parment. Iſid. li. 1. de offic. c. 15.

Canon actio, etiam dicitur.

Primus verò, qui Latinis celebrãdi ſacrificij formam adiectis certis ritibus & precibus tradidit, Apoſtolus Petrus fuit, Iſidoro teſte lib. 1. de officijs c. 15. Subſequentes poſtea Romani Pontifices diuerſas preces addiderunt, vſque ad Gregorium I. poſt cuius tempora Canon immutatus permanſit, vt Vualfridus notauit. Qui autem liturgiarum authores habentur, vt Clemens, Baſilius, Chryſoſtomus, Ambroſius, Gelaſius, Gregorius, Iſidorus, & alij, non nouam liturgiam compoſuiſſe putandi ſunt, ſed illam, quæ ſuo tempore in vſu erat, reformaſſe, addendo vel demendo nonnulla verba, in ſua integritate permanentibus ſubſtantialibus partibus liturgiæ, ab Apoſtolis inſtitutæ: ſicut Gregorius VII. noſtróque ſeculo Pius V. Breuiarium & Miſſale Romanũ emendari curarunt. Initio quidem Apoſtoli, dum nullam adhuc ſedem fixam haberent, verbis Chriſti ſolam orationem Dominicam (Gregorio teſte) adiunxerunt: at conſtitutis Eccleſijs, multiplicatóque Chriſtiano populo, ac ſacerdotibus alijs per eos ordinatis, orationem pro defunctis, aliáſque preces pro viuis addiderunt, vt ex Apoſtolo patet (1.

De conſecra. diſt. 5. Pius V. in bulla miſſali Romano præfixa. Greg lib. 7. epiſt. 63. Hieron. li. 3. cont. Pelag. Chryſ. ho. 3. ad Philip.

Cor. 11. & 1. Timoth. 2.) vbi celebrandi Eucharistiæ mysterij ordinem disposuit, qui nunc per vniuersum orbem quoad substantiam obseruatur, vt Augustinus docet epist. 59. & 118. c. 6. Quòd autem canonis institutio B. Augustini ætatem longè præcesserit, ex eo perspicuum est, quòd locum Apostoli de ritu, quem sui temporis Ecclesia toto orbe diffusa in Sacramentorum celebratione obseruabat, interpretetur, & Ambr. nostri canonis partes multas veluti ex antiquo Ecclesiæ ritu ad sui dogmatis confirmationem alleget. Similiter & Optatus ei synchronos, Concilium quoque Vasense can. 6. quo nomen Romani Pontificis in omni missa exprimi decreuit. Illarũ verò partiũ, in quibus sancti Martyres nominantur & inuocantur, similiter & in quibus pro defunctis oratur, htur giæ omnes, atque veteres scriptores meminerunt. Præterea sedulò notatum est, quænam verba canoni à nonnullis Pontificibus adiecta sint, vt à Leone I. illa: *sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*: à Gregorio I. *diesque nostros in tua pace disponas*. Ex quibus euidenter sequitur, nostrum canonem nó solùm Gregorio & Leone, sed Augustino, Ambrosio, & Cyrillo, adeoque Concilio Nicæno antiquiorem esse; quod ex commemoratione vetustissimorum tantùm martyrũ etiam colligi potest. Nam in primitiua Ecclesia martyrum inuocationem potiùs quàm confessorum in vsu fuisse obseruauit Augustinus lib. de sancta virginitate cap. 45. & Innocentius lib. 3. de myster. missæ c. 10. Cùmque præcipuarum canonis partium certum authorem non reperiamus, quod vbique obseruatur, nec in scripturis aut Conciliis institutum inueniatur, ab Apostolis traditum esse ambigi (iuxta B. Aug. regulam) nõ debet. Canonem totum vti hodie legitur, digestũ verbatim, exponit Alcuinus lib. de Ecclesiasticis officijs, itẽ Amalarius de officio missæ c. 23. & sequentibus, Hugo, Rupertus, Innocentius III. ac latissimè Durandus in Rationali lib. 4. c. 35. & sequentibus. Nos verò compendiosam tantùm sacris canonis paraphrasim subijciemus.

Ambrosius lib. 4. de sacram. c. 4. 5. & 6.

Optatus li. Parmen.

Cyrillus catech. mystagog. 5.

Chrys. ho. 21. in acta & lib. 6. de sacerdotio.

Augustinus tract. 84 in Ioannem, & lib. 8. de ciuit. c. 27. lib. 22. c. 10.

Cap. XXXV.

Canonis missæ paraphrasis.

HYmno partim angelico, partim humano præmisso inchoatur Canon, *Te igitur clementissime Pater*; quasi dicat sacerdos: Pater cælestis, cuius plena sunt cœli & terra gloriâ, qui nullis hominum prouocatus meritis, sed commiseratione sola Filium tuum, qui cum Spiritu sancto tecum viuit & regnat in pari gloria, humanam carnem assumere voluisti, vt hominem perditum redimeret; *per* eundem *Iesum Christum filium tuum*, aduocatum ac patronũ nostrum, mediatorémque Dei & hominum, *Dominum nostrũ*, iure creationis atque gratuitæ redemptionis; non freti nostra iustitia, nec merita nostra iactantes, sed peccatorum nostrorum conscij humiliter, & ex animi intimo affectu preces nostras coram te profundimus, tam ego publico fungens orandi ministerio, quàm populus fidelis, cuius vice & loco vota commenta fisto. *Supplices rogamus ac petimus*, vt quãdoquidem victimæ & oblationes animalium ritu antiquo factæ reiectæ sint, & vnicum nouæ legis sacrificium per Filium tuũ Iesum Christum in nouissima cœna institutum, tibi summè ac vnicè placeat, meritò inquam rogamus, *vt grata sint & accepta hæc* nostra panis & vini aquâ mixti *dona*, ad illud sacrificium tibi

offerendum præparata ; simúlque petimus, vt eadem *dona & munera* nostra *benedicas*, tuæque virtutis & gratiæ operatione idonea tam sancto illi beatoque sacrificio reddas, vt in mundissimum corpus & immaculatum Christi sanguinem conuertantur, non substantiarum, sed tantùm specierũ diuersitate retenta. Quod quidem Christi corporis & sanguinis sacrificium inprimis *tibi* Deo Patri communibus votis *offerimus, pro* tota vniuersali *Ecclesia* hîc in terris militante, cui pro immensa tua dignatione pacem tribuere digneris, vt fideles tui quietam & tranquillam vitam in omni pietate ducant, ac ab infidelibus, paganis, Iudæis, hæreticis, aut schismaticis minimè infestentur; ac insuper contra omnium inimicorum eius vim & potentiam protegere, ne vitia, errores, dæmones, inferni demum portæ aduersus eam aliquando præualeant; simúlque electos tuos adhuc inter infideles dispersos ad eam adducere, omnibúsque credentibus cor & animam vnam tribuere, eandémque toto orbe terrarũ dilatatam in prosperis & aduersis gubernare, vegetare, Spiritúque sancto duce per iustitiæ semitas ad beatam immortalémq; vitam dirigere ac perducere. Atque speciatim etiam offerimus *pro* summo *Pontifice*, quem in terris vicarium suum Christus cũ amplissima potestate constituit, vt te actiones eius aspirante & adiuuãte, commisso sibi munere ad subditorum salutem, gloriámque tuam perfungatur: necnon *pro Antistite nostro*, cui specialis nostræ salutis promouendæ cura incumbit, offerimus; ac denique *pro Rege*, seu Principe, aut magistratu nostro, cuius est pacem temporalem procurare, vt Dominus conseruet eum, viuificet, ac beatum in terra faciat, & nõ tradat eum in manus inimicorum eius, sed opem ferat illi; ac demum pro omnibus alijs fidelibus siue principibus siue subditis, *orthodoxam, Catholicam & Apostolicam fidem* atque doctrinam tenentibus. Ac speciatim memento ac miserere Domine *famulorum famularúmque tuarum*, viuentium absentium, quibus ob peculiaria quædã beneficia ab eis percepta, vel necessitudine qua piam obstringor, putà, quia me secundùm carnem genuerunt, aut cognatione carnali aut spirituali mihi iuncti sunt; suísue opibus educarunt, disciplinis, honestísque moribus imbuerunt, vel beneficium, quod possideo, fundarunt, aut denique me ad celebrandum pro ipsis induxerunt; aut meæ curæ commissi, vel eiusdem societatis, familiæ, collegij, aut religionis membra sunt; pro his & omnibus absentibus, quibus me debitorem nosti Domine, acceptare hoc sacrificium digneris, ipsos adiuua eorúmque miserere: *ac simul omnium præsentium*, qui eum veneratione oblationi assistunt, circumstantes, in modestóque silentio perpendentes ea quæ dicuntur, vel canuntur, aut mysticè peraguntur, séque fide piáq; affectu coniungũt, *quorum tibi* firma & inconcussa de hoc Sacramenti Eucharistiæ mysterio *fides* nota probatáque est, qua intellectu in obsequium Christi captiuato, per verborum Sacramentalium prolationem à sacerdote factã, credunt verum Christi corpus & sanguinem ex pane & vino transubstantiatis confici, verúmq; sacrificiũ Deo immolari, simúlque tibi cordium scrutatori cognita gratáque est *eorum deuotio*, qua desiderant istius hostiæ oblationem sibi ad salutẽ proficere. *Pro quibus*, tanquã publici Ecclesiæ ministri, vice Christi consecrando, immediatè *offerimus*,

Clemens li. 8. cõst. c. 12. Conc. Vasẽs. c. 1. pro pontifice.

Pro antistite.

Pro Rege, principe aut magistratu.

vel etiam, qui simul nobiscum desiderio & consensu pióque animo tibi hoc sacrificium ad te laudandum, tibique pro redemptionis beneficio gratias agendum institutum, offerũt pro se, vt eis hìc gratiam posteáque gloriam tribuas; suísque omnibus, quibus naturæ, familiaritatis, aut obligationis vinculo obstricti sunt, quales sunt consanguinei, affines, familiares, amici, benefactores, subditi atque superiores: ac insuper redemptione animarum suarũ: pro quibus licet Christus in cruce sufficiens pretium pro redemptione ab omni malo culpæ & pœnæ obtulerit, attamen vt à malo culpæ liberentur, opus est pretij in cruce soluti applicatione, quod fit in iustificationem: ac insuper, quoniam sæpe dimissa culpâ remanet debitũ pœnę in purgatorio luendæ, in satisfactionem eiusdem hoc sacrificium offerunt, simúlque vt ab omni peccato præseruentur, & à corruptione, omnibúsque ærumnis huius vitæ liberentũr, *pro spe salutis*, pro sperata quoque salute beatitudinis æternæ, ad quam ab omni malo culpæ & pœnæ liberati perducentur, & incolumitatis suæ; nec non pro sanitate corporis, quæ omnibus extrinsecis bonis longè præstantior est, sub qua habitatio, victus, amictus, ceteráque temporalia subsidia huic vitæ necessaria, quatenus media sunt ad consequendam beatitudinem ordinata, comprehendũtur; ac in vniuersum, *Memento eorum omnium* Domine, *qui tibi reddunt vota sua æterno Deo viuo & vero*, qui pio mentis affectu sacrificij oblatione tibi naturaliter Deo latriæ cultũ exhibent. Tu enim solus es æternus, viuus, & verus Deus. Sunt quidem alij, qui participatione, vel nuncupatione, aut superba vendicatione dicuntur dij, quos seducti homines aliquando lacrificijs coluerunt: sed tibi soli omnium rerum creatori, sacrificalis cultus debetur, quem proinde tibi iure debitum offerimus: *communicantes*, coniuncti, ac inter nos vniti, vt eiusdem corporis membra decet, atque communionem cum sanctis per societatem & coniunctionem in corpore Christi mystico habentes, ac præterea eosdem sanctos venerantes, eorúmque patrocinia implorantes, vt eorum precibus & meritis adiunctis facilius quod postulamus assequamur: *ac inprimis memoriam gloriosæ semperque Virginis Mariæ* recolimus, quia nobis hostiam nostram incorrupta virgo permanens, Deum scilicet & hominem Iesum Christum Dominum nostrum protulit, cuius vera mater cùm sit, Dei genitrix, regina cœli, omniúmque creaturarum iure vocatur. Exodi 33. Daniel. 3.

Nam matris Dei prærogatiua omnem aliam creaturam excellit. *Sed etiam beatorum Apostolorum*, quos noui testamenti primos sacerdotes Christus ordinauit, quiq; nobis ritum ac formam offerẽdi sacrificij à Dño institutam tradiderunt, simúlque, per quos orbi Euangelica doctrina innotuit; *atque Martyrum*, qui seipsos viuas hostias pro Christianæ fidei comprobatione obtulerunt, suíq; sanguinis effusione constantiáque Christianam doctrinam plurimum corroborarunt: *Petri*, totius gregis Dominici pastoris, *Pauli*, gentium doctoris; *Andreæ*, qui cùm in Scythia Europæ, Epiro, ac Thracia innumerabiles homines doctrinâ & miraculis ad Christum conuertisset, ab Ægæo proconsule tandem in Achaia cruci affixus fuit: *Iacobi*, qui primus Apostolorum Ierosolymis (peragrata tamen priùs Hispania) profuso sanguine testimonium Iesu Christo perhibuit; *Ioannis*, dilecti discipuli, Euangelistæ Aug. lib. de sancta vrg. c. 45.

stæ atque Prophetæ: *Thomæ*, qui Parthis, Medis, Persis, Brachmanis, Hircanis, ac demum Indis Christianæ fidei & vitæ præcepta tradidit, posteáque telis confossus Calaminæ Apostolatus honorem martyrij gloria decorauit, *Iacobi*, qui postquam Ierosolymis Episcopatum triginta annis tenuisset, septimo Neronis anno ex templo præcipitatus, fullonis fuste percussus occubuit: *Philippi*, qui postquam in Scythia Euangeliũ prædicasset, in Hierapoli Phrygiæ oppido, pro Christi nomine cruci affixus, lapidibúsque obrutus est, *Bartholomæi*, cui viuo pellem crudeliter detrahi jussit frater Polemonis in Armenia maiore Regis, ab idolorum sacerdotibus incitatus, quia Regem & conjugem, atque duodecim ciuitates ad Christianam fidem perduxisset; *Matthæi*, qui Euangelium Iesu Christi hebraicè scripsit, quod in Æthiopiam profectus ibi dissemi nauit, multísq; miraculis, ac tandem morte confirmauit, *Simonis*, qui cùm Ægyptum Euãgelica prędicatione repleuisset, in Persida glorioso martyrio Christi nomen illustrauit. Et *Thaddæi*, qui & Iudas Iacobi frater dicitur, qui post seminatum in Mesopotamia Euãgelium cum Simone martyrio in Persida coronatus est, *Lini*, qui primus post Petrũ Ecclesiam Romanã gubernauit, ac eius successoris *Cleti*, qui postquã duodecim annis, mẽsem vnum, dies vndecim Romanę Ecclesiæ prefuisset, sub Domitiano Imperatore martyrio affectus est. *Clementis*, discipuli S. P. qui pręclaris editis miraculis, jussu Traiani pro fide Christi in insula Liciæ occisus est. *Sixti*, etiam Petri in Apostolica cathedra Romæ successoris, & sub Decio martyris, *Cornelij*, sub eodem Imperatore Decio pontificis & martyris. *Cypriani* Episcopi Carthaginẽsis in Aphrica, glorioſiq; martyris. *Laurentij* Ecclesiæ Romanæ diaconi, martyrisq; cõstãtissimi, qui flãmis, quas in craticula crematus pertulit, omnium Christianorum corda calefecit. *Chrysogoni*, qui Aquileę à Diocletiano, quia idola colere nollet, securi percussus est. *Ioãnis et Pauli*, qui à Terẽtiano prætoriæ cohortis prefecto, Iuliani Apostatæ jussu, quia Iouis simulachro sacrificare nollent, interfecti sunt. *Cosmæ & Damiani*, fratrum medicorum, qui variè & crudeliter torti sub Diocletiano, & Maximiano intrepidè Christum prædicantes gloriosè mortui sunt. *Et omnium sanctorum tuorum*, tã veteris, quàm noui testamenti, quorum nomina non exprimuntur: quia licet Patriarchæ & Prophetæ in Christum crediderint, eũdémq; spiritualiter manducauerint, alium tamen offerendi ritum habuerũt, qui Christum in carnem venturum prænũtiaret, quem aduenisse, ac morte sua genus humanũ redemisse, Apostoli & martyres verbis & oblatione noui sacrificij prædicarunt. Sed neq; Confessorum, qui Euangelica veritate coruscante virtutibus emicuerunt, nomina exprimuntur, quia sanctorum Confessorum memoria publicè in Ecclesia post Canonem editum, sanctiq; Syluestri tẽpora in vsu esse cœpit. In cuius rei argumentum Episcopales sedes juxta B. P. dispositionẽ antiquitus dispositæ, non in memoriam Cõfessorum, sed Apostolorum & Martyrum, potissimúmque gloriosæ Virginis fidelium deuotio consecrauit.

Porro cur horum potiùs quàm aliorum Martyrum nomina exprimantur, certa ratio assignari non potest: sed cùm ad prolixitatem

cuitandam, non omnium sanctorum nomina Canoni possent inseri, certa delecta sunt; reliquorum verò generali omnium sanctorum nuncupatione comprehensa sunt; *quorum meritis precibusque* concedi petimus, vt in omnibus, & credendis & agendis, *diuinæ protectionis muniamur auxilio*, contra inimicorum omnium tam visibilium quàm in visibilium machinationes & fraudes, potissimùm tamen omnis fiduciæ ac spei collocantes fundamentum in Domino nostro Iesu Christo, Dei & hominum mediatore primario, qui propriis meritis, ac pro omnibus immediatè thronum gratiæ adire valet, nosque Deo hanc offerre noui testamenti oblationem docuit. *Hanc igitur oblationem*, qua ex Domini præscripto secundùm ordinem Melchisedech corpus Dominicum ex pane & vino confectum ad debitum Deo latriæ cultum exhibendum, tam sacerdos consecrans, quàm populus pio desiderio & consensu astans & concurrens, offerimus: *Quæsumus Domine*, vt quam vis in se displicere nequeat, attamen etiam à nobis dignè ac debitè ministerium peragatur, sicut tibi nostra etiam oblatio sit accepta & grata, per illamque sufficiens Christi pretium in cruce oblatum nobis applicetur, vt quamuis in multis te offenderimus, huius tñ oblationis intuitu nobis sis propitius: *diesq; nostros*, huius vitæ tẽpus à bellorum procellis quietum esse concedas, atque in futuro seculo *ab æternâ damnatione* liberos conserues, *electorúmque* consortio in æterna beatitudine adiungas, cuius nutu omnia in terris, in inferis, atque in cælo disponuntur: nihil dominus æterna mala *per Christum* nos euadere, per eundémque æterna bona consequi agnoscentes, per ipsum accedimus thronum gratiæ tuæ, Deus. *Quam* prædictam corporis & sanguinis Domini *oblationem tu Deus fac* in omnibus *benedictam*, vt scilicet tam offerentes, quàm illi, pro quibus offertur, per ipsam spiritualium bonorum multiplicationem consequantur: fac insuper *ascriptam*, vt per eam Angelorum Sanctorúmque omnium societati in cælis ascribamur, per quam hîc inter nos arctissimè, ac cum Deo vnimur. Denique fac *ratam*, per quam fixa, stabilis, rata & firma sit nostræ salutis promissio, illis verbis expressa: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Necnon *rationabilem*, seu per quam exhibeamus corpora nostra mortificatis concupiscentiis, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum, seruientes Deo corpore & mente: *acceptabilémque facere digneris*, vt per ipsam Deo placeamus, gratique reddamur, etiamsi per nosipsos iure displiceamus; *vtque nobis* seu ad vtilitatem, profectum, & salutem nostram hæc oblatio panis & vini in altari præparata omnipotentis Dei virtute: qui non minùs substantiam panis & vini in corpus & sanguinem Christi solo verbo conuertere, quàm ex nihilo potuit Verbo cuncta producere (Dixit enim & facta sunt;) *corpus & sanguis fiat dilectissimi Filij tui*; tota natura panis & vini aquâ mixti, conuersa in naturam corporis & sanguinis Christi, sic vt prolatis à sacerdote in persona Christi consecrationis verbis, non in signo tantùm, aut per virtutem quandam, sed verè ac realiter corpus Christi præsens habeamus, simi-

Amb. lib. 4 de sacram. cap. 5. Cyril. lib. 4. in Ioan. cap. 17.

Amb lib 4. de sacram. cap. 5.

litérque sanguinem, hostiam scilicet ex seipsa Deo gratissimam, ad impetrandum, & virtute propria operandum efficacem: proinde meritò rogamus, vt oblatio, quæ per se acceptabilis est, ex parte nostra minime displiceat.

CAP. XXXVI.

Alexander 1. epist 1. Ambr. lib. 4. de sacra. cap. 5.

PRidie siquidem *quàm pateretur*, XIV. Luna primi mensis, à discipulis morte recessurus, testamentum condidit, ac seipsum in pignus amoris, in cibum sacramentúmque vnitatis, per quod cum eis & successoribus Christianis vsque ad consummationem seculi corporaliter præsens esset, ac manducari posset, tradidit; sed ne carnem eius manducare, sanguinemque potare exhorresceremus, sub familiaris cibi & potus specie hoc mysterium instituit. *Accepit*, enim, *panem*, qui ex multis granis in vnum redactis confectus, aptissimè designat corporis mystici, seu Ecclesiæ vnitatem, ac Christum esse panem verum animarum: *in sanctas ac venerabiles manus suas*, vt attactu viuificarum, diuinitatique coniunctarum manuum, panem in materiam viuifici huius sacramenti deputaret, vimque pani tribueret, vt ex eo tanquam idonea materia sacratissimum suum corpus vsque ad mundi finem confici posset. Nec mirum videatur, manuum Christi contactum efficacem dedisse pani, cùm sæpe contactu sacrarum manuum Dominus mortuos excitauerit, Matth 8. Luc. 4. & 7. leprosos mundauerit, ac quoscunque languores sanauerit. Postquam verò panem in manus accepit, contactúque sanctificauit, vt omnia sibi à Patre tradita testaretur, nobisque exemplum præberet in principio actionum nostrarum erigendi oculos ad Deum bonorum omnium largitorem: *eleuatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem*, cuius beneplacito instituebat hoc tam excellens, eximiumque sacramentum, toti mundo salutare, *tibi gratias agens*, de suscepto tãto dono, ac liberatione generis humani per suam mortẽ, ad quam se iam dedicabat, incruentoque modo præueniebat: *benedixit*, suę benedictionis virtutem in panem transfudit; qua in sacratissimum corpus suum cõuerti posset, quẽadmodum suæ benedictionis gratiâ quinque panes multiplicauit: & benedicens rebus à se conditis, vt perpetuam sui generis successionem cõseruarent sanxit. Deinde panem *fregit*, singulísque discipulis partem eiusdem distribuit, non vt intactum seruarent, sed vt in suũ vsum accõmodarẽt. Quod eisdem insinuauit dicens: *Accipite et manducate ex hoc omnes* in salutem animarum vestrarum, vt in me maneatis, & ego in vobis: vt hic viuificus & immortalis cibus mortem esu cibi vetiti contractam depellat, vobisque immortalem animę & corporis vitam tribuat: vt arctissimè Deo ac inter vos semper amore vniti permaneatis: *Hoc est enim corpus meum*. Id enim, quod sub panis speciebus vobis trado manducandum, non est amplius panis naturalis, seruiens nutrimẽto corporum, sed facta substantię commutatione verè & realiter est corpus meum, incruento ritu Deo immolatum: hoc ipsum inquam est corpus, quod pro mundi salute flagellandum & crucifigendum Iudęis & gẽtibus tradetur, quod deinceps in meę passionis memoriam simili ritu, eisdemque verbis, quæ iam protuli, in mea per- Ioan. 6. Gen. 1.

sona prolatis, per vos Apostolos (quos noui Testamenti sacerdotes nunc creo) vestrósque in sacerdotio successores vsque ad nouissimum meum ad ventum, confici, Deóque offerri & immolari volo, ac instituo, his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*; quibus potestatem vobis do, quam nulli angelicorũ spirituum communicaui, vt scilicet in mea persona, vice & verbis meis, Deo in omnium beneficiorum, potissimúmque humanæ redemptionis gratiarum actionem corpus meum quotidie conficiatis, offeratis & immoletis, atque volentibus dispensetis, vt perpetuus apud homines permaneat huius mysterij vsus ac fructus. *Simili modo*, quo acceptum panem Christus sua benedictione & consecratione in corpus suum conuertit, *postquam cœnatum est*, impletis veteris legis cęremoniis, *accipiens & hunc*, quantum ad vsum & liquorem, *præclarum calicem*, continentem vinum aquâ mixtum consecrandum, *in sanctas & venerabiles manus suas*, deputans vinum aquâ permixtum materiam consecrandi sanguinis sui, quem nobis in potum sub specie vini ad potandum conuenientissimè dedit, vt spiritualis animę nutritio, perfectissima corporis refectione significaretur, quæ fit panis vinique alimoniâ. *Item tibi gratias agens benedixit*, suæque benedictionis virtute fecit, vt vinum aquâ permixtum in calice deinceps in suũ sanguinem conuerti posset. *Deditque discipulis suis dicens: accipite & bibite ex eo omnes.* Inter vos hîc præsentes hunc potum diuidite, vt omnes vnius calicis participes sint. Quod opus fuit admonere, ne vnus fortè totũ hunc diuinũ calicẽ exhauriret, qui in frusta, sicut panis, diuidi singulis non poterat. *Hic est enim calix sanguinis mei*, qui in salutem animarum fumẽdus est. Non enim vulgarem potum vini, sed calicem præbeo cõtinentem pretiosum sanguinẽ meum, cuius effusione impletum est vetus Testamentum, & nouum inchoatum, quod vsque ad seculi finem immutatum perdurabit; non enim alia lex, aliud sacrificium, vel alia sacramenta iis, quæ Christus instituit, succedẽt, sicut nouum Testamẽtum veteri successit. Hic est pretiosus sanguis Christi, quo redẽpti sumus, quo nouum Testamẽtum confirmatur, longè dignior sanguine agnorum, taurorum, vitulorum, hircorum, quo vetus Testamentum cõfirmatum est. Si ergo sanguis vitulæ aspersus maculas carnis abstergebat; quantò magis Sãguis Filij Dei emundabit à peccatorum næuis conscientias nostras? in quo latet *Mysterium fidei*: maxima sed occulta res: nempe sacramẽtum redẽptionis humanæ per effusionem sanguinis Christi completum, priùs sub figuris & vmbris veteris Testamenti absconditum, sed in passione demũ Christi patefactum, quando scisso tẽpli velo, abstrusa priùs Christi mysteria iam reuelata patuerunt. Dum enim ex Christi latere fluxit sanguis & aqua, manifestatum fuit, quòd Christi passione fieret redemptio & ablutio à peccatis. Quod illis verbis Dominus significauit: *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: pro Iudæis & gẽtibus, ac quidem omnibus hominibus, quantum ad sufficientiam pretij, sed efficaciter & salubriter pro omnibus electis, tam ex Iudæis quàm gentibus, qui cõsequuntur

Isaiæ. 53.

Exod. 24.

Apoc. 1.

remissionis gratiam, æternęque hereditatis glorią: hic sanguis effusus est in remissionem peccatorum; quod adumbratũ est effusione sanguinis hostiarũ ab initio mũdi. Quęcũque enim sacrificia post lapsũ primi hominis oblata fuerunt incensione frugum vel occisione animalium, hunc agni Christi immaculatum sanguinẽ figurarũt, qui tolit peccata mũdi, quiq; ideo ab origine mundi occisus (in typo scilicet) dicitur. Quò pertinet illud Leuit. 17. *Sanguis pro anima piaculo est:* Et quod ait Apostolus: *omnia penè in sãguine secundùm legem mundantur, &, Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Postquã verò Dominus sui corporis & sanguinis sacramẽtum cõfecit. Deóq; Patri seipsum tanquam sacerdos secundùm ordinem Melchisedech incruẽto ritu sub panis & vini speciebus immolauit, potestatem idipsum faciẽdi Apostolis contulit, dicens: *Hæc*, cõsecrationem & sumptionem sanguinis, *quotiescunque feceritis*; nam cum corpore sub panis specie, non semper est necessarium, sãguinem sub vini specie bibere: *In mei memoriam facietis.* Mortem Domini annũtiabitis, recoletis, ac repręsentabitis: non tã verbis quàm rẽbus oblatis. Clarissimè enim passio Christi repręsẽtatur, dum Christus sub distinctis speciebus in altari verè ac realiter prędens, incruẽtoq; ritu immolatus Deo sistitur, ad agẽdum ei velut supremo Domino gratias, quòd vnigeniti filij sui morte genus humanũ ab æterna dãnatione redemerit, ac ex inimicis filios cohęredes Christi futuros sibi adoptarit; simulq; ad obtinẽdum quęcũque spiritualia, vel tẽporalia bona, præsenti aut futuræ vitę conducentia, hoc augustissimum sacrificium instituerit.

Ad Heb. 9.

CAP. XXXVII.

CVius sacratissimę institutionis ac præcepti Christi, *memores nos fecerunt tui*, Sacerdotes, qui nostrorum ordinum ministeria ad hoc sacrificium offerẽdum accepimus; necnon *plebs* fidelis, Christi pretioso sanguine à peccatis baptismo emũdata, *eiusdem Christi Filij tui Domini nostri*, qui nos legibus regit, singulariq; prouidentiâ curat & gubernat: nosq; ex nihilo productos ad suę maiestatis cultum speciali gratiâ vocauit, recolẽtes, tam beatam ac salutarem (quam repræsentãt hæc mysteria) passionem, quę æternæ beatitudinis aditum nobis deuicta morte reseravit, necnon & ab inferis, ad quos triduano illo suæ mortis spatio Christus descendit, (vt sanctos patres ibi detẽtos liberaret) resurrectionẽ, per quam nobis resurgẽdi spem fiduciámque dedit. Sed & memores in cęlum *gloriosæ Ascensionis*, per quam Paradisi nobis aditum patefecit, humanámque naturam, cui dictum erat: *puluis es, & in puluerem reuerteris*, ad Patris dexteram supra omnem creaturã euexit. *Offerimus*, cõmuni voto & deuotione pro salute totius Ecclesię, Sacerdotes quidem ministerio & opere cõsecrãdo, fidelis autem populus consensu se iungendo. Qua vocali oblatione significatur, quid arcana confectionis Sacramenti actione secretiùs peractum sit, dum sacrificali opere Christus oblatus ac immolatus in consecratione fuit. *Offerimus* ergo *preclare maiestati tuæ*, in professionẽ summi principatus tui, nostræq; subiectionis, quibus omnia bona ex ea proflunt: nõ sanctis hominibus, aut Angelis, sed tibi soli Deo vero hunc latriæ cultum exhibemus, sistentes animo grato

præstantissimum omnium tuorum donorum, quo nihil in cælo vel in terra maius est, Christvm Filium tuum vnigenitum, pro salute mũdi misericorditer missum & datum, quem trãsmutata panis & vini substãtia hîc præsentem sub remanẽtibus panis & vini speciebus per consecrationem habemus, incruenta immolatione factum; *hostiam puram*, totius puritatis, ac munditiæ fontem, nósque insuper efficacia suæ virtutis mirificè purificantem; *hostiam sanctam*, in qua Isaiæ 53. sanctus sanctorum, qui omnes sanctificat, cõtinetur; *hostiam immaculatam*, continentem eum, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius, immaculatum scilicet agnum, qui peccati maculas sanguine suo emundat: *panem sanctum vitæ æternæ*, continentem non vt ante consecrationem panem vulgarem, seruientem refectioni corporum, Ioannis 6. sed panem, qui de cælo descendit, conferentem digne sumentibus vitam æternam, Christi scilicet corpus sub panis specie velatum; *& calicem salutis perpetuæ*, cuius hausto salus perpetua hominibus confertur, iuxta illud Christi: *Qui mẽducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Cùmque tanta sit istius hostiæ dignitas, excellentia, puritas, & sanctitas, præsta Domine nobis offerentibus conscientiæ puritatem, vt debitè præparati ea cordis deuotione ac reuerentia tanti sacrificij oblationem peragamus, vt nostrum obsequium tuæ maiestati gratum sit, illamque peccatis offensam nobis reconciliet, placatámq; reddat, nec in animæ vertatur exitium, quod institutum est ad remedium. Quamuis enim oblatio ex parte rei quæ offertur, & ex parte Christi principalis offerentis, semper Deo placeat, quia tamen ex parte ministri vel populi astantis, aliorúmue, qui simul etiam offerunt, potest non placere, ideo rogamus clementissime Deus, vt *supra* hæc munera, Corporis & Sanguinis Christi, vt à nobis offeruntur, nostrãque obsequia, quæ in peragẽdo hoc sacrificio impenduntur, *propitio ac sereno vultu respicere digneris*, sicuti amicorum officia, quæ placent, vultu placabili, benigno placidóque aspici solent, *& accepta habere*: propria enim virtute diffisi, peccatorúmque nostrorum conscij hostiam ità puríssimã tibi meritò acceptabilem offerentes per eam postulamus, vt tales facias, nobisque des tanta fide, reuerentia, & deuotione offerre, vt *sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel*, qui tibi placuit innocentiã, simplicitate, religionisque studio, quo accensus de primogenitis & adipibus gregis sui obtulit, ad quæ Deus respexit, primùm quidem ad Abel, deinde ad munera eius, Gen. 4. quem Apostolus extollens: *Fide*, Heb. 11. ait, *plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit; qui puer vocatur ob innocentiam & vitæ puritatem, non propter ætatem, vel ignorãtiam reprehensioni obnoxiam.* Iusti etiam titulo honoratur, quoniam id elogium illi à Domino in Euãgelio tributum est: *à sanguine Abel iusti.* Placeat Matth. 23. insuper sacrificium nostrum, sicuti acceptum fuit *sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ*, qui secundùm Domini præceptum filium suum Isaac promptissimè obtulit; propter quam singularem obedientiam audiuit: *Quia fecisti hanc rem & non* Gen. 17. & *pepercisti vnigenito tuo propter me* 22. *benedicam tibi, & patrem multarum gentium te constituí*; Ismaëlitarum quidem, Idumæorum, atque Ismaëlitarum secundùm carnem; omnium verò credẽtium per fidei

& operum imitationem. Atque demum placeat nostra oblatio, sicuti acceptum fuit sacrificium panis & vini, quod tibi obtulit in gratiarum actionem pro victoria Abrahę collata *summus Sacerdos tuus Melchisedech*, qui Rex & Sacerdos Dei altissimi fuit, nominéque suo Melchisedech, quod interpretatur, *Rex iustitiæ*, & *Rex pacis*, ac silētio genealogiæ, ac denique suæ oblationis ritu, Christum, eúsque regni, Sacerdotij, & sacrificij noui Testamenti æternitatem, ritum ac ordinem typicè repræsentauit, cuius *sacrificium sanctum* immaculatáque hostia dicitur, tum quia incruento ritu fiebat, tum quia sacrificij sanctissimi Eucharistiæ imago expressissima erat. Horum autem trium sanctorum potiùs quàm Noë, Iob, vel aliorum sacrificia commemorantur, quia tam personæ Christum, quàm earum sacrificia noui Testamēti oblationem expressissimè figurarūt. Abel enim pastor ouium, iustus & innocens, à fratre per inuidiam occisus, Christum pastorem animarum à Iudæis inuidiâ cæcatis interfectum: & oblatio primogenitorum gregis eiusdem oblationem primogeniti agni immaculati Christi præfigurat. Abraham princeps patrum fidelium, obediens vsque ad oblationem filij, Christum, in quo omnes filij Dei per adoptionis gratiam efficiuntur, factum obedientem vsque ad corporis oblationem adumbrat: denique Melchisedech Christum Regē & Sacerdotem, eiusque æternitatem, ac sub panis & vini speciebus incruentum sui corporis & sanguinis sacrificium offerentem, exprimit.

Genes. 14.

Genes. 4. Apoc. 1.

Genes. Philip. 2.

Gen. 14. Heb. 7.

CAP. XXXVIII.

SVbiungit deinde Sacerdos, totius Ecclesiæ nomine preces fundens; *Supplices te rogamus omnipotens Deus*, non in nostra iustitia, sed in tua misericordia confidentes, humili animo, scientes, te superbis resistere, humilibus autem dare gratiam, poscimus, vt hæc vota fidelium, ipsámque quam facimus, corporis & sanguinis Christi oblationē iubeas angelico ministerio tuæ diuinæ maiestati, tanquam gratam præsentari, nec propter indignitatem offerentium repulsam pati. Siquidem Angeli sacrificio altaris assistunt, vt honorem ac reuerentiam regi suo Christo exhibeant, piáque fidelium desideria in cælum, vbi sedes & thronus Dei est, perferāt, suaque commēdatione adiuncta Deo, vt exaudire dignetur, offerant. Horum itaque ministerio patrocinióque adiuti exaudiamur, & fiat *vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filij tui corpus & sanguinem sumpserimus*, hostiæ oblatæ participes communicando fuerimus, *omni benedictione cælesti & gratiâ repleamur*, quorūlibet spiritualium charismatum, donorum, & virtutum copiam, plenamque remissionem omnium nostrorum peccatorum percipiamus; non quòd hæc meritis nostris assequi promereamur, sed *per Christum* principaliter offerentem, qui tempestiuē exauditur à Patre pro sua reuerentia, id quod postulamus, indultum iri confidimus. *Amen*, ita eueniat.

Iacobi 5.

Chrisost. lib. 6. de Sacerdo. hom. 65. ad pop. Antioch. Ambros. in 1. c. Lucæ. Gregor. lib. 4. dialog. c. 58. Hebr. 1. Tobiæ 12. Apoc. 8. Aug. epist. 121. c. 9.

Ceterum quoniam æquum est, membra eiusdem corporis pro se inuicem esse sollicita, & ad eādem corporis mystici Christi cōpagem fideles vita defuncti cum viuis pertineant, non solum pro viuētibus, sed etiam pro fidelibus defunctis, te Domine rogamus, vt memineris, gratioſè dimittendo reatum partim in Purgatorio luendam, *famulorum famularumque tuarum*,

quorum nomina recitantur, quia speciatim pro illis sacrificium *offerimus*, vel quoniã parentes, cognati, affines, benefactores, aut nostræ curæ commissi, vel alio vinculo iuncti sunt. Non autem pro defũctis promiscuè omnibus, etiam damnationi æternæ addictis rogamus (quia ex inferno nulla est redemptio) sed pro ijs tantùm, *qui nos præcesserunt cum signo fidei*, eodem quo nos baptismi charactere insigniti in fide & cõfessione Christi vixerunt, atque tandem à letalibus peccatis liberi in Domino mortui sunt: habentes quandam pacem ex certitudine beatitudinis adipiscendæ, atque charitate, qua replentur: sed nondum tamen plenè expurgati à reatu pœnæ temporalis in futuro seculo luendæ, qui remissa culpa sæpe remanet, nec absque condignâ satisfactione remitti solent. *Ipsis Domine*, specialiter nominatis, & *omnibus in Christo quiescentibus*, certam salutis exspectationem habentibus, vt quibus ad exhibenda suffragia fortè desunt parentes, filij, cognati, & amici, ab vna eis exhibeantur matre communi, quæ firma fide tenet, quòd sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur, quódque sanguis prætiosus Christi pro multis effusus in remissionem peccatorum non solùm ad salutem viuentium, sed etiam ad absolutionem valeat defunctorum. Ideo sacræ oblationis intercessione (cui oratio coniuncta efficacissima est) supplices deprecamur, vt animabus defunctorum Domine misericorditer indulgeas *locum refrigerij*, relaxationem pœnæ, quam sustinent pro peccatis in hac vita commissis, eásque ex loco afflictionis trãsferas ad locum gaudij & quietis, ex loco tenebrarum ad locum perpetuæ *lucis*, in quo Deus videtur, qui à Deo illuminatur, quoniam lucerna eius est agnus; ac demum à loco tristitiæ, ad locum *pacis*, plenæque trãquillitatis, in quo non solùm liberi sunt à bello tẽtationum & cõcupiscẽtiæ, sed in quo insuper nihil desit quod amplius desideretur, nihil contristet aut malè afficiat habitantem, nullus dolor sit reliquus, neque luctus, neque clamor. Hic autem locus refrigerij, lucis, & pacis est superna felicissimáque sanctorum in cælis habitatio, ad quam Dominus ascendens in altum, spiritus veterum sanctorum ex limbo eductos cum triumpho perduxit: *per* quem *eũdem Christum Dominum nostrum* etiam iustorum animas ex purgatorij loco liberari, & ad eandem supernam ciuitatem Hierusalẽ deduci optamus, *Amen*, vt ita fiat, enixè rogantes.

Securitas salutis in purgatorio.

2. Mach. 12. Clement. lib. 8. constit. c. 47. Chryso. hom. 3. in ep. ad Philip. Epiph. hæresi 75.

Cap. XXXIX.

POstquam animas defunctorũ de sua salute securas, ad cæleste paradisum transferri petiuimus, æquum est, vt nos viui de nostra salute adhuc solliciti, maximáque peccandi infirmitate circundati, ac in huius vitæ stadio adhuc periculosè decertantes, quamuis nos ex nobismetipsis indignos tantis beneficijs agnoscamus, freti nihilominus immensa Dei bonitate ac misericordia, pro nobis quoque preces fundamus, ac militãti Ecclesiæ cõsortiũ cum sanctis in Ecclesia triũphãte regnãtibus, postulemus. Igitur, *nobis quoque peccatoribus* (*in multis* enim *offendimus omnes: & non est homo qui non peccet*) *famulis tuis*, toti Ecclesiæ militãti, cuius vice ac nomine Sacerdos sacrificat, *de multitudine miserationum tuarum sperãtibus* nõ in suis iustitijs, sed in tua benignitate & gratia sæpius experta cõfidentibus, *partem aliquam, et so-* Hebr. 5.

cietatem

uietatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis & Martyribus; cohæredes ac consortes fac gloriæ cælestis, vt in terra viuentium, regnóque Christi portio nostra inter filios Dei, & inter sanctos Apostolos & Martyres sors nostra sit. Quorum nonnulla nomina exprimuntur, secundùm ordinem passionis, non dignitatis. *Cum Ioanne Baptistâ*, quo inter natos mulierum non surrexit maior, qui & agnum Dei digito demonstrauit, Iordanisque fluentis abluit, ac demũ ab impio Herode pro iustitia & veritate, adulterij q; increpatione, decollatus, martyrio emicuit: *Stephano*, qui ab Apostolis in Diaconum electus, Dominicæq; imitator, pro persecutoribus orans, Paulum ex lupo Apostolum fieri à Deo impetrauit: *Matthiâ*, qui signo cælitus dato in locum Iudæ proditoris surrogatus, sacrum Apostolorũ cõpleuit duodenarium: *Barnabâ*, qui monente Spiritu sãcto cum B. Paulo in Apostolatus officium segregatus, illud impigrè executus est: *Ignatio*, qui tertius à B. Petro Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus sub Traiano Imperatore bestijs Romæ obiectus, vt frumentum Christi eorum dentibus moli, conterique exoptabat: *Alexandro*, post B. Petrũ sexto Põtifice, qui Romæ sub Adriano Imperatore Martyrio coronatus est: *Marcellino* presbytero, *Petro* exorcista, quorum animas Dorotheus, qui eos obtrũcarat, vestibus splendidis, geminisq; indutas, vidit Angelorum manibus in cælum deferri: *Felicitate*, illustri vidua, matre septem filiorum, qui ea exhortante martyrium constantissimè pertulerũt: postquos & illa capite cæsa, à filijs in morte non est separata: *Perpetuâ*, quæ priuilegio castitatis & fidei martyrio coronata est: *Agatha*, quæ in Sicilia Quintiano præfecto multis afflicta tormentis, & in Deciana persecutione cælis inuecta, Catanensi vrbi patrona declarata est: *Luciâ*, quæ in pauperes erogato patrimonio, suæque matri sanitate impetrata, cõstanti animo mortem pro Christo pertulit, Syracusanam q; vrbem sui patrocinij titulo decorauit: *Agneta*, quæ claris Romæ orta natalibus decimotertio ætatis anno spretis mundi nuptijs, Christum sibi sponsum elegit, eiusq; amore mortem sustinens vitam inuenit: *Cæcilia*, clarissimo genere Romanorum exorta, quæ virginitatis amore sponsum Valerianum, Tiburtiumq; fratrem impetrato Angeli cõspectu ad Christum conuertit, Almachiúmque præfectum in feruenti balneo gladio percussa superauit: *Anastasia*, quę ob suarũ in pauperes fidelcs opum erogationem, recusante Publio marito infideli agonem sui martyrij incẽdio compleuit: Et *cum omnibus sanctis tuis*, quorũ omnium nomina nimis prolixum foret hîc recensere. *Intra quorum consortium*, ad quorũ beatam societatem admitti petimus, non merito operũ, quę ex nobis fecimus, vel quasi gratia, & peccatorum venia non indigeamus; aut quia nos hoc ex rigore promeruisse obtendamus, cùm numini debita sint omnia quæ præstamus, nec nisi ex eius bonitate & gratia profecta sint opera, quę fecimus; sed à Deo Patre, qui largitor est veniæ, benignus & misericors, immixi eius misericordiæ ista petimus: *Per Christum Dominum nostrum*, intercedẽte Dei & hominum mediatore Christo, qui vt nos ad sanctorum cõsortium perduceret, dignatus est de cælo in terram descendere, suámque misericordiam nobis benignè indulgere. *Per quem*,

Act. 1.

Christum æterni Patris filium, varia circa hoc sacrificium beneficia omnipotens Pater demonstras. Nam inprimis *hæc omnia Domine semper bona creas*, huius sancti sacrificij materiam, (quæ est panis & vinum) producis condendo naturam, *sanctificas*, dedicãdo ad hoc mysterium cõficiendum; *viuificas*, cõuertendo creatam panis & vini substantiam in viuam Christi carnem & sanguinem (ac in Christum, qui est vita nostra) per cõsecrationem: *benedicis*, cùm spiritualis benedictionis effectum tribuis, vt Sacramẽtali efficacia cum caput membris vniat. *Et præstas nobis*, ad sumẽdum, vt ex eo vitam hauriamus. *Per ipsum*, per quem omnia beneficia commemorata concedis, *& cum ipso*, qui tecum vnius Diuinitatis est, ac omnia tecum operatur; *& in ipso*, in quo eiusdem substantiæ participatione immanes, ac rerum omnium creatarum est tecum principium & finis, omnia producens, moderans, atque cõsummans; *est tibi Deo Patri omnipotenti*, qui Filium ab æterno tibi consubstantialem genuisti, *in vnitate sancti Spiritus*, cum Spiritu sancto, qui consubstãtialis procedit à Patre & Filio, eis in nullo posterior aut minor: *Omnis honor & gloria*, tanquam vni, vero naturaliter Deo, & in personis trino, ab omni creatura debetur. In cuius protestationem hoc sacrificium, summi honoris & gloriæ signum offerimus, nósque ac omnia nostra tibi velut supremo domino subijcimus, ac per te viuere, moueri, esse, ac in omnibus depẽdere agnoscimus. Nec ad tempus tantùm honor & gloria Patris & Filij & Spiritus sancti perdurat, sicuti regna imperiáque mundi cõsistere videmus, sed *per omnia secula seculorum*; in æternum, & absque vllo termino, quia Deus immortalis est, atque Rex omniũ seculorum: quod omnes fideles verum esse proclamant, dicendo: *Amen*.

Cap. XL.

POst Canonem, qui sacrificij oblationem continet, subiungitur oratio Dominica, nõnulleq; aliæ, quibus ad cõmunionem præparamur: populum verò astantem sacrificio sacerdos excitãs alta voce pronuntiat: *Oremus*, non ex temeritate, præsumptione, aut animi insolentia, vel nostræ iustitiæ fiducia; sed quia ad hoc *præceptis salutaribus* literarum sacrarum *moniti*, *& diuina institutione formati* sumus. Quia enim *quid oremus sicut oportet nescimus*, & sæpe petimus & non accipimus, quia malè petimus, Apostoli Christum rogarunt, vt quemadmodum ipsos orare oporteret, instruere dignaretur: quibus post multa salutaria monita circa orandi modum & ritum tradita Matthæi 6. prãdi formulam tradidit dicẽs, *Sic orabitis*: ideò *audemus dicere*: *pater*, creatione, redemptione; *noster*, omnium fidelium, quos tanquam vnius corporis membra, vnanimiter viuere, ac pro se inuicem esse sollicitos voluisti: *qui es in cælis*, qui gloriam tuam beatis manifestas in supernis locis. *Sãctificetur nomen tuum*, quod in se semper sãctum est, in hominibus quoque per fidem, & sanctam conuersationem honoretur ac glorificetur: *Adueniat regnum tuum*, beatitudinis gloria sine fine possidenda: *Fiat voluntas tua*, adimpleãtur præcepta data: *sicut in cælo*, in beatis Angelis, vel hominibus iustis: *& in terra*, in Ecclesia militante. *Panem nostrum quotidianum*, omnia huic vitæ temporali necessaria, *da nobis*

Paralip. secundi, 20. c. Tobiæ 4. Lucæ 18. 1. Thessal. 5. Rom. 8. Matth. 20. Iacob. 4.

hodie, tribue huius vitæ tempore perdurante: *Et dimitte nobis debita nostra*, peccata quibus Deum offendimus: *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, sicut ex animo alijs hominibus, qui nos offenderunt, condonamus: *Et ne nos inducas in tentationem*, ne nos superari à tẽtatione sinas, quinimo tuæ gratiæ auxilio victores reddas: *sed libera nos à malo*, ab omni certamine cum diabolo, à carnis infirmitate, à peccato & morte immunes fac, liberando de corpore mortis huius, ac ad beatam & immortalẽ vitam transferẽdo. *Amen*: ita fiat. Istæ septem petitiones oratione Dominica cõtentæ perficiantur. Deinceps verò Sacerdos, à quibus malis populum Christianum liberari desiderat, latiùs explanans adiungit, *Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis, præteritis*, scilicet culpis, quarum reatus adhuc remanet, *præsentibus*, peccatis, tẽtationibus ac miserijs, quibus rei tenemur, vel ad lapsum impellimur; *& futuris*, in vniuersum omnibus malis culpæ aut pœnæ, ac insidijs aut laqueis tentationum: cúmq; preces nostræ insufficientes ex se ad hæc impetranda sint, vt multiplicatis intercessoribus faciliùs à Deo quod petimus obtineamus, *intercedente beatâ & gloriosâ, semperq; Virgine Dei genitrice Maria*, quæ humani generis aduocata est, postulamus; *et beatis Apostolis tuis Petro*, vniuersalis Ecclesiæ Pastore: *Paulo* electo vase, gentiúmque Doctore, *atque Andrea*, qui primus Apostolorum vocatus, Petrum fratrem suum ad Christũ adduxit, *cum omnibus sanctis*, Apostolis, Martyribus, Confessoribus atque Virginibus: *da propitius pacem* nobis geminam; animi scilicet & corporis: *in diebus nostris*, toto præsentis vitæ statu: *vt ope misericordiæ tuæ adiuti, & à peccato simus semper liberi*, quod pacẽ conscientiæ tollit, Deóque inimicos reddit; *& ab omni perturbatione securi*, ab incursu hostium, tumultu bellorum, & afflictione persecutorum immunes simus; quoniam huiusmodi perturbationes infirmos hominum animos in plurima facinora præcipitant, latissimámque peccandi materiam secum adducunt: quæ fidelis populi vota offerri Deo, exaudiriq; petimus *per eũdem Dominum nostrũ Iesum Christum Filium tuum*, primarium inter Deum & homines mediatorem, qui proprio merito, ac pro omnibus immediatè intercedit, & pro eo nullus: *Qui tecum vivit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.*

Deinde Sacerdos pacem Domini populo imprecans ait: *Pax Domini sit semper vobiscum*: quæ triplex est, videlicet pax hominis ad Deũ, pax ad seipsum, & pax ad proximũ. Prima est ordinata hominis ad Deum in fide, sub æterna lege obedientia; secunda est ordinata cognitionis actionisque consensio, vt quod recta ratio dictat, efficaciter voluntas imperet; denique pax hominis ad proximum est, cum omni homine ordinata concordia, vt scilicet nulli noceat, & cùm possit, prosit. Huic autem paci Domini triplex pax aduersa reperitur. Prima est pax cum diabolo, per consensum in eius suggestiones. Secunda est pax cum carne & corpore proprio per consensum rationis in concupiscentias carnis. Tertia est pax cum mundo & impijs, peccatorum consortio. Matt. 10.

Pax Domini triplex.

Porrò huic sacerdotis piæ precationi, qua cum populo Christiano pacem Domini semper esse optat, reciproco benevolẽtiæ officio po-

pulus eandem illi pacem exoptat, dicens: *Et cum spiritu tuo* eadem pax Domini semper remaneat: quæ oratio ex Apostolo ad Timotheum desumpta est. Deinde sacerdos corpus Domini tenens, & quia postquam à mortuis resurrexit, cognitus est in fractione panis, Tripartita fractura suam sanctæ Trinitati hostiam assignat, vnamq; diuisæ medietatis particulam, quæ personam insinuat Filij, sacro sanguini demissam immerget: quo facto designat, Filium Dei secundùm naturam assumptam triduo mortuum fuisse, sed tertia die resurrexisse, animāq; iterum corpori nexu indissolubili cōiunctam esse. Interea verò dum particulam calici immittit, hāc supplicationem Domino profert, *hæc sacrosancta commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi fiat nobis* sumentibus salus, mētis, & corporis, & *in vitam æternam*: quasi dicat: Harum specierum commixtio Sacramentali quadam significatione nobis Christi resurrectionem repræsentat, sicut diuisæ species Domini mortem ob oculos ponebant. Cùmque ista fiat, vt Christum à nobis in sacramento sumendum viuere significemus, prosit nobis rerum commixtarum deuota sumptio ad salutem animarum & corporum. Non enim hac precatione intelligit Ecclesia Corpus & Sanguinem Domini in propria specie commiscere, sed in specie panis & vini; nec existimat, quòd actio commiscendi, & consecrandi nos saluet; sed quòd ipsæ res commistæ & consecratæ, dum à nobis deuotè sumūtur, multùm prosint ad salutem mētis quidem, largiendo gratiā, qua præparamur ad gloriam & vitam æternam: corporis verò per imbecillitatem nostræ mortalitatis animo.

1 Timoth. 4.

Tripartita hostiæ tractatio quid significet?

Rom. 6.

tionem, & incolumitatis cōseruationem. Sed quoniam effectus sanctissimi huius sacramenti per peccata sæpe impeditur, quæ per Dei misericordiā abluuntur, ideò mox subiungit Sacerdos: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.* Quæ oratio his eisdem verbis repetitur, & tertia proclamatione pax demum à Deo nobis concedi postulatur.

Est autem illa oratio ex verbis Ioannis Baptistæ deprompta, qui videns Christū ad se venientem dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: quibus verbis Ioannes duplicem Christi in vna persona naturam commendauit; & nos hac oratione Christū Deum, Hominēq; profitemur, ac humanam quidem habere naturam, vocando *Agnum*, quia secundùm illam purus est ab omni peccato, & secundùm eandem pro nostra omnium salute in ara crucis immolatus est, iuxta Isaiæ vaticinium: *Sicut ouis ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum.* & illud Ieremiæ 11. *Ipse fuit quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* diuinam verò eius naturam insinuamus, cùm Iesum *peccata mundi*, hoc est, totius generis humani tollere dicimus; ac misericordiæ pacisq; donū (quod solus Deus præstare valet) ab eo postulamus. In Missa verò pro defunctis requiem æternam illis donari petimus, hoc est, vt à Purgatorij pœnis liberentur, non autem pacem eis dari, vel misericordiam, sicut viuis oramus, quia immobili decreto suorum operum finem ac terminum adepti sunt. Postea subiungit sacerdos orationem pro impetranda pace: *Domine Iesu Christe, qui* per passionem discessurus, *dixisti Apostolis tuis: pacem*, spiritualē

Isa. 16. & 53.

Ioānis 14. *relinquo vobis, pacem meam*, securitatem conscientiæ, *do vobis, ne respicias peccata mea*, quibus iram tuam potiùs quàm pacem promerui, *sed fidem*, per charitatem operantem, *Ecclesiæ tuæ*, dilectissimæ sponsæ, pro cuius sanctificatione teipsum in mortem tradidisti, *eámque secũdum voluntatem tuam pacificare*, quietam ab omni persecutione reddere, custodire, ab omni hostis antiqui molimine, *et coadunare digneris* vinculo charitatis & vnanimitatis, vt sub vno Pastore sit vnũ ouile: quæ omnia non nisi per te nos cõsequi posse cõfitemur, *qui viuis & regnas* cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti *Deus*, eiusdem naturæ & potẽtiæ, *per omnia secula seculorũ Amẽ*, ac subdens: *pax* Christi & Ecclesiæ abundet in cordibus nostris amen. Tabellæ per ministrum oblatæ exhibet osculum dicens: *Pax tecum*: qua oratiuncula ministro totique fidelium congregationi pacis & charitatis vinculũ imprecatur, ac osculi sensibilis signo à seipso in omnes pacis cõmunicationem diffundit, quasi Apostolica voce hortans: *Salutate vos inuicem in osculo sancto*: in testimonium sinceræ amicitiæ, amoris, beneuolẽtiæ, consensionis animorũ, cõcordiæ, pacis, & charitatis, quæ necessaria est, vt quis aptus sit mysterijs corporis, & sãguinis Domini reipsa, vel spiritualiter sumendis. Ante quorum sumptionẽ orationes insuper Sacerdos fundit, quibus & cordis in Deum excitet affectum, & gratiam dignè percipiendi tantum sacramentum impetret, ne quod ad hauriendum vitæ fructum institutum est, propter indignitatem sumentis vertatur in iudicium & mortem æternã. Orat itaque Sacerdos: *Domine Iesu Christe, Fili Dei viui, qui ex voluntate Patris, cooperante spiritu sancto*, quoniã vna totius Trinitatis volũtas, idẽq; consiliũ & operatio est, *per mortem tuam*, quam secũdùm naturam humanã volũtariè perpessus es, *mundum viuificasti*, totius humani generis peccatis deletis, iustitiam, qua Deo anima viuit indulsisti, *libera me*, applicãdo mihi tuæ mortis pretium, quantum ad potentiam pro mea redẽptione sufficientissimum *per sacrosanctũ corpus*; in quo diuinitas personaliter habitat, & omnis gratiæ plenitudo, quod mihi in cibum animæ, & gratiæ instrumentũ offers: *& sanguinem tuum*, quem in cruce in mũdi pretium effudisti, & nunc in potũ salutarem præbes; *ab omnibus iniquitatibus meis*, vel occultis, aut secundùm temporalis pœnæ reatũ nõdum remissis, iuxta illud: *Amplius lauame Domine ab iniquitate mea*. Et denique libera me ab *vniuersis malis*, præteritis, præsentibus, & futuris, & vt sũmæ tuæ maiestati congruum exhibeatur in me domicilium, *facme tuis semper inhærere mandatis*, efficaci tua gratia præstando, vt mandatis tuis obediã, in quorũ integra obseruatione vita & animæ salus consistit: *& à te*, fõte vitæ, quo adiuuãte stamus, ac deserente vincimur, *nunquam separari permittas*, néque in præsenti seculo per culpã, neq; in futuro per cõdemnationis sententiam. Dirige efficaci tuæ gratiæ auxilio fragilitatẽ volũtatis nostræ, vt nihil vnquã tibi æquet, aut præponat, sed supra omnia te sẽper diligat. Et quidem ista cõcedi tua benignitate rogamus, *qui cum eodem Deo Patre es Spiritu sancto es Deus in secula seculorum, Amen.* Addit præterea sacerdos aliam orationẽ, qua humiliter se indignũ ex seipso profitetur ad tantũ hoc sacratissimũ mysterium, vt humili hac suæ indignitatis cõfessione ad hoc

dignus à Deo effici mereatur, qui solus de indignis dignos, de immũdis mundos, & de peccatoribus iustos facit. Orat itaq; *Perceptio corporis & sanguinis tui Domine Iesu Christe*, quam ego, licet me pro humana fragilitate probauerim, nec peccati mortalis cõscientiam habeam, attamen spectata Maiestatis tuæ excellẽtia, quæ meritò exigeret, vt solis radijs & ipsis etiam angelis puriores essemus, profiteor me indignũ, qui te sumã: de tua tamen bonitate confidens, atque inuitatione prouocatus, non audaciâ, sed amore salutis incitatus, accedere *præsumo* ad communionem, quæ *non mihi proueniat in iudicium & condemnationem* animæ, quam terribiliter Apostolus omnibus indignè sumentibus comminatur dicens: *Si quis manducauerit panem hunc, & calicem Domini biberit indigné, reus erit corporis & sãguinis Domini*; & tanquam intrans ad nuptias *non indutus veste nuptiali, proijcietur in tenebras exteriores, vbi erit fletus et stridor dentium. Sed pro tuâ pietate*, ista perceptio *prosit mihi ad tutamẽtum mentis et corporis*, vt illius virtute anima protegatur à tentatione, consensu, & opere peccati; corpus autẽ ab imminentibus malis & periculis: *& ad medelam percipiendam*, sit contra vulnera, morbos, languores, cuncta sq; animi infirmitates, ac omne peccati virus efficax antidotũ, salutisq; medicina. Cùm enim medicum cõtineat qui dixit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et ego reficiam vos: & veni non vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam: & non est opus valentibus medico, sed malè habentibus*, sanè percipiemus præsens remedium contra quodcumque animæ vitium, si humiliter fateamur, nos malè habere, ac sincero affectu clamemus: *Domine miserere mei, sana animam meã, quia peccaui tibi*: vel cum Centurione Dñi Maiestatem, suámq; vilitatem considerante, humili constantiq; fide precemur: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, et sanabitur anima mea.* Cuius exemplo sacerdos iam consistens in præsentia eius, cui data est omnis potestas in cælo & in terra, iudexque viuorũ & mortuorum constitutus est, qui claues cæli & inferni habet, animo tremens, ac diuinæ Maiestatis eius pedibus prouolutus, hanc orationem suæ humilitatis testem repetitis vicibus fũdit: *Domine*, qui es Rex Regum, Dominus dominantiũ, Deus deorum, cæli & terræ author, *non sum dignus*, cùm sim puluis & cinis, seruus inutilis, tua mandata toties præuaricatus, *nõ sum dignus*, ex mea iustitia, ex mea præparatione, ex mea operatione, *vt intres sub tectum meum*, in domum cõscientiæ meæ, peccatorum tenebris obscuram, multisque iniquitatum næuis sordidam, in qua nullus virtutum splendor, non dignus tua Maiestate ornatus, aut mãsionis locus: non enim habitas in corpore subdito peccatis, nec tabernaculis peccatorum delectaris, sed cordibus eorum, qui te diligunt: ad eos enim, qui Patris voluntatem faciunt, venis, & mansionem apud eos facis, ad eos intras, qui te pulsantem audiunt, prompteque tibi cordis sui ostium aperiunt. Sed quoniam de illorum numero non sum, fateor, me tanto conuiuio, tantíq; hospitis præsentiâ indignum. Si enim Abraham coram Angelo se cinerem fatetur; Dauid promissione regni ad hæredes transituri audita exclamat: *Quis ego sum, vt loquatur Dominus ad seruum suum bona?* ac Elisabeth Spiritu sancto plena, ad

1. Cor. 11.

Matth. 22.

Matth. 9.

Matth. 8.

præsentiam B. Mariæ Virginis admirabunda in has voces erumpit: *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me*; atque Ioānes Baptista, quo (teste Christo) non surrexit maior inter natos mulierum, professus est, se non esse dignum, vt solueret corrigiam calceamenti Iesu Christi; & munus baptizandi detrectās, ait: *Domine ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* quid nos in præsentia Maiestatis Dei in altari constituti de nobis sentire decet, qui non vocamur ad soluendam corrigiam calceamenti, vel ad ipsum aqua abluendum, sed ad eum totum in habitaculum cordis nostri introducendum, hospitioque excipiendum? Si Petrus iure dixit? *Exi à me quia homo peccator sum Domine*, & B. Magdalenæ diuino amore flagranti, pedes Domini contingere volenti dictum est, *Noli me tangere*; quid nos de nobis sentire congruum est, qui tepidi sumus, & non solùm ad contactum pedum Domini, sed ad ipsum totum sumendum accincti stamus? profectò non aliud Domino acclamare debemus, quàm ex intima cordis humilitate, *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Veruntamen, quia peccatores non spernis, cum quibus mandueare, & bibere dignatus es, vt illos tuæ conuersationis benignitate sanares; & quoniam dixisti: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos: et non est opus bene habentibus medico, sed malè habentibus*; ad te Domine fiduciâ misericordiæ tuæ fretus accedo, vt contactu viuificæ carnis tuæ animæ meæ languor sanetur: vt dæmonium, quo diuexatur, ab ea pellatur. Torquet eam superbia & inflatio, cupiditas opum, cruciat illam carnalis delectatio, vindictę cupiditas; sed tu Domine, qui Verbum Patris æternum es, *tantùm dic verbo* virtutis tuæ, quo dixisti dæmonio vexanti puerum lunaticum: *Præcipio tibi, vt exeas ab eo, & ne amplius in eum introeas: Et sanabitur anima mea.* Per te cibum salutiferum, quemadmodum ingressus domum Simonis solo verbi imperio socrum eius à febribus liberasti; ac ingressus domum Matthæi & Zachæi, vtrique salutem attulisti; & denique ingressus cum duobus discipulis hospitium, te cognoscendum exhibuisti; ita salutari tuo ingressu in tectum animæ meæ confer ei sanitatem, cupiditatum vinculis exime, illumina oculos mentis vt semper te agnoscam præsentem, diligam ac honorem: conceptaque ex diuina bonitate fiducia sacerdos ad sumptionem corporis Domini progreditur, dicens: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* sanè cùm ex me nihil dignũ offerre illi possim, qui me de nihilo creauit, perditum redemit, sępiusq; relapsum misericorditer erexit, ad glorioſi nominis eius laudem, gloriam, & honorem, panem cælestem, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo, accipiam ego famelicus, vt non esuriã in æternum, vt cor meum stabiliat, eiusq; sumptione roboratus in via Domini rectè deambulem: *et*, pro tantis beneficijs cum gratiarum actione, nomen Domini inuocabo; ad quod celebrandum Eucharistiæ sacrificium præsertim institutum est. Ne verò cum Iuda ficto amicitiæ symbolo, iterum osculo filiũ hominis tradam, rursumque crucifigens Filium Dei ostentui habeam, supplex oro, vt: *Corpus Domini nostri Iesu Christi*, quod in cibum animæ sub panis specie latens accipio: *custodiat animã meam in vitam æternam*; foueat tan-

Marci 10.

Lucæ 4. Lucæ 7. Lucæ 24.

quam conuenientissimũ in hoc vitæ curriculo viaticũ, quemadmodum manna datũ in deserto Israëlitis, per annos XL. peregrinationem vitæ præsentis adumbrantes, eos demum in promissionis terrã, ac subcinericius panis Heliam ad montem Dei Horeb, perduxit, quibus optatum cælestis regni habitaculum, vitaq. felix & quieta per hoc sacramentum præstanda figurabatur. Deinde ad sumptionem benedicti calicis progrediens subdit: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? æquum plane foret, pro acceptis à Deo tam immensis beneficijs in argumentum gratitudinis aliquid ei retribui; sed tot & tãta Dei sunt in me naturæ ac gratiæ munera, vt nihil prorsus ex me habeam, quòd illi dignè in compensationem reddere queam; ex me siquidem nihil præter peccatum habeo, quod ipso Domino non authore, sed prohibente commisi; nec sunt mala pro bonis eddenda: bonum autẽ omne quod habeo, ab ipso totius bonitatis vberrimo fonte promanauit. Et quanquam bonum opus illo adiutore factum, propter liberam meæ voluntatis cooperationem meum dici verè possit; attamen id omne lõgè minus est præclaris beneficijs, mihi gratuitò collatis. Cùm itaque nihil mihi sit, quod vni datorũ à Deo donorum æqua compensatione respondeat, non de meo, sed de suo illi reddam, quod in singulare contulit humano generi munus: *calicem salutaris accipiam*, præclarum illum noui Testamẽti calicem, Iesv Christi Saluatoris pretiosum sãguinem cõtinentem: calicẽ vtique passionis, quẽ Patris voluntate bibit, & ex quo nobis æternæ salutis potum propinauit: eundem illi calicem offeram, & nunc bibã cum gratiarum actione, ac nominis eius inuocatione, cui omnis honor & gloria debetur. Ac deinde sacerdos virtutem sãguinis Christi immanere suis viscer:bus precatur, dicẽs: *Sãguis Domini nostri I. C. custodiat animã meam in vitam æternam, Amen.* Conseruet animã meã in vitæ innocẽtia, cordisq; puritate, ne post illius speciosi sãguinis sumptionẽ in peccata relabẽs, Christum in honorẽ, ab eoq; recedam, & sicut Iudas, hostiũ Christi numero me adiũgam: *custodiat* insuper à percussione & plaga demonis, ne primogenita, bona scilicet opera mea superueniẽte malo extinguantur, sicut olim sãguis agni typici Filios Israël custodiuit, ne ab angelo percutiẽte læderentur. Denique sicut olim patres huius sanguis virtute de loco inferiori ad Paradisi gaudia educti sunt; ita sãguinis Domini *animam meam in vitam æternam* perducat, secundùm Christi promissionẽ: *qui bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, in quam ipse per eundem proprium sanguinem introiuit, nobisque in sãcta introeundi fiduciam cõtulit. Zachar. 9. Hebr. 9 & 10.

Completa porrò sacramẽti sumptione, orat sacerdos: *Præsta quæsumus omnipotens Deus, vt nulla remaneat ibi peccati macula, vbi tam pura et sancta intrauerunt sacramenta, per Christum Dominum nostrum, Amen*: quia nulla est participatio iustitiæ cum iniquitate, neq; societatis luci ad tenebras: ac subiungit: *Quod ore sumpsimus Domine, puramẽte capiamus*, sic hoc sacramentum corporaliter percipiamus, vt fructũ spiritualẽ ex eo hauriamus, *& de quinere temporali*, quod tanquam viaticũ seruit vitę presenti, *fiat nobis remedium sempiternũ*, contra tẽtationes & vitia. Deinde finitis orationibus, postcõmunionem populo dimissionem denũtiat his verbis: *Ite, missa est*. Ite, dimissio cõceditur. Micrologus c. 6 a. Ite, missa est.

ceditur. In quibusdam tamen minùs solemnibus missis, aut ad significandam mœstitiam temporis, non dicit sacerdos, Ite, missa est: sed, *Benedicamus Domino*, insinuans, permanendum esse in Dei laudibus, & laudabili opere completo Deum tanquam omnis boni authorē laudandū esse.

Benedicamus Domino.

In officio pro defunctis, *requiescant in pace*, dicitur. Deinde populo sacerdos benedicit, vt per ipsius ministerium Deus suæ gratiæ dona largiatur, vt promisit Numer. 6. *Cœlesti benedictione benedicat & custodiat vos Diuina maiestas, & vna Deitas*, à qua omne bonum descendit, *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, Amen.* Ante sacerdotis benedictionem, populo recedere non licet, iuxta Concilium Agathense canone. 31. Ac se inclinans ait: *Placeat tibi sancta Trinitas obsequiū seruitutis nostræ*, (prout à me ministro fit sacrificij oblatio, sit tibi accepta) *& præsta, vt sacrificium, quod oculis tuæ Maiestatis indignus obtulit*, (quod per se tibi semper gratissimum est, etiam quatenus à me offertur, sit gratum) *tibi sit acceptabile, mihique & omnibus, pro quibus illud obtuli, te miserante propitiabile: Per Christum Dominū nostrum, Amen:* omnibus viuis & defunctis, pro quibus oblatum est, ad peccatorum veniam, & gratiam obtinendam sit vtile & salutare, non ex meritis aut iustitiis nostris, sed propter Christi merita, & magnam misericordiam tuam, Amen.

Leuit. 9.

Ante vltimam sacerdotis benedictionem à missa populus non recedat. Conc. Agathens. can. 31.

CAP. XLI.

Quòd Missæ officium nihil erroris aut superstitionis contineat.

EX prædictis luculenter apparet, quòd in toto Missæ officio ex variis partibus artificiosè composito, nihil contineatur, quod non pietatem & sanctitatem redoleat; quodque non sit verum, decens, religiosum, ab omni erroris superstitionisque labe alienissimum; quódque præscripti Missæ ritus conuenientissimè sapientissiméque instituti sint, cùm vt Maiestas tanti sacrificij commendaretur; tum vt dignè, cum debita videlicet honestate, modestia, grauitate ac reuerentia offerretur, mentésque tam offerentium, quàm aliorum fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis ligna, ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

CAP. XLII.

Epilogus.

QVare cùm Catholica doctrina de incruento proprij nominis sacrificio corporis & sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini à Christo & Apostolis ab initio ecclesiæ tradita sit, & ab vniuersis, qui doctrina & vitæ sanctitate, miraculisque claruerunt, indubitātérque sancti & amici Dei fuerunt, recepta, vsúque comprobata fuerit; absque vlla cunctatione retinenda est. Nam tutissimū est sequi, quod vniuersalis Christi Ecclesia semper tenuit, & quod Christi in terris vicarius, Apostoliq; Petri successor Pontifex Romanus, militantis ecclesiæ pastor visibilis supremus, à suis maioribus continua traditione accepit, vsq; ad Clementem VIII. qui nunc Romanæ feliciter Ecclesiæ præsidet, cuius iudicio, cuncta in tribus his libris per nos dicta, vt & vniuersa nostra scripta subjicimus.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM QVÆ IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

A

Authoritati diuinæ rationis est credere. p. 5
Authoritas non est vnius generis. 6
Apostoli nones fidei articulos condiderunt. 27
Apostolorum & posteriorum Doctorum differentia. 29
Articulus fidei quid? 31
Articuli fidei expresiè credendi. 31
Articuli fidei cur in 12. digesti. 31. 32
Ante creatum mundum quid egerit Deus? 65
Angelorum creatio, natura, proprietates, gratiarum munera, numerus, domicilia, & qualitates exponuntur 67. 68. 69 70
Angelica ruina causa. 72. quo ordine lapsus factus. 81
Angelorum ordines et distinctiones. 73
Angelorum custodia & ministeria. 74. 75. & 76
Angeli mittuntur, protegunt bonos, puniunt malos, regnis præsciuntur. 75. 76
Angelus bonus quomodo discernatur à malo. 78
Angelis honor debetur, non latriæ. 79
Angelorum opera cur Deus vtatur. 79
Auxilium generale in quo à speciali differat. 105
Auxilium speciale diuiditur in excitans & adiuuans. ibidem. quid autem sit excitans & quid adiuuans, ibidem exponitur.
Auxilium Dei ad singulos actus bonos necessarium. 123. 124. 125
Angelorum electio & hominum differt, 141
Aduentus Christi quàm desideratus. 156
Aduentus Christi duplex. 295. 296
Arij mors infamis. 165
S. Anthonius Arianos vt pestes euitauit. ibidem.
Auxilium sufficiens an omnibus detur. 128. 129
Anima iustorum post mortem videnr Deum. 252. 260
vtrum animæ Purgatorio emundatæ mox Dei visione fruantur. 259
Animarum apparitiones an sint veræ, vel dæmonum potius illusiones. 261
Aërius hæreticus orandum pro defunctis negauit. 253
Apparitiones Christi post resurrectionem. 282. 283
Ascensio Christi in cælum. 284. & quæ eò pertinent, vsque ad. 290
Antichristus quis, qualis, quando venturus, aduentus eius signa, eius vita, gesta, persequutiones, mores, nomen, finis. 300. & sequentes vsque 306
Aduentus Christi ad iudicium. 294
Aduentus Christi duplex 295. duo visibiles, ibid. supra vallem Iosaphat. 296.

quomodo Christus venturus ad iudicandum. 296
Aduentus Christi tempus Deus nos ignorare vult. 297. 298. 299
Accusatores in die iudicij. 321. 322
Anaritia quid? eiusque remedia. 411. 412
Acedia quid? eius species & remedia. 418. 419
Alma, qualitas B. Mariæ apud Hebræos quid significet. 185
Aliena peccata quæ dicantur. 419. 420
Aureolæ quid, quibus dandæ. 442. 443
Absolutio formalis pœnitentiæ pars. 553. 554
Amicitia conseruanda. 705
Adulterium vetitum. 718
Angelica salutationis expositio. 789. *vsque* 803. *mysteria in ea contemplanda.* *ibidem.*

B

Baptizatorum nomina varia. 3. 4. 5
Beatitudines sunt actus Virtutum & donorum Spiritus sancti. 350. 351
Beatitudo in quo consistat, in cuius potentiæ operatione. 440. 441. *& sequen.*
Beatitudo accidentalis. 441. 442
Beatitudinis status excludit peccatum, imperfectionem, adfert securitatem. 245. 443
Beatitudinis disparitas vnde proueniat. 444. 445
Baptismi definitio, materia, forma, 480. 481. *& sequen.*
Baptismus reiterari nequit, eius institutio, minister. 484. 485. 486. *necessitas,* 487. *& sequen.*
Baptismi effectus. 495. 496. 497
Baptismi ceremonia. 500. *et sequen.*
Baptizandi qualitas. 492. 493. 494
Baptismus solemnis Baptistæ. 499
an Baptizandi parvuli inuitis parentibus. 494. 495
Blasphemia quid, eiusque grauitas. 683
Bellum quando licitum. 709
Belli iusti conditiones. 710. 711. 712

C

Catechesis author Deus, promulgatores Angeli, prophetæ, Apostoli, Episcopi, Doctores et Pastores. 2. *&* 3
Catechismus quid, Catechista, catechumen. 3
Catechista vnde ordiri doctrinam suam debeat. 4
Cerei accensi in funere quid significent. 538
Credendi media ordinaria. 20
Controuersiæ fidei ex veterum patrum scriptis terminandæ. 30
Colloquia cum hæreticis noxia. 35. 36
Christiani prima vox, credo, cuius officium est credere non disputare. 32
Christiani discipuli, non Philosophi vocantur. 39. 40
Christiani variis nominibus appellati. 160
Credere Deo non est imprudentiæ. 33. 34
Credenda non sunt euidentia, sed tamen credibilia. 34
Credibiles articuli fidei 8. *argumentis fiunt.* 34
Confessio fidei quo casu necessaria. 46
Confessio fidei apertè facienda. 47
Credere Deum, Deo, & in Deum quomodo differant. 9. *&* 50
Creare, atque creatorem esse quid sit? 61
Creatori latriæ cultus debetur. 62
Cur Deus creauerit mundum. 63
Creatus est mundus, non æternus. 63. 64
Creatio rerum an successiuè facta. 65. 66
Cinerum aspersio nos originis nostræ admonet. 82
Corporis in statu innocentiæ qualitas. 84. *animæ rationalis origo, non ex traduce est, sed creatur, & creando corpori infunditur incorporea, immortalis.* 86. 87. 88
Cassiani de Christi gratia error. 103
Caluinus ponit Deum in nobis bona operari, nobis non cooperantibus; quod confutatur. 108
Christus nostræ prædestinationis exemplar. 135

Christi fides ad salutem necessaria. 151
Christi aduentus quàm necessarius. 150
Christus verus Deus, et verus homo. 152
Christus est nomen officij & dignitatis. 159
Christus est Filius Dei naturalis & unicus, cur autem spiritus Sanctus etiam filius dici nequeat. 162
Christus latriâ colendus, omnia creauit, propria miracula fecit. 164
Christus est Filius Dei Patri consubstantialis. 56. 163
Christi fides omnibus ad salutem necessaria. 166. 167
Christi aduentus cur vsque ad vltimam mundi etatem dilatus. 167
In Christo quanam considerandа. 192
Christus secundum vtramque naturam Dominus. 168
Conceptio cur Spiritui sancto tribuatur. 171. 172
Christo homini gratia fuit quodammodo naturalis. 173
Christus ab initio conceptionis fuit homo perfectus, comprehensor, meruit, scientiam qualem habuerit, non tamen humanitati data fuit omnipotentia, vbiquitas. 173. 174. circa Christi carnem, & personam hæreses. 174. 175
Christi natiuitas vbi, quando, quomodo, facta. 175. 176. 179. 180. Christi vita, passio, &c. 190. 191
Christi incarnationis reuelatio, vbi quãdo, et quo loco facta. 167. 168
Crucis adoratio. 667
Crucis Imago, crucis signum. 668
Signi Crucis virtus. 669. 670. 671
Cantus Ecclesiastici vtilitas. 744
Christus de Virgine desponsatâ, desponsatâ Fabrochr nasci voluerit. 187. 188
Christus primogenitus in multis fratribus cur dictis in scripturâ, & quinam illi fratres. ibid.
Christus mortem crucis cur elegerit. 208. 209. 210
Crucis mysteria, figura, vis, energia. 209. 210. 211
Crucis ligni encomia. 211
Crucis particula per orbem dispersæ. 211
Crucis inuentio. 211. Crucis exaltatio. ib.
Clauis Dominus cruci affixus quot fuerit. 211. 212
Christus facie ad occidentem cruci affixus. 212
Crucis Christi forma. ibid.
Crucis encomia, quodque fons sit omnium benedictionum, ideoque adoranda proponatur in die parasceues, preferatur in processionibus, ponatur in turribus, in viis, in nummis, in vexillis, Regum coronis, &c. 213. 214. 215
Crucis signum ad quos effectus valeat. 215. 216
Crucis signum fidei christianæ compendium. 217
Crucis contemptus, ad Christi contemptum ducit. ibid.
Crucis imaginem licèt adorare & venerari. 669. 670. & seq.
Christus quo tempore, & qua parte diei surrexerit. 267
Christus iustitiæ vindicatiuæ satisfecit rigorosè. 224. 225
Christi mors sacrificium fuit. 225. meritum, satisfactio, redemptio. 226
Christus omnium redemptor quoad pretij sufficientiam, non quoad efficientiam. 227. 228
Christus post resurrectionẽ an verè. 276. 277
Corpora gloriosa qualia. 274. apparent in effigie sibi placente. 274. 275
Cicatrices cur Dominus post resurrectionem retinuerit. 274. 275
Corporum glorioſorum qualitates. 278. 279. 280. 281
Corporeum damnatorũ qualitates. 436. 437
Christus quo in latere fuerit percussus. 234
Christus post ascensionem in terris verè apparuit. seq; præsentem exhibuit. 293
Christi corpus mortuum an ide fuerit cum viuo. 231
Christus omnes homines iudicaturus. 325. 326. an etiam angelos. ibidem.
an Christus in triduo mortis fuerit. 230

Cardinales virt. quatuor, illarumque officia. 343.344.345
Coniugium B. Mariæ, & Ioseph an fuerit verum. 188.189
Consilij donum quid. 345
Consilium à quo petendum. ibid.
Consilia euangelica à præceptis differunt. 346
Communio sanctorum in quo consistat? 387.388
Circuncisio an ex opere oper. gratiam contulerit. 461
Character Sacramentalis quid, eiusque officium. 466.467.468
Confirmationis Sacramentum, eius institutio, materia, forma, effectus, minister. 503.504. & se. vsque 511
Confirmationis necessitas & vtilitas. 510. 511
Contritio quid. 532.533. eius vis, vtilitas, necessitas, causæ. 535.536. 537.538
Confessio vbi, & à quo instituta? 538. 539. & seq. an venalia peccata confitenda. 544. 545. an confessio mutila repetenda, quæ confessionis conditiones. 545. an confessa peccata redeant. 547. quando confitendum. 548
Censuræ Ecclesiasticæ. 555. 556. 559. 560
Chorepiscopi & Abbates. 578
Cardinalium amplitudo. 577.578
Calibatus ordinibus annexus. 588
Clericorum stipendia, immunitates. 589. 590
Coniugum officia. 617.618

D

Doctrina christiana ad credenda, sperandaque et facienda reuocatur. 5
Dubitantes pertinaciter de fidei articulo non habent fidem. 15
Deus homines doceri per homines instituit. 21
Disputationes cum hæreticis plus nocent quàm prosunt. 30.31
Dissensio hæreses perdit. 35.36
Dissensio libera fuit inter Philosophos & Poëtas. 36.37
Deus vnde dicatur. 50
Dei nomine tetragrammatico quid significetur. 51
Dei nomen substantiam denotat & qualem. ibid.
Deus vnus esse conuincitur. ibid.
Deum aliquem esse rationibus euidentibus conuincitur. 51.52. 53.54
Deus vnus natura subsistens in tribus personis. 62
de Deo errores. 55
Deus sine sua mutatione omnia creauit. 66.
Diabolus ex quo Angelorum ordine fuerit. 72
Dæmones parati ad nocendum hominibus. 78
De dæmonibus quid scire expediat. 80
Discretio fidelis ab infideli à gratia est. 109
Deus quot modis humanam voluntatem potest flectere. 110
Deus voluntatem immediatè saluo suo naturali agendi modo sua gratia mouet. 111. 118.
Discretio credentis à non credente principaliter in Deum referenda est. 119
Deus ex massa damnata quosdam eligit, alios deserit. 130.140
Deus tanquam prima causa omnia mouet. 146.147. & causas secundas ad suos effectus applicat saluo naturali agendi modo. 146. 147
Deus conseruat aliter quam homines. 149
Deus voluntatem quomodo moueat et immutet. 149. 150
Deus conuenienter homo factus est. 139. 140
Deus quid egerit ante creatum mundum. 64.65
Deipara virgo, et quantam hoc eminentiam contineat. 177. 178
Descensus Christi ad inferos. 240
Dy qui in hoc seculo dicti, & qua ratione 52
Dies initio tendebat à luce in tenebras, nunc contra à tenebris ad lucem. 268
Dominica dies cur obseruetur. 268. 688.

639. hac die neque ieiunandum neque genu flectendum. ibid.
Dextera Dei quid significet. 291.292
Diaconi munus. 573
Diuortio non dissoluitur coniugij vinculum. 606. 607
Decima quoad quantitatem iure Ecclesiastico soluenda. 590
Decima quibus soluenda, & à quibus. 590. 591. 592
Decalogi expositio cur symboli & sacramentorum tractatum sequatur. 621
Decalogi præstantia. 637. 638. quos obliget. 640. 641. an impleri possit lex decalogi. 642. 643
Decalogi præcepta quot & quæ? 646. 647. eorum singillatim explicatio. 649 vsque. 738
Decalogus an ex charitate implari debeat 648
Decalogi præcepta an dispensabilia. ibid.
Decimi præcepti expositio. 731. 732
Dispositio communicaturo necessaria. 738. & sequent.

E

Ecclesia est testis credendorum. 18
Ecclesia est Iudex fidei controuersiarum. 19
Ecclesia vox est lydius lapis ad explorandum veritatem doctrinæ. 20
Ecclesiæ vox concurrit ad fidem generandam. 20
Ecclesiæ magisterium est infallibile. 24
Ecclesia fidem non immutat, sed explicat. 27
Ecclesiæ vox origine diuina. 26
Errores de omnipotentia Dei. 58
Errores de prouidentia. 144
Errores de prima mundi origine. 108. 109
Errores de futuro. 310. 313
Efficax gratiæ directis cum libertate consistit. 109
Efficax gratia non respuitur. 114
Electio ad gloriam præcedit meritorum præscientiam. 134
Eligendo, dignum facit Deus. 135
Electio Dei est voluntas efficax saluandi. ibidem.
Electorum salus infallibilis. ibid.
Electio gratiæ est ordine intentionis. 136
Electio iustitiæ prior est ordine executionis. ibid.
Electio Deus dat operari alio affectu quam præscito reprobo. 137. 138
Ex triplicem habitudinem denotat. 181
Ecclesia Dei Domus. 351. 352
Ecclesiæ vox quid significet. ibid.
Ecclesiæ et Synagogæ differentia. 352
Ecclesia noui testamenti & veteris quoad essentiam vna & eadem est. ibid.
Ecclesiæ definitio. 353. 354
Ecclesia triumphans & militans. 355. 356
Ecclesia quos contineat, an etiam occultos hæreticos. 356. 357. an Catechumenos et excommunicatos. 357
Excommunicationis effectus. 258. 259
Ecclesia continet bonos & malos. 360. 361
Ecclesia est vnica, non duæ. 362. 363
Ecclesia Christi est visibilis. 363. 364. 365. 366. & fuit ab initio mundi visibilis 326
Ecclesiæ notæ sunt 4. quibus visibilis est. 371. 372
1. Est quod sit vna, & in quo hæc vnitas consistat. 372. 373. 374. 375. 2. est quod sit sancta, in quo hæc sanctitas consistat. 376. 377. 378. 379. 3. quod sit catholica. 380. 381. 382. 4. quod sit apost. origine, successione. 382. 383
Ecclesia est prior & notior scriptura. 385. 386
Ebrietas quid, quando peccatum mortale. 416 417
Eucharistia sacramentum. 511. 512. 513. figuris prænunciatum. 514. de eius institutione. 516. 517. de ipsius materia & forma 519. 520. & seq. de reali Christi præsentia in Euchar. 526
de Excommunicatione. 555. 556. 557. eius in Reges fieri potest. 558. cuius sit absoluere, ab ea. 559
Episcoporum gradus et officia. 577. vsque ad. 584
Ecclesiæ præcepta. 733. quot? & quæ? ibid.

F

Fides à Deo est atque ecclesiæ testimonio. 3
Fidei Christianæ mysteria viva voce tradita sunt. 4
Fides est religionis & beatæ vitæ basis. 5
Fidei significatio varia. 6
Fidei definitio. 7
Fidei vnde meritum. 7.8
Fides non est fiducia. 8
Fidei triplex actus. 9
Fides per Christum datur. 11.12
Fides cur non omnibus detur. 12.13
Fides quæ viua? quæ mortua? 13.14
Fides informis quæ dicatur. 14
Fides non sola iustificat. 14.393.394.395.396.
Fides resoluitur in Deum reuelantem. 17
Fidei regula est verbum Dei scriptum & viua voce traditum. 3
Fidei cum moneta adulterina & cymbalo comparatio. 15. in f.
Fuga persequutionis tempore quibus licita. 48
Faustus à Gelasio damnatus. 103
Fortunæ vocabulo parce vtendum. 148
Filius Dei conuenienter est incarnatus nō Pater aut Sp. san. 157
Fortitudinis donum in quo consistat. 346. 347
Festa Sanctorum rectè instituta. 692.693
Festa vsu recepta celebranda. 692
Festis diebus quid agendum. 694. 695. quæ obseruationis festorum vtilitas. 695. 696
Filij qui 4. præceptum violent. 698
Filij Dei qua ratione vocemur. 56
Fornicatio vetita. 718
Furti prohibitio. 723
Furti species. 726.727
Festorum obseruatio. 734

G

Generatio innocentiæ tempore fuisset absque inordinato motu. 85.86
Gratia Christi in quo consistat. 102.103
Gratia à gratis dicta. 103
Gratiæ nomen tripliciter accipitur. 103
Gratia diuiditur in æternam, & temporalem. 104
Gratia temporalis in gratificantem, & in gratis datam diuiditur. 104
Gratia gratis data ad commune bonum, & aliorum salutem promouendam confertur. 104
Gratia gratum faciens in habitualem & actualem diuiditur. 105
Gratia iterum diuiditur in sufficientem et efficacem, qui verò sit gratia sufficiens, & quæ efficax, exponitur. 106.107
Gratia efficax ab efficiendo dicitur. 107
Gratiæ efficacis præparatio est fundamentum prædestinationis. ibid.
Gratia efficax libertatem arbitrij non tollit sed adiuuat. 108.109.110
Gratia efficax adiunctam habet infallibilitatem, non autem necessitatem. 110.114
Gratia quæ operans, quæ cooperans. 114. 115
Gratia præueniens quomodo sine nobis operetur. 116
Gratia quæ præueniens, quæ subsequens 116. 117
Gratia æquali posita in similiter affectis vtrum ex duobus vnus credat alter non. 117
Gratia efficax consensum non expectat sed operatur. 118. & discernit principaliter volentem. ibid.
Gratia hominis L. in quo differat à gratia hominis lapsi. 118.119
Gratia ad singulos actus necessaria. 123. 124. 125
Gratia non omnibus æqualis effertur. 127
Gratia operans seu præueniens relinquit dissentiendi libertatem. 128
Gratia sufficiens an omnibus detur. ibid.
Gratiæ prædicatio exhortationi non aduersatur. 141.142
Gubernat Deus immediate vniuersam creaturam. 147
Gubernatio creaturæ communicatur. 148
Gubernationis diuinæ effectus ibid.
Geneologia Christi cur in festis B. Mariæ

legatur. 178
Genealogia B. Mariæ. 189
Gula quid, eius species. 415

H

Hæretici fidem non habent. 8.9
Hæreticorum doctrina inconstans & discors. 33.34
Hæreses circa Christi carnem & personam. 174.175
Hæreses ex scriptis veterum profligandæ. 49
Hominis creatio. 81.82.83
Homo ab humo deducitur. 81
Homo in quibus Deo similis exiſtat. 92
Homo significat animam rationalem corpori unitam. 81.82
Humani corporis partium admiranda dispositio. 83
Hominis vita Innocentia seruata quæ & quanta. 84
primi Hominis status. 91
Henoch et Helias venturi ad conuertendum Iudæos. 306. 307. occidendi per Antichristum. ibid.
Horæ septem canonicæ. 588.589.761
Honor est testimonium excellentiæ. 696
Honor subuentionem et obedientiam continet. 697
Honor Episcopis & Pastoribus debitus. 700
Honor Magistratui seculari debitus, 702.703
Homicidium prohibetur. 712.713. est duplex intentum et fortuitum. ibid.
an priuato Homini dignum morte occidere liceat. 708
Homicidium fortuitum. 712.713
Horæ canonicæ. 758.759
Horarum canonicarum tempus. 761.762
an per alium Horæ legi possint. 765
de loco vbi persoluendæ Horæ, & quinam & recitandis adstricti. 764

I

INitiandorum nomina. 45
Iudicium definientis ecclesiæ est infallibile. 24
Infallibilitas iudicij industriam non excludit. 25
Infallibilis est doctrina Ecclesiæ. 25
Iudicium triplex rationis, discretionis & authoritatis. 36
Iudicium controuersiarum fidei ex patrũ traditione finiendum. 36.37
Iudicia Dei inscrutabilia. 131
Immortalitas primi hominis vnde, et qualis. 89
Imago Dei in homine in quo consistat. 91
Iustitia non est hominis naturalis. 93
In cognitione primi Adæ et secũdi Christiana fidei fundamentum consistit. 102
Iudæi Mosaicæ legis adiutorio contenti. 102
Ignatij Lojolæ de grat. et lib. arbit. dictum 143
Incarnatio verbi, bonitatem, sapientiam & potentiam Dei commendat. 153
Incarnatio quid cõtulerit, quæ illius causa, quis finis. 154. & 155. an angelis profuerit? 155
Incarnatio verbi an fuisset, si homo non peccasset. 156
Iesu nomen quid significet. 157. 158. quanta nominis illius excellentia, efficacia, quam amabile, quam frequens in Apostoli & Sanctorum aliorum ore. 158. 159.
Incarnatio verbi quomodo à conceptione differat. 171
de Indulgentiis. 552.553
Infernus quid 240. 241. 242. locum Inferni Caluinus negat. 242
Inferni cruciatus Christo tribuit. 243. 244. quatuor eius situs. ibid.
cur anima Christi ad Infernum descenderit, quas inde animas liberauerit. 248. 249. 250. 251
Imago præter similitudinem requirit, vt ad exemplar producatur 336.337
Iesu nomen honorantes, non sonum sed rem significatam honoramus. 159
Iudicium nouissimum. 298
cur generale Iudicium post particulare. 311

Iudicium exercebit Christus. 313. *an simul sancti.* 316
Iudicij metus vtilis. 315. 316
de sententia Iudicis. 324
de Iudicandis. 325
Iudicij extremi forma. 317. 318. 319. 320. 321
de quibus ratio in die Iudicij erigenda erit. 323
Iudicium an diuturnum futurum. 326. 327. *an mentalis manifestatio causæ cuiusque.* ibid.
Inuidia quid? eius species. 417. 418. *remedia.* ibid.
Intentio in ministro sacramenti quatenus necessaria. 472. 473
Impedimenta matrimonij. 607. 608. *vsque ad* 613. *quæ, & cui in eis liceat dispensare.* 614. 615. 616
Iustificare ex opere operato quid. 461. 462
Imaginum vsus licitus. 665. *cultus,* 667. 668
Imagines quo cultus genere honorandæ. 668. 669
Iuramentum per se licitum 676. *etiam per creaturas.* 677
Iuramento per falsos Deos an vti liceat. 678. *quotuplex iuramentum.* ibid.
Iuramenti legitimi conditiones. 679
Iuramentum quando peccatum. 680. 681.
Iurandi consuetudo culpanda. 681
Iuramenti vsus. 626
Iniuria verborum. 714. 715. 716
Ieiunium Ecclesiasticum quid, quomodo, & à quibus obseruandum. 736. 737. 738
Ira quid? eiusque species & remedia. 414. 415

L

Libellatici in quo peccauerint. 49
Liberum Arbitrium vnde dicatur. 94.
Libertas triplex à necessitate, à peccato, & à miseria 95
Libertas excludit non solum coactionem & violentiam, sed etiam fatalem & naturalem necessitatem. 96
Liberum Arbitrium hominis integri quale fuerit, quale Dei auxilio ad bene operandum indigueris, cur tale creatum. 96
Liberum hominis arbitrium peccato non amissum ostenditur. 96. 97
Liberum arbitrium peccato corruptum & languidum effectum. 98
Liberum arbitrium quid nunc absque Christi gratia boni possit. 100. 101
Legis veteris officium erat peccatum ostendere. 102
Lapsus primi hominis quantum mali inexerit. 151. 152
Limbus vbi sit, & quòd eum malè neget Calvinus. 241. 242
Luxuria quid? eius species, & remedia. 412. 413
Lactatio prolis fieri debet à matre. 620
Leges à Theologo & Iurisp. diuersa ratione considerantur. 622. 623
Legis nomen vnde? 623
Lex vim habet dirigendi, & obligandi. ibidem.
Legum distributio. 626. 627
Lex æterna quid? 627
Lex naturæ quid? ibidem.
Legis humanæ definitio, ac diuisio. 627. 628
Legis officium & effectus. 629. 630
Legum condendarum Potestas penes Pontificem & Episcopos. 630. 631. 632
Lex naturalis quoad communia principia omnino aboleri nequit. 633. *discrimen inter legem naturalem, diuinam et positiuam.* 634. 635
Lex veteris à Deo data, bona fuit. 635. 636
Lex cur scripto data. 639. 640
Lex decalogi an impleri hic queat. 642. 643
Legis obseruatio quos fructus pariat. 643. 644. 645
Libidinum variæ genera. 443. 444. 448. 449

M

Miraculis fides vera confirmatur. 32.
Missæ cur 2. precepto Decalogi addita? 685
Mali origo, & cur Deus mala permittat. 60
Mundi creatio ex nihilo cur facta. 61. 62. 63. 64.
Mundus an vnicus. 67
Mors vnde obuenerit. 86
Mortem Philosophi & Pelagiani naturalem esse putarunt. 86
Miseriarum origo peccatum. 86
Motio Dei quid? et quomodo fiat salua libertate? 111. 112
Miraculosa creaturarum immutatio quot modis fiat. 150. 151
Maria quid significet, dignitas et gloria B. Mariæ. 181
Mariæ virginitas, quando vouit? hæreses de ipsius virginitate. 182. 183
Maria Ioseph cur desponsata, & quidem fabro, genealogia ipsius. 184. 185. 186. 187. 188
Mori Christum decuit, vt nos à malis peccato in vectis liberaret. 199. 200. 218. 219
Mors Christi quid nobis præstet. ibidem.
Mors Christi violenta, non tamen coacta fuit. 231
Minister sacramentorum quis, & an sanctitas ei necessaria sit? 468. & sequentibus ad quid tenetur, & an debeat ministrare sacramenta nota lingua. 477. 478
Matrimonium ab initio naturæ officium. 597. 598. nunc legis nouæ sacramentum. ibidem
Matrimonij forma, materia, minister. 601. 602
Matrimonium quid firmat, quid dissoluit. 603. 604. 605. et 606
Matrimonij ceremoniæ. 616. 617
Matrimonij bona. 618. 619. mala bonis matrimonij contraria. ibidem. obseruanda in vsu matrimonij. 619. 620.
Meritum de condigno quas conditiones requirat. 222. 223
Mercedis intuitu operari licet. 648. 649
Missam audire ecclesiæ præceptum est. 733
Missam audire quis censeatur? & quis die festo ab audienda missa excusetur? 734. 735. 736

N

Naturale variis modis accipitur. 93.
Necessitas conditionata non affert consequentis necessitatem, sed tantùm consequentiæ. 114
Nouissimus vnicuique dies est mortis suæ. 297.
Noui præcepti expositio. 730. 731

O

Oleum signum clementiæ, qui eo inuncti & qua de causa. 160
Oleum cur in cornu asseruatum. ibid.
Omnipotentia Dei quædam nota. 57
Omnipotens cur dicatur. ibid.
Omnipotentiæ signa. 58
Omnipotentiæ cur in symbolo fiat mentio, et Patri attribuatur. 59
Omnipotentiæ fides contra hostes nos munit. ibid.
Orandum pro defunctis negauit Aërius. 253. 254
Orari vtiliter à viuis pro defunctis. ibid.
Orandi ad Orientem mos vnde. 328
Operari ex opere operato quid. 460
Ordinis sacramentum. 564. 565. proprie dictum. 568. 569.
Ordinum numerus, eorumque officia. 569. 570. 571. & sequent.
Ordinis minister. 584. 585. 586
Ordinum ceremoniæ. 586
Ordinandorum qualitates. 587
Officia patriæ & cõsanguineis debita. 701

Officia Dominorum & seruorum. 702
Officium principis Christiani. 701
Occidere hominem morte dignum an liceat homini priuato. 708
Octaui precepti expositio. 727. 728. 729.
Orationis definitio & quotuplex. 741. 742.
Orationis vocalis vtilitas. 743. 744
Orationis partes. 746. 747
Orationis necessitas. 747. 748. *errores circa necessitatem orandi.* 749
Orationis fructus. 750. 751
Orandi modus. 751. 752. *& seq.*
Oratio an solùm lingua intellecta fieri possit. 755. 756. 757
Officij diuini partes. 759. 760
Orando quæ petenda. 766. 767. 768
Orationis dominicæ excellentia 770. *eiusdem expositio.* 771. *vsque* 788

P

PAtrini & Matrini officia. 502. 503
Pythagoras fidem ab auditoribus exegit. 6
Patris vox Deo competens ad aliquid dicitur. 56
Potentia peccandi imbecillitatis nostræ actio. 57
Potentia Dei absoluta, & ordinaria. 58
Pelagius Christi gratiam ponebat in doctrina, & externis adiumentis. 103. 104.
Præparatio finalis gratiæ efficacis est fundamentum prædestinationis. 107
Prouidentiæ Dei nulla creatura obstitit. 114
Prouidentia Dei certa. ibid.
Pelagij proprius de gratia error. 121
Pelagius Dei gubernationem negabat. ibidem.
Possibilitas multipex, per naturam, per gratiam, Item posse propinquum, posse remotum. 122. 123
Peccator etiam desertus nullam excusationem contra Deum prætendere potest. 130
Prædestinationis definitio, et an eius in homine causa reperiatur. 130. 131
Prædestinatio habet certitudinem causalitatis. 135. 136
Prædestinat Deus ad certum gratiæ & gloriæ gradum. 137
Præscientia conditionata inter scientiam visionis & simplicis intelligentiæ media reijcitur. 132. 133
Præscitis ex Dei prædestinatione dantur auxilia temporalia 138
Prodigia in morte Christi cuenta. 131. 132
Prouidentia Dei quid sit? quarum rerum an omnium immediate, an rebus necessitatem imponat. 143. 144. 145. 146
Potentia obedientialis in omni creatura 151
Passio Christi, mysteriáque in ea considerauda. 197. 198. 199. 200. *& seqq.*
Passio Christi meritoria & satisfactoria. 222. 223. 224. 225
Passio Christi an lugenda. 205
Preces pro defunctis. 238
Purgatorium esse statuitur. 252
Purgatorij fides ad bonum incitat. 255. 256.
Purgatorium vbi sit. 256
Purgatorij ignis quomodo spiritus affligat. 257
Purgatorium post vltimum iudicium cessabit. 258
Pascha quid significet? & quando celebrandum. 269. 290
de Pentecostes, Ascensionis, & aliorum festorum Domini institutione. 491
Personarum diuinarum distinctio fit per relationes oppositas. 336. 337
Prudentiæ officia, vnde illa, & quomodo acquirenda. 343. 344
Pietatis seu iustitiæ donum in quo consistat. 347
Papæ nomen & papistæ quid denotent. 384.
Peccati incommoda. 220
Peccatum quantum sit malum, quibus bonis nos spoliet, & æruumis obnoxios reddat. 398. 399

Peccatum est priuatio. 392.
Peccati est causa deficiens non efficiens. 420
Peccati Deus non est author. ibid.
Peccata Deus non vult sed permittit. 401. 402
Peccatorum varietas & diuisio. 403. 404
Peccatis mortalis & venialis discrimen. 404. 405.
Peccata venialia non sunt contemnenda. 406. 407
Peccata 7. mortalia. 407. 408. *& seqq.*
Peccata quæ dicantur aliena. 419. 420
Peccatum in Spiritum sanctum. 421. 422
Peccata in cœlum clamantia quæ? 422
Peccata Deus authoritate remittit, sacerdos verò suo ministerio. 423. 424
Pœnitentiæ sacramentum. 526. 527
Pœnitentiæ virtus. 528
Pœnitentiæ partes. 531. 532
de formali parte sacramenti Pœnitentiæ. 538
Petri Apostoli, eiusque successoris priuilegia. 584. 585
Polygamia. 600
Purgationis tempus. 620
Prolis lactatio. ibid.
Peregrinationes licitæ. 663. 664
Pietas imperij præsidium. 626
Parentes honorandi. ibidem.
Parentum nomine qui contineantur. 697
Parentum officia in filios. 698. 699
Principis Christiani officium. 704
Præmium 1. præcepti. 673
Præmium obseruatoribus 4. præcepti propositum. 706
Præputium in Christo resurgente reuocauerit. 772
Præcepti 5. expositio. 706. 707. 708
Præcepti decimi expositio. 731. 732

Q.

Quæstionum religionis iudex est Rom. Pont. & Episcopi 34
Qualitates corporis Christi post resurrectionem. 221. 222
Quarti præcepti explicatio. 6
Quinti præcepti expositio. 706. 707. 708

R.

Reuelatio veritatis modis variis fit à Deo. 16
Reges cur vncti. 160
Regna ab Apostolica sede recedentia exarescunt. 38. 39
Rationes fidem illustrantes eius meritum non minuunt. 39. 40
Rebellio bestiarum in hominem est peccati pœna. 88. 89
Reprobationis actus quæ. 139
Reprobationis pure negatiuæ nulla in homine præcisè causa reperitur. ibid.
Reprobationis causa peccatum. 140
Reliquiæ sanctorum venerandæ. 239
Resurrectio Christi. 263. *in scripturis figurata & prædicta.* ibid.
Resurrectionis fides est christianæ religionis fundamentum. ibid.
Resurrectionis definitio. 265
Ratio in die iudicij de quibus rebus reddenda. 306
Remissio peccatorum fit in Ecclesia. 389.
Christi merito, sacerdotum ministerio. 390. 391. 425.
Resurrectio corporum futura. 424
de Resurrectione errores. 425. *& seqq.*
Resurgentium corporum statura, color, ætas, sexus: an simul fiet omnium resurrectio. 428. 429. 430. 431. 432. *vbi, quando, quali in corpore, quales futuræ dotes corporum, cuius virtute fiet resurrectio.* 432. 433. 434
Resurrectionis carnis fide corpora & reliquias sanctorum sepelimus, veneramur. 434
Romanus Pontifex Ecclesiæ militantis caput. 579. 580.
Religionis præceptum. 649
Reliquiæ sanctorum honorandæ. 660. 661.
Religionis causa peierare non licet. 686
Remedia contra lingua peccata. 716.
contra iram & iniurias. ibid.
Remedia contra libidines. 721

S.

Sacerdotum vnctio quid significet. 160

Sacra scriptura solâ ad controuersias terminandas insufficiens est. 22
Scriptura sacra Ecclesiæ authoritate recipitur. ibid.
Simonia definitio. 524. 525. *eius fœditas & enormitas.* 526
Symbolum quid denotet. 32
Symboli Apostolici necessitas. 22
Symbolum est ab Apostolis editum. 31. 32. 33.
Symboli authoritas. 33
Symboli crebra recitatio prodest. 34. 35
Symbolo cuncta Dei beneficia continentur. 33
Symbola tria præter Apostolicum in Ecclesia recepta. 35. 36
Symboli Apostolici locus. 38. *eius in 12. art. diuisio.* 38. 39. *cur in horis canter & occulte legitur* 35. *cur in Missa cantetur.* ibid.
Signo infidelitatis, uti non licet. 42
Signa aduentus Christi præcedentia. 300. 308. 309
Status primi hominis exponitur. 91
Similitudinis Dei ratio in quo consistat. 92.
Supernaturalis actio tribus modis dicitur. 105. 106
de nullius Salute desperandum. 130
Salus omnium optanda & procuranda. 130
prima Salutis origo quò referenda. 134
Sepultura Christi quid denotet, cur facta. 234. 235. *quæ ac quanta ibi mysteria.* ibidem.
Sepeliendi, ac sepulchrorum ritus. 236. 237. 238
Sepulturæ utilitas. 239
Spiritus creatus in loco est definito. 243
Sessio Christi ad dexteram patris quid significet. 190. 191
Sensus erunt, sensuúmque actiones in corporibus beatorum. 278
Spiritus sanctus amor Dei & donum, 172
de Spiritu sancto 328. *cur nomen Spiritus ei approprietur, & cur sanctus dictus.* 318. 320
Spiritus sanctus verus Deus à Patre atque Filio procedens. 332. 333. 334. 335. *tanquam ab uno principio.* 337. 338. *non tanquam Filius, quia per modum amoris.* ibidem.
Spiritus sanctus cur & quomodo donum vocetur. 338. 339
Spiritus sancti persona datur. 317
Spiritus sancti dona varia, effectúsque diuersi, unde digitus Dei recte dicitur, & fonti, rori, flumini, oleo, ... comparatur. 339. 340. 341
Spiritus sancti septem dona ratione tantum à virtutibus tribus intellectualibus, & 4. cardinalibus distincta. 341. 342
Sapientiæ donum quid? 342
Scientiæ donum quid? & in quo consistat. 342
Sententia extremi iudicij per quem ferenda. 323. 324
Spiritus sancti dona utrùm connexa sint. 349. 350
Suffragiis viuorum an possint adiuuari mortui. 262. 263
Superbia quid, quæ eius species. 408. 409
Suffragia communia, & particularia quibus prósunt. 263
Superbiæ remedia. 410. 411
Sacramenti definitio. 447. 448. 449. 450
Sacramentorum veteris & nouæ legis differentia. 450. 451
Sacramenta cuius sit instituere. 451. *cur in rebus sensibilibus instituta.* 452
Sacramenta constant materia & forma. 453. 454. 455
Sacramentorum necessitas. 456. 457. *& sequen.*
Sacramentorum ministerium quibus commissum. 468. 472. *& seq.*
Septem nouæ legis Sacramenta. 452
Sacramentorum usus, & dignitas. 480
Sacrificium cur Deus exigat, & cuius rei signum sit. 225. *est externum latriæ signum, placat Deum.* ibid.
Satisfactio pœnitentiæ pars. 549. 550. *& sequen.*
Sacerdotis dignitas. 566. *eius officium.* 573. 574. 575. *Subdiaconi officium.* 573

Sacerdotum varij gradus. 576. 577. & *sequent.*
Schismatici extra Ecclesiam. 259
Schismatis crimen. *ibid.*
Sponsalia matrimonio præmittuntur. 602
Sanctorum cultus pius est. 653
Sanctorum invocatio licita. 655. 656. 657
à Sanctis variis rectè diuersa dona petuntur. 660
Sanctorum reliquiæ rectè honorantur. 661. 662
Sanctos monimentis templorum, & votis honorare licet. 662. 663. 664
Sacrilegium quid. 684
Sabbati vox quid significet. 688. 689
Sodomia. *ibid.*

T

TRinitatis mysterium à Deo nobis reuelatum. 56
Trinitatis & incarnationis fides nos à Mahumetanis & Iudæis discernit. 166.
Tenebræ factæ in morte Christi Deo suspendente concursum. 232
Tempus mansionis corporis Christi, in sepulchro. 137
Tempus mortis, iudicij, & aduentus Christi cur Deus ignorari velit. 297. 298
Timoris seu temperantiæ donum, & quotuplex timor, ac quid seruilis, initialis, castus. 348. 349
Tonsura militiæ Christi asscribit. 569. 570. & *sequen.*

V

VIrtutes tres Theologicæ cur ita dictæ. 7
Vestium mutatio quando licita religioso, mulieri? 49
Vita æterna est gratia pro gratia. 137
Voluntas Dei operatiua & executiua. 138
Vult Deus omnes saluos fieri voluntate antecedente, non efficaci. 139
Vnio triplex. 170
Verbum solum incarnatum non Pater, vel Spiritus sanctus. 171
Virginitas B. Mariæ, trifariam sumitur. 182
Virginitas B. Mariæ in Conceptione & Natiuitate Christi ac perpetua fuisse ostenditur. 182. 183
Vnio verbi cum humana natura quomodo facta? qui circa illam errores. 174. 175.
Virtutes perfectæ sunt connexæ. 342. 350
Virtutum quatuor Cardinalium, singularúmque moralium officia. 343. 344
Vocatio interior, & exterior, & quodam generalis, alia verò secundum propositum saluandi. 351. 352
Vita æterna in quo consistat. 434. 435
Vltimum finem omnes assequentur. 441. 442
Vnctionis extremæ sacramentum. 560. 561. *materia, forma, ritus, effectus, minister.* 562. 563. 564
Votum continentiæ ordinibus annexum. 588.
Voti Natura & definitio. 681. 682
Vota cur Deo facta. *ibid.*

INDEX RERVM,

QVÆ IN TRIBVS LIBRIS

CONTINENTVR, DE VENERABILI Euchariſtiæ Sacramento & Sacrificio.

A

Accidentia Chriſti corpus in Euchariſtia tegentia non ſunt larvæ. pag. 829

Adoratio Euchariſtiæ quid. 855.

Agni paſchalis immolatio ſacrificium Euchariſt. adumbrauit. 895. 896

Albedo in Euchariſt. non ineſt corpori Chriſti, nec ipſum album facit. 829

Albæ ſignificatio. 933

Altarium erectio. 902

Amictus quid ſignificet. 934

Annulus. ibidem.

Anthropophagos cur gentiles Chriſtianos eſſe putauerint. 852

Apparitiones in Euchariſt. quomodo fiant. 849

Aqua vino miſcenda. 826

Aquæ aſperſio. 939

Argumentorum Caluini diſſolutio. 817

Argumentorum contrariorum diſſolutio. 845. & ſeqq.

Argum. Lutheri diſſolutio. 845. 846

Argum. ſolutio contra vnius ſpeciei ſumptione. 877

Argum. eorum, qui in elevatione & verbali oblatione ſacrificij Euchariſt. eſſentiam conſtituunt, ordine diſſoluuntur. 912. 913

Auguſt. à Caluini calumnia vindicatur. 832. 833

B

Baculi Epiſcopalis ſignificatio. 935

Berengarij hæreſis & palinodia. 806. 807

Bernardus cum aliis ſeſe oppoſuit ſacramentariis. 808

Benedicamus Domino in Miſſa quid ſignificet. 962

C

Calceorum ſignificatio. 935

Calligarum Epiſcopi ſignificatio. ibidem.

Caluini hæreſis nihil prioribus niſi fucum verborum ſuperaddit. 809. 810

Canon vnde appelletur. 945

Canonis miſſæ paraphraſis. 944. & ſeq.

Cantus Eccleſiaſticus. 939

Cappa. 936

Carolſtadius hæreſim ſacramentariorum in Germania renouauit. 802

Caſula. 934

Cereorum accenſio. 937. 938

Cæremoniarum vtilitas. 933

Chriſti corpus non ſolùm fide, ſed etiam corporaliter ore manducamus. 828

Chriſti corpus non tantùm in ſigno, ſed realiter in Euchar. præſens eſt. 811

Chriſti Corpus extra vſum in Euchar. remanet. 851. 852

Christum in alia specie videmus. ibidem.
Christus in Eucharist. est adorandus. 854. 855. 856.
Christus per Eucharist. mysterium se nobis inserit, suorumque bonorum consortes facit. 813. 814. 815.
Communio cur Eucharist. tribuatur. 860
Communio quanta bona præstet. 860
Communio frequens vtilis sicut cibi. 867. *et sequen.*
Communicandi quotidie mos in primitiua Ecclesia. 865
Communicandi die Dominico quo tempore viguit. ibid.
Communicaturo tria necessaria. 868. 869
an sit de præcepto Christi sub vtraque specie communicare. 875. 876
Communicaturo non tantùm animi, sed & corporis ratio habenda. 869. *et seq.*
Communis sententia est, sacrificij essentiam in confessione Eucharist. reperiri. 912. 913. *quam sententiam qui impugnant, vel imprudentes, Lutheranos adiuuant.* 914
Conuentus ad missæ sacrificium fiunt ad latriæ cultum Deo exhibendum. 924. 925
Crucis signum semel, ter, aut 5. cm in missa exprimatur. 940.

D

Dalmatica quid significet. 933
Diabolus cur de Eucharistia contentiones excitet. 941. 942
Dominicus se Albigensibus opponit. 808
Dominus vobiscum quid denotet. 939. 941

E

Elevatio Eucharistiæ cæremonia est. 910
Elevatio manuum, & oculorum quid significet. 938
Elevatio victimæ cæremonia est. 938
Euangelium cur versus aquilonem legatur. 942
Eucharistia est pietatis arx. ibid.
Eucharistia commendat Dei sapientiam. 818. *Dei charitatem.* 819. 820. *atque magnificentiam.* ibid.
Eucharistiæ sacramentum aptissimè ex pane & vino fieri. 824
Eucharistiæ reservatio antiquissima. 852
Eucharistia recte circumfertur. 856
Eucharistiæ confectio ex ritu & vsu sacrificium esse monstratur. 903
Eucharistia an sub vtraque specie debeat sumi. 872. 873. 874

F

Festum venerab. sacramenti rectè institutum. 856. 857
Figmentum Caluini tanquam idolum orbi proponitur. 811. 812.
Formula palinodiæ Berengarij. 808. 809
Frequens communio vtilis etiam laicis. 733. 734.
Fractio specierum cæremonia est. 911
Fructus sumptionis Eucharistiæ. 859. 860

G

Genonia procumbit coram Eucharistia. 853
Genuum flexio. 938. 939
Græci fermentato pane vtuntur, Latini azymo. 825. 826

H

Hæresis de Eucharistia quando & à quibus nata. 805. 806. *& à quibus oppressa.* 806. 807. *à quibus renouata.* 808. 809
Hoc, demonstrat contentum sub speciebus. 812.
Hostiæ miraculosæ quomodo tractandæ. 849.
Hostiæ tripartita fractura quid significet. 958

I

Idem corpus in diuersis locis esse potest. 896
Immolatur Christus verè, licet incruentè in Eucharistia. 913. 914
Impanatio reijcitur. 837. *& seq.*
Infirmis Eucharist. viaticum prouidendum est. 865. 866
Institutio Eucharistiæ cum solennibus cæremonijs mysterij sublimitatem ostendit. 822
Ite missa est, quid significet. 959. 962

Linea

L

Linea vestis. 936
Locus destinatus sacrificiis in eucharist. institutione delectus. 823. 824
Lutheri argumenta dissoluuntur. 845. 846
Lutheri impanatio reijcitur. 837

M

Magis credendum Christo quàm Caluino. 902
Malachiæ vaticinium de euchar. sacrificio. 894
Manipuli significatio. 834
Manuum ablutio quid denotet. 938. 939
Melchisedech noui testamenti sacrificium adumbrauit. 823. & sequ.
Missæ compendiosa expositio. 240. et sequ.
Missæ formulam B. Petrus latinis tradidit. 944
Missæ ritus ab Apostolis ordinatus. 854. 855.
Missæ vox quid significet. 240
Missæ sacrificium quem sortiatur effectum. 929
Missæ plures vno die ac loco an rectè celebrentur. 931
Missa quâ linguâ celebranda. 933
Missa vltima benedictione non peractâ populus non recedat. 963
Mitra quid denotet. 935
Moralis significatio communis est omni sacrificio. 884
Mors Christi Deo annunciatur. 896
Mutatio cur adiuncta sacrificio. 884

N

Noui testamenti Pontifex pro signis veritatem substituit. 820. 821
Nomen rebus in aliud conuersis tribuitur. 911. 912

O

Oblatio in quo à sacrificio differat. 883. 884
Oblatio est genus sacrificij. 913
Oculare testimonium in re fidei non requirendum. 831
Offerre Deo quid sit. 917. 920
Omnipotentia Dei non est cancellis nostræ intelligentiæ coarctanda. 816
Operatorius sermo efficit quod significat. 812. 813
Organa. 839
Osculum altaris quid significet. 940. 941

P

Panis nomen quid significet. 816. 817. & sequ.
Panis triticeus, & quidem azymus aptissima eucharistiæ materia. 824. 825
Pascha Christianorum eucharistia. 895
Pallophorium quid significet. 806
Pax vobis. 939
Pax Domini triplex. 957
Pectoris tunsio. 958
Pelliceæ vestes quid denotent. 936
Pollutio quatenus cõmunionem impediat. 872. 873. et seq.
Præparatio necessaria communicaturo. 868. 869
Puero in euchar. apparente an Christi caro remaneat. 848

Q

Quantitas panis post consecrationem remanens per se existit. 817. ac pati & agere potest. 818. 819. & seq.
Quantitatem internam Christi corpus quomodo in euchar. habeat. 816. 817

R

Rationale quid. 935
Repræsentatio mortis Christi ad internam sacrificij rationem non pertinet. 884
Reseruatio euchar. ad varios vsus. 851. 853. 854.
Rituum missæ vtilitas. 933. 934
Rituum varia genera. ibidem.
Romanorum Pontificum pro fide zelus. 806. 807. 808
Romani Pontificis iudicio author sua dicta omnia subijcit. pag. vlt.

S

Sacerdotum appellatio sacrificium statuit. 902. 903
Sacerdos vnicus supremus, cuius multi sunt ministri. 921. 922
Sacra vasa. 936

...amentariorum hæresis quando nata. 806. quantique mala secum inuexerit. 809. 810

Sacrificium propriè & impropriè dictum. 882

Sacrificij externi definitio. 883. 884

Sacrificij externi diuisio. 885

Sacrificium externum in omni lege Deo debitum. 886. 887

Sacrificium tollentes ecclesiam extinguunt. 888

Sacrificij quatuor conditiones. 889. 890

Sacrificium noui testamenti in cuius rei oblatione consistat. 891. 892

Sacrificium noui testamenti ex scripturis probatur. 899. 900. 901

Sacrificium eucharistiæ in qua missa parte consistat. 904. 905

Sacrificium noui testamenti consecratione eucharistiæ peragitur. 907

Sacrificium in se oblationem includit. 919

Sacrificare idem quod sacrificium offerre. 920

Sacrificij Christi virtus sufficiens applicanda est. 922

Sacrificium, sacramentum, & testamentum quomodo eucharistia dicatur. ibidem.

Sacrificium missæ in locum diuinorum omnium veterum sacrificiorum successit. 923. 924. et ad omnes illorum effectus adhiberi potest. ibid.

Sacrificium missæ diuinorum beneficiorum epitomen continet. 925

Sacrificium missæ propitiatorium. 926. & impetratorium. 920. pro quibus personis offerendum. 927. 928

Sine sacerdotio & sacrificio respub. non subsistit 892. 920. & seq.

Securitas salutis in purgatorio. 954

Species panis & vini cur post consecrationem remanent 842. & seq.

Specierum fractio & commixtio caremoniæ sunt 912

Stolæ significatio. 934

Succinctorium quid denotet 935

Sudarij significatio. ibid.

Sumptio Eucharistiæ ad vsum pertinet. 914.

T

TEmplorum consecratio. 936

Templorum cultus pietatem auget. ibid.

Tempus communicandi ab Ecclesiæ præfectis statuitur. 865

Tempus institutionis Eucharistiæ mysterium illustrat. 822

Testamentum in nouissima cœna Dominus cum liber esset condidit. 899

Testamentum nouum Christi sanguine confirmatum. 899. 936

Totus Christus est sub qualibet specie & parte. 856. 857. 858

Transsubstantiatio statuitur. 838. 839

Tunicæ significatio. 935

Turificatio quid significet. 939

Turis accensio. 937

V

VErba Christi operatoria sunt. 812. 813. etiam nunc sacerdotum ore prolata. 824

Vestium sacrarum vsus & significatio. 934. 935. 936

Vestium sacrarum splendor Dei reuerentiam excitat. 937

Vinum proprij nominis Eucharistiæ materia. 825

Vocalis oblatio ad sacrificij essentiam non pertinet. 910

Vtriusque speciei sumptio non est necessaria nec precepta. 875. 876. & seq.

Vtriusque speciei confectio an ad sacrificium necessaria sit. 912

Vsus sacrificij missæ. 922

Vuicleffistis orbis Christianus se opposuit. 807. 808.

FINIS.

PARISIIS,

Apud { IOSEPHVM COTTEREAV. SEBASTIANVM CHAPPELET. ABRAHAMVM PACARD. IACOBVM QVESNEL. DIONISIVM MOREAV. } viâ Iacobeâ.

ET

SAMVELEM THIBOVST, in ambulacro Palatij.

Digitized by Google

5_1